M: vd Gucht Sculp:
Georgius
S.T.P.
Bullus
Ætatis Suæ: 69.

GEORGII BULLI,

S. Theologiæ Profeſſoris & Presbyteri Anglicani,

OPERA OMNIA,

QUIBUS

Duo præcipui Catholicæ fidei Articuli,

DE

S. *TRINITATE & JUSTIFICATIONE,*

Orthodoxè, perſpicuè, ac ſolidè
explanantur, illuſtrantur, confirmantur;

Nunc demum in unum Volumen collecta, ac multò correctiùs quàm antè, unà cum generalibus Indicibus edita.

QUIBUS

Jam acceſſit Ejuſdem Tractatus hactenus ineditus,
De Primitiva & Apoſtolica Traditione Dogmatis de JESU CHRISTI Divinitate,

CONTRA

DANIELEM ZUICKERUM,

Ejuſq; nuperos in Anglia Sectatores;

Subnexa inſuper pluribus ſingulorum Librorum Capitibus prolixa quandoq; ANNOTATA

JOANNIS ERNESTI GRABE.

Cujus etiam PRÆFATIO huic Volumini eſt præmiſſa.

LONDINI,

Typis *Samuelis Bridge*, prope Excambium Regale,
Impenſis *Richardi Smith*, ad Inſigne Angeli & Bibliorum
extra Temple-Bar. MDCCIII.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

JOANNES ERNESTUS GRABE.

ANNUS excurrit, ex quo Amicorum quispiam me compellavit, desiderans, ut novæ Operum omnium clarissimi D. Bulli *Editioni Præfationem præmitterem, quâ debitis ea laudibus exornare, atq; illorum usum iis, quibus fortè non satis innotuerint, præsertim Exteris, monstrare anniterer. Accessit mox Bibliopola, qui, cum inaudivisset, me olim de illis, quæ Vir Reverendus pertractavit, Dogmatibus Theologicis quædam in privatum usum conscripsisse, omnino voluit, ut relectis schedis meis, si qua occurrerent, quæ ad ulteriorem illustrationem vel confirmationem eorundem pertinerent, ista parallelis locis vel Capitibus subnecterem; siquidem & ipse doctissimus* Bullus *novum hactenus ineditum Librum addere constituerit. Ego utrumq; primò detrectabam, tum quòd iter in patriam suscipiendum, aut eô aliquantisper dilatô, alia potius negotia peragenda in animo haberem; tum quòd probè nôssem, laudati Doctoris Scripta per omnem eruditum orbem adeo celebrata, ac ipsa ita elaborata esse, ut nullius, multò minùs meis, vel encomiis indigerent, vel assumentis. Non destitit tamen Bibliopola me urgere, imò & sollicitare cœpit, ut præcipuam novæ hujus Editionis curam susciperem : quandoquidem omnes Tractatus, absente Auctore, olim excusi, mendis Typographicis scaterent, quibus sensum sæpe obscurum redditum, aliquando etiam prorsus depravatum conquererentur Eruditi; & periculum esset, ne nunc quoq; in absentia ejus, partim ob infirmam valetudinem, partim ob publica officia, recudendi iidem, magis adhuc corrumperentur. Undè rem ulteriùs mecum perpendens, ac considerans, peropportunam sese mihi offerre occasionem, quâ non modò singularem meam magni nominis* Bulli *venerationem publicè testatam facerem, sed & unà cum Scriptis ejus sonoram orthodoxæ in duobus præcipuis Christianæ fidei articulis doctrinæ ab illo defensæ professionem ipsemet ederem, ac simul debitâ in emendandis ac expoliendis adeo egregiis Operibus accuratione, Reipubl. literariæ, præsertim Anglicanæ, cui plurimum debeo, quodammodo inservirem; id operis tandem in me suscipiendum duxi. Neq; profectò sine Divini Numinis providentia factum puto, ut postquam eximii antiquæ Ecclesiæ Patris,* S. IRENÆI, *Libros adversus Hæreses sui ævi, quæ* Unitatem *DEI impugnabant, in publicum emisissem, mox ansa daretur accuratiùs edendi Tractatus haud minùs excellentis inter modernos Theologos Viri, adversus nostri seculi tenebriones, qui* S. Trinitatem *in una Deitate inficias eunt. Sic enim videor mihi, fortissima manibus Christianorum fratrum arma insinuare, quibus Catholicam fidem semel sanctis traditam, sed haud semel, nec ex eadem*

parte,

parte, ab impiis hominibus impugnatam, ſtrenuè certando, utrinque defendere queant : ſiquidem Fides Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur, *prout in Symbolo, quod vulgò Athanaſianum audit, canit Eccleſia. Atqui hanc Catholicam fidem ad ſalutem neceſſariam eſſe, licet non ſolam ſufficere, ſed & bonis fidelium operibus vitam æternam ex gratia Dei reddendam eſſe, ſicuti modò dictum Symbolum clarè ſonat ; ita & doctiſſimus Auctor noſter in diverſis Tractatibus fuſiùs explicavit, ac egregiè demonſtravit.*

Sed ut Summam ac Methodum, indeque pendentem dignitatem atque utilitatem horum Librorum diſtinctiùs tradam, in duas eoſdem diſtribuo Claſſes, in quarum priori illos colloco, quibus fundamentalis, ut vocari ſolet, ſive maximè neceſſaria Sanctiſſimæ Trinitatis, & *præcipuè* Deitatis Chriſti *fides defenditur, atque ab objectionibus Hæreticorum vindicatur ; in poſteriori illos pono, quibus ſanus Articuli* de Juſtificatione *ſenſus traditur & confirmatur, atque difficiliora circa hanc materiam loca Scripturæ, præſertim Epiſtolarum S. Pauli, explanantur, ac à corruptelis Adverſariorum liberantur. Priores quod attinet, Clariſſ.* Bullus *Deitatem Λόγε haud è Scripturis Prophetarum, Apoſtolorum, atque Evangeliſtarum demonſtrandam ſibi ſumpſit, ne rem ab aliis toties actam ſatiſque notam denuo ageret : ſed illam è Scriptis Martyrum, Confeſſorum, & Doctorum Eccleſiæ Apoſtolicæ ante Concilium Nicænum, defendendam ſuſcepit ; ac cum Hæretici temere pronuntiarent, Patres in iſta Synodo novam condidiſſe fidem, ipſe contra clariſſimè probavit, eorum Doctrinam* ἐκ πατέρων εἰς πατέρας διαβεβηκέναι, *ut Athanaſius lib. de Synodi Nicænæ Decretis ſcripſit, id eſt, â* Patribus ad Patres derivatam eſſe, *& ex ipſa Apoſtolicorum Diſcipulorum Schola per continuæ ſucceſſionis tramitem ad poſteros decucurriſſe. Id abunde præſtitum eſt in* Defenſione Fidei Nicænæ, ex Scriptis, quæ extant, Catholicorum Doctorum, qui intra tria prima Eccleſiæ Chriſtianæ ſecula floruerunt ; in qua obiter quoq; Conſtantinopolitana Confeſſio, de Spiritu Sancto, Antiquiorum teſtimoniis adſtruitur. *Nam ſicut in Symbolis Eccleſiarum Deitas Filii præcipuè ac pluribus declaratur verbis, Spiritus S. Divinitate obiter ſolùm vel breviter indicatâ ; ita &* Reverendus Bullus *in hoc Tractatu illam magis quàm hanc defendere ſategit ; quoniam ſi vera Filii Dei fides Hæreticorum animis ingenerari poſſet, Spiritus S. quoq; confeſſionem haud gravatim amplecterentur. Cæterùm inſignis hujus operis œconomiam ac partes ſingulas ipſe Auctor tradidit tam in fine Proœmii, quàm in principio Epilogi, ad quæ loca Lectorem remitto. Verum enim verò quoniam haud deſunt, qui cum veram Filii Deitatem ac integrum S. Trinitatis myſterium ſe credere ac tenere affirment, ejus tamen fidei neceſſitatem negant, rati ſcilicet, vitam æternam adepturos, qui quocunq; modò vel ſenſu Jeſum Chriſtum Filium Dei confitentur ; in quorum numero fuit* M. Simon Epiſcopius : *hinc adverſus illum alioſq; Clariſſ. Auctor noſter, prioris libri quaſi Appendicem edidit Tractatum, cui Titulus :* Judicium Eccleſiæ Catholicæ trium primorum Seculorum de Neceſſitate credendi, quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſit verus Deus, aſſertum contra M. Simonem Epiſcopium alioſq; *ut ſicut in illo ipſam fidem Nicænam defendit, ita in hoc Anathematiſmum eidem annexum tueretur ; iis, quæ ex Hiſtoria antiquiſſimorum Hæreticorum, ac formulis priſcorum fidei Symbolorum, nec non illuſtri Dialogi Juſtini M. cum Tryphone locô*

in

in contrarium objecta ſunt, pleniſſimè refutatis, imò in caput Adverſariorum retortis. Deniq; cum Danielis Zuickeri *ductu moderni in Anglia Unitarii minùs in Antiquitate Eccleſiaſtica verſatis perſuadere conati ſint, Juſtinum Martyrem, Simonis Magi deliriis, ac Orphei atq; Sibyllarum verſibus ex illorum officina prodeuntibus circumventum, nec non Platonicorum Hypotheſibus aliiſq; rationibus inductum, Λόγῳ ante conditum mundum præexiſtentiam atq; Divinitatem primum Chriſtianis Catholicis propoſuiſſe, ac plurimis impoſuiſſe; doctiſſimus* Bullus *lepidæ hujus fabulæ refutationem, jam olim conſcriptam, nuper verò recognitam, ac datâ ab Adverſariis occaſione auctam, nunc demum erudito orbi obtulit; cujus ſingula Capita, ſive eorum Summas, ex Indice eſt cognoſcere.*

Atqui ob aſſertam hunc in modum Deitatem Servatoris noſtri tantò majorem clariſſimus Auctor noſter meretur laudem, quòd quidam haud ignobiles Theologi iſtius Eccleſiæ, quæ ſola ſe S. Patrum doctrinam tenere, ac rectè intelligere vanè gloriatur, horum antiquiſſimorum ſuffragia Arianis temere largiti, cauſam hanc turpiter deſeruerint, & nullus illorum argumentum pro Catholica hâc fide ab Apoſtolica traditione petitum debitè deduxerit, ac ſolidè vindicaverit. Unde ipſos illius Eccleſiæ, Romanæ videlicet, Præſules aliquos, eruditione ac candore præ aliis claros, doctiſſimi Auctoris noſtri priores duos Tractatus hanc in rem editos maximopere commendâſſe, ex ore & literis eorum, qui cum illis converſati ſunt, unà mecum plures nôrunt. Cæterum non modò novis Arianis atq; Socinianis, ſed & Pontificiis quibuſdam Sophiſtis telum, quod identidem evibrare ſolent, hac operâ omnino ereptum eſt. Nam quamvis hi, ubi cum imperitis, ſolam Scripturam, aliquando etiam imperitè, allegantibus, res ipſis eſt, S. Patres, velut optimos ſacrarum literarum interpretes ac certos Apoſtolicæ traditionis teſtes audiendos, perpetuò crepare ſoleant; tamen, ubi prudentiores pariter ac ſapientiores offendunt adverſarios, qui ex ore primævorum Eccleſiæ Doctorum ſe ſuamq; cauſam judicari haud refugiunt, diſſonam planè canunt cantilenam, non tam antiquæ Catholicarum Eccleſiarum traditioni, quàm præſentis Romanæ ſedis definitionibus, poſt motam controverſiam factis, ſtandum eſſe oggannientes; ac cum priſcis Judæis, idololatriæ ob thuris incenſum creaturis oblatum convictis, nunquam non clamantes: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini, *Jer.* 7.4. Non peribit Lex a Sacerdote, nec conſilium a Sapiente, nec Sermo a Propheta, *Jer.* 18.18. *Quos ubi de tam abſurda reſponſione redargueris, mox audias hoc æquè, vel magis, abſurdum effutientes,* (*expertus hæc ſcribo*) Patres in Concilio Nicæno olim congregatos contra plurimorum antiquiorum Patrum ſententiam τὸ ὁμοούσιον & συναΐδιον Filii Dei definiviſſe; ac proinde in aliis controverſiis idem Epiſcopis ac Doctoribus Romanæ Eccleſiæ præteritô ſeculô in Synodo Tridentina convenientibus factu opus vel licitum fuiſſe. *Iſtiuſmodi vitilitigatoribus quomodo os obſtruendum ſit, illi ſolùm, illi ſaltem optimè noverint, qui memorata doctiſſimi* Bulli *Scripta diligenti manu verſaverint.*

Progredior ad alteram Claſſem Tractatuum Reverendi Auctoris noſtri de Juſtificatione; *quos licet priùs ſcriptos, poſteriori tamen locô ponendos exiſtimavi, quòd in controverſiis minùs neceſſariis enodandis atq; decidendis verſentur. Et quidem primus horum, ſcilicet* Harmonia Apoſtolica, ſeu binæ Diſſertationes, quarum in priore doctrina D. Jacobi de Juſtificatione ex

Operibus explanatur ac defenditur; in posteriori consensus D. Pauli cum Jacobo liquidò demonstratur; *is, inquam, abunde præstat, quod titulus pollicetur, ac sanctissimos Apostolos, quos prava aliorum interpretatio tanquam inimicos inter se pugnantes commiserat, ad amicam redegit concordiam, imò illos nunquam discordes vel sibi adversos fuisse, luculenter ostendit. Cum autem Animadversiones in hunc Librum scripsisset* Thomas Gatakerus, *Londinas, ac eidem Harmoniæ occinuisset* Thomas Tullius, *S. Theologiæ Professor, atq; Aulæ S. Edmundi apud Oxonienses Præfectus, editâ, quam inscripsit,* Justificatione Paulina; *Reverendus* Bullus *duos hosce adversarios duplici Tractatu refutavit,* Examine *scilicet* Censuræ, seu Responsione ad quasdam Animadversiones *antè dicti Viri, atq;* Apologiâ pro Harmonia ejusq; Authore, contra Declamationem Thomæ Tullii, *&c. quorum prior in egregia planè Appendice ad Examen Animadversionis* 17. *occurrit etiam* D. Trumanno, *qui adversus doctrinam in laudata Harmonia propositam, Anglicè evulgaverat libellum cum hac inscriptione:* Conatus corrigendi invalescentes quasdam opiniones, Doctrinæ Ecclesiæ Anglicanæ contrarias; *ac præcipua istius libri fundamenta evertit. Cæterum tribus hisce Tractatibus doctissimus Auctor noster doctrinam de Justificatione cum annexis, ac præcipua S. Pauli de illis Dicta, vel in se quadantenus obscura, vel novellis quorundam Commentis, qui se incognitam quasi de cœlis lucem iis intulisse gloriabantur, magis adhuc obscurata, adeo mirificè illustravit, ac modò dictas adinventiones ita clarè refutavit, ut jam, Deo sit gratia! vix ullum hîc in Anglia noverim Theologum alicujus nominis vel doctrinæ, qui non cum Reverendo* Bullo *in omnibus, vel saltem præcipuis Thesibus consentiat; quod & de mea tenuitate profiteri haud erubesco, imò hoc gloriæ mihi duco. Fuere quidem, qui cum primùm laudata Scripta in lucem prodiissent, apertô ore clamitârunt, eorum Auctorem à primorum Reformatorum,* Lutheri *præcipuè ac* Calvini, *nec non multorum celeberrimorum clim in Ecclesia Anglicana Theologorum placitis longè discessisse, ac insuper honori illorum, si forte erraverint, malè consuluisse, dum lapsus eorum publicè confiteri, imò dogmata ab istis magnô cum zelo defensa impugnare haud formidavit. Sed illorum clamores aliquantò pòst cessarunt, ac bona tandem causa, Deo propitiô, hac in parte triumphavit.*

Ast quid tamen ad objectionem istam, quam Exteros quosdam Protestantium Doctores Clariss. Bulli *Scriptis de Justificatione adhucdum obvertere novi, respondendum est? Respondit ipse jam pridem in* Apologia contra Tullium *Sect.* 1. *clarè professus, iniquum prorsus, ac Anglicanæ quoq; Ecclesiæ principiis incongruum esse, ut veritati, in S. Scriptura & unanimi Catholicæ Ecclesiæ consensu fundatæ, Neoterici cujusþiam Doctoris, quisquis etiam ille fuerit, auctoritas præferatur; siquidem Canone in Synodo Provinciali Anno* 1571. *sancitô, & à Regia* Elizabethæ *Majestate confirmatô, Concionatoribus, ac proinde etiam reliquis Doctoribus injunctum sit,* Ne quid unquam doceant pro Concione, quod a populo religiose teneri & credi velint, nisi quod consentaneum sit Doctrinæ veteris aut novi Testamenti; quodq; ex illa ipsa doctrina Catholici Patres ac veteres Episcopi collegerint. *Allegat etiam ibidem* Jacobi I. *Constitutionem, ac plura præstantissimorum Anglicanorum Theologorum suffragia, quibus testati sunt, semet, post S. Literas,* Veterum Doctorum consensum ambabus ulnis amplexos fuisse, neq; quicquam

quam ſive in Doctrina, ſive in Regimine Eccleſiaſtico, quod ab eo alienum eſſet, admittere unquam voluiſſe. *Annumerat iiſdem doctiſſimum* Saraviam, *ac ex ejus Defenſione contra* Bezam, Cap. 7. *hæc citat verba, digna quæ hîc recitentur:* Fortaſſis negat Dominus *Beza*, et quotquot cum eo ſentiunt: at Patres rem tamen aliter intellexerunt; quorum concordi & unanimi ſententiæ, abſit, ut *Bezæ*, aut *Calvini*, aut aliûs cujuſpiam ex Neotericis præferam judicium, & hos ſapere, illos verò deſipuiſſe judicem. *Atq; utinam plures, idem ſentientes, ſuas ac Anteceſſorum ſuorum ſententias atque S. Scripturæ expoſitiones ad hunc Lydium lapidem, Catholicam ſcilicet traditionem, examinarent! tunc ſane de pace ac meliori ſtatu Chriſtianæ Reipubl. bene ſperare liceret. Veriſſimum quippe eſt, quod Rev.* Bullus, *loc. cit.* §. 3. *ſcripſit*: Hanc eſſe optimam, imo hanc unicam rationem eſſe, infeliciſſimas, quæ Eccleſiam Chriſti hodiernam tot in partes ſciderunt, controverſias finiendi, ſi poſt S. Scripturas primævam ac puriorem Antiquitatem unice colamus ac revereamur ipſi, aliiſq; Authores ſimus, ut ejus conſentiens judicium, ubi reperiri poteſt (ut in omnibus certe reperitur, quæ majoris momenti ſunt; in cæteris vero liberum cuiq; judicium ſuum, ſalva pace Eccleſiaſtica & Chriſtiana, relinquendum) religioſe ſequantur. *Aſt quamdiu Paſtores ac Doctores quilibet id ſibi negotii datum credunt, ut Majorum ſuorum ac ejus, cui addicti ſunt, partis placita atq; ſtatuta, ſive vera & recta, ſive falſa & prava fuerint, quacunq; ratione defendant vel excuſent potiùs, quàm ingenuè confiteantur ac debitè corrigant; atq; ita ſe optimè de manibus defunctorum Anteceſſorum, deq; ſtatu Eccleſiæ, in qua vivunt, mereri putant, & ab aliis putantur: quamdiu, inquam, res iſto ſtant loco, inſanabiles ſunt Eccleſiarum ſciſſuræ, ac deſperata prorſus earum mala.*

Sed, inquiunt aliqui, nonne in defunctos, vel etiam vivos Patres noſtros impii ſumus ac Chamo ſimiles, ſi errores vel defectus eorum publicè confiteamur, hoſq; emendare conemur; cum id citra dedecus illorum vix fieri poſſit? Equidem concedo, impios eſſe filios, qui verenda dormientium ſive dormitantium Patrum ſuorum temere detegunt; attamen ubi ea jam ab aliis detecta, vel ab ipſis illis apertè expoſita fuerint, pietatis officium eſſe exiſtimo, averſis quidem protervis oculis, ne illorum dedecus videntes rideant, ſed potiùs lugentes fleant, modeſtè illa contegere. Tunc autem verè peccata noſtra noſtrorumve tegimus, quando humili confeſſione Deum flectimus, ut faciem ſuam ab iis avertat, ac ſeria emendatione defectuum facimus, ne ampliùs iſti uſpiam appareant. Quippe qui abſcondit prævaricationes ſuas, haud proſpere aget; qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit eas, miſericordiam conſequetur. *Proverb.* 28, 13. *Optandum itaque, ut hæc veriſſima Divinæ ſapientiæ regula ab omnibus Chriſtianis, ipſiſq; Eccleſiarum Doctoribus & Rectoribus, magis obſervetur, quam vana humanæ prudentiæ dictamina, quæ ideo prohibent plerumq; vel ſaltem ægrè permittunt, ut noſtros ac Anteceſſorum noſtrorum errores atq; defectus libere confiteamur & corrigamus; ne ſcilicet maligni quidam Adverſarii anſam inde inſultandi atq; ex proprio ore nos judicandi protinus capiant.* Quaſi verò *Chriſtianos deceret, iniqua mortalium hominum opprobria, quæ forte tali factô ad breve tempus incurrimus, magis vereri, quàm juſtum immortalis DEI judicium, quod certiſſimè iſtâ viâ in æternum effugimus. Sed iſta hac occaſione obiter.*

Redeo

Præfatio ad Lectorem.

Redeo ad inſtitutum, atq; ad finem Præfationis properans, brevibus indico, quod meum ſtudium, quæ mea opera in hôc, quod modò prodit, Volumine fuerit. Primò omnes, priuſquam prælo darentur, libros prioris Editionis perlegens, plurima menda, quin portenta aliquando Typographica, (de quibus ipſe doctiſſimus Auctor in Harmoniæ Apoſtolicæ Poſt-Scripto ad Lectorem *conqueſtus eſt) è medio ſuſtuli ; deinde ſingula quæq; novæ hujus Editionis folia relegens, ſphalmata, quæ feſtinans Correctoris oculus præterierat, omnia emendare conatus ſum, ita ut pauca remanſerint, eaq; meâ quidem, ſed non Typothetæ manu debitè emendata, ac proinde in fine operis deſignata. Cæterum non modò* breves Notas *ad inferiorem paginæ oram excuſas ſubinde inſperſi ; quibus, verbi gratia, iſta in aliis Reverendi Auctoris noſtri Tractatibus loca, ubi eandem ſententiam ſuam uberiùs explicavit, atq; adverſus aliorum cenſuras ſtrenuè defendit, debitè indicavi, vel alia ad illuſtrationem dictorum pertinentia, tribus, quod aiunt, verbis obſervanda propoſui ; ſed &* prolixiora *pluribus, iisq; præcipuis,* Defenſionis *præſertim* Fidei Nicænæ, *ac* Harmoniæ Apoſtolicæ *Capitibus ſubjeci* Annotata, *quibus Theſes ab Auctore aſſertas aliis quandoq; S. Scripturæ & S. Patrum teſtimoniis ac novis argumentis qualibuſcunq; confirmare, aut ea, quæ ibi allata fuere, ab objectionibus atq; corruptelis Adverſariorum vindicare conatus ſum. Sic quoad loca è Scriptoribus Apoſtolicis, S.* Barnaba, Herma, & Clemente *pro Filii Dei* προϋπάρξει *ante conditum mundum ac* ὁμοουσίῳ *ejuſdem Sectione* 1 *&* 2 *Defenſionis Fidei Nicænæ citata, illum qui in hiſce depravandis operam abuſus eſt ſuam,* Lucam Mellierum, *præ aliis refutandum cenſui, quòd nova quædam, à Clariſſimo Auctore noſtro pariter ac ab aliis intacta, licet magnâ ex parte futilia, attulerit. Vide Annotata ad Sect.* 1. *Cap.* 2. *& Sect.* 2. *Cap.* 2. *&* 3. *Sed* Robertum Clarcke, *Anglum, miſſum feci, partim quòd is crambem bis imò ſæpius coctam in ſuo, quem inſcripſit,* Anti-Nicæniſmo *appoſuerit, & nihil fere oppoſuiſſe primô intuitu mihi viſus ſit, ad quod non reſponſio jam in ipſa Fidei Nicænæ Defenſione data ſit, vel ejus ope facilè dari queat ; partim quòd properantibus Typographis haud tantum temporis mihi ſuperfuerit, ut confuſam teſtimoniorum atq; objectionum è S. Patribus congeriem illius in certas claſſes diſtribuere, nedum iis refellendis manum admovere potuerim. Librum deniq; Anglicè editum quod attinet, cui titulus :* Judicium Patrum circa doctrinam de Trinitate, D. Georgii Bulli Nicænæ fidei Defenſioni oppoſitum ; *neq; iſtum oppugnandum ſumpſi, quòd id jam pridem* Clariſſ. Alixius *peculiari libellô fecerit, ac ipſe Reverendus* Bullus *quoq; haud paucas iſtius Auctoris Strophas in Tractatu nunc primùm edito,* Primitiva & Apoſtolica Traditio *&c. refutaverit.*

Ad ultimum de generalibus Indicibus, ad calcem hujus Voluminis annexis, profiteor, eos non meæ, ſed Reverendi Dn. Samuelis Grascome, *Eccleſiæ Anglicanæ Presbyteri, diligentiæ deberi, ac proinde illi pro iis gratiam habendam eſſe. Ego verò nullam aliam pro meo qualicunq; labore à Te, Lector Benevole, expeto, niſi ut, quandocunq; aliquem ex eo fructum ceperis, mihi bene optare, ac devota prece apud Divinam Majeſtatem pro æterna ſalute mea intercedere haud graveris. Atq; ad hanc ut Tu quoq; per rectæ fidei & veræ juſtitiæ tramitem ductu Spiritus S. pervenias, det miſericors & omnipotens Deus, per merita Ieſu Chriſti,* ἀνθρώπου, *unici Domini ac Servatoris noſtri, Amen. Scripſi, properante calamô, Londini, d.* 8. *Junii, Anno Chriſti* M. DCC. III.

A LIST of the NAMES OF THE SUBSCRIBERS

To the REVEREND

Dr. BULL's Works.

ENGLAND.

HIS Grace *THOMAS* Lord Arch-Biſhop of *Canterbury.*

His Grace *JOHN* Lord Arch-Biſhop of *York.*

The Right Reverend *Henry* Lord Biſhop of *London.*
———*William* Lord Biſhop of *Llandaff.*
———*William* Lord Biſhop of *Worceſter.*
———*Thomas* Lord Biſhop of *Rocheſter.*
———*Gilbert* Lord Biſhop of *Sarum.*
———*Humphrey* Lord Biſhop of *Hereford.*
———*John* Lord Biſhop of *Norwich.*
———*Richard* Lord Biſhop of *Peterborough.*
———*Edward* Lord Biſhop of *Glouceſter.*
———*Richard* Ld. Bp. of *Bath* and *Wells.*
———*James* Lord Biſhop of *Lincoln.*
———*John* Lord Biſhop of *Chicheſter.*
———*John* Lord Biſhop of *Bangor.*
———*William* Ld. Bp. of *Norwich*, Depriv'd.

IRELAND.

His Grace *WILLIAM* Lord Arch-Biſhop of *Caſhel.*

The Right Reverend *William* Lord Biſhop of *Kildare.*
———*Edward* Lord Biſhop of *Kilmore* and *Ardagh.*

His Excellency the Baron *SPANHEIM*, Ambaſſador from the KING of *PRUSSIA.*

A.

MR. *John Adams* Rector of St. *Alban, Wood-ſtreet.*
Mr. *Rice Adams* Rector of *Donhead* St. *Mary, Wilts.*
Mr. *Thomas Alexander* Rector of *Lachingdon.*
Mr. *Anthony Alſop*, A. M. Student of *Chriſt-church*, *Oxon.*
Mr. *Richard Allen*, A. M.
Mr. *Samuel Aubrey*, A. M.
Mr. *Anthony Aufrere*, Miniſter of the *French* Church in the *Savoy.*
Mr. *Arnold*, A. M.
Michael Askell, Gent.

B.

DR. *Bayley*, Preſident of *Magdalen-College*, *Oxon.*
Dr. *Bray.*
Mr. *Thomas Browne*, L. L. D.
Mr. *Charles Brent*, Rector of *Chriſt-Church, Briſtol.*
Mr. *Matthew Bowles*, Rector of *Donhead* St. *Andrew*, *Wilts.*
Mr. *Baron*, Fellow of *Balliol-College*, *Oxon.*
Mr. *Savil Bradley*; A. M.
Mr. *Samuel Breary*, A. M.
Mr. *John Brookes*, A. M.

Mr.

Mr. *William Bramſton*, A. M.
Mr. *Ezekiel Barbauld*, Miniſter of the *French* Church in *Leiceſter-fields*.
James Barrey, Gent.
Mr. *Browne* of *Shiplake*.
Mr. *William Burſcough*, A. M.
Samuel Brewſter, Councellor at Law.
Mr. *Thomas Bennet*, Fellow of St. *John*'s-*College*, *Cambridge*.
Mr. *Boulter*, Fellow of *Magdalen-Coll. Oxon.*
Mr. *Baxter*, A. M.
Mr. *Daniel Brown*,
Mr. *Thomas Bennet*,
Mr *Alexander Boſvile*,
} Bookſellers.
Mr. *Samuel Bridge*, Printer.

C.

DR. *Charlette*, Maſter of *Univerſity-College*, *Oxon.*
Dr. *Cartwright*.
Mr. *William Cooke*, Chancellor of *Ely*.
Mr. *William Cawthorn*, Rector of *Moriſon*.
Mr. *Cuthbert*, A. M.
Anthony Collins, Eſq;
Mr. *Cherry* of *Shottesbrook* in *Berks*.
Mr. *Edmund Calamy*, Miniſter in *London*.
Mr. *Benjamin Chandler*, Miniſter at *Worth* near *East-Greenſted* in *Suſſex*.
Mr. *Awnſham* and *John Churchil*, Bookſellers.
Mr. *Crownfield* of *Cambridge*.
Mr. *Henry Clements*, Bookſeller, *Oxon*.

D.

MR. *John Davies*, A. M.
Mr. *Davies*, Fellow of *Queen's-College*, *Cambridge*.
Mr. *George Duncomb*, A. M.
Mr. *John Darby*, Printer.

E.

SIR *Hugh Everard* Bar. of *Langlyes* in *Great Waltham*, *Eſſex*.
Dr. *Elezard*, of the *Swediſh* Church.
Mr. *Vincent Edwards*, A. M.
Mr. *Ellis* of *Thiſtleworth*.

F.

MR. *John Frankland*, A. M.
Mr. *Franklin*, A. M.
Mr. *Fiſher*, A. M.
Mr. *Frinſham* of *Wargrave*.

Mr. *Robert Friend* of *Weſtminſter*-School.
Mr. *Francis Fox*, A. M. of *Edmund-Hall*, *Oxon*.

G.

MR. *John Gane*, Rector of *Berwick* St. *John*, *Wiltſhire*.
Mr. *George Goodwin* Rector of *Graffam*.
Mr. *William Grigge*, A.M.
Mr. *John Garnett*, A. M.
Mr. *Gillingham*, A. M.

H.

MR. *Hayes*, Fellow of *Queen's-College*, *Cambridge*.
Mr. *James Harris*, Rector of *Harlaxton*.
Mr. *William Higdon*, A. M.
Mr. *Gilbert Hooke*, A. M.
Mr. *Nathaniel Hough*, A.M.
Mr. *Hughes* of *Hurſt*.
John Humphreys, Gent.
William Horton, Gent.
Mr. *Hitchcock*, A. M.
Mr. *Thomas Hughes*, Bookſeller.

J.

DR. *Johnſon*, Maſter of *Sydney-Suſſex-College*, *Cambridge*.
Mr. *John Jenings*, A. M. and Fellow of *Clare-Hall*, *Cambridge*.
Mr. *Joſeph Jolland*, Rector of *Denton*.
Mr. *Charles Johnſon*, A. M.
Mr. *Thomas Jones*.
Mr. *John Jacques*, A. M.
Mr. *Jackman*, A. M.
Mr. *Jablonski*, Chaplain to the KING of *PRUSSIA*.

K.

MR. *Keill*, A. M. Student of *Chriſt-Church*, *Oxon*.
Mr. *Kempſon*, A. M.
Mr. *John Killinghall*, Miniſter in *London*.
Mr. *James Knapton*, Bookſeller.

L.

DR. *Lloyd*, S.T.P. *Collegii S. Stæ. Trinitatis Dublinenſis Socius*.
Dr. *Lambert*.
Mr. *Thomas Lambert*, Rector of *Boyton*.

Mr.

Mr. *Edward Lambert*, Rector of *Orcheſton* St. *George*, *Wiltſhire*.
Mr. *Joſeph Lodge*, Rector of *Irnham*.
Mr. *John Lupton*, A. M.
Mr. *Henry Lee*, B. D.
Mr. *Levet*, A. M.

M.

DR. *Maningham*.
William Malet, Eſq;
Baldwin Malet, Eſq;
Mr. *Robert Middleton*, A. M.
Mr. *John Miller*, A. M.
C. G. de la Mothe, Miniſter of the *French* Church in the *Savoy*.
Mr. *Milles*, } Fellows of *Baliol-Coll. Oxon.*
Mr. *Monox*, }
Mr. *Meredith*.
Mr. *Maſcar*.

N.

RObert *Nelſon*, Eſq;
Mr. *Thomas Norgrove*, A. M. and Fellow of *Corpus-Chriſti-College*, *Oxon*.

P.

DR. *Parkhurſt* of *Corpus-Chriſti-College*, *Oxon*.
Mr. *William Percivale*, } Students of *Chriſt-*
Mr. *Pelling*, ——— } *Church*, *Oxon*.
Mr. *Penny*, Fellow of *Queen's-College*, *Camb*.
Mr. *Ralph Parkins*, Rector of *Boothby-pannel*.
Mr. *Jonah Phipps*, Rector of *Weſt-Quantox-head*, *Somerſetſhire*.
Mr. *Daniel Pead*, A. M.
Mr. *Charles Pinckny*, A. M.
Mr. *John Potter*, A. M. and Fellow of *Corpus-Chriſti-College*, *Oxon*.
Mr. *Anthony Pieſley*, Bookſeller, *Oxon*.
Mr. *Edmund Palmer*, Bookſeller in *Stamford*.

R.

DR. *Rivers*, Fellow of *All-Souls-College*, *Oxon*.
Mr. *Chriſtopher Rawlinſon*, *de Clark-Hall* in *Comitat. Palatin. Lancaſter*, *Armiger*.
John Rawlinſon, Gent.
Mr. *John Reynolds*, Steward to the Duke of *Bedford*.
Mr. *Joſhua Richinſon*, A. M.
Mr. *Peter Rival*, Miniſter of the *French* Church in *Leiceſter-fields*.
Mr. *Benjamin Robinſon*, Miniſter in *London*.
Mr. *Thomas Ridgley*.
Mr. *William Rogers*, Bookſeller.

S.

SIR *Philip Sydenham*, Knight of the Shire for the County of *Somerſet*.
Dr. *Stanhope*.
Dr. *Stapleton*.
Dr. *Smalridge*.
Mr. *Strong*, Fellow of *Baliol-College*, *Oxon*.
Mr. *Francis Stannard*, A. M.
Mr. *Nathaniel Spinkes*, A. M.
Mr. *Richard Salter*, A. M.
Mr. *Seward*, A. M.
Mr. *Sutton*, A. M.
Mr. *John Swynſen*, B. D. Chaplain in Ordinary to her Majeſty.
Mr. *Alexander Sion*, Rector of *Barroughby*.
Mr. *John Saurin*, Miniſter of the *Walloon* Church.
Mr. *James Sprint* of *Stepney*.
Mr. *Sayer*, Fellow of *Queen's-Coll. Camb*.
Mr. *John Scamler*, Rector of *Shenfield*, *Eſſex*.
Mr. *William Sealey*, Rector of *Wiſhford*.
Mr. *Samuel Stratton*, Miniſter in *London*.
Mr. *Robert Smalbrook*, Fellow of *Magdalen-College*, *Oxon*.
Mr. *William Stratford*, Student of *Chriſt-Church*, *Oxon*.
Mr. *Samuel* and *John Sprint*, Bookſellers.
Mr. *George Strahan*, Bookſeller.

T.

THomas *Tanner* Eſq; A. M. Chancellor of the Dioceſe of *Norwich*.
Dr. *Trimnell*, Arch-Deacon of *Norfolk*.
Mr. *Richard Triplett*, A. M.
Mr. *P. de Tacher*, Miniſter of the *French* Church in St. *Martin-Organs*.
Mr. *Trebeck*, Chantor of Her Majeſty's Chapel Royal.
Mr. *Terry*, A. M. Student of *Chriſt-Church*, *Oxon*.
Mr. *Taylor*, A. M.
Mr. *John Turner*, Lecturer of *Chriſt-Church*, *London*.
Mr. *Thurold*, Miniſter at *Rotterdam*.

V.

SEcretary *Vernon*, Esq,

W.

DR. *Waple* of St. *Sepulchres*.
Dr. *Wake*.
Dr. *Waugh*.
Mr. *John Warner*, Prebendary of *Winchester*.
Mr. *Michael Woodward*, A. M.
Mr. *Wood*, Fellow of *Queen's-College*, *Cambridge*.
Mr. *Wills*, Fellow of *Baliol-College*, *Oxon*.
Mr. *Samuel Wells* of *Fern*, *Wiltshire*.
Mr. *Thomas Wagstaffe*, A. M.
Mr. *Joseph Weld*, A. M.
Mr. *Thomas Wise*, A. M.
Mr. *Anthony Wharton*, L.L.B.
Mr. *William Worth*, A. M. Chaplain to the Right Reverend the Lord Bishop of *Worcester*.
Mr. *West*, Bookseller, *Oxon*.
Mr. *Matthew Wotton*, Mr. *Richard Wilkin*, } Booksellers.

Y.

MR. *Young*, A. M.

BOOKS Printed for Richard Smith.

A Paraphrase and Annotations on all St. *PAUL*'s Epistles. Done by several Eminent Men at *OXFORD*: Corrected and Improv'd by the late Right Reverend and Learned Bishop *FELL*. The Third Edition, with Additions. *Octavo*. Price 6 *s*.

An Abstract of the most Curious and Excellent Thoughts in Seigneur *de Montaign*'s Essays: Very useful for Improving the Mind, and Forming the Manners of Men. Done out of *French*. *Twelves*. Price 1 *s*. 6 *d*.

Reflections on our Common Failings; Viz. *Vanity*, *Affectation*, *Raillery*, *Self-Interest*, *Manners of Women*, &c. Done out of *French*. *Twelves*. Price 2 *s*.

Newly Publish'd,

The History of *CHARLES* the Vth. Emperor and King of *Spain*, the Great *Hero* of the *House of Austria*: Containing the most Remarkable Occurrences that happen'd in the World for the Space of 56 Years, all Nations being in a greater or less measure engag'd in the Contests and Confusions of those Times; And giving an Account, I. How the *House of Austria* first came to the Crown of *Spain*, and whence the present Contests between the Emperor and King of *France* had their Original. II. Of the Rebellion of the Commons of *Spain*, and the true Causes and Success of it. III. Of the Wars with *France*, and taking that King Prisoner. IV. Of the Sacking of *Rome*. V. Of the Reformation, and Wars which ensu'd on that account. VI. Of the Revolutions and Troubles in *Denmark* and *Sweden*, on account of Religion. VII. Of the Affairs of *England*, and Marriage of K. *Philip* and *Mary* Q. of *England*. VIII. Of the Wars with the *Turks*. IX. Of the taking of *Tunis*, and other Places on the Coast of *Africk*, with the unfortunate Expedition of *Argiers*. X. Of the Conquest of the vast Kingdoms of *Peru* and *Mexico*, in *America*. And *lastly*, Of the most Heroick Action of that Emperor's Life, his voluntary resigning up all his vast Dominions, and retiring to a Monastery. Price 6 *s*.

Written in *Spanish* by *D. F. Prudencio de Sandoval*, Bishop of *Pamplona*, and Historiographer to K. *Philip* III. of *Spain*: Made *English* by Capt. *John Stevens*.

N.B. *In a short Time will be Published* Proposals *for Mr.* GRABE's *New Edition of the* SEPTUAGINT, *by the Undertaker* R. Smith *without* Temple-Bar.

Likewise in a short Time will be Printed a New Edition *of His Excellency the Baron* SPANHEIM's, (Dissertationes *de Præstantia & usu Numismatum Antiquorum*) *with very great Improvements and Additions, as also New* Dissertations, *made by His own Hand*. Printed for *R. Smith* without *Temple-Bar*.

DEFENSIO FIDEI
NICÆNÆ,

Ex Scriptis Catholicorum Doctorum, qui intra tria prima Eccleſiæ Chriſtianæ ſecula floruerunt;

IN QUA

Obiter quoque CONSTANTINOPOLITANA *Confeſſio, de Spiritu Sancto, Antiquorum teſtimoniis adſtruitur,*

AUTHORE

GEORGIO BULLO, S.S.T.P.

Presbytero Anglicano.

Acceſſere ad hanc Editionem Annotata quædam *I. E. GRABE*; In quibus partim Dicta Veterum, a doctiſſimo Auctore allegata, a corruptelis Adverſariorum vindicantur, partim alia eorundem teſtimonia pro Deitate Chriſti ex editis & manuſcriptis libris adducuntur.

LONDINI,

Impenſis *Richardi Smith*, ad Inſigne Angeli & Bibliorum extra Temple-Bar. MDCCIII.

DOCTISSIMO SANCTISSIMOQUE
Præſuli,
Eccleſiæ, Academiæ, Sæculi
noſtri eximio Ornamento,
Reverendo admodum in Chriſto Patri
ac **DOMINO**

JOANNI,
OXONII EPISCOPO,

Simul et
Ampliſſimi apud **Oxonienſes** *Collegii*
& Cathedralis Eccleſiæ
Ædis Chriſti
Decano,
Has
Fidei Nicænæ vindicias,
Grati animi ſummæque obſervantiæ
qualecunque pignus ac
monumentum,
Dicat Conſecratque
Virtutum ipſius Cultor Devotiſſimus

GEORGIUS BULLUS.

AD
LECTOREM.

Sect. 1. §. 8. IN *Apologia, quam edidi pro libro, cui titulus,* Harmonia Apoſtolica, *ſtudii mei Theologici primitiis, graviſſimâ atque iniquiſſimâ Adverſariorum calumniâ ad id coactus, dixi,* † me delineâſſe Theſes quaſdam Hiſtorico-Eccleſiaſticas, de Filii Divinitate, quibus Veterum Doctorum, qui Concilium Nicænum anteceſſerunt, cum Patribus Nicænis conſenſum tam de Filii Dei τῷ ὁμοουσίῳ, quàm de τῷ σωϊδίῳ ejuſdem, (derivatâ traditione ab ipſa Apoſtolica ætate,) me liquidò demonſtrâſſe confiderem; ſed per adverſam corporis valetudinem, per alias curas variaque negotia nondum licuiſſe mihi ſparſas Schedas recolligere, atque opus imperfectum ad umbilicum perducere. *Hinc undique à viris doctis atque amicis impetitus fui, rogantibus, ut quamprimum perficiendo operi perquam neceſſario manum animumque adhiberem. Quippe ſubmonebant, inter manus Candidatorum S. Theologiæ aliorumque paſſim verſari ſcripta Chriſtophori Chriſtoph. Sandii, Arianam blaſphemiam palàm & γυμνῇ κεφαλῇ defendentis, tanquam doctrinam verè Catholicam, Veterumque omnium, qui Concilium Nicænum anteceſſêre, ſuffragiis comprobatam. Horum iteratis poſtulationibus tandem victus, (quanquam ne tum quidem ſatis mihi otii, neque firma ſatis valetudo ad negotium tam arduum ſuppeteret,) primævorum Patrum monumenta rurſus evolvo; quæ ex ipſis teſtimonia, ad inſtitutum noſtrum ſpectantia, in adverſaria mea congeſſeram, ſingula ad novum & exquiſitiſſimum examen revoco; plura alia ad cumulum adjicio; loca à Sandio aliiſque pro contraria parte allata, diligentiùs expendo; denique obſervationum noſtrarum rudem veluti atque indigeſtam molem univerſam moveo, methodoque quam poſſum facillimâ maximèque perſpicuâ diſpono ordinoque: jamque quinquennium amplius eſt, ex quo opus, quale nunc prodit, abſolveram.*

Si quæris, quare igitur tam ſerò prodit? dicam apertè. Simul ut ſcripto ultimam manum impoſueram, ipſum mox Bibliopolæ uni, alteri, tertio, prælo ſubjiciendum, ſub æquiſſimis conditionibus offerebam. Verùm illi omnes, alius quidem alio ſub obtentu, operis imprimendi curam & impenſas ſuſcipere recuſabant; veriti, ut conjicio, ne libri Auctoris famæ obſcurioris, de argumento etiam difficili, cui examinando pauci admodum operam impendere curarent, rarus Emptor inveniretur. Nec potui ipſe, homo tenui cenſu, & liberis auctus, præli ſumptum ſuſtinere.

Quare neglectum opus domum mecum retuli, in Bibliothecæ meæ pluteis recondendum; contentus voluiſſe ſaltem aliquid pro Divinæ veritatis defenſione, atque amicorum voluntati, quantum in me eſſet, morem geſſiſſe. Sic verò mihi & Muſis cum diutiùs ceciniſſem, tandem ab Amico admonitus, Chartas meas, tanquam è ſepulchro ſuo excitas, commiſi ſubmiſique judicio viri Clariſſimi & conſummatiſſimi Theologi, D. Gul. Jane, *S. Theologiæ apud Oxonienſes Regii Profeſſoris digniſſimi, qui pro candore ſuo ipſas perlegere haud gravatus eſt, perlectas albôque ſuô calculô cohoneſtatas commendavit porro favori ac Patrocinio τῦ μεγάλυ, Oxonienſis Epiſcopi, ejuſque ſingulari ab humanitate & Catholicæ veritatis ſtudio facilè impetravit, ut ex prælo apud Theatrum Sheldonianum ipſius ſumptibus adornatô, hæc* Fidei Nicænæ defenſio *in lucem aliquando prodiret. Cæterum cùm prælum iſtud aliis aliorum excudendis occupatum, aliquandiu ne omnino quidem, nec poſtmodum niſi per intervalla, noſtris vacaret, hinc factum, ut ſcriptum hoc Typographiæ vinculis, ſeriùs abſolutum fuerit.*

Si præſagire mihi licuiſſet, tam diu futurum, priuſquam Tractatus hic noſter in publicum egrederetur, ipſum ſane accuratiorem aliquantò, ornatiorem ac locupletiorem habuiſſes. Verùm, ut jam dixi, hoc confeci opus rogatu Amicorum, mę acriùs urgentium, atque indeſinenter tanquam ſtimulis fodentium, ut quæ ex lectione Veterum pro Catholica fide collectanea apud me habueram, ea retractarem, augerem, & contra venenata Sandii ſcripta, veluti præſens antidotum, quàm celerrimè evulgarem. Poſtquam verò per Bibliopolas præli adeundi ſpes mihi omnis adempta erat, quorſum de ampliando atque exornando opere, blattis & tineis damnatô,

ulteriùs

PRÆFATIO.

ulteriùs laborarem? Demum, cùm inopinatò ſchedæ meæ præli copiam adeptæ eſſent, eaſque Typographo excudendas tradidiſſem, non ampliùs mei juris erant.

Optandum equidem foret, hoc maximi momenti argumentum tractâſſet alius quiſpiam multis partibus me eruditior, cui etiam liberius otium, inſtructiorem Bibliothecam, cæteraque omnia fæliciora ſuppeditavit Divina Providentia; cujuſmodi perplures habet (Deum Opt. Max. precor, ut quàm diutiſſimè habeat,) Eccleſia noſtra Anglicana. Sed nemo hactenus, quod ſciam, hanc ſibi ſpartam juſtô opere exornandam ſuſcepit. Quare his noſtris uti, frui ne indigneris, uſque dum prodeat, qui ex ampliore ſuo penu meliora & perfectiora protulerit. Habes quod à me, homine mediocris ingenii & doctrinæ, modicæ Bibliothecæ Domino, valetudinariô, domeſticis curis impeditô, &, dum iſta ſcriberem, curæ etiam animarum in Parochia rurali affixô, ac denique procul à conſuetudine doctorum Virorum agente, tanquam literati orbis exule, præſtari potuit. Cæterùm hoc unum tibi ſpondere & ſanctiſſimè profiteri auſim, toto hôc in opere me ſummâ fide uſum eſſe. Nullum ex primæva Antiquitate locum pro Synodi Nicænæ decretis in medium protuli, quem poſt diligens examen tum loci ipſius, tum contextûs loci, à cauſa quam agimus revera facere, non ſeriò judicarem: nullum mutilavi, ſed integrè omnia exhibui. Græcorum Patrum ſententias non Latinè tantùm, ſed & Græcè affero, quò Græcè ſcientes de earum genuino ſenſu certiùs ipſi judicare poſſint. Eorum, quæ pro Ariana hæreſi ex priſcis Doctoribus adduxerunt nuperi ejus Hyperaſpiſtæ, nihil ſciens prudens diſſimulavi. Neque duriora Veterum dicta quæſitis σοφοῖς φαρμάκοις utcunque ſanare, ſed Catholicum ea ſenſum non modò admittere, ſed & poſtulare, obſervatô cujuſque Auctoris ſcopô ac propoſitô, adductiſque etiam, ex ſingulis, ſententiis aliis luculentioribus, ſolidè probare conatus ſum. Atque ut uno verbo abſolvam, ſicut falli quidem me poſſe lubens fateor, ita fallere quenquam me voluiſſe pernego. De Summa rei, quam aliis perſuadere volo, planè ipſe, neque id temere, perſuaſus ſum, nempe, quod de Filii Divinitate contra Arium alioſque Hæreticos ſtatuerunt Patres Nicæni, idem re ipſâ (quanquam aliis fortaſſe nonnunquam verbis, aliôque loquendi modô,) docuiſſe Patres ac Doctores Eccleſiæ probatos ad unum omnes, qui ante tempora Synodi Nicænæ, ab ipſa uſque Apoſtolorum ætate floruerunt.

Operarum Typographicarum atque oſcitantis ſubinde ἐπανορθωτὸς lapſus benignè excuſes, velim. Hôc infælix fui, quod unius tantùm, nempe ultimæ hujus operis, ſchedæ imprimendæ ſpecimen examinare atque emendare mihi ipſi contigerit. Quod ſolum nunc poſſum, Errata præli, quæ alicujus momenti ſunt, in tabella operi præfixa diligenter collecta & notata reperies.

Si quid autem tibi, veritatis & pietatis ſtudioſe Lector, ad fidem tuam de primario Chriſtianæ Religionis Articulo confirmandum, hæc noſtra profuerint, erit, de quo & tu, & ipſe Deo Opt. Max. gratias agamus. Laboris mei pretium hoc unum abs te expeto, (hoc verò vehementer expeto,) ut in precibus tuis mei peccatoris meorumque interdum memor ſis. Vale in Chriſto Servatore, Domino Deoque noſtro.

DEFEN-

DEFENSIO FIDEI Nicænæ, &c.

PROOEMIUM,

In quo occaſio, inſtitutum, ac diſtributio univerſi Operis proponitur.

§. 1. CONcilii primi œcumenici, Nicææ habiti, ſumma fuit ſemper apud Catholicos omnes auctoritas atque exiſtimatio; neque ſane immeritò. Nunquam Synodum, quæ potiùs univerſalis aut libera dici mereretur, nunquam cœtum Epiſcoporum atque Antiſtitum Eccleſiæ auguſtiorem & ſanctiorem, poſt denatos Apoſtolos, vidit Chriſtianus orbis. " Sci-
De vita Conſtant. l. 3. c. 7, 8, 9. " licet in conventu illo (referente Euſebio) " ex omnibus Eccleſiis, quæ univerſam Eu- " ropam, Africam atque Aſiam impleverant, " τῶν τοῦ Θεοῦ λειτουργῶν τὰ ἀκροθίνια, ii qui " inter Dei miniſtros principem locum obti- " nebant, ſimul convenere: unaque ædes " ſacra, velut Dei nutu dilatata, Syros ſimul " & Cilicas, Phœnices & Arabes & Palæ- " ſtinos, Ægptios præterea, Thebæos ac Li- " byas, alioſque ex Meſopotamia adveniens- " tes, ambitu ſuo complexa eſt. Quidam " etiam ex Perſide Epiſcopus Synodo inter- " fuit: nec vel Scytha abfuit ab hoc cho- " ro. Pontus item, Galatia, Pamphylia & " Cappadocia, Aſia quoque & Phrygia le- " ctiſſimum quemque ex ſuis præbuere. Thra- " ces quinetiam, Macedones, Achivi & Epi- " rotæ, & qui longiſſimô intervallô ultra " hos poſiti ſunt, nihilominus adfuere. Ab " ipſa quoque Hiſpania Vir ille multô o- " mnium ſermone celebratus (Hoſius) unà
Vide Valeſium in notis ad loc. " cum reliquis aliis conſedit. Aberat qui- " dem Regiæ urbis (Romæ ſcil.) Antiſtes " ob ſenilem ætatem: ſed præſto erant " Preſbyteri, qui vices ejus implerent. Hu- " juſmodi coronam, pacis vinculô conſer- " tam & connexam, ſolus ab omni ævo Im- " perator Conſtantinus, velut divinum grati " animi monumentum pro victoriis, quas de " hoſtibus & inimicis retulerat, Chriſto Ser- " vatori ſuo dedicavit; hôc ampliſſimo cœ- " tu, tanquam imagine quâdam Apoſtolici " chori, convocatô.. —— In hôc choro " Epiſcopi quidem ſupra ducentos & quin- " quaginta adfuerunt; (*Athanaſius, Hila-* Vide Valeſium in not. ad loc. " *rius, Hieronymus, Rufinus, Socrates, alii-* " *que complures, trecentos & octodecim Epi-* " *ſcopos in illa Synodo conſediſſe narrant*) " Preſbyterorum verò qui eos comitati ſunt, " Diaconorum, Acoluthorum aliorumque " complurium numerus iniri vix poteſt. " Porro ex his Dei miniſtris, alii ſermone " ſapientiæ, alii gravitate vitæ & laborum " tolerantiâ eminebant: alii modeſtiâ & " comitate morum erant ornati. Ac non- " nulli quidem eorum ob provectam ætatem " maximo in honore erant: nonnulli & " corporis & animi juvenili vigore enite- " bant, &c.

§. 2. In hac Synodo agebatur de ſummo capite religionis Chriſtianæ, nempe, de perſonæ Jeſu Chriſti Servatoris noſtri dignitate: ſitne ille ut verus Deus colendus, an in creaturarum & rerum vero Deo ſubjectarum ordinem & cenſum redigendus. Si in hac maximi momenti quæſtione toto cœlo errâſſe univerſos Eccleſiæ Rectores, erroremque ſuum plebi Chriſtianæ perſuaſiſſe fingamus; quô pactô conſtabit fides Chriſti Domini

noſtri recipientis, ſe ad conſummationem ſeculi Apoſtolis, adeoque eorum ſucceſſoribus (nam cum promiſſio ad conſummationem ſeculi ſe extendat, Apoſtoli autem tamdiu victuri non eſſent, omnino Chriſtus in Apoſtolorum perſona cenſendus eſt etiam ſucceſſores ejus muneris compellaſſe) adfuturum?

§. 3. Hæc quoties mecum perpendo, toties fere non ſine indignatione, adeoque horrore quodam, unà recolo ſtupendam eorum inſcitiam, ſeu potiùs impiam veſaniam, qui in venerandos Patres non veriti ſunt palàm debacchari, tanquam qui Catholicam de perſona Jeſu Chriſti doctrinam, ab Apoſtolis traditam, ac per tria prima ſecula in Eccleſia conſervatam, vel malitiosè, vel certè per imperitiam ac temere depravaverint, novamq; fidem orbi Chriſtiano obtruſerint. Hôc nomine (ut veteres taceam Arianos, notiſſimos fidei Nicænæ hoſtes & calumniatores) olim infamis fuit Sabinus, Macedonianæ factionis aſſecla; cujus de Concilio Nicæno temerarium & inverecundum judicium refert & refutat Socrates Hiſt. Eccleſ. L. I. c. 8. Ubi optimus Eccleſiæ Hiſtoriographus, poſtquam ſe ideo Nicænæ Synodi hiſtoriam retuliſſe dixerat, ut ſiqui fortè Concilium illud, tanquam in cauſa fidei lapſum, condemnare voluerint, iis minime attendamus; mox hæc ſubjicit: μὴ δὲ πιστεύσωμεν Σαβίνῳ κ. λ. *Nec Sabino Macedoniano credamus, qui imperitos ac ſimplices vocat eos qui in eo Concilio convenerunt. Nam Sabinus, Macedonianorum apud Heracleam Thraciæ urbem Epiſcopus, qui diverſarum Synodorum Acta unum in corpus collegit, Nicæni quidem Concilii Sacerdotes, quaſi rudes ac ſimplices deridet; nec animadvertit, ſe ipſum quoque Euſebium, qui fidem illam poſt diuturnæ inquiſitionis examen amplexus eſt, ut imperitum ſimul criminari. Ac nonnulla quidem de induſtria prætermiſit; quædam verò pervertit atque immutavit: cæterùm cuncta ad inſtitutum ſuum ſenſumque pertraxit. Et Euſebium quidem Pamphili, tanquam teſtem fide digniſſimum laudat: Imperatorem quoque ipſum præconiis afficit, utpote qui Chriſtianæ fidei dogmata apprimè calleret. Fidem vero Nicææ expoſitam reprehendit, tanquam ab ignaris & imperitis hominibus conſcriptam. Et quem ſapientem virum & veracem teſtem nominat, ejus verba ſciens ac prudens deſpicit ac contemnit. Euſebius enim ſcribit, ex miniſtris Dei qui Nicænæ Synodo interfuerunt, alios ſermone ſapientiæ, alios vitæ conſtantiâ ac fortitudine excelluiſſe; & Imperatorem ipſum, qui aderat, ad concordiam cunctos reducentem, unanimes & conſentientes reddidiſſe.* Idem verò Socrates ejuſdem libri cap. 9. reprehendit Sabinum, quod non etiam ſecum reputaverit, ὡς εἰ καὶ ἰδιῶται ἦσαν οἱ τῆς συνόδου, κατελάμπετο δὲ ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, καὶ τῆς χάριτος τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἐδαμῶς ἀσοχῆσαι τῆς ἀληθείας ἐδύναντο. i. e. *Eos qui ad Synodum illam convenerant, quamvis rudes eſſent atque imperiti, à Deo tamen & Spiritûs S. gratiâ illuſtratos, nullatenus à veritate aberrare potuiſſe.* Quippe ſenſiſſe videtur Socrates, Concilio Epiſcoporum verè univerſali ſemper adeſſe Spiritus Sancti gratiam illuminatricem, quæ ipſos ab errore, ſaltem in neceſſariis fidei Articulis, liberos cuſtodiat. Quam Hypotheſin ſi quis nolit admittere, poterit ad ipſum argumentatio Socratis ita inſtitui ac formari: Patres Nicæni, ut imperiti & literarum rudes fuiſſe fingantur, pii tamen certè maximam partem fuere; incredibile autem eſt, tot viros ſanctos & probatos, ex omnibus orbis Chriſtiani regionibus convenientes (qui qualicunque aliàs imperitiâ laboraverint, certè ignorare non poterant elementariam de SS. Trinitate doctrinam, etiam Catechumenis tradi ſolitam, aut quid ipſi eâ de re à majoribus accepiſſent) nefariè conſpirare potuiſſe ad hoc, ut receptam in Eccleſia fidem, de primario Chriſtianiſmi articulo, innovarent.

p. 31.

p. 21, & 22. Edit. Valeſii.

§. 4. Verùm, ut ad recentiores veniam, Patrum noſtrorum memoriâ Fauſtus Socinus Senenſis in Epiſt. 2. ad Radecium affirmat, cognitionem veri de Deo dogmatis, nempe Patrem ſolum verum eſſe Deum, uſque ad tempora Concilii Nicæni perſeveraſſe: *Cognitio* (inquit) *iſta ſine ulla controverſia uſque ad tempora Concilii Nicæni, & aliquantò pòſt inter eos, qui Chriſtum profitebantur, eſſe non deſiit. Per totum enim illud tempus, ut ex omnium, qui tunc extiterunt, Scriptis liquet, ille unus verus Deus, quem paſſim ſacra teſtimonia prædicant, ſolus Pater Jeſu Chriſti eſt creditus.* Ubi cum dicit, Veteres omnes uſque ad Concilium Nicænum credidiſſe, Patrem ſolum Jeſu Chriſti eſſe unum illum verum Deum; ſi de Patris prærogativa, quâ ipſe ſolus à ſeipſo Deus verus eſt, intelligatur, veriſſimum eſſe illud fatemur. Sed hoc pro Socino nihil facit: & certum eſt, hujus dogmatis cognitionem non modò uſque ad tempora Concilii Nicæni, aut aliquantò pòſt, ſed ſemper in Eccleſia Chriſti perſeverâſſe. Sin propoſitio hæc, *Pater ſolus Jeſu Chriſti eſt unus ille verus Deus*, prorſus excluſivè accipiatur, ita ut Chriſto veritas Divinitatis adimatur, & negetur, quod definivit Synodus Nicæna, Filium nempe de Deo vero Deum verum eſſe; (quod Socinum voluiſſe, nimis

nimis manifeſtum eſt) tum apertè falſum eſſe contendimus, Veteres omnes Scriptores uſque ad tempora Concilii Nicæni ita credidiſſe. Imò Filium ejuſdem eſſe cum Patre naturæ, ac proinde verum Deum perinde ac Patrem, omnes docuiſſe oſtendemus. Unde ipſe Socinus alibi, nempe in Epiſtola 3. ad eundem Matth. Radecium (ſibi, ut ſolet, contradicens) fatetur, *ab ipſo ferme naſcentis Eccleſiæ initio, tot viros non minùs pietate quàm doctrinâ clariſſimos, tot Chriſti ſanctiſſimos Martyres, adeo ut nullus ſit numerus, eum alioqui graviſſimum errorem ſecutos fuiſſe, quod Chriſtus ſit unus ille Deus, qui omnia creavit, aut certè ex illius ſubſtantia propria genitus.* Sane autem Filium Dei ex propria Dei ſubſtantia genitum, ac proinde de Deo vero Deum verum eſſe, Summa eſt doctrinæ, quam Patres Nicæni contra Arium aſſeruerunt.

§. 5. M. Simon Epiſcopius, Theologus cætera doctiſſimus, ſed in Antiquitate Eccleſiaſtica planè hoſpes, cum à Socino diverſum ſenſerit, quin & Filii τὸ προϋπαρξιν non modò ante beatam Virginem, ſed etiam ante conditum mundum, contra Socinum palàm defenderit; de fide tamen ſancita à Patribus Nicænis, planè indigna & intoleranda ſcripſit. Etenim in Nicænum, quæque cum eo conſpirarunt Symbola, poſt tertium ſeculum cuſa & compoſita, (majori imperitiâ an αὐαδείᾳ, haud facilè dixerim) invehitur: *Quod ad cætera*, inquit, *pòſt conſecuta Symbola, quæ in Conciliis œcumenicis, ut vocantur, cuſa fuerunt, ea, quia recentiora ſunt, cum his* (nempe cum Symbolis & Confeſſionibus, quibus per tria prima ſecula, tanquam notis ac teſſeris, Chriſtiani & Catholici ab infidelibus & hæreticis diſcernebantur) *comparari non merentur. Et, ſi quod res eſt, dicendum eſt, ea ab Epiſcopis inter ſe magnâ cum æmulatione jurgantibus & contendentibus, ex fervore, ſi non furore, partiumque ſtudio inſano ac maleferiato, præcipitata potiùs videri debent, quam à compoſitis animis profecta.* Atque ut intelligas, Nicænum præcipuè Symbolum ab ipſo hîc perſtringi, mox ſubdit: *Quis enim neſcit, quàm acres in Synodo Nicæna diſceptationes, quàm præfracta jurgia inter Epiſcopos excitata fuerint?* Quis verò, inquam ego, non ſentiat, hæc ab animo haud ſatis ſano aut compoſito profecta eſſe? Adeone decuit virum ſobrium ac modeſtum, venerandos auguſtiſſimæ Synodi Antiſtites convitiis lacerare & proſcindere? Sed ad rem. Symbolum Nicænum ab Epiſcopis, ex furore partiumque ſtudio inſano ac maleferiato, præcipitatum fuiſſe, non veretur dicere. At Conſtantinus Imperator, qui Synodo Nicænæ moderator ipſe præfuit, in Epiſtola ad Eccleſias de eadem Synodo, diſertè teſtatur, quòd ſe præſente in ea, ἅπαντα τῆς προσηκούσης τετύχηκεν ἐξετάσεως, *Cuncta competenti examine diſcuſſa fuerint.* Idem in Epiſtola ad Alexandrinam Eccleſiam propriè ſcripta, apud Socratem Hiſt. Eccleſ. L. I. c. 9. ait, ſe inter Nicænos Epiſcopos, velut ex eorum numero unum, & conſervum ipſorum, præſentem, veritatis examen ita ſuſcepiſſe, ut ἠλέγχθη ἅπαντα, καὶ ἀκριβῶς ἐξήτασαι, ὅσα ἦ ἀμφιβολίας (ſic enim legendum eſſe, ex eadem clauſula mox à Socrate repetitâ, ſatis liquet) ἦ διχονοίας πρόφασιν ἐδύκει γενναῖν, i. e. *Cuncta quæ controverſiæ aut diſſenſionis materiam excitare videbantur, accuratè diſcuſſa atque examinata fuerint.* Ad quam Conſtantini Epiſtolam hæc annotat Socrates: ὁ μὲν δὴ βασιλεὺς τοιαῦτα ἔγραφε τῷ ἀλεξανδρέων δήμῳ, μανύων ὅτι οὐχ ἁπλῶς, οὐδ' ὡς ἔτυχε, γέγονεν ὁ ὅρος τῆς πίστεως· ἀλλ' ὅτι μετὰ πολλῆς συζητήσεως καὶ δοκιμασίας ὑπηρξθυσαν· καὶ οὐχ' ὅτι τινὰ μὲν ἐλέχθη, τινὰ δὲ ἀπεσιγήθη, ἀλλ' ὅτι ὅσα πρὸς σύγασιν τῶ δόγματος λεχθῆναι ἤρμοζε, πάντα ἐκινήθη· καὶ ὅτι οὐχ' ἁπλῶς ὡρίσθη, ἀλλ' ἀκριβῶς ἐξητάσθη πρότερον. i. e. *Et Imperator quidem hæc ſcripſit ad populum Alexandrinum, docens definitionem fidei non leviter ac temere, ſed cum multa inquiſitione ac diligenti examine dictatam fuiſſe: nec quædam in eo Concilio dicta, quædam ſilentio tradita; ſed quæcunque ad confirmationem dogmatis dici poterant, cuncta in medium fuiſſe prolata: nec cauſam temere definitam, ſed priùs accuratè diſcuſſam fuiſſe.* Imò ipſe Euſebius, qui in Nicæno conſeſſu primum locum poſt Imperatorem tenuiſſe videtur, (Scriptor integerrimus, & temperati ingenii, neque Arianis partibus iniqvus) expreſſè refert, fidei in eo Concilio conſcriptæ Epiſcopos omnes ἐκ ἀνεξετάστως, non temere & inconſultò, ſed poſt accuratum, deliberatum & diligens ſingularum ſententiarum (ac nominatim clauſulæ de τῷ ὁμοουσίῳ) examen coram Imperatore adhibitum, unanimi conſenſu ſubſcripſiſſe. Vide Epiſtolam Euſebii ad homines ſuæ parœciæ apud Socratem Hiſt. Eccleſ. L. I. c. 8. Initiô quidem Concilii non leves inter Epiſcopos quoſdam concertationes fuere; ſed eæ mox piâ & placidâ Imperatoris oratione facilè ſedatæ & conſopitæ, ut idem teſtatur Euſebius.

§. 6. Anonymus Auctor libri, pridem editi, qui inſcribitur *Irenicum Irenicorum*, &c. audacter pronunciat, Nicænos Patres *novæ fuiſſe fidei conditores*: quod & in toto opere, coa-

Inſtitut. Theolog. Lib. IV. c. 34.

Apud Euſeb. de vita Conſtant. L. III. c. 17. p. 30. Ed. Valeſ.

p. 31.

Vid. not. Valeſ. ad Euſeb. L. III. de vita Conſt. c. 11.

p. 84.

coacervatis ex Patrum monumentis, qui Concilium Nicænum anteceſſere, teſtimoniis, Nicænæ fidei in ſpeciem repugnantibus, probare nititur. Quod opus *irrefragabilia teſtimonia & argumenta* continere dicit Stephan. Curcellæus Quat. Diſſert. Theol. Diſſert. I. §. 118. in fine. Eandem denuo telam nuperrimè texuit *Chriſtophorus Chriſtoph. Sandius* in ſuo, quem vocat, Nucleo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſecundùm editô, & copioſiſſimâ fabularum & contradictionum acceſſione locupletatô : in quo totus in eo eſt inverecundus ille Scriptor, ut imperitis Lectoribus & in Veterum Scriptis minimè verſatis perſuadeat, Patres Antenicænos ad unum omnes planè cum Ario ſenſiſſe.

§. 7. Sed Virum magnum atque omnigenâ literaturâ inſtructiſſimum Dionyſium Petavium mirari ſatis nequeo ; qui cum ſummam præ ſe ferat Synodi Nicænæ reverentiam, Fidemque in eâ confirmatam contra Arianos, pro verè Apoſtolica & Catholica ſe agnoſcere ubique profiteatur, id tamen Arianis largitur, quod, ſi verum ſit, ad ſtabiliendam ipſorum hæreſim, atque ad Nicænæ Synodi fidem & auctoritatem elevandam, adeoque funditus evertendam, quàm maximè faciat : nempe Eccleſiæ Præſules & Patres pleroſque omnes Antenicænos, prorſus idem quod Arium, ſenſiſſe. Sic enim ille de Trin. L. I. c. 5. §. 7. *Igitur nonnullis Veterum illa de Divinitate ac perſonarum in eâ diverſitate inſederat opinio, unum eſſe ſummum, ingenitum, neque aſpectabilem Deum, qui λόγον ex ſeſe foràs produxerit vocalem & ſonantem : nec tamen vocis inſtar ſonique tranſeuntem, ac diſſipabilem ; ſed ejuſmodi, ut velut corporatus ac ſubſiſtens, cætera deinceps efficeret. Tum autem à ſupremo Deo ac Patre productum eſſe dixerunt, cùm hanc rerum univerſitatem moliri ſtatuit, ut illum velut adminiſtrum haberet. Quam ſententiam alii clariùs, obſcuriùs alii ſignificant. Sed iſti fere, Athenagoras, Tatianus, Theophilus, Tertullianus, & Lactantius. Tam ii verò quàm reliqui, quos commemoravi*, (quem autem ex Patribus primævis non ſuprà commemoraverat ?) *ævô, dignitate ac potentiâ ſuperiorem Verbo Patrem arbitrati ſunt : ac tametſi de Patris eſſe ſubſtantia ſive naturâ Filium aſſererent ; quâ unâ re à cæteris, quæ creaturæ propriè vocantur, illius conditionem diverſam faciebant ; non minùs tamen quàm creaturas initium habuiſſe, hoc eſt, minimè ex æterno diſtinctam hypoſtaſim fuiſſe putârunt.* Planiùs autem loquitur ejuſdem libri cap. 8. §. 2. *Planiſſimè conſtat*, inquit, *germanum Platonicum Arium extitiſſe, tum illorum Veterum ſecutum eſſe dogma, qui nondum patefactâ conſtitutâque re, ad eundem errorem offenderunt. Nam & illi productum à Deo Patre Verbum, non tamen ex æternitate, docuerunt, ſed antequam mundum fabricaret, ut illô adminiſtrô ad hujus molitionem operis uteretur. Non enim per ſeſe ac ſine interjecto aliquo procreâſſe putabant omnia, quod & Philo in libro de opifice mundi ſecutus eſt. Quamobrem quod Arium illius dogmatis architectum fuiſſe, cujuſmodi hactenus auditum non erat, Alexander in Epiſtola queritur, aliique Patres, qui contra hanc hæreſim ſcripſere, oratorio more & per exaggerationem dici arbitror : ſiquidem magna eſt à nobis producta copia priſcorum, qui idem quod Arius antè tradiderunt.*

§. 8. Itaque ſi fides Petavio habenda ſit, ſtatuendum primò, Arii hæreſim à Nicænis Patribus damnatam, in Summa rei cum communi veterum Catholicorum Doctorum, qui ipſum anteceſſerunt, ſententia conveniſſe : ſecundò, dogma de Filii vera Divinitate ante Synodum Nicænam non fuiſſe conſtitutum & patefactum : tertiò, Alexandrum & cæteros Catholicos, qui Arium accuſârunt, ut novi dogmatis & in Eccleſia Catholica antea inauditi auctorem, oratorio more & per exaggerationem illud dixiſſe : hoc eſt, (ſi res planiùs dicenda ſit) inſigniter mentitos fuiſſe, more ſcilicet Jeſuitico, ut Catholicæ cauſæ inſervirent. O infelicem Arium, quòd nondum ſuâ ætate natus fuerit Petavius, qui in Nicæno conflictu cauſæ ipſius patronus & advocatus fieret ! Quid autem Petavio, dum hæc ſcriberet, in mentem venerit, haud facilè dixeris. Suſpicantur nonnulli, ipſum in ſinu ſuo Arianam foviſſe perfidiam, eamque callidè aliis propinare voluiſſe. Ita judicavit Sandius ille, quem modò commemoravi, de Petavio hæc ſcribens : *Cum autem mecum conſidero, quod Petavius Patres Antenicænos eadem cum Ario docuiſſe, & traditionibus articulos fidei probandos eſſe dicat, impoſſibile duco, quin Petavio perſuaſa fuerit concluſio ex his præmiſſis infallibiliter ſequens, ſcilicet Trinitatem Arianorum eſſe articulum fidei, non Trinitatem ὁμοούσιον. At quod concluſionem in contrarium torſerit, id eum duplici ratione feciſſe conjicio :* 1. *Ut declinaret adverſa, quæ hominibus ad Arianam ſectam à Romano-Catholica deficientibus inferri ſolent :* 2. *Ut Ariani ex Societatis Jeſu Patre, tanquam adverſario, firmiorem doctrinæ ſuæ probationem petere poſſent ; præſertim cum ſatis ſit probare præmiſſas, ex quibus quivis ſanæ mentis talem concluſionem elicere poteſt, quæ ejus ſententiam de Trinitate declaret.* Hæc ille. Ego verò ex ipſis Petavii Scriptis liquidò liquere credo, hanc vaniſſimi hominis conjecturam planè falſam eſſe. Quod ſi ſubdolo

Sandius Nucl. Hiſt. Eccleſ. L. I. p. 156. Edit. poſter.

dolô aliquô consiliô (non ex solita tantùm sibi audacia ac temeritate in sanctis Patribus censendis & notandis) ista scripsisse dicendus sit Petavius; putârim hominem, Jesuitam scilicet, Pontificiæ potiùs quàm Arianæ causæ consultum voluisse. Ex eo enim quòd Catholici Doctores trium primorum sæculorum plerique omnes eundem planè errorem errârunt, quem postea in Ario ut hæresim damnavit Synodus Nicæna, (quod contendit Petavius) hæc duo facilè consequentur: 1. Patribus trium primorum sæculorum, quos imprimis appellare solent Catholici Reformati, parum tribuendum esse; utpote quibus nondum satis perspecta & patefacta fuerunt præcipua Christianæ fidei capita. 2. Concilia Oecumenica potestatem habere novos fidei Articulos condendi, sive (ut Petavius loquitur) constituendi & patefaciendi: unde satis prospectum videatur additamentis illis, quæ regulæ fidei assuerunt, quæque Christiano orbi obtruserunt Patres Tridentini: quanquam ne sic quidem fides Romana stabit; cùm Tridentina conventio quidvis potiùs, quam generale Concilium dicenda sit. Sed ita scilicet istius Scholæ magistris nulla religio est, Pseudo-Catholicam suam fidem super fidei verè Catholicæ ruinas ædificare. Ipsa Oracula Divina nimiæ obscuritatis condemnanda; sanctissimi primævæ Ecclesiæ Doctores, Episcopi & Martyres, hæreseos insimulandi sunt; ut quôcunque modô degeneris Ecclesiæ Romanæ fides atque auctoritas sarta tecta conservetur. Et hi tamen Sophistæ (si Diis placet) nos tanquam Chamos maledictos, & venerandorum Ecclesiæ Patrum irrisores & contemptores execrantur; se verò veterum Doctorum fidem religiosè sequi, eorumque Scripta summopere revereri jactitant. Hôc autem nefariô consiliô ista scripsisse Petavium, non ausim certò affirmare, Deo καιρὸν διαγνώσιν illud judicium permittens. Interim quod scripsit Jesuita, ut modernis Arianis pergratum, (qui ob id omnes tanquam patronum suum ipsum suspiciunt atque exosculantur) ita veritati manifestè contrarium, atque in sanctos Patres, tam Nicænos quàm Ante-Nicænos, valde injuriosum & contumeliosum esse, fidenter pronuntiamus.

§. 9. Scilicet hic operis & incœpti nostri scopus, hoc institutum est, ut clarè ostendamus, quod de Filii Divinitate contra Arium aliosque hæreticos statuerunt Patres Nicæni, idem reipsa (quanquam aliis fortasse nonnunquam verbis, aliôque loquendi modô) docuisse Patres ac Doctores Ecclesiæ probatos ad unum omnes, qui ante tempora Synodi Nicænæ, ab ipsa usque Apostolorum ætate floruerunt.

Te verò, sanctissimè Jesu, æterni Patris coæternum Verbum, ego peccatorum maximus, servorum tuorum minimus, supplex veneror, ut huic labori meo, in honorem tuum, sanctæque Ecclesiæ tuæ utilitatem (Te καιρὸν διαγνώσιν testor) susceptο, benedicere, meæque imbecillitati, in hoc gravissimo negotio, pro immensa tua misericordia, atque in tui amatores propensissima voluntate, subvenire atque opitulari digneris. *Amen.*

§. 10. Symbolum Nicænum, prout ab Eusebio in Epistola ad suos Cæsarienses *, ab Athanasio Epistola de fide ad Jovinianum, & ab aliis recitatur, sic habet: Apud Socrat. H. E. l. 1. c. 8.

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα, παντοκράτορα, πάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν· καὶ εἰς τὸν ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρός· Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς· τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν κατελθόντα, καὶ σαρκωθέντα, ἐνανθρωπήσαντα, παθόντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς, ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς· καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον. τοὺς δὲ λέγοντας, ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι, οὐκ ἦν, καὶ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶ), ἢ κτιστὸν, ἢ τρεπτὸν, ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τούτους ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία.

i. e.

Credimus in unum Deum Patrem, omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium creatorem: Et in unum Dominum Jesum Christum, natum de Patre unigenitum, hoc est, ex substantia Patris; Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo verô, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, & quæ in cælo, & quæ in terra: qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, & homo factus est, passus est, & resurrexit tertiâ die, & ascendit in cœlos, venturus inde ad judicandum vivos & mortuos: Et in Spiritum sanctum. Eos autem

autem qui dicunt, erat, quando non erat, & priuſquam naſceretur, non erat, aut ex non-exiſtentibus factus eſt, vel ex alia hypoſtaſi ſive ſubſtantia, vel creatum, aut convertibilem, aut alterabilem dicentes Dei Filium, hos anathemate ferit Catholica & Apoſtolica Eccleſia.

§. 11. Doctrina de Filio Dei in hoc Symbolo comprehenſa, quatenus ad præſens noſtrum inſtitutum ſpectat, ad hæc capita revocari poteſt. Primum eſt, de Filii τῇ προϋπάρξει ſive præ-exiſtentia ante B. Mariam, adeoque ante conditum mundum, ac de creatione hujus univerſi per Filium. Secundum, de Filii τῷ ὁμοουσίῳ ſive conſubſtantialitate, quod non ſit creatæ alicujus & mutabilis eſſentiæ, ſed ejuſdem prorſus cum Patre ſuo naturæ, hoc eſt, verus Deus. Tertium, de Filii τῷ συναϊδίῳ, i. e. coæterna cum Patre ſuo exiſtentia. Quartum, de ſubordinatione Filii ad Patrem, tanquam ad ſui auctorem ac principium: quæ à Patribus Nicænis bifariam exprimitur, quòd Patrem vocent ἕνα θεόν· deinde quòd Filium dicant θεὸν ἐκ θεοῦ, φῶς ἐκ φωτός· κ. λ.

De his omnibus fidem Patrum Ante-Nicænorum cum Nicæna optimè convenire, per ſingula capita, quô ordine à nobis modò propoſita ſunt, euntes, manifeſtum faciemus.

SECTIO

SECTIO I.

De Filii τῇ Περιπάξει

SIVE

Præ-exiſtentia ante B. Mariam, adeoque ante conditum mundum, & de creatione mundi per illum.

CAP. I.

Theſis proponitur, ejuſque pars prima, de Filii præ-exiſtentia ante B. Mariam, demonſtratur.

§. 1. QUid de Filii præ-exiſtentia ſenſerint Patres Catholici Ante-Nicæni, hâc Theſi explicabimus:

THESIS

Jeſum Chriſtum, hoc eſt, eum qui poſtea Ieſus Chriſtus dictus eſt, ante ſuam ἐνανθρώπησιν, ſive ex beatiſſima virgine ſecundum carnem nativitatem, in natura altera, humanâ longè excellentiori, extitiſſe; ſanctis viris, velut in præludium incarnationis ſuæ, apparuiſſe; Eccleſiæ, quam olim ſanguine ſuo redemturus eſſet, ſemper præfuiſſe, ac proſpexiſſe; adeoque à primordio omnem ordinem divinæ diſpoſitionis (ut Tertullianus loquitur) per ipſum decucurriſſe: quin & ante jacta mundi fundamenta Deo Patri ſuo adfuiſſe, perque ipſum condita fuiſſe hæc univerſa, Catholici Doctores trium primorum ſæculorum uno omnes ore docuerunt.

Hoc cum nunquam negârint Ariani, contra alios tamen Catholicæ de Servatore noſtro doctrinæ oppugnatores, paucis ac breviter demonſtrâſſe, operæ fortaſſe pretium fuerit. Duo in hac Theſi (quaſi per incrementum quoddam) de Patribus primævis aſſerimus; nempe, credidiſſe & docuiſſe ipſos, Jeſum Chriſtum 1. ante ſuam ἐνανθρώπησιν extitiſſe, ſanctis viris apparuiſſe &c. 2. Deo Patri adfuiſſe ante jacta mundi fundamenta, perque ipſum condita fuiſſe hæc univerſa.

§. 2. Quod ad Theſis membrum prius attinet, Patres primorum ſæculorum communiter docent, Filium Dei ſanctis viris ſub Veteri Teſtamento frequenter apparuiſſe; imò apparitiones illas univerſas, in quibus nomen Jehovæ & honores divini tribuuntur ei, qui apparet, (etſi aliàs fortaſſe Angelus appelletur) de illo ipſo Dei Filio exponunt. In Scriptis Patrum peregrinus eſt, cui id ignotum ſit. Libet tamen in gratiam Sanctæ Theologiæ Candidatorum, qui ad lectionem Patrum (à qua certè, ſecundum ſacras Scripturas, ſtudia ſua Theologica incēpiſſe debuerant) nondum fortaſſe progreſſi ſunt, teſtimonia quædam ex Veterum illorum Scriptis hîc proferre.

§. 3.

§. 3. Juſtinus Martyr in Dialogo cum
pag. 275. Tryphone pluribus oſtendit, Chriſtum fuiſſe, qui ad ilicem Mamræ apparuit Abraha-
p. 277. mo; qui Dominus ille fuit, qui à Domino in cœlis, ἐκ πατρὸς τῶν ὅλων, hoc eſt, ab univerſorum parente accepit, ut ignis & ſulphuris pluviam ſuper Sodomam demitteret; qui Jacobo apparuit in ſomnis, in ſpecie ho-
pag. 280, 281, 282. minis cum eodem fuit luctatus, eundem in exilio fuit conſolatus; qui denique apparuit Moſi in rubo ardenti.

§. 4. Irenæus de eo, qui Moſi & Abrahàmo apparuit, idem ſenſit quod Juſtinus. Sic enim ille adv. Hæreſ. lib. 4. cap. 11. *Qui igitur à Prophetis adorabatur Deus vivus, hic eſt vivorum Deus, & Verbum* (λόγος) *ejus, qui & locutus eſt Moyſi, qui & Sadducæos redarguit, qui & reſurrectionem donavit.* Et ejuſdem libri cap. 12. de Abrahamo: *In Abrahamo prædidicerat & aſſuetus fuerat homo ſequi Verbum Dei. Etenim Abraham ſecundum fidem ſuam ſecutus præceptum Verbi Dei, pronô animô unigenitum & dilectum filium ſuum conceſſit ſacrificium Deo.* Et paulò pòſt: *Non incognitus igitur erat Dominus Abrahæ, cujus diem concupivit videre: ſed neque Pater Domini: didicerat enim à Verbo Domini, & crediderat ei.* &c.

p. 100. §. 5. Theophilus Antiochenus ad Autolycum lib. 2. eum, qui Adamo mox à lapſu viſus eſt, Filium Dei fuiſſe aſſerit, qui ἀναλαμβάνων τὸ πρόσωπον τοῦ πατρὸς καὶ κυρίου τῶν ὅλων, παρεγίνετο εἰς τὸν παράδεισον ἐν προσώπῳ τοῦ θεοῦ, καὶ ὡμίλει τῷ Ἀδάμ, i. e. *aſſumens perſonam Patris & Domini univerſorum, venit in Paradiſum ſub perſona Dei, & colloquebatur cum Adamo.* Fateor, ibidem loqui videri Theophilum minùs honorificè de Filio Dei; ſed de eo aliàs.

p. 110. §. 6. Clemens Alexandrinus eadem ferme cum Juſtino tradit Pædag. lib. 1. cap. 7. Ubi dicit Pædagogum (per quem Chriſtum ubique intelligit) apparuiſſe Abrahamo, viſum fuiſſe Jacobo, cum eo quoque colluctatum, ſe denique Moſi manifeſtaſſe. Idem alibi docet, Chriſtum dediſſe mundo Legem tam
p. 705. ſcriptam Moſis, quàm Naturæ, Strom. 7. Διὸ καὶ τὰς ἐντολὰς ἃς ἔδωκεν, τὰς δὲ πρώτας, τὰς δὲ δευτέρας, ἐκ μιᾶς ἀρυτλόμενος πηγῆς ὁ κύριος, ὅτε τὸν πρὸ νόμου ἀνόμως εἰ) ἐπαιδεύων, ὅτε αὐτὸς μὲν ἐπαίοντας τὰ βαρβάρου φιλοσοφίας ἀφνιάζαι συγχωρήσας. τοῖς μὲν γὰρ ἐντολὰς, τοῖς δὲ φιλοσοφίαν ἐδωρήσω, συνέκλεισε τὴν ἀπιστίαν εἰς τὴν παρουσίαν κ. λ. i. e. *Quocirca quæ dedit præcepta, & priora, & poſteriora, ex uno fonte hauriens Dominus*; (Chriſtum hîc etiam intelligit, ut ex antecedentibus apparet) *nec eos, qui erant ante Legem, ſine Lege eſſe nihili pendens: nec eos, qui non audiebant barbaram Philoſophiam, ferri effrænatos permittens. Nam cum illis quidem præcepta, his verò præbuiſſet Philoſophiam, incredulitatem concluſit in adventum,* &c.

§. 7. Similiter Tertullianus contra Judæos cap. 9. *Qui ad Moſen loquebatur, ipſe erat Dei Filius, qui & ſemper videbatur.* Vide eundem lib. de carne Chriſti cap. 6. & cont. Marcion. l. 2. cap. 27. & l. 3. cap. 6. & contra Prax. cap. 14. Sed apertiſſimè hac de re ac pleniſſimè loquitur lib. adv. Prax. cap. 16. *Filius eſt qui ab initio judicavit, turrim ſuperbiſſimam elidens, linguaſque diſperdens, orbem totum aquarum violentiâ puniens, pluens ſuper Sodomam & Gomorram ignem & ſulphurem, Dominus à Domino. Ipſe enim & ad humana ſemper colloquia deſcendit, ab Adam uſque ad Patriarchas & Prophetas, in viſione, in ſomno, in ſpeculo, in ænigmate, ordinem ſuum præſtruens ab initio ſemper. Quæ erat perſecuturus infinita, ſemper ediſcebat, & Deus in terris cum hominibus converſari alius non potuit, quàm Sermo, qui caro erat futurus. Ediſcebat autem, ut nobis fidem ſterneret, ut faciliùs crederemus Filium Dei deſcendiſſe in ſeculum, ſi & retrò tale quid geſtum cognoſceremus.*

§. 8. Teſtimonia quæ ſuperſunt, quòd brevitati ſtudeam, indicâſſe ſufficiat. Vide Origen. cont. Celſ. lib. 3. p. 119. & lib. 6. p. 329. Novat. de Trinit. cap. 25, 26, 27. Cyprian. tract. 3. de ſimplic. Prælat. Cum Patribus Ante-Nicænis hîc conſentiunt Catholici Eccleſiæ Doctores, qui poſt Concilium Nicænum floruerunt. Vide Athanaſ. Orat 4. cont. Arianos, Hilarium lib. 4. & 12. de Trinit. Philaſtrium Hæreſ. 84. Chryſoſt. Homil. ad pop. Antioch. cap. 8. & in cap. 7. ad Hebræos, Ambroſ. lib. 1. de his qui initiantur, cap. 3. Auguſtin. Epiſt. 99, 111, & 112. Leonem Epiſt. 17. Theodoret. Quæſt. 68. in Geneſ. &c.

§. 9. Haud me fugit eſſe, qui hæc, ut mera bonorum Patrum ſomnia ac deliramenta rident, ſibique ipſis nimiùm placent; pro certo ſtatuentes, Angelum, qui Patriarchis & Viris ſanctis olim apparuit, & ab ipſis adoratus fuit, duntaxat Angelum fuiſſe creatum, pro ſummo Deo Legati officiô fungentem, ipſiuſque nomen ac perſonam ſuſtinentem. Quibus reſpondeo. 1. Ut demus hîc errâſſe Patres, illud tamen fixum ac ratum manet, credidiſſe ipſos, Jeſum Ser-

vatorem

vatorem noſtrum ante ſuam ſecundum carnem ex beatiſſima Virgine nativitatem revera extitiſſe : quod inſtituto noſtro ſufficit. Dices : At qui in præmiſſis errârunt, veroſimile eſt in concluſione etiam deceptos fuiſſe. Fateor, ſi hiſce tantummodo præmiſſis, quæ falſæ eſſent, concluſionem iſtam ſuperſtruxiſſent. Atqui hîc planè aliter ſe res habet. Patres enim, etſi alicubi Filii præ-exiſtentiam hôc adſtruant argumentô, paſſim tamen ſignificant, ſe in iſtam ſententiam adductos tum ex aliis Scripturæ apertiſſimis teſtimoniis, tum ex Apoſtolorum traditione : quod ſuô poſtea locô ac tempore liquidò probabimus. Verùm 2. religio mihi eſt, eritque, contra torrentem omnium Patrum ac veterum Doctorum S. Scripturas interpretari, niſi quando me argumenta cogunt evidentiſſima; quod nunquam eventurum credo. Multis enim certè probabilitatum ac veroſimilium rationum momentis præponderare debet conſentiens (primævæ præſertim) Antiquitatis judicium. Atqui, inquies, rationes, cur aliter ſentiamus, hîc ſunt evidentiſſimæ. Age, videamus.

§. 10. Primò objiciunt : Exod. 3. v. 4. legitur, Deum locutum fuiſſe Moſi ex rubo ignis ; & Exod. 19. 20. & 20. 1. Deum ipſi Legem dediſſe ; cum tamen ex aliis Scripturis liqueat, Angelum fuiſſe creatum, qui in utroque loco Moſi apparuit & locutus eſt. Nam Lex dicitur à Scriptore Epiſtolæ ad Hebræos c. 2. v. 2. *Sermo per Angelos dictus.* Confer Gal. 3. v. 19. Atque etiam Stephanus Act. 7. clarè dicit, Angelum apparuiſſe Moſi in rubo, v. 30. & Legem per Angelorum diſpoſitiones adminiſtratam fuiſſe, v. 53. Addunt : In illuſtri illa apparitione Abrahamo factâ ad Mamren Gen. 18. 1, 2. etſi unus ex tribus Jehovæ nomine inſigniatur, conſtat tamen omnes tres fuiſſe Angelos ; cum Auctor Epiſtolæ ad Hebræos apertè dicat, Angelos fuiſſe, quos Abrahamus & Lotus hoſpitio exceperunt cap. 13. v. 2.

§. 11. Reſpondeo : Cum Patres communiter aſſerunt, Angelum, qui Abrahamo & Moſi apparuit, cuique nomen Jehovæ & divini honores tribuuntur, fuiſſe Dei Filium ; duplicem id ſenſum admittit : nempe, vel fuiſſe Deum, i. e. Filium Dei, nomine Angeli ſignificatum, quia ipſe corpus aſſumſerit, ſive ſpeciem viſibilem, qualem Angeli uſurpare ſolent ; vel Filium Dei fuiſſe in Angelo, hoc eſt, Angelum fuiſſe, qui corpus aſſumſit, & Filium Dei fuiſſe in Angelo, per aſſiſtentiam nempe & præſentiam ſingularem. Ex priori hypotheſi ſolvitur objectio propoſita, dicendo : Filium Dei etiam Angelum appellari, Angelum nempe fœderis ; & in apparitionibus illis Angelum dici, quia imitabatur modum & rationem, in qua hominibus Angeli apparebant ; Falſum autem eſſe, Angelum creatum fuiſſe, qui Moſi locutus eſt in rubo & monte Sinai. Neque id evinci, quia à Stephano & ab Auctore Epiſtolæ ad Hebræos dicitur, per *Angelos* in plurali numerô Legem Moſis datam fuiſſe. Nihil enim obſtare, quominus ipſe Deus in Sinai præſens fuerit, ſed ſtipatus Angelorum multitudine ad indicandam Majeſtatem ſuam : imò inter Myriadas illas Angelorum in monte Sinai ipſum Deum ſpeciali præſentiâ adfuiſſe, certiſſimè conſtare ex Deut. 33. 2. & Pſal. 68. 17. In apparitione verò trium illorum, qui ad Abrahamum diverterunt, duos quidem fuiſſe Angelos creatos, & hoc ad ſalvandam veritatem dicti Apoſtolici Heb. 13. v. 2. ſufficere ; tertium verò Dei Filium fuiſſe, utpote in quo etiam Abrahamus agnovit Majeſtatis divinæ notas, ideoque cum eo egit tanquam cum Judice ſupremo, ut, ſi fieri poſſet, urbium Pentapoleos deſtructionem remoraretur. Atque hunc fere in modum ad objectionem reſpondet inter alios Cl. Andreas Rivetus Comment. in Hoſ. cap. 12. v. 4, 5, 6. Alteram vero Hypotheſin amplexi ſunt multi ex veteribus, tam Judæis, quàm Chriſtianis. Trypho Judæus apud Juſtinum contendit, duos ſimul adfuiſſe in ἐπιφανείᾳ Moſi factâ in rubo ardenti, Deum & Angelum : & Angelum quidem in ignis flamma apparuiſſe ; Deum autem, nempe in Angelo, cum Moſe collocutum eſſe. Cui reſpondet Juſtinus, id ſalvâ Hypotheſi ſuâ, nempe Dei Filium Moſi allocutum eſſe, concedi poſſe : quanquam mox ſolum Dei Filium Moſi apparuiſſe conetur oſtendere. Ac ſane Tryphonis ſententia videtur fuiſſe inter antiquiores Judæos recepta & probata. Nam & ipſe Stephanus non obſcurè docet, Angelum fuiſſe, qui Moſi in rubo apparuit Act. 7. v. 30 ; ipſum vero Deum Moſi locutum verba iſta, *Deus ego ſum Patrum tuorum* &c. ibid. v. 31, 32, Confer Exod. 3. v. 2. cum v. 4, 5, 6. Clemens Alexandrinus, idem qui affirmat, qui populo Iſraelitico præfuit in deſerto, Pædagogum, ſive Filium Dei fuiſſe ; diſertè docet, idque eôdem in loco, quod is qui Moſen ducebat, Angelus fuerit, τὸ εὐαγγέλιον καὶ ἡγεμόνιον ἐπισήσας τῇ λόγῳ δύναμιν *Evangelicam & principalem Verbi potentiam adducens* ; & τὸ ἀξίωμα τὸ κυριακὸν φυλάττων, *Dominicam conſervans dignitatem.* Et paulò pòſt dicit, quod ſub Veteri Teſtamento λόγῳ ἄγγελος ἦν, *Verbum Angelus erat*, hoc eſt, per Angelos hominibus apparuit. Quô etiam ſenſu Filium mox vocat μυστικὸν ἄγγελον, *myſticum Angelum* ;

Dialog. cum Tryphon. p. 282, 283.

Pædagog. l. 1. c. 7. pag. 110, 111.

lum; quippe qui tum temporis sub Angelo divinam suam Majestatem quasi occultârit. Idem senserunt multi ex Patribus, qui post Concilium Nicænum scripsere. Sic Athanasius Orat. 4. cont. Arianos de Angelo Mosi in rubo apparente: ὁ μὲν φανόμενος, ὡς ἄγγελος· ὁ δὲ θεὸς ἐν αὐτῷ ἐλάλει. i. e. *Qui apparuit quidem, Angelus erat: sed Deus in ipso loquebatur.* Hieronymus in cap. 3. ad Galat. *Quod autem ait*, Lex ordinata per Angelos, *hoc vult intelligi, quod in omni Veteri Testamento, ubi Angelus primùm visus refertur, & postea quasi Deus loquens inducitur, Angelus quidem verè ex ministris pluribus, quicunque sit, visus; sed in illo Mediator loquatur, qui dicat*: Ego sum Deus Abraham &c. Augustinus contra Maximin. l. 3. prope finem: *Quæro*, inquit, *quis apparuerit Mosi in igne, quando rubus inflammabatur? Quanquam & illic Angelum apparuisse Scriptura ipsa declarat, dicens:* Apparuit autem illi Angelus Domini in flamma ignis in rubo. *In Angelo autem Deum fuisse quis dubitat?* Gregorius Præfat. in Job. cap. 2. *Angelus, qui Mosi apparuisse dicitur, modò Angelus, modò Deus memoratur: Angelus videlicet propter hoc, quod exteriùs loquendo serviebat; Dominus autem dicitur, quia interiùs præsidens, loquendi efficaciam ministrabat. Cum ergo loquens exteriùs ab interiori regitur, & per obsequium Angelus, & per inspirationem Dominus nominatur.* His consentiunt Fulgentius contra Maximum, aliique. Atque hanc Veterum sententiam omnino confirmare mihi videtur locus ille Exod. 23. v. 20. ubi Deus, hoc est Filius Dei, ut sensit Antiquitas omnis primæva, Mosi locutus promittit, se Angelum præmissurum populo suo per desertum, & *futurum nomen suum* בקרבו *in medio ejus.* Fuit itaque revera Angelus, qui populo Israelitico præivit ad terram promissam; sed Angelus tamen, in quo Filius Dei nomen, sive virtutem ac potentiam suam divinam posuit, hoc est, in quo ipse singulari modô præsens fuit. Cæterùm ex verbis Tryphonis apud Justinum, quæ modò adduximus, liquet, veteribus Judæis nunquam in mentem venisse commentum illud, quod nostrô sæculô Viris quibusdam doctis inter Christianos placuit: nempe eum, qui Mosi in rubo & monte Sinai apparuit & locutus est, merum fuisse Angelum, qui se Deum Abrahami appellaret, Deique nomine cultum divinum, sibi adhibitum, libenter admitteret. Nimirum absurda nimis & planè horrenda est illa sententia. Quippe nefas est cogitare, histrioniam aliquando exercuisse Angelos, & Deum incommunicabile nomen ipsis communicâsse, aut talem repræsentationem, in qua creatura omnia, quæ Dei sunt, sibi attribuat. Rectè etiam doctissimus Camero *: *Sane*, inquit, *Patroni clientum personas sæpe induunt: at ne fando quidem unquam auditum est, ullum Legatum, cum Principis sui mandata proponit, aliter loqui quam in tertia persona:* Princeps meus hæc dicit. *Cujus rei illustre testimonium habemus apud Prophetas, apud quos nimirum solennis formula est*: Dicit Dominus. *Imò in visionibus Angeli profitentur se missos* *. Hinc ipse Grotius alicùbi fatetur, illum, qui veterem Legem in Sinai promulgavit, Angelum quidem fuisse singularem, aliis Angelis stipatum; non verò merum Angelum, sed cui adfuerit ὁ λόγος.

Tom. 1. p. 467.

* In Annot. ad Heb. 2. v. 2.

Grot. ad Gal. 3. 19.

§. 12. Esto igitur, inquies, fuerit Deus, qui in veteri Testamento, sive per Angelum, sive sub Angelica repræsentatione sanctis viris apparuit, & locutus est; at quâ demum ratione adducti, crediderunt Doctores, fuisse Dei Filium? Respondeo: Ratione, nî fallor, optimâ, quam ex traditione Apostolica edidicerant. Scilicet Deus Pater, quemadmodum per Filium suum mundum primitus condidit creavitque; ita per eundem Filium se deinceps mundo patefecit. Proinde Filius Dei, etsi ultimis demum temporibus, per incarnationis dispensationem, familiariter cum hominibus conversatus fuerit, semper tamen & ab ipsis ejus incunabulis Ecclesiæ præfuit, seque viris sanctis etiam sub V. T. (occultâ quidem atque arcanâ οἰκονομίᾳ) ingessit. Clemens Alexand. Pædag. l. 1. c. 11. Πάλαι μὲν οὖν διὰ Μωσέως ὁ λόγος ἐπαιδαγώγει, ἔπειτα καὶ διὰ προφητῶν. i. e. *Olim itaque per Mosen Verbum Pædagogi fungebatur officiô, deinde etiam per Prophetas.* Origenes contra Celsum lib. 6. Οὐχ ὥσπερ ἀπὸ μακρᾶς ὕπνου ἀφανεσὰς ὁ Θεὸς ἔπεμψε τὸν Ἰησοῦν τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων, τὸ μὲν κατὰ τὸ ἀνωμάτησιν οἰκονομίαν νεῦ δι' εὐλόγους αἰτίας ἐπικληρώσαντα, ἀεὶ δὲ τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων εὐεργετήσαντα· οὐδὲν γὰρ τῶν ἐν ἀνθρώποις καλῶν γεγένηται, μὴ τοῦ θείου λόγου ἐπιδημήσαντος ταῖς ψυχαῖς τὸν κἂν ὀλίγον καιρὸν δεδυνημένων δέχεσθαι τὰς τοιάσδε τοῦ θείου λόγου ἐνεργείας, i. e. *Non velut è longo somno experrectus Deus ad humanum genus Jesum misit, qui, etsi justis de causis nunc demum incarnationis dispensationem suscepit, semper tamen in homines fuit beneficus: nihil enim unquam inter homines boni gestum est, nisi Dei Verbô animis eorum præsente, quantulocunque tempore capacium ejus energiæ.* Apertissimè autem ac plenissimè Tertullianus adv.

p. 132.

p. 329. Vide & lib. 3. p. 119. & l. 4. p. 165.

* Vide Athanas. Orat. 4. cont. Arian. p. 466.

adv. Prax. c. 15. *Filius visus est semper, & Filius operatus est semper, ex auctoritate Patris & voluntate, quia Filius nihil à semetipso potest facere, nisi viderit Patrem facientem* &c. *Sic omnia per Filium facta sunt, & sine illo factum est nihil. Nec putes sola opera mundi per Filium facta, sed & quæ à Deo exinde gesta sunt.* Mox cap. 16. sequuntur verba, quæ paulò superiùs adduximus: *Deus in terris cum hominibus alius conversari non potuit, quam Sermo, qui caro erat futurus.*

§. 13. Restat altera objectio, quam ut invictam venditant Viri quidam doctissimi, à nobis paucis expedienda. Obtendunt igitur, hanc Patrum sententiam disertissimis S. Scripturæ verbis velut è diametro oppositam esse. Etenim, inquiunt, divinus Auctor Epistolæ ad Hebræos cap. 1. v. 1, 2. apertè dicit, Deum qui multis olim modis locutus fuit Patribus ac Prophetis, novissimis demum temporibus locutum esse per Filium suum. Per tempus autem novissimum intelligi constat tempus Evangelii; ergo ante istud tempus nunquam fuerat locutus Filius Dei, aut Deus per Filium suum; aliàs non recte opponeret Auctor tempus novissimum Evangelii tempori antiquo veteris Legis, si in utroque apparuerit & locutus fuerit Filius Dei, aut Deus per Filium.

§. 14. Hanc objectionem proponit Ludovicus de Tena, eique ipsi respondet hisce fere verbis: *Paulus tantummodo ponit discrimen inter ultimam apparitionem Filii Dei, & priores V. T. quia istæ fiebant in creatura corporali, non hypostaticè unitâ Filio Dei, & ita mediô suppositô creatô corporeô, imò & Angelicô, loquebatur Filius Dei. At verò in illa apparitione Verbi incarnati, de qua asserit,* novissime locutus est nobis per Filium, *non mediat aliquod suppositum creatum, neque corporeum, neque Angelicum; sed Verbum divinum immediatè immediatione suppositi loquebatur hominibus. Neque obstat, quòd hoc fuerat media humana natura, quia hæc caruit propriô supposito, & immediatè fuit unita supposito Verbi. Et hic est legitimus sensus horum verborum, & ita manet rectè explicata Apostoli contrapositio, & excellentia Evangelii supra Legem veterem.* Hæc Viri eruditissimi responsio, ad verba quidem quod attinet, (pro more Scholæ) barbara, sensu tamen sana ac solida est, veterumque Patrum menti consentanea, ut ex testimoniis paulò superiùs allatis apparet. Quibus & hæc addas. Justinus Martyr in Apologia pro Christianis, quæ in vulgatis editionibus prima dicitur, cum revera secunda sit, sic de Verbo, sive Filio Dei loquitur: λόγ῾ γὰρ ἰῶ καὶ ἔστιν ὁ ἐν παντὶ ὢν, καὶ ἀφ᾽ ὧν προφητῶν προεκηρυσσὲν τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, καὶ δι᾽ ἑαυτοῦ ὁμοιοπαθὴς γενόμενος καὶ διδάξαι ταῦτα. i. e. *Verbum fuit & est in universo existens: qui & per Prophetas quæ futura erant, prædixit, & per seipsum hæc, passionibus nobis similis factus, docuit.* Ubi docet, Verbum sive Filium Dei se quidem sub Veteri Testamento Prophetis, & per illos aliis, quodammodo manifestâsse; in ultimis verò temporibus per seipsum, assumtâ naturâ nostrâ, cœlestem nobis doctrinam tradidisse, & in hoc excellentiam Evangelii supra Legem veterem præcipuè consistere. Huic concinit Clemens Alexandrinus Pædag. l. 1. c. 7. Καὶ γὰρ ἰῶ ὡς ἀληθῶς ἀφ᾽ μὲν Μωσέως παιδαγωγὸς ὁ Κύριος τῷ λαῷ παλαιῷ· δι᾽ αὐτοῦ δὲ τῷ νέῳ καινογενεῖ λαῷ πρόσωπον πρὸς πρόσωπον. i. e. *Revera enim erat Dominus per Mosen Pædagogus veteris populi; per seipsum autem populi novi dux, facie ad faciem.* Et paulò post: τὸ μὲν νεῷ πρότερον τῷ πρεσβυτέρῳ λαῷ πρεσβυτέρα ἀφθήκη ἰῶ, καὶ νόμος ἐπαιδαγώγει τὸν λαὸν μετὰ φόβου, καὶ λόγος ἄγγελος ἰῶ· καινῷ δὲ καὶ νέῳ λαῷ καινὴ καὶ νέα ἀφθήκη δεδώρηται, καὶ ὁ λόγος γεγόηται, καὶ ὁ φόβος εἰς ἀγάπην μετατέτραται, καὶ ὁ μυστικὸς ἐκεῖνος ἄγγελος Ἰησοῦς πείθεται. i. e. *Priùs itaque veteri populo vetus erat Testamentum, & Lex cum metu populum erudiebat, & Verbum erat Angelus: novo autem & recenti populo novum ac recens Testamentum datum est, & Verbum fuit genitum, & metus in dilectionem conversus est, & mysticus ille Angelus Jesus paritur.* Neque aliud voluit Tertullianus, cum in loco paulò superiùs allato docet, *Filium Dei ad humana colloquia descendisse ab Adam usque ad Patriarchas in visione, in somno, in speculo, in ænigmate,* &c.

In cap. 1. Epist. ad Heb. difficult. 2. §. 2.

p. 48,49.

p. 110, 111.

§. 15. Itaque veterum Patrum sententiæ nihil solidi obduci potest è sacro Codice. Dispiciamus, annon eidem S. Scripturæ satis apertè faveant. Paulus Angelum, qui populo Israelitico in deserto præfuit, (de quo dictum est, *Cave tibi à facie ejus, audi verba ejus, ne irrites eum: non enim parcet tibi, neque remittet tibi peccata; nomen enim meum est in illo,*) Dei Filium fuisse, qui postea Christus dictus est, aperte docet 1 Cor. 10. 9. Μηδὲ ἐκπειράζωμεν τὸν Χριστὸν, καθὼς καί τινες αὐτῶν ἐπείρασαν, καὶ ὑπὸ τῶν ὄφεων ἀπώλοντο. i. e. *Neque tentemus Christum, quemadmodum & quidam eorum tentârunt, & serpentibus perierunt.* Saltem hæc verba ostendunt, Christum populo Israelitico adfuisse in deserto, ab iisque tentatum fuisse. Nam quod hic excipit Socinus Hæreticus, scriptum quidem à Paulo, *ne tentemus Christum,*

Exod. 23, 20. &c.

ſtum, ſicut nonnulli eorum tentârunt; at non eſſe ſcriptum, *ſicut nonnulli eorum tentârunt Chriſtum*; ideoque ſententiam commodè ſuppleri poſſe per aliam vocem, nempe *Deum:* id verò futile eſt planè. Nam hujus ellipticæ locutionis plurima extant exempla in Scripturis. Sic Joan. 8. 56. *Abraham concupivit videre diem meum, & vidit*, non eſt repetitum, *& vidit diem meum*; ſed ſubintelligitur. Sed appoſitiſſimum hujuſcemodi locutionis exemplum habemus Deut. 6. 16. *Non tentâbis Dominum Deum tuum, quemadmodum tentâſti in loco tentationis.* Ubi poſteriorem orationis partem ad eum, cujus nomen paulo antè expreſſum eſt, nempe *Dominum Deum*, ſine ulla ejuſdem repetitione referri manifeſtum eſt. Præterea nos poſſemus viciſſim quærere ab Hæretico, cur non additum fuerit: *ſicut quidam eorum tentârunt Deum?* Certè ſi ea eſt hujus verſûs ſententia, quam ei affingit Hæreticus, non poteſt reddi ratio hujus ellipſeos: at ſi ea eſt ſententia loci, ut eſt, quam nos tradimus, ratio Ellipſeos quàm facillimè reddi poteſt. Multò enim inſolentior locutio fuiſſet, ſi repoſitum fuiſſet nomen *Chriſti*. Denique magnam hîc habet vim particula καὶ, quæ oſtendit, neceſſariò ſic accipienda eſſe verba Apoſtoli, ac ſi vellet, *Chriſtum tentatum fuiſſe ab Iſraelitis in deſerto.* Quorſum enim attinuiſſet dixiſſe, *quemadmodum &*, cum in priori membro nulla *Dei*, ſed *Chriſti* tantùm mentio facta fuerit? Itaque Grotius pro acumine ſuo hanc Sociniſtarum cavillationem planè inſulſam eſſe perſpiciens, aliud ipſe quæſivit effugium: *Omnino*, inquit, *legendum eſt*, μηδὲ ἐκπειράζωμεν τ̃ Θεόν. Itane vero? Omnino? Cedo rationem. *Ita*, inquit, *legit vetuſtiſſimus ille manuſcriptus*, nempe Alexandrinus. At certe vetuſtiſſimi illi Codices, quibus uſi ſunt Interpres Syrus, Arabs, vetus Latinus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Theophylactus, omnes habent Χριςὸν, non Θεόν· quam etiam lectionem ſequuntur alia omnia, quotquot nobis Biblia S. Polyglotta repræſentârunt, exemplaria; niſi quod Lincolnienſe habeat Κύριον, quod etiam in N. T. eſt Chriſti nomen. Neque tantæ auctoritatis eſt Codex Alexandrinus, ut tanto conſenſui opponi mereatur. Sed & aliam profert rationem Vir Maximus: *Chriſtus*, inquit, *eſt nomen hominis, quem tum temporis non extitiſſe certum eſt.* Reſponſio eſt facillima. Chriſtus hîc ponitur pro Filio Dei, qui poſtea in plenitudine temporis, aſſumptâ naturâ humanâ, dictus eſt Chriſtus; ut ſit hîc Synecdoche quaſi integri, quemadmodum & in aliis Scripturæ locis. Eôdem autem Sophiſmate idem Grotius vim elidit apertiſſimi pro Deitate Filii teſtimonii, nempe Coloſſ. 1. v. 16. *Certum eſt*, inquit, *per Verbum creata omnia*; *ſed quæ præcedunt, oſtendunt, hîc de Chriſto agi, quod hominis eſt nomen. Itaque rectius eſt*, ἔκτισθη *hîc interpretari:* ordinata ſunt, *novum quendam ſtatum ſunt conſecuta.* At ſi iſta Apoſtoli verba de creatione propriè dicta non loquantur, crediderim S. Scripturas inexplicabili difficultate laborare, ac nihil certi ex ipſarum verbis, licèt in ſpeciem diſertiſſimis, concludi poſſe.

Vide Cameron. in Loc.

Grot. in Loc.

Vide Voſſii Inſtit. Orat. l. 4. c. 7.

§. 16. Ex his autem manifeſtum eſt, quæ de apparitionibus τ̃ λόγ, ſive Filii Dei, Patriarchis & viris ſanctis ſub Veteri Teſtamento factis, tradiderunt Patres primævi, non illorum vana fuiſſe commenta; ſed ab ipſa Apoſtolicâ doctrinâ derivata. Addo, (quod & tanquam obſervatu apprime utile Lectori propono) neque Chriſti Apoſtolos iſta primùm docuiſſe; ſed ex antiqua Judæorum Cabala ſive traditione hauſiſſe: vel certè, quæ Apoſtoli eâ de re per Spiritum S. edocti fuerunt, cum traditione illa optimè convenire. Nam Philo Judæus Angelum, qui in deſerto præfuit populo Iſraelitico, juxtà cum Paulo exponit de τ̃ λόγῳ & primogenito Dei Filio, per quem Deus univerſum mundum regit & gubernat. Locus diſertiſſimus eſt in libro de Agricultura: Καθάπερ γάρ τινα ποίμνιν, γῆν, καὶ ὕδωρ, καὶ ἄερα, καὶ πῦρ, καὶ ὅσα ἐν τούτοις φυτά τε αὖ καὶ ζῶα, τὰ μὲν ἄνυδα, τὰ δὲ θεῖα, ἔτι δὲ οὐρανὸν φύσιν, καὶ ἥλιόν καὶ σελήνης περιόδους, καὶ τῶν ἄλλων ἀστέρων τροπάς τε αὖ καὶ χορείας ἐναρμονίους, ὡς ποιμαίνει καὶ βασιλεύει ὁ Θεὸς ἄγων κατὰ δίκην καὶ νόμον, προσπαμμένῳ τ̃ ὀρθὸν αὐτ̃ λόγον πρωτόγονον υἱόν, ὃς τὴν ἐπιμέλειαν τ̃ ἱερ̃ς ταύτης ἀγέλης, οἷά τι μεγάλου βασιλέως ὕπαρχος ἀναδέξεται. καὶ γάρ εἴρηταί που· ἰδοὺ ἐγώ εἰμι, ἀποστελῶ ἄγγελόν μου εἰς πρόσωπόν σου τ̃ φυλάξαι σε ἐν τ̃ ὁδ̃. i. e. *Nam ſicut quendam gregem, terram, aquam, aerem, ignem, & quicquid in his continetur vel ſtirpium, vel animalium, mortalium divinorumque, adhæc cæli naturam, Solis ac Lunæ circuitus, revolutiones cæterorum ſyderum choreaſque concinniſſimas, tanquam Paſtor & Rex Deus regit jure legeque, præfecto his recto ſuo Sermone, primogenito ſuo filio, qui curam ſacri hujus gregis, tanquam magni Regis vicarius, in ſe recipiat. Dictum eſt enim alicubi:* Ecce ego ſum, mittam Angelum meum ante faciem tuam, ut cuſtodiat te in via." Idem Philo Deum, qui Adamo poſt lapſum in Paradiſo, qui Moſi in rubo, qui denique Abrahamo apparuit, cum veteribus Chriſtianis τ̃ λόγον intelligit. Sic enim ille libro de Somniis: ὁ ἱερὸς λόγος, τοῖς ὡς βασιλεῦς,

p. 195. Edit. Par. 1640.

Exod. 23. 20.

p. 593, 594.

λοῦς ἃ χρὴ ποιεῖσθαι, ὡς ἐπιτάγμασι παραγγέλλει· τοῖς δὲ ὡς γνωρίμοις διδάσκαλος, τὰ πρὸς ὠφέλειαν ὑφηγεῖται· τοῖς δὲ ὡς σύμβουλος γνώμας εἰσηγούμενος τὰς ἀρίστας, τὰς τὸ συμφέρον ἐξ ἑαυτῶν οὐκ εἰδόσιν μεγα ὠφελεῖ· τοῖς δὲ ὡς φίλοις ἐπιεικῶς καὶ μετ' εὐθυμίας πολλὰ καὶ τῶν ἀῤῥήτων ἀναφέρει, ὧν οὐδὲν αὐτῶν ἀτέλεστον ἐπακοῦσαι θέμις· ἔστι δ' ὅτε καὶ πυνθάνεταί τινων, ὥσπερ τοῦ Ἀδὰμ τὸ, ποῦ εἶ; ——— ἐπειδὰν μέν τοι πρὸς τὸ τῶν φίλων ἔλθῃ συνέδριον, ἃ πρότερον ἤρξατο λέγειν, ἢ ἕκαστον αὐτῶν ἀνακαλέσασθαι καὶ ὀνόμασι προσειπεῖν, ἵνα τὰ ὦτα ἀθρόοι σαντες, ἡσυχίᾳ καὶ προσοχῇ χρώμενοι, τῶν δεδογμένων εἰς ἄληστον μνήμην ἀκούσωσιν· ἐπεὶ καὶ ἑτέρωθι λέγεται, σιώπα καὶ ἄκουε. τοῦτον τὸν τρόπον ἐπὶ τοῦ βάτου Μωσῆς ἀνακαλεῖται. ὡς γὰρ εἶδε, φησὶν, ὅτι προσάγει ἰδεῖν, ἐκάλεσεν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἐκ τοῦ βάτου, λέγων· Μωϋσῆ Μωϋσῆ. ὁ δὲ εἶπε· τί ἔστιν; Ἱερὰ μὲν δὲ κ. λ. i.e. *Sacer Sermo aliis ut Rex facienda imperat: alios ut præceptor familiares discipulos utiliter instituit: alios item tanquam consiliarius sententiis optimis instruit, & non valentes ipsos sibi consulere multùm juvat: rursum cum aliis tanquam amicis amanter secreta consilia communicat, quæ profanos audire nefas est: interdum scitatur ex quibusdam, sicut ex Adamo ——— Cæterum quando Sermo ille venit in amicorum consistorium, non priùs incipit dicere quàm unumquemque nominatim appellet, ut arrectis auribus attentè quietéque audiant oracula ad perpetuam memoriam: quoniam & alicubi dicitur, sile & audi. Ad hunc modum è rubo Moses vocatur. Ut vidit, inquit, eum accedere ad rem visendam propiùs, vocavit eum è rubo Deus, dicens: Moses, Moses; qui respondit; Quid est? Sic & Abra-*
p. 578. *ham* &c. Idem in eodem libro, Dominum, qui pluit super Sodomam & Gomorram sulphur & ignem, cum sanctis Ecclesiæ Patribus, eundem τὸν λόγον fuisse sensit. Nam postquam citâsset verba illa Geneseos: *Sol exortus est super terram, & Lot intravit in Segor: & Dominus pluit super Sodomam & Gomorram sulfur & ignem*; hæc continuo subjicit: ὁ γὰρ τοῦ Θεοῦ λόγος, ὅταν ἐπὶ τὸ γεωδες ἡμῶν σύστημα ἀφίκηται, τοῖς μὲν ἀρετῆς συγγενέσι καὶ πρὸς ἀρετὴν ἀποκλίνουσιν, ἀρήγει καὶ βοηθεῖ, ὡς καταφυγὴν καὶ σωτηρίαν αὐτοῖς παρέχειν παντελῆ· τοῖς δὲ ἀντιπάλοις ὄλεθρον καὶ φθορὰν ἀνίατον ἐπιπέμπει, i. e. *Cùm enim Dei Verbum in terrenam istam nostram compagem pervenit, virtutis cognatis sectatoribusque ita auxiliatur, ut refugium & salutem ipsis præbeat plenissimam; adversariis verò immittat perniciem inevitabilem.*

§. 17. His non obstat, quod à Grotio observatum, ipsos creatos Angelos à Philone passim τοὺς λόγους appellari; quòd nempe & ipsi pro suo modulo Divinæ voluntatis nuncii ad homines, atque interpretes sint. Quanquam enim illud verissimum sit, constat tamen, à Philone in locis allegatis (quibus & multa alia in proclivi est adjicere) τὸν λόγον designari singularem quendam, & καθ' ἐξοχὴν sic dictum, qui sit primogenitus Dei Filius, Angelis omnibus, adeoque universô mundô superior. Si autem idem Philo de illo Dei Sermone ac primogenito Filio haud satis dignas ipsius Majestate voces alicubi protulerit; illud ætati, quâ nondum Judæis plenè patefactum fuerat SS. Trinitatis mysterium, facilè condonandum. Imò mirandum potiùs, hominem in tantis tenebris tam clarè vidisse. Nam lib. 2. Leg. Allegor. di- p. 93.
cit, hunc Dei Sermonem esse ὑπερκόσμιον παντὸς κόσμου, καὶ πρεσβύτατον, καὶ γενικώτατον τῶν ὅσα γέγονε, i. e. *Superiorem universô mundô, antiquius quid generaliusque creaturis omnibus.* Et lib. de Mundi opificio eundem appellat Θεοῦ p. 5.
λόγον κοσμοποιοῦντα, *Sermonem Dei, mundum condentem.* Et mox, τὸν ἀόρατον καὶ νοητὸν p. 6.
θεῖον λόγον, καὶ Θεοῦ λόγον, ὑπερουράνιον ἀστέρα, πηγὴν τῶν αἰσθητῶν ἀστέρων, i. e. *invisibilem illum & intelligibilem divinum Sermonem, & Dei Sermonem, supercœlestem stellam, fontem stellarum sensibilium.* Quin & in libro de Confusione linguarum, ipsum dicit esse p. 341.
non modò Dei λόγον τὸν πρεσβύτατον καὶ τὸν ἱερώτατον, *Sermonem antiquissimum & sacratissimum*; sed & τὸν ἀΐδιον εἰκόνα, *sempiternam imaginem.*

§. 18. Ne quis autem Philonem in his πλατωνίζειν suspicetur; (quod multi, Judaicæ imperiti literaturæ, opinati sunt; cum potiùs existimandum, Platonem φιλωνίζειν, hoc est, sua περὶ τοῦ λόγου ex Judæorum disciplina, quæ Philoni, ut ita dicam, vernacula fuit, hausisse;) Auctor Judæus libri, Sapientia Solomonis, inscripti, (quem Philone longè antiquiorem, non ipsum fuisse Philonem, ut quidam somniârunt, evidentissimis argumentis constat,) eadem de τῷ λόγῳ philosophatur. Nam cap. 18. v. 15. de Angelo, qui Ægyptiorum primogenitos percussit, locutus, ait: ὁ παντοδύναμός σου λόγος ἀπ' οὐρανῶν ἐκ θρόνων βασιλείων ἀπότομος πολεμιστὴς εἰς μέσον τῆς ὀλεθρίας ἥλατο γῆς, i. e. *Omnipotens Sermo tuus à cœlis ex thronis Regalibus asper bellator in medium terrâ exitio destinatæ desiliit.* Ubi loqui Auctorem de λόγῳ ἐνυποστάτῳ clarè liquet. Nèque minùs manifestum est, designari hîc personam divinam, non Angelum aliquem ministrantem, ut vult Grotius; quòd hunc Sermonem vocet Auctor omnipotentem; deinde quòd thronum ipsi in cœlis Regalem tribuat. Quibus addas quod mox v. 16. de eo-

dem ait : καὶ ϛὰς ἐπλήρωσε τὰ πάντα θανάτῳ, καὶ ἑῳκνῦ μὲν ἥπτετο, βεβήκει δ' ἐπὶ γῆς, i. e. *Et ſtans omnia morte implevit, ac cœlum quidem attingebat, deſcenderat verò in terram.* Quibus verbis ſignificatur ejus magnitudo ac potentia,qui occupat omnia,ſuamque vim in cœlo & in terra explicat. In eo fortaſſe erravit Auctor, (fortaſſe, inquam; neque enim id auſim certò affirmare,) quod Angelum τὸν ὀλεθρεύοντα expoſuerit de τῷ λόγῳ· utpote quem merum fuiſſe Angelum, doctiſſimi plerique Interpretes exiſtimârunt. Interim hinc conſtat, ſenſiſſe Scriptorem antiquum & venerandum, ipſum τὸν λόγον nonnunquam Angeli ſpecie è throno ſuo in cœlis Regali, à Deo Patre miſſum, ad homines deſcendiſſe, proptereaque Angeli nomine in Scripturis vocari. Citat etiam in eandem ſententiam Maſius, ex Judæorum Rabbinis, librum pervetuſtum Tanchumam, & Rab. Gerundenſem, quorum verba recitat pluribus in Commentario ſuo in Joſuam ad cap. 5. v. 13, 14.

§. 19. Sed inprimis animadvertendum hîc, (quod Viri docti dudum obſervârunt) Chaldaicas Paraphraſes, quoties fere in Scripturis V. T. de Deo nobiſcum loquente, nobis auxiliante, aut nobiſcum denique verſante ſermo eſt, nomen Dei reddere מימרא vel מימר *Verbum* : ſignificantes nimirum agi iſtis in locis de Filio Dei, qui Verbum appellatur, & cujus proprium eſt loqui nobiſcum. Sic Gen. 3. 8. pro *audiverunt vocem Domini Dei*, Targum Onkelos & Targum Jonathani aſcriptum habent: *Audiverunt vocem Verbi Domini Dei.* Ibidem v. 9. pro, *Et Deus vocavit Adamum* ; Targum Hieroſolymitanum: *Et Verbum Domini vocavit Adamum.* Planè quemadmodum Philonem locum intellexiſſe, ſuprà vidimus. Gen. 21. 20. pro, *Et Deus fuit cum illo* ; Onkelos : *Et Verbum Domini fuit illi auxilio.* Et v. 22. *Deus eſt tecum* ; Onkelos : *Verbum Domini eſt tibi ſubſidio.* Oſeæ 1. 7. pro, *Et ſervabo eos per Jehovam Deum ipſorum*, Targum Jonathanis habet : *& ſervabo eos per Verbum Domini Dei ſui.* Quem locum & veteres Chriſtiani Scriptores, de ſalute populi Dei per Chriſtum procurandâ, communiter expoſuerunt. Ut hæc loca (quibus Targumim conſimilia paſſim ſuppeditant) eludant, quidam obſervant מימרא ſive מימר nonnunquam uſurpari pro αὐτὸς *ipſe*. Sed fruſtra illi ſunt. Ut enim concedamus id verum eſſe ; eum tamen loquendi modum hîc locum habere, meritò negamus. Nam præterquam quod teſtimoniis, ex Philone & libro Sapientiæ modò adductis, conſtet, veteres Hebræos agnoviſſe λόγον quendam Dei Patris, revera diſtinctam ab ipſo Deo Patre hypoſtaſin, qui ad homines deſcendiſſe, & cum ipſis loqui ſolitus eſt ; ſunt etiam in Paraphraſibus Chaldæis loca nonnulla, quæ iſtam interpretationem omnino reſpuant. Gen. 20. 3. ubi textus Hebræus habet, *Et venit Deus ad Abimelech* ; Targum Onkelos (cui conſentit Targum Jonathanis,) vertit : מימר מן קדם יי *Et venit Verbum à facie Dei ad Abimelech :* quod certè non poteſt intelligi, *& venit ipſe Deus à facie Dei.* Sic cum Pſal. 110. 1. Targum Jonathanis, teſtibus Petro Galatino lib. 3. c. 28. & Viro doctiſſimo integerrimoque Paulo Fagio in Deut. 5. (nam Targum illud in Pſalmos hodie aut omnino periit, aut certè nuſquam extat typis impreſſum,) ita מימרא דיי ἐφθέγξατο, *Dixit Dominus Verbo ſuo*, *Sede à dextris meis* ; nullo modo poteſt id intelligi : *Dixit Dominus ſibimet ipſi*, &c. Sed de his ſatis.

De cauſa ejus locutionis vide Iacob. Capel. in annot. ad Ioan. 1. 1.

§. 20. Ex his verò tandem liquet, quantâ auctoritate veteres Eccleſiæ Doctores affirmârint, qui olim ſub V.T. Sancts viris apparuit, Jehovæ nomine inſignitus, atque ab iiſdem cultu divino honoratus, Dei fuiſſe Filium. Obſervabit autem attentus Lector, me hîc, dum Filii præ-exiſtentiam ante Mariam ex allatis teſtimoniis probare volui, etiam ejuſdem τὸ ὁμοούσιον eâdem operâ non parum confirmâſſe. Quippe ex iis, quæ hactenus diſſeruimus, manifeſtiſſimum eſt, Patres Ante-Nicænos unanimi conſenſu docuiſſe (ſuffragantibus S. Scripturis N. T. & veterum Hebræorum magiſtris) illum, qui Moſi in rubo ardenti & in monte Sinai apparuit & locutus eſt, qui Abrahamo ſe exhibuit, *&c.* Dei fuiſſe τὸν λόγον, ſive Filium. Certum autem eſt, illum,qui apparuit, dici Jehovam, eum qui eſt, Deum Abrahami, Iſaaci & Jacobi, *&c.* quæ elogia nulli creaturæ competere, ſed veri Dei propria eſſe conſtat. Atque ipſa hæc eſt ratio, quâ Patres communiter utuntur, ad probandum, in iſtis apparitionibus non merum Angelum creatum, ſed Filium Dei adfuiſſe : quòd nempe ei qui apparuit, nomen Jehovæ & cultus divinus tribuantur ; iſta vero creaturæ incommunicabilia ſint, ſoliuſque veri Dei propria : unde ſequitur, credidiſſe omnes, Filium eſſe verum Deum. Verùm hæc ſiccô pede prætereunda ſunt, donec ad ſecundæ Sectionis demonſtrationem veniamus. Interim ad reliqua, quæ theſim jam propoſitam ſpectant, progrediamur.

CAP.

CAP. II.

Confirmatur Thesis pars altera, de Filii præ-existentia ante conditum mundum, & de omnium creatione per ipsum.

§. 1. PErgo ad alterum Thesis nostræ membrum, nempe, ut ostendamus, sensisse primorum sæculorum Doctores, Filium à Deo Patre genitum fuisse ante jacta mundi fundamenta, perque ipsum condita fuisse hæc universa. Non necesse est, ut hîc diu immoremur; siquidem ad sequentes Sectiones plura loca allegabimus ex istis Scriptoribus, quæ de Filio Dei longè excellentiora pronuntient. Hîc contentus ero paucis testimoniis Scriptorum, qui vel in ipsa Apostolica ætate, vel in prima Apostolorum διαδοχῇ floruerunt: quibus præcipuè temporibus, impudenter jactitant moderni Photiniani, sententiam suam in Ecclesia Christi obtinuisse.

§. 2. Extat Epistola, quæ primùm hôc nostrô sæculô typis impressa est, S. Barnabæ inscripta. Ejus auctorem Barnabam Apostolum fuisse senserunt doctissimus Hammondus noster, Vir summus, Isaacus Vossius, & alii: hâc imprimis ratione adducti, quòd ipsam sub Barnabæ nomine sæpiùs citent Clemens Alexand. Origenes, aliique Veterum. Nèque aliud habent adversæ sententiæ Patroni, quod his opponant, præterquam quòd Auctor Epistolæ loca nonnulla veteris Testamenti mysticè nimis exposuisse videatur. Sed hujus rei probabilem rationem reddit Hammondus in Dissert. 1. contra Blondellum; ubi, postquam in præcedentibus capitibus Gnosticorum characterem tradiderat: *Apostoli Barnabæ*, inquit, *quæ non ita pridem prodiit, Epistola, ex hoc uno Gnosticorum charactere commodè explicari poterit; aliàs (ut complicatum & prolixum ænigma,) certissimam Lectoribus crucem facturа. Isti quippe Simonis assecla, γνῶσιν, i. e. Scripturæ Sacræ mysticè interpretandæ facultatem sibi arrogantes, multa veteris Testamenti mysteria ad impuros usus suos accommodabant. ——— Hinc Barnabas hâc fere universâ Epistolâ suâ, veteris Instrumenti loca quamplurima, mysticè etiam & cabalisticè exposita, Gnosticorum doctrinis opponit.* Et in sequentibus ostendit, quàm tota illa epistola refellendis Gnosticorum deliriis egregiè inserviat. Utut verò illud sit, certè Auctorem primæ antiquitatis fuisse evincunt dicta Veterum testimonia, phrases ab eo usurpatæ Apostolicæ ætati propriæ, styli simplicitas, ac denique Hæreses ab ipso impugnatæ, illæ tantùm, quæ sub ipsis Apostolis pullulârunt. Jam Auctor ille non longè ab initio Epistolæ, juxta veterem translationem Latinam (nam Græca ibi desiderantur) de Servatore nostro sic loquitur cap. 4. *Et ad hoc sustinuit Dominus pati pro anima nostra, cum sit orbis terrarum Dominus, cui dixit die* (forte legendum, *Deus*) *ante constitutionem sæculi: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et paulò pòst, *Solem* dicit *opus manuum Filii Dei.* Locus illustris est in eod. cap. Τότε ἐφανέρωσεν ἑαυτὸν υἱὸν Θεοῦ ἔι). εἰ γὰρ μὴ ἦλθεν ἐν τῇ σαρκὶ, πως ἂν ἐσώθησαν ἄνθρωποι οἱ βλέποντες αὐτόν; ὅτι τὸν μέλλοντα μὴ ἔι) ἥλιον, ἔργον χειρῶν αὐτοῦ ὑπάρχοντα, βλέποντες, ἐκ ἰσχύσιν εἰς ἀκτῖνας αὐτοῦ ἀντοφθαλμῆσαι, i. e. *Tunc ostendit se esse Filium Dei. Si enim non venisset in carne, quomodo homines ipsum videntes salvi esse possent? cum videntes Solem, qui aliquando esse desierit, & est opus manuum ejus, non possint radios ejus diutiùs intueri.* Denique cap. 9. hæc de Servatore nostro habet: ἔχεις καὶ ἐν τούτῳ τὴν δόξαν τοῦ Ιησοῦ, ὅτι ἐν αὐτῷ πάντα καὶ εἰς αὐτὸν, i. e. *Habes & in hôc gloriam Jesu, quòd per ipsum & propter ipsum omnia.*

pag. 217, 218.

pag. 218, 219.

p. 238.

§. 3. Hermas, sive Auctor libri, qui inscribitur *Pastor*, eandem de Servatore nostro doctrinam disertissimè tradit. Si de Scriptoris antiquitate quæris, audi Grotium: *Hermas*, inquit, *qualiscunque auctoritatis, certè vetustatis primæ est; ut ex Irenæo & Clemente, ejus verba utentibus, apparet.* Ac sane constat, Auctorem Clementi Romano fuisse *Σύγχρονον*. Sic enim in visione secunda sub finem loquitur ipsi Anus: *Scribes ergo duos libellos: & mittes unum Clementi, & unum Grapte. Mittet autem Clemens in exteras civitates; illi enim permissum est*, &c. Ad fidem autem ejus atque auctoritatem quod attinet, quanquam Blondellus, quasi cœstrô per-

cap. 7. §. 4, 5. p. 22, 23.

Grotius in annot. ad Marc. 2. v. 8.

Blondell. Apol. 17.

citus, in Auctorem ejuſque Scripta mirum in modum debacchetur; Scripta quidem ejus *larvati Prophetæ ſomnia*; ipſum verò Scriptorem *impurum Dogmatiſten*, *Novatianorum & Pelagianorum fontem*, *Montaniſticarum ſuperſtitionum gurgitem* appellans: (quid ipſi bilem hanc moverit, ſi quæris, puto malè hominem habuiſſe, quanquam id diſſimulet, quòd Epiſcoporum ordinem ſupra Preſbyteros, contrà quàm ipſe vellet, non uno in loco diſertè agnoverit Paſtor:) de utriſque tamen longè aliter ſenſit primæva Eccleſia; præ cujus judicio, Blondelli, Viri licèt doctiſſimi, cenſuram leviſſimam, imò nullius eſſe ponderis, meritò exiſtimamus. Libellus Paſtoris citatur ſub nomine Scripturæ ab Irenæo lib. 4. c. 37. *Bene ergo*, inquit, *Scriptura dicit: Primò omnium crede, quoniam unus eſt Deus, qui omnia conſtituit & conſummavit, & fecit ex eo quod non erat*; &c. Ubi per Scripturam, Paſtoris librum denotari obſervavit Euſebius E. H. l. 5. c. 8. & locus, quem citat Irenæus, totidem verbis reperitur in Scriptis Hermæ, quæ hodie extant, lib. 2. Mand. 1. Appoſitè autem hîc notat Bellarminus, * *Irenæum Scripturam abſolutè non vocaturum fuiſſe librum Auctoris ſui temporis, & qui Apoſtolus, vel Apoſtolorum auditor non fuiſſet.* Citat etiam Hermam ſæpe Clemens Alexandrinus, qui & expreſsè agnovit θείως τ δύναμιν τ τ Ερμᾶ καὶ ἀποκάλυψιν λαλῆζαν, *poteſtatem illam, quæ divinitus Hermæ locuta eſt in revelatione*, Strom. 1. prope finem. Tertullianus, dum Catholicus, in libri de Oratione cap. 12. quibuſdam, qui Hermæ Scripta allegabant pro conſuetudine quadam ipſi improbatâ, ita reſpondet, ut Scripturæ illius auctoritatem nequaquam rejiciat; ſed ejus verba commodâ interpretatione, prout in aliis S. Scripturis expendendis fieri ſolet, evadere conetur. Quin & in libro de Pudicitia cap. 20. poſtquam in Montani hæreſim delapſus eſt, quanquam Paſtori ſubinfenſus ſit, ipſumque adeo ſatis inverecundè *Apocryphum Paſtorem mœchorum* vocet, (quòd nempe cum univerſa Scriptura mœcho & fornicatori ſecundam pœnitentiam conceſſerit) proinde Canonicam ejus auctoritatem neget; ita id tamen facit, ut non contemnendum ipſi elogium tribuere, ſanis omnibus videatur. *Receptior*, inquit, *apud Eccleſias Epiſtola Barnabæ* (Epiſtolam intelligit ad Hebræos, quam Barnabæ eſſe putavit,) *illo Apocryphô Paſtore mœchorum.* Certè bene erit Paſtori, ſi poſt Epiſtolam ad Hebræos ſecundæ ipſi deferantur. Cum igitur Tertullianus in ejuſdem libri cap. 10. Scripturam Paſtoris *falſam & adulteram* vocat, ita omnino intelligendus eſt, ut id tantùm negâſſe videatur, librum illum *divino inſtrumento meruiſſe incidi*; quemadmodum & totidem verbis ibidem ſeipſum explicat. Citatur quoque Paſtor ab Origene ſæpiſſimè; qui etiam in Rom. 16. Scripturam illam judicavit non modò *valde utilem*, ſed & *divinitus inſpiratam.* Allegatur præterea ab Euſebio ex Irenæo E. H. l. 5. c. 8. ab Athanaſio item de Incarnatione Verbi, qui itidem librum vocat *utiliſſimum*: quod magni Doctoris judicium facilè approbabit, quiſquis librum ipſum attentè & ſine præjudicio legerit. Rufinus in Symbol. c. 37. Paſtori eum locum in novo Teſtamento concedit, quem in veteri obtinuerunt libri Tobiæ, Judith & Macchabæorum. Denique Hieronymus in Prolog. Galeat. librum, qui Paſtor inſcribitur, inter Eccleſiaſticos recenſet cum libro Judith & Tobiæ. Et de Script. Eccleſ. *Paſtor*, inquit, *apud quaſdam Græciæ Eccleſias etiam publicè legitur: Revera utilis liber, multique de eo Scriptorum veterum uſurpavêre teſtimonia.* Qui plura volet de antiquitate & auctoritate hujus libri, adeat doctiſſimi Viri, Joannis Pearſoni, nunc Ceſtrienſis Eccleſiæ digniſſimi Antiſtitis, Vindicias Epiſtolarum S. Ignatii.

Vid. Hermæ Viſ. 3. & Simil. 9.

Pearſon. Vindic. Part. 1. p. 39. & ſequent.

§. 4. Cum autem non parum referre putem, ut huic Apoſtolico Scriptori ſua conſtet auctoritas atque exiſtimatio, quam in veteri Eccleſia obtinuit; viſum eſt hic obiter & paucis præcipuas rationes expendere, quibus adducti fuerunt Neoterici quidam Theologi, maximè inter Reformatos, ut ipſum è catalogo probatorum Eccleſiæ Doctorum prorſus eliminarent, atque optimum Paſtorem ab ovili Eccleſiæ, tanquam lupum gregi Chriſtiano inimicum, longè abigerent. Objiciunt ipſi dogmata, quæ Apoſtolorum diſcipulo parum conveniant. Quænam verò ſunt iſta? Primò, inquit Scultetus, quem & Rivetus ſequitur: *Purgatorium ab Anu quadam Viſione tertiâ profertur.* Sed (quod pace tantorum virorum dictum ſit,) multùm illi falluntur. Proferantur loci verba. Quærenti Hermæ, an iis, qui in viſione iſta extra turrim in ignem ejecti eſſent, pœnitentiæ gratia & locus iterum in turri poſſit obtingere? reſpondet Anus: *Habent pœnitentiam; ſed in hac turri non poſſunt convenire. Aliô autem locô ponentur multò inferiore, & hoc, cum*

*) Bellarm. de Script. Eccleſ. de Auctore libri, qui *Paſtor* inſcribitur.

cum cruciati fuerint, & impleverint dies peccatorum ſuorum. Et propter hoc transferentur, quoniam perceperunt verbum juſtum. Et tunc illis continget transferri de pœnis, ſi aſcenderint in corda ipſorum opera, quæ operati ſunt ſceleſta. Quod ſi non aſcenderint in corda ipſorum, non erunt ſalvi propter duritiem cordis. Quibus gemina ſunt quæ habentur Simil. 6. prope finem: *Etenim iracundus ſatisfaciens moribus ſuis, percipit voluptatem ſuam, & adulter, & ebrioſus, & detractor, & mendax, & cupidus, & fraudator, & quicunque iis ſimile aliquid admittit, morbo ſuo parens, percipit ex ea re voluptatem. Hæ omnes dulcedines ac voluptates noxiæ ſunt ſervis Dei: propter has itaque cruciantur & patiuntur pœnas. Sunt etiam voluptates, ſalutem hominibus afferentes. Multi enim opera bonitatis facientes, percipiunt voluptatem, dulcedine ſuâ tracti. Hæc ergo voluptas utilis eſt ſervis Dei, & vitam parat hujuſmodi hominibus. Illæ vero noxæ, quæ ſuprà dictæ ſunt, tormenta & pœnas pariunt. Quicunque verò permanſerint in illis, nec admiſſorum egerint pœnitentiam, mortem ſibi acquirent.* Certum habeo, hiſce in locis non agi de Purgatorio Pontificio; (merum illud figmentum eſt Monachorum, de quo nemo Veterum, qui tribus primis ſæculis floruerunt, vel per ſomnium cogitavit,) ſed de pœnis purgatricibus, ſive afflictionibus, quas Deus ex miſericordia ſua peccatoribus, in ipſorum emendationem, in hac vita immittere ſolet. Sic enim Paſtor ſeipſum diſertiſſimè explicat in Similitudine illa ſexta, ante verba modò allegata. Ibi narrat Hermas, *viſa ſibi pecora, quæ paſtor quidam compellebat in præcipitem locum quendam ac ſpinoſum, tribuliſque conſertum, uſque adeo ut de ſpinis & tribulis ſe non poſſent explicare; ſed implicita ibi paſcebantur ſpinas & tribulos, & graves cruciatus experiebantur ex verbis ejus: agebat enim ea, & nec conſiſtendi eis locum ante tempus permittebat.* Deinde ſic pergit Hermas: *Cum viderem ergo ſic ea flagellari, & miſerias experiri, dolebam pro eis, quia valde cruciabantur, nec ulla requies iis dabatur. Dico ad paſtorem illum, qui erat mecum: Quis eſt, Domine, hic paſtor tam implacabilis, & tam amarus, qui nullo modò miſeratione movetur adverſus hæc pecora? Hic, inquit, Paſtor pro juſtis quidem nuntius eſt, ſed præpoſitus pœnæ. Huic ergo traduntur qui à Deo aberraverunt, & ſervierunt deſideriis ac voluptatibus ſæculi hujus. Punit ergo eos, ſicut meruit unuſquiſque eorum, ſævis variiſque pœnis. Vellem, inquam, nôſſe, Domine, varias has pœnas, cujuſmodi ſunt. Audi, inquit, variæ pœnæ ac tormenta hæc ſunt, quæ homines quotidie IN VITA SUA patiuntur. Alii enim detrimenta patiuntur; alii inopiam; alii diverſas ægrimonias. Quidam inconſtantiam, alii injurias ab indignis patientes, multaque alia exercitia & incommoda. —— Cum igitur perpeſſi fuerint omnem vexationem, & omne incommodum, tunc traduntur mihi ad bonam admonitionem, & firmantur in fide Domini, & per reliquos dies vitæ ſerviunt Domino mente purâ. Et cum cœperint delictorum agere pœnitentiam, tunc aſcendunt in præcordia ipſorum opera ſua, in quibus ſe nequiter exercuerunt. Et tunc dant Deo honorem, dicentes juſtum judicem eum eſſe, meritóque ſe omnia eſſe perpeſſos ſecundum facta ſua. In reliquum verò ſerviunt Deo mente purâ, & ſucceſſum habent in negotiis ſuis omnibus, accipientes à Domino quæcunque poſcunt. Et tunc gratias agunt Domino, quòd ſint mihi traditi, nec jam quicquam crudelitatis patiuntur,* &c. Quid hâc explicatione clarius? Imò ea apud Hermam noſtrum legas, quæ Purgatorium Pontificium funditus evertant. Sic enim ille in Viſione tertia: "Qui ergo pœnitentiam acturi ſunt, ſi "egerint pœnitentiam, fortes erunt in fide, "ſi NUNC pœnitentiam egerint, dum "ædificatur turris. Nam ſi conſummata "fuerit ſtructura, jam quis non habet lo-"cum, ubi ponatur; ſed erit reprobus. So-"lummodo autem hoc habebit, qui JAM "ad turrim poſitus eſt." Quod præterea objiciunt iidem Viri docti, ab Herma aſſeri liberum arbitrium, frivolum eſt. Nam liberum arbitrium cum gratia & ſub gratia agens, cujuſmodi tantùm aſſerit Hermas, & S. Scripturæ & omnes Catholici Doctores primorum ſæculorum pariter aſſerunt. Gravius eſt, quod tum Reformati, tum Pontificii Theologi Hermæ exprobrant, ab ipſo nempe lapſis, poſt acceptam in Baptiſmo Spiritûs ſancti gratiam, in atrociora peccata, unam tantummodo pœnitentiam concedi. Sed rurſus audiamus ipſa Paſtoris verba. Sic igitur ille lib. 2. Mand. 4. prope finem: "Dico tibi, quòd poſt vocationem illam "magnam & ſanctam, ſiquis tentatus fue-"rit à Diabolo, & peccaverit, unam pœni-"tentiam habet. Si autem ſubinde peccet, "& pœnitentiam agat, non proderit ho-"mini talia agenti; difficile enim vivet "Deo" Loqui videtur Paſtor de iis, qui poſt acceptam gratiam regenerantem lapſi, & per pœnitentiam reſtituti, iterum ſubinde, i. e. *ſæpe*, in eadem graviora peccata, aut paria relabuntur, ac toties pœnitentiam agunt. Hanc deſultoriam, ut ita dicam, pœnitentiam nihil homini prodeſſe, meritò affirmat. Neque tamen de horum ſalute omnino deſperat; ſed tantùm aſſerit, iſtiuſmodi homines, ita quaſi per vices peccantes

& pœnitentiam agentes, difficile Deo vivere: quod veriſſimum eſt. Sic & ſupra in eodem capite opponit Paſtor uni pœnitentiæ τὸ *ſæpe peccare.* Nam oſtendens, quomodo vir ſe gerere debeat adverſus uxorem, ob adulterium dimiſſam, quæ de peccato pœnitentiam agat, & recipi iterum à viro petat; ſic ait: *Debet recipere peccatricem, quæ pœnitentiam egit; ſed non ſæpe. Servis enim Dei pœnitentia una eſt.* Quod ſi *ſubinde* interpreteris *deinde*, & Paſtoris mentem ita accipias, quaſi voluerit ſemel tantùm lapſis, poſt acceptam gratiam Spiritûs ſancti, pœnitentiam quidem concedi, non verò iterum lapſis, ſcil. in peccata graviora; tum loqui cenſendus eſt Paſtor de pœnitentia coram Eccleſia peragenda, & abſolutione conſequenti, quam lapſis iſtiuſmodi ſeverior diſciplina ejus ætatis multis in locis ſemel tantùm concedebat: cum interim eos, qui iteratis vicibus lapſi eſſent, non omnino excluderet à ſpe remiſſionis apud Deum obtinendæ. Sic ipſorum Novatianorum ſententiam, de ſemel tantùm lapſis poſt Baptiſmum in peccatum ad mortem, explicat Aceſius apud Socratem, Eccleſ. Hiſt. lib. 1. cap. 10. ὡς ἄρα ὁ χρὴ τοὺς μετὰ τὸ βάπτισμα ἡμαρτηκότας ἁμαρτίαν, ἣν πρὸς θάνατον καλοῦσιν αἱ θεῖαι γραφαὶ, τῆς κοινωνίας τῶν θείων μυστηρίων ἀξιοῦσθαι· ἀλλ' ἐπὶ μετάνοιαν μὲν αὐτοὺς προτρέπεσθαι· ἐλπίδα δὲ τῆς ἀφέσεως μὴ παρὰ τῶν ἱερέων, ἀλλὰ παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐκδέχεσθαι, τοῦ δυναμένου καὶ ἐξουσίαν ἔχοντος συγχωρεῖν ἁμαρτήματα, i. e. *Eos ſcilicet, qui poſt Baptiſmum ejuſmodi crimen admiſerint, quod peccatum ad mortem divinæ Scripturæ pronuntiant, ad divinorum myſteriorum communionem admitti non oportere: ſed ad pœnitentiam quidem invitandos eſſe; remiſſionis verò ſpem non à Sacerdotibus expectare eos debere, verùm à Deo, qui jus poteſtatemque habet dimittendi peccata.* Sane quomodocunque aliàs interpreteris locum Hermæ, illud certum eſt, lapſos, de quibus loquitur, ab ipſo non prorſus excludi à ſpe vivendi apud Deum; ſiquidem ait tantùm, ut modò notavi, eos *difficilè Deo vivere.* Cæterum ob ſimilem locum diu erat, priuſquam Epiſtola ad Hebræos ab Eccleſia Romana in Canonem recepta fuerit. Vide omnino, quæ ad ejus Epiſtolæ cap. 6. v. 4. & ſeqq. eruditè adnotavit Grotius. Hæc autem, ὡς ἐν παρόδῳ, in Hermæ defenſionem, cujus & infra auctoritate adverſus Arianos pugnabimus, ſemel dicenda exiſtimavi.

§. 5. Jam audiamus venerandi hujus & Apoſtolici Scriptoris illuſtriſſimum teſtimonium de Filii præ-exiſtentia. Sic igitur ille in Similitudine nonâ de Filio Dei loquitur: *Filius quidem Dei omni creaturâ antiquior eſt, ita ut in conſilio Patri ſuo adfuerit ad condendam creaturam.* Hunc Hermæ locum agnoſcit Auctor *Irenici Irenicorum*, & de Scriptoris antiquitate & auctoritate nobiſcum ſentit. Tamen, ut abſurdiſſimam ſuam ſententiam tueatur; (quâ ſtatuit ſcil. Juſtinum fuiſſe, qui primus dogma de Filii præexiſtentia ante conditum mundum, & de creatione mundi per ipſum, è Platonis Schola in Eccleſias Chriſtianas introduxerit,) teſtimonium eludere conatur ad hunc modum: *Incertum*, inquit, *prorſus eſt, utrùm dum in Similitudine nonâ Filium Dei omni creaturâ antiquiorem aſſerit, per Filium Dei Chriſtum intelligat.* Itane verò? Incertum? Incertum prorſus? Tum, inquam ego, Sceptici omnium mortalium ſapientiſſimi fuêre, nihilque in rebus humanis certum eſt. *Imò*, inquit Anonymus, *Spiritus ſanctus ab Herma, tum in Simil.* 5, *tum alibi Filius Dei appellatur.* Sed hîc totô cœlô errat Hæreticus, & ſuam, ut ſolet, *primæ antiquitatis, fideique primorum Chriſtianorum* (quam tamen ſe *clariùs quàm unquam ante hæc ob oculos poſuiſſe* gloriatur) inſcitiam nimis manifeſtè prodit. Nuſquam Hermas Spiritum ſanctum, tertiam Divinitatis perſonam, Filium Dei nuncupat. Verba ejus, quæ reſpicit Anonymus, in Simil. 5. hæc ſunt: *Filius Dei Spiritus ſanctus eſt.* Ubi quidem Filius Dei appellatur Spiritus ſanctus; non verò Spiritus ſanctus (ſi tertiam Divinitatis perſonam intelligas) titulô Filii Dei inſignitur: quod locum inſpicienti facilè patebit. Scil. totus ibi Hermæ ſermo eſt de Filio Dei, qui ob noſtram ſalutem ſervus factus eſt, & corpus, quod ſerviliter converſatum fuit, aſſumſit. Atqui, inquies, quâ ratione Chriſtus Filius Dei ab Herma Spiritus ſanctus appellatur? Reſpondeo, τῆς θείας φύσεως, ſeu Divinitatis reſpectu; quòd ſcil. ex Deo Patre, Spiritu ſanctiſſimo, Spiritus ipſe ſanctiſſimus exiſtat: quô ſenſu titulus Spiritûs ſancti ſingulis perſonis ſacro-ſanctiſſimæ Trinitatis tribui poteſt. Nimirum tertiæ Divinitatis ὑπόστασει Spiritûs ſancti appellatio propriè tribuitur non φύσεως ſeu naturæ reſpectu; (nam ſic & * Pater Spiritus ſanctus eſt, & Filius quoque;) ſed ratione ineffabilis ſpirationis, quâ ex Patre per Filium ipſa

Iren. Irenic. p. 21.

p. 13.

* Τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ κατὰ τὸ ἴσον ἅπτε τὸ πνεύματος, καὶ ἡ τοῦ ὀνόμα κλῆσις παρὰ τῆς γραφῆς ἁρμόζεται. Gregor. Nyſſen. orat. 1. cont. Eunom. pag. 57. edit. Pariſ. 1615.

ipsa procedit. Quanquam veteres Scriptores Ecclesiastici neque istam distinctionem inter Filii generationem & Spiritûs sancti processionem per modum spirationis semper ita accuratè tenuerunt: quemadmodum verissimè observavit Vir summus Hugo Grotius in Notis suis ad Marc. 2, v. 8, his verbis: *Vocatur ἡ θεῖα ἐν Χριστῷ φύσις Spiritus, non tantùm διὰ τὸ ἀσώματον, quomodo Patri id nomen convenit; sed etiam quia, quod ad distinctionem Verbi & Spiritûs sancti vocatur generare, Græcis interdum & ἀναγάζειν, id laxiori vocabulô etiam spirare appellabant, qualemcunque emanationem, aut, ut Tertullianus loquitur, προβολὴν eô nomine indicantes: nam & procedere Filium non minùs quam derivari, Tertullianus adversus Praxeam dixit.* Utcunque illud, certissimum est, Filium Dei, secundam Deitatis hypostasin, in scriptis Patrum * titulô *Spiritûs* & *Spiritûs Dei*, & *Spiritûs sancti* passim insigniri. Si quis in Veterum Scriptis adeo peregrinus est, ut id nesciat, consulat, quem modò commemoravi, Hugonem Grotium in loco indicato; ubi illud ipsum multis iisque apertissimis testimoniis demonstratum, & in ista citationum copia nominatim hunc Hermam nostrum, ut patronum ejusdem locutionis, allegatum reperiet. Iis verò, quæ Grotius attulit, duo loca insignia adjiciam ipse ex antiquissimis Ecclesiæ Scriptoribus; Auctore nempe Epistolæ, quæ Barnabæ dicitur, & Ignatio. Prior in Epistolæ suæ cap. 6. de Christo sic loquitur: *αὐτὸς ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτιῶν ἤμελλε σκεύει τῷ πνεύματι προσφέρειν θυσίαν*, i. e. *Ipse pro peccatis nostris incipiebat vas Spiritûs offerre hostiam.* Ubi *vas Spiritûs* est humana Christi natura, in qua ejus Divinitas, quæ *Spiritus* dicitur, tanquam in vase recepta fuerit. Nam vas illud mox disertè exponit Auctor de carne Christi. Unde (ut obiter id notem) facilè colligitur, si aliunde non pateret, mens Auctoris Epistolæ ad Hebræos cap. 9. v. 14, ubi dicitur Christus obtulisse se inculpatum Deo διὰ πνεύματος αἰωνίου, *per Spiritum æternum.* Scilicet sensus verborum est, æternam Christi Divinitatem, sive divinam Filii Dei personam, sibi personaliter, ut loquuntur, unitam humanam naturam in ara Crucis Deo obtulisse. Ignatius autem in ipsa inscriptione Epistolæ ad Smyrnæos, optat ipsis *ἐν ἀμώμῳ πνεύματι, λόγῳ Θεοῦ, πλεῖστα χαίρειν*, i. e. *In immaculato Spiritu, Verbo Dei, plurimùm gaudere.* Ubi ὁ λόγος, qui est Filius Dei, apertè dicitur *immaculatus*, sive sanctus, *Spiritus.*

§. 6. Sed quid multis opus est in re manifesta? Quisquis perversissimô hôc Anonymi scrupulô commotus adhuc dubitat, quid in citato loco per Filium Dei, qui omni creaturâ antiquior est, Hermas voluerit; consulat ille locum ipsum, prout in Similitudine istâ nonâ integrè habetur, dubitationem omnem, nî fallor, illico depositurus. Sub initium Similitudinis repræsentaverat Hermæ Pastor suus campum latissimum duodecim montibus circumdatum: in medio verò campo petram ingentem & pervetustam, duodecim istis montibus altiorem, cui nova erat porta, quæ nuper videbatur exculpta, & Solem splendore superabat. Postquam autem Similitudinem totam absolvisset Pastor ille; tandem Hermas quærit interpretationem Similitudinis, ac de petra & porta primùm interrogat: *Primò omnium Domine*, inquit, *hoc mihi demonstra, petra hæc & porta quid sunt?* Respondet pastor: Petra hæc & porta *Filius Dei est.* Pergit interrogando Hermas: *Quoniam pactô*, inquit, *Domine, petra vetus est, porta autem nova?* Cui Pastor: *Audi*, inquit, *insipiens, & intellige. Filius quidem Dei omni creaturâ antiquior est, ita ut in consilio Patri suo adfuerit ad condendam creaturam. Porta autem propterea nova est, quia in consummatione, in novissimis diebus apparuit, ut qui assecuturi sunt salutem, per eum intrent in Regnum Dei.* Tum in illustrationem Similitudinis de Porta exemplum proponit civitatis murô cinctæ, unamque tantummodo portam habentis, subjungens: *Sicut ergo in illam urbem non potest intrari, quàm per portam ejus; ita nec in Regnum Dei potest aliter intrari, nisi per nomen Filii ejus; qui est ei charissimus.* Et paulò pòst: *Porta verò Filius Dei est, qui solus est accessus ad Deum. Aliter ergo nemo intrabit ad Deum, nisi per Filium ejus.* Deum immortalem! Fierine potest, ut quis in tam clarâ luce non videat? Ecquis Christianus est, qui nescit, quis sit Filius ille Dei Patri charissimus, qui in novissimis diebus apparuit, qui porta est unica, per quam ad Deum Patrem nobis peccatoribus accessus pateat, atque in Regnum cœlorum introitus? Et tamen plura alia in eadem Similitudine mox sequuntur, quæ etiam manifestissimè doceant, quis sit Filius ille Dei, de quo Pastor loquitur. Ostendit enim Pastor, super petram, Dei Filium, turrim, quæ

* Quibus concinunt S. Scripturæ. Vide Marc. 2. 8. Rom. 1. 3, 4. 1 Tim. 3. 16. Heb. 9. 14. 1 Pet. 3. 18, 19, 20. Vide & Joan. 6. v. 63. coll. v. 56.

quæ est Ecclesia, ædificatam esse. Ac de variis donis gratiisque Spiritûs Sancti (quas in Similitudine per Virgines adumbraverat) locutus, ait: *Ii, qui crediderunt Deo per Filium ejus, induti sunt Spiritum hunc.* Ubi etiam Filium à Spiritu Dei, nempe tertiâ Divinitatis personâ, manifestè distinguit. Tum aliquantò pòst Apostolos commemorat & Doctores, (per lapides in Similitudine repræsentatos) qui prædicaverunt adventum Filii Dei. Denique de Gentibus, ad fidem Filii Dei conversis, (quas in Similitudine per montes significaverat) his verbis loquitur: *Universa nationes, quæ sub cœlo sunt, audierunt & crediderunt, & uno nomine filii Dei vocati sunt.* Ecquis rursus adeo cœcus est, ut non statim videat, hæc omnia, ad Filium Dei, qui est Christus, pertinere? Certè nemo pius est, qui Anonymi non ex animo detestetur extremam impudentiam, asserentis, *prorsus incertum esse, utrùm Hermas, dum ait in Similitudine nona, Filium Dei omni creatura antiquiorem esse, per Filium Dei Christum intelligat.* Ac de Herma hactenus.

§. 7. Hermæ succedat Ignatius, qui per ipsos Apostolos constitutus fuit Antiochiæ Episcopus. Ejus genuinas esse Epistolas septem Eusebio memoratas, ab Reverendissimo Usserio Latinè primum ex duobus MSS. in Anglia nostra repertis, dein ab eruditissimo Isaaco Vossio è Medicæo Codice (exceptâ tantùm ad Romanos Epistolâ) Græcè editas, contrà Blondellum satis probârunt Vossius ille & Hammondus; adversus Dallæum verò ita copiosissimè & evidentissimè demonstravit, quem superiùs commemoravi, Episcopus Cestriensis, ut apud æquos arbitros lis illa de Ignatianis & controversia tota jam definita videatur. Neque enim quenquam φιλαληθῆ, qui in hoc literarum genere vel mediocriter versatus sit, de Epistolis illis tantillùm dubitare facient Sophisticæ *Observationes*, quas in Pearsonum Auctor Anonymus Anno 1674. Rhotomagi edidit. Frustra omnino Vir ille dispersos ac profligatos Dallæi sui ordines restituere atque instaurare nititur. Is igitur Ignatius in Epistola ad Magnesios, priùs de Christo locutus, hæc subjicit: ὃς πρὸ αἰώνων παρὰ Πατρὶ ἦν, καὶ ἐν τέλει ἐφάνη, i. e. *Qui ante sæcula apud Patrem erat, & in fine apparuit.* Sed ex Ignatio inferiùs plura & illustriora proferemus. pag. 33.

§. 8. Justinus Philosophus aliquot annis ante finitam Apostolorum primam χρόνῳ & vixit, & scripsit, & Martyriô coronatus fuit. Nam prima Apostolorum successio, ut rectè observavit præstantissimus Henricus Valesius *, usque ad tempora Marci Antonini producitur; siquidem eô imperante Polycarpus Joannis Apostoli discipulus, jam centenariô major, coronam Martyrii reportavit, nempe, juxta Martyrologium Romanum, die 26. Januarii anno Christi 167. At Justinus Antonino Pio, qui decessit annô æræ Christianæ 161. utramque Apologiam scripsit; eodemque imperante pro Christiana religione sanguinem suum effudit, quemadmodum idem Valesius † contendit. Omnes verò consentiunt, Virum sanctum ante An. 167. pro Christi fide mortem oppetiisse. Hinc ipse Justinus se ἀποστόλων μαθητῶν, *Apostolorum discipulum* appellat in Epistola ad Diognetum. Jam antiquissimus ille Pater & Martyr glorioissimus doctrinam de Filii τῇ περιπάρξει ante conditum mundum, & de hujus universi per ipsum creatione, idque ut communem & receptam Ecclesiæ sui temporis sententiam, contra Judæos, contra Gentes liberè passim in Scriptis suis professus est, ac strenuè propugnavit. Duo hîc loca attulisse sufficiat. In Apologia, quæ in editionibus prima dicitur, priùs de Deo Patre locutus, hæc de Filio subjungit: ὁ δὲ υἱὸς ἐκείνου, ὁ μόνῳ λεγόμενος κυρίως υἱός, ὁ λόγος πρὸ τῶν ποιημάτων & σιωπῶν, & γινόμενον, ὅτε τὴν ἀρχὴν δι' αὐτοῦ πάντα ἔκτισε καὶ ἐκόσμησε, κ. λ. *Porro Filius ejus, qui solus propriè dicitur Filius, Verbum simul cum illo ante creaturas existens & nascens, quoniam primitus per eum cuncta condidit & ornavit*, &c. pag. 44. In Dialogo cum Tryphone: ἀλλὰ τοῦτο τὸ τοῦ ὄντι ἀπὸ τοῦ πατρὸς πρόληθεν γέννημα πρὸ πάντων τῶν ποιημάτων συνῆν τῷ πατρὶ, καὶ τούτῳ ὁ πατὴρ προσομιλεῖ, i. e. *Verùm hæc ipsa à Patre revera edita progenies ante creaturas omnes cum Patre fuit; & cum eo Pater colloquitur:* nempe in verbis illis, quæ suprà citaverat, *faciamus hominem*, &c. pag. 285.

§. 9. Tatianus, Justini discipulus, in Oratione contra Græcos, communem Christianorum sui temporis de Filio Dei sententiam explicans, ait: τοῦτον ἴσμεν τοῦ κόσμου τὸν ἀρχῶ, i. e. *Hunc scimus mundi principium.* pag. 145. pag. 146. Et paulò pòst: Λόγος γὰρ ὁ ἐπουράνιος, πνεῦμα γεγονὼς ἀπὸ τοῦ πατρὸς, καὶ λόγος ἐκ

* In Annot. ad Euseb. pag. 39.
† In Annot. ad Euseb. pag. 76, 77.

ἐκ τ λογικῆς δυνάμεως, κατὰ τ τὸ γεννήσαντα αὐτὸν πατρὸς μίμησιν, εἰκόνα τ ἀθανασίας τ ἄνθρωπον ἐποίησε, i. e. *Verbum igitur illud cœleſte, Spiritus à Patre genitus, & ratio ex rationali potentia, ad imitationem ſui genitoris, fecit hominem immortalitatis imaginem.* Et rurſus pauculis interjectis: ὁ μὲν οὖν λόγος πρὸ τ τῶν ἀνδρῶν κατασκευῆς ἀγγέλων δημιουργὸς γίνεται, i. e. *Verbum igitur ante creatos homines, Angelorum erat conditor.*

§. 10. Athenagoras Athenienſis, Juſtini ſuppar, Philoſophus doctiſſimus, & eximium Chriſtianæ profeſſionis ornamentum, in Legatione pro Chriſtianis (quam Marco Aurelio Antonino ejuſque in imperio Collegæ ſcripſit) confeſſionem Chriſtianorum de ſanctiſſima Trinitate edens, & de Deo Patre
pag. 10. priùs locutus, ſubjungit: ὑφ' οὗ γεγόνασι τὸ πᾶν διὰ τ αὐτοῦ λόγου, καὶ διακεκόσμηται, καὶ συνεστάθησαν, i. e. *A quo facta ſunt omnia per Verbum ipſius, per quod & adornata ſunt, & ſtabiliuntur.* Idem mox Filium dicit πρωτόγονον γέννημα τοῦ πατρὸς, ὡς συμπάντων ἰδέα καὶ ἐνέργεια εἰ) προελθὸν, i. e. *Primogenitam Patris progeniem, ex ipſo prodeuntem, ut rerum cunctarum idea & energia foret.*

§. 11. Denique Irenæus (qui in adoleſcentia ſua Polycarpi diligens auditor fuit, ideoque meritò ab Euſebio * primam Apoſtolorum ſucceſſionem contigiſſe dicitur,) lib. 3. cap. 8. hæc de Verbo ſive Filio Dei habet: *Sed nec quicquam ex his, quæ conſtituta ſunt, & in ſubjectione ſunt, comparabitur Verbo Dei, per quem facta ſunt omnia, qui eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Quoniam enim ſive Angeli, ſive Archangeli, ſive Throni, ſive Dominationes, ab eo, qui ſuper omnes eſt Deus, & conſtituta ſunt, & facta per Verbum ejus, Joannes quidem ſic ſignificavit. Cum enim dixiſſet de Verbo Dei, quoniam erat in Patre, adjecit: Omnia per eum facta ſunt, & ſine eo factum eſt nihil.* Idem lib. 4. c. 17. *Hic * enim Filius, qui eſt Verbum Dei, ab initio præſtruebat, non indigente Patre Angelis, uti faceret conditionem, & formaret hominem, propter quem & conditio fiebat.* * Leg. hæc.

Cæteros Patres trium primorum ſæculotum eandem doctrinam de Servatore noſtro tradidiſſe, probè nôrunt omnes, qui in Scriptis eorum verſati ſunt: non verſati nobis credant, donec ipſorum teſtimonia, longè majora iſtis de Filio Dei pronuntiantia, à nobis ad ſequentes Sectiones citanda, ſuis ipſi oculis uſurpaverint. Atque hactenus de Filii τῇ περιπάρξει.

---

* Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 5. c. 20.

ANNOTATA

Ad Cap. II. §. 2.

De S. BARNABA.

§. 1. PRæexiſtentiam Filii DEI ante conditum mundum Reverendus *Bullus* in hoc Capite aliquot Barnabæ & Hermæ teſtimoniis ſolidè confirmavit. Nactus verò eſt Adverſarium, qui fictum, niſi fallor, nomen ſibi imponens, Londini 1697. libellum in 8vo edidit inſcriptum: *Fides primorum Chriſtianorum ex Barnaba, Herma, & Clemente Romano demonſtrata, Defenſioni Fidei Nicænæ D. Georgii Bulli oppoſita, Auctore Luca Melliero,* V.D.M. In quo cum ſingula dictorum Patrum Apoſtolicorum teſtimonia in hâc & ſequenti Sectione allegata, atque argumenta inde deducta eludere conatus ſit; haud ingratum Lectori fore ſpero, ſi præcipuas ejus reſponſiones ſub examen revocavero, & quàm frivolæ pleræque ſint, breviter oſtendero.

§. 2. Quod itaque primum ſupra §. 2. recitatum attinet locum Barnabæ cap. 5. Epiſtolæ, ubi ait Chriſto Domino die ante conſtitu-

ſtitutionem ſeculi dictum eſſe : *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram*, adverſus illum tria repoſuit *Mellierus*. 1. Barnabam hæc myſticô tantùm ſenſu, reſpectu novæ creationis, ultimis temporibus per Chriſtum factæ, prolata citâſſe. 2. Non DEO cum Filio ſermocinanti, ſed Scripturæ de Chriſto prædicenti ea verba tribuiſſe. 3. Poſitô, quòd Barnabas ipſum DEUM in veteri creatione Filio iſta dicentem repræſentaverit, ea tamen non niſi in Prophetico ſenſu, tanquam ad Chriſtum futurum pertinentia, minimè verò velut ad Filium jam tum verè exiſtentem atque præſentem ſpectantia expoſuiſſe. Primum probat *Mellierus* ex cap. 6. ubi illa verba de nova creatione tantùm expoſita contendit, ac proinde cap. 5. quoque myſticè vult accipienda. Verùm illô licet poſitô, neque tamen conceſſô, hoc prorſus non ſequitur : quippe potuit Barnabas eundem locum modò in literali, modò in myſtico ſenſu citare ; imò hoc feciſſe colligo ex eo, quia cap. 5. de quo controverſia eſt, non ſimpliciter ait, Filio dictum eſſe : *Faciamus hominem ad imaginem* &c ſed id *die ante conſtitutionem ſeculi* factum. Atqui tunc de veteri, non nova agebatur creatione. Non hanc igitur ſed illam ibi reſpexiſſe Barnabam, omnino ſum perſuaſus. Sed etſi iſtîc quoque myſticum ſenſum admitterem, hic tamen in literali fundatur ; ac proinde haud potuit Barnabas illa verba, veluti ratione novæ creationis, ad Filium pertinentia exponere, niſi eidem in veteri creatione à DEO Patre dicta ſuppoſuerit.

§. 3. A DEO Patre, inquam. Quòd enim *Mellierus* 2. excipit, non DEUM, ſed Scripturam hæc Chriſto dixiſſe, id frivolum omnino eſt, ac meritò illi opponuntur propria ejus verba pag. 5. *Manifeſtum eſt, DEUM hæc dixiſſe die ſexto, qui præcedebat conſummationem ſeculi, die ſeptimo factam.* Audiamus verò ejus argumentationem : *Sic enim*, inquit, *habet* (Barnabas) *ſuperiùs cap. 4. pag. 16.* Dicit enim Scriptura : Væ illis, qui ſibi ſolis intelligunt. *Cap. 5. pag. 20.* Dicit autem ſic, *nempe eadem Scriptura :* Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras. *Deinde:* Dicit autem, *eadem ſcilicet Scriptura :* Non injuſtè tenduntur retia avibus. *Et ſtatim* : Cui dixit ante conſtitutionem ſeculi ; *profecto eadem Scriptura.* Sed hoc eſt, quod pernego : ſiquidem alia eſt ratio antecedentium locorum, utpote quæ continent enuntiationes Prophetarum de aliis in tertia perſona, (ut Grammatici appellant) non verba unius ad alterum in primâ ; quale eſt hoc DEI Patris ad Filium, non *ſtatim* aut continuò poſt, ſed interjectis duabus periodis allegatum: *Faciamus hominem* &c. Quod Filio à Scriptura dictum eſſe, & quidem die ſexto creationis mundi, ſi non perabſurdè, ſaltem admodum impropriè à Barnaba ſcriptum fuiſſet; ac poſitô hôc, explicandum tamen iſtud omnino foret ex ejuſdem Epiſt. c. 6. ubi ait : λέγει γὰρ γραφὴ περὶ ἡμῶν, ὡς λέγει τῷ υἱῷ· ποιήσωμεν κατ' εἰκόνα ἡμῶν καὶ καθ' ὁμοίωσιν ἡμῶν τὸν ἄνθρωπον. *Dicit enim Scriptura de nobis, ſicut dicit Filio* (nempe *DEUS Pater*) *: Faciamus hominem ſecundum imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Equidem *Mellierus* pag. 8. ὡς λέγει τῷ υἱῷ, quæ à veteri Latina Barnabæ interpretatione abſunt, exiſtimat *in Græcum textum à ſciolo aliquo eſſe injecta, & planè ſuperflua ; quia ipſe Barnabas, poſtquam alia verba :* Creſcite & multiplicamini, *adduxiſſet*, adjicit : *Hæc ad Filium. Quid ergo*, inquit, *neceſſe erat ibi dicere : ſicut dicit Filio?* Sed reſpondeo, iſta quoque, ταῦτα πρὸς τὸν υἱὸν, *non apparere*, ut ipſe pag. 9. obſervat, *in veteri Interprete*, ac omnino delenda eſſe, tum illius auctoritate, tum re ipsâ id exigente. Nam verba illa : *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram*, à DEO ad Protoplaſtos dicta eſſe, Moſes Gen. 1. v. 28. ait, & ipſe pluralis numerus indicat. Quis igitur crederet, Barnabam adeo abſurdum fuiſſe, ut ea ad *Filium*, qui ſingularis eſt perſona, directa fuiſſe ſcriberet ? Et ſane hæc phraſis : ταῦτα πρὸς τὸν υἱὸν, ſimillima eſt notæ, quam vocant, marginali, quâ quiſpiam monere voluit, Barnabam iſta DEI verba : *Faciamus hominem* &c. quæ cui dicta ſint, Moſes haud expreſſit, ad Filium retuliſſe. Unde poſthæc ab ignaro Scriba illa textui, & quidem incommodô locô, inſerta fuit. Sed licet ipſe Barnabas citatæ divinæ Protoplaſtorum benedictioni, *Creſcite, & multiplicamini*, ſubjunxiſſet : ταῦτα πρὸς τὸν υἱὸν, tamen illa, ὡς λέγει τῷ υἱῷ, aliis DEI verbis : *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*, diversâ in periodo citatis præfixa, haud omnino forent ſuperflua. Quippe S. Barnabas adverſus Judæos, (de quibus vide Juſtini M. Dialogum cum Tryphone p. 285.) hanc Epiſtolam ſcribens, DEUM Patrem Filio illa locutum eſſe aſſeruit. Nihil autem vetabat, quin poſthæc, interjectô proprio commate, aliud DEI dictum allegans hunc in modum : *Et Dominus videns bonam figuram noſtram, dixit : Creſcite &c.* addiderit, hæc quoque verba, licet ad Protoplaſtos prolata, ad Filium tamen pertinere. Sed, uti jam monui, abſurdè hoc à Barnaba factum fuiſſet, ac proinde, ταῦτα πρὸς τὸν υἱὸν, dictâ vel alia fortè occaſione in Græcum textum irrepſiſſe, omnino ſtatuendum eſt. Contrà illa, ὡς λέγει τῷ υἱῷ, non à ſciolo quodam Græcis addita, ſed Latinis dempta videntur, ſive ab Interprete, ſive ab imperito Scriba, quòd repetitio

verbi

verbi λέγει in tam brevi comminate : λέγει γὰρ γραφὴ περὶ ἡμῶν, ὡς λέγει τῷ υἱῷ, tautologiam ei ſonaret. Maneat igitur firmum ratumque, Barnabam iſta verba : *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*, non Scripturæ ad Filium loquenti abſurdè adſcripſiſſe, ſed DEO Patri, (cui Moſes in primæva creatione prolata ea tribuit) licet illius nomen non expreſſerit, id Lectori, ut notiſſimum, ſubintelligendum relinquens, prout aliis quoque in locis fecit. Sed fac tandem, *Melliere*, Barnabam utroque loco ſcripſiſſe, *Scripturam Filio dixiſſe* : *Faciamus hominem ad imaginem noſtram* ; nemo tamen, niſi vel ipſe ſit ineptiſſimus, vel Barnabam talem imaginetur, id aliter acceperit, quàm hôc ſenſu : *Scripturam memorare, quòd DEUS Pater Filio dixerit : Faciamus* &c. Quod enim Scripturam locutam *ad Filium*, explicat *de Filio*, adeo contortum eſt, ut refutatione ſit indignum ; & ratione prioris loci, ubi id *die ante conſtitutionem ſeculi* factum dicitur, adeo abſurdum, ut inſanire ſit putandus, qui Scripturam tunc de Filio quædam prædixiſſe diceret, cum nondum in rerum naturâ exiſteret. Miſsâ itaque ſecundâ exceptione, ad tertiam progredior diſcutiendam.

§. 4. Fingit nimirum 3. Adverſarius, poſitô quòd Barnabas repræſentaverit DEUM Filio ſuo loquentem : *Faciamus hominem* ; propheticè tamen ad Chriſtum futurum, nondum verò exiſtentem, verba illa facta exiſtimâſſe ; adeo ut illa : *Cui dixit DEUS*, nihil aliud denotent, quàm hoc : *Quem in mente habens & cogitans dixit*, uti pag. 13. explicat. *Nam*, inquit ibidem, *etiam nobis, id eſt, Chriſtianis DEUM dixiſſe aſſerit :* Creſcite & multiplicamini, & dominamini beſtiis, *in fine Capitis 6. Quis verò putabit Barnabam credidiſſe, Chriſtianos, cum iſta* DEUS *ipſis diceret, præſentes & exiſtentes fuiſſe ?* Sed ſubdolè Adverſarius, qui ubique ipſa S. Barnabæ verba recitare ſolet, hîc ea omiſit. Sunt verò ſequentia : προείφηκε δὲ ἐπάνω, ὅτι αὐξανέσθωσαν καὶ ἀρχέτωσαν τῶν ἰχθύων. *Jam verò prædixit ſuperiùs : Creſcant & præſint piſcibus.* Quibus in verbis haud aſſerit Apoſtolus, DEUM nobis Chriſtianis dixiſſe, *Creſcite & multiplicamini* ; ſed *prædixiſſe* de nobis, quòd incrementum & imperium ſuper creaturas ſimus habituri. Quæ duo ſunt diverſiſſima. Etiamſi autem S. Barnabas ſcripſiſſet, DEUM Protoplaſtis benedicentem dixiſſe nobis : *Creſcite & multiplicamini* ; ne id quidem ad rem quicquam faceret. Nam Protoplaſti typum noſtrî gerebant, ac proinde quæ DEUS ad ipſos loquebatur, ad nos *typicè* dicta commodè dici poterant. Aſt nemo in veteri creatione Chriſtum repræſentabat, cui Pater reſpectu novæ creationis in typo diceret : *Faciamus hominem*, &c. ideoque ipſe Chriſtus tunc Patri ſuo præſens adfuiſſe à Barnaba creditus eſt, aut is incommodè, imò perabſurdè ſcripſit, DEUM ipſi dixiſſe : *Faciamus* &c. Neque reliqua, quæ *Mellierus* pag. 14. ex Barnaba allegavit, ejuſdem cum loco controverſo ſunt generis. DEI enim mandata per Prophetas prolata non ſolùm ad tunc præſentes, ſed & alios eorum ſucceſſores omnino pertinebant, inq; noſtrum uſum ſcripta ſunt Rom. 15. 4. ac idcirco DEUM *nobis* illa dixiſſe, Barnabas rectè ſcribere poterat. Sed aliam prorſus eſſe rationem iſtius : *Faciamus hominem* &c. quis non videt ? Reliqua, in antecedentibus & ſequentibus à *Melliero* prolata, brevitati ſtudens prætereo, quòd vel ad propoſitum parum aut nihil faciant, vel reſponſionem haud mereantur.

§. 5. Progredior itaque ad vindicandum à corruptela ſequens S. Barnabæ dictum, à Reverendo *Bullo* citatum, quô docet, Solem eſſe ἔργον χειρῶν αὐτοῦ, *opus manuum ejus*, nempe Filii, de quo ibi agitur. Objicit *Mellierus* pag. 18. veterem Interpretem reddidiſſe *opus manûs DEI*, ac proinde in Græco legiſſe, χειρὸς Θεοῦ. Sed 1. etiamſi vetus Interpres ita legerit, non tamen ſequitur, quòd S. Barnabas ita ſcripſerit ; cum ex pluribus locis conſtet, illum corruptô ac mutilô exemplari uſum eſſe, aut ipſum fœdè corruptum ac mutilatum eſſe. Quidnî igitur in hoc loco idem fieri potuerit ? Imò verò 2. fatetur *Mellierus*, Latinam interpretationem hîc mutilam eſſe. Quare ergo non potiùs ex Græco textu perfecto Latinam verſionem imperfectam, ac ſimul mentem ſuam corruptiſſimam, corrigit & integritati reſtituit ? Sed & corruptam illam ſtatuendam eſſe in his ipſis verbis, *opus manûs DEI*, potiùs quàm Græcum textum, inde probo, quia *opus manuum DEI* in S. Scriptoribus ſæpiùs, vix autem *opus manûs DEI*, in ſingulari, occurrit ; & faciliùs locô *manuum ejus*, ſuperſcriptô per abbreviaturam vel deletô τῶν *us*, legi, indeque ſcribi potuit *manus Dei*, quàm ex χειρὸς Θεοῦ fieri χειρῶν αὐτοῦ. Denique 3. poſitô, neque tamen conceſſô, Barnabam ſcripſiſſe, Θεοῦ non αὐτοῦ, & ſic tamen firmiſſimum ex ejus textu pro Deitate Chriſti necti poſſet argumentum. Nam tunc ratiocinium ejus tale foret : *Si homines Solem, qui eſt opus manuum Dei ſive creatura, oculis ſuis intueri non valent, multò minùs potuiſſent Chriſti aſpectum ſuſtinere, niſi in carne veniſſet.* Inſulſum autem idem foret, ſi Chriſtus, perinde ut Sol, eſſet opus manuum DEI ſive creatura. Non igitur pro creatura, ſed Creatore

tore Christum *extra carnem* habuit S. Barnabas. Vidit hoc fortè Adversarius noster, ideoque in præcedentibus testimonii hujus verbis, pro βλέποντες αὐτὸν reponit βλέποντες Θεὸν, ac DEUM Patrem ibi intelligendum contendit pag. 19. non solùm citra omnem rationem ac auctoritatem, (Latina quippe interpretatio hîc eum non juvat,cum sit mutila, & nil habeat verbis istis respondens) sed & contra omnem rationem,ipsamque S. Barnabæ mentem. Illis enim verbis: *Quomodo possent homines* sanari, videntes *eum?* manifestè indicat, se de Filii, non Patris, visione hîc agere, ac respicere figuram ænei serpentis, quam cap. 12. prolixiùs explicavit, eum expressè τύπον Ιησῦ appellans, quoniam *cum ipse sit exanimis*, qualis Christus in cruce factus fuit, *potest alios sanare, & sine mora curabitur*, qui scilicet intuitus fuerit; ᾧ διδαχὴν σωθήσεται, perinde uti hîc: πῶς ἂν ἐσώθησαν ἄνθρωποι, δι βλέποντες αὐτόν; Malè igitur ultimam hanc vocem in θεὸν mutavit *Mellierus*, ac crimen depravationis verborum S. Barnabæ, quod Orthodoxis temere pag. 20. intentavit, in caput ejus recidit. Possem pluribus absurditatem lectionis ac interpretationis ibi allatæ ostendere, sed brevitatis causâ abstineo, ideoque & ad aliud Barnabæ dictum cap. 12. quòd ἐν αὐτῷ & εἰς αὐτὸν, *in ipso & in ipsum*, nempe Christum, *sint omnia*, tribus tantùm verbis respondeo, violentam prorsus esse ejus expositionem ab Adversario allatam pag. 22. *quoniam omnes ejusmodi typi & prophetiæ in ipso impletæ, & in ipsum vel propter ipsum institutæ sunt.* Neque ullum sive Barnabæ, sive alius sacri Scriptoris locum ad hunc sensum confirmandum adduxit; ego verò pro explicatione textûs Barnabæ de *creatione ac conservatione omnium per & in ipsum*, allego parallela prorsus S. Pauli verba Coloss. 1. 16. ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα· & mox: τὰ πάντα δι' αὐτοῦ & εἰς αὐτὸν ἔκτισται· ac vers. 17. τὰ πάντα ἐν αὐτῷ συνέστηκε. Sic splendidam atque amplam *habes gloriam Jesu*; quam Socinianus tenebrio impiè obscuravit, & arctiùs, quàm fieri debebat, restrinxit.

Ad §. 6.

De S. HERMA.

AD pervertendum Hermæ locum, ubi *Filium* DEI *omni creaturâ antiquiorem* dixit, exemplô Zwickeri adducit *Mellierus* alia ejusdem verba lib. 1. Visione 2. ubi de Ecclesia ait,quòd *omnium prior creata sit*, id est, juxta illius explicationem, *quòd primò decreta & prædestinata à DEO fuerit*. Quâ ratione & Christum *omni creaturâ antiquiorem* appellatum putat. Sed quicquid de hôc loco statuatur, certum est,in nostro non prædestinatum Filium, sed jam reapse existentem intelligendum esse, quia Hermas addit, quòd *in consilio Patri suo adfuerit ad condendam creaturam*. Anne igitur DEO Patri tanquam consiliarius in creatione mundi adfuit, qui nondum fuit, aut in rerum natura extitit? Absurdum! A mente verò Hermæ alienum prorsus & detortum, quod *Mellierus* p. 31. commentus est, Filium ideo dictum Patri in consilio adfuisse ad condendam creaturam, *quia Pater tunc cum ad condendam creaturam se accingeret, Filium futurum in mente & consilio suo sapientissimo habebat*. Cæterum genuinum sensum istorum Hermæ de Ecclesia verborum: *Omnium prior creata est, ideo anus; & propter illam mundus factus est*, suppeditare mihi videntur gemina planè verba Pseudo-Clementis lib. 1. Recognit. §. 28. *Post hæc* (quinq; dierum opera) *ante omnia hominem fecit, propter quem cuncta præparaverat: cujus interna species* (anima vel Spiritus) *est antiquior, & ob cujus causam omnia quæ sunt, facta sunt*. Quibus præexistentiam animarum ante corpus conditum insinuat, uti *Cotelerius* ibi rectè annotavit. Atqui hanc etiam Hermas credidisse,ideoq; Ecclesiam,quæ est congregatio ac communio non tam corporum, quàm animarum fidelium, omni creaturâ antiquiorem dixisse videtur. Sed de hoc nunc satis.

CAP.

SECTIO II.

De Filii τῆς ὁμοουσίῳ,

SIVE

Consubstantialitate.

CAP. I.

Thesis proponitur. Vox ὁμοούσιος *fuse explicatur. Patres Nicæni in eo, quòd vocabulo isto ad explicandam Filii veram Divinitatem usi sunt, à* καινοφωνίας *suspicione liberantur.* Ἀντιλογία *Synodorum Antiochenæ contra Paulum Samosatenum, & Nicænæ contra Arium conciliatur. Ab Hæreticis* τὸ ὁμοούσιον *acceptum non fuisse ostenditur. Capita argumentorum, quibus Ante-Nicæni Doctores* τὸ ὁμοούσιον *confirmârunt, breviter recensentur.*

§. 1. IN quæstione de Filii τῆς ὁμοουσίῳ, siquidem in ipsa cardo controversiæ inter Catholicos & Arianos vertitur, diutiùs immorabimur. Hîc scil. Thesin hanc fusissimè illustrandam & confirmandam proponimus.

THESIS

Filium Dei Deo Patri ὁμοούσιον, *sive consubstantialem, hoc est, non creatæ alicujus aut mutabilis essentiæ, sed ejusdem prorsus cum Patre suo naturæ Divinæ & incommutabilis, proinde Deum verum de Deo vero esse, Catholicorum Doctorum, qui tribus primis sæculis floruerunt, constans concorsque fuit sententia.*

Priusquam autem Thesis probationem aggrediamur, quædam de vero sensu & antiquo usu vocis ὁμοούσιος, à Nicænis Patribus in Symbolo suo positæ, necessariò præmittenda. De vocabulo illo mirè olim paratragœdiârunt Arii Sectatores, in tantum, ut etiam Catholici tandem non pauci, pacis amantes, ipsorum clamoribus delassati, vocem improbare inceperint: id quod ab Hilario in libro de Synodis, & aliis discimus. Caussabatur impia illa & inquieta hominum factio, τὸ ὁμοούσιον nunc Sabellianismo patrocinari; nunc, contrariâ planè ratione, partitionem Divinæ essentiæ statuere; nunc denique substantiam aliquam inducere (proh nugæ!,) & Patre & Filio priorem, cujus deinde Pater & Filius ex æquo participes fierent. Sed hanc λογομαχίαν immeritò ab ipsis excitatam fuisse, liquidò ostendam.

§. 2. Ομοούσιον à probatis Græcis Scriptoribus id dicitur, quod ejusdem cum altero substantiæ, essentiæ, sive naturæ est; quem etiam sensum manifestè præ se fert ipsum vocis etymon. Porphyrius de Abstinentia ab esu animalium lib. 1. n. 19. εἴγε ὁμοούσιοι αἱ τῶν ζώων ψυχαὶ ἡμετέραις, i. e. *Siquidem animæ animalium sunt ejusdem cum nostris essentiæ.* Anonymus Auctor celebrium de Anima Opinionum, una cum Origenis Philocalia editus, citat locum ex Aristotele, ubi dicit: ὁμοούσια δὲ πάντα ἄστρα, id est, *Omnia astra sunt ejusdem essentiæ, sive naturæ.* Eôdem sensu sæpiùs voce istâ utitur Irenæus in explicandis Valentinianorum placitis. Sic lib. 1. cap. 1. dicit, Hæreticos docuisse, *id*
p. 22. *quod spirituale erat, haudquaquam ab Achamoth informari potuisse,* ἐπειδὴ ὁμοούσιον ὑπῆρχεν αὐτῇ, i. e. *quoniam ejusdem cum ipsa essentiæ erat.* Et mox: *Primùm ipsam (Achamoth) ex animali substantia parentem & Regem omnium,* τῶν τε ὁμοουσίων αὐτῷ, *tam eorum quæ eandem cum ipso essentiam habent, quàm eorum, quæ ex passione & materia procreata sunt, informâsse.* Rursus in eodem capite post aliquam multa: *Hylicum juxta*
p. 24. *imaginem esse* τοῦ ἁπλήσιον μὲν, ἀλλ' οὐχ' ὁμοούσιον τῷ Θεῷ, *Deo quidem persimilem, verùm non ejusdem cum eo essentiæ.* Et paucis interjectis: *Partum matris Achamoth, quem ex Angelorum eorum, quibus Servatoris latus cinctum erat, contemplatione protulit, ne ipsum quidem Demiurgum cognitum habuisse,* ὁμοούσιον ὑπάρχοντα τῇ μητρὶ πνευματικὸν, *quod ejusdem cum matre essentiæ, ac spiritualis esset.* Eadem quoque vox eôdem sensu à Gnosticis usurpata legitur in excerptis ex Theodoto
p. 796, ad calcem operum Clementis Alexandrini.
797. Atque (ut obiter id dicam) omnino censeo, Hæreticos istos, ut alia multa, ita etiam hoc vocabulum, jam tum à Catholicis de SS. Trinitate usurpatum, ad suos Æonas accommodâsse. Quod ex eo non leviter confirmatur, quod Auctor libri, qui ποιμάνδρης inscribitur, Scriptor inter Christianos antiquissimus, & à Gnosticorum deliriis (utcunque aliàs deliraverit) satis alienus, τὸν λόγον seu Filium Dei Patri ὁμοούσιον disertè dixerit; ut infrà ostendemus. Sed è diverticulo in viam. Auctor libri, *Quæstiones Græcanicæ ad Christianos* inscripti, inter opera
p. 203. Justini, sic de anima scribit: *Dicimus animam rationalem spiritum esse mente præditum, vitalem & per seipsum mobilem;* ἧς ὁμοουσίους εἶναι φαμὲν τούς τε ἀγγέλους & τοὺς δαίμονας, *cui consubstantiales dicimus & Angelos, & Dæmones.* Ubi ὁμοούσιος jungitur cum Genitivo casu, ut etiam in excerptis ex Theodoto; cùm frequentiùs Dativum regat. Agapius apud Photium (Bibliothec. Cod. CLXXIX.) inter alia impia dogmata docuisse dicitur, τὴν ψυχὴν ὁμοούσιον εἶναι τῷ Θεῷ, i. e. *Animam Deo consubstantialem esse.* Postea ibidem de eodem Agapio ait Photius: ἥλιον δὲ καὶ σελήνην ἀναισχύντως θεολογεῖ, καὶ ὁμοούσια κηρύττει Θεῷ, i. e. *De Sole præterea & Luna sine pudore velut de Diis differit, ejusdemque cum Deo esse naturæ prædicat.* Denique Theodoretus in Dialogo ἀσύγχυτος affert locum ex Apollinari, ubi dicit: οἱ ἄνθρωποι τοῖς ἀλόγοις ζώοις ὁμοούσιοι κατὰ τὸ σῶμα τὸ ἄλογον· ἑτερούσιοι δὲ, καθὸ λογικοί, id est, *Homines consubstantiales sunt brutis secundum corpus irrationale; quatenus autem rationales, alterius planè substantiæ sunt.*

§. 3. Hôc ipso sensu Filium Patri ὁμοούσιον dixisse Nicænos Antistites, æquis omnibus ac non planè contentiosi ingenii hominibus ex ipsis Symboli Nicæni verbis manifestum fiet. Nam postquam Patres dixissent, Filium Dei γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς μονογενῆ, *natum de Patre unigenitum,* mox addunt hæc verba: τουτέστιν, ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ πατρός, *hoc est, ex substantia Patris.* Deinde quid illud sit, verbis sequentibus ostendunt: Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ· γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, i. e. *Deum ex Deo, lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum, non factum.* Demum illud subjiciunt, ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, *Patri consubstantialem;* tanquam complectens omnia, quæ de Filio priùs dicta fuerant. Rursus in fine Symboli satis declarant, quid per τὸ ὁμοούσιον intelligi voluerint, dum anathemate feriunt Arianos, ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι, ἢ κτιστὸν, ἢ τρεπτὸν, ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, i. e. *Ex alia hypostasi sive essentia, vel creatum, aut convertibilem, aut alterabilem Filium Dei esse dicentes.* Scilicet Episcopi Nicæni Filium Dei dixerunt Patri ὁμοούσιον, *consubstantialem,* sensu Arianorum blasphemiis oppositô: hoc est, non creatæ alicujus, aut alienæ à Patre, aut mutabilis essentiæ esse; sed ejusdem prorsus cum Patre suo naturæ Divinæ & incommutabilis. Ita omnino τὸ ὁμοούσιον interpretati sunt Catholici illi Doctores, quos par est credere Nicænorum Patrum mentem ac sententiam optimè calluisse. Sic enim magnus Athanasius, contra Arianos illos differens, qui falsò prætenderent, se fidem Nicænam cætera amplexos fuisse, & ὁμοουσίς tantummodo vocabulum, tanquam novum & periculosum, exhorruisse: Εἰ δὲ μὴ τοσαῦτα, μὴ τὴν μάρτυρίαν τῶν ἀρχαίων ἐπισκόπων, μὴ τὴν τοῦτο γράψαντων τῶν ἰδίων πατέρων, προσποιῶνται, ὡς ἀγνοοῦντες, τὴν λέξιν φοβεῖσθαι τὸ ὁμοούσιος, εἰπάτωσαν μὴ φρονεῖτωσαν ἁπλούστερον μὲν καὶ ἀληθῶς τὸν υἱὸν, φύσει υἱὸν, ἀναδεματισάτωσαν δὲ ὡς παρήγγειλεν — In Epist. ad African. Episcop. Tom. 1. p. 940. edit. Paris. 1627.

ἡγεῖτελεν ἡ συνοδος, τοὺς λέγοντας κτίσμα ἢ ποίημα, ἢ ἐξ οὐκ ὄντων, ἢ, ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ· καὶ ὅτι τρεπτὸς καὶ ἀλλοιωτός ἐστι ☪ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως· ☪ ὅτως φθεγξαίσαν ἀπὸ τῆς ἀρειανῆς αἱρέσεως, ☪ διαῤῥῆδην ὅτι γνησιως ταῦτα ἀναθεματίζοντες, ὁμολογοῦσιν ἰουδοὺς, ἐκ τῆς οὐσίας ☪ ὁμοούσιον εἶναι τὸν υἱὸν τῷ πατρί. διὰ τοῦτο γὰρ ☪ οἱ πατέρες εἰρηκότες ὁμοούσιον εἶναι τὸν υἱὸν, ἐπήγαγον ἰουδοὺς· τοὺς δὲ λέγοντας κτίσμα, ἢ ποίημα, ἢ ἐξ οὐκ ὄντων, ἢ ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν, ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ ἐκκλησία· ἵνα διὰ τούτων γνωρίσωσιν, ὅτι ταῦτα σημαίνει τὸ ὁμοούσιον· ☪ ἡ τοῦ ὁμοουσίου δυνάμις γινώσκεται, ἐκ τοῦ μὴ εἶναι κτίσμα ἢ ποίημα τὸν υἱόν· ☪ ὅτι ὁ λέγων ὁμοούσιον, οὐ φρονεῖ κτίσμα εἶναι τὸν λόγον· ☪ ὁ ἀναθεματίζων τὰ προειρημένα, ὁμοούσιον ἅμα φρονεῖ εἶναι τὸν υἱὸν τῷ πατρί· ☪ ὁ ὁμοούσιον λέγων, γνήσιον ☪ ἀληθινὸν λέγει τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ· ☪ ὁ γνήσιον λέγων, νοεῖ τό· ἐγὼ ☪ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν, i. e. "Quod si post hæc tanta, post testi-
" monium scilicet veterum Episcoporum,
" postque subscriptionem suorum Patrum,
" quasi ignari simulent, se exhorrere voca-
" bulum ὁμοουσίου, dicant & sentiant simpli-
" citer & verè, Filium naturâ esse Filium;
" & anathemate, ut imperavit Synodus, eos
" feriant, qui dicunt, Filium Dei facturam,
" aut creaturam, aut ex non existentibus es-
" se, vel fuisse quando non esset, & mu-
" tabilem, & alterabilem, & ex aliena sub-
" stantia illum esse, itaque fugiant hæresim
" Arianam; & nulli dubitamus, quin post-
" quam hæc ingenuè & candidè anathema-
" tizaverint, statim confessuri sint, Filium
" de substantia Patris, Patrique consubstan-
" tialem esse. Quippe hac de causa Patres
" etiam, postquam dixerant consubstantia-
" lem esse Filium, statim subjecerunt: qui
" dicunt creaturam sive facturam, vel ex non
" existentibus esse Filium, aut fuisse quan-
" do non esset, eos anathemate ferit Eccle-
" sia Catholica; nempe ut ex his notum fa-
" cerent, hanc significationem habere vocem
" ὁμοουσίου, vimque hujus vocabuli ex eo co-
" gnosci, quod Filius nequaquam sit crea-
" tura aut factura: eumque qui consubstan-
" tialem dicit, neutiquam sentire creaturam
" esse Verbum: & qui prædicta anathema-
" te percutit, illum simul consubstantialem
" esse Patri Filium sentire: & qui consub-
" stantialem dicit, verum & genuinum Dei
" Filium dicere: quique demum genuinum
" dicit, illum rectè intelligere illud Scriptu-
" ræ: Ego & Pater unum sumus."

§. 5. Ad eundem modum & Hilarius in libro de Synodis adversus Arianos: "Displi-
p. 241, 242. ed. Basil. 1570. " cet, *inquit*, cuiquam in Synodo Nicæna
" homoousion esse susceptum? Hoc si cui
" displicet, necesse est placeat, quod ab Ari-
" nis est negatum. Negatum enim idcirco
" est homoousion, ne ex substantia Dei Pa-
" tris Deus Filius natus, sed secundum cre-
" aturas ex nihilo conditus prædicaretur.
" Nihil novum loquimur: pluribus edita li-
" teris ipsa Arianorum perfidia sibi testis
" est. Si propter negantium impietatem pia
" tum fuit intelligentia confitentium; quæ-
" ro cur hodie convellatur, quod tum piè
" susceptum est, quia impiè negabatur? Si
" piè susceptum est; cur venit constitutio
" pietatis in crimen, quæ impietatem piè per
" ea ipsa quibus impiabatur, extinxit? Vide-
" amus igitur, quid Nicæna Synodus statu-
" erit, homoousion, id est, unius substantiæ,
" confitendo: non utique hæresim parturire,
" quæ de homoousii vitiosa opinione conci-
" pitur. Non, opinor, illud loquentur, quòd
" unam anteriorem substantiam Pater & Fi-
" lius in substantiam suam partiendo divi-
" serint." Deinde, recitatô Symbolô Ni-
cænô, sic pergit: " Non hîc sanctissima re-
" ligiosorum Virorum Synodus, nescio quam
" priorem, quæ in duos divisa sit, substan-
" tiam introducit; sed Filium natum de
" substantia Patris. Nunquid nos negamus?
" Aut quid aliud confitemur? Et post cæ-
" teras communis fidei expositiones, ait: Na-
" tum, non factum, unius substantiæ cum
" Patre, quod Græci dicunt ὁμοούσιον. Quæ
" hîc vitiosæ intelligentiæ occasio est? Na-
" tus esse de substantia Patris Filius, non
" factus prædicatur; ne nativitas Divinita-
" tis factura sit creationis. Idcirco autem
" unius substantiæ; non ut unus subsistat,
" aut solus, sed ut ex substantia Dei natus
" non aliunde subsistat; neve in aliqua dis-
" sidentis substantiæ diversitate subsistat.
" Aut nunquid non hæc fides nostra est, ut
" non aliunde subsistat, neque quòd indissi-
" milis subsistat? Aut aliud hîc testatur
" homousion, quàm ut una atque indissimi-
" lis duûm sit secundum naturæ propaginem
" essentia, quia essentia Filii non sit aliunde:
" quæ, quia aliunde non est, unius rectè es-
" se ambo creduntur essentiæ; quia substan-
" tiam nativitatis Filius non habeat nisi de
" paternæ auctoritate naturæ?

§. 6. Magnus Basilius in Epistola CCC. adversus eos agens, qui in omnibus fidem Nicænam amplecterentur, nisi quod ὁμοουσίου vocem admittere noluerint; post alia, quæ infrà commodiori locô proferemus, ita dis-
Tom. 3. p. 292. edit. Paris. 1638. serit: Καὶ ἐπειδὴν ἐξ ἐκ ὄντων εἰς τὸ εἶναι παρῆχθαι τὸν υἱὸν ἔφη τότε ἦσαν οἱ λέγοντες, ἵνα μὴ ταύτῃ ἐκτέμωσι τὴν ἀσέβειαν, τὸ ὁμοούσιον προσειρήκασιν. ἄχρονον γὰρ μὴ διαστατὸν ἡ τοῦ υἱοῦ πρὸς τὸν πατέρα σωτηρία. δηλοῖ δὲ μὴ τὰ προλαβόντα ῥήματα, ταύτῃ δὲ τὴν ἀνδρῶν τὴν διάνοιαν.

γοιαν. εἴπινες γὰρ φῶς ἐκ φωτὸς, ἢ ἐκ τ ὐσίας τ παιρὸς τ ὑὸν γεγενῆσθ, ἐχὶ δὲ πεποιῆσθ, ἐπήγαγον τετοις τὸ ὁμοούσιον· ὡς δεικνύτες, ὅτι εἴπερ ἄν τις ἀποδῷ φωλὸς λόγον ἐπὶ πατρὸς, οὕτ ἁρμόσει ἐπὶ υἱοῦ. φῶς γὰρ ἀληθινὸν πρὸς φῶς ἀληθινὸν, καὶ αὐτῳ τ φωλὸς τ ἔννοιαν, ὁδεμίαν ἕξει ἀλλαγήν. ἐπεὶ δὲ ἔξιν ἄναρχον φῶς ὁ πατὴρ, γεννητὸν δὲ φῶς ὁ υἱὸς, φῶς δὲ ἢ φῶς ἐκάλεσε, ὁμοούσιον εἶπαν δικαίως, ἵνα τὸ τ φύσεως ὁμότιμον παρασήσωσιν. ἐ γὰρ τὰ ἀδελφὰ ἀλλήλοις ὁμοούσια ἀλλήλοις λέγεται, ὅπερ τινὲς ὑπειλήφασιν· ἀλλ' ὅταν ἢ τὸ αἴτιον, ἢ τὸ ἐκ τ αἰτίᾳ τινὶ ὕπαρξιν ἔχον, τ αὐτῆς ὑπάρχῃ φύσεως, ὁμοούσια λέγεται, i. e. " Et quia ex non esse " ad esse productum Filium etiam tunc non- " nulli asseverabant, hanc ut abscinderent " impietatem, (*Nicæni Patres*) nomen ho- " moousii usurpârunt. Nam Filii ad Patrem " adunitio sine tempore est & interstitio. " Sed & verba præcedentia satis docent, " hanc fuisse horum hominum mentem ac " sententiam. Cum dixissent enim, de lu- " mine lumen, & de Patris essentia Filium " esse genitum & non factum, istis addide- " runt, homoousion : illud nimirum subin- " dicantes, quòd quam quis rationem lumi- " nis in Patre intellexerit, eandem & Filio " adaptatam intelliget. Lumen enim verum " ad verum lumen, secundum ipsam luminis " intelligentiam, nullam prorsus admittet " alterationem. Quandoquidem est ergo " Pater lumen sine principio, lumen verò " genitum Filius, lumen & lumen alteru- " ter ; homoousion dixerunt non incongruè, " ut naturæ æqualem dignitatem ostende- " rent. Non enim quæ ad invicem sunt co- " gnata, sunt ad invicem homoousia ; (ut " quidam existimârunt) sed tum, cùm & " causa, & causatum, ejusdem per omnia na- " turæ participant, dicuntur esse homoou- " sia. "

§. 7. Atque hunc esse verum sensum vocis ὁμοούσιος, tandem confessi sunt ipsi Semiariani in Synodo Antiochena sub Joviano ; edocti scil. à Meletio (quem germanum fuisse Catholicum, abunde constat ex Basilio Epist. 52, 53. & seqq. & Epist. 325. ad Epiphanium,) qui Synodo isti præfuit. Nam in Epistola suâ Synodica ad optimum Imperatorem hæc habent de Synodo Nicæna : ὅπότε ἢ τὸ δοκεῖν ἐν αὐτῇ πισὶ ξένον ὄνομα, τὸ τ ὁμοούσιος φαμὲν, ἀσφαλὲς πεπύχηκε καὶ τοῖς πατράσιν ἑρμηνείας, σημαινόσης ὅτι ἐκ τ ὐσίας τ πατρὸς ὁ υἱὸς ἐγεννήθη, ἢ ὅτι ὅμοιος καὶ' ὐσίαν τῷ πατρί· ὅτε δὲ ὡς φάσδους τινὸς περὶ τ ἄῤῥητον γόνον εἰσὶν ἐπινοουμένους, ὅτε κατά τινα χρῆσιν ἑλληνικὴν λαμβάνεται τὸ ὄνομα τ ὐσίας· εἰς ἀνατροπὴν δὲ τ ἐξ ὐκ ὄντων περὶ τ υἱὸ ἀσεβῶς τολμηθέντος ἀρείῳ, i. e. " Etenim vocabulum in ea " Synodo positum, quod quibusdam novum " atque insolens videtur, *consubstantialis* vi- " delicet, id cautissimam interpretationem " à Patribus accepit ; ut scilicet Filius ex " substantia Patris genitus, & quoad sub- " stantiam Patri similis intelligatur : non " quò perpessio quædam in illa inenarrabili " generatione cogitetur, aut nomen substan- " tiæ juxta Gentilium usum & consuetudi- " nem accipiatur ; sed ut evertatur id quod " Arius ausus erat asserere, Filium ex nihilo " extitisse. " Jam quisnam sit vocis ὁμοούσιος, in Symbolo Nicæno positæ, legitimus sensus, omnes, ut opinor, satis intelligunt.

§. 8. Porro ὁμοούσιος vocabulum non primùm à Patribus Nicænis inventum, neque ab ipsis, in quæstione de Filii Divinitate, noviter usurpatum, (quod multi existimârunt) sed inde à majoribus ad posteros translatum fuisse, Eusebius disertè testatur in Epistola ad suos Cæsarienses. Verba ejus hæc sunt : τῶν παλαιῶν τινὰς λογίους ἢ ἐπιφανεῖς ἐπισκόπους ἢ συγγραφέας ἔγνωμεν, ἐπὶ τ θ τ πατρὸς ἢ υἱοῦ θεολογίας τῷ τ ὁμοουσίου χρησαμένους ὀνόματι, i. e. " Novimus quosdam ex veteri- " bus, doctos & illustres Episcopos & Scri- " ptores, qui de Patris & Filii Divinitate dis- " serentes, nomine ὁμοουσίου usi sunt. " Non est dubium, quin Eusebio præsto fuerint multa primævæ Antiquitatis monumenta, quæ hodie nusquam extant, sed dudum interciderunt ; ex quibus ille hanc assertionem suam abunde confirmare potuisset : neque enim nobis, in tanto ac tam deplorando veterum Scriptorum naufragio, desunt testimonia, quæ eandem satis evincant. Tertullianus initiô libri adversus Praxeam expressè dicit, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum esse *unius substantiæ* ; idque adeo in regula fidei & οἰκονομίας Sacramento, à Catholicis custoditô, contineri affirmat. Quid autem, te obsecro, aliud Latinè significat, *unius substantiæ*, quàm quod Græcè dicitur ὁμοούσιον ; Neque ullus dubito, quin Tertullianus, ut ubique fere, quod docti nôrunt, * Græcos Ecclesiæ Scriptores studiosè imitatur, ita hîc etiam τὸ ὁμοούσιον, quod apud istiusmodi Auctores, se priores, de SS. Trinitate usurpatum legerat, vernaculo suo sermone reddidisse, *unius substantiæ*. Rufinus de adulteratione librorum Origenis testatur, frequenter hanc

Apud Socrat. H.E. l. 1. c. 8.

Apud Soc. H.E. l. 3. c. 25. & Sozom. H.E. l. 6. c. 4.

* B. Rhenanus de Tertulliano ait, quod ex Græc. Auctorum assidua lectione adeo Græcas loquendi formulas imbiberit, ut etiam Latinè scribens, illorum oblivisci nequiret.

hanc vocem apud Origenem reperiri; dum ait: " Nunquid in eodem opere ejuſdem li-
" bri interdum, ut diximus, ſtatim in con-
" ſequenti capitulo ſui oblitus eſſe potuit?
" V. G. ut qui Patrem & Filium unius ſub-
" ſtantiæ, quod Græcè ὁμοούσιον dicitur, de-
" ſignavit, in conſequentibus ſtatim capitu-
" lis, alterius ſubſtantiæ & creatum poterat
" dicere eum, quem paulò antè de ipſa na-
" tura Dei Patris pronuntiaverat natum? "
Exemplum profert Pamphilus in Apologia, ubi ex Commentario in Epiſt. ad Hebræos hæc nobis exhibet Origenis verba: " Quæ
" ſimilitudines manifeſtè oſtendunt, commu-
" nionem ſubſtantiæ eſſe Filio cum Patre:
" aporrhœa enim ὁμοούσιος videtur, id eſt,
" unius ſubſtantiæ, cum illo corpore, ex quo
" eſt vel aporrhœa, vel vapor." Athanaſius in libro de ſententia Dionyſii Alexandrini contra Arianos refert, Dionyſium illum (Origenis diſcipulum) in Epiſtola ad cognominem Dionyſium Romanum dixiſſe, Chriſtum eſſe ὁμοούσιον τῷ Θεῷ, *conſubſtantialem Deo*; idque Romanum Dionyſium ab eo exegiſſe, ut in terminis diceret. Ex qua Athanaſii narratione liquet, etiam Dionyſiorum iſtorum ætate, ὁμοουσίος vocabulum in frequenti uſu fuiſſe; & qui ab eo abhorruerunt, (quod Dionyſio Alexandrino falsò objiciebatur,) Eccleſiæ reprehenſionem incurriſſe. Miror itaque Sandii ſive inſcitiam, ſive impudentiam, qui ſcribit, ipſum etiam Athanaſium inter eos fuiſſe, qui faterentur, τὸ ὁμοούσιον in Concilio demum Nicæno fabricatum. Imò & alibi is ipſe Athanaſius diſertè profitetur, vocabulum illud, in Symbolo Nicæno poſitum, τῇ μαρτυρίᾳ τῶν ἀρχαίων ἐπισκόπων, *teſtimoniô veterum Epiſcoporum*, Nicænâ ſcilicet Synodô anteriorum, comprobatum eſſe. Reſpice locum, quem paulò ſuperiùs ex Athanaſio citavimus, ex Epiſtola ad *Epiſcopos Africanos*. Si quis autem de fide magni & optimi Athanaſii dubitet, extat hodieque Epiſtola Dionyſii illius Alexandrini contra Paulum Samoſatenum, in qua expreſsè dicit, Filium ὁμοούσιον τῷ παλαι ἐιρημένῳ ὑπὸ τῶν ἁγίων πατέρων, *Patri conſubſtantialem à ſanctis Patribus dici.* Quæ Dionyſii verba etiam manifeſtè oſtendunt, ſanctos Patres, ipsô anteriores, vocem ὁμοουσίος de Filio uſurpâſſe; proinde Euſebii teſtimonium, quod modò commemoravi, egregiè confirmant. Denique ex eo, quòd Pamphilus Martyr in Apologia pro Origene (cui Pamphili nomen meritò inſcriptum eſſe, infrà oſtendemus) contendit, Origenem expreſsè Filium Patri ὁμοούσιον dixiſſe, ideoque in articulo de Filii divinitate Catholicum fuiſſe; ex eo, inquam, ipſo manifeſtiſſimum eſt, ὁμοουσίος vocabulum etiam ante Concilium Nicænum apud Catholicos in uſu fuiſſe, atque in explicatione dogmatis de Filii divinitate adhibitum. Nam Pamphilus ille aliquot annis ante Synodum Nicænam, nempe ſub Maximini perſecutione, Martyriô coronatus fuit; ut Euſebius de Martyr. Palæſtin. cap. 7. & Hieronymus in Catalogo diſertè teſtantur. Poſt hæc, operæ fortaſſe pretium fuerit notâſſe, Auctorem libri, qui Ποιμάνδρης inſcribitur, Mercurio Triſmegiſto tributi, cap. 1. expreſsè dicere, Dei λόγον eſſe Patri ὁμοούσιον. Certè Planum fuiſſe Scriptorem, hoc eſt, non ipſum Triſmegiſtum, ſed Chriſtianum aliquem, ejus nomen ementientem, ſolidè probavit Petavius: ſed & idem Petavius fatetur, circulatorem illum perantiquum eſſe, & paulò pòſt Apoſtolorum tempora extitiſſe. Quod & teſtimonia ex ipſo à Juſtino Martyre citata, ſatis oſtendunt.

De Scrip. Eccleſ. p. 39, 40. edit. ſecund. & p. 121, 122.

Biblioth. P.P. tom. 11. p. 277

Petav. de Trin. l. 1. c. 2. §. 3, 4.

§. 9. Sed maximum τῷ ὁμοουσίῳ præjudicium facere nonnullis viſum eſt, quòd Synodus Antiochena, ſexaginta circiter annis ante Nicænam habita, contra Paulum Samoſatenum, vocem iſtam expreſsè repudiaverit. De hac Synodorum ἀντιλογίᾳ laborârunt Theologi, quà veteres, quà Neoterici. Ut de veteribus, memor inſtituti mei, tantùm loquar; Hilarius in libro de Synodis adverſus Arianos prope finem refert, Paulum Samoſatenum nomen illud ὁμοούσιον malô ſenſu confeſſum eſſe; ideoque Patres Antiochenos vocem rejeciſſe. *Malè*, inquit, *homoouſion Samoſatenus confeſſus eſt: ſed nunquid meliùs Ariani negaverunt?* Sed quâ ratione potuit Samoſatenus ὁμοούσιον confiteri? Reſpondet Petavius: " Eâ ratione potuit ad-
" mittere, quâ Sabellius, cui Trinitatis do-
" gmate conſentaneus erat: uti ſcilicet uni-
" cam ſubſtantiam divinitatis & οὐσίαν pone-
" ret, à qua planè ſeparandus eſſet Chriſtus;
" qui ne ὁμοούσιος Deo conſtitueretur, in
" tempore Deus eſſe cœpiſſet. Quòd enim
" eôdem ſenſu ὁμοούσιον Verbum eſſe, Samo-
" ſatenus affirmârit, quô Sabellius, ibidem
" Hilarius oſtendit, cùm illum dicit ὁμοού-
" σιον eſſe Filium docuiſſe, quod in Antio-
" chena Synodo Patres uſurpari vetuerunt,
" quia per hanc unius eſſentiæ nuncupatio-
" nem ſolitarium atque unicum ſibi eſſe
" Patrem & Filium prædicabat." Verùm hæc mihi (quod pace dixerim ſanctiſſimi Hilarii) nullo modô veriſimilia videntur. Ut enim demus, Samoſatenum illum idem prorſus de Filio Dei ſenſiſſe, quod Sabellius; (quod tamen meritò aliquis in dubium vocaverit;) certè Sabellius ipſe nunquam Filium lubens dixiſſet Patri ὁμοούσιον, ſed potiùs ταυτοούσιον. Præterea ſi Sabelliani ante Concilium Nicænum voce ὁμοουσίος uſi fuiſſent, ad hære-

De Trin. lib. 4. c. 5. n. 2.

sim suam propagandam; neutiquam credibile est, Patres Nicænos, qui certè à Sabelliana æquè ac Ariana hæresi abhorruerunt, id vocabulum in Symbolo suo posituros fuisse. Fidenter tamen asseverat *Sandius*, || *homoousion amplexos fuisse Sabellii asseclas*; scilicet ante Synodum Nicænam: nam nisi id voluerit, nihil ad rem dicit. Unde alibi disertè affirmat, vocem homoousii usurpâsse ipsum Sabellium. Videamus, quô argumentô hanc assertionem suam probet: *Illi enim*, inquit, *qui vocem ὁμοούσιον repudiabant, eos, qui eandem approbabant, Montani & Sabellii (nota convenientiam in dogmate) opinionem de integro introducere asserebant; ideoque eos blasphematores nuncupabant. Socrat. Hist. Eccl. l. 1. c. 23. & Sozem. l. 2. c. 18.* Respondeo, narrare quidem in locis citatis Socratem & Sozomenum, post Concil. Nicænum magnas concertationes fuisse inter ipsos Episcopos, qui Nicænam fidem profiterentur, præcipuè inter Eusebium Pamphili & Eustathium Antiochenum, de voce ὁμοουσίου dum ille cum suis, Eustathio, suisque homoousion asserentibus, Montanismum & Sabellianismum exprobrarent; hi vero istis Ethnicorum πολυθεότητα objicerent: utrâque interim parte (ut disertè testatur Socrates, idque ex literis & Epistolis, quas Episcopi illi ad se mutuò scripserunt, accuratè perlectis) hanc suam esse fidem profitente, εὐυπόστατόν τε καὶ ὑφεστῶτα τὸν υἱὸν εἶναι τοῦ Θεοῦ, ἕνα τε Θεὸν ἐν τρισὶν ὑποστάσεσιν εἶναι, * *Filium Dei propriam personam & subsistentiam habere, Deumque in tribus personis unum esse.* Apprimè autem notandum, Eusebium Pamphili cum suis neutiquam obtendisse, vocem homoousii per se, aut juxta propriam suam significationem, Sabellii errorem confirmare; nedum Patres Nicænos voluisse per vocabulum illud Sabellianismum Christiano orbi propinare: sed id solùm dixisse, Eustathium suosque, qui τὸ ὁμοούσιον amplecterentur, Sabellianismum introducere voluisse: hoc est, ita vocem interpretatos fuisse, ut Sabellianæ hæresi omnino faveret. Imò expressè dicit Socrates, Eusebium in iisdem literis, quibus Eustathium homoousii vocabulô utentem accusavit Sabelliani erroris, palam professum fuisse, se τὴν ἐν Νικαίᾳ πίστιν οὐ παραβαίνειν, *à Nicæna fide nullatenus recedere.* An jure Eusebius Sabellianismi arguerit Eustathium, non necesse est ut anxiè inquiramus. Certè tamen Marcellum, Eustathii magistrum, purum putum Sabellianismum in Scriptis suis asseruisse, ex Eusebii libris, contra eundem elucubratis, liquidò constat. Ideoque Hilarius in libro ad Constantium, & Basilius Magnus in Epistolis 52, 74 & 78, aliique disertè Marcellum inter Hæreticos reponunt. Quòd verò Marcellus ille apud magnum Athanasium in flagranti gratia, aliquamdiu saltem, fuerit, id hominis vafritiei & simulationi, zeloque & ardori, quem adversus Arianos ostenderet, omnino imputandum videtur. Ad ipsum quoque Eustathium quod attinet, quanquam nollem temerè Viri, à plurimis Catholicis in pretio habiti, magnique itidem Athanasii amicitiâ nobilitati, famæ atque existimationi quicquam detrahere; ingenuè tamen fateor me nescire, quomodo fieri potuerit, ut Episcopi Antiochiæ congregati (fuerint licèt maximam partem Ariani) illum propriè, ex omnibus homoousii assertoribus, ὡς τὰ Σαβελλίου μᾶλλον φρονοῦντα, ἢ ὅσοι ἐν Νικαίᾳ συνῳδὰ ἐδογμάτισεν, *ut qui Sabellii potius dogmati, quàm Nicænæ Synodi decretis consentiret*, accusarent; proptereaque ipsum sede Antiochenâ deponerent, (quod testatur Socrates ex aliorum narratione, licet ipse leviissima de causa de eorum fide dubitet lib. 1. cap. 24,) nisi ipse aliquam saltem ansam atque occasionem istiusmodi accusationi præbuisset. † Quid? quod Cyrus Berœæ Episcopus, qui, referente Georgio Laodicææ, Ariano, apud Socratem ibidem, Eustathium coram Synodo Sabellianismi accusavit, Catholicus fuit, & postea ab Arianis ob assertam doctrinam Catholicam ipse depositus; ut testatur Athanasius in Epistola ad solitariam vitam agentes. Ait quidem Georgius, Cyrum quoque illum ob Sabellii dogma depositum fuisse; sed per Sabellii dogma omnino ibi intellexit Hæreticus *Consubstantialis* doctrinam, ut rectè notavit Valesius: quô observatô, ἐναντιοφάνεια in Georgii narratione, quæ malè habuit Socratem, facilè conciliatur. Verùm hæc omnia quid ad Sandii institutum faciunt? Nam qualis, quæso, est hæc consequentia? Eusebius Pamphili Eustathium Antiochenum accusavit, quòd vocem homoousii, à Nicænis Patribus rectè intel-

Vide Vales. annot. ad Socrat. p. 14.

|| Enucl. Histor. Ecclesiast. lib. 1. pag. 12.

* Persuasum habeo, Eustathium non ipsam vocem ὑποστάσεως usurpâsse; sed aliud vocabulum, quod ὑπάρξεως putavit Socrates.

† Omnino credo, Eustathium μίαν in Deo ὑπόστασιν pertinacius defendisse; dum scil. per ὑπόστασιν nihil aliud forte quàm οὐσίαν intelligeret: quam etiam ob causam postea Eustathiani, ab ipso cognominati, tanquam Sabelliani ab aliis Catholicis vitabantur; indeque ingens apud Antiochiam Schisma subsecutum. Vide Petav. de Trinit. l. 4. c. 4. §. 10. & seqq.

tellectam, ipſe ita interpretatus ſit, ut ad invehendam in Eccleſiam Sabellii hæreſim inſerviret; ergo Sabellii aſſeclæ ante Synodum Nicænam ipſum homoouſii vocabulum uſurpârunt, atque amplexi ſunt. Quod obiter notat Sandius, de convenientia Montani & Sabellii in dogmate de SS. Trinitate, mox commodiori locô expendemus.- Iterum igitur dico, nullo modô veriſimile mihi videri, Sabellianos unquam homoouſii vocabulô ſponte ac libenter uſos fuiſſe; quamvis, poſtquam vox iſta Synodi Nicænæ auctoritate ſancita fuerit, ipſam in ſuæ hæreſis patrocinium, obtortô quaſi collô, trahere conati fuerint. Nam ὁμοούσιον per ſe adeo Sabellianæ hæreſi non convenit, ut ipſi planè repugnet. Quod à Baſilio Magno Epiſt. CCC. præclarè obſervatum his verbis: *Αὕτη δὲ ἡ φωνὴ καὶ τὸ τῶ Σαβελλίου κακὸν ἐπανορθοῦται· ἀναιρεῖ γὰρ τὴν ταυτότητα τῆς ὑποστάσεως, καὶ εἰσάγει τελείαν τῶν προσώπων τὴν ἔννοιαν· οὐ γὰρ αὐτὸ τί ἐστιν ἑαυτῷ ὁμοούσιον, ἀλλ' ἕτερον ἑτέρῳ*, i. e. *Vox iſta & Sabellii impietatem corrigit: tollit enim hypoſtaſeos identitatem, perfectamque perſonarum notionem inducit. Non enim idem ſibi ipſi conſubſtantiale eſt, ſed alterum alteri.* Concludo igitur, Paulum Samoſatenum, ut Sabellio in Trinitatis dogmate conſentientem, vocem homoouſii ad hæreſim ſuam declarandam non uſurpâſſe; neque propterea Antiochenos Patres vocabulum illud rejeciſſe.

§. 10. Magnus Athanaſius, quô nemo meliùs rem hanc ſcire poterat, (quippe Nicænæ Synodo ipſe interfuit, in qua, cùm omnia de τῷ ὁμοουσίῳ accuratè examinarentur, non eſt dubium, quin hæc præcipua, de Antiochenorum Patrum definitione, objectio imprimis diſcuſſa fuerit,) tradit in libro de Synodis Arim. & Seleuc. Paulum Samoſatenum non τὸ ὁμοούσιον confeſſum fuiſſe; ſed potiùs ex vocabulo illo, à Catholicis in explicando dogmate de Filii divinitate uſurpato, Sophiſma contexuiſſe, quô dogma illud convelleret: ac propterea PP. Antiochenos vocem illam ſilentiô ſupprimendam cenſuiſſe. Recitabimus ipſius verba, rem hanc totam dilucidè explicantia: ſed Latinè tantùm, præter morem noſtrum, quia longior perioche eſt. Athanaſius igitur eo in libro, poſtquam oſtenderat homoouſii vocem, ante Synodum Antiochenam à Dionyſio Epiſcopo Romano & Concilio Epiſcoporum, ſub ipſo Romæ in cauſa Dionyſii Alexandrini congregatô, confirmatam, quin & ab ipſo illo Dionyſio Alexandrino agnitam fuiſſe; deinceps de ἀνταλογίᾳ Synodorum Antiochenæ & Nicænæ ſic fusè diſſerit: * "Si quis igitur "culpat Nicænos, quòd non dixerint o- "mnia, quæ ipſorum anteceſſoribus placue- "runt; idem quoque pari jure reprehen- "derit ſeptuaginta Epiſcopos, (*Antiochiæ "contra Samoſatenum congregatos,*) quòd "ea quæ Anteceſſorum ſuorum erant, non "obſervaverint. Anteceſſores autem eorum "fuere duo iſti Dionyſii, cæterique qui "Romæ tum congregati fuere. Verùm ne- "que hos, neque illos fas eſt culpare. O- "mnes enim quæ Chriſti ſunt curavêre, ſtu- "diaque ſua contra hæreticos intenderunt: "& hi quidem Samoſatenſem, illi verò A- "rianam hæreſin condemnârunt; rectè au- "tem & præclarè & hi, & illi pro ſubjecta "materia ſcripſerunt. Et quemadmodum "beatus Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos "dixit: *Lex ſpiritualis eſt, & Lex ſancta* Rom. 7. "*eſt, & præceptum ſanctum, & juſtum, &* "*bonum*; paulò autem pòſt: *Nam quod im-* Rom. 8. "*poſſibile erat Legi, in quo infirmabatur*, &c. "Neque tamen quis ob id ſanctum Virum "reprehenderit, quaſi qui contraria & pu- "gnantia ſcripſerit; ſed potiùs eum admi- "ratione proſequatur, tam congruentia pro "re nata ad ſingulos ſcribentem, &c. Ita "quoque etſi amborum Conciliorum Patres "diverſimodè de conſubſtantiali mentionem "fecêre; non tamen propterea ab illis diſ- "fidere debemus, ſed illorum mentem ac "ſententiam ſcrutari." Quod ſi fecerimus, "omnino inveniemus ambas Synodos inter "ſe conſentire. Qui enim Samoſatenum "ſuſtulerunt, hanc vocem *conſubſtantiale* "corporaliter accepêre; cùm ſcilicet Pau- "lus ſophiſticari vellet, & diceret: ſi non ex "homine Chriſtus Deus factus eſt, igitur "conſubſtantialis eſt Patri; unde neceſſariò "ſequitur, tres eſſe ſubſtantias, unam qui- "dem, quæ prior ſit, reliquas verò duas ex "eo oriundas: ideoque meritò vitantes il- "lud Sophiſma Pauli, dixêre, Chriſtum non "eſſe conſubſtantialem: non enim ita ſe "habet Filius ad Patrem, ut ille cogitabat. "Illi verò qui Arianam hæreſin anathema- "te percuſſerunt, cùm Pauli calliditatem a- "nimadvertiſſent, neque hôc modô in re- "bus incorporeis, præſertim in Deo, con- "ſubſtantiale accipiendum eſſe conſiderâſ- "ſent; cognoſcenteſque non creaturam, ſed "genitum quiddam ex ſubſtantia Patris "Verbum eſſe, & ſubſtantiam Patris origi- "nem, radicem & fontem eſſe Filii; & "ve-

* Athanaſ. Tom. 1. pag. 919, 920. Edit. Pariſ. 1627.

" veram undecunque eſſe ſimilitudinem ge-
" niti cum Genitore ; & nequaquam eum,
" uti nos, diverſæ naturæ eſſe, ac proinde
" ſeparari à Patre, ſed ipſius eum eſſe Filium,
" nec ab eo dividi poſſe, ut nec ſplendor à
" luce ; atque ante oculos habentes Diony-
" ſii exempla, de fonte ſcilicet, & reliqua,
" quæ in Apologia ejus de ὁμοουσίῳ continen-
" tur, & imprimis unitricem Servatoris vo-
" cem, *Ego & Pater unum ſumus* ; &, *qui*
" *vidit me, vidit & Patrem meum :* his de
" cauſis meritò inducti ſunt, ut Filium con-
" ſubſtantialem dicerent. *Et paucis inter-*
" *jectis addit* : Quoniam enim Samoſate-
" nus ſentiebat, Filium ante Mariam non
" fuiſſe, ſed ab ea initium ſuæ eſſentiæ ac-
" cepiſſe ; ideo Epiſcopi tunc congregati
" hominem hæreſeos condemnatum abdicâ-
" runt : & de Filii divinitate ſimpliciùs
" ſcribentes, non exquiſitam diligentiam in
" tractatu hujus vocis *conſubſtantialis* adhi-
" buerunt ; ſed ut acceperant de conſubſtan-
" tiali, ita locuti ſunt : utpote qui in hoc
" toti intenti erant, ut quod Samoſatenus
" excogitârat, tollerent, & docerent, ante
" omnia Filium eſſe, eumque non ex ho-
" mine Deum eſſe factum, ſed cum Deus
" eſſet, induiſſe ſervi ſpeciem, cum Ver-
" bum eſſet, carnem eſſe factum, quemad-
" modum locutus eſt Joannes. Atque ita
" adverſus blaſphemiam Pauli actum fuit.
" Verùm quia Euſebius & Arius ante tem-
" pora quidem fuiſſe Filium dicerent, ſed
" tamen factum eſſe, & unum ex creaturis
" eſſe docerent ; & dictum illud, *ex Deo*,
" non ita interpretarentur, ut Filium ge-
" nuinum ex Patre natum crederent, ſed
" eum ita ex Deo eſſe, ut cætera creata, af-
" firmarent ; & ſimilitudinis unitatem Filii
" cum Patre negarent eſſentiâ aut naturâ
" conſtare, ut ſolidè Filius Patri ſuo ſimilis
" haberi poſſit, ſed conſenſu dogmatum,
" rationeque doctrinæ, eam ſimilitudinem
" conflatam eſſe : quin & ſejungebant, &
" omnibus modis alienabant eſſentiam Filii
" à Patre, atque aliud ei exiſtendi princi-
" pium affingentes, ad creaturarum cenſum
" eum detrahebant : ideo Nicææ congrega-
" ti Epiſcopi, conſpicati eorum hominum,
" qui ita ſentiebant, vafritiem, quò ſenſum,
" quem ex Scripturis collegerant, clariùs ex-
" primerent, Conſubſtantialem dixerunt ;
" nempe ut eô ſignificaretur, verum eſſe il-
" lum & genuinum Filium, nihilque cum
" ipſo res creatas habere commune. Vocis
" enim iſtius exquiſita ratio cùm omnem
" ipſorum ſimulationem, ſiquidem illum di-
" cant ex Deo eſſe, redarguit ; tum omnes
" eorum argutias, quibus ſimplices circum-
" veniunt, excludit. Sane quum omnia
" ſophiſticis calumniis adulterare & immu-
" tare poſſint ad arbitrium ; ſolam hanc di-
" ctionem, ut quæ ipſorum convincit hære-
" ſin, reformidant : quam quidem Patres
" pro munimento & arce contra omnia illo-
" rum impia commenta ſcriptam objecerunt.
Hactenus Athanaſius.

§. 11. Magno Athanaſio ſuffragatur magnus itidem Baſilius in Epiſtola CCC, ubi poſtquam de præconio fidei Nicææ promulgato locutus fuerat, hæc ſubjicit : ἕ τὰ μὲν ἄλλα παντάπασιν ἀσυκοφάντητα, τὸ δὲ τῷ ὁμοουσίῳ φωνῇ, κακῶς ὥσθ' τινων ἐκληφθεῖσαν, εἰσί τινες οἱ μήπω ὥσθαδεξάμενοι. ὃς ἢ μέμψαιτ' ἄν τις δικαίως, ἢ πάλιν μὲν τοι συγγνώμης αὐτὸς ἀξιώσειεν. τὸ μὲν γὰρ πατρῴοις μὴ ἀκολουθεῖν, ἢ τῆς ἐκείνων φωνῆς κυριωτέραν τίθεσθαι τὴν ἑαυτῶν γνώμην, ἐγκλήματος ἄξιον, ὡς αὐθαδείας γέμον· τὸ δὲ πάλιν ὑπ' ἑτέρων διαβληθεῖσαν αὐτὴν ὕποπτον ἔχειν, τοῦτο δή πως δοκεῖ τοῦ ἐγκλήματος αὐτὸς μετεῖναι ἐλευθερόν. ἢ γὰρ τοῖς ἐπὶ Παύλῳ τῷ Σαμοσατεῖ συνελθόντες, δίκαιον τὸ λέξιν, ὡς ἐκ εὔσημον. ἔφασαν γὰρ ἐκεῖνοι, τὸ τῷ ὁμοουσίῳ φωνῇ παρεξᾶν ἔννοιαν οὐσίας τε καὶ τῶν ἀπ' αὐτῆς, ὥστε καταμεμαθεῖσαν τὴν οὐσίαν παρέχειν τῷ ὁμοουσίῳ τὴν προσηγορίαν τοῖς εἰς ἓ διηρέθη. τοῦτο δὲ ἐπὶ χαλκοῦ μὲν ἢ τῶν ἀπ' αὐτοῦ νομισμάτων ἔχει τινὰ λόγον τὸ ἀληθές· ἐπὶ Θεοῦ δὲ πατρὸς, ἢ Θεοῦ υἱοῦ, ἐκ οἶδα πρεσβυτέρα ἐδ' ὑφειμένη ἀμφοῖν θεωρεῖται· ἀσεβείας γὰρ ἐπέκεινα τοῦτο ἢ νοῆσαι ἢ φθέγξασθαι, i. e. *Cujus quidem præconii partes cætera omnes nullis impetita ſunt calumniis ; at vocem illam Homoouſion, ſiniſtrè à nonnullis acceptam, ſunt qui nondum admiſerunt. Quos jure quis dignos reprehenſione dixerit, & eoſdem iterum jure excuſandos. Patrum enim veſtigiis non inſiſtere, & ſuam ipſorum excogitatam ſententiam velut potiorem voci illorum anteferre, tanquam præſumptionis plenum, reprehenſione digum eſt : eandem verò rurſus à nonnullis accuſatam, ſuſpectam habere, videtur aliquatenus illos à culpa liberare. Nam revera qui convenerant in cauſa Pauli Samoſateni, vocem hanc, ut minùs congruam, accuſatam ejecerunt. Dixerunt enim illi, homoouſii vocem notionem & ſubſtantiæ, & eorum quæ ex ipſa ſunt, repræſentare nobis ; ita ut ſubſtantia diſtributa homoouſii appellationem impertiat iis in quæ diſtributa fuerit. Hoc quidem veriſſimum eſt de ære & numiſmatibus inde cuſis : at in Deo Patre & Deo Filio, nec ſubſtantia eſt antiquior, nec utrique videtur ſuperſtrata : hoc enim dicere, vel cogitare, impietatis omnem rationem excedit.* Animadvertis, his verbis Baſilium diſertè teſtari, eatenus tantùm homoouſii vocem rejeciſſe Patres Antiochenos, quatenus ipſa ſignificare videre-

Oper. Baſilii tom. 3. p. 292.

videretur ſubſtantiam aliquam divinam Patre & Filio anteriorem, quæ poſtmodum in Patrem & Filium diſtributa fuerit. Jam liquidò conſtat, neque Paulum Samoſatenum, neque Sabellium hôc ſenſu homoouſion confeſſos fuiſſe. Reliquum eſt igitur, veriſſimum eſſe, quod ſcripſit Athanaſius, Paulum ex voce homoouſii, quam à Catholicis uſurpatam (ac fortaſſe ab eorum nonnullis ita explicatam, ut calumniæ occaſionem præberet) cognoverat, argumentum formâſſe, quô Chriſti Divinitatem oppugnaret: ideoq; Patres vocem ſilentiô ſupprimendam cenſuiſſe.

§. 12. Quod ipſum non parum confirmatur ex hiſtoria Nicæni Concilii. Scilicet omnino veriſimile eſt, ὁμοσία vocabulum ob eandem rationem à Patribus Antiochenis rejectum fuiſſe, propter quam & Catholicis quibuſdam Epiſcopis in Synodo Nicæna primùm (antequam ſcilicet à cæteris Epiſcopis atque ab ipſo Conſtantino vox illa diſtinctiùs explicaretur) diſplicuit. Quænam vero fuit ratio illa? Nunquid quia vocabulum Samoſateni & Sabellii dogmati faveret, aut quòd eô uſi fuerint ambo iſti hæretici ad hæreſin ſuam explicandam? Nihil minus. In cauſa fuit quòd è contrario vox divinæ eſſentiæ partitionem, quam modò dixi, inducere quibuſdam videretur. Hoc enim Euſebius Pamphili in Epiſt. de Synod. Nicæn. ad ſuos Cæſarienſes diſertè teſtatur his verbis: Καὶ δὲ ταύτης τ γεαφῆς ὑπ' αὐτῶν ὑπαλοεῦ θείσης, ὅπως εἴρηται αὐτοῖς τὸ ἐκ τῆς ὀσίας τ πατεὸς, καὶ τὸ τῷ πατεὶ ὁμοούσιον, ἐκ ἀνεξέπαυσον αὐτοὶς καταλιμπάνομεν. ἐπεςωτήσεις τοιαςοῦν καὶ ἀποκείσεις ἐντεῦθεν ἀνεκινοῦντο, ἐβασάνιζέν τε ὁ λόγ τ διάνοιαν τῶν εἰρημένων· καὶ δὴ τὸ ἐκ τῆς ὀσίας ὡμολόγητο πεὸς αὐτῶν δηλωτικὸν εἶ τ ἐκ μὲν τ πατεὸς εἶ, ὁ μὴν ὡς μέεσ ὑπάςχειν τ πατεός. ταῦτα δὲ καὶ ἡμῖν ἐδόκει καλῶς ἔχειν συγκατατίθεσθαι τῇ διανοίᾳ, i. e. *Cùm hæc ab illis dictata eſſet formula*, (nempe formula, quæ hodie Symbolum Nicænum dicitur,) *id quod ab illis dictum erat*, ex ſubſtantia Patris, & Conſubſtantialis, *non abſque examine prætermiſimus. Hinc igitur variæ quæſtiones ortæ ſunt & reſponſiones: & quænam eſſet eorum verborum ſententia, accuratè expendebatur. Et has quidem voces*, ex ſubſtantia, *faſſi ſunt hoc ſignificare, Filium quidem eſſe ex Patre, ſed non tanquam partem ipſius Patris. Hunc ſenſum ut nos quoq; amplecteremur, æquum omnino videbatur.* Suprà in eadem Epiſtola dixerat Euſebius, ipſum Conſtantinum Epiſcopis quibuſdam de vocabulo homoouſii quærentibus ſatisfeciſſe his verbis: ὅτι μὴ κατὰ τὰ τῶν σωμάτων πάθη λέγοι τὸ ὁμοούσιον, ὅτε ἓν κατὰ διαίρεσιν, ὅτε κατά τινα ἀποτομὴν ἐκ τ πατεὸς ὑποςῆναι. μήτε γὰρ δύνασθαι τ ἄὐλον, καὶ νοεςὸν, καὶ ἀσώματον φύσιν σωματικόν τι πάθος ὑφίςασθαι· θείοις δὲ καὶ ἀποῤῥήτοις ῥήμασι πεοσήκει τὰ τοιαῦτα νοεῖν, i. e. *Conſubſtantiale à ſe dici, non juxta corporum affectiones; neque per diviſionem aut per ſectionem quandam Filium ex Patre ſubſiſtere. Fieri enim non poſſe, ut materiæ expers natura, & intellectualis, atque incorporea, corpoream ullam affectionem admittat: ſed divinis arcaniſque rationibus id eſſe intelligendum.* Denique ante Paulum Samoſatenum, ipſum quoque Sabellium generationem Filii ex ipſo Deo Patre in diſtinctam hypoſtaſin, hoc eſt, ejus τὸ ὁμοούσιον negâſſe ob eandem rationem, nempe quòd inde ſequeretur diviſio, & quaſi ſectio ſubſtantiæ divinæ, non obſcurè nos docet Alexander in Epiſtola ad cognominem ſuum Conſtantinopolitanum Epiſcopum apud Theodoritum; ubi ait, Filium γεννηθέντα ἐκ τ μὴ ὄντ, ἀλλ' ἐκ τ ὄντ πατεὸς, ὁ κατὰ τὰς τῶν σωμάτων ὁμοιότητας, τ τομαῖς ἢ ταῖς διαιρέσεων ἀποῤῥοίαις, ὥσπερ Σαβελλίῳ δοκεῖ, i. e. *Genitum eſſe non ex non exiſtentibus, ſed ex ipſo exiſtente Patre; non corporum more, per inciſiones aut defluxus diviſionum, quemadmodum Sabellio videtur.* Quæ Alexandri verba duplicem omnino ſenſum admittunt; vel 1. ipſum Sabellium ſenſiſſe, Filium ex Deo Patre genitum eſſe corporum more, per inciſionem, ſive diviſionem paternæ ſubſtantiæ; vel 2, exiſtimâſſe Hæreticum illum, ex Catholicorum ſententia, qui docerent, Filium ex ipſa Patris ſubſtantia ita genitum eſſe, ut diſtincta à Patre hypoſtaſis ſit, diviſionem illam paternæ eſſentiæ neceſſariò ſequi, ideoque dogma illud Catholicum rejeciſſe. Prior ſenſus perabſurdus eſt; ſiquidem omnes nôrunt, Sabellium docuiſſe, Deum eſſe μονοπεόσωπον, & nullam realem perſonarum in divina eſſentia diſtinctionem, nedum diviſionem agnoviſſe. Reliquum eſt igitur, ut altera verborum ſententia omnino recipienda ſit. Ac ſane antiquiſſimos Sabellii progenitores, quorum hæreſin refert & refellit Juſtinus M. in Dialog. cum Tryph. diſtinctionem perſonarum in Deo eôdem argumentô oppugnâſſe, infrà, ubi de Juſtini doctrina agetur, manifeſtum faciemus. Imò conſtat, Hæreticos, quotcunque Filii Dei in divina eſſentia diſtinctam ſubſiſtentiam negârunt, (ſive Sabelliani, ſive Samoſateniani, ſive demum Ariani illi fuerint,) omnes in eo ipſo Sophiſmate præcipuum cauſæ ſuæ ſtatumen collocâſſe. Neque ullus dubito, quin Patres Nicæni huic pravo conceptui doctrinæ de Filii τῷ ὁμοουσίῳ occurrere voluerint, cùm, poſtquam dixerant, *Filium de Patris ſubſtantia genitum eſſe*, mox addunt: *Deum de Deo, lumen*

Apud Socrat. Eccl. Hiſt. l. 1. c. 8.

E. H. l. 1. c. 4. p. 17. edit. Valeſii.

Vide hujus Sectionis c. 4. n. 4.

de lumine. Nam his verbis ſignificant, Filium Dei ita genitum eſſe ex Deo Patre Deum de Deo, quemadmodum lumen ex lumine altero accenditur: non per diviſionem aut diminutionem eſſentiæ paternæ, ſed per ſimplicem communicationem, qualis eſt (ſi à rebus corporeis tanti myſterii ſimilitudo aliqua peti poteſt) communicatio luminis ab altero lumine, ſine ulla ejus ſive diviſione, ſive diminutione.

§. 13. Itaque omnibus accuratè expenſis, commodiſſimam hujus ἐναντιοφανείας inter Synodos Antiochenam & Nicænam conciliandæ rationem hanc eſſe omnino arbitramur. Catholici ante Paulum Samoſatenum & Synodum Antiochiæ contra ipſum congregatam, de Patris & Filii divinitate diſſerentes, dicere ſolebant, Filium eſſe Patri ὁμοούσιον· quod ex teſtimoniis Veterum, Synodo Antiochenâ anteriorum, ſuprà à nobis allatis, abunde conſtat. Paulus vero ille, dum receptum dogma, de Filii divinitate, omnibus modis ſtuduit evertere, Sophiſmate uſus eſt, à malè intellecta vocis homoouſii ſignificatione ductô, hunc in modum: Si Filius ſit Patri ſuo conſubſtantialis, ut vos (Catholici) dicitis; conſequens erit, divinam ſubſtantiam in duas partes quaſi diſſectam eſſe, quarum altera Patrem, altera Filium conſtituat; adeoque divinam aliquam ſubſtantiam extitiſſe, Patre & Filio anteriorem, quæ in duos iſtos poſtea diſtributa fuerit. Hanc vocis explicationem meritò abominati ſunt PP. Antiocheni, adeoque (de vocibus in controverſia tanti momenti non multùm ſolliciti) contenti fuerunt, ut hæretici cavillis anſam præſcinderent, ipſum vocabulum ſilentiô ſupprimere, modò de re, hoc eſt, de vera Filii divinitate conſtaret. Cum verò poſtea Ariani rem ipſam, quæ voce iſtâ revera ſignificatur, nempe veram Filii divinitatem, negarent, ſuæque hæreſi Antiochenorum definitionem (ut veriſimile eſt) obtenderent; meritò Epiſcopi Nicæni vocabulum aptiſſimum, quod à SS. Patribus Antiochena Synodo ſuperioribus receptum atque approbatum, ac tantùm propter abſurda impii Samoſateni cavilla Catholicis ereptum fuiſſe nôrant, iterum quaſi poſtliminio revocârunt, ſuoque Symbolo inſeruerunt: additâ in ipſo Symbolo ea vocis explicatione, quam nemo niſi Hæreticus pòterat rejicere. Hæc in excuſationem venerandorum Patrum, Nicææ congregatorum, de eo quod homoòuſii vocem Symbolo ſuo addiderint, apud æquos arbitros ſufficient. Quibus addit Athanaſius in loco ſuperiùs allato, idque veriſſimè, neceſſitate quâdam eò adactos fuiſſe viros ſanctiſſimos, ut vocabulum illud (licèt in Scripturis nuſquam uſurpatum, adeoque à quibuſdam Anteceſſorum ſuorum levioribus de cauſis rejectum) in Confeſſione ſua ponerent: ſcilicet propter Arianorum penè incredibilem, & bonis omnibus planè deteſtandam τὴν πανουργίαν, ſive (ut alibi loquitur idem Athanaſius) τὴν κακουργίαν καὶ τὴν τῆς ἀσεβείας κακοτεχνίαν. Quippe egregii illi ſimulandi diſſimulandique artifices nullam planè loquendi formulam, quam ſive ex Scripturis, ſive ex traditione deſumtam uſurpârant Catholici, repudiârunt, præter hoc unum homoouſii vocabulum: quippe cujus vocis ἀκρίβεια & exquiſita ratio omnem ἀμφιβολίας aditum ipſis præcluderet. Rogati, an agnoſcerent Filium ex ipſo Patre genitum eſſe? annuebant, intelligentes nimirum Filium ita ex Deo eſſe, quomodo omnes creaturæ ex Deo ſunt, hoc eſt, ab ipſo exiſtendi initium habent. An Deum faterentur Dei Filium, cùm ab ipſis Catholici ſciſcitarentur; illico reſpondebant: Omnino. Quin & Filium Dei ἀληθινὸν Θεὸν, *verum Deum* ultra prædicabant. Quô demum ſenſu? Scilicet γνήσιον ἀληθινὸς, ἀληθινός ἐστιν, i. e. *Verus eſt Deus, qui verè factus eſt Deus.* Denique cùm à Catholicis de eo arguerentur, quòd Filium Dei creaturam dicerent, accuſationem non ſine indignatione aliqua reſpuebant; hôc nimirum ſenſu ſibi ipſis reſervatô, creaturam non eſſe Dei Filium, ſicut cæteræ creaturæ, quæ mediatè à Deo διὰ τοῦ λόγου, non immediatè, ſicut ipſe λόγος, conditæ fuerunt. Solam homoouſii vocem cum ſua hæreſi conciliare nullô modô potuerunt. Vide omnino, quæ hac de re ſcripſit Athanaſius in Epiſtola ad Africanos Epiſcopos, recitatâ à Theodorito Eccl. Hiſt. lib. 1. c. 8. Ubi illùd imprimis obſervandum, teſtari Athanaſium, in animo habuiſſe Patres Nicænos ſuam Fidei Confeſſionem ex ſolis Scripturæ ſententiis conſtruere; idque effecturos fuiſſe, niſi ab hoc inſtituto abſtraxiſſet ipſos, quam perſpectam habuerant, Arianorum, in pervertendis ac detorquendis ſacrorum oraculorum verbis, impia atque abominanda vafrities. Quod autem dixit Athanaſius, homoouſion unum eſſe vocabulum, quod Ariani nullo fuco depravare potuerunt, egregiè confirmat Ambroſius lib de Filii divinitate cap. 4. his verbis: *Denique & nunc poſſent* ὁμοούσιον, *ſicut & cætera, verbo tenus nominare, ſi haberent, quomodo illud ad aliam intelligentiam ſcævo ſenſu perverterent. Sed cum viderent, ſe in hoc verbo concludi, nullam omnino hujus mentionem fieri voluerunt.* Ac ſane Athanaſii illam atque Ambroſii obſervatio-

vationem veriſſimam eſſe, Confeſſiones Arianorum variæ ac multiplices, ab eodem Athanaſio in libro de Synod. Arim. & Seleuc. ab Hilario de Synod. cont. Arian. atque ab aliis commemoratæ, abunde teſtantur : utpote in quibus, cùm cætera fere omnia Catholicorum de Filio Dei præconia reperiantur ; vox tamen homoouſii conſtanter omittitur. Itaq; quod Ariomanitæ tantô furore in homoouſii vocem exarſerint, in eo idem feciſſe mihi videntur, quod rabidi ſolent canes ; qui ad ferrea vincula, quibus conſtricti tenentur, hirriunt, eademque dentibus confringere fruſtra adnituntur.

Curcell. Quatern. Diſſertat. Diſſert. 1. pag. 138.

§. 14. Cæterum nullo modô audiendus eſt Stephanus Curcellæus, qui affirmare non erubuit, quòd Epiſcopi Nicæni *vocem* ὁμόσιον *tanquam teſſeram* ὀρθοδοξίας *Symbolo fidei inſeruerint, quam Antiocheni inde ut hæreticam ſexaginta annis ante eliminârant, per imprudentiam accidiſſe, quia Nicææ congregati Epiſcopi nihil de Antiochenorum decreto audiverant : & cum poſtea ad ipſorum notitiam Synodô diſſolutâ perveniſſet, non fuiſſe ampliùs integrum mutare.* Cui enim mentis ſanæ, & quem Spiritus vertiginis non agitavit, (ut ipſius Curcellæi utar verbis,) veriſimile videbitur, è trecentis & octodecim Epiſcopis, quorum nonnulli erant (ut ſuprà ex Euſebio audivimus) inſigniter docti, nonnulli etiam ob provectam ætatem venerabiles, neminem fuiſſe, qui ſciret, quid in Synodo celeberrima & recentis memoriæ decretum fuiſſet ? Ut verò in gratiam Curcellæi daremus, cæteros omnes Præſules Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ adeo imperitos fuiſſe ; certè Euſebius Cæſarienſis, utpote Vir rerum Eccleſiaſticarum extra controverſiam peritiſſimus, id ignorare nequaquam potuit. Quid ? quod Athanaſius, qui Synodo Nicænæ, ut dictum eſt, ipſe interfuit, diſertè teſtatur, in loco ſuprà allato, Patres Nicææ congregatos omnino intellexiſſe τὴν πανεργίαν τοῦ Παύλου, *calliditatem Pauli*, nempe Samoſateni ; in eo ſcilicet quòd Sophiſticâ ſuâ apud Antiochenos id effecerit, ut vocem aptiſſimam, atque à Catholicis Doctoribus olim uſurpatam, abjicerent ; ideoque vocem iſtam iterum in uſum Eccleſiæ revocâſſe : quibus nihil contra figmentum Curcellæi diſertius dici potuit.

§. 15. Porro priuſquam de voce homoouſii diſſerendi finem faciamus, Sandio rurſus paucis occurrendum ; qui in libro primo ſuæ enucleatæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ aſſeverat, ὁμοουσίου vocabulum primò ab hæreticis fuiſſe fabricatum, ſcilicet à Valentinianis cæteriſque Gnôſticis ; à quibus poſtea vocem acceperint Montanus, Theodotus, Sabellius, Paulus Samoſatenus & Manichæi : hocque teſtari Irenæum, Clementem Alexandrinum & alios. Interrogo ipſum, quid ſibi velit, cum ait, vocem homoouſii à Valentinianis cæteriſque Gnoſticis primò fuiſſe fabricatam. An hoc vult, Gnoſticos primùm Græcum illud vocabulum excogitâſſe, atque in uſum traduxiſſe ? Credo non ita prorſus deſipuiſſe hominem. Certe eâdem voce uſi ſunt Græci Scriptores Ethnici, ut ſuprà oſtenſum eſt. Nunquid voluit, Gnoſticos vocem iſtam de ſuis quibuſdam Æonibus uſurpâſſe ? Fatemur ; atque id ſolum teſtantur Irenæus aliique Scriptores Catholici. Sed quid tum ? Certe iidem Gnoſtici voces λόγος, σωτῆρα, ἀδελφὴν, aliaſque complures, quas de divinis perſonis uſurpârunt Catholici, ad ſuos etiam Æones tranſtulerunt. Nunquid verò ideo dicendum, voces iſtas à Gnoſticis primùm fabricatas fuiſſe ? An propterea voces uſu Eccleſiaſtico eliminandæ ? abſit. Appoſitè Tertullianus cont. Praxeam cap. 8. *Non ideo* inquit, *non utatur & veritas vocabulô, quia hæreſis utitur. Imò hæreſis potiùs ex veritate accepit, quod ad mendacium ſuum ſtrueret.* Demum, hoccine voluit, Gnoſticos primùm docuiſſe, τὸν λόγον ſive Filium Dei Deo Patri eſſe ὁμοούσιον ; Imò certè aut hoc ſe in loco citato voluiſſe, aut ἀπροσδιονύσως omnino diſſeruiſſe, fateatur neceſſe eſt. Jam hoc falſiſſimum eſt : neque Irenæus, aut quiſquam Veterum id teſtatur. Imò contra certiſſimum eſt, Gnoſticos, nempe Cerinthianos, Valentinianos, &c. τὸν λόγον, hoc eſt, Verbi, ſive Filii Dei τὸ ὁμοούσιον omnino negâſſe : proptereaque à Catholicis, qui contra ipſos ſcripſêre, hæreſis condemnatos fuiſſe. Scilicet iſti tam longè à ſummi Dei omnium Parentis eſſentia τὸν λόγον ſeparabant, ut Æon ille primum illum ſuum parentem prorſus neſciret : id quod ex Irenæo, Tertulliano & aliis diſcimus. Sic & Verbi τὸ συναΐδιον iidem negârunt, affirmantes, ſilentium præceſſiſſe λόγον, ac proinde fuiſſe tempus, quando λόγος omnino non exiſteret. & inde quoque ab antiquiſſimis Eccleſiæ Doctoribus Catholicis vehementer oppugnabantur. Verbô, hæreſis, quæ poſtea dicta eſt Ariana, Gnoſticos fuiſſe primos auctores parenteſque, infrà evidentiſſimè demonſtrabimus. De Sabellio & Paulo Samoſateno jam dixi, quæ ſufficiant. Ad Montanum quod attinet, quô argumentô probabit Sandius, ipſum in articulo de SS. Trinitate hæreticum fuiſſe ? Scilicet Socrates l. 1. c. 23, & Sozomenus l. 2. c. 18, Montanum cum Sabellio conjungunt, tanquam in dogmate de SS. Trinitate conſentientes. Sed audiamus, quid ad Socratis locum adnotavit præſtantiſſimus Valeſius : *Obſcurum eſt*, inquit, *cur Socra-*

pag. 122.

Vide Section. 3. c. 1. n. 15, 16.

Valeſ. in Annot. ad Socrat. p. 14.

tes

tes Montanum jungat Sabellio. Nam Montanus in doctrina Trinitatis ipse quidem nihil innovavit, sed Ecclesiæ Catholicæ fidem secutus est, ut testatur Epiphanius in Hæresi Montanistarum, & Theodoritus in libro tertio hæreticarum fabularum. Quidam tamen ex illius discipulis, personarum differentiam cum Sabellio sustulerunt, ut disertè scribit Theodoritus in loco supra citato: τινὲς δὲ αὐτῶν τὰς τρεῖς ὑποστάσεις τὴ Θεότητι, Σαβελλίῳ ὡμοίωσαν ἠρνήσαντο, τὸ αὐτὸν εἶναι λέγοντες, τὸν πατέρα, τὸν υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα, i. e. *Quidam autem ex ipsis, juxtà cum Sabellio, tres Divinitatis personas negârunt, eundem esse dicentes, & Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.* Quibus à Valesio observatis & aliud adjiciam, Tertullianum in libro adversus Praxeam (quem constat ab ipso jam Montanista scriptum fuisse) hæresim, quam amplexus est Sabellius, acerrimè impugnâsse. Scilicet idem planè sensit Praxeas, quod postea Sabellius. Certô itaque certius est, neque ipsum Montanum, neque primos Montani asseclas, Sabellio, in Trinitatis dogmate, consentaneos fuisse. Hæc si intellexisset Sandius, multos suos errores in lib. 1. Enucl. Hist. Eccles. ubi de Montano ejusque hæresi agit, facilè correxisset. Quid verò sibi vult Sandius, cùm Theodotum inter homoousii defensores recenset? Nunquid Theodotum Coriarium, qui Victoris Papæ tempore Christum docuit ψιλὸν esse ἄνθρωπον, intelligit? Sed quis Veterum, imò quis mortalium, ante Sandium, tradidit, Theodotum illum de Filii τῷ ὁμοουσίῳ quicquam somniâsse? Denique ad Manichæos quod attinet, refert quidem Augustinus (citante Sandio mox, ubi de Manichæis agit) ipsos confessos esse, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum haud disparis esse naturæ. Esto. Quid tum? Citiùs ex pumice aquam eliciat Sandius, quàm ex his quicquam extundat, quod ad propositum suum faciat. Interim in Manichæis haud magnopere laudandum videtur, quòd tres Divinitatis personas non disparis esse naturæ confessi sint; qui (ipso Sandio referente) etiam Angelos & animas humanas ex Dei substantia extitisse existimârint. Ac de ὁμοουσίῳ voce hactenus: nunc rem ipsam aggrediamur.

§. 16. Filium Dei, Deo Patri dictô sensu ὁμοούσιον, hoc est, non creatæ alicujus aut mutabilis essentiæ, sed ejusdem prorsus cum Patre suo naturæ divinæ & incommutabilis, proinde verum Deum esse, Catholicorum Doctorum, qui tribus primis sæculis floruerunt, concordem constantemque fuisse sententiam affirmamus. Hanc autém doctrinam multifariam tradunt Veteres illi. 1. Τὸ ὁμοούσιον docent, quoties Filium Dei non modò à Patre, sed ex ipso prolatum ac genitum esse affirmant. Nam axioma illud certissimum est: τὸ ἐκ Θεοῦ γεννηθὲν, Θεός ἐστι, *Quod ex Deo genitum est, Deus est.* 2. Idem docent, quoties Filium, Dei Patris verum, genuinum, proprium & naturalem filium prædicant. 3. Hoc ipsum declarant similibus, quibus soliti sunt generationem Filii utcunque illustrare. Dicunt Filium ex Patre generari, sicut ex radice frutex, ex fonte fluvius, è Sole radius procedit. Radix autem & frutex, fons & fluvius, lux quæ in corpore Solis & quæ in radio est, ejusdem planè sunt naturæ: sic ejusdem omnino substantiæ Pater & Filius. Nullum autem simile reperias, quô magis delectantur Patres, quàm illo luminis ex lumine, veluti cum ex igne ignis accenditur, vel ex Sole radius porrigitur. Hinc Nicæni Antistites illud φῶς ἐκ φωτὸς, *lumen de lumine*, ad elucidandum τὸ ὁμοούσιον Symbolo suo inseruerunt. 4. Homoousion apertissimè confirmant, quoties (quod faciunt omnes) Filium Dei eximunt è creaturarum numero, ipsumque creaturam esse disertè negant. Nam inter Deum & creaturam nihil est medium. 5. Idem dicunt, quoties ea Filio Dei tribuunt, quæ solius veri Dei propria sunt. 6. Denique id ipsum docent, quotiescunque Filium Dei non modò Deum, sed & verum Deum, naturâ Deum, unum cum Patre Deum ῥητῶς pronuntiant. Hæc τῷ ὁμοουσίῳ argumenta apud plerosque Patres omnia occurrunt: in omnibus verò, horum pleraque reperiuntur. Sed jam ipsos Patres audiamus.

CAP.

CAP. II.

Doctrina Auctoris Epiſtolæ, quæ Barnabæ dicitur, Hermæ, ſive Paſtoris, & Ignatii Martyris, de vera Filii Divinitate, explicatur.

§. 1. A Scriptoribus Apoſtolicis initium faciam. Auctor Epiſtolæ, quæ Barnabæ inſcribitur, in locis ſuprà à nobis citatis, ad probandum Filii præ-exiſtentiam, etiam ejuſdem veram Divinitatem egregiè declarat. Nam ibi Filium Dei appellat *orbis terrarum Dominum*, idque antecedenter (ut loquuntur) ad oeconomiam illam, quam noſtræ ſalutis causâ ſuſcipere dignatus eſt. Ait etiam gloriam Jeſu tantam eſſe, *ut per ipſum & propter ipſum ſint omnia*; hoc eſt, ab ipſo, ut causâ efficiente, omnia fiant, & in ipſum, tanquam finem, omnia referantur: quæ certè de creatura ſine blaſphemia dici non poſſunt. Quibus addas illuſtrem locum in ejuſdem Epiſtolæ cap. 5. ubi docet Dominum, qui omnia præſciverit, ideo dixiſſe, ſe populo ſuo cor lapideum ablaturum, ipſiſque cor novum & carneum inditurum, ὅτι ἔμελλεν ἐν σαρκὶ φανερῶσθαι, καὶ ἐν ἡμῖν κατοικεῖν. ναὸς γὰρ ἅγιος, ἀδελφοί μου, τῷ κυρίῳ, τὸ κατοικητήριον ἡμῶν ἡ καρδίας, i. e. "Quoniam ipſe in carne ap- "pariturus eſſet, & in nobis habitaturus. "Templum enim ſanctum eſt Domino, Fra- "tres mei, cordis noſtri domicilium." Ubi de Domino, qui in carne ſive natura humana ſe manifeſtavit, hoc eſt, de Filio Dei diſertè loquitur: eumque Dominum in cordibus ſanctorum, tanquam in templis Deo conſecratis, habitare docet. Quæ verba tam clarè exprimunt divinam Filii Majeſtatem atque omnipræſentiam, ut noſtrâ explicatione non indigeant. Et plura alia ejus generis in eadem Epiſtola paſſim legas.

Vid. Sect. 1. c. 2. n. 2.

p. 222.

§. 2. Hermas, cujus Scriptoris antiquitatem & auctoritatem ſuprà abunde adſtruximus, eandem doctrinam luculentiſſimè tradit. Nam præterquam quòd in Similitudine nonâ doceat (ut ſuprà oſtenſum eſt) Filium Dei ante omnem creaturam extitiſſe, Patrique ſuo adfuiſſe, idque ut σύμβουλον, *conſiliarium*, in rerum omnium creatione; (quæ apud ſanos omnes ſufficiunt ad declarandum veram Filii Divinitatem; nam quis Dei conſiliarium, Deum eſſe non exiſtimaverit?) etiam in eadem Similitudine paulò pòſt, ſuſtentationem totius orbis, omniumque quæ in orbe ſunt, creaturarum, (opus verè divinum,) & immenſitatem (quæ itidem ſoli vero Deo competit) Filio Dei expreſsè tribuit. Verba ſunt: *Nomen Filii Dei magnum eſt & immenſum, & totus ab eo ſuſtentatur orbis.* Et mox: *Omnis Dei creatura per Filium ejus ſuſtentatur.* Ubi etiam Filium Dei ab omni Dei creatura apertiſſimè diſtinguit. Idem Hermas diſertè negat, Filium Dei in ſervi loco ſive conditione poni. Teſtimonium extat in lib. 3. Simil. 5. ubi interroganti Hermæ: *Quare Filius Dei in Similitudine ſervili loco ponitur?* reſpondet Paſtor: *In ſervili conditione non ponitur Filius Dei, ſed in magna poteſtate & imperio.* Jam *in ſervi conditione poni, & creaturam eſſe,* ἰσοδυναμοῦντα ſunt: ſiquidem omnis creatura ſervi relationem habet ad Deum, ſupremum omnium Dominum. Rectè enim Auctor libri, qui ἔκθεσις πίστεως inſcribitur, Juſtino tributi: εἴ τι γάρ ἐστιν ἐν τοῖς οὖσιν, ἢ ἄκτιστος φύσις ἐστὶν, ἢ κτιστή. ἀλλ' ἡ μὲν ἄκτιστος, δεσποτικὴ καὶ πάσης ἀνάγκης ἐλευθέρα· ἡ δὲ κτιστὴ, δουλικὴ καὶ νόμοις δεσποτικοῖς ὑπομένη. καὶ ἡ μὲν καθ' ἐξουσίαν ἃ ἂν βούλεται, καὶ ποιοῦσα, καὶ δυναμένη· ἡ δὲ τὴν διακονίαν μόνην, ἣν παρ' αὐτῆς Θεότητος εἴληφε, καὶ δυναμένη, καὶ πληροῦσα, i.e. "Quic- "quid enim in rebus extat, aut creata eſt "natura, aut increata. Ac increata quidem "dominatrix eſt, liberèque extra neceſſita- "tem omnem poſita: creata autem ſervitu- "ti obnoxia, & legibus herilibus obſequens. "Et illa quidem, pro poteſtate ſua, quæ "vult, & facit, & poteſt: hæc verò dun- "taxat acceptum à Deo ipſo miniſterium & "obit, & obire poteſt." Unde & ipſe divinus Apoſtolus in Epiſtola ad Philippenſes cap. 2. v. 6, 7. (qui unus locus, ſi rectè expendatur, ad omnes hæreſes adverſus Jeſu

p. 374.

Sect. 1. c. 2. n. 3.

Christi Domini nostri personam repellendas sufficit,) μορφὴν δούλου, *servi formam* opponit μορφῇ Θεοῦ *formæ Dei:* per formam servi omnino intelligens (non sortem illam miseram, quam pro salute nostra Dominus sustinuit, dum flagris cæderetur, conspueretur, ac denique cruci affigeretur; quippe illa, ut ulterior humiliationis gradus, postea in eodem loco distinctè exprimitur; sed) ipsam hominis naturam, in cujus similitudine verbis ἀνθρώπων sequentibus, ἐξηγητικῶς manifestè additis, Christus factus esse dicitur: nimirum quòd omnis homo, qualiscunque sit, adeoque creatura omnis, Deo collata, servi omnino rationem habeat.

§. 3. Hunc Hermæ illustrem locum adduxit ipse Petavius, ad veram Christi Divinitatem confirmandum; sed Auctor Irenici Irenicorum Jesuitam propterea subleste fidei postulat. Sic enim ipsum affatur: " Atqui
Irenic. Iren. p. 20. " hîc addere debuisses, Petavi, si non fallere
" alios, sed docere voluisses, de qua pote-
" state, de quo imperio Pastor fuerit locu-
" tus; nimirum non de æquali cum Patre
" potestate ac dominio, sed de tradita ei post
" mortem à Patre potestate dominioque su-
" per populum suum, sibi itidem à Patre da-
" tum, & cui Christus ipse Doctores præ-
" fecerit: quô nomine Christum non ut
" servum, sed ut Dominum populi sui esse,
" introducique ait." Sed crimen hîc, Anonyme, in caput tuum recidit. Nisi enim tu fallere alios potiùs quàm docere voluisses, ea hîc addere, quæ cum verbis à te productis necessariò cohærent, adeoque integrum Hermæ textum Lectori tuo exhibere debuisses. Res sic habet. In Similitudine ista quinta Christum Servatorem nostrum repræsentaverat Pastor sub duplici σχέσει, ut *Filium Dei*, & ut *Dei servum*. Sic enim ipse parabolam de Filio & servo disertè explicat: *Filius autem*, inquit, *Spiritus sanctus est: servus verò ille Filius Dei.* Nimirum idem est Filius Dei, quem Spiritum sanctum dicit; & Filius Dei, quem ut servum in Similitudine exhibuerat. Per utrumque Servatorem nostrum omnino intelligit, quem & Filium Dei, & servum nuncupat; sed aliâ atque aliâ ratione. Filium Dei Christum vocat propter Spiritum illum sanctum, hoc est, τῷ θείαν φύσιν, seu τῷ λόγῳ (ut suprà à nobis observatum est) qui
Vid. Sect. 1. c. 2. n. 5. Christo homini arctissimô atq; ineffabili connexu in unam personam adunitus est. Eundem verò Christum, ut servum Dei introducit, respectu habitô ad corpus illud (uti Pastor mox loquitur) seu naturam humanam, quam Filius ille Dei induit, quâque μορφῷ δούλου revera assumpsit. Neque novum est Pastori nostro, ob duplicem Christi naturam, duplicem etiam ipsi σχῆσιν in eadem Similitudine tribuere. Nam & in Similitudine nonâ Christum exhibuerat sub imagine tum petræ veteris, quatenus Dei Filius est, ante omnem creaturam unà cum Patre existens; tum portæ novæ, quatenus idem homo factus in novissimis diebus apparuit; quemadmodum suprà etiam ostendimus. Hæc autem cùm Hermas nondum intelligeret, neque capere potuisset, quâ ratione, qui Filius Dei est, idem & Dei servus sit, Pastorem suum interrogat: *Quare Filius Dei in similitudine hac servili loco ponitur?* Huic quæstioni respondet quidem Pastor ea quæ Auctor Irenici modò allegavit, de Christo data à Patre omni potestate, &c. Sed hæc integrum Pastoris responsum non absolvunt; siquidem & alia ab eo mox subjiciuntur, quæ propositæ quæstionis pleniorem & magis distinctam solutionem continent, quæque Anonymi voto ac sententiæ haud ita conveniunt. Nimirum distinguit rursus Pastor inter Spiritum sanctum seu τῷ θείαν in Christo φύσιν, & Christi corpus seu naturam humanam; ac servilem conditionem, in qua Filium Dei in similitudine posuerat, ad carnem seu naturam istam humanam duntaxat referendam esse, disertis verbis docet. Postquam enim de Spiritu illo locutus fuerat, *qui infusus est omnium primus in corpore, in quo habitaret Deus*; mox hæc verba subjungit: " Hoc ergo corpus, in
" quod inductus est Spiritus sanctus, servivit
" illi Spiritui, rectè in modestia ambulans &
" castè, neque omnino maculavit Spiritum
" illum. Cùm igitur corpus illud paruisset
" omni tempore Spiritui sancto rectè atque
" castè, ac laborâsset cum eo, nec succubuisset
" in omni tempore, fatigatum corpus illud
" serviliter conversatum est; sed fortiter
" cum Spiritu sancto comprobatum, Deo re-
" ceptum est." * In quibus verbis liquidò liquet, Pastorem loqui de corpore, seu natura Christi humana, deque eo tantùm corpore affirmare, quòd serviliter conversatum fuerit; quòdque post ac propter peractam in terris servitutem istam, cum Spiritu sancto, seu τῷ λόγῳ, in quo subsisteret, comprobatum, Deo fuerit receptum, hoc est, ad dextram divinæ Majestatis evectum in excelsissimis. Hinc Pastor Christi hominis exaltationem

---

* Alludere videtur ad verba Pauli, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι· & ἀγελήφθη ἐν δόξῃ. 1 Tim. 3. v. 16. Vide similem Justini locum notatum Sect. 3. c. 2. n. 2.

nem adumbraverat in Similitudine per ſervum, quem Dominus fundi, hoc eſt, Deus Pater, propter opus bonum, quod præſtiterat, *Filio ſuo cohæredem* voluit facere. Nempe per ſervum intelligit corpus, ſeu humanam Chriſti naturam; per Filium verò τῷ θείᾳ in Chriſto φύσιν, uti Lectorem jam plus ſemel monuimus. Tunc igitur ſervus Filio cohæres factus eſt, cum corpus ſeu humana Chriſti natura poſt reſurrectionem ad dextras Dei collocata, ejuſdem gloriæ atque honoris, pro captu ſuo, ſocia fuerit particepſque facta, quem Filius Dei, ſive ὁ λόγος, etiam ante hunc mundum conditum, apud Patrem ſuum poſſideret. Idem voluit Auctor Epiſtolæ, quæ Barnabæ dicitur, Hermæ procul dubiô σύγχρονος, cùm capite 11. verba Chriſti per Prophetam, quæ citat, *Jacob laudabilis ſuper omnem terram*, pro more ſuo, ſic interpretatur: τοῦτο λέγει τὸ σκεύει τῷ πνεύματι αὐτοῦ ὁ δοξάσῃ, *Hoc loquitur de vaſe Spiritus ſui* (id eſt, Divinitatis ſuæ) *quod glorificaturus eſſet.* Genuinam me hîc Paſtoris ſententiam exhibuiſſe facilè perſpiciet, quiſquis Similitudinem illam quintam cum cura aliquâ legerit. Ex his verò omnibus tandem manifeſtiſſimum eſt, docuiſſe Paſtorem, Filium Dei, quà Dei Filius & Deus eſt, ſervi rationem, etiam reſpectu Dei Patris, neutiquam habere, neque habuiſſe unquam: neque aliter ſervum Dei aliquando fuiſſe, quàm propter incarnationis diſpenſationem, quam ultrò ſuſcepit: quod erat demonſtrandum. Sane autem hîc verba, quibus Petavium irridet Auctor Irenici, meritò ipſi poſſum reponere: *Hæc & ejuſmodi alia Auctor noſter de Filio prodit*, Anonyme, *quæ longè alia ſunt, quàm tu nobis fingis.*

p. 235.

Iren. Irenic. p. 21.

§. 4. Pudet pigetque referre, quæ contra hæc tam clara ac diſerta Hermæ, pro Catholica doctrina, teſtimonia protulerunt pro ſua Hæreſi Auctor Irenici & Sandius: ſed, ne tergiverſari videamur, proferemus tamen. Objiciunt primò utrique verba Paſtoris in lib. 2. (qui propriè Paſtor inſcribitur) Mand. 1. *Crede quoniam unus eſt Deus, qui omnia conſtituit & fecit, ut eſſent omnia, omnium capax, & qui à nomine capitur.* Sed ex his verbis quid elicituri ſint Sophiſtæ quod ad rem ſuam faciat, ego ſane ne divinando quidem poſſum aſſequi: niſi verò exiſtiment, fieri non poſſe, ut quis unum Deum credat, qui Trinitatem Perſonarum ὁμοούσιον agnoſcit. Verùm hoc ſi ſentiunt, multùm falſi ſunt; ſiquidem hodie credunt utrumque Catholici omnes. Idem quoque primæva Eccleſia Catholica profeſſa eſt in ſua regula Fidei, teſte Tertullianô ſub initium libri adverſus Prax. ubi hæc habet verba: " Nos unum quidem " Deum credimus, ſub hac tamen diſpenſa- " tione, quam οἰκονομίαν dicimus, ut unici " Dei ſit & Filius, Sermo ipſius, qui ex ipſo " proceſſerit, &c. " Et paulò pòſt: " Unus " eſt omnia, dum ex uno omnia, per ſub- " ſtantiæ ſcilicet unitatem: & nihilominus " cuſtoditur οἰκονομίας Sacramentum, tres " dirigens, Patrem, Filium, & Spiritum ſan- " ctum. " Sed nimirum videntur Irenici Auctor & Sandius ſenſiſſe cum *imprudentibus illis atque idiotis*, quos ibidem mox notat Tertullianus, qui, " quoniam & ipſa regula " fidei à pluribus Deis ſæculi ad unicum & " verum Deum transfert, non intelligentes " unicum quidem, ſed cum ſua οἰκονομίᾳ eſſe " credendum, expaveſcunt ad οἰκονομίαν nu- " merum & diſpoſitionem Trinitatis, divi- " ſionem præſumentes unitatis: quando uni- " tas ex ſemetipſa derivans Trinitatem, non " deſtruatur ab illa, ſed adminiſtretur. " Quicquid autem ſenſerint heſterni iſti Dogmatiſtæ, certè liquidò conſtat, Hermam noſtrum, Apoſtolicæ ætatis Scriptorem, ſacro-ſanctam illam οἰκονομίαν non ignorâſſe. Scilicet Paſtor ita unum Deum credidit, credique ab aliis docuit, ut interim agnoverit, Patri univerſorum ſuum eſſe Filium, qui cum ipſo ante creaturas omnes extiterit; quique in conditione rerum ipſi, tanquam σύμβουλος & συνεργὸς adfuerit; qui juxtà cum Patre ſuo immenſus ſit, ac verbô ſuô omnipotenti univerſum ſuſtentet orbem; qui denique per ſe & naturâ ſuâ neutiquam ſervi relationem ad Deum Patrem habeat: quemadmodum ex ipſius Hermæ verbis ſuprà allatis manifeſtum fit.

Iren. p. 19. Sand. Enuc. Hiſt. Eccl. p. 55

§. 5. Mira verò ſunt, quæ præterea ex Herma profert adverſus Catholicos Irenici Auctor. " Quid, *inquit*, quòd ex ejus (*Hermæ*) Similitudine quintâ manifeſtè " appareat, Filium Dei ab ipſo, aut pro ho- " mine tantùm fuiſſe agnitum, aut ad mini- " mum Patre, imò & Spiritu ſancto, multò " minorem fuiſſe creditum. Citatô enim in " loco Filium non tantùm ut ſervum Pa- " tris introducit, ſed etiam ut ſervum Spi- " tûs ſancti, eique obedientem. Ait enim: " Et propterea corpus Chriſti ſeu Filii Dei, " cui infuſus erat Spiritus ſanctus, huic Spi- " ritui ſervivit, &c. " Ubi ad Hæretici ſtuporem penè ipſe obſtupeo. Nam primò, ſi daremus ipſi, per Spiritum ſanctum in iſto Hermæ loco tertiam Divinitatis perſonam debere omnino intelligi; quid inde miſer iſte in impiæ ac deſperatæ cauſæ patrocinium lucraturus ſit? ne hilum certè. Quiſquamne enim adeo cæcus eſt, ut non ſtatim videat, Iren. p. 21.

Hermam

Hermam ibi de corpore tantùm ſeu humanâ Chriſti naturâ diſertè loqui? Hæc autem, creatura cum ſit, Spiritui ſancto, qui Deus eſt, ſi inſerviiſſe dicatur, quid mirum? Verùm, ſecundò, jam fusè adeoque clariſſimè oſtendi, Hermam ibi nomine Spiritûs ſancti intellexiſſe τὸν λόγον, ſeu τὴν θείαν in Chriſto φύσιν, quæ Filius Dei maximè propriè vocatur. Hoc ex Parabolæ totius ſerie adeo apertum eſt, ut mirum ſit, ipſum Petavium illud non vidiſſe. Fefellit, puto, Virum doctiſſimum, quòd Hermas mox ibidem Spiritum ſanctum etiam in noſtris corporibus habitare dicat. Sed ibi, vel dicendum, Paſtorem ad aliam Spiritûs ſancti acceptionem ſubitò tranſiiſſe; vel intelligendum id (quod potiùs crediderim) quô ſenſu quivis verè Chriſtianus totius auguſtiſſimæ Τριάδος ſacrum quoddam domicilium ac templum dicitur. Certè ὁ λόγος, qui ἄκρᾳ καὶ ἀνυπερβλήτῳ κοινωνίᾳ (ſic hypoſtaticam unionem alicubi exprimit Origenes,) Chriſto homini adhæret, ut vi ſuâ ac potentiâ ubique eſt, ita peculiari quodam præſentiæ modô in cordibus piorum ſedem ſibi figit atque habitaculum. Hinc Ignatius in Epiſtola ad Epheſios, de Filio Dei loquens, ſanctos hortatur ad hunc modum: πάντα οὖν ποιῶμεν ὡς αὐτὸς ἐν ἡμῖν κατοικῶν λόγος, ἵνα ὦμεν αὐτοῦ ναοί, καὶ αὐτὸς ᾖ ἐν ἡμῖν Θεὸς ἡμῶν. Et ſuprà dixit Barnabas cor noſtrum κατοικητήριον & ναὸν Filii Dei. Sic & Juſtinus Martyr ait, Deum Patrem τὸν λόγον τὸν ἅγιον καὶ ἀπερινόητον, cœlitus ad homines miſſum, ἐγκαλασπεύξαι τὰς καρδίας αὐτῶν. Ac ſane vel hinc conſtat, omnino credidiſſe antiquiſſimos illos Eccleſiæ Doctores, Filium Dei verum atque ipſiſſimum Deum eſſe.

Vide Apocal. 3. v. 20. & Joan. 14. v. 23. (Adde Epheſ. 3. verſ. 17.)

Epiſt. ad Diognet. p. 498.

De Herma autem deſinam ulteriùs loqui, poſtquam de eo Lectorem monuerim, quòd ipſe Petavius (iniquiſſimus alioquin, in hac ſaltem quæſtione, Patrum Cenſor) diſertè fateatur, hunc Hermam *à nullo* (ſcilicet veteri Scriptore Catholico) *hæreſis, falſive, maximè de Trinitate, dogmatis inſimulatum fuiſſe:* quod ſane veriſſimum eſt & obſervatu dignum. Quòd autem nuperus & nugaciſſimus Scriptor Sandius ipſi porro objicit, nempe quod docuerit, *Spiritum ſanctum, non cùm vult, homini loqui, ſed cùm vult Deus*; frivolum planè eſſe perſpiciet, quiſquis ipſa verba Hermæ, ea de re, Lib. 2. Mandat. 12. expenderit. Videbit enim illud, *non cum vult*, ad hominem cui loquitur Spiritus ſanctus, non ad ipſum Spiritum ſanctum referri.

Præf. in Tom. 2. Dogm. Theol. c. 2. §. 6.

§. 6. Poſt Hermam memorandus venit Ignatius. Qui in genuinis Epiſtolis ab Iſaaco Voſſio editis, (quas ſolas, ut id ſemel Lectorem moneam, in hoc opere noſtro uſurpabimus) Filii Dei veràm Divinitatem paſſim, ac verbis luculentiſſimis declarat. Epiſtolam ad Smyrnæos his verbis orditur: Δοξάζω Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν Θεὸν, τὸν οὕτως ὑμᾶς σοφίσαντα, i. e. *Glorifico Jeſum Chriſtum Deum, qui ſic vos ſapientes fecit.* In ſalutatione Epiſtolæ ad Epheſios, ipſos prædeſtinatos & electos dicit ἐν θελήματι τοῦ πατρὸς καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, *voluntate Patris & Jeſu Chriſti Dei noſtri.* In ipſa verò Epiſtola: οὐδὲν λανθάνει τὸν Κύριον, ἀλλὰ καὶ τὰ κρυπτὰ ἡμῶν ἐγγύς αὐτοῦ ἐστιν. πάντα οὖν ποιῶμεν ὡς αὐτοῦ ἐν ἡμῖν κατοικοῦντος, ἵνα ὦμεν αὐτοῦ ναοὶ, καὶ αὐτὸς ᾖ ἐν ἡμῖν Θεὸς ἡμῶν· ὅπερ καὶ ἔστιν καὶ φανήσεται πρὸ προσώπου ἡμῶν, ἐξ ὧν δικαίως ἀγαπῶμεν αὐτὸν, i. e. "Nihil latet Dominum; ſed & abſcon- " dita noſtra prope ipſum ſunt. Omnia igi- " tur faciamus, tanquam ipsô in nobis ha- " bitante, ut ſimus ipſius templa, & ipſe in " nobis Deus noſter: quomodo & eſt, & ap- " parebit ante faciem noſtram; ex quibus " juſtè diligimus ipſum." Ubi de Chriſto loqui Ignatium, indubium eſt, non modò ex voce Κυρίου, quâ Chriſtum ubique deſignat, ſed etiam ex toto ſermonis contextu, de Jeſu Servatore duntaxat agente. Idem in Epiſtola ad Romanos: ἐπιτρέψατέ μοι μιμητὴν εἶναι τοῦ πάθους τοῦ Θεοῦ μου, *Sinite me imitatorem eſſe paſſionis Chriſti Dei mei.* Sed illuſtris inprimis eſt locus in Epiſtola ad Epheſios, ubi de Chriſto ſic loquitur Ignatius: εἷς ἰατρός ἐστι, σαρκικὸς καὶ πνευματικὸς, γενητὸς καὶ ἀγένητος, ἐν σαρκὶ γενόμενος Θεὸς, (pro quo Athanaſius, Theodoretus, & Gelaſius habent: ἐν ἀνθρώπῳ Θεός· quod in idem recidit,) ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινὴ, (ſic enim legendum, non ἐν ἀθανάτῳ, conſentientibus Athanaſio, Theodoreto, & Gelaſio, & ſenſu omnino exigente,) καὶ ἐκ Μαρίας, καὶ ἐκ Θεοῦ, i. e. *Unus eſt Medicus carnalis & ſpiritualis, factus & non factus, in carne* (ſive in homine) *Deus, in morte vita vera, & ex Maria, & ex Deo.* Ubi meritò γενητὸς καὶ ἀγένητος *factus & non factus*, cum Gelaſio interpretamur; ſiquidem ſenſus id efflagitat, & notiſſimum eſt, à Græcis voces γενητὸς & γεννητὸς promiſcuè uſurpari: quanquam Eccleſiaſtici fere Scriptores Catholici, præſertim qui poſt tertium ſæculum vixerunt, eaſdem in quæſtione de Filii divinitate accuratiùs diſtinxerint. Apud Theodoretum quidem Dial. 1. legitur γεννητὸς ἐξ ἀγεννήτου· ſed lectionem, quam ſequimur, confirmant non modò Codex Medicæus Græcus, & Uſſerii Verſio vetus Latina, ſed etiam Athanaſius de Synodis, & Gelaſius de duabus naturis:

ris : * quin & ipſam omnino poſtulat manifeſta, quæ in loco continuatur, Antitheſis inter duplicem Chriſti naturam & utriuſque attributa, *carnalis & ſpiritualis*, &c. quæ Antitheſis per Theodoreti lectionem abrumpitur. Omnino exiſtimo, Theodoretum hîc ſecutum eſſe exemplar à ſciolo aliquo deſcriptum, qui cùm ἀγέννητον neceſſariò ſignificare putaret *ingenitum*, hoc eſt, eum qui à nullo alio exiſtendi principium habet ; (quô ſenſu vox ſoli Deo Patri competit ;) auſus eſt ἀγέννητος immutare in ἐξ ἀγεννήτου. Quam etiam ob cauſam hoc ſententiæ Ignatianæ membrum, γεννητὸς καὶ ἀγέννητος, prorſus omittitur ab Ignatii interpolatore : utpote qui in Epiſtola ad Trallianos, eos execratur, qui Filium Dei dicunt ἀγέννητον, nempe quô ſenſu Dei Patris id proprium eſt, hoc eſt, qui Patrem à Filio non diſtinguunt. Unde & huic Ignatii loco quædam de ſuo præmittit de Deo Patre ; in quibus ipſum ſolum ἀγέννητον eſſe dicit. Hæc ſi intellexiſſet Sandius, nunquam ſe ſuumq; Lectorem, de voce ἀγεννήτου à Pſeudo-Ignatio damnatâ, ita fruſtra defatigâſſet ; quemadmodum facit in libro primo Enucleatæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ubi de
p. 71. Ignatio agit. Sic ſtabilitâ loci verâ lectione, quis non videt his Ignatii verbis Arianæ blaſphemiæ jugulum peti ? Quippe hîc Chriſtus non modò Deus agnoſcitur verè immortalis in carne quondam mortali ; ſed non factus, hoc eſt, increatus diſertè dicitur. Ita mentem Ignatii optimè expreſſit, ſimulque vocis ἀγεννήτου ſive ἀγενήτου, prout ea à Veteribus uſurpata legitur, duplicem acceptionem accuratè diſtinxit Magnus Athanaſius his verbis : πεπείσμεθα ὅτι ὁ μακάριος Ἰγνάτιος ὀρθῶς ἔγραψε, γεννητὸν αὐτὸν λέγων διὰ τὴν σάρκα· ὁ γὰρ Χριστὸς σὰρξ ἐγένετο· ἀγέννητον δὲ, ὅτι μὴ τῶν ποιημάτων ἐστὶ γεννητῶν ὄντι, ἀλλ' υἱὸς ἐκ πατρός. οὐκ ἀγνοοῦμεν δὲ, ὅτι οἱ ἐξηκόλες ἓν τὸ ἀγέννητον, τὸν πατέρα λέγοντες, οὐχ ὡς γεννητὸν ποιήματι ὄντι τὸν λόγον ἔτρεψαν, ἀλλ' ὅτι μὴ ἔχει τὸν αἴτιον, ἐμάλλον αὐτὸς πατήρ μού ἐστι τῆς σοφίας, τὰ δὲ γεννητὰ πάντα ἐν σοφίᾳ πεποίηκε, i. e.

De Synodis Arim. & Seleuc. Tom. 1. p. 922.

" Perſuaſum habemus & beatum Ignatium
" rectè ſcripſiſſe, cùm factum illum (*Dei*
" *Filium*) vocet propter carnem, ſiquidem
" Chriſtus caro factus eſt ; increatum verò,
" quoniam non eſt ex operum & creatura-
" rum numero, ſed Filius ex Patre. Non
" autem ignoramus, eos etiam qui dixere,
" unum eſſe ingenitum, Patrem intelligen-
" tes, non eô animô ita ſcripſiſſe, quaſi Ver-
" bum genitum, *hoc eſt*, *factum*, quiddam aut
" opus eſſe vellent ; ſed ideo, ut offenderent
" Patrem ſui auctorem non habere, quin &
" ipſum Patrem eſſe Sapientiæ, & omnia ge-
" nita, *hoc eſt*, *quæ facta ſunt*, in Sapientia
" feciſſe. " Ex Ignatio autem plura adducemus infrà ad Sectionem tertiam de Filii τῆς συναϊδίου.

§. 7. Nunc cum Irenici Auctore & Sandio paucis agendum. Locum illum Ignatii illuſtrem, à nobis citatum, etiam Petavius ex Theodoreto & Athanaſio allegaverat ; additis quibuſdam aliis ex Theodoreto ſolo. Quid verò ad iſta Irenici Auctor ? Audi, & miraberis hominis impudentiam. " Poſſunt, *in-* Irenic.
" *quit*, illa, quæ ex Theodoreto citat Peta- p. 27.
" vius, quæque ei maximè genuina eſſe vi-
" dentur, de ſolo homine Chriſto, per Spi-
" ritum Dei nato intelligi. " Itane verò ? Tum, inquam ego, poteſt quidlibet in quibuſlibet verbis intelligi. Itaque ipſe Auctor Irenici, huic reſponſioni ſtare non auſus, aliam comminiſcitur, deſperatæ cauſæ convenientiſſimam. " Allegata, *inquit*, Theodo-
" reti loca demonſtrare non valent duplicis
" naturæ in Chriſto profeſſionem ex tradi-
" tione Chriſti & Apoſtolorum fuiſſe.
" Quidni enim profeſſio hæc, etiamſi tum
" quoque fuiſſe poneretur, ex traditione
" Pſeudo-Chriſti & Pſeudo-Apoſtoli alicu-
" jus, quemadmodum nonnullæ aliæ incom-
" modæ, imò inſulſæ, ſive Ignatii, ſive ali-
" orum antiquorum ſententiæ, quas nec Pe-
" tavius ipſe admittit, non verò mox ex
" Chriſti & Apoſtolorum traditione, fuiſſe
" potuiſſet ? " Quô teneas nodô hunc Proteum ? Quô argumentô talem Adverſarium conſtringas ? Affirmat, Juſtinum fuiſſe ſententiæ de divina Jeſu Chriſti natura primum auctorem : nos contrà demonſtramus, Ignatium Juſtinô antiquiorem, adeoque Apoſtolorum σύγχρονον, in eadem fuiſſe ſententia. Ignatii tum ille verba miſerè torquet : ac denique, cùm ſuo huic interpretamento diffidat, eò tandem dementiæ pervenit, ut non vereatur dicere, à vero neutiquam abſimile eſſe, etiam ipſum Ignatium à Pſeudo-Apoſtolo aliquo deceptum fuiſſe. Credo, ſi Apoſtolum tandem aliquem ipſiſſimum teſtem citaremus, nihil quicquam nos apud ipſum effecturos. Imò experientiâ jam comprobatum eſt, hujus ſectæ homines Scripta ipſa Apoſtolica (quæ certè haud minùs clarè de Chriſti Divinitate loquuntur, quàm Patrum monumenta,) ſuſque deque habere, ſuiſque interpretamentis, immane quantum à manifeſto verborum ſenſu alienis, pervertere ac depravare, & eorum

* Ita quoque locum legit Tertullianus. Vide hujus Sectionis c. 7. n. 3.

fidem atque auctoritatem ut eludant, nullam non artem atque operam adhibere. Si palam tandem ſuam infidelitatem profiterentur Hæretici, atque apertè dicerent, doctrinam de Jeſu Chriſti natura divina, ab Apoſtolis atque Eccleſiæ Doctoribus univerſis traditam, ſanæ rationi repugnare ſibi videri; (ſibi ſcilicet homuncionibus humi repentibus, qui neque vermiculi, cognati ſui, naturam perfectè explicare, nedum Dei Opt. Max. eſſentiam infinitam ejuſque ἀπορρήτου mentis ſuæ anguſtiis comprehendere valeant;) proptereaque ſe religionem totam Chriſtianam (tot tantiſque miraculis confirmatam, adeoque in iis, quæ captum noſtrum haud excedunt, omnibus, præſertim quæ virtutem & bonos mores ſpectant, abunde ſe nobis nativâ ſuâ luce atq; auctoritate approbantem) in dubium vocare: neſcio an multò majorem impietatem, candorem certè atque ingenuitatem longè majorem oſtenderent. Atqui, inquit Irenici Auctor, nonnullas habuit Ignatius non modò incommodas, ſed & inſulſas planè opiniones, quas neque vos ipſi admittitis. Ubi vero iſtas tradit? inquam ego. Profer locum, Anonyme, ex genuinis Ignatii epiſtolis, atque herbam illico porrigemus. Sane nemo ex adverſariis Sylloges Polycarpianæ infenſiſſimis (neque Blondellus, neque Salmaſius, neque Dallæus, neque Dallæi nuperus Hyperaſpiſtes Anonymus) quicquam hujuſmodi ex illa Sylloge hactenus protulit, quod Viri doctiſſimi Uſſerius, Voſſius, Hammondus, Pearſonus, immeritò reprehenſum fuiſſe, non liquidò oſtenderunt. Præterea ſi daremus, Ignatium in minutioribus quibuſdam à doctrina Apoſtolica nonnihil deflexiſſe; ideone veriſimile cuiquam videri poſſit, ipſum in articulo fidei Chriſtianæ tanti momenti tam turpiter fuiſſe illuſum? Quiſquamne eſt, qui vel ſuſpicetur, Ignatium, qui unà cum veris Jeſu Chriſti Apoſtolis tam familiariter verſatus eſt, quemque Apoſtolicæ fidei Martyrem fuiſſe univerſa tradidit Antiquitas, à Pſeudo-Apoſtolo aliquo in primaria Chriſtianiſmi doctrina deceptum fuiſſe?

——— *Credat Judæus Apella,*
Non ego ———

§. 8. Ad Sandium venio. Qui in libro 1. Enucleatæ Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ de Ignatio agens, teſtimonia, quæ ex Epiſtolis Ignatii genuinis pro Catholica doctrina adduximus, prorſus diſſimulat; ex interpolatis verò Ignatii Epiſtolis, nec non ex Epiſtolis ipſi falsò adſcriptis, haud pauca profert loca, quibus Arii blaſphemias confirmare nititur. Crederes, hominem Voſſii & Uſſerii editiones Ignatii nunquam vidiſſe, nunquam legiſſe, quæ & iidem Viri doctiſſimi, & Hammondus ac Pearſonus de Ignatii Epiſtolis ſcripſere. Et tamen ibidem Uſſerii, ut & alibi, nempe in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ubi itidem de Ignatio agit, & Voſſii & Uſſerii editiones commemorat: neque dubitandum eſt, quin Hammondi quoque Diſſertationes, adeoque Pearſoni Vindicias (utpote an. 1672. hoc eſt; annis quatuor, antequam ipſe Enucleatam ſuam Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſecundò edidiſſet, evulgatas) etiam tum cognitas habuerit. Rem totam, in Lectoris gratiam Antiquitatis Eccleſiaſticæ minùs periti, paucis & bonâ fide explicabo. Præter Epiſtolas ſub Ignatii nomine Latinè tantum extantes, quæ hodie omnium Criticorum, tam Pontificiorum, quàm Noſtrorum conſenſu rejiciuntur, duodecim ſunt Græcæ, quarum ſeptem ab Euſebio memorantur, reliquæ quinque non item. Septem ab Euſebio enumeratæ hæ ſunt; 1 ad Epheſios, 2 ad Magneſios, 3 ad Trallianos, 4 ad Romanos, 5 ad Philadelphenſes, 6 ad Smyrnenſes, 7 ad Polycarpum Smyrnæ Epiſcopum. Reliquæ quinque ſunt, 1 ad Mariam Caſſabolitam, 2 ad Tarſenſes, 3 ad Antiochenos, 4 ad Heronem Diaconum, 5 ad Philippenſes. Porro ſeptem Epiſtolarum Euſebio cognitarum duæ ſunt generatim editiones Græcæ; altera, quæ olim extitit; altera, quæ ab Iſaaco Voſſio primùm ex Medicæo Codice adornata fuit. De quinque Epiſtolis Euſebio tacitis ſic veriſſimè ſcribit doctiſſimus Pearſonus: " Rectè poſita videtur diſtinctio " inter ſeptem Epiſtolas, quæ ſunt ab Euſe- " bio memoratæ, reliquiſque antiquiſſimis " Patribus frequenter laudatæ, & quinque " alias, quæ non niſi poſt aliquot ſæcula ab " ullo Græco Scriptore agnitæ ſunt, atque " ideo jure vel in dubium vocantur, vel et- " iam planè rejiciuntur: idque non tantùm " quia veriſimile non eſt, eas Euſebium, ſi " ejus ævô extitiſſent, latere potuiſſe, aut ab " eodem, ſi ipſi cognitæ eſſent, præteriri; ſed " etiam quia vel ob modum loquendi ab Euſebianis multùm diſcrepantes apparent, " vel ob materiam, doctrinæ, inſtitutis & " moribus poſterioris Eccleſiæ magis conſonæ, & Ignatianis Euſebio memoratis ſolâ " imitatione, eâque nimis affectatâ, ſimiles." In Procæmio ad Vind. Epiſt. S. Ignat. c. 4.

p. 70. Quod autem ſcribit Sandius, *ſtylum quinque Epiſtolarum*, Euſebio incognitarum, *cum prioribus indubitatis adeo convenire, ut abſurdum ſit, de illarum Auctore Ignatio dubitare*; id temerè ab ipſo, pro more ſcilicet ſuo, pronuntiatum fuit. Quippe ſi per indubitatas Epiſtolas priores, intelligit ſeptem Epiſtolas Euſebio memoratas, quales ante Voſſii editionem vulgatæ fuere, verum quidem eſt, magnam De Scrip. Eccleſ. p. 18.

eſſe

esse inter eas & reliquas quinque styli similitudinem. Quid mirum? Censuit Usserius, & res loquitur, eundem fuisse Impostorem, *qui genuinas Ignatii Epistolas incrustavit, & totidem aliarum accessione auxit.* Quisquis verò defæcatas septem Epistolas, à Vossio editas, cum reliquis quinque contulerit, næ is, si judiciô valet, has ab illis, sive stylum, sive doctrinam spectes, plurimùm discrepare omnino fatebitur. In eo solo similitudo appareret, quod Consarcinator quinque Epistolarum quasdam compositionum & locutionum formulas, genuino Ignatio familiares, usurpet. Sed & has ita affectat, ita importunè ingerit Planus ille, ut vel hôc ipso indiciô forex prodatur. Argumentatur præterea ibidem Sandius ad hunc modum: *Ex Epistola ad Philippenses* (una scil. ex quinque, quas rejicimus,) *allegat quædam Origenes Homil. 6. in Lucam; unde ejus eluceſcit auctoritas.* Verùm hæc pro solita sibi impudentia scripsit Sophista. Verba Origenis de Ignatio ejusque Epistola Homil. 6. in Lucam hæc sunt: *Eleganter in cujusdam Martyris Epistola scriptum reperi; Ignatium dico, Episcopum Antiochiæ post Petrum secundum, qui in persecutione Romæ pugnavit ad Bestias: Principem sæculi hujus latuit virginitas Mariæ.* Hic de Epistola ad Philippenses ne γὲ quidem dicitur. In Epistola vero ad Ephesios (unâ ex septem Eusebianis) ita nunc legimus: ἔλαθεν τ̀ ἄρχοντα τ̃ αἰῶνο τοῦτο ἡ παρθενία Μαρίας. Esto, hæc ab Ignatii simio repeti in supposititia Epistola ad Philippenses, quid tum? Verùm, quò impostura Auctoris Epistolæ ad Philippenses etiam ex ipso Origene clariùs perspiciatur, observandum, locum Ignatii, quem citat Origenes, totidem verbis, nempe his, *Principem sæculi hujus latuit virginitas Mariæ*, in Epistola quidem ad Ephesios inveniri; sed in Epistola ad Philippenses immutatum esse, ridiculâ ad Diabolum confictâ Apostrophe, hunc in modum: πολλὰ γάρ σε λανθάνει· ἡ παρθενία Μαρίας, ὁ παραδοξο τοκετός. κ. λ. i. e. *Multa te latent; virginitas Mariæ, glorioſus partus*, &c. Verùm missô paulisper Sandiô, omnium odiô qui veritatem cando-

V. Usserii Proleg. ad Epist. Ignat. c. 5

remque amant, dignô Scriptore, ad reverendissimum Pearsonum revertamur. Qui porro de septem Epistolis Eusebio notis, quales Græcè extiterunt ante Vossii editionem, suum aliorumque doctissimorum Virorum judicium sic explicat: *Rectè animadversum est à quamplurimis, etiam illas septem antiquissimas & maximè genuinas Epistolas, in editione Græca tunc temporis* (nempe ante Vossii editionem) *vulgatâ, interpolatas & corruptas fuisse: idque cùm loca à veteribus Patribus adducta, quæ in ea editione aut non comparent, aut non rectè repræsentantur, tum alia etiam non pauca, quæ neque antiquitati, neque sententiæ S. Ignatii congruunt, neque tenori Epistolarum satis convenienter inseruntur, planum faciunt.* Easdem verò septem Epistolas Eusebianas, prout à Vossio editæ sunt, Ignatii genuinas esse, per totum opus luculentum, doctis omnibus neque studiô partium nimiùm addictis, solidè probavit idem dignissimus Antistes. Jam ex his septem Epistolis, quales è Medicæo Codice prodierunt, cum Athanasii, Theodoreti, Gelasii aliorumque Veterum citationibus optimè conspirantibus, si vel unum Jota proferre potest Sandius, quod Nicænæ Fidei repugnet; non abnuemus, quin Ignatius, Episcopus Apostolicus & Martyr celebratissimus, inter impiæ hæresis Arianæ præcursores meritô suô censendus sit. Sed hoc ab ipso ante Græcas Calendas præstari non posse, certissimum habemus. Neutiquam igitur Ignatius pro Ariano; sed potiùs Sandius pro egregio sanctissimi Patris calumniatore habendus est. Interim & illud monendum, etiam in Epistolis Ignatii interpolatis ac spuriis, quales Sandius usurpat, plurima reperiri, quæ Arianæ hæresi ex diametro repugnant; quæ verò à Sandio ex iisdem Epistolis proferuntur, ea fere Catholicum sensum libenter admittere: id quod facilè (si istis nunc vacaremus) demonstrare potuissemus. Sed de Ignatio satis. Atque hactenus venerandum Ternionem Scriptorum Apostolicorum, suô testimoniô Nicænam fidem confirmantium, audivimus.

ANNO-

ANNOTATA

Ad CAP. II. §. 1: seqq.

De S. *BARNABA*,

Divinitatis Christi Teste.

§. 1. *Lucas Mellierus* (de quo vide suprà Annotata ad Sect. I. Cap. II. §. 1.) argumentum à Reverendo Auctore pro Deitate Christi ex S. Barnabæ Epistola cap. 6. hôc locô allatum enervaturus, per *Dominum*, cujus templum sanctum ibidem dicitur esse cordis nostri domicilium, non *Christum*, sed *DEUM Patrem* intelligendum contendit p. 22. seqq. ideoq; ea, quæ in dicta Epistola præcedunt, repetit, sic sonantia: *Dicit Dominus:* Ecce facio novissima tanquam priora. *Propter hoc ergo prædicavit Propheta:* Intrate in terram, quæ trahit lac & mel, & dominamini ei. *Ecce igitur nos denuo formati sumus, quemadmodum rursus in alio Propheta dicit:* Ecce, inquit Dominus, auferam ab eis, *hoc est, ab eis quos Spiritus Domini prævidebat*, corda lapidea, & immittam illis corda carnea, *quia in carne appariturus erat, & in nobis habitaturus.* In quibus verbis perpetuò sub *Domini* titulo DEUM Patrem accipit, indeq; & in proximè sequentibus: *Templum enim Domino est cordis nostri habitaculum*, vocem *Domini* explicat, *DEI Patris.* Sed utrumq; absurdè. Nam ipsa textûs connexio ac particula γὰρ cuivis sine præjudicio legenti primô intuitu ingerit, ejusdem personæ templum appellari cordis nostri domicilium (κατοικητήριον) qui in nobis habitaturus (ἔμελλεν ἐν ἡμῖν κατοικεῖν) antè, ne unicô quidem verbô interpositô, dicebatur. Atqui hunc esse Christum in carne manifestatum, clarissimum est, neq; ab Adversario negatur. Unde ut textum suô sensu expositum cohærere faceret, inter ea, *in nobis habitaturus*, & proximè sequentia: *Templum eum Domino*, &c. hæc παραφρασικὰς interseruit: *Et ex nobis Templum ac sanctuarium DEO Patri facturus per ipsam suam in carne apparitionem & in nobis inhabitationem.* Sed quempiam alicubi *habitare*, & *habitaculum alteri præparare*, diversa omnino sunt, quæ Paraphrastes perperam confundit; cùmque de priori tantùm loquatur Barnabas, ipse posterius de suo apponit, imò opponit priori: quali licentiâ si quis utatur, profectò quemlibet contextum de una eademque persona agentem discerpere, ac inter duas dispertiri poterit.

§. 2. Verùm etiam per *Dominum*, cujus oracula per Prophetas prolata in præcedentibus recitavit Barnabas, Filium DEI, non DEUM Patrem, ab ipso intellectum fuisse, patet 1. ex his verbis: *Quia in carne appariturus erat, & in nobis habitaturus.* Quis? Is sane, de quo immediatè præcedentia agunt. Atque id perspiciens Adversarius, iterùm temerariô prorsus ausu vocem *Christus* hîc de suo addidit, ut, juxta ejus hypothesin, nulla Christi mentio in præcedentibus videretur facta. Quasi verò taliter addentes, sicq; corrumpentes sensum sanctorum Virorum, nulla pœna maneat. Idem patet 2. ex sequentibus, quæ Græcè ita habent: λέγει γὰρ πάλιν Κύριος· καὶ ἐν τίνι ὀφθήσομαι τῷ Κυρίῳ τῷ Θεῷ μου, καὶ δεξαθήσομαι; λέγει· ἐξομολογήσομάι σοι ἐν ἐκκλησίᾳ ἐν μέσῳ ἀδελφῶν μου. Ubi cùm *Dominus*, qui loquitur, certissimè sit Filius DEI, in antè allegatis quoq; Prophetarum dictis idem omnino intelligendus est. Excipit quidem *Mellierus*, vocem *Dominus* hîc in Latino abesse, indeque Κύριος in veteri Græco Barnabæ exemplari haud extitisse colligit. Astpositô, neque tamen concessô, quòd Græcus Barnabæ textus hôc locô auctoritate Latinæ versionis sit mutilandus, non verò hæc ex illo supplenda, vox πάλιν, *iterum*,

rum, liquidò oſtendit, eandem perſonam, nempe Filium DEI, in præcedentibus oraculis loquentem accipi debere, quæ hîc per Prophetam verba facit; nec audiendum eſſe Adverſarium, qui Spiritum DEI Patris, perſonam Chriſti futuri indutum, ea dixiſſe commentus eſt.

§. 3. Atque licet hæc ſatis manifeſta ſint, age, videamus tamen, quibus argumentis inductus ſit Adverſarius, DEUM Patrem ſub *Domini* titulo in omni antè recitata Barnabæ pericopa intelligere. Primum eſt, quia in præcedentibus DEUS Pater introducitur, homini benedicens his verbis: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* De eodem itaq; accipi vult ſequentia: *Dicit Dominus: Ecce facio noviſſima tanquam priora*, &c. Sed inter hæc intercedunt alia S. Barnabæ verba, quibus de nova re ſe tractaturum profitetur. *Iterum vobis oſtendam*, inquit, *quomodo nobis fecit ſecundam figuram in noviſſimis. Dicit Dominus: Ecce facio*, &c. Neq; ait: *Dicit idem Dominus*; vel, *dicit πάλιν, iterum, Dominus*, uti poſtea loquentem modò obſervavimus; ſed ſimpliciter: *Dicit Dominus.* Unde nulla neceſſitas cogit, eandem perſonam, quæ in antè citatis Scripturæ locis verba faciebat, hôc quoq; locô accipere; præſertim cùm ſequentia id non admittant, uti jam probatum dedi. Secundum argumentum *Mellierus* inſinuare videtur in explicatione illorum verborum: *Ecce, inquit Dominus, auferam ab eis; hoc eſt ab eis, quos Spiritus Domini prævidebat, &c.* ubi addit: *Spiritus DEI Patris prævidebat; non verò Filius DEI, qui tunc nondum exiſtebat, ideoq; nihil tunc prævidere poterat.* Sed hæc craſſiſſima eſt petitio τῆ ἐν ἀρχῇ, quam inſuper tam S. Petrus Apoſtolus, quàm Barnabas ipſe redarguit, ille quidem hiſce de Prophetarum choro verbis 1. Epiſt. I. 11. *Prophetârunt ſcrutantes, in quod vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti, prænuntians eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & futuras glorias*; hic autem cap. 5. Epiſtolæ ita ſcribens: *Prophetæ ab ipſo habentes donum, in illum prophetaverunt.* De quibus verbis mox plura dicam.

§. 4. Tertium argumentum petitum eſt ex locis parallelis, ubi Barnabas fideles templum DEI, non Chriſti, appellavit. Nempe cap. 4. ait: *Simus ſpiritales, ſimus templum conſummatum DEO.* Confer cap. 16. Sed hæc optimè conveniunt, quia DEUS Pater & Filius unà cum Spiritu S. in eadem ſede morantur, ut ipſe Servator nos docet Joan. XIV. 23. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, ac manſionem apud ipſum faciemus.* Atq; Paulus, uti in Epiſtola ad Corinthios, eos *templum* DEI appellat; ita Epheſ. III. 17. ſcribit, *Chriſtum per fidem habitare in cordibus veſtris.* Quod verò excipit Adverſarius pag. 24. *Chriſtum quidem in nobis habitare per fidem, nunquam tamen nos ejus templum vocari; ſicut & Sacerdos in templo habitare dicitur, nec tamen templum Sacerdotis, ſed DEI nuncupatur*; id planè ineptum ac falſum eſt. Sæpiùs enim audias Sacerdotes templum, in quo ſacris operantur, *ſuum* vocare; vix unquam verò de iis dici, quod in templo habitent, cum fana DEI, non Sacerdotum, ſint habitacula. Quicquid verò de externis templis ſtatuatur, de cordibus fidelium certum eſt, quòd ejus templa ſint, qui in illis habitat. Nam Apoſtolus 2. Corinth. VI. 16. Corinthios *eſſe templum DEI vivi* inde probat, quia DEUS dixit: (Levit. XXVI. 12.) *Inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum DEUS, & ipſi erunt mihi populus.* Confer allegata in hoc Capite §. 6. verba S. Ignatii in Epiſt. ad Epheſ. ubi hunc ipſum Apoſtoli locum, nî fallor, reſpiciens, Chriſtum non modò in nobis habitare, ſed & nos ejus templa, ipſum verò eſſe DEUM noſtrum, diſertè ſcripſit.

§. 5. Jam prætermiſsâ diſputatione de verbis Barnabæ cap. 11. de *Corpore Chriſti*, tanquam *vaſe Spiritûs*, per quem *Mellierus* intelligit *humanum Jeſu Spiritum*, Reverendus *Bullus* verò, non ſine ratione valdè probabili, *Divinam ejus naturam*; (quanquam non peculiare ex iſto loco formaverit pro Theſi ſua argumentum, ſed eum obiter ſolùm ad explicandum Hermam citaverit) prætermiſsâ, inquam, diſputatione iſtâ, veluti non neceſſariâ, ad aliud Barnabæ effatum de Prophetis, modò §. 3. à me allegatum, atq; probandæ Chriſti Deitati apprimè inſerviens, à depravatione *Mellieri* vindicandum progredior. Nimirum hæc Latina: *Prophetæ ab ipſo* (Filio DEI) *habentes donum*, facta conjectat ex iſtiuſmodi Græcis: ὅι προφῆται ἔχοντες αὐτῆ ἔχοντες τὴν χάριν, quæ proinde Interpres vertere debuiſſet: *Prophetæ pro ipſo*, vel *ejus causâ, habentes donum, in ipſum prophetaverunt.* Unde verò conjecturam ſuam probat? *Legimus*, inquit, *apud eundem veterem Interpretem* cap. VII. Quia ab illis debet pati; *ubi in Græco eſt:* ὅτι δεῖ αὐτὸν παθεῖν ἐπ' αὐτῶν. Sed talpâ cæcior eſt, qui non ſtatim videat, Interpretem ibi legiſſe ἐπ' αὐτῶν, ac proinde hîc quoq; in Græco exemplari habuiſſe, ἐπ' αὐτῆ. Atq; ita etiam in Barnaba legiſſe, ac ex illo deſcripſiſſe videtur Irenæus quæ habet lib. IV. cap. 37. pag. 331. col. 1.

lin. 33. nostræ edit. *Prophetæ ab eodem Verbo Propheticum accipientes charisma, prædicaverunt ejus secundùm carnem adventum.* Confer ejusdem libri cap. 16. p. 303. col. 1. lin. 9. & ibidem num. 2. annotata. *Sed,* pergit *Mellierus, demus etiam hîc legisse veterem Interpretem:* ὡσ' αὐτῦ ἔχοντες τ χάριν, *adeoq; rectè vertisse,* ab ipso habentes donum, *bene pro nobis jamdiu respondit Grotius ad* 1. *Petri* I. 11. Spiritum Christi vocat ex objecto, Spiritum res Christi præsignificantem, & qui Christi causâ ipsis erat datus. Barnabas fine Epistolæ: Prophetæ ab ipso habentes donum, in illum prophetaverunt. *Itaq; secundum Grotium:* Prophetæ ab ipso habentes donum, *nihil aliud est, quàm diceret:* Prophetæ ipsius causâ habentes donum. *Et rectè quidem. Filius enim DEI, filius ille futurus — Filius, inquam, DEI, ille homo Christus Jesus, etiamsi ipse nondum existeret, istos Prophetas mittebat ac pellebat; dicig; potuit, ab eo Prophetas habuisse Spiritum, qui causa fuit, cur haberent, & nisi in mundum venturus fuisset, non habuissent.* Atqui, inquam ego, si hoc istô sensu dici potuit, tum quodlibet pro quolibet dici potest. Proferre debuisset Adversarius, si non ex Barnaba, saltem ex aliis sacris vel profanis Scriptoribus, exempla aliqua ad probandum inusitatum istud loquendi genus; & sane protulisset, si potuisset. Verùm nemo unquam mortalium, indicare volens, *pro altero* sive alterius causa quidquam datum vel acceptum, illud *ab altero* datum vel acceptum scripsit: nec unquam, puto, aliquis ita verbis lusit, prout *Mellierus* fecit, ut diceret, personam nondum in rerum natura existentem alias personas ad officium aliquod obeundum mittere atque impellere. Grotium quod attinet, illum S. Petri quidem verbis vim atq; alienum sensum intulisse certum est; utrùm & Barnabæ, haud ita liquidum: siquidem *prædictionem rerum Christi* potiùs ex posteriori commate, *in illum prophetârunt,* quàm ex priori, *ab ipso habentes donum,* collegisse videtur. Quicquid verò de Grotii mente statuatur, ei judicium non modò Irenæi, sed & cujusvis, qui sine præjudicio textum Barnabæ legerit, oppono, omnino persuasus, nec Ethnicum vel Iudæum, si crederet, in alio sensu verba Barnabæ accepturum, quàm quô nos juxta communem loquendi usum accipimus.

§. 6. Tandem notatu digna sunt verba Barnabæ cap. 12. *Ecce iterum Jesus, non filius Navæ,* (Græcè meliùs, υἱὸς ἀνθρώπε) *sed Filius DEI, in carne apparuit.* Existebat itaq; filius DEI, antequam in carne manifestaretur; Græcè, ἐν σαρκὶ φανερωθεὶς. Quæ cùm planè consona sint istis Pauli verbis 1. Timoth. III. 16. Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, ad hæc Barnabam respexisse, vero haud est absimile. Pergit verò Barnabas locô cit. Επεὶ ἦν μέλλεσι λέγειν, κ. λ. *Quoniam ergo dicturi erant, Christum esse filium Davidis, reformidans & intelligens errorem sceleratorum, iterum dicit David: Dixit Dominus Domino meo, &c.* Quô Davidis dictô jam ipse Servator Divinitatem personæ suæ Judæis insinuaverat Matth. XXII. 43 seqq. Addit porro Barnabas alia Esaiæ verba, sicq; concludit: *Videte quomodo illum Prophetæ Dominum & Filium DEI,* (juxta Græca scilicet, καὶ υἱὸν Θεῦ) *non tantùm filium dicunt.*

De *S. HERMA.*

§. 1. TItulô *Consiliarii DEI,* quô Reverendus Auctor Filium DEI ornat, juxta doctrinam Pastoris Similit. IX. *Mellierus* pag. 32. ineptè opponit auctoritatem Pauli Rom. XI. 34. negantis, quenquam consiliarium DEO adfuisse; cùm de mero homine seu quavis creatura id inficias iverit Apostolus, non de Filio DEI, inter cujus titulos Esaiæ IX. 6. recensetur, quòd sit *Consiliarius, DEUS.* Quod deinde pag. 33. ad verba Pastoris: *Nomen Filii DEI magnum est & immensum,* excipit, magna & miranda sæpe vocari *immensa,* id non satisfacit; quia de Divina immensitate ea intelligere nos cogunt, quæ immediatè sequuntur: *Et totus ab eo sustentatur orbis;* item: *Omnis DEI creatura per Filium ejus sustentatur.* Meritissimô enim jure hoc *opus verè divinum* ab Auctore nostro vocatur; contrà ab Adversario absurdè docetur, Christum merum hominem, etiam dum in carne esset, omnia Verbô virtutis ejus portâsse. Sane tantum abest, ut Scriptura S. hoc asserat, ut potiùs Christum, quà hominem, in carne infirmitatibus subjectum, ac tempore passionis à creato Angelo confortatum, denique ἐξ ἀσθενείας cruci-

crucifixum 2 Corinth. XIII. 4. nobis repræsentet.

§. 2. Locum Hermæ Lib. III. Similit. 5. quod attinet, illa verba, ubi Filius DEI *non in servili conditione, sed in magna potestate & imperio positus* dicitur, non urgeo; neq; cum Adversario acriter contendam de sensu istorum §. 5. verborum: *Filius autem Spiritus sanctus est.* In quibus doctissimus *Bullus*, per Filium intelligens secundam S. Trinitatis personam, de hac prædicari statuit, quòd sit *sanctus* quidam *Spiritus*, i.e. DEUS, qui est Spiritus, idemq; sanctissimus. Contrà *Mellierus* pag. 42. ita explicat: *Ille qui appellatur in Parabola vel similitudine Filius, scilicet Filius illius Domini fundi, re ipsâ nihil aliud est quàm Spiritus sanctus, id est, afflatus seu virtus DEI Patris.* Et Reverendi Auctoris nostri sententia quidem confirmari, Adversarii autem expositio destrui videtur non solùm ex eo, quòd persona ista *Filius* DEI vocetur, (quod *valdè impropriè & catachrestice de Spiritu S. dictum* ipse Adversarius agnoscit) sed & addatur: *quem carum & hæredem habebat*; quòdq; homo Jesus Christus *ei cohæres factus* sit: quæ prædicata Spiritui sancto, tertiæ Personæ, sive, juxta Adversarium, virtuti DEI Patris vix ac ne vix quidem conveniunt; in λόγον autem seu secundam personam aptissimè quadrant. Deinde Filius iste in hac Parabola in consilium à DEO adhibitus repræsentatur. Atqui idem in Similitudine IX. §. 12. de λόγῳ docet Pastor his verbis: *Filius quidem DEI omni creaturâ antiquior est, ut in consilio Patri suo adfuerit ad condendam creaturam.* Jesum Christum enim hîc intelligendum esse, & sequentia ibi planissimè ostendunt, & cum Zuickero, hâc de re convictô, largitur *Mellierus* p. 28. Accedit denique, quòd eâdem Similit. IX. §. 1. de Spiritu, qui Hermæ locutus erat, dicatur: *Ille Spiritus Filius DEI est.* Ubi iterum Adversarius Christum intelligit pag. 42. licet perperam pro mero homine accipiat, eumq; inde *Spiritûs* nomine hôc locô insignitum putet, quòd is *in spiritum vivificantem factus sit*, juxta 1. Corinth. XV. 45. Hæc, inquam, & alia pro Cl. Auctoris nostri sententia urgere possem.

§. 3. Sed, missâ istâ disputatione, licet supponatur, quòd Filius, in Simil. V. Spiritus sanctus appellatus, non sit λόγος seu secunda S. Trinitatis persona, ex aliis tamen istius loci verbis haud contemnendum pro hujus Deitate argumentum deduci posse existimo. Nam §. 6. de illo Spiritu S. ait Pastor: *Infusus est omnium primus in corpore (Christi) in quo habitaret DEUS.* Ubi dum infusio Spiritûs sancti ab inhabitatione DEI expressè distinguitur, atq; illa huic veluti præparatoria præmittitur, satis clarè docetur, quòd non modò Spiritus sanctus seu virtus Altissimi corpus Christi sanctificaverit, sed & alia in ipso habitaverit persona, quæ DEI nomine à Pastore vocatur, nempe Filius DEI, ut ipsi Adversarii fateantur necesse est; siquidem DEUM Patrem personaliter humanæ Christi naturæ unitum, unà nobiscum negant; eum verò per Spiritum seu virtutem Divinitatis tantùm in Christo fuisse, salvis Hermæ verbis dicere nequeunt, utpote qui hanc ab inhabitatione DEI distinctam facit. Cæterùm sunt quidem plura in prolixâ *Mellieri* de Hermæ sensu disputatione, quæ animadversionem merentur, illa præsertim, ubi contra Spiritûs S. distinctam à DEO Patre subsistentiam, à Pastore aliquoties intimatam, frustra disputat; sed quoniam ὁμοούσιον secundæ personæ modò defendendum suscepimus, ad alia delabi haud placet.

De *S. IGNATIO.*

TEstimoniis S. Ignatii, pro Deitate Christi §. 6. hujus Cap. allegatis, sequentia addere placet. In Epist. ad Ephesios §. 18. ὁ γὰρ θεὸς ἡμῶν Ιησοῦς ὁ χριστὸς ἐκυοφορήθη ὑπὸ Μαρίας κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ. *Deus enim noster Iesus Christus in utero gestatus est à Maria juxta dispensationem DEI.* Quæ ita verbotenus in Theodoreti Dial. 1. allegata legas. In eadem Epistola §. 19. Θεοῦ ἀνθρωπίνως φανερουμένου εἰς καινότητα ἀϊδίου ζωῆς, *DEO humanitus* (i. e. in humana carne) *manifestatô in novitatem vitæ æternæ.* Et §. 20. Ιησοῦ χριστῷ τῷ κατὰ σάρκα ἐκ γένους Δαβὶδ, τῷ υἱῷ ἀνθρώπου, καὶ υἱῷ Θεοῦ. *Iesu Christo, secundum carnem ex genere Davidis, filio hominis, & filio Dei.* In Inscriptione Epist. ad Romanos Tom. I. Spicil. Patrum Sec. II. p. 13. Iesus Christus bis ὁ θεὸς ἡμῶν, *Deus noster* appellatur. Et in ipsa Epistola pag. 14. hæc habentur: ὁ γὰρ θεὸς ἡμῶν Ιησοῦς Χριστὸς ὢν παρὰ πατρὶ ὢν, μᾶλλον φαίνεται. *Nam Iesus Christus Deus noster, in Patre existens, magis apparet.* Quæ tamen nec ab Interprete, neq; ab Interpolatore agnita fuisse fateor. Denique, in fine Epist. ad Polycarpum: ἐρρῶσθαι ὑμᾶς διὰ παντὸς ἐν θεῷ ἡμῶν Ιησοῦ Χριστῷ εὔχομαι. *Opto vos valere semper in Deo nostro Iesu Christo.* Confer Annotata ad sequens Caput III. de Clemente. Rom. §. 2.

CAP.

CAP. III.

Clemens Romanus & Polycarpus ab Auctoris Irenici & Sandii calumniis obiter vindicantur.

§. 1. EX Apoſtolici ævi Scriptoribus, præter eos quorum ſententiam in capite proximè præcedenti explicavimus, duo omnino reliqui ſunt, Clemens nempe Romanus & Polycarpus. Horum ideo inter Traditionis Catholicæ teſtes Apoſtolicos nullam hactenus mentionem feci, quòd pauca ipſorum monumenta genuina hodie ſuperſint, atque in iis quæ ſuperſunt, parcè illi & minùs clarè (utpote de aliis ſolliciti) dogma de Filii Divinitate attigerint. Quoniam verò hinc calumniæ anſam arripuerunt Irenici Auctor & Sandius; illô in Socinianæ, hôc in Arianæ blaſphemiæ patrocinium obtortô quaſi collô protrahente ſanctiſſimos Patres; viſum eſt hîc, ὡς ἐν παρόδῳ, ipſorum Sophiſmatis paucis occurrere. De Clemente primò agam.

§. 2. Illum & Irenici Auctor, & Sandius (Petavio monitore) hæreſis quondam adverſus Chriſti Divinitatem ſuſpectum habuiſſe Photium, obſervârunt. Photius ſcilicet ille, de Clemente ejuſque Epiſtolis agens, poſtquam alia quædam in Epiſtola prima, tanquam reprehenſione digna, commemoraverat, & illud notat: Ὅτι ἀρχιερέα καὶ περσάτην τῶν Κύριον ἡμῶν Ιησοῦ Χριστὸν ὀνομάζων, ὀλίγας τὰς θεοπρεπεῖς καὶ ὑψηλοτέρας ἀφῆκε περὶ αὐτοῦ φωνάς· ὃ μὲν ὀλίγα ἀποκαλύπτως αὐτὸν ὠδάμη ἐν τέλοις βλασφημεῖ, i. e. "Quòd ſummum Sacerdotem Præſidemque Dominum "noſtrum Jeſum Chriſtum appellans, ne illas quidem Deo convenientes, & ſublimiores voces de eo pronuntiet; tametſi nec "apertè ipſum ullibi in his blaſphemet." Sed ferat ipſe, Criticus nimiùm Veterum Cenſor (nemo me culpet, quòd de Patriarcha Conſtantinopolitano recentiori, protervè & nulla de cauſa Romanum Patriarcham, ab ipſis Apoſtolis conſtitutum, in hæreſis ſuſpicionem vocante, liberiùs ſcripſerim,) ſuæ temeritatis infamiam. Mihi ſane perridiculi ſemper viſi ſunt, qui, cùm Epiſtolam aliquam veteris Scriptoris aut breviuſculum Tractatum (unicum & illud fortè indubitatum Auctoris σωζόμενον) legunt, in eoque ſententiam aliquod Chriſtianæ fidei vel omnino intactum, vel non ſatis liquidò explicatum eſſe; (Auctore ſcilicet, re exigente, in aliud intentô) continuò Scriptorem ipſum, neſcio cujus, hæreſis ſuſpectum habent. Sed nobis ſufficit, quòd ipſe Clemens in Epiſtola ſua nuſquam (Photiô ipſo fatente) Chriſtum Dominum blaſphemet.

Phot. Bib. Cod. CXXVI.

§. 3. Photiô itaque miſsô, ad Irenici Auctorem accedo. Qui ex Clementis Epiſtola prima, adverſus traditionem Catholicam, ita argumentatur: "Certum eſt, Clementem, ſi Irenic. p. 23, 24.
"evolvatur, perpetuò ita loqui, ut Patri
"prærogativam relinquat, eum Deum omni-
"potentem, Deum unum, omnium Conditorem, Deumque paſſim appellando, &c.
"Chriſtum verò præterea ita tantùm, quemadmodum & de Herma dictum eſt, deſcribere, ut vix aliam quàm humanam naturam in ipſo agnoviſſe videatur." Quod hîc de Patris ἀρχῇ, à Clemente tam religiosè obſervatâ, objicit Anonymus, nullum prorſus mihi ſcrupulum injicit vel leviſſimum: quippe qui ſat ſciam ac meminerim, ab Apoſtolo etiam Paulo (quem tamen veram Filii Divinitatem tum credidiſſe, tum docuiſſe, apud me extra controverſiam eſt,) factum eſſe idem; quin & à Patribus univerſis, etiam ipſis Nicænis, quique poſt Synodum Nicænam ſcripſere, eaſdem de Deo Patre locutiones uſurpari. Scilicet hujus rei cauſam infrà ad Sectionem quartam de Filii ſubordinatione, *&c.* liquidò explicabimus. Jam ad verba illa Anonymi, in quibus ait, Clementem, ut & Hermam, Chriſtum ita tantùm deſcribere, ut vix aliam quàm humanam in ipſo naturam agnoviſſe videatur, reſpondeo, quod de Herma dicit, ſplendidum eſſe mendacium, ut ſuprà evidentiſſimè oſtendi. Ad Clementem verò quod attinet, cautè ab Hæretico illud *vix* additum eſt. Nimis enim inverecundus ſit, qui negaverit in illâ Clementis Epiſtola quædam reperiri, quæ aliam quàm humanam in Chriſto naturam arguant. Hujuſmodi eſt illud, quod τὰ μεγαλεῖα τῶν δωρεῶν, *dona illa magnifica*, quæ Abrahami familiæ

miliæ propter ipsius fidem à Deo concessa olim erant, describens, ait: ἐξ αὐτῶ ὁ Κύριος Ιησῦς τὸ κατὰ σάρκα, i. e. *Ex illo Dominus Jesus, quod ad carnem attinet.* Ubi in illa restrictione, τὸ κατὰ σάρκα, innui, aliam in Christo naturam præter humanam, sive carnem illam quam ex Abrahamo traxit, inesse, manifestum est. Præterea parum admodum verisimile est, Clementem ita abjectè atq; humiliter de Christo sensisse, ut φιλὸν ἄνθρωπον illum crediderit, quem titulis tam magnificis exornat. Appellat enim Christum ἀπαύγασμα τῆ μεγαλοσύνης τοῦ Θεῦ, *splendorem magnificentiæ Dei*; & in eo mox Christi præstantiam supra omnes Angelos sitam esse docet, quòd illi sint λειτουργοὶ, *ministri*, hoc est servi Dei omnium creaturarum Domini; ipse verò non servus, sed Filius Dei sit. Locutus est autem ibi Clemens cum Auctore Epistolæ ad Hebræos, quam inter Epistolam & hanc Clementis tantam sensuum & verborum similitudinem multis in locis deprehendit doctissimus Junius, ut (post Hieronymum aliosque Veteres,) eundem esse utriusque Epistolæ Auctorem suspicatus fuerit. Jam per ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ πατρὸς in Epistolæ ad Hebræos cap. 1, v. 3. divinam illam Filii naturam & Majestatem, quâ ante sæcula unà cum Deo Patre extitit, quâ sæcula ipse condidit, quâ denique universam hanc mundi compagem vi suâ omnipotenti etiamnum sustentat gubernatque, significari, talpâ cæcior est qui non videt.

pag. 82.

§. 4. Alibi in eadem Epistola idem Clemens Servatorem nostrum dixerat τὸ σκῆπτρον τῆς μεγαλοσύνης τοῦ Θεῦ, i. e. *Sceptrum magnificentiæ Dei.* Qui locus si integrè producatur, observatô etiam scopô & contextu Auctoris, quid de Christo senserit Vir Apostolicus, satis ostendet. Hortatur istic Corinthios ad humilitatem sive animi modestiam, à stupendo Christi exemplo, his verbis: τὸ σκῆπτρον τῆς μεγαλοσύνης τοῦ Θεῦ, ὁ Κύριος ἡμῶν Χριστὸς Ιησῦς, οὐκ ἦλθεν ἐν κόμπῳ ἀλαζονείας, οὐδὲ ὑπερηφανείας, καίπερ δυνάμενος· ἀλλὰ ταπεινοφρόνως κ. λ. i. e. *Sceptrum magnificentiæ Dei* *, *Dominus noster Jesus Christus, non venit in jactantia superbiæ & fastûs, quamvis potuerit; sed in humilitate*, &c. Certum habeo, Clementem his verbis divinam Servatoris naturam ac Majestatem, in qua subsistit ante nativitatem suam ex beatissima Virgine, exprimere voluisse, Neque de eo quisquam dubitare potest, qui Christum à Clemente *Sceptrum magnificentiæ Dei*, quô statu fuit ante suum in hunc orbem adventum, dici animadverterit. Nisi enim Christus Sceptrum magnificentiæ Dei fuerit, antequam ad homines veniret, quænam, obsecro, erit ejus tantopere à Clemente celebrata συγκατάβασις sive condescensio, quòd in adventu illo suo se non ut Sceptrum magnificentiæ Dei gesserit? Adhæc, Christum hîc proponit Clemens, tanquam exemplum condescensionis infinitæ, quam pro modulo nostro imitari quidem possumus ac debemus, (quemadmodum & Dei perfectam sanctitatem Matth. 5. 48. 1 Pet. 1. 15, 16.) adæquare verò nunquam poterimus. Sic enim post allegata Esaiæ ac Davidis verba, de humilitate Christi vaticinantia, pergit Vir sanctus: δεῦτε, ἄνδρες ἀγαπητοὶ, pag. 40. τίς ὁ ὑπόδειγμα ἡμῖν δεδομένος ἡμῖν. εἰ γὰρ ὁ Κύριος οὕτως ἐταπεινοφρόνησε, τί ποιήσωμεν ἡμεῖς, οἱ ὑπὸ τὸ ζυγὸν τῆς χάριτος αὐτοῦ ἐληλύθοντες, i. e. *Expendite, Viri dilecti, quale nobis exemplum sit propositum. Si enim Dominus ita se humiliavit, quid faciemus nos, qui sub jugum ejus gratiæ venimus?* Quæ verò ista infinita disparitas, si Christum purum putum hominem animô concipias? Locus autem hic Clementis planè geminus est illi D. Pauli ad Philippenses c. 2. v. 6. seqq. Quod enim ibi ἐν μορφῆ Θεοῦ ὑπάρχων, hic τὸ σκῆπτρον τῆς μεγαλοσύνης τοῦ Θεοῦ· quod ibi οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῶ, hîc οὐκ ἦλθεν ἐν κόμπῳ ἀλαζονείας, οὐδὲ ὑπερηφανείας, καίπερ δυνάμενος. Et quemadmodum Paulus Christi infinitam condescensionem ex eo commendat, quòd, cùm in forma Dei esset, non ostentaverit suam cum Deo ἰσοτιμίαν (id enim significant verba, οὐχ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῶ·) ita Clemens docet, Christum, cùm revera Sceptrum magnificentiæ Dei fuerit, suam tamen Majestatem, dum ad homines veniret, occultâsse. Scilicet notanda sunt verba, καίπερ δυνάμενος, *quanquam potuerit, vel quanquam potens fuerit.* Denique Pauli ἐκένωσεν ἑαυτὸν idem manifestè est, quod Clementis ἐταπεινοφρόνησε. Si Interpretem velis, qui utriusque tum Pauli, tum Clementis sensum clariùs aperiat, videas omnino nobilem Justini locum, quem ex ejus Epistola ad Diognetum infrà adducemus, hujus Sectionis cap. 4. n. 7.

§. 5. Porro extat altera sub Clementis nomine Epistola mutilata, quæ ab Eusebio quidem οὐχ ὁμοίως τῆ πρότερα γνωρίμος, *non perinde ac prior nota ac celebrata* dicitur. Nimirum prima Clementis Epistola, sive rerum copiam in ipsa tractatarum spectes, sive styli vigorem, longè alteram superat; propterea- Eccles. Hist. l. 3. c. 38.

O

* i. e. potentia Dei, (1 Cor. 1. 24,) ut sit Metonymia Signi pro re signata.

ptereaque ab Eccleſiæ Doctoribus, meritô ſuô, majori in pretio habita, & frequentiùs laudata fuit. Inde verò Hieronymus & Ruſinus, Euſebii hîc Interpretes minùs felices, tradiderunt, Epiſtolam illam ſecundam à Veteribus, ut ſpuriam prorſus, omnino rejectam & reprobatam fuiſſe. Sed verè dixit Vir optimus: *Fides debet eſſe penes Auctorem, non Interpretes.* Quòd autem in dubium à quibuſdam, etiam olim, vocata fuerit hæc Epiſtola, inde eveniſſe mihi videtur, quòd prima illa, ob cauſas quas dixi, ſola in publicis Eccleſiæ conventibus legi meruerit. Quô honore cum altera deſtitueretur, paulatim, quaſi Clementis revera non eſſet, neglectui habita eſt. Quam etiam ob cauſam aliæ Clementis Epiſtolæ (nam & alias ſcripſiſſe Virum ſanctum, mihi indubium eſt,) prorſus interciderunt. Certè Epiſtola illa, ſecunda quæ dicitur, ante Euſebii tempora ſub Clementis nomine evulgata fuit; ad Corinthios inſcripta eſt; eorundem errorem de reſurrectione corporis, perinde ac prior, redarguit; dictiones ac phraſes Clementi familiares paſſim uſurpat; denique nihil habet novi aut Clemente indignum, ob quod ſuppoſitam illam fuiſſe ab Impoſtore aliquo, jure ſuſpicemur. Quibus addas, ſi lubet, quòd utraque Clementis Epiſtola in Canonibus Apoſtolicis (Can. ult.) pariter recipiatur; & ab Epiphanio aliiſque agnoſcatur. Jam in ipſo ejus Epiſtolæ initio hæc legimus: Ἀδελφοί, ὕτως δεῖ ἡμᾶς φρονεῖν περὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὡς περὶ Θεοῦ, i. e. *Fratres ita oportet de Jeſu Chriſto nos ſentire, tanquam de Deo.* Et mox: Καὶ ὀ δεῖ ἡμᾶς μικρὰ φρονεῖν περὶ τῆς σωτηρίας ἡμῶν· ἐν τῷ γὰρ φρονεῖν ἡμᾶς μικρὰ περὶ αὐτοῦ, μικρὰ ἢ ἐλπίζομεν λαβεῖν, i. e. *Nec decet nos humilia ſentire de ſalute noſtra: dum enim humiliter ſentimus de illo, parva etiam nos accepturos ſperamus.* Scilicet hîc Cerinthi hæreſis, neque Clementi, neque Corinthiis incognita, perſtringitur. Apprimè autem obſervandum eſt, Clementem hîc docere, oportere nos non modò Chriſtum Deum dicere, (quod neque Ariani, neque adeo Sociniani recuſant, ſed & de ipſo, ut Deo, revera ſentire; hoc eſt, eam Chriſti notionem, tanquam qui Deus ſit, non mera creatura, in animis noſtris concipere; & qui aliter de Chriſto ſentiunt, de ſalute ſua periclitari. Illuſtris verò eſt locus, de duplici Chriſti natura, divinâ & humanâ, qui occurrit in ejuſdem Epiſtolæ (juxta ultimæ editionis Oxonienſis, & Cotelerii quoque, ut audio, partitionem,) cap. 9. ubi Auctor de carnis reſurrectione agens, ſic loquitur: ὁ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ Κύριος, ὁ σώσας ἡμᾶς, ὢν μὲν τὸ πρῶτον πνεῦμα, ἐγένετο σάρξ, καὶ ὕτως ἡμᾶς ἐκάλεσεν· ὕτως καὶ ἡμεῖς ἐν ταύτῃ τῇ σαρκὶ ἀπολημψόμεθα τὸν μισθόν. i. e. *Jeſus Chriſtus Dominus, qui nos ſervavit, cùm primùm eſſet Spiritus, caro factus eſt, atque ſic vocavit nos: ita etiam nos in hac carne mercedem recipiemus.* Hîc divinam Chriſti naturam, in qua ſubſtitit ante aſſumptam carnem, πνεῦμα vocat; juxtà ſcilicet cum ſuis coætaneis, Auctore Epiſtolæ, quæ Barnabæ dicitur, Hermâ, Ignatiô & θεοπνεύστοις Novi Teſtamenti Scriptoribus; quemadmodum ſuprà oſtendi. His addas (mantiſſæ locô) quod Baſilius lib. de Spiritu S. c. 29. Clementis Romani illuſtre de ſanctiſſima Trinitate teſtimonium profert. Locus Baſilii ſic habet: ἀλλὰ καὶ ὁ Κλήμης ἀρχαιότερος· ζῇ, φησὶν, ὁ Θεὸς, καὶ ὁ Κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, i. e. *Sed & Clemens antiquior: Vivit, inquit, Deus, & Dominus Jeſus Chriſtus, & Spiritus ſanctus.* Tom. 2. pag. 358. Edit. Pariſ. 1637. Ubi non eſt dubium, quin Clemens dixerit *Deum vivere*, quô ſenſu in Scripturis Deus appellatur *Deus vivens*; ut nempe ab idolis, ac mortuis & fictitiis Gentium Diis diſtinguatur. Ait igitur, & Deum Patrem, & Jeſum Chriſtum, (nempe quatenus is πνεῦμα eſt, etiam ante aſſumptam carnem, adeoque ab æterno ſubſiſtens) & Spiritum ſanctum, Deum eſſe illum vivum ac verum, quem, abdicatis idolis, unicè colere atque adorare debemus. Hæc quidem verba Clementis, ſat ſcio, neque in Epiſtola ad Corinthios prima, neque in Epiſtolæ ſecundæ fragmento, quod habemus, uſpiam inveniri: utrum in ea ſecundæ Epiſtolæ parte, quæ hodie deſideratur, ſcripta fuerint, planè neſcio. Sed fides magni atque optimi Baſilii id omnino à nobis exigere videtur, ut credamus, vetuſtiſſimum illum Clementem talia alicubi ſcripſiſſe.

§. 6. Ad Sandium venio: qui ex Conſtitutionum libris ſanctum Clementem Romanum Arianiſmi arguit. Credas hominem, poſt fidei & bonæ conſcientiæ naufragium, pudorem quoque omnem perdidiſſe. Quippe conſentiunt Reformati Theologi omnes, neque reclamant hodie ex Pontificiis Critici doctiores, clamat verò res ipſa, Conſtitutiones illas Clementis non eſſe. Et quis ferat hominem, qui dum ſe Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ nucleum ipſiſſimum exhibuiſſe gloriatur, iſtiuſmodi merces Lectori ſuo obtrudat? Interim loca pleraque omnia, quæ ex Conſtitutionibus ab ipſo allegantur, tanquam pro Arianis facientia, eâ ratione haud difficilè excuſari poſſunt, quòd ab Auctore dicta ſint ad ἐξοχὴν illam Patris, quatenus eſt fons Deitatis, reſpiciente, ac Filium à Patre diſtinguere, adverſus hæreſin, quam Sabellius amplexus eſt, volente: id quod loca ipſa inſpi- Enucl. Hiſt. Eccleſ. lib. 1. p. 67.

ſpicienti facilè patebit. Unum illud, quod Conſtitutionum Auctori objicit Sandius, nullam defenſionem admittit, nempe quòd aſſeruit, *Filium Dei ex nihilo creatum eſſe, & aliquando non fuiſſe.* Sed non memini me in Conſtitutionum libris hæc legiſſe : nec puto tale quippiam in ipſis uſpiam reperiri. Certè Auctor contrarium diſertè docet lib. 7, cap. 42. quod etiam caput inter ea enumerat Sandius, in quibus Clemens Arianizat. Ibi ſcilicet profeſſionem fidei à baptizando faciendam exponens, fidem de Deo Patre ſic explicat : πιστεύω καὶ βαπτίζομαι εἰς ἕνα ἀγέννητον, μόνον ἀληθινὸν Θεὸν παντοκράτορα, τὸν πατέρα τοῦ Χριστοῦ· κτίστην καὶ δημιουργὸν τῶν ἁπάντων, i. e. *Credo & baptizor in unum ingenitum, ſolum verum Deum omnipotentem, Patrem Chriſti, conditorem & opificem omnium.* Vides hic, Deum Chriſti Patrem, non conditorem aut opificem, creaturarum verò omnium conditorem & opificem diſtinctè prædicari. Sed & mox articulum de Filio Dei unigenito ſic διαφράζει Auctor: καὶ εἰς τὸν Κύριον Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν, τὸν μονογενῆ αὐτοῦ υἱὸν, —— γεννηθέντα καὶ κτισθέντα· δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, i. e. *Et in Dominum Jeſum Chriſtum unigenitum ejus Filium,* —— *genitum non creatum; per quem omnia facta ſunt.* Quæ verba nullo σοφῷ φαρμάκῳ, quod non riſum potiùs quàm refutationem mereatur, cum Ariano dogmate conciliari poſſunt. Sic & lib. 6, cap. 11., fidem Apoſtolorum eam eſſe docet, quâ creditur, ἕνα εἶναι Θεὸν, ἑνὸς υἱοῦ πατέρα, ἀ πλειόνων· ἑνὸς παρακλήτου ἁγίου Χριστοῦ· τῶν ἄλλων ταγμάτων ποιητὴν· ἕνα δημιουργόν· ἑνὸς φόρου κτίσεως ἁγίου Χριστοῦ ποιητήν, i. e. *Unum eſſe Deum, unius Filii Patrem, non plurium; unius Paracleti per Chriſtum; aliorum ordinum effectorem; unum mundi Architectum; diverſarum creaturarum opificem per Chriſtum.* Ubi etiam Spiritum S. ex ordine rerum à Deo factarum manifeſtè eximit. His addas, quòd apud hunc Auctorem, ubi veteris Eccleſiæ Liturgiam recitat, frequenter occurrat hæc δοξολογίας formula: μεθ' οὗ σοι δόξα, τιμὴ, αἴνεσις, δοξολογία, εὐχαριστία, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν. i. e. *cum quo* [Filio] *Tibi* [Deo Patri] *ſit gloria, honos, laus, celebratio, gratiarum actio, & Spiritui quoque ſancto in ſæcula, amen.* Sic libro 8. cap. 33. In capite autem ejuſdem libri 15. ſub finem, eandem habes δοξολογίαν his verbis expreſſam : σοὶ δόξα, αἴνεσις, μεγαλοπρέπεια, σέβας, προσκύνησις· καὶ τῷ σῷ παιδὶ Ἰησοῦ τῷ Χριστῷ σου, τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, καὶ Θεῷ, καὶ βασιλεῖ· καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι, νῦν, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν. i. e. *Tibi* [Patri] *gloria, laus, magnificentia, veneratio, adoratio; & Filio tuo Chriſto, Domino noſtro, & Deo, & Regi; & Spiritui ſancto, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.* Vide & ejuſdem libri cap. 16. 18. 20. 21. 22. 29. 39. 41. Jam in hac glorificatione idem honos, eadem gloria & Majeſtas, & Patri, & Filio, & Spiritui ſancto conjunctim, manifeſtè tribuitur. Optimè autem hîc Pneumatomachi apud Baſilium : ἡμεῖς τοῖς μὲν ὁμοτίμοις φαμὲν τὴν συναρίθμησιν πρέπειν· τοῖς δὲ πρὸς τὸ χεῖρον παραλλαγμένοις τὴν ὑπαρίθμησιν, i. e. *Nos aſſerimus, connumerationem iis convenire, qui honore ſunt pares: iis verò, qui inferioris ſunt conditionis, ſubnumerationem.* Hinc Ariani eam δοξολογίας formulam nunquam libenter uſurpârunt; ſed μεθ' οὗ immutârunt in δι' οὗ, ſive ἐν ᾧ· eô nimirum conſiliô, ut Filium Patri naturâ inferiorem, ab eoque adeo alienum eſſe ſignificarent. Alioqui nonnulli etiam Catholicorum, Nicænâ Synodo anteriorum, (ut & Conſtitutionum Auctor alibi,) δι' οὗ, quidam verò & μεθ' οὗ & δι' οὗ ſimul uſurpârunt : intelligentes ſcilicet, per Filium Patris gloriam manifeſtari, omnemque Filii gloriam ad Patrem, ut fontem Divinitatis, redundare; & tamen Filium ſimul cum Patre, ut ejuſdem divinæ naturæ ac Majeſtatis conſortem, adorari debere. Ut clariùs dicam, Catholici veteres, dum Patrem per Filium glorificabant, Filii ſubordinationem, quà Filius eſt, & Patris ἐξοχὴν, quà Pater eſt; Filium verò cum Patre adorantes, ipſius τὸ ὁμοούσιον & in eadem divina eſſentia ac natura cum Patre ſubſiſtentiam ſignificare voluerunt. Cæterum μεθ' οὗ omnino diſplicuiſſe Arianis, ipſoſque adeo receptam illam in publicis Liturgiis δοξολογίας formulam, ubi rerum potirentur, in δι' οὗ immutâſſe, teſtatur Hiſtoria Eccleſiaſtica. * Imò ipſe Philoſtorgius, Arianorum Hiſtoriographus, lib. 3. cap. 13. ſcribit, Flavianum Antiochenum, Nicænæ fidei aſſertorem, collectâ Monachorum multitudine, πρῶτον ἀναβοῆσαι, δόξα πατρὶ, καὶ υἱῷ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι. τῶν γὰρ περὶ αὐτὸν, τὸν μὲν, δόξα πατρὶ δι' υἱοῦ ἐν ἁγίῳ πνεύματι λέγειν· καὶ ταύτην μᾶλλον τὴν ἐκφώνησιν ἐπιπολάζειν· τὸν δὲ, δόξα πατρὶ ἐν υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι, i. e. *primùm omnium acclamâſſe: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Nam ex iis qui ætate*

Baſil. lib. de Spirit. S. c. 17.

* Vide Socrat. lib. 2. cap. 21. & Sozom. lib. 8. cap. 8. & Valeſii Notas in utrumque.

tate illum anteceſſerunt, alios quidem dixiſſe, Gloria Patri per Filium in Spiritu ſancto; atque hanc acclamationem uſu magis receptam eſſe: alios verò dicere ſolitos, Gloria Patri in Filio & Spiritu ſancto. Ubi quidem, quod ait, Flavianum primum in Eccleſiæ uſum invexiſſe δοξολογίας formulam, quâ diceretur, *Gloria Patri, & Filio,* (ſive cum Filio) *& Spiritui ſancto,* cùm ante ipſum *per Filium,* aut *in Filio* duntaxat uſurpatum fuerit; falſiſſimum eſt. Nam in precum formulis antiquis, quæ ante Flavianum, adeoque ante Synodum Nicænam in Eccleſia obtinuerunt, eadem δοξολογία uſurpata fuit, ut ex Conſtitutionibus liquet. Eandem quoque δοξολογίαν in Scriptis quorundam Patrum Ante-Nicænorum, ac nominatim apud Clementem Alexandrinum (qui & ita παραφράζει formulam illam, ut nemo Arianus ipſam concoquere poſſit,) reperiri, infrà oſtendemus. Deniq; μεθ' ὧν ab ipſis etiam Apoſtolicis Scriptoribus approbatum atque uſurpatum fuiſſe, mox, ubi de Polycarpo agemus, apparebit. Interim hinc diſcas, quantum diſplicuerit Arianis μεθ' ὧν, & formula illa, *Gloria Patri & Filio,* &c. Ad Sandium redeo, qui etiam ex Recognitionum libris Arianum fuiſſe Clementem conatur oſtendere. Sed Recognitiones illas Clementis eſſe, nemo, cui ſatis ſanum eſt ſinciput, ſeriò affirmabit: unde & ipſæ à doctis pleriſque omnibus, tam Pontificiis quàm noſtris, ut ſpuriæ & certò adulterinæ, dudum exploſæ & rejectæ fuerunt. Atque hactenus de Clemente Romano.

cap. 6. n. 4.

§. 7. Ad Polycarpum progredior. De ipſo hoc tantùm ſtrictim notat Sandius, quòd *in Epiſtola ſua ad Philippenſes ſæpiùs diſtinguat Chriſtum à Deo.* Sed Auctor Irenici id fuſiùs urget, atque in Socinianæ etiam hæreſis patrocinium trahit, ita ſcilicet diſſerens: *Hujus* [Polycarpi] *nihil nobis reliquum eſt, præter Epiſtolam ad Philippenſes ſcriptam, & fragmenta pauca ab Euſebio ſervata. Cæterum in Epiſtola ad Philippenſes nihil prorſus continetur, quod Divinitatem Chriſti argueret; imò Chriſtus non tantùm ſemper à Deo omnipotente diſtinguitur,* (*qui etiam Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti dicitur,*) *ſed & perpetuò* (*quemadmodum in ſuperiori Clementis Epiſtola*) *ut homo tantùm, & qui in carne venit, conſtitutus ſcilicet miniſter omnium, ſuſcitatus tandem, & à Deo exaltatus, Dominuſque noſter & Pontifex ſempiternus exiſtens, in quem proinde credere omnes debeant, introducitur,* &c. Itaque inprimis de Epiſtola Polycarpi videamus. Ac primò, quid ſi Anonymo largiremus, nihil in Epiſtola illa contineri, quod Divinitatem Chriſti arguat? Certe neutiquam inde conſequeretur, Polycarpum Chriſti Divinitatem non agnoviſſe. Quid enim? An neceſſe eſt, ut qui credit Chriſtum eſſe Deum, quoties Epiſtolam aliquam conſcribit, fidem iſtam ſuam profiteatur? Nugæ. Quot legas Eccleſiaſticorum Scriptorum, qui Filii Divinitatem ex animo crediderunt, ſatis prolixas Epiſtolas, in quibus tamen ne γεὺ quidem reperias, quod Divinitatem Chriſti arguat? Pro exemplo ſit Cypriani bene longa Epiſtola ad Antonianum, quæ eſt, juxta Pamelianam editionem, numerô 52. Ibi nihil de Chriſto Deo expreſsè dicit Cyprianus, imò Chriſtum à Deo paſſim diſtinguit. Jam quid ſi ex omnibus Cypriani Epiſtolis hæc una ſuperfuiſſet? Annon meritò conquererentur manes beatiſſimi Martyris de graviſſima injuria ſibi facta ab eo, qui inde colligeret, Cyprianum Chriſti Divinitatem non agnoviſſe? Certè. Nam ex aliis multis ejuſdem Cypriani Scriptis, quæ hodie extant, certò comperimus, ipſum Chriſti Divinitatem omnino agnoviſſe. Sic & Polycarpum, præter illam ad Philippenſes, alias etiam Epiſtolas, tum ad vicinas Eccleſias, tum ad quoſdam fratres conſcripſiſſe, ex quibus puritas ejus doctrinæ colligi poterat, diſertè teſtatur Irenæus in Epiſtola ad Florinum, apud Euſebium Eccleſ. Hiſt. l. 5. c. 20. Quid ſi in iſtis fidem ſuam de Chriſti Divinitate clariùs prodidit? Sanè Hieronymus inter veteres & Apoſtolicos Scriptores, qui hæreſin contra Chriſti Divinitatem, quam ex Judæo-Chriſtianis *Ebion* primus, Chriſtianorum verò ex Gentibus primus *Theodotus* Byzantinus propugnavit, Scriptis ſuis refutârunt, etiam Polycarpum recenſet. Verba ejus adverſus *Helvidium*, hæc ſunt: *Numquid non poſſum tibi totam veterum Scriptorum ſeriem commovere, Ignatium, Polycarpum, Irenæum, Juſtinum Martyrem, multoſq; alios Apoſtolicos & eloquentes viros, qui adverſus Hebionem & Theodotum Byzantinum* [† *& Valentinum*] *hæc eadem ſentientes plena ſapientiæ volumina conſcripſerunt? quæ ſi legiſſes aliquando, plus ſaperes.* Et omnino veriſimile eſt, ex aliis illis Polycarpi Epi-

Enucl. Hiſt. Eccleſ. lib. 1. p. 75.

cap. 9.

† Hæc in pleriſque exemplaribus deeſſe notat Marianus Victorius. Ac ſane nomen *Valentini* a ſciolo aliquo textui inſertum fuiſſe, res ipſa clamat; ſiquidem conſtat Ebionis & Theodoti hæreſin a Valentini de Chriſto ſententia longe diſcrepaſſe.

Epiſtolis, quæ interciderunt, deſumpta eſſe fragmenta illa quinque non aſpernanda, quæ ex Codice vetuſtiſſimis characteribus manu deſcripto, prout in ipſo à Victore Epiſcopo Capuano ante mille & centum ~~annos~~ citantur, Feuardentius primùm edidit in calce Notationum ſuarum ad Irenæi lib. 3. cap. 3. In horum autem fragmentorum tertio hæc Polycarpi verba leguntur: *Ioannes ad Epheſum conſtitutus, qui Legem tanquam ex Gentibus ignorabant, à cauſa noſtræ redemptionis Evangelii ſumpſit exordium: quæ cauſa ex eo apparet, quòd Filium ſuum Deus pro noſtra ſalute voluit incarnari. Lucas verò à Zachariæ ſacerdotio incipit, ut ejus filii miraculô nativitatis, & tanti prædicatoris officiô, Divinitatem Chriſti Gentibus declararet.* Ubi Vir ſanctiſſimus Filium Dei, qui talis erat antequam homo factus fuerat, & poſtmodum, quando & quomodo Deus Pater voluit, incarnatus, ſive homo factus eſt, ob hominum ſalutem, apertiſſimè agnoſcit & profitetur: & ejuſmodi adeo Dei Filium Joannem voluiſſe in ſui Evangelii initio deſcribere, expreſsè docet. Quin & affirmat, Lucam quoque in ſui Evangelii exordio intendiſſe, ex miranda nativitate præcurſoris Chriſti, ejuſque præconio, Chriſti ipſius Divinitatem Gentibus declarare.

§. 8. Verùm, ſecundò, quædam ſunt in ipſa ad Philippenſes Polycarpi Epiſtola, quæ Chriſti Divinitatem non obſcurè arguant. Ejuſmodi eſt is ipſe locus, quem reſpicit Irenici Auctor, cujus verba juxta Verſionem Latinam, (nam Græca ibi deſiderantur,) pag. 23. ſic habent: *Deus autem & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ipſe ſempiternus Pontifex, Dei Filius, Jeſus Chriſtus ædificet vos in fide & veritate, & in omni manſuetudine & ſine iracundia, & in patientia, & longanimitate, & tolerantia, & caſtitate: & det vobis ſortem et partem inter ſanctos ſuos*, &c. Quibus verbis Polycarpus Chriſtum, Filium Dei, unà cum Patre Deo invocat, ut largitorem gratiæ in hac vitâ, & gloriæ in futura. Cujuſmodi invocationem Deo ſoli convenire, neque in ullam creaturam competere, (quicquid obganniant Ariani & Sociniſtæ,) & ſacra Scriptura, & recta ratio, ac denique unanimis veterum Catholicorum Doctorum ſententia nos docet. Clara autem inprimis ſunt verba Polycarpi de Chriſto omnium inſpectore ac judice: ἀπέναντι γὰρ ὄντων τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ ἐσμὲν ὀφθαλμῶν, καὶ πάντας δεῖ παραστῆναι τῷ βήματι τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἕκαστον ὑπὲρ ἑαυτοῦ λόγον δοῦναι. ἔτως οὖν δουλεύσωμεν αὐτῷ μετὰ φόβου καὶ πάσης εὐλαβείας· καθὼς αὐτὸς ἐνετείλατο, καὶ οἱ εὐαγγελισάμενοι ἡμᾶς ἀπόστολοι, καὶ οἱ προφῆται, οἱ προκηρύξαντες τὴν ἔλευσιν. Τοῦ Κυρίου ἡμῶν, i. e. *Ante conſpectum enim oculorum Domini & Dei ſumus, & omnes oportet ſtare ante tribunal Chriſti, & unumquemque pro ſe rationem reddere. Sic ergo ſerviamus ei cum timore & omni revevrentiâ, ut ipſe præcepit, & Apoſtoli, qui Evangelium nobis prædicârunt, & Prophetæ, qui prænuntiaverunt adventum Domini noſtri.* Quô in loco Polycarpus vel de Chriſto tantùm agit, ipſum & Deum & Dominum appellans; (ut ſanè de una perſona loqui videtur;) vel ſaltem cum Deo Patre Chriſtum ejus Filium conjungit, tanquam pariter πανεπόπτην, cujus oculis omnia ſubjecta, ſicut & πανδοκέα τὸν cujus tribunali omnes univerſim homines ſiſtendi ſint: atque hôc argumentô fideles hortatur, ut eidem Domino Jeſu ſervìant cum timore & omni reverentia. Loci autem hujus Polycarpiani ſenſum manifeſtum facit locus ei geminus beati Ignatii in Epiſtola ad Epheſios; εἷς ἰατρός ἐστιν ὁ Κύριος· κ. λ. quem in capite proximè præcedenti adduximus.

§. 9. Sed ad fragmenta Polycarpi, Euſebio memorata, tandem veniamus. Inter ea illuſtris eſt imprimis Polycarpi jam jam martyrium ſubituri precatio apud Euſebium Eccleſ. Hiſtor. lib. 3, cap. 15, quæ precatio inſigni hâc δοξολογίᾳ finitur: Διὰ τοῦτο καὶ περὶ πάντων σε αἰνῶ, σε δοξάζω διὰ τοῦ αἰωνίου ἀρχιερέως Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ ἀγαπητοῦ σου παιδός· δι' οὗ σοι σὺν αὐτῷ ἐν πνεύματι ἁγίῳ δόξα καὶ νῦν, καὶ εἰς τοὺς μέλλοντας αἰῶνας, Ἀμήν. i. e. *Quamobrem de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per ſempiternum Pontificem Jeſum Chriſtum, dilectum Filium tuum, per quem tibi, unà cum ipſo, in Spiritu ſancto, gloria nunc, & in ſæcula ſæculorum, Amen.* Vides hìc Deum Patrem non modò per Filium, ſed & cum ipſo glorificari, unâ eâdemque gloriâ utrique in Spiritu ſancto tributâ: quæ δοξολογίας ratio quàm hæreſi eorum, qui Chriſti veram Divinitatem negant, planè adverſetur, ſuprà in hoc capite ex parte oſtendimus. Locum autem hunc ipſe Petavius ad dogmatis de SS. Trinitate aſſertionem allegaverat. Quid vero ei reſpondet Irenici Auctor? Iren. pag. 29.

" Quod precatiunculam, *inquit*, Polycarpo aſcriptam concernit,
" quam & Petavius pro Trinitatis ſuæ con-
" firmatione allegat, ea ſanè Petavio plus
" obeſt, quàm prodeſt. Manifeſtè enim in
" ea Patrem tantùm Jeſu Chriſti, Deum ve-
" rum & omnium conditorem appellat, eum-
" que per Filium, quem Sacerdotem tantùm
" nominat, invocat. Qui loquendi modus
" quid, quæſo, aliud indicat, aut indicare
" poteſt, quàm quòd Polycarpus, quemad-

" modum in ſua quoq; Epiſtola, ſolum Pa-
" trem pro ſummo Deo habuerit & agnove-
rit?" In quibus verbis primò fraudem hominis notatu dignam cenſeo, volentis Lectori ſuo ſuſpicionem injicere, quaſi hæc precatio non eſſet Polycarpi genuina, ſed ipſi tantùm aſcripta. Certè vix ullum eſt primævæ Antiquitatis fragmentum ab Euſebio ſervatum, quod majori fide dignum ſit, quàm hæc morituri Polycarpi ultima precatio. Deſumpta eſt ex Epiſtola fratrum Smyrnæorum, qui paſſionis B. Polycarpi teſtes oculati fuerunt, ad Philomelienſes, rogantes ut cuncta, quæ in ſanctiſſimi Viri martyrio geſta fuerunt, ſigillatim ad ipſos mitterentur. De qua Epiſtola nemo doctus hucuſque dubitavit, nemo cum ratione dubitare poterit: quippe quæ jam ante Euſebii tempora in publicis Martyrum actis lecta fuerit, ac genium, hoc eſt, puritatem doctrinæ, pietatem, ſimplicitatem quoque primorum Chriſtianorum ubique ſpiret. Audi de his Polycarpi & Gallorum Martyrum actis magni Joſephi Scaligeri judicium. * " Eorum, *inquit*, lectione
" piorum animus ita afficitur, ut nunquam
" ſatur inde recedat: quod quidem ita eſſe
" unuſquiſque pro captu ſuo & conſcientiæ
" modô ſentire poteſt. Certè ego in Hiſto-
" ria Eccleſiaſtica nihil unquam vidi, à cu-
" jus lectione commotior recedam, ut non
" ampliùs meus eſſe videar.

§. 10. Sed malè habuit Irenici Auctorem (quicquid in contrarium obtendit) hocce illuſtriſſimum Polycarpianæ fidei monumentum. Quod enim ait, hanc precationem Petavio SS. Trinitatem inde aſſerenti plus obeſſe quàm prodeſſe, neſcio quâ fronte ab ipſo dictum ſit. Imò, inquit, manifeſtè in ea Polycarpus Patrem tantùm Jeſu Chriſti Deum verum & omnium conditorem appellat, eumque per Filium, quem Sacerdotem tantùm nominat, invocat: ac denique ita loquitur, ut ſolum Patrem pro ſummo Deo agnoviſſe videatur. Sed cramben hîc decies recoctam apponit nobis, ad nauſeam uſque, Hæreticus. Fatemur, fatemur ultro, Patrem ſolum eſſe aliquô reſpectu ſummum Deum, nempe quia, ut loquitur Athanaſius, πηγὴ Θεότητος, *fons Deitatis* ipſe ſit, hoc eſt, ſolus à ſeipſo Deus, à quo Divinitatem ſuam accipiant Filius & Spiritus ſanctus: atque eâdem de cauſa appellationem veri Dei Patri ſæpius tum in ſacris literis, tum in Veterum Scriptis, præſertim quoties divinæ perſonæ ſimul nominantur, propriè tribui. Interim conſtanter iidem aſſerimus, Filium eſſe lumen ex lumine, Deum ex Deo, adeoque Deum verum ex Deo vero, cum Patribus Nicænis, Quorum etiam fidei Confeſſionem pari ratione potuiſſet Anonymus ſententiæ de Filii Divinitate & SS. Trinitate opponere: ita enim illi ſuum illud Symbolum exordiuntur: *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium tam viſibilium quàm inviſibilium factorem.* Sed & operæ pretium eſt, verba Polycarpi in precationis initio, quæ Irenici Auctori viſa ſunt tantopere ſuæ hæreſi favere, hîc Lectori exhibere. Ita ſe habent: ὁ Θεὸς ἀγαπητοῦ καὶ εὐλογητοῦ παιδός σου Ἰησοῦ Χριστοῦ πατὴρ, δι' οὗ τὴν περί σε ἐπίγνωσιν ἐλήφαμεν· ὁ Θεὸς ἀγγέλων καὶ δυνάμεων καὶ πάσης τῆς κτίσεως· κ. λ. *Pater dilecti & benedicti Filii tui Jeſu Chriſti, per quem tui notitiam accepimus: Deus Angelorum, Poteſtatum, & univerſæ creaturæ*, &c. Dico mentem ipſi totam caligare, qui non videt, his verbis Socinianam adeoq; Arianam hæreſin jugulari. Docet enim hîc Polycarpus, Deum, Patrem quidem eſſe benedicti ſui Filii; Angelorum verò, Poteſtatum, atque omnis creaturæ Deum, ſcil. Conditorem: ut manifeſtiſſimè diſtinguat ac longè ſeparet benedictum Dei Filium ab Angelis, Poteſtatibus, atque univerſo rerum creatarum ordine, adeoque ipſum creaturarum centu eximat, ac Deum prorſus aliam φύσιν ad benedictum Filium ſuum, aliam ad Angelos reliquarumq; creaturarum gregem habere doceat. Addas, quòd Epitheton εὐλογητὸς, quod hîc Filio Dei tribuit Polycarpus, à veteribus Judæis propriè uſurpatum fuerit in celebratione Divini nominis; utpote quibus in δεξολογίαις ſuis ſolennis erat formula ברוך השם, ut eruditi ſatis nôrunt. Et hos imitati ſunt N. T. Scriptores, quoties de Perſonis Divinis religioſiùs loqui, eorumq; ſummam gloriam ac Majeſtatem clariùs celebrare voluerunt. Confer Marc. 14. 61. Luc. 1. 68. Rom. 1. 25, & 9. 5. 2 Cor. 11. 31. Eph. 1. 3. 1 Pet. 1. 3. cum Gen. 9. 16, & 14. 20, & 24. 27, &c. Falſum eſt igitur, quod ait Anonymus, Polycarpum hîc Chriſtum tantùm Sacerdotem nominare: proinde fruſtra quoque idem eſt, cùm mox obſervat, Chriſto tributum Pontificis titulum hominem denotare. Eſto enim, quid inde conſequetur? nempe Chriſtum etiam hominem eſſe, quod nos firmâ fide credimus. Itaque titulus ἀρχιερέως hominis Filium denotet; at certè titulus τοῦ παιδὸς Θεοῦ τοῦ ἁγιητοῦ τοῦ εὐλογητοῦ, plus quàm hominem ſonat: prætertim ubi talis dilecti & benedicti Filii Dei deſcriptio adhibetur, quæ ipſum illum Filium extra & ſupra creaturarum ſortem ponat. §. 11.

* Animadverſ. in Euſeb. Chron. num. 2283.

§. 11. Cæterùm prorſus feſtivum eſt, quod Petavio objicit Hæreticus, ſcil. *Precationem Polycarpi ab illo prolatam eſſe longè aliter, atque à Sculteto in Medulla Theologiæ Patrum, lib.* xi. *c.* 1. Grave profecto crimen! Quaſi non rectè fecerit Petavius, qui precationem iſtam iiſdem planè verbis, quibus à fratribus Smyrnæis in Epiſtola ſua apud Euſebium tradita eſt, protulerit? Quid? quòd Scultetus in loco citato Polycarpi precationem non totidem verbis recitat, ſed tantùm ejus ſenſum ſummatim tradit. Sed tum ex hoc, tum ex aliis multis indiciis rectè conjeceris, Anonymum illum pleraque Veterum teſtimonia, quæ in Irenico ſuo accumulavit, haud propriâ induſtriâ ex ipſis hauſiſſe fontibus; ſed ex Sculteto, Petavio aliiſque in ſuum librum tranſcripſiſſe. Ut omnium ipſe bipedum ineptiſſimus fuerit, qui ſuſciperet, *vera primæ Antiquitatis fideique primorum Chriſtianorm monumenta orbi Chriſtiano, clariùs quàm unquam antehac, ob oculos ponere:* quod in ſplendido illo titulo, quem tertio Normæ ſuæ reconciliatricis, quam vocat, membro præmittit, à ſe præſtitum eſſe, ſtultiſſimè gloriatur.

Irenic. p. 30.

Irenic. p. 13.

§. 12. Verùm tandem aliquando quid ex δοξολογίᾳ, quâ finitur Polycarpi precatio, ad Filii Divinitatem, adeoque ad Trinitatem ὁμοούσιον confirmandum, colligi poſſit, diſpiciamus. Aſſerimus, trium in eandem formulam ac communionem gloriæ complexionem, naturæ ac Divinitatis unitatem, atque eô reſpectu æqualitatem perſonarum ſignificare. Vériſſimè enim Athanaſius de formula baptiſmi agens Orat. 3. contra Arianos: πόια γὰρ κοινωνία τῷ κτίσματι πρὸς κτίσιν; διὰ τί τὸ πεποιημένον συναριθμεῖται τῷ ποιήσαντι; i. e. "Etenim quæ poteſt eſſe creaturæ cum Creatore ſocietas & communio? Cur quod factum eſt cum factore connumeratur?" Præclarè etiam Gregorius Nazianzenus Orat. 13. τριὰς ὡς ἀληθῶς ἡ τριὰς ἀδελφοί· τριὰς δὲ ὃ πραγμάτων ἀνίσων ἀπαρίθμησις· ἢ τί κωλύει κὰν δεκάδα, κὰν ἑκατοντάδα, κὰν μυριάδα ὀνομάζειν, μὴ τοσούτων σωτηθεμένην; πολλὰ γὰρ ἀριθμούμενα, κὰν πλείω τούτων· ἀλλ' ἴσων κὰν ὁμοτίμων σύλληψις, i. e. "Trinitas "verè Trinitas eſt, fratres: Trinitas autem "non eſt inæqualium rerum enumeratio; "(quid enim alioqui prohibeat, quin & Decadem, & Centuriam, & Myriadem nominemus, ſi cum tot numeris componatur? multa quippe, multòque plura his "in numerum cadunt;) ſed æqualium & "honore parium complexio." Ac ſanè ſi in Chriſtianorum δοξολογίαις Deo Patri adjungerentur Filius & Spiritus ſanctus, non tanquam ipſi ὁμοούσιοι, ſed tantùm ut creaturæ excellentiores; cur non in iiſdem & aliæ præcellentes creaturæ ſuô ordine connumerentur? Cur non dicamus, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, & Michaeli, cæteriſque Archangelis, & Angelis? Atque ita ſcilicet pro legitima tandem habenda erit blaſphema Pontificiorum formula: *Laus Deo Deiparaque Virgini.* Sed longè aliter edocti fuerunt Apoſtolorum diſcipuli.

p. 211.

§. 13. Expendamus quæ contra hæc adferat Irenici Auctor. Primò cavillandi anſam inde arripit, quòd in hac formula Polycarpus non dicat *cum Spiritu ſancto*, vel *& Spiritui ſancto*; ſed *in Spiritu ſancto. Imò verò*, inquit, *Phraſeologia in Spiritu ſancto nullam adhuc complexionem in unam gloriæ communionem denotat. Nam & Epheſ.* 6. 18. *in Spiritu orare docemur, ſine ulla æqualitatis cum Patre notâ.* Sed quid eſt, ſi non hoc ſit, in re ſeriâ ludere, atque apertè Sophiſtam agere? Phraſi in loco ad Epheſios, *in Spiritu*, non ſignificatur Spiritus ſanctus, ſed Spiritus noſter, gratiâ quidem Spiritûs ſancti adjutus: ut idem ſit *in Spiritu orare*, quod in eadem Epiſtola *in corde*, hoc eſt, ſincerô cordis affectu, cap. 5. 19. Sed vel hinc ſuſpicor, Anonymum in numero eorum eſſe Pneumatomachorum, qui Spiritûs ſancti non modò Divinitatem, ſed & perſonalitatem, ut loquuntur, negant. Verùm quicquid heſternus ille homuncio de Spiritu S. ſentiat, certum eſt B. Polycarpum & Catholicos, qui ipſi σύγχρονοι fuere, credidiſſe, Spiritum S. eſſe perſonam à Patre & Filio diſtinctam, eamque divinam, hoc eſt, ejuſdem Majeſtatis, imperii, atque honoris cum Patre ac Filio conſortem. En teſtimonium hujus rei omni exceptione majus, confeſſio nempe fratrum Smyrnæorum, qui certè & Polycarpi, & Catholicæ ejus temporis Eccleſiæ ſenſum optimè calluerunt. Sic enim illi Epiſtolam ſuam de Polycarpi martyrio claudunt: Ἐῤῥῶσθαι ὑμᾶς εὐχόμεθα, ἀδελφοὶ, στοιχοῦντας τῷ κατὰ τὸ εὐαγγέλιον λόγῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ· μεθ' οὗ δόξα τῷ Θεῷ καὶ παντοκράτορι πνεύματι, ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς τῶν ἁγίων ἐκλεκτῶν· κ. λ. i. e. *Optamus vos, fratres, in Domino valere, inhærentes præceptis & Evangelio Jeſu Chriſti: cum quo gloria & honos Deo Patri & ſancto Spiritui, ob ſalutem Sanctorum electorum.* Ubi Spiritui ſancto, unà cum Patre ac Filio, divina gloria atque honos diſertè tribuitur; nec magis apertè Filius à Patre, quàm Spiritus ſanctus ab utroque diſtinguitur. Huic autem planè gemina eſt δοξολογία comitum Ignatii ſub finem Act. Martyr. S. Ignatii: *Glorificantes in ipſius [Ignatii] venerabili & ſancta memoria Dominum*

Vid. Valeſii notas ad Euſeb. p. 73.

minum noſtrum Jeſum Chriſtum: per quem & cum quo Patri gloria & potentia cum Spiritu ſancto in ſancta Eccleſia in ſæcula ſæculorum, Amen. Ubi & obiter obſervabis, de Filio uſurpari utramque formulam, *per quem*, & *cum quo*, quemadmodum & in Polycarpi precatione: cujus rei ratio ſuprà à nobis reddita eſt. Cæterum Veteres in δοξολογίαις non modò *cum Spiritu ſancto*, ſive *& Spiritui ſancto*, ſed nonnunquam etiam *in Spiritu ſancto* ideo uſurpâſſe mihi videntur, ut ſignificarent, Spiritum ſanctum, quatenus à Patre & Filio, ſive à Patre per Filium procedit, amborum eſſe communionem & unitatem, adeoque quaſi vinculum Sanctiſſimæ Trinitatis: quomodo & à Veteribus nonnullis diſertè appellatur. Quod clariùs exprimitur in formula illâ perantiquâ, quâ dicitur: *Gloria Patri & Filio in unitate Spiritus ſancti.* Hinc antiquiſſimus Scriptor Athenagoras in Legat. pro Chriſtianis, dicit Patrem & Filium unum eſſe ἑνότητι πνεύματος, *unitate Spiritûs.* Syneſius in Hymnis ſuis myſterium eleganter exprimit non uno in loco. e. g. In hymno tertio Spiritum ſanctum ſic alloquitur:

Vid. Petav. de Trin. l. 7. c. 12. n. 8. p. 10.

Ὅρος εἶ φυσίων	*Terminus es naturarum*
Τᾶς τικτούσας,	*Parientis,*
Καὶ τικτομένας.	*Et partæ.*

Et in hymno quarto, poſtquam laudes Dei Patris & Filii celebraverat, deinde canit:

Μεσάταν ἀρχὰν,	*Medium principium,*
Ἁγίαν πνοιὰν	*Sanctum Spiritum,*
Κέντρον γενέτας,	*Centrum Genitoris,*
Κέντρον δὲ κόρας.	*Centrum etiam Filii.*

§. 14. Sed ad Irenici Auctorem redeo, qui ſic porro cavillari pergit: " Præterea antiquiores Filium quidem cum Patre & Spiritu S. laudârunt ſimul, nec tamen (quod hîc nunc monſtratur, & mox quoque in Juſtino Martyre & aliis monſtrabitur) vel Filium vel Spiritum S. Patri æqualem ſtatuebant aut credebant: imò Spiritum S. ne Deum quidem dicere audebant." Reſpondeo: De æqualitate perſonarum (de Patre ac Filio loquor,) quid Antiquiores ſenſerint, infrà ad Sectionem quartam fusè monſtrabimus: ubi manifeſtum faciemus, nullam aliam perſonarum Patris & Filii inæqualitatem ſtatuiſſe Antiquiores illos, quàm quæ à Patribus, qui poſt Nicænam Synodum floruere, à Catholicis hodiernis, adeoque ab ipſis Scholaſticis agnoſcitur. Illud interim certum eſt, Patres trium primorum ſæculorum univerſim docuiſſe, Filium ejuſdem naturæ cum Patre eſſe, adeoque verum Deum; neq; ſub alio conceptu ipſum unà cum Deo Patre glorificâſſe. Hoc de Auctore Epiſtolæ, quæ Barnabæ dicitur, Herma, Ignatio, ac Clemente Romano jam probavimus; id nunc de Polycarpo oſtendimus; ac denique idem de Juſtino Martyre aliiſque omnibus Patribus, qui Concilium Nicænum anteceſſere, ſigillatim in hâc Sectione demonſtrabimus. Ad Spiritum S. autem quod attinet, obiter in hoc opere oſtendemus, eoſdem antiquiores Patres etiam τὸ ὁμοούσιον ipſius, & conſequenter Divinitatem agnoviſſe; imò ab eorum nonnullis Spiritum S. *Deum* diſertè nominari.

§. 15. Tandem Hæreticus, quomodo Chriſtum divinô cultu proſequi teneamur, qui tamen naturâ ſuâ purus putus homo ſit, explicare aggreditur. *Scilicet*, inquit, *& Angeli quidem & homines Chriſtum hominem adorare, & ſecundum divinam prædictionem Jer.* 30. 9. *Ezek.* 34. 23, 24, *juxtim cum Deo colere & glorificare tenentur, ſed tamen ut ſervum & Legatum Dei, Dominumque factum. Confer Phil.* 2. 9, 10, 11. *Act.* 2. 36. Quibus reſpondeo: Chriſtum in Scripturis adorandum proponi, non tantùm ut ſervum & Legatum Dei, qui poſtmodum Dominus factus fuerit; ſed ut Filium Dei ante ſæcula ex Patre genitum: qui iſtâ quidem legatione ex infinita ſua erga humanum genus charitate ſuſceptâ, novô quaſi titulô ſibi promeruerit divinum honorem ipſi ab hominibus exhibendum, ſive novô & ſtupendô beneficiô homines obſtrinxerit ad ſui cultum & obſequium. Certè in loco illo ad Philippenſes, (quem præcipuè venditant Anonymus ejuſq; gregales,) qui poſt mortem ſummè à Deo exaltatus dicitur, idem ante aſſumptam ſervi formam, hoc eſt (Paulo ſe interpretante) antequam fuerat homo factus, in forma Dei ſubſtitiſſe, Deoque æqualis fuiſſe oſtenditur. Planè autem inſulſa eſſe commenta, quibus ejus loci vim eludere conantur ſive Ariani, ſive Sociniſtæ, perſpiciet facilè, quiſquis totius loci contextum accuratè expenderit. Sic in Epiſtola ad Hebræos cap. 1. v. 2, 3. qui, purgatione peccatorum noſtrorum per ſeipſum factâ, ſedit ad dextram Majeſtatis in excelſis, idem Filius Dei dicitur, per quem condita fuere ſæcula, & ſplendor gloriæ Paternæ, qui verbô ſuô potenti omnia ſuſtineat. Humanam autem Chriſti naturam, pro ſuo captu, in ſocietatem gloriæ & honoris cum divina Filii Dei perſona veniſſe, non diffitemur. Scilicet hoc manifeſtè docet Paulus; hoc idem docet Auctor Epiſtolæ, quæ Barnabæ dicitur, cùm ait, Chriſtum voluiſſe vas Spiritûs ſui glorificari, ut ſupra obſervavimus. Neque aliud vult Hermas, cùm

Hujus Sect. cap. 2. n. 3.

cùm in loco itidem ſuperiùs laudato dicit, ſervum, hoc eſt, Chriſtum hominem, ob bonum opus quod præſtiterat, Filio Dei cohæredem factum eſſe. Qui etiam Hermæ locus Anonymi commentum penitus evertit. Nam ibi apertiſſimè diſtinguitur honos ille divinus, quem Chriſtus ut Dei Filius, (nempe ipſo Hermâ interprete,) ante creaturas omnes exiſtens, priùs apud Patrem habuit, ab honore illo, qui Chriſto ſervo, hoc eſt homini, qui ad mortem uſque crucis obediens factus eſt, poſt mortem mercedis locô retributus fuit. Interim humana Chriſti natura poſt mortem exaltata, divini imperii atque honoris particeps facta eſt, non per ſe, ſed ratione hypoſtaſis Verbi, à qua illa ſuſtentatur, & cui unita eſt : ut honos iſte propriè in perſonam terminetur, non in naturam; adeoque manifeſtum ſit, dum humanitas Chriſti adoratur, non ita adorari creaturam, quin propriè tendat actus ille in Creatorem, qui naturam creatam ſibi in unitate perſonæ copulavit. Optimè hanc rem explicat verè magnus Athanaſius in Epiſtola ad Philadelphum Epiſcopum contra Arianos, his verbis:

Tom. 1. pag. 157. ὃ κτίσμα προσκυνῶμεν, μὴ γένοιτο· ἐθνικῶν γὰρ καὶ ἀρειανῶν ἡ τοιαύτη πλάνη· ἀλλὰ τὸν Κύριον τῆς κτίσεως σαρκωθέντα τοῦ τοῦ Θεοῦ λόγον προσκυνῶμεν. εἰ γὰρ ἡ σὰρξ αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν μέρος ἐστὶ τῶν κτισμάτων, ἀλλὰ Θεοῦ γέγονε σῶμα· ὅτε τὸ τοιοῦτον σῶμα καθ' ἑαυτὸ ἀφαιρεθέντες ἀπὸ τοῦ λόγου προσκυνῶμεν, ὅτε τοῦ λόγον προσκυνῆσαι θέλοντες μακρύνομεν αὐτὸν ἀπὸ τῆς σαρκός· ἀλλ' εἰδότες, καθὰ προείπομεν, τὸ, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, τοῦτον ἐν σαρκὶ γυμνούμενον ἐπιγινώσκομεν Θεόν. i. e. *Creaturam non adoramus, abſit; in Ethnicos enim & Arianos competit iſtiuſmodi delirium; ſed Dominum rerum creatarum, incarnatum Verbum Dei adoramus. Nam tametſi caro per ſe pars ſit rerum creatarum, tamen Dei corpus effecta eſt : neq; iſtiuſmodi corpus ſeorſum diſcriminatum à Verbo adoratione proſequimur, neque Verbum adoraturi, ipſum à carne longè ſeponimus : ſed cùm ſciamus, ut dictum eſt, Verbum carnem eſſe factum, illud jam in carne exiſtens Deum agno-*

pag. 160. *ſcimus.* Et poſtea in eadem Epiſtola : γινωσκέτωσαν ὅτι τὸν Κύριον ἐν σαρκὶ προσκυνοῦντες, ὡ κτίσματι προσκυνοῦμεν, ἀλλὰ τὸν κτίσιν ἐνδυσάμενον τὸ κτιστὸν σῶμα, i. e. *Cognoſcant*, ſcilicet Ariani, *nos qui Dominum in carne adoramus, non creaturam adorare, ſed Creatorem corpore creatô indutum.* Deniq; Epiſtolam claudit his verbis notatu digniſſimis :

pag. 161, 162. ἡ πίστις τῆς καθόλου ἐκκλησίας κτίσιν οἶδε τὸν τοῦ Θεοῦ λόγον τὸν δημιουργὸν τῶν ἁπάντων· καὶ οἴδαμεν ὅτι ἐν ἀρχῇ μὲν ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν. γυμνούμενον δὲ αὐτὸν καὶ ἄνθρωπον διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν προσκυνοῦμεν, οὐχ' ὡς ἴσον ἐν ἴσῳ γενόμενον τῷ σώματι, ἀλλ' ὡς θεότητι προσλαβόντα τὸν τοῦ θέλοντος μορφὴν, καὶ δημιουργὸν καὶ κτίσιν ἐν κτίσματι γενόμενον· ἵν' ἐν αὐτῷ τὰ πάντα ἐλευθερώσας, τὸν κόσμον προσαγάγῃ τῷ Πατρὶ, καὶ εἰρηνοποιήσῃ τὰ πάντα τὰ ἐν οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς. οὕτω γὰρ καὶ τὴν Πατρικὴν αὐτοῦ Θεότητα ἐπιγινώσκομεν, καὶ τὴν ἔνσαρκον αὐτοῦ παρουσίαν προσκυνοῦμεν, καθ' ἃ χρειωμανῖται ἀφαρπάζουσιν ἑαυτούς. i. e. *Fides Catholicæ Eccleſiæ Verbum Dei conditorem & opificem rerum omnium agnoſcit : & certò ſcimus, in principio fuiſſe Verbum, & Verbum fuiſſe apud Deum; illudque ipſum Verbum, hominem factum noſtræ ſalutis gratiâ, adoramus : non ut parem in pari corpore, ſed ut Dominum in aſſumpta ſervi forma, & opificem conditoremque in re condita exiſtentem : ut in ipſâ omnia in libertatem vindicans, mundum Patri reconciliaret, omniaque pacificaret, quæ in cœlis, & quæ in terris ſunt. Ita enim & Deitatem ejus ex Patre oriundam cognoſcimus, & præſentiam ejus in carne adoramus, rumpantur licet Ariomanitæ.*

§. 16. Ad Polycarpum & fratres Smyrnæos revertor. Conſtat ipſos Chriſtum unà cum Deo Patre glorificâſſe, non ut ſervum, qui poſtea Dominus factus fuerit; ſed ut παῖδα ἀγαπητὸν, εὐλογητὸν, τοῦ μονογενοῦς τοῦ πατρός· quod Epiſtolam Smyrnæorum legenti facilè patebit. Iſtis autem titulis divinam Filii naturam, gloriam ac Majeſtatem ſignificari, ex conſenſu veteris Eccleſiæ ex parte jam oſtendimus, atque pleniùs alibi demonſtrabimus. Sed & Smyrnæi rationem reddentes, cur cùm Chriſtum hominem eumq; crucifixum adorarent, Martyres tamen Chriſti paſſionem imitantes non colerent, ſic de Chriſto diſertè reſpondent : τοῦτον μὲν γὰρ υἱὸν ὄντα τοῦ Θεοῦ προσκυνοῦμεν, i.e. *Hunc utpote Dei Filium* (non ut merum hominem) *veneramur*. Mox (utinam attendant Pontificii) de Martyribus addunt : τοὺς δὲ μάρτυρας ὡς μαθητὰς τοῦ Κυρίου καὶ μιμητὰς ἀγαπῶμεν ἀξίως, ἕνεκα εὐνοίας ἀνυπερβλήτου εἰς τὸν ἴδιον βασιλέα καὶ διδάσκαλον, i. e. *Martyres autem tanquam diſcipulos atque imitatores Domini meritô amore proſequimur, propter incredibilem eorum benevolentiam erga Regem ac Magiſtrum ſuum.* Præterea iidem Smyrnæi Spiritui etiam ſancto, ut vidimus, unà cum Deo Patre honorem divinum adſcribunt. Quæro, quâ ratione? An ut Domino facto? Sed dicat nobis Irenici Auctor, quando & quomodo Spiritus ſanctus è ſervo Dominus factus fuerit? An ut Spiritui creato cæteris Spiritibus ſive Angelis excellentiori? Sed omnes fatentur, cultum divinum nulli creaturæ per ſe, ſit ea licet excellentiſſima, deberi. Ad hæc ſacræ literæ ubiq; clariſſimè docent, Spiritum S. in ipſo Deo ſubſiſtere, ejuſque mentem & arcana omniá intimè cognita ac perſpecta habere, ubique præſentem eſſe, &c. Neq; vel unum iota uſpiam tradiderunt, ex quo ipſum in rerum creatarum cenſu collocari ſuſpiceris. Undè maxima ſemper & ſagacior Pneumatomachorum pars ſatius exiſtimaverunt,

Vide imprimis 1 Cor. 2. 10, 11.

Spiritûs ſancti ipſam perſonalitatem rotundè negare, atque aſſerere, nihil aliud illum eſſe quàm ipſius Dei Patris virtutem & potentiam, neque ab eo diſtingui, quàm creaturam ipſum eſſe, contra tot ac tam luculenta Scripturæ teſtimonia, affirmare. Sed & fruſtra illi ſunt. Nam in Scripturis, Spiritus ſanctus haud minùs clarè à Deo Patre diſcriminatur, quàm ipſe Filius ; (quod, ſi res iſta nunc ageretur, demonſtratu perfacile eſſet) & univerſa Eccleſia Catholica Spiritum ſanctum diſtinctam à Patre perſonam eſſe ſemper credidit & docuit. Reliquum eſt igitur, ut fateamur veteres Chriſtianos Spiritum ſanctum adorâſſe ſub hoc conceptu, quòd ſit Dei Spiritus, in ipſo Deo ſubſiſtens, adeoque Deus ipſe ; à Deo tamen, cujus eſt Spiritus, perſonâ diſtinctus. Quod ſi verum eſt, ut eſt veriſſimum, ſequetur eoſdem veteres Filium aut tanquam naturâ Deum adorâſſe, aut Spiritui ſancto inferiorem exiſtimâſſe. Major enim procul dubiô eſt honoris prærogativa, coli ut naturâ Deum, quàm ut Deum ac Dominum factum. Filium autem Spiritui ſancto inferiorem eſſe, nemo Catholicorum unquam ſomniavit. Scilicet in Scripturis, Spiritus S. à Filio mitti, ac ſua ab eodem Filio accepiſſe dicitur: atque in omnibus Veterum δοξολογίαις, in quibus perſonæ divinæ ſuô ordine enumerantur, Filius δευτέραν Spiritus verò S. τρίτην χώραν ſeu τάξιν ſortitur, ut cum Juſtino loquar.

§. 17. Hoc ſane invictiſſimum eſt Divinitatis Chriſti argumentum ; atque ita judicârunt Veteres. Sic enim Novatianus, ſive Auctor libri de Trinitate inter opera Tertulliani cap. 4. " Si homo, *inquit*, tantummodo Chriſtus, quomodo Paracletum dicit de " ſuo eſſe ſumpturum, quæ annuntiaturus " ſit ? Neque enim Paracletus ab homine " quicquam accipit, ſed homini ſcientiam " Paracletus porrigit: nec futura ab homine Paracletus diſcit, ſed de futuris hominem Paracletus inſtruit. Ergo aut non " accepit Paracletus à Chriſto homine, quod " nuntiet, quoniam Paracleto homo nihil " poterit dare, à quo ipſe debeat accipere, " & fallit in præſenti loco Chriſtus & decipit, cùm Paracletum à ſe homine accepturum quæ nuntiet, dicit : aut non nos " fallit, ſicut nec fallit, & accipit Paracletus à Chriſto, quæ nuntiet. Sed ſi à " Chriſto accepit, quæ nuntiet, major ergo " jam Paracleto Chriſtus eſt : quoniam nec " Paracletus à Chriſto acciperet, niſi minor " Chriſto eſſet. Minor autem Chriſtô Paracletus, Chriſtum etiam Deum eſſe hôc " ipſo probat, quô accepit quæ nuntiet. " UT TESTIMONIUM CHRISTI DI- " VINITATIS GRANDE SIT, dum minor Chriſto Paracletus repertus, ab illo " ſumit, quæ cæteris tradit." Ubi quod dicit minorem eſſe Filiô Spiritum S. eôdem planè modô intelligendum, quô Filii ſubordinationem, ad Patrem relati, infrà ad Sectionem quartam explicabimus : ita ſcilicet, ut Spiritus S. dicatur Filiô minor non naturæ, ſed originis reſpectu, quia nempe à Patre per Filium deducitur, ut loquitur Tertullianus adverſus Prax. cap. 4. ac proinde ſua omnia à Patre per Filium accipit, ut dicit Novatianus. * Eam autem Spiritûs ſancti ſubordinationem Tertullianus in eodem libro (nempe c. 9.) clariùs explicat his verbis : "Tertius enim eſt Spiritus à Deo & Filio, ſicut " tertius à radice fructus ex frutice, & tertius ex fonte rivus ex flumine, & tertius " à ſole apex ex radio. NIHIL TAMEN " A MATRICE ALIENATUR, A QUA " PROPRIETATES SUAS DUCIT. Ita " Trinitas per conſertos & connexos gradus " à Patre decurrens, & Monarchiæ nihil " obſtrepit, & οἰκονομίας ſtatum protegit." Ubi ita Spiritum ſanctum tertium à Patre & Filio ſtatuit, ut interim apertè fateatur, ipſum ejuſdem cum Patre ac Filio eſſentiæ ac naturæ eſſe, neque à Patris Divinitate ullatenus alienari. Si quis autem ſuſpicetur, ſolos Patres Ante-Nicænos hâc ratiocinatione uſos fuiſſe, ſciat is, etiam Doctores Eccleſiæ probatiſſimos, qui poſt Nicænam floruere Synodum eôdem argumentô Filii Divinitatem adſtruxiſſe : quod abunde confirmare potuiſſem, ſi inſtituti ratio iſtiuſmodi παρέκβασιν admitteret. Sufficiat hîc duo adduxiſſe teſtimonia duorum Patrum, qui Fidei Nicænæ extra controverſiam tenaciſſimi fuêre.

---

* Sic & Auctor Conſtitutionum lib. 6. cap. 11. ait, unum eſſe Deum ἑνὸς υἱοῦ πατέρα· ἑνὸς παρακλήτου διὰ Χριστοῦ. Gregorius Nyſſenus in Epiſtola ad Ablabium Tom. 2. pag. 459, quomodo ex eodem principio, Deo Patre, diversâ ratione oriantur Filius & Spiritus ſanctus, ſic declarat : τὸ μὲν γὰρ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου, τὸ δὲ διὰ τοῦ προσεχῶς ἐκ τοῦ πρώτου. Cyrillus Lib. 1. de Adorat. ἐκ πατρὸς δι' υἱοῦ προχεόμενον πνεῦμα. Vide & ejuſdem Epiſt. ad Regin. Damaſcenus lib. 1. de Fid. Orthod. cap. 18, ᾧ υἱὸς δὲ πνεῦμα, οὐχ' ὡς ἐξ αὐτοῦ, ἀλλ' ὡς δι' αὐτοῦ, ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον. Hilarius lib. 12. de Trinitate : *Conſerva hanc, oro, Fidei meæ religionem, ut ſemper obtineam Patrem, ſcilicet te, & Filium tuum unà tecum adorem, & Spiritum ſanctum tuum, qui eſt per unigenitum tuum, progenerear.*

fuêre. Athanaſius Orat. 2. adverſ. Arian. τοῖς δὲ μαθηταῖς τ̃ Θεότητα, καὶ τ̃ μεγαλειότητα δεικνὺς ἑαυτοῦ, ἐκέτι ἐλάττονα ἑαυτὸν τ̃ πνεύματος, ἀλλὰ μείζονα, καὶ ἴσον ὄντα σημαίνων, ἐδίδου μὲν τὸ πνεῦμα, καὶ ἔλεγε· λάβετε τὸ πνεῦμα ἅγιον. καὶ· ἐγὼ αὐτὸ ἀποστέλλω· κἀκεῖνος με δοξάσει, i. e. *Diſcipulis verò Divinitatem & magnitudinem ſuam oſtendens, non jam amplius minorem ſe Spiritu, ſed majorem eſſe & æqualem * ſignificans, dabat quidem Spiritum, & dicebat: Accipite Spiritum ſanctum; &, Ego illum mitto; & ipſe me glorificabit.* Auguſtinus libro 15. de Trinitate, cap. 26. *Quomodo*, inquit, *Deus non eſt qui dat Spiritum ſanctum? Imò quantus Deus eſt, qui dat Deum?* Atque hæc de Polycarpi precatiuncula & Fratrum Smyrnæorum εὐλογία· quæ ideo fuſiùs perſecutus ſum, ut omnes intelligant, quàm antiqua ac planè Apoſtolica ſit δοξολογίας formula, quæ hodieque in Eccleſia Catholica uſurpatur, *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto*; quàmque firmum ſit ipſa ac fixum, adverſus omnes Hæreticorum machinas, traditionis Apoſtolicæ, de ὁμοουσίῳ Trinitate, monumentum munimentumque.

§. 18. Ad Polycarpum verò quod attinet, duo præterea (mantiſſæ locô) addam, ex quibus quantum ipſe tum à Samoſateniana, tum ab Ariana, de Filio Dei, ſententiâ abhorruerit, manifeſtius adhuc fiet. Primò ſi Polycarpi fidem de Filio Dei aves ſcire, Irenæum conſulas, qui in adoleſcentia Apoſtolici Viri diligentiſſimus auditor fuit; quiq; ejus ſermones (eos imprimis, quibus expoſuit, quid de Domino Jeſu ab Apoſtolis acceperat, jam ſenex firmiter memoriâ tenuit; qui denique vigentes ſuâ ætate Hæreſes ex analogia Polycarpianæ fidei; Deô etiam de veritate traditionis teſte invocatô, refutare potuit; ut ipſe teſtatur in fragmento Epiſtolæ ad Florinum, quod apud Euſebium extat Eccleſ. Hiſt. lib. 5. cap. 19. Ut à vero abſimillimum adeoque prorſus incredibile ſit, Irenæum aut Polycarpi ſententiam de primario Chriſtianiſmi capite ignorâſſe, aut ab ipſa cognita vel latum unguem recedere voluiſſe. Jam auſim affirmare, neminem ex Fidei Nicænæ aſſertoribus (non ipſum Athanaſium excipio,) de Filio Dei uſpiam magnificentiora, aut adverſus Arianam blaſphemiam expreſſiora protuliſſe eis, quæ Irenæus de eodem Filio Dei Scriptis prodidit. Hoc unum demo, quòd Irenæus ipſâ ὁμοουσίῳ voce non utatur. Haud temerè à me hæc dicta eſſe fatebitur, quiſquis ea, quæ tum in hac, tum in ſequenti Sectione ex Irenæo adducemus, attentè legerit. Alterum, ex quo Polycarpi fidem ac ſententiam de Filio Dei certò colligere licet, illud eſt: Teſtatur Euſebius Polycarpum in ſua ad Philippenſes Epiſtola commendâſſe ipſis Ignatii Epiſtolas tanquam lectu digniſſimas, & quæ περιέχουσι πίστιν καὶ ὑπομονὴν, καὶ πᾶσαν οἰκοδομὴν, τὴν εἰς τ̃ Κύριον ἡμῶν ἀνήκουσαν, i. e. *Fidem, patientiam, & omnem ædificationem, ad Dominum noſtrum pertinentem, continent.* Univerſam igitur Ignatianarum Epiſtolarum doctrinam ſuô comprobavit ſuffragiô Polycarpus. Jam in ſeptem Ignatii Epiſtolis à Voſſio editis (quas eaſdem eſſe cum Polycarpiana Sylloge Euſebio cognitâ nemo ſanus negaverit, vera Servatoris noſtri Divinitas ſæpius atq; apertiſſimè traditur, uti ſuprà oſtendi.

Euſebius Eccleſ. Hiſt. l. 3. c. 36.

Atque hactenus Doctorum Eccleſiæ, qui ab ipſis Apoſtolis vivâ voce edocti fuerunt, fidem ac ſententiam de Filii τῷ ὁμοουσίῳ explicavimus.

---

* Majorem καθ' αἰτίαν, æqualem κατὰ φύσιν.

ANNO-

ANNOTATA
Ad CAP. III. §. 3: seqq.

De CLEMENTE ROMANO.

§. 1. ZWickero temerè effutienti, Clementem R. in Epist. 1. ad Corinthios, vix aliam quàm humanam naturam in Christo agnovisse, Doctissimus Auctor §. 3. hujus Cap. opponit illud, quòd τὰ μεγαλεῖα τῶν δωρεῶν, *magnifica illa dona*, quæ Abrahami familiæ propter ipsius fidem à DEO concessa erant, describens S. Clemens §. 32. scripserit: ἐξ αὐτῶν ὁ Κύριος Ἰησοῦς τὸ κατὰ σάρκα, *Ex illo Dominus Jesus, quod ad carnem attinet.* Ubi illâ restrictione, τὸ κατὰ σάρκα, aliam in Christo naturam, præter humanam sive carnem, quam ex Abrahami lumbis traxit, manifestè indicari, optimè animadvertit. Atqui hanc observationem haud parum exinde confirmari puto, quòd Clemens Episcopus Romanæ Ecclesiæ, hujusque nomine ad Corinthios scribens, dictam restrictionem utique desumpsisse, imò descripsisse videatur ex S. Pauli Epist. ad Romanos cap. 9. v. 5. ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα, *Ex quibus Christus secundum carnem.* Jam sicut ibi mox Divinæ ejus naturæ mentio, quasi pro ratione præcedentis limitationis, subjungitur his verbis: ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, *qui est super omnia Deus benedictus in secula*; ita & Clementem, eâdem Pauli limitatione usum, sequentia quoque ejus verba de Christi Deitate in animo habuisse, mihi nullum est dubium. Nam & alia Paulinæ ad Romanos Epistolæ dicta Clemens mutuatus, aut saltem imitatus est. Unicum exempli gratiâ adduco versum ult. Cap. primi, in Clementina Epist. §. 35. sic expressum: Ταῦτα γὰρ ὁι πράσσοντες, συγκοὶ τῷ Θεῷ ὑποδέχεσιν· ὰ μέντοι δὲ ὁι πράσσοντες αὐτὰ, ἀλλὰ καὶ ὁι συνδοκοῦντες αὐτοῖς. Unde, ut obiter id moneam, controversia de varia Apostolici istius commatis lectione facilè determinatur; siquidem S. Clemens procul dubiò ipsum Epistolæ Pauli Autographum, Tertulliani adhuc tempore in Ecclesia Romana asservatum, in manibus habuit, indeque sua descripsit.

§. 2. Sed quid si in laudatis S. Clementis literis reperiatur locus, ubi Christus disertè DEUS fuerit nominatus? Id quidem incredibile videri posset, non modò quòd Photius Cod. 126. notaverit, ὅτι ἀρχιερέα καὶ προστάτην τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν ὀνομάζων, ὑδὲ τὰς θεοπρεπεῖς καὶ ὑψηλοτέρας ἀφῆκε περὶ αὐτοῦ φωνάς· *quòd Pontificem Præsidemque Dominum nostrum Jesum Christum appellans, illas* DEO *convenientes ac sublimiores de eo voces non protulerit* [Clemens;] sed & quoniam nemo Theologorum, quod sciam, hostibus Deitatis Christi talem hactenus objecit locum. Extat verò is, licet non primô intuitu appareat, §. 2. hujus Epistolæ, ubi Corinthii tali ornantur elogiô: Τοῖς ἐφοδίοις τοῦ Θεοῦ ἀρκέσθησαι, καὶ προσέχοντες τοῖς λόγοις αὐτοῦ ἐπιμελῶς, ἐσφηνισμένοι ἦτε τοῖς σπλάγχνοις, καὶ τὰ παθήματα αὐτοῦ ἦν πρὸ ὀφθαλμῶν ὑμῶν. *Dei viaticô contenti, & accuratè attendentes sermonibus ejus, dilatati eratis in visceribus, & passiones illius præ oculis vestris erant.* Nota παθήματα αὐτοῦ, *Passiones ejus*; ejus sane, cujus in proximè præcedentibus mentio facta, τοῦ Θεοῦ, *Dei*, qui alius esse nequit, nisi Jesus Christus, Filius Dei: quippe DEO Patri παθήματα nullo modô adscribi possunt. Neque hæc phrasis à Fide Apostolica & Clementis ævô aliena videri debet. Sicuti enim S. Paulus in Sermone Ephesi habito, Act. XX. 28. DEO ἴδιον αἷμα tribuit, ac post eum Ignatius iisdem Ephesiis scripsit mox ab initio: Μιμηταὶ ὄντες Θεοῦ, ἀναζωπυρήσαντες ἐν αἵματι Θεοῦ· *Imitatores existentes DEI, excitando vos per sanguinem DEI*; ita & hic in Epist. ad Romanos ista habet verba Tom. I. Spicilegii Patrum Seculi II. pag. 17. Ἐπιτρέψατέ μοι μιμητὴν εἶναι τοῦ πάθους τοῦ Θεοῦ μου, *Sinite me imitatorem esse passionis Dei mei*; quomodo & vetus Vulg. legit, reddiditque: *Concedite mihi, ut sim imitator passionis DEI mei.* Tatianum aliosque Patres Clemente recentiores, qui eâdem phrasi usi sunt, hîc taceo.

§. 3. Non

§. 3. Non me fugit conjectura *Patricii Junii*, ad hunc locum annotantis, pro παθήμαλα fortè legendum μαθήμαλα. Verùm ea meritò rejicitur, quòd textus citra ullam necessitatem ac Manuscripti alicujus Codicis auctoritatem sollicitetur, quódque alibi etiam in hac ipsa Clementis epistola *passiones Christi ante oculos fidelium posita*, vel ponendæ dicantur. Sic §. 7. Ατενίσωμεν εἰς τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἴδωμεν ὡς ἔστι τίμιον τῷ Θεῷ αἷμα αὐτοῦ, ὅτι ἁγιὸν τὴν μετάνοιαν σωτηρίαν ἐκχυθὲν, παντὶ τῷ κόσμῳ μετανοίας χάριν ὑπήνεγκεν. *Fixis oculis respiciamus in sanguinem Christi, cernamusque quàm pretiosus DEO sit ejus sanguis, qui propter nostram salutem effusus, toti mundo pœnitentiæ gratiam obtulit.* Similiter §. 21. Τὸν Κύριον Ιησοῦν Χριστὸν, τὸ αἷμα ὑπὲρ ἡμῶν ἐδόθη, ἐντραπῶμεν. *Dominum Jesum Christum, cujus sanguis pro nobis datus est, revereamur.* Pergit verò ibi S. Clemens, nullo verbo interpolito, hunc in modum: Τοὺς προηγουμένους ἡμῶν ἀϊδεσθῶμεν, τοὺς πρεσβυτέρους ἡμῶν τιμήσωμεν, τοὺς νέους παιδεύσωμεν τὴν παιδείαν τοῦ φόβου Θεοῦ· τὰς γυναῖκας ἡμῶν ἐπὶ τὸ ἀγαθὸν διορθωσώμεθα, τὸ ἀξιαγάπητον τῆς ἁγνείας ἦθος ἐνδείξάσθωσαν κ. λ. *Præpositos nostros revereamur; Seniores nostros honoremus; juvenes doceamus disciplinam timoris DEI: uxores nostras ad id quod bonum est, corrigamus; amabiles castitatis mores ostendant* &c. Quæ ideo hîc recitavi, ut Lector videat, quàm exactè ea respondeant istis, quæ quatuor vel 5. lineis præcedunt comma de παθήμασι Θεοῦ, ante oculos Corinthiorum versantibus, ac ita sonant: Κολλασόμενοι τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν, καὶ τιμὴν τὴν καθήκουσαν ἀπονέμοντες τοῖς παρ' ὑμῖν πρεσβυτέροις, νέοις τε μέτρια καὶ σεμνὰ νοεῖν ἐπετρέπετε· γυναιξίν τε ἐν ἀμώμῳ καὶ σεμνῇ καὶ ἁγνῇ ζωοδήσει πάντα ἐπιτελεῖν παρηγγέλλετε· κ. λ. *Subditi Præpositis vestris, & honorem debitum Senioribus vestris tribuentes, juvenibus ut moderata & honesta cogitarent, mandabatis: mulieribus denuntiabatis, ut in inculpata & honesta atque casta conscientia peragerent omnia &c.* Cæcus sit, qui non parallelissimum horum locorum primô intuitu observet, ac deprehendat, S. Clementem in priori Corinthios ob hæc tam egregia antè præstita laudare; in posteriori autem hortari, ut hæc priora opera, quæ reliquerant, modò repetant, & ad bonam revertantur frugem. Cum itaque in hôc moneat, Dominum Jesum, cujus sanguis pro fidelibus effusus est, venerandum esse; in illo eos utique commendâsse videtur, quòd passiones incarnati DEI in mente ac debito pretio habuerint.

§. 4. Progredior ad verba Clementis §. 16. quæ doctissimus Auctor noster suprà §. 4. ad probandam Divinam Christi Majestatem adduxit; ejus verò Adversarius, personatus scilicet *Lucas Mellierus*, adeo detorsit, ut Christum non modò merum hominem, sed & peccato obnoxium, licet non actu peccantem, fecerit. Quippe ex eo, quòd Jesus Christus à Clemente dicatur non venisse ἐν κόμπῳ ἀλαζονείας, οὐδὲ ὑπερηφανείας, καίπερ δυνάμενος, hanc infert conclusionem: " Hic " apertè fatetur, Jesum Christum, quan- " quam non venerit in jactantia superbiæ & " ignorantiæ, potuisse tamen venire in ja- " ctantia superbiæ, id est, potuisse peccare, si " voluisset. At qui talia de Christo asserit, " eô ipso manifestissimè negat, eum in unam " personam cum summa Divinitate coaluis- " se, aut ex Divina illa & humana natura " personaliter conjunctis constitisse: illa e- " nim humanam prorsus impeccabilem red- " didisset." Qualem ista censuram mereantur, si falsa sint, ipse Auctor in propriam condemnationem dictitat, dum mox addit: " Quemadmodum blasphemus esset, qui " DEUM summum peccare posse diceret, " ita non minùs esset blasphemus, qui ta- " lia de humanâ naturâ divinæ individuo " & personali nexu conjunctâ effutiret." Quare ergo miser homuncio adeo temere ista effutivisti, imò verò publicè scripsisti, in Christum blasphemus factus, ac servi ejus, S. Clementis, calumniator? Neque enim hic scripsit, Christum ἐν ἀλαζονείᾳ & ὑπερηφανίᾳ venire, sicque peccare potuisse; sed illum non venisse ἐν κόμπῳ ἀλαζονείας ac ὑπερηφανίας, id est, in strepitu & cum pompa tali, quali οἱ ἀλάζονες & ὑπερήφανοι in medium prodire solent. Atqui cum ejusmodi externo apparatu ac splendore venire potuisset Christus, si voluisset, nec tamen arrogantiæ crimen ideo incurrisset, aut per superbiam peccâsset; sicuti non peccabit, quando olim venturus est, *formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ*, Esaiæ 63. 1. sive *cum venerit in Majestate sua, & omnes Angeli cum eo, quando sedebit super thronum Majestatis suæ*, Matth. 25. 31. Quæ cum ita sint, non opus est, ut ista verba, καίπερ δυνάμενος, interpretemur: *quamvis potens sit*; aut cum Hieronymo paraphrasticè reddamus: *cum possit omnia*; licet id non adeo absurdum sit, uti quidem *Mellierus* imaginatur. Inepta quoque est cavillatio, quâ Reverendum *Bullum* exagitat, de Christo scribentem, *quòd in adventu suo se non ut sceptrum magnificentiæ DEI gesserit.* Verissimè profectò, si rectè interpreteris *sceptrum*

ptrum magnificentiæ DEI. Isto enim Regiam Christi potestatem, quam Pater illi dedit, ut nomine ejus, tanquam Rex super montem Sion constitutus, Judæis imperet, denotari, nullus Socinianorum, puto, negaverit. Atqui Judæis quibusdam accedentibus, *ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit*, Joan. 6. 15. ac tandem *abiit in regionem longinquam, accipere sibi Regnum, & reverti*, Luc. 19. 12. non autem in primo adventu accepit. *Neq; enim confestim Regnum DEI manifestabatur, quia cives ejus oderant eum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos.* Ibid. vers. 11. & 14. Sed tædet diutiùs hisce immorari.

§. 5. Ex secunda, quæ Clementi inscribitur, Epistolâ ad Corinthios, duo Reverendus *Bullus* pro Deitate Christi testimonia allegavit §. 5. ad quorum primum, quô nos jubemur ita de Jesu Christo sentire, ὡς περὶ Θεοῦ, *tanquam de DEO*, nil respondit Adversarius, contentus fortè apud se cogitâsse, aliisque cogitandum reliquisse, quòd Auctor Epistolæ factum, sive potiùs fictum, Socinianorum DEUM intellexerit. Posterius verò dictum in alium prorsus, quàm verba primo intuitu Lectori offerunt, sensum detorsit. Textus Græcus sic se habet: ὁ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ Κύριος ἡμῶν, ὁ σώσας ἡμᾶς, ὢν μὲν τὸ πρῶτον πνεῦμα, ἐγένετο σὰρξ κ. λ. Quem *Patricius Junius* ita Latinè reddidit: *Jesus Christus Dominus, qui nos servavit, cum primùm esset Spiritus, caro factus est*; at *Mellierus* hunc in modum vertendum, aut potiùs pervertendum contendit: *Jesus Christus Dominus, qui nos servavit, qui quidem est primarius* seu præcipuus *Spiritus, erat caro*; per *præcipuum Spiritum* scilicet *Christum hominem exaltatum* intelligens. Videamus autem, quomodo hanc suam interpretationem ac expositionem probatum eat: *Christum hominem exaltatum*, inquit, *in Herma Clementi contemporaneo Spiritum vocari vidimus.* Respexit nimirum Hermæ Similitudinem IX. ubi Pastor ei ait: *Volo ostendere tibi, quæcunque Spiritus tibi ostendit, qui in effigie Ecclesiæ locutus est tecum: ille enim Spiritus Filius DEI est.* Verùm hôc locô non Filius DEI, multò minùs homo Christus Jesus, dicitur Spiritus; sed contrà Spiritus, qui Hermæ apparuit, dicitur esse Filius DEI: quæ planè diversa esse nemo non videt. Imò vidit ipse *Mellierus*, ac proinde ubi pag. 45. dixerat: *Potuit hîc Similitudine IX. Christum Filium DEI hominem, vocare Spiritum*; huic expositioni diffisus, continuò addit: *Aut potiùs illum Spiritum, qui lib. 1. dicitur Hermam rapuisse* &c. *vocare Filium DEI.* Frustra itaque Hermam hanc in rem allegatum patet. Deinde vocem πρῶτον quod attinet, errat *Mellierus*, dum eam à Clemente in 1. ad Corinthios Epistola §.47. pro *primario* seu præcipuo usurpatam putat. Quippe πρῶτον ibi non *præcipuè*, sed *primùm*, seu tempus præterlapsum significare, liquet omnino ex addito: ἐν ἀρχῇ τῷ εὐαγγελίῳ, *in principio Evangelii*, seu Evangelicæ prædicationis; nec non ex eo, quòd ista, quam Clemens ibi indigitat, reprehensio Corinthiorum ob diversa in Petrum, Paulum aliosve studia, 1 Corinth. 1. 11. & seqq. non fuerit præcipuum, de quo Paulus ad Corinthios scripsit; siquidem alia majoris momenti in eadem Epistola continentur, veluti demonstratio resurrectionis fidelium &c. In hac posteriori quidem Epistola §. 3. vocem πρῶτον, *præcipuè* verti posse concedo; sed contrà §. 11. ea manifestè *primò* seu *priùs* significat hisce in verbis: Λάβετε ἄμπελον· πρῶτον μὲν φυλορροεῖ, εἶτα βλαστὸς γίνεται κ. λ. *Sumite vitem: primò quidem foliis defluit, deinde germinat.* Pendet itaque lis inter *Junium* & *Mellierum*, ac licet mihi pari jure pro illo dicere, quòd ὢν τὸ πρῶτον πνεῦμα, rectè vertatur: *cum primùm esset Spiritus*, ac *Mellierus* dixit, τὸ πρῶτον πνεῦμα *præcipuum Spiritum* commodissimè denotare *posse.* Sed addit: *Imò debet.* Sit ita: positô, non tamen concessô, τὸ πρῶτον πνεῦμα hîc denotare *præcipuum Spiritum*; unde verò *Christum hominem exaltatum* ita à Clemente dictum probabit? sane nec ex ipso, neque ex ullo alio Apostolicorum Scriptorum. Equidem si τὸ πρῶτον πνεῦμα pro *præcipuo* seu *principe Spiritu* accipiendum esset, tum Christum secundum divinam naturam postea carne indutam ita appellatum intelligerem: quoniam ipse est, & jam inde ab initio fuit, Princeps Angelorum & sanctorum Spirituum DEI, Josuæ 5.14. ac postea homo factus est, *ut sicut in supercœlestibus, & spiritalibus, & invisibilibus princeps est Verbum DEI; sic & in visibilibus, & corporalibus principatum habeat*, juxta Irenæi doctrinam lib. III. cap.18. pag. 241. col. 1. quam Ariani olim approbârunt, licet Sociniani hodie impiè rejiciant. Nunquam autem à me impetravero, ut πρῶτον πνεῦμα, ὃ ἐγένετο σὰρξ, interpreter Christum *præcipuum Spiritum* postea *factum*, qui priùs *caro fuerat.*

§. 6. Sed pergit audax Adversarius: *Hunc omnino sensum res, de qua agit Clemens, postulat.* Fingit nempe, S. Patrem, postquam affirmaverat, *fideles in carne venturos* in Regnum DEI, tacitæ occurrere objectioni dicentium: *Imò in Regno DEI erimus spiritales, cur ergo dicis nos in carne venturos esse?*

esse? ac in hunc sensum respondere: *Ecce Christus Dominus noster, qui nos servavit, qui nobis in exemplum datus est, qui nunc Spiritus est, imò præcipuus Spiritus, caro antea erat. Non itaque ista secum pugnant. Poteritis etiam vos Spiritus immortales sive spirituales effici, etiamsi caro sitis, & in carne venturi* &c. Post quæ tandem concludit: *Vides quàm egregiè ista cohæreant, quàm appositum sit hac ratione exemplum Jesu Christi, quod adducit Clemens.* At video planè, quàm ineptè ista cohæreant, quàmque appositum sit hac ratione exemplum Christi ad objectionem adversariorum non solvendam, sed confirmandam. Ut tu quoque videas, attende. Pugnat Auctor Epistolæ contra istos Corinthios, qui resurrectionem ejus, quam in terris gerimus, carnis negabant, rati hanc æternæ vitæ incapacem esse, nec simul cum Spiritu, immortalitatis auctore, consistere posse. *Nemo vestrûm*, inquit, *dicat, quòd hæc caro non judicatur, neque resurgit. Agnoscite in quo servati estis, & in quo visum recepistis, nisi dum in hâc carne estis:* post quæ, paucis interjectis, sequuntur verba controversa: *Jesus Christus Dominus, qui nos servavit*, ὢν μὲν τὸ πρῶτον πνεῦμα, ἐγένετο σὰρξ κ. λ. Quibus postremis, si voluisset Clemens, Christum, cùm priùs caro fuisset, postea Spiritum factum esse, adversarius instans propriô eum gladiô jugulare potuisset, ita retorquens: Quemadmodum Jesus caro existens, post mortem Spiritus factus est; ita & nos carne per mortem depositâ, toti Spiritus erimus, ac sine hâc carne resurgemus. Tantum enim abest, ut eos, qui antea in carne fuerant, Spiritus fieri posse negaverint, aut hæc tanquam repugnantia rejecerint Hæretici, quemadmodum *Mellierus* fingit, ut hæc ipsa illorum fuerit hypothesis. Quorsum itaque illam probatum iviisset Clemens? *Ast finge*, pergit nostram expositionem impugnaturus, *ipsum* (Auctorem Epistolæ) *de incarnatione loqui, frigida certè & futilia erunt, quæ vetustissimus ille Christianus hîc protulit. Nonne quando dicit*, sic & nos, *manifestè nos comparat cum Christo eâ in re, quam de Christo asserit?* Minimè, inquam, sicque omnem huic quæstioni superstructam φλυαρίαν exsufflo. Istud ἕτω ἡμεῖς, *sic & nos*, respicit proximè præcedens ἕτως ἡμᾶς ἐκάλεσεν, *sic nos vocavit*, ac hanc continet argumentationem: *In quo statu à Christo vocati, ac vocationi ejus obedientes fuimus, in eodem etiam glorificabimur, & mercedem accipiemus; Atqui in hac carne à Christo vocati, ac vocationi ejus obedientes fuimus: Ergo in hac carne glorificabimur, & mercedem recipiemus.* Hæc enim verba immediatè ista, de quibus disputamus, præcedunt: *Quemadmodum enim in carne vocati estis, ita in carne veniemus.* Atque ita etiam in hoc commate: *Sic*, nempe in carne, *vocavit nos; sic quoque in hac carne mercedem recipiemus.* Nam *quos vocavit, hos & glorificavit*, juxta Rom. 8. 30. Obiter verò mentionem injicit Clemens, quòd in carne vocati simus à Christo, ipso quoque carne vestitô, cum priùs Spiritus tantùm esset; hac ratione dignitatem carnis, quam adversarii Spiritûs, ac proinde immortalitatis, incapacem pronuntiabant, indirectè extollens, ac novo telo ipsos feriens. Quidnî enim nostra caro Spiritu in altera vita superindui, ac simul cum eo consistere potis sit futura, cùm Christus, Spiritus secundum Deitatem existens, haud dedignatus fuerit carnem induere, hancque intimè sibi unire? Hic quippe est genuinus, isque commodus sensus phraseos, quâ Christus λόγος à Joanne, & Spiritus à Clemente, *caro factus* dicitur; ut adeo non opus sit cavillo *Mellieri*, orthodoxæ doctrinæ ex ea intentato respondere. Quod verò attinet lectionem εἷς pro ὁ Ἰησοῦς in MS. Codice Alexandrino, quanquam hæc nil eum juvare queat, tamen majoris certitudinis ergo libenter dictum Codicem inspicerem, ac quomodo is habeat, indicarem. Sed ejus copia mihi modò non datur, quòd doctissimus *D. Bentlejus*, Regiæ Bibliothecæ Custos, jam Cantabrigiæ ob publica negotia moretur: unde nec alteram in Postscripto additam conjecturam de νῦν pro μὴ legendo, falsitatis convincere possum. Dabitur tamen, DEO volente, alia id faciendi occasio satis opportuna.

§. 7. Quod denique attinet verba Clementis, quæ Basilius M. & ex eo Reverendus Auctor noster suprà §. 5. allegavit, iis, quoniam à *Melliero* in dubium vocantur, confirmandis addo gemina ex Epist. 1. ad Corinthios, ita sonantia: Οὐχὶ ἕνα Θεὸν ἔχομεν, καὶ ἕνα Χριστὸν, καὶ ἓν πνεῦμα κ. λ. *Nonne unum DEUM habemus, & unum Christum, & unum Spiritum?* Ubi omnes tres Deitatis personas junctim nominat, licet primam, tanquam principium duarum, DEUM κατ' ἐξοχὴν appellet. Sed manum de tabula.

TESTI-

TESTIMONIA PRO DEITATE CHRISTI

adducta ex

TESTAMENTIS XII. PATRIARCHARUM.

QUandoquidem Testamenta XII. Patriarcharum ex doctorum quorundam Virorum sententiâ Seculô I. post Christum natum scripta sunt, ac proinde Spicilegio Patrum Seculi I. à nobis inserta, insignia pro vera Christi Deitate testimonia ex iis collecta hôc locô sistere placet. In Testamento *Simeonis* pag. 156. hæc legimus verba: Κύριος ὁ Θεὸς μέγας τῷ Ισραὴλ φανόμενος ἐπὶ γῆς ὡς ἄνθρωπος, καὶ σώζων ἐν αὐτῷ τὸν Ἀδάμ. *Dominus* DEUS MAGNUS *Israel apparebit in terra ut homo, & salvabit in ipso Adam.* Et mox pag. 157. ὁ Θεὸς σῶμα λαβὼν, καὶ συνεσθίων ἀνθρώποις, ἔσωζεν ἀνθρώπους. *DEUS corpus assumens, & comedens cum hominibus, salvabit* (salvavit) *homines.* Paulo pòst Messiam vocat Θεὸν καὶ ἄνθρωπον, *DEUM & hominem.* In Testamento *Levi* pag. 159. Angelus Levi his alloquitur verbis: Διά σε καὶ Ἰούδα ὀφθήσεται Κύριος ἐν ἀνθρώποις, σώζων ἐν αὐτοῖς πᾶν γένος ἀνθρώπων. *Per te & Judam apparebit Dominus in hominibus, salvans in ipsis omne genus hominum.* Deinde pag. 160. Levi ait infernum spoliatum iri ἐπὶ τῷ πάθει τοῦ ὑψίστου, *in passione Altissimi.* In Testamento *Judæ* pag. 187. mentio fit παρουσίας τοῦ Θεοῦ τῆς δικαιοσύνης, *adventûs DEI justitiæ*, nî fallor, ex Jerem. XXIII. 6. & XXXIII. 16. Et pag. 188. de Messia dicitur: Ἔστω ὁ βλαστὸς Θεοῦ ὑψίστου· *Hic est germen DEI altissimi*, ex Esaiæ IV. 2. In Testamento *Zabulon* pag. 203. μετὰ ταῦτα ἀναστελεῖ ὑμῖν αὐτὸς Κύριος, φῶς δικαιοσύνης· *Posthæc orietur vobis ipse DEUS* (Dominus) *lumen justitiæ*; Καὶ ὄψεσθε Θεὸν ἐν σχήματι ἀνθρώπου· *Et videbitis Deum in forma hominis.* In Testamento *Dan* pag. 208. Οὐκ ἔτι ὑπομένει Ιερουσαλὴμ ἐρήμωσιν, οὐδὲ αἰχμαλωτίζεται Ισραὴλ, ὅτι Κύριος ἔσται ἐμμέσῳ αὐτῆς, τοῖς ἀνθρώποις συναναστρεφόμενος, καὶ ἅγιος Ισραὴλ βασιλεύων ἐπ' αὐτοὺς ἐν ταπεινώσει καὶ ἐν πλωχείᾳ. *Non amplius sustinebit Hierusalem desolationem, neque captivabitur Israel, quoniam Dominus erit in medio ejus, cum hominibus conversatus, & sanctus Israel regnans super ipsos in humilitate & paupertate.* Lege, si placet, quæ ad istum locum annotavi in fine dicti Spicilegii pag. 358. seq. In Testamento *Nephthalim* pag. 216. Διὰ τοῦ σκήπτρου αὐτοῦ ὀφθήσεται Θεὸς, κατοικῶν ἐν ἀνθρώποις ἐπὶ τῆς γῆς, σῶσαι τὸ γένος Ισραήλ. *Per Sceptrum ejus* (Judæ) *apparebit DEUS, habitans inter homines in terra, ut salvet genus Israel.* In Testamento *Aser* pag. 228. seqq. ὁ ὕψιστος ἐπισκέψεται τὴν γῆν, καὶ αὐτὸς ἐλθὼν ὡς ἄνθρωπος, ἐδίων καὶ πίνων μετὰ τῶν ἀνθρώπων, καὶ ἐν ἡσυχίᾳ συντρίβων τὴν κεφαλὴν τοῦ δράκοντος ἐν ὕδατι. Σώσει τὸν Ισραὴλ καὶ πάντα τὰ ἔθνη, Θεὸς εἷς ἄνθρωπος γενόμενος. *Altissimus visitabit terram, & ipse veniens ut homo, cum hominibus manducans & bibens, & in silentio conterens caput Draconis per aquam. Hic salvabit Israel & omnes gentes, DEUS in Virum absconditus.* Denique in Testamento *Benjamin* pag. 251. hæc de temporibus Messiæ habetur prophetia: Τότε καὶ ἡμεῖς ἀναστησόμεθα, ἕκαστος ἐπὶ σκήπτρῳ ἡμῶν, προσκυνοῦντες τὸν Βασιλέα τοῦ οὐρανοῦ, τὸν ἐπὶ γῆς φανέντα ἐν μορφῇ ἀνθρώπου ταπεινώσεως. *Tunc & nos resurgemus, unusquisque in sceptrum nostrum, adorantes Regem cœlorum, qui in terra apparuit in forma humanæ* (hominis) *humilitatis.* Moxque addit Israelitas judicandos, ὅτι παρεβαίνομεν Θεὸν ἐν σαρκὶ ἐλευθεροῦντα ἡμᾶς ἐπίστευσαν, *quoniam advenientem DEUM in carne liberatorem non crediderunt.* Ecce Christum *Deum, Dominum, magnum Deum*, &c. appellatum.

CAP.

CAP IV.

Exponitur ſententia Juſtini Martyris, Athenagoræ, Tatiani, Theophili Antiocheni. Atque obiter fides de S. Trinitate Chriſtianorum, Luciani ætate, ex ipſo Luciano declaratur.

§. 1. APoſtolicis Scriptoribus ſuccenturiandus eſt, ſi non ipſis connumerandus, Juſtinus Martyr. Cujus libri fere omnes tot ac tam luculentis teſtimoniis pro Filii τῷ ὁμοουσίῳ referti ſunt, ut non poſſim ſine indignatione legere convitia, quibus audaculi quidam Scriptores Neoterici ſanctiſſimum Patrem ac Martyrem, tanquam cum impiis Arianis ſentientem conſpurcârunt.

In Apologia, ſecunda quæ dicitur, (cùm revera prima ſit,) eos reprehendit Juſtinus,
pag. 96. qui negant, ὅτι ἔζιν υἱὸς τῷ παλὶ τῶν ὅλων· ὃς καὶ λόγος πρωτότοκος ὢν τοῦ Θεοῦ, καὶ Θεὸς ὑπάρχει, i. e. *Filium eſſe Patri univerſorum, qui, quòd Verbum Dei primogenitum ſit, Deus etiam exiſtit.* Ubi apertè colligit, Filium perinde ac Patrem Deum revera exiſtere, ex eo, quòd is ex ipſo Deo Patre, ut Verbum & primogenitus ejus, prodierit & generatus ſit.
pag. 355. Similiter in Dialogo cum Tryphone, Judæorum cœcitatem perſtringit, qui negarent, Chriſtum εἶναι Θεὸν, τοῦ μόνου καὶ ἀγεννήτου καὶ ἀῤῥήτου Θεοῦ υἱὸν, *Deum eſſe, utpote ſingularis & ingeniti ineffabiliſque Dei Filium.* Et poſt
251. aliqua in eodem libro Chriſtum pronuntiat
pag. 357. Κύριον καὶ Θεὸν, Θεοῦ υἱὸν ὑπάρχοντα, i. e. *Dominum & Deum, utpote Dei Filium exiſtentem.*

§. 2. Hinc idem Juſtinus Chriſtum ubiq; prædicat verum, genuinum, germanum & propriè dictum Dei Filium: quod Ariani nunquam ex animo dixerunt, aut dicere potu-
pag. 44. erunt. Sic in Apologia prima, vel potiùs ſecunda: ὁ δὲ υἱὸς ἐκείνου, ὁ μόνος λεγόμενος κυρίως υἱὸς, *Filius autem ejus,* (Dei Patris) *qui ſolus propriè dicitur filius.* In Apologia
pag. 67. 2, juxta vulgatas editiones: υἱὸς δὲ Θεοῦ, ὁ Ἰησοῦς λεγόμενος, εἰ καὶ κοινῶς μόνον ἀνθρωπος, ἀλλὰ σοφίαν ἄξιος υἱὸς Θεοῦ λέγεσθαι· πατέρα γὰρ ἀνδρῶν τε Θεῶν τε πάντες συγγραφεῖς τὸν Θεὸν καλοῦσιν. εἰ δὲ καὶ ἰδίως ὡνόμασται τοῦ κοινοῦ γένεσιν γεγεννῆσθαι αὐτὸν ἐκ Θεοῦ λέγομεν λόγον Θεοῦ, ὡς προέραμεν, κοινὸν τοῦτο ἔσω ὑμῖν, i. e. *Cæterùm Filius Dei, Jeſus dictus, etiamſi communi aliorum more homo tantùm eſſet, propter ſapientiam tamen dignus eſſet, qui Dei Filius diceretur: Parentem enim virûmque Deûmque Scriptores cuncti Deum vocant. Sin PROPRIE etiam præter communem nativitatem genitum ipſum ex Deo Verbum Dei dicimus, quemadmodum antea dixi; commune hoc nobis ſit vobiſcum.* Et ibidem paulò pòſt: Ἰησοῦς Χριστὸς μόνος ἰδίως υἱὸς pag. 68.
τοῦ Θεοῦ γεγέννηται, λόγος αὐτοῦ ὑπάρχων καὶ πρωτότοκος καὶ δύναμις, i. e. *Jeſus Chriſtus ſolus propriè Filius Deo genitus eſt: utpote qui Verbum ejus & primogenitus & potentia exiſtit.* Denique in Dialogo cum Tryphone, Chriſtus ab Juſtino dicitur μονο- pag. 332.
γενὴς τῷ παλὶ τῶν ὅλων, ἰδίως ἐξ αὐτοῦ λόγος καὶ δύναμις γεγεννημένος, καὶ ὕστερον ἄνθρωπος διὰ τ παρθένου γενόμενος, i. e. *Univerſitatis hujus parenti unigenitus, propriè ex eo Verbum & virtus genitus, & poſteà homo factus per virginem.* Senſum Juſtini hiſce in locis, ut & Sacræ Scripturæ, ubi Chriſtum Dei Filium proprium atque unigenitum nominat, optimè expreſſit Athana- Athanaſ.
ſius paucis his verbis: τὸ γὰρ ἐκ τινὸς φύσει de Decret. Nicæn. Synod.
γεννώμενον, καὶ μὴ ἔξωθεν ἐπικτώμενον, υἱὸν οἶδεν ἡ φύσις, καὶ τοῦτο τοῦ ὀνόματός ἐστι τὸ ζημαινόμενον, i. e. *Quod naturaliter ab aliquo gignitur, nec aſciſcitur aliunde, id pro filio agnoſcit natura, eaque nomini huic poteſtas ſubjicitur.* Vide Petavium de Trinit. lib. 2, cap. 10. per totum.

§. 3. Præterea Juſtinus divinam Filii generationem ita paſſim explicat, iiſque ſimilibus elucidat, ut manifeſtiſſimum ſit, ipſum τὸ ὁμοούσιον ejus omnino agnoviſſe. Illuſtris imprimis eſt locus in Dialogo cum Tryphone, ubi modum generationis Filii his verbis de-
clarat: ὅτι δύναμις αὕτη, ἣν καὶ Θεὸν κα- pag. 358.
λεῖ ὁ προφητικὸς λόγος, ἀπὸ πολλῶν ὡσαύτως ἀποδέδειχται, καὶ ἄγγελον, ἔχ᾽ ὡς τὸ τοῦ ἡλίου φῶς ὀνόματι μόνον ἀριθμεῖται, ἀλλὰ ἢ ἀριθμῷ ἕτερόν τι ἐστὶ, ἢ ἐν τοῖς προειρημένοις

διὰ βραχέων τ̃ λόγον ἐξέτασα· εἰπὼν τ̃ δυνάμιν ταύτην γεγενῆσθαι ἀπὸ τ̃ πατρὸς, δυνάμει καὶ βουλῇ αὐτ̃· ἀλλ' ὃ καὶ ἀποτομὴν, ὡς ἀπομεριζομένης τ̃ τ̃ πατρὸς οὐσίας, ὁποῖα τὰ ἄλλα πάντα μεριζόμενα καὶ τεμνόμενα ὃ τὰ αὐτά ἐστιν ἃ καὶ περὶ τμηθῆναι· καὶ παραδείγματος χάριν παρειλήφειν τὰ ὡς ἀπὸ πυρὸς ἀναπτόμενα πυρὰ ἕτερα ὁρῶμεν, οὐδὲν ἐλαττουμένου ἐκείνου, ἐξ οὗ ἀναφθῆναι πολλὰ δυνάνται, ἀλλὰ τ' αὐτ̃ μένοντος, i.e. " Virtutem istam, quam Deum sermo propheticus vocat, prout pluribus similiter est probatum, & Angelum, non " ut Solis lumen nomine tantùm numerari, " verùm numerô aliud quiddam esse, ratione " exquisitâ suprà paucis explicavi : virtutem hanc dicens de Patre genitam virtute " & consiliô ipsius ; non per abscissionem, " tanquam dispertita esset Patris essentia, " prout alia omnia divisa & secta non eadem " sunt, quæ antè fuerunt quàm scinderentur. Atque exempli gratiâ illud sumpsi, " quòd ex igne ignes alios accensos videmus, " illô nihil diminutô, sed eôdem manente, " unde multi accendi possunt ignes. " His verbis Justinus apertè docet, Filium esse quidem ἀριθμῷ ἕτερόν τι, numerô seu personâ alium à Patre, sed neutiquam naturâ diversum ; quippe qui ex ipsa Dei Patris essentia progenitus sit, ac proinde Filius ipsi consubstantialis. Etenim modum generationis Filii quadantenus explicare aggressus, ait, Filium ex Patre genitum esse ὃ καὶ ἀποτομὴν, ὡς ἀπομεριζομένης τ̃ τ̃ πατρὸς οὐσίας, *non per abscissionem, quasi dispertita esset Patris substantia.* Quorsum verò illud spectat, si Filius in generatione sua cum Patris substantia nihil quicquam commune habeat ? Deinde simile, quô hîc Catholicam doctrinam illustrat Justinus, τὸ ὁμοούσιον Filii manifestè comprobat. Ait enim Filium ex Patre genitum esse, quemadmodum ignis ex igne accenditur. Quis autem non fatebitur, ignem ab alio igne accensum ejusdem cum ipso naturæ ac substantiæ esse ? Quod & ipse Justinus alibi in eodem Dialogo eâdem similitudine modum generationis Filii adumbrans disertè monuerat. Verba
p. 284. sunt : ὁποῖον ἐπὶ πυρὸς ὁρῶμεν ἄλλο γινόμενον, οὐκ ἐλαττουμένου ἐκείνου ἐξ οὗ ἡ ἄναψις γέγονεν, ἀλλὰ τ̃ αὐτ̃ μένοντι, καὶ τὸ ἐξ αὐτ̃ ἀναφθὲν, καὶ αὐτὸ ὂν φαίνεται, οὐκ ἐλαττῶσαν ἐκεῖνο ἐξ οὗ ἀνήφθη, i.e. " Quemadmodum in igne " videmus alium fieri, non decrescente illô, " unde facta est alterius accensio, sed in eodem statu permanente ; & qui ex ipso accenditur, etiam ipse esse apparet, non im" minuens illum unde est accensus. " Ubi cùm dicit, quod ex ipso igne accenditur, etiam ipsum ignem esse, manifestè vult, pari ratione Filium Dei, qui ex ipso Deo est genitus, itidem Deum esse ipsissimum. Tam clarâ luce refulgent hæc loca, ut ipse Petavius, (idem qui Justinum Arianismi accusavit,) postquam ea ex parte citaverat, hæc subjiciat : " Quid " ad hanc professionem fidei ac Trinitatis " potest adjici ? Aut quid in Nicæno ipso " Patrum confessu, vel post ipsum, expressius, significantius, efficacius proditum " est ? Nam solemni illi formulæ, quæ ibi " constituta est, Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo vero, præivit " tantò antè Justinus sententiâ istâ : ex qua " & τὸ ὁμοούσιον, hoc est, substantiæ, sine ulla " partitione, communio & identitas efficitur. Præfat. in Tom. 2. Theolog. Dogmat. c. 3. n. 1.

§. 4. Cæterùm diligenter observandum est, Justinum in loco, quem ex Dialogo cum Tryphone in proximè præcedenti paragrapho primùm adduximus, (qui nempe extat ejusdem libri p. 358.) eorum hæresin ex professo impugnare, qui idem fere tum temporis docerent, quod postea Sabellius asseruit ; scilicet, " Virtutem à Patre rerum omnium " provenientem, quæ Mosi apparuit, aut Jacobo, aut Abrahæ, Angelum vocari, cùm " ad homines, quibus mandata Patris per ipsam denuntiantur, progreditur ; gloriam " verò, cùm in visione incomprehensibili aliquando exhibetur ; virum autem & hominem nominari, quando quidem eâ specie, quam Pater velit, conspiciatur ; & " propterea Verbum appellari, quòd Patris " sermones ad mortales perferat : Virtutem " autem eam à Patre nullô pactô disjungi & " secerni posse ; eô videlicet modô, sicuti " Solis lux in terris ab eo in cœlis recîdi & " segregari nequit, atque eô occidente illa " unà aufertur : tali nimirum modô Patrem, " cùm vult, efficere, ut virtus ejus prosiliat ; " & cùm vult, ut eandem ad seipsum retra" hat. " Hi verò hæretici, ut apparet, hæresin suam confirmare adnisi sunt argumentô ductô à confessione Catholicorum, qui docerent Filium esse ejusdem cum Deo Patre essentiæ. Inde scilicet hoc Sophisma contexuerunt : Aut Filius idem cum Patre est, neq; ab ipso personâ distinctus ; aut dicendum, essentiam divinam in duas partes dispertitam esse, quarum altera Patris, altera Filii personam constituat. Id ex loco Justini hâc satis evidenti ratione colligimus. Catholici non erant, qui dicerent dispertiri divinam essentiam ; imò illud tanquam blasphemum omnino rejecit Justinus. Neque hæretici, contra quos agit Justinus, id affirmabant ; sed contra ideo Dei naturam μονοπρόσωπον statuebant, ut istam Divinæ essentiæ partitionem effugerent. Reliquum est igitur, istos Sabellii præcursores Catholicam doctrinam de

de generatione Filii ex Patris ſubſtantia, qui diſtincta à Patre perſona ſit, hôc invidiosô πορίσματι onerâſſe, quòd ex ea ſequeretur, Divinam ſubſtantiam quaſi in duas partes diſſecari & dividi. Nihil certius. Jam ut huic Sophiſmati occurrat Juſtinus, non negat Filium ex Patris ſubſtantia productum eſſe, imò id pro indubitato habet; ſed oſtendit Filium ex ipſo Patre generari, idque ita, ut diſtincta à Patre perſona ſit, non per abſciſſionem ab eſſentia paterna, (quod hæretici cavillabantur,) ſed per ſimplicem eſſentiæ communicationem, qualis fere eſt inter ignem, ignem alium ſine ſui jactura & diminutione ulla producentem, & ipſum productum ignem. Quem explicandi modum adhibet Tatianus etiam, Juſtini diſcipulus, in
p. 145. Oratione cont. Græc. his verbis: γέγονε δὲ κατὰ μερισμὸν, ὃ καὶ ἀποτομήν· τὸ γὰρ ἀποτμηθὲν τοῦ πρώτου κεχώρισται· τὸ δὲ μερισθὲν οἰκονομίας τε αἵρεσιν προσλαβὸν, οὐκ ἐνδεᾶ τοῦ ὅλου ἐλήφθη, πεποίηκεν. ὥσπερ γὰρ ἀπὸ μιᾶς δαδὸς ἀνάπτεται μὲν πυρὰ πολλὰ, τοῦ δὲ πρώτου δαδὸς διὰ τὴν ἔξαψιν τῶν πολλῶν δαδῶν οὐκ ἐλαττοῦται τὸ φῶς· οὕτω καὶ ὁ λόγος προελθὼν οὐκ ἐστέρησε τὸν πατέρα δυνάμεως, οὐκ ἄλογον πεποίηκε τὴν γεγεννηκότα, i.e. "Natus eſt autem participatione (ſive "communicatione,) non abſciſſione. Quod "enim abſcinditur, à primo ſeparatur; quod "verò communicatur, id functione donatum propriâ, nihil imminuit illum, à quo "vim ſuam ſumpſit. Quemadmodum enim "ab una face aliæ multæ accenduntur, nec "tamen primæ facis lux imminuitur propter plures inde ſuccenſas: ſic etiam Verbum è Patris virtute progreſſum, non reliquit Genitorem Verbi expertem." Ex his verò clarè efficitur doctrinam, de Filii τῷ ὁμοουσίῳ, ſive ex ipſa Dei Patris eſſentia ac ſubſtantia productione, dogma fuiſſe Juſtini ætate in Eccleſia Catholica receptum, fixum, ratum ac ſtabilitum: hæreticoſq; illorum temporum doctrinam iſtam eâdem cavillatione oppugnâſſe, quâ poſtea Ariani aliiq; hæretici uſi ſunt: ac denique Catholicos Juſtini ævô eâdem omnino reſponſione Sophiſma illud diluiſſe, quam Catholici Doctores, poſt excitatam ab Ario de τῷ ὁμοουσίῳ controverſiam, ad Arianorum ora obſtruendum adhibuerunt. Recole omnino quæ ſuprà diſſeruimus hujus Sectionis cap. 1. n. 10. 11, 12.

§. 5. Porro idem Juſtinus in Dialogo cum
Dialog. cum Tryphon. p. 286, 287. Tryphone prolixè oſtendit, Chriſtum in Veteris inſtrumenti Scripturis, *Deum* & *Dominum*, *Dominum virtutum*, *Iſraelis Deum* appellari: illum eſſe, qui Abrahamo, Moſi & Patriarchis apparuit, quem hi tanquam Deum ſuum adorarent, quique nomine tetragrammato à Spiritu ſancto honeſtatur. Quin & quæ iiſdem in Scripturis, maximè in Pſalmis, de ſummo omnium Domino ac Deo dicuntur, ea Chriſto convenire probat. Sic, verbi gratiâ, citatô Davidis locô Pſal. 45. v. 6. *Thronus tuus, O Deus, in ſæculum ſæculi, &c.* illum cum Auctore Epiſtolæ ad Hebræos & antiquiſſimis Hebræorum Magiſtris Chriſto accomodat; indeque Servatorem noſtrum eſſe καὶ προσκυνητὸν, καὶ Θεὸν, *& adorandum, & Deum* concludit. Nunquam Juſtino (ut nec veterum Catholicorum cuiquam) in mentem venerat commentum, quô Eraſmus & poſt eum Grotius (uterque, neſcio quô fatô, ad loca Scripturæ illuſtriora quæque pro Filii Divinitate, quam tamen & ipſi agnoviſſe videntur, convellenda natus,) Verborum Pſalmiſtæ ſenſum eludunt. Ait enim Eraſmus, *legi poſſe*; Grotius, *legi debere*, non, *O Deus thronus tuus eſt in ſæculum ſæculi*; ſed, *ipſe Deus eſt tibi thronus in ſæculum ſæculi*; hoc
In Not. ad Epiſt. ad Hebr. c. 1. v. 8. eſt, Deus thronum tuum in æternum ſuſtentabit. Quæ (malum) ratio viris doctis ſuaſit, ut luculento huic contra Judæos & Judaizantes Chriſtianos teſtimonio tenebras offundere conarentur? *Sermo Græcus*, inquit Eraſmus, *anceps eſt*. Eſto. Sed ſenſus & ſcopus Auctoris Epiſtolæ ad Hebræos certus & manifeſtus eſt ex v. 2, 3. ubi Chriſtum dicit Dei Filium, per quem ſæcula condita ſunt, ſplendorem paternæ gloriæ, Characterem eſſentiæ ipſius, qui omnia ſuſtentat verbô ſuô potenti. Hanc divinam Chriſti gloriam ac Majeſtatem, ejuſdemq; ſuper Angelos omnes & excellentiſſimas creaturas infinitam præcellentiam (adverſus ſcilicet Gnoſticos & alios hæreticos, qui Æones ſuos & Angelos
Confer Coloſſ. 1. v. 8, 9, 10; 18, 19. & Poteſtates Filio Dei fere exæquârunt; quod apprimè notandum, cùm alioqui frigida prorſus videatur tam operosè inſtituta comparatio inter Chriſtum Deum & Angelos creaturas,) probare voluit Divinus Auctor in ſequentibus, uſque ad finem capitis. Quid autem facit ad hoc Auctoris inſtitutum textus Pſalmiſtæ v. 8, 9. allegatus, ſi juxta interpretamentum Eraſmi & Grotii intelligatur? Et quis ſanus dubitat, quin Auctor in verſibus ἀμέσως ſequentibus, nempe v. 10, 11, 12. ex eodem Pſalmiſta voluerit oſtendere, Chriſtum eſſe Dominum illum, qui in initio fundavit terram, & manibus ſuis formavit cœlum, quique, totâ hâc mundi compage deficiente, Deus idem immutabilis in æternum permanſurus ſit? Deinde, ſit ſermo anceps; at certè pendulam debuit lancem deprimere Veterum auctoritas. Stat enim hîc Juſtinus non ſolus, ſed universô Sanctorum Patrum quaſi exercitu ſtipatus, qui

omnes

omnes unô consensu ὁ Θεὸς hôc in loco vocativè acceperunt: prout in Psalmis frequenter à 70 usurpatur, & alioqui familiare Græcis est, Atticis præsertim, nominandi casum vocativè sumere. Quin & Judæi antiquiores (utcunque recentiores Rabbini ineptiant,) juxtà nobiscum Christianis locum Psalmistæ interpretati sunt. Certè Aquila, teste Hieronymô, אלהים vocativô vertit Θεέ. Et observatu dignum est, quod Origenes refert, se hôc testimoniô vehementer aliquando ursisse Judæum, qui sapiens habebatur apud suos, ipsumque, cùm non posset se explicare, respondisse, sicut decebat Judæum: scilicet, ad universitatis Deum dictum esse illud, *Sedes tua, O Deus, in sæculum sæculi, virga directionis, virga Regni tui*; ad Christum verò illud, *Dilexisti justitiam, & habuisti odio iniquitatem*, &c. Scilicet de Erasmiano & Grotiano commento, Deum esse Messiæ thronum, Judæus iste sapiens (ad effugium alioqui quodvisçumque satis instructus & paratus,) ne somniavit quidem unquam. Interim à Grotio accipimus, quod largitur, nempe, *pro* ὁ Θεὸς *in Hebræo esse* אלהים, *quod nomen pluribus sive Angelis, sive Judicibus dari solet; at cum uni tribuitur, ut hôc in loco, Deo soli convenit; quia tunc est oratio* ἐλλειπτική *pro* אלהי אלהים. Sed hæc obiter; ad Justinum redeo.

Contra Cels. l. 1. p. 43.

§. 6. Notatu sane dignus est ejusdem locus, qui postmodum sequitur in eodem Dialogo. Ubi Trypho testimonium Esaiæ: *Egredietur virga de radice Jessæ, & conquiescet super eum Spiritus Dei*, &c. de Christo, uti debuit, interpretatur; deinde super eodem testimonio Justinum sic interrogat: *Cùm Deum ipsum priùs fuisse affirmes, ac de consilio & voluntate Dei incarnatum, & ex virgine hominem natum esse asseras*; πῶς δυνάται ἀποδειχθῆναι προϋπάρχων, ὅστις λέγῃ τῷ δυνάμεων τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ, ἃς καλεῖται ὁ λόγος λέγει Ησαΐᾳ, πληρῶται, ὡς ἐνδεὴς τούτων ὑπάρχων i. e. *Quomodo probari potest eum priùs fuisse, qui per virtutes Spiritûs sancti, quas Verbum per Esaiam enumerat, completur, perinde atque iis indiguisset?* Cui respondet Justinus: Νενοήκατε μὲν καὶ συνετάραξα ἠρώτησας· ἀληθῶς γὰρ ἀπόρημα δοκεῖ εἶναι. ἀλλ' ἵνα εἰδῆς καὶ τὸ περὶ τούτων λόγον, ἄκουε ὃν λέγω. ταύτας τὰς κατειλημμένας τῷ πνεύματι τῷ δυνάμεις, ἐπεὶ ὡς ἐνδεοῦς αὐτοῦ τούτων ὄντος, φησὶν ὁ λόγος ἐπελεύσεσθαι ἐπ' αὐτὸν, ἀλλ' ὡς ἐπ' ἐκεῖνον ἀνάπαυσιν μελλησῶν ποιεῖσθαι, τοιοῦτον, ἐπ' αὐτοῦ πέρας ποιεῖσθαι: τῷ μηκέτι ἐν τῷ γένει ὑμῶν κατὰ τὸ παλαιὸν ἔθος προφήτας γενήσεσθαι. ὅπερ οὐ μικρόν ὑμῖν ἰδεῖν ἐστι· περὶ ἐκείνου γὰρ ἐδεῖς ὅλως προφήτης παρ' ὑμῖν γεγένηται, i. e. *Acutissimè & prudentissimè interrogâsti; nam verè hoc dubitationem in se habere videtur. Verùm ut de his quoque rationem teneas, quæ dicam, accipe. Virtutes Spiritûs, quæ recensitæ sunt, Verbum non ita super eum venisse ait, quasi indigus earum ipse fuerit; sed quòd acquieturæ in illo essent, hoc est, in eo finem facturæ; ita ut in genere vestro non ampliùs more veteri Prophetæ futuri essent. Quod & oculis ipsi vestris cernere potestis: pòst illum namque nullus omnino apud vos natus est Propheta.* Fateor miram esse Justini interpretationem Prophetici sermonis, quem de Christo homine, Spiritûs sancti donis præ aliis omnibus locupletatô, exponendum omnes vident. Interim hinc constat, pro certa & rata habuisse Justinum hanc hypothesin: Filium Dei, utpote Deum verum, naturâ suâ absolutissimum ac perfectissimum esse, nullius rei indigum, qui neque ipsius Spiritûs sancti donis opus unquam habuerit. Scilicet ita manifestè argumentatur Trypho: Verus Deus nullius rei indigus esse potest: atqui Christus, teste Esaiâ, Spiritûs sancti donis indiguit: Ergo Christus non est verus Deus, quemadmodum tu, Justine, contendis. Propositionem admittit Justinus, assumptionem verò negat; & meritò quidem; siquidem de Christo Deo disputatio inter ipsum & Tryphonem instituta fuit: quanquam Esaiæ locum perperam, ut dixi, interpretetur. Quòd si cum Ario sensisset Justinus, facillimè & nullô negotiô potuisset Tryphoni respondere; nihil absurdi in eo esse, si Filius Dei statuatur Dei gratiâ indiguisse, & in melius proficere potuisse: utpote qui creatura sit, Deusque per adoptionem factus. Sane Arius apertè dicere non est veritus, Filium Dei conversioni & mutationi obnoxium, ac pro arbitrii libertate virtutis & vitii capacem fuisse; ut ex Epistola Alexandri ad Catholicos ubique gentium Co-episcopos scripta, & ex Synodica Epistola Patrum Nicænorum, ac denique ex ipso Symbolo Nicæno manifestum est. Verùm si ita respondisset Justinus, suam ipsius disputationem præcedentem funditus evertisset: utpote in qua totus in id incumbit, ut probet, Servatorem nostrum Deum esse verum & adorandum.

pag. 314.

Vide Sogenitum H.E. l. 1. c. 6. & 9.

§. 7. Idem Justinus alibi, nempe in Oratione Paræneticâ ad Græcos, observat, qui Mosi in rubo apparuit, quem ubique profitetur Dei fuisse Filium, se dixisse τὸν ὄντα, *eum qui est:* ac deinde expresè notat, istam descriptionem τῷ ἀεὶ ὄντι Θεῷ προσήκειν, *semper existenti Deo convenire.* Testimonium inte-

p. 19, 20.

integrum commodiore locô, nempe ad Sectionem ſequentem de Filii τῷ συναϊδίῳ, adducemus. Huic adjungendus eſt locus Juſtini illuſtriſſimus, qui in præclara ejus ad Diognetum Epiſtola continetur. Ea Epiſtola quin Juſtini ſit genuina, nemo doctus (quod ſciam) hodie dubitat: unde Scultetus ipſam inter Scripta recenſet, quæ omnium conſenſu Juſtino tribuuntur. Quod enim objicit Sandius, nempe Bellarminum hanc Epiſtolam ne in catalogo quidem operum Juſtini recenſuiſſe, id prorſus frivolum eſt. Quippe conſtat, Bellarminum ſecutum eſſe Roberti Stephani operum Juſtini editionem A. MDLI Pariſiis elaboratam, in qua Λόγος πρὸς Ἕλληνας & Ἐπιστολὴ πρὸς Διόγνητον omittuntur; ſed poſtea A. MDXCII ab Henrico Stephano, Roberti filio, ſeorſim edita ſunt cum Latina ejuſdem interpretatione & prolixis Annotationibus. Unde & Oratio ad Græcos, quia in Roberti Stephani editione deſiderabatur, in Bellarmini catalogo pariter omittitur: quæ tamen quin Juſtini genuina ſit, nemo qui ipſam attentè legerit, & cum cæteris Juſtini Scriptis contulerit, poterit dubitare. Epiſtolam autem illam ad Diognetum planè Juſtinum redolere, ſi cum cæteris ejus Scriptis conferatur, & multa cum illis habere communia, rectè obſervavit Fredericus Sylburgius. Sed quid multis opus eſt? Ipſe Sandius alibi (nempe Enucl. Hiſt. Eccl. p. 76.) hanc Epiſtolam pro genuino Juſtini opere agnoſcit. Nunc recitemus ampliſſimum, quod promiſimus, ex hac Epiſtola teſtimonium. Verba ſunt: Αὐτὸς ὁ παντοκράτωρ καὶ παντοκτίστης καὶ ἀόρατος Θεὸς, αὐτὸς ἀπ' οὐρανῶν τὴν ἀλήθειαν καὶ τὸν λόγον τὸν ἅγιον καὶ ἀπερινόητον ἀνθρώποις * ἐνίδρυσε, καὶ ἐγκατεπήξατο ταῖς καρδίαις αὐτῶν· οὐ καθάπερ ἄν τις εἰκάσειεν, ἀνθρώποις ὑπηρέτου τινὰ πέμψας, ἢ ἄγγελον, ἢ ἄρχοντα, ἢ τινὰ τῶν διεπόντων τὰ ἐπίγεια, ἢ τινὰ τῶν πεπιστευμένων τὰς ἐν οὐρανοῖς διοικήσεις· ἀλλ' αὐτὸν τὸν τεχνίτην καὶ δημιουργὸν τῶν ὅλων· ᾧ τοὺς οὐρανοὺς ἔκτισεν· ᾧ τὴν θάλασσαν ἰδίοις ὅροις ἐνέκλεισεν· οὗ τὰ μυστήρια πιστῶς πάντα φυλάσσει τὰ στοιχεῖα· παρ' οὗ τὰ μέτρα τῶν καθ' ἡμέρας δρόμων † εἴληφε φυλάσσειν· ᾧ πειθαρχεῖ σελήνη, νυκτὶ φαίνειν κελεύοντι· ᾧ πειθαρχεῖ τὰ ἄστρα, τῷ δὲ σελήνης ἀκολουθοῦντα δρόμῳ· ᾧ πάντα ἥλιος ὑποτέτακται καὶ διώρισται καὶ ὑποτέτακται, οὐρανοὶ καὶ τὰ ἐν οὐρανοῖς· γῆ καὶ τὰ ἐν τῇ γῇ· θάλασσα καὶ τὰ ἐν τῇ θαλάσσῃ· πῦρ, ἀὴρ, ἄβυσσος· τὰ ἐν ὕψεσι, τὰ ἐν βάθεσι, τὰ ἐν τῷ μεταξύ. τοῦτον πρὸς αὐτοὺς ἀπέστειλεν· ἆρά γε, ὡς ἄνθρωπόν τις λογίσαιτο, ἐπὶ τυραννίδι, καὶ φόβῳ, καὶ καταπλήξει; οὐ μέντοι· ἀλλ' ἐν ἐπιεικείᾳ [καὶ] πραΰτητι ὡς βασιλεὺς πέμπων υἱὸν βασιλέα· ὡς Θεὸν ἔπεμψεν· ὡς πρὸς ἀνθρώπους ἔπεμψεν· ὡς σώζων ἔπεμψεν· κ. λ. i. e. "Ipſe omnipotens & omnium conditor & inviſibilis Deus è cœlis Veritatem & Verbum ſanctum & incomprehenſibile inter homines locavit, & in cordibus eorum firmam habere ſedem voluit: non quemadmodum aliquis conjicere poſſit, miſsô hominibus MINISTRO aliquô, ſive Angelô, ſive Principe, ſive aliquo eorum, qui terrena gubernant, aut quopiam eorum quibus commiſſa eſt rerum in cœlis adminiſtrandarum cura; ſed IPSO OPIFICE & CREATORE omnium: quô cœlos condidit, quô mare ſuis terminis concluſit: cujus myſteria fideliter ab omnibus elementis obſervantur: â quo ſpatia diurnorum curſuum [Sol] obſervanda accepit: cui paret Luna, jubenti eam lucere nocte: cui aſtra obtemperant, Lunæ curſum ſequentia: à quo omnia diſpoſita ſunt & ſuis limitibus circumſcripta, & cui ſuppoſita ſunt, cœli & quæ in cœlis ſunt, terra & quæ in terra ſunt, mare & quæ in mari; ignis, aer, abyſſus, quæ in altitudinibus, quæ in profunditatibus, quæque in medio locata ſunt. Hunc ad eos miſit: an, ut aliquis hominum cogitare poſſit, in tyrannide & metu & terrore? minimè verò, ſed in clementia & in lenitate, tanquam Rex mittens Filium Regem; miſit tanquam || Deum, tanquam ad homines miſit, tanquam ſervans miſit, &c." Locus omni obſervatione digniſſimus; quippe qui profundum redemptionis humanæ myſterium egregiè deſcribat; nec non locis illis omnibus medelam porrigat, in quibus Scriptor ſanctiſſimus de Filio Dei loqui minùs honorificè videatur. Sed ad præſens noſtrum inſtitutum quod attinet, quid his diſertius pro vera Filii Divinitate contra Arianam blaſphemiam dici potuit? τὸν λόγον ſive Filium Dei ὑπηρέτην, *miniſtrum* ſive creaturam eſſe, (nam ἰσοδύναμα eſſe hæc duo ſæpiùs notavi, & ſatis per ſe manifeſtum eſt,) expreſsè negat; eum incomprehenſibilem, & ipſum opificem Creatoremque omnium appellans, à cujus nutu pendeat, & virtute ſuſtineatur, tota

Sandius de Script. Eccleſ. p. 20.

In Not. ad p. 501. v. 43. operum Juſtini.

Juſtin. Epiſt. ad Diognet. p. 498.

* al. ἐνίδρυσι.

T mundi

† Notat Stephanus, ante εἴληφε vel poſt φυλάσσειν deſiderari vocem ἥλιος. Forte autem pro εἴληφε φυλάσσειν legendum ἥλιος φυλάσσει.

|| Scil. qui ſuâ naturâ bonus & benignus eſt, hominumque amans. Vide Clem. Alexand. Pædag. p. 109, 113. & confer 1 Joan. 4. 8.

mundi tam cœlestis, quàm terrestris compages; cuique creaturæ omnes, cujuscunque ordinis, tanquam Auctori, Deo, ac Domino suo subjectæ sint atque obtemperent. Ait ipsum in hunc orbem missum fuisse ut Regem à Rege, ut Deum à Deo, scilicet Filium Regem, à Patre Rege, Filium Deum à Deo Patre. Dixi suprà, locum Pauli ad Philippenses cap. 2. v. 6, & seqq. & ei geminum Clementis in Epistola ad Corinthios, ex hoc Justini loco clarissimam lucem accipere, ut ista vicissim huic lucem porrigunt. Temerè an secus id pronuntiaverim, nunc judicet cordatus Lector. Quod Paulus de Christo ante suam κένωσιν dicit, quòd in *forma Dei* tum subsisteret; & Clemens, quòd *Sceptrum magnificentiæ Dei* fuerit; id Justinus ita exponit, ut dicat, Christum eo in statu *Dei ministrum non fuisse*, (quippe servi formâ, sive creatâ naturâ, nondum assumptâ,) sed *ipsum omnium Dominum & Creatorem.* Quod Paulus dicit, Christum postea *servi formam sumpsisse, hominemque factum fuisse*; idem ab Justino dicitur, dum ait, Verbum sive Filium Dei cœlitus missum, *inter homines collocatum fuisse.* Denique quod Paulus docet, Christum ad homines venientem, *suam cum Deo Patre æqualitatem non venditâsse, sed semet exinaniviss̃e*; & Clemens, *Christum non venisse in jactantia superbiæ & fastûs, quamvis potuerit, sed in humilitate*; idem Justinus vult, cùm subdit, Verbum & Filium Dei à Patre in mundum missum fuisse *non in tyrannide & metu & terrore*, hoc est, non cum ostentatione tremendæ suæ Majestatis divinæ; sed *in clementia & lenitate, tanquam qui ad homines missus fuerit.* Hâc certe locorum collatione nulla aptior excogitari potest.

Vid. hujus Sect. c. 3. n. 4.

§. 8. Claudam meas ex Justino citationes locô desumptô ex Apologia, secundâ inscriptâ; in quo sanctus Martyr integram divinarum personarum Trinitatem, quæ conjunctim eôdem religiosô cultu adorandæ sint, quæque solæ, exclusis creaturis omnibus, istiusmodi mereantur adorationem, disertè profitetur. Scilicet ibi infidelibus, tanquam Atheos accusantibus Christianos, quòd cultum Idolorum repudiaverint, respondet Justinus, Christianos Atheos non esse, siquidem, licet falsò dictos & habitos Gentium Deos spernant & contemnant, unum tamen & verum Deum, tribus personis distinctum, religiosissimè colant ac venerentur. Verba sunt:

p. 56. Καὶ ὁμολογῶμεν τ̃ τοιούτων νομιζομένων Θεῶν ἄθεοι εἶν· ἀλλ' οὐχὶ τ̃ ἀληθεστάτ, ἢ πατρὸς δικαιοσύνης ἢ σωφροσύνης Ⓒ τ̃ ἄλλων ἀρετῶν, ἀνεπιμίκτ τε κακίας Θεὸν· ἀλλ' ἐκεῖνόν τε, Ⓒ τ̃ παρ' αὐτ̃ ἡμῖν ἐλθόντα, Ⓒ διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα Ⓒ τὸν τῶν ἄλλων ἑπομένων Ⓒ ἐξομοιουμένων ἀγαθῶν ἀγγέλων στρατὸν, πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν, λόγῳ καὶ ἀληθείᾳ τιμῶντες, i. e. "Et fatemur quidem nos talium qui habentur Deorum esse expertes, & atheos: "sed non verissimi illius Dei, Patris videlicet justitiæ & castitatis & virtutum aliarum, & ab omni vitii mixtione & labe alieni, expertes; verùm hunc ipsum, & qui "ab eo venit, (atque nos ista & aliorum "famulantium assimilatorumque bonorum "Angelorum exercitum docuit,) Filium, "& Spiritum sanctum colimus & adoramus, "cum ratione & veritate venerantes." Ex hoc quidem loco adstruere conatur Bellarminus religiosum Angelorum cultum; quæ ejus collectio si valida sit, concidet planè argumentum nostrum, inde ductum, pro Filii & Spiritûs sancti vera Divinitate. Scilicet Bellarminus post verba διδάξαντα ἡμᾶς ταῦτα distinctionis notam collocat, legitque, *sed & illum, & Filium, qui venit ab eo, nosque hæc docuit, & aliorum sequentium similiumque bonorum Angelorum exercitum, & Spiritum sanctum colimus & adoramus, &c.* Sed huic Scultetus, justô ardore accensus, hanc acrem & acutam responsionem reddit: "At quam "ille, *inquit*, in Romano Lycæo excogitatæ "distinctiunculæ rationem adfert? Nullam "adfert. Repudiamus igitur incisum Perionii Sophisticum. Docet Justinus passim, "Filium nobis omnia, adeoque Deum ipsum, "revelâsse. Addit hôc locô, de Angelorum mysterio nos ab eodem edoctos. Hoccine verò articulô Jesuiticô à contextu "sejungendum erat, ut superstitiosus Angelorum cultus Justini suffragatione stabiliretur? Non animadvertisti, Sycophanta, receptâ distinctiunculâ tuâ, Spiritum "sanctum Angelis inferiorem, contra perpetuum Justini sensum, statui, quippe qui "quartô demum locô esset adorandus. Vertisses unam pagellam; præsentis loci nebulas clarissimâ aliàs luce vidisses dissipatas; ubi Patrem primô locô, Filium secundô, tertiô locô Spiritum Sanctum, "Angelos non proximè à Filio, sed nec "quartô, nec quintô à Christianis locô, adorari docuit. Consuluisses Tryphonem "Dialogum, qui sic inscribitur; ex cultu "adorationis Angelum, qui Loto apparuit, Filium Dei demonstratum legisses. "Quæ demonstratio nihil habebit roboris, "si creaturarum Angelicarum suppositia fuerit adoratio." Quibus & illud addas, quod imprimis observandum erat, in iis ipsis Justini verbis, ex quibus cultum Angelorum

Scultet. Medull. Patrum in Synthesi doctrinæ Justini Martyris cap. 18.

rum exſculpere voluit Bellarminus, Angelos diſertè dici τὺς ἑπομένους Spiritus, *ſequentes* ſive * *famulantes*; (ὑπηρέτας, *miniſtros* dicit in loco ex Epiſtola ad Diognetum modò adducto; ubi & ex numero & cenſu τῷ ὑπηρετῶν Filium Dei, ut hîc tam Filium quàm Spiritum ſanctum, eximit) unde ſequitur ipſos neutiquam adorandos eſſe. At quorſum, inquies, ſpectat mentio ejus, quòd per Filium Dei de bonorum Angelorum miniſterio edocti ſumus, Filii elogio παρενθετικῶς inſerta? Reſpondeo: Spectat iſta parentheſis (quod velim, ut Lector accuratè notet,) ad ea quæ proximè apud Juſtinum ibidem præceſſerant. Dixerat Juſtinus, Socratem, eò quòd aſſeruit unicum & verum Deum ſolum colendum eſſe, repudiatis Gentium idolis, tanquam Dæmonibus, hoc eſt, Spiritibus malis Deoque inimicis, ab improbis hominibus Diabolô inſtigatis quaſi Atheum & impium occiſum fuiſſe. Deinde ſubjungit, idem prorſus Chriſtianis accidiſſe. Verba ſunt: Καὶ ὁμοίως ἐφ' ἡμῶν τὸ αὐτὸ ἐνεργεῖσθαι. οὐ γὰρ μόνον Ἕλλησι διὰ Σωκράτους ὑπὸ λόγου ἠλέγχθη ταῦτα, ἀλλὰ καὶ ἐν βαρβάροις ὑπ' αὐτοῦ τοῦ λόγου μορφωθέντος καὶ ἀνθρώπου γενομένου, καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ κληθέντος. ᾧ πειθόμενοι ἡμεῖς, τοὺς ταῦτα πράξαντας δαίμονας οὐ μόνον μὴ ὀρθοὺς εἶναι φαμὲν, ἀλλὰ κακοὺς καὶ ἀνοσίους δαίμονας, οἵ γε δὴ τοῖς ἀρετὴν ποθοῦσιν ἀνθρώποις τὰς πράξεις ὁμοίως ἔχουσι, i. e. *Id ipſum itidem de nobis faciunt. Non modò enim apud Græcos per Socratem à Verbo hæc ſunt reprehenſa, ſed apud Barbaros quoque ab ipſomet Verbo formato & homine facto, atque Jeſu Chriſto dicto. Cui nos credentes, eos qui hæc patrârunt Dæmones, non tantùm non rectos eſſe dicimus, ſed malos etiam & impuros Dæmones, quibus ne hominum quidem, virtutem expetentium, ſimiles ſint actiones.* Poſtquam autem dixerat nos per Chriſti fidem edoctos eſſe de cultu malorum Angelorum fugiendo, mox in dicta parentheſi appoſitiſſimè addit, per eundem Chriſtum nos etiam de aliis Angelis, nempe bonis, tanquam Spiritibus Deo nobiſcum famulantibus, ac proinde neutiquam adorandis, inſtructos eſſe, ut verba parentheſis ſic omnino conſtruenda & exponenda ſint: Qui nos iſta, nempe quæ præceſſerant de malis Angelis non adorandis, & ſimul de famulantium Deique bonitatem imitantium ſanctorum Angelorum exercitu edocuit. Summa eſt: per Chriſtum edocti ſumus tam de malis quàm de bonis Angelis: de malis, quòd mali ſint Deoque rebelles Spiritus, proinde execratione potiùs quàm adoratione digni; de bonis, quòd Spiritus ſint Deo ſervientes & obſequentes, bonitatemque ejus pro modulo imitantes, adeoque neque ipſi adorandi. † Itaque locus hic tantum abeſt, ut pro Bellarmino & Pontificiis quicquam faciat, ut contrà invictum præbeat argumentum adverſus religioſum Angelorum cultum, & clariſſimè oſtendat, ex mente primævorum Chriſtianorum, ejuſmodi cultum neque Angelis, neq; ulli Deo ſervientium & famulantium, hoc eſt, creaturarum ordini, ſed ſoli, quæ omnia creavit, & cui cuncta ſubjecta ſunt, Sanctiſſimæ Trinitati, Patri, Filio & Spiritui ſancto tribui debere; id quod Arianorum etiam cæterorumque Antitrinitariorum figmenta penitus evertit. Cæterùm loca illa Juſtini, quæ cum his pugnare nonnullis viſa ſunt, infrà ad Sect. 4, de Filii ſubordinatione ad Patrem, expendemus. Vereor autem, ne unicum locum, à Sandio objectum, ibi omittam; in quo ſcilicet Juſtinus docuiſſe dicitur, Filium Dei eſſe *Angelum creatum*. Verùm certum habeat Lector, iſtiuſmodi locum in Juſtini Scriptis nuſpiam inveniri; ſed à Sandio impudenter, pro more ſuo, Martyri ſanctiſſimo affictum eſſe. Ab Juſtino nunc ad alios Patres progredior.

§. 9. Athenagoras in Legatione pro Chriſtianis, communionem naturæ atque eſſentiæ, quæ inter Patrem & Filium intercedit, apertiſſimè agnoſcit. Nam quis ſit Filius ille Dei, quem Chriſtiani venerantur, Ethnicis Philoſophis explicaturus, ait: ἀλλ' pag. 10. ἔστιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ λόγος τοῦ πατρὸς, ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ. πρὸς αὐτὸν γὰρ καὶ δι' αὐτοῦ πάντα ἐγένετο, ἑνὸς ὄντος τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ· ὄντος δὲ τοῦ υἱοῦ ἐν πατρὶ, καὶ πατρὸς ἐν υἱῷ, ἑνότητι καὶ δυνάμει πνεύματος. νοῦς καὶ λόγος τοῦ πατρὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, i. e. *Sed Filius Dei eſt Verbum Patris in idea & operatione. Ab ipſo enim & per ipſum omnia facta ſunt; cùm ſit unum Pater & Filius, & ſit in Patre Filius, & Pater in Filio, unitate & virtute Spiritûs. Mens & verbum Dei, Filius Dei eſt.* Ecquis Arianorum de Filio Dei ita locutus eſt? Dicit Patrem & Filium unum eſſe, idque non tantùm conſenſu, quod Ariani contendebant, ſed mutuâ περιχωρήσει, ſive

---

* Scil. Metaphora eſt ducta à pediſſequis, qui Dominos à tergo ſequi ſolent.

† Sed Iuſtinum verbis hactenus explicatis id potiùs velle, quòd Chriſtus Dei Patris juſtitiam aliaque attributa Angelis pariter atq; hominibus patefecerit ſive clariùs revelaverit, in Notis ad iſtum Iuſtini locum p. 11. noſtræ edit. dixi, & geminis Irenæi verbis probavi.

sive *circumsessione*, ut Scholastici loquuntur; ita ut Filius sit in Patre, & Pater in Filio. Dicit Filium esse ipsam mentem & Verbum Dei Patris; quod quô sensu intelligendum sit, infrà ostendemus: interim certum est, illud cum Ariano dogmate nullô sensu conciliari posse. Neque illud negligendum, quòd Athenagoras de creationis opere, quod in Scripturis Filio Dei tribuitur, agens, non modò δι' αὐτοῦ, *per ipsum* Filium, quod Ariani concedebant, intelligentes nimirum per ipsum, tanquam per instrumentum, quod per se nihil valet agere; sed πρὸς αὐτὸν *ab ipso*, ut causâ scilicet efficiente principali, cum Patre conjunctâ, condita fuisse universa doceat: idque additâ hâc ratione, quòd unum sint Pater & Filius, nempe essentiâ ac naturâ, proindeque virtute & operatione: quod Arianæ hæresi veluti ex diametro repugnat. Mox verò ibidem disertè negat Athenagoras, Filium in principio ex Patre progressum esse ad condenda universa, ὡς γενόμενον, *ut factum*, sive a Deo creatum: quod jugulum ipsum petit Arianæ blasphemiæ. Locum infrà ad cap. 5. Sectionem tertiam integrum adducemus. p. 11. Pauculis interjectis, plenam τὸ ὁμοσσίε διάδος confessionem edit his verbis: τίς ἔν ἐκ ἂν ἀποφήσαι, λέγοντας Θεὸν πατέρα καὶ υἱὸν Θεὸν καὶ πνεῦμα ἅγιον, δεικνύντας αὐτῶν καὶ τὸ ἐν τῇ ἑνώσει δυώμιν, & τὸ ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν, ἀκόσας ἀθέους καλεμβύους; i.e. *Quis igitur non miretur, cùm audiat, nos qui Deum Patrem prædicamus, & Deum Filium, & Spiritum S. eorum in unitate virtutem, & in ordine distinctionem explicantes, Atheos vocari?* Cui gemina est explicatio sententiæ Christianorum de SS. Trinitate, quam alibi in eodem libro tradit, p. 27. his verbis concepta: Θεὸν φαμὲν, καὶ υἱὸν τὸ λόγον αὐτοῦ, καὶ πνεῦμα ἅγιον, ἑνόμενα μὲν κατὰ δύναμιν, τὸ πατέρα, τὸν υἱὸν, τὸ πνεῦμα· ὅτι νοῦς, λόγος, σοφία υἱὸς τοῦ παντὸς, καὶ ἀπόῤῥοια ὡς φῶς ἀπὸ πυρὸς, τὸ πνεῦμα. i. e. *Deum asserimus, & Filium ipsius Verbum, & Spiritum S. virtute unitos, Patrem, Filium & Spiritum sanctum; Filius enim Patris mens, Verbum & Sapientia est, & effluentia, ut lumen ab igne, Spiritus.* Ubi Patrem, Filium & Spiritum S. unum esse Deum inde satis apertè colligit, quòd unicus sit fons Divinitatis, nempe Pater, ex cujus essentia Filius & Spiritus S. derivantur; idque ita, ut Filius sit λόγος, ex ipsa mente paterna ab æterno existens & nascens; (nam id voluisse Athenagoram infrà clarè ostendemus;) & Spiritus quoque sanctus ita effluat & emanet ex ipso Deo Patre (nempe per Filium, quemadmodum suprà docuimus,) ut lumen ab igne procedit. Obiter animadvertas, Spiritûs sancti, perinde ac Filii, homoousion ab Athenagora omnino agnitum fuisse. Ἀμέσως verò ibidem ad Angelos progreditur divinus Philosophus, quos ἑτέρας δυνάμεις *alias & diversas* à Patre, Filio & Spiritu S. *potestates* appellat; utpote quæ à natura increatâ, in qua subsistunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus, longissimè distant. Hinc Angelos mox à Deo γενομένους, *factos* esse disertè dicit. Quæ autem Petavius, Sandius, & alii ex Athenagora protulerunt, tanquam Arianismo faventia, ea frustra ab ipsis allegata esse, infrà ad Sectionem tertiam de Filii τῷ συναϊδίῳ, demonstrabimus. Et de reliquis Patribus trium primorum sæculorum id semel Lectorem moneo, loca ex ipsis in Arianismi patrocinium à Sophistis adducta, quæcunque in hac Sectione prætermiserim, me alibi, sive in Sectione illa tertia, sive in quarta de Filii subordinatione, expendisse, deque ipsis luculentam, nî fallor, rationem reddidisse. Ac de Athenagora hactenus. Cap. 5. per tot.

§. 10. Tatianum suprà audivimus dicentem, Filium ex Deo Patre genitum esse, οὐ καθ' ἀποτομὴν, *non per abscissionem*, ἀλλὰ κατὰ μερισμὸν, *per participationem* sive communicationem paternæ essentiæ, quomodo ex igne alius ignis accenditur: quod Filii τὸ ὁμοούσιον perspicuè declarat, uti ibidem ostendimus. Theophilus Antiochenus in libris ad Autolycum, qui soli ex multis ejus lucubrationibus hodie supersunt, quædam habet, quæ Catholicam doctrinam egregiè confirmant. Sic lib. 2. Θεὸς ὢν ὁ λόγος, καὶ ἐκ Θεοῦ p. 100. γεννώς, i. e. *Deus existens Sermo, utpote ex Deo progenitus.* Quibus in verbis, Filium esse Deum inde colligit, quòd ex ipso Deo natus sit: scilicet juxta regulam, quam alicubi ex Irenæo commemoravi: τὸ ἐκ Θεοῦ γεννηθὲν, Θεός ἐστι, i. e. *Quod ex Deo genitum est, Deus est.* Idem paulò antè monuerat, per Filium Dei omnino intelligendum τὸν λόγον, τὸν ὄντα ἀεὶ παντὸς ἐνδιάθετον ἐν καρδίᾳ Θεοῦ· i. e. *Verbum perpetuò insitum* sive *existens in corde Dei:* manifestè significans, Filium in ipsa Dei Patris essentia æternùm subsistere. Integram quoque SS. Trinitatem agnovisse Theophilum, ex illis ejus verbis liquet, in quibus docet, tres dies, qui Solis & Lunæ creationem præcesserunt, typos fuisse τῆς τριάδος, τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ λόγου αὐτοῦ, καὶ τῆς σοφίας αὐτοῦ, *Trinitatis, videlicet Dei, & Verbi ipsius, & Sapientiæ ipsius.* Petavius quidem (qui primorum Patrum Scripta eô consiliô videtur legisse, ut in iis nævos & errores vel inveniret, vel faceret) ex his ipsis Theophili verbis calumniam optimo Patri struere conatur. Verba ejus hæc sunt: *Trinitatem longè aliter explicat Theophilus, quàm Christiana fert professio. Siquidem tres illos dies, qui, in mundi ortu, Solis ac Lunæ* Vid. hujuscapitis n. 4. p. 94. Petav. de Trin. l. 1. c. 3. n. 6.

Lunæ procreationem anteceſſerunt, figuram ait Trinitatis, nempe Dei, & Verbi ipſius, & ipſius Sapientiæ. Ibi mentio nulla Spiritûs, quem cum τῷ λόγῳ confudiſſe videtur. Eundem quippe λόγον & πνεῦμα τὸ Θεὸν & verè σοφίαν appellâſſe, ſuperiùs oſtendimus. Quibus reſpondeo : Veteres ſecundæ & tertiæ perſonæ, ob communem utrique tum naturam, tum ab eadem πηγῇ Θεότητος derivationem, etiam nomina feciſſe communia. Hinc ut ſecundam ὑιότητα aliquando *Spiritum Dei* vocant, (ut ſuperiùs oſtenſum eſt) quô tertiam frequentiùs deſignant ; ita nomine σοφίας nonnunquam tertiam perſonam indigitant, quô tamen ſecundam, ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, notare ſolent. Hoc præter Theophilum, ab Irenæo quoque & Origene factum eſſe, alibi obſervabimus. Neque tamen ideo cenſendi ſunt ſancti Patres ὑποστάσεις ſecundam & tertiam inter ſe confudiſſe ; ſiquidem ex eorum Scriptis, idque ex iis locis, ubi nomina utriuſque commiſcent, manifeſtiſſimè apparet, ipſos Filium & Spiritum S. pro perſonis à ſe invicem revera diſtinctis habuiſſe. Ad Theophilum verò quod attinet, quis non videt, ipſa ejus verba ſuæ purgationi ſufficere ? Quomodo enim cenſendus eſt Spiritum S. tertiam Divinitatis perſonam cum τῷ λόγῳ confudiſſe, qui ἐν τριάδι diſertè profitetur ? Quid ? An Pater & Filius ſine Spiritu, ſeu tertiâ perſonâ ab utroque diſtinctâ, Trinitatem poſſunt conſtituere ? Itaque manifeſtum eſt, Theophilum Filii & Spiritus S. non perſonas, ſed nomina tantùm confudiſſe. Sed de Theophilo Antiocheno ſatis impræſentiarum.

Vide Sectionis hujus c. 5. n. 7. & Sect. 4. c. 3. n. 11.

§. 11. Cæterùm hîc oro Lectorem, ut liceat mihi cum bona ipſius venia, à ſanctorum Patrum monumentis ad Ethnici hominis Scripta pauliſper divertere. Auctor Dialogi Luciano tributi, qui *Philopatris* inſcribitur, prope finem, ridens inducit Chriſtianum catechizantem Ethnicum, (quem ideo alicubi in eo Dialogo *Catechumenum* diſertè appellat,) & inter alia myſterium SS. Trinitatis ipſi explicantem. Roganti Ethnico Chriſtianum, atque dicenti : *Quemnam igitur tibi jurabo ?* Triephon, Chriſtiani perſonam ſuſtinens, reſpondet : ὑψιμέδοντα Θεὸν, μέγαν, ἄμβροτον, ἐρανίωνα, υἱὸν παλαιὸς, πνεῦμα ἐκ παλαιὸς ἐκπορευόμενον, ἓν ἐκ τριῶν, καὶ ἐξ ἑνὸς τρία, ταῦτα νόμιζε ζῶντα, ἃ δὴ καὶ Θεόν· i. e. *Deum altè regnantem, magnum, immortalem, cœleſtem, Filium Patris, Spiritum ex Patre procedentem, unum ex tribus, & ex uno tria. Hæc tu Jovem puta, hunc exiſtima Deum.* Quibus poſt aliqua hæc regerit Ethnicus : οὐκ οἶδα τί λέγεις· ἓν τρία; τρία ἕν· i. e. *Non intelligo quid dicas ; unum tria, tria unum.* Sane parum videt, qui non perſpicit, in his verbis Trinitatem ὁμοσίου, ſive unum Deum in tribus perſonis ſubſiſtentem, clariſſimè doceri. Nihil autem eſt dubium, quin Auctor hæc ex Chriſtianorum ſuæ ætatis diſciplina hauſerit. Jam ſi hic Dialogus Luciani fuit, floruit ille Marci Antonini temporibus, (ut evidentiſſimè probavit ſummus Vir J. Gerardus Voſſius,) circiter annum ſcilicet Chriſti 170. paulo poſt Juſtini tempora ; οὐ χρονίζω verò fuit Tatiani & Athenagoræ, quorum doctrinam modò explicavimus. Sed Jacobus Micyllus in Argumento ait, dubitari poſſe an Luciani ſit Dialogus ; ſiquidem, licet quod argumentum attinet, non abhorreat ab illius ingenio & dicacitate, phraſis tamen & tota adeo compoſitio cæteris ejus Scriptis haudquaquam ſimilis eſt. Atque in hanc Micylli ſententiam pedibus iverunt alii Viri eruditi. Addit tamen idem Micyllus & hæc : " Cæ- " terùm, *inquit*, cujuſcunque Scriptum hoc " fuit, videtur is Trajano Cæſari ob victori- " am in Oriente partam potiſſimùm gratula- " ri voluiſſe contra eos, qui per id tempus " ſive ipſi urbi, ſive alteri alicui loco (nam " patriam ſolam vocat,) pericula & clades " præſagiebant : quos ipſe à principio So- " phiſtas appellat ; ad finem tamen ita de- " ſcribit, ut propemodum Chriſtianos intel- " ligere videatur. Eò enim pertinet, quod " in fine de Perſico ſupercilio, de Suſis, de " tota Arabum regione meminit. Omnia e- " nim illa à Trajano devicta, in pop. Rom. " poteſtatem illis tum temporibus rediere, " ut apud Dionem & Eutropium & cæteros, " qui ejus ætatis hiſtoriam ſcripſerunt, vide- " re eſt. " Quod ſi verum ſit, tum hinc colligere licet, qualiſnam fuerit Chriſtianorum fides de SS. Trinitate etiam ſub Trajani imperio, diu ante Luciani tempora. Sed crediderim potiùs, in fine Dialogi, Marci Antonini, quô imperante Lucianum floruiſſe jam dictum eſt, victoriam contra Perſas deſignari. Nam ſic de eo ſcribit Sextus Aurelius Victor : *Ejus ductu Perſæ, cùm primùm ſuperaviſſent, ad extremum triumpho ceſſere.* Sic planè & Auctor Dialogi prope finem, Cleolaum quendam inducit feſtinantem atq; anhelantem, ut lætum hoc nuncium apportaret : πέπλωκεν ὀφρὺς ἡ πάλαι βοωμένη περσῶν, καὶ σῦσα, κλεινὸν ἄστυ, i. e. *Cecidit ſupercilium illud olim celebratum Perſarum, & Suſa urbs inclyta.* Sed & illud tempora Marci Antonini non obſcurè indicat, quòd in hoc Dialogo notantur quidam, qui de graviſſimis & inſolitis calamitatibus, quibus Romana tum affligeretur Reſpublica, conquererentur, indeque pejora mala præſagirent. Audi autem

Voſſ. de Hiſtor. Græc. l. 2. c. 15.

In libro de Cæſaribus, in M. Aurel. Antonino.

quid de initio imperii M. Antonini ſcribat Aurel. Victor in Epitome: " M.Antoninus " *inquit*, imperavit annos 18. Iſte virtutum " omnium, cœleſtiſque ingenii extitit, æ- " rumniſque publicis quaſi defenſor objectus " eſt. Etenim niſi ad illa tempora natus eſ- " ſet, profectò quaſi uno lapſu ruiſſent o- " mnia ſtatûs Romani. Quippe ab armis " nuſquam quies erat: perque omnem Ori- " entem, Illyricum, Italiam, Galliamque " bella fervebant: terræ-motus non ſine in- " teritu civitatum, inundationes fluminum, " lues crebræ, locuſtarum ſpecies agris in- " feſtæ: prorſus ut propè nihil, quô ſum- " mis angoribus atteri mortales ſolent, dici " ſeu cogitari queat, quod non illo imperan- " te ſævierit." Scriptus itaque fuit hic Dialogus vel ab ipſo Luciano, (quod mihi quidem placet,) vel certè ab aliquo Luciani coætaneo; quod præſenti noſtro inſtituto æque accommodum eſt. Audiamus nunc, quid contra hoc teſtimonium opponat Sandius: *Dicerem equidem*, inquit, *Tryphonem* (Triephonem ſive Triephontem dicere debuerat,) *id genus hominum ſignificare, de quibus legimus in Clem. Rom. Conſtit.* VI. 25. *Ignat. ad Trall. Tarſ. & Philipp. Juſtin. cont. Tryphonem, qui Luciano ſunt antiquiores.* Scilicet nulla ipſi religio eſt, quid dicat, quid comminiſcatur, quid fingat, modò id impiæ ſuæ cauſæ quacunque ratione inſerviat. Nam quis non videt, Auctorem hujus Dialogi non particularem aliquam obſcuram Chriſtianorum ſectam, ſed ipſam religionem Chriſtianam ſibi ridendam proponere? Deinde Hæretici, de quibus legimus apud Pſeudo-Clementem, Ignatium interpolatum, & Juſtinum, dicebant Filium eſſe ipſum qui ſuper omnia Deus eſt, hoc eſt, ipſum Deum Patrem. At in hac brevi Trinitatis confeſſione Deus ille altè regnans, nempe Pater, primus nominatur; utpote qui fons Divinitatis eſt: deinde Filius Patris, ut à ſummo illo Deo & omnium Parente diſtincta perſona ſubjungitur; qui tamen cum Spiritu S. ita Deo Patri naturâ conjunctus ſtatuitur, ut tres illi unum Deum conſtituant, & tres tamen revera maneant: quæ quidem doctrina Catholicorum eſt ſemperque fuit ſententia; ab Hæreticorum verò, de quibus ſomniavit Sandius, opinione longiſſimè diſcrepat. Porro ridet hanc doctrinam Critias, confictus ille Catechumenus, tanquam ἀκατάληπτον *Non intelligo*, inquit, *quid dicas, unum tria, tria unum.* Atqui Hæretici, quos Sandius commemorat, Deum μονοπρόσωπον ſtatuebant, hoc eſt, unam & ſingularem perſonam, qui triplici tantùm quaſi φάσει nunc Pater, nunc Filius, nunc demum Spiritus S. audiat: in qua ſententia nihil eſt incomprehenſibile. Denique Critias poſtea in eodem Dialogo, à Triephonte ſcilicet edoctus, ridens jurat per Filium in hac formula: νὴ τὸν υἱὸν, τὸν ἐκ πατρὸς, ἐ τοῦτο γένοιτο, i. e. *Per Filium, illum qui ex Patre eſt, haudquaquam iſtud fiet.* Jam Filium, illum qui ex Patre eſt, agnoſcebant Catholici; Hæretici verò, quorum ſententiam in hoc Dialogo explicari vult Sandius, non item. Res clara eſt. A profano Scriptore ad Sanctos Eccleſiæ Doctores redeo.

Enucl. Hiſtor. Eccl. l. 1. p. 88.

ANNO-

ANNOTATA

Ad Cap. IV. §. 1. seqq.

De S. JUSTINO MARTYRE.

§. 1. ARgumentum primum pro vera Filii Deitate Vir Reverendus desumpsit ex istis Justini M. locis, ubi Christus ideo DEUS dicitur, quòd ex ipso DEO Patre, tanquam primogenitus ac Λόγῳ ejus, sit generatus, in Apologia nempe Antonino Pio oblatâ pag. 96. & in Dialogo cum Tryphone pag. 355. & 357. Sed & præcedenti pag. 354. illud clarissimis hisce verbis asseruit: Επάλαισεν Ιακὼβ μετὰ τοῦ φαινομένου μὲν, ὡς τῷ τῆ τοῦ παλεὸς βουλῆ ὑπηρετεῖν· Θεὸς δὲ, ὡς τοῦ τῶν) τέκνων πρωτότοκον τῶν ὅλων κτισμάτων. *Luctatus est Jacob cum eo qui illi apparuit, siquidem Patris voluntati ministrabat; DEUS autem erat, eò quòd Filius primogenitus esset omnium creaturarum.* Confer pag. 267. D. Notatu quoque dignum est, quòd Justinus non simpliciter docuerit, DEUM generâsse λόγον, sed *ex se ipso* eum genuisse. Ita in Dial. cum Tryphone pag. 284. A. ex Scriptura se demonstraturum promittit, ὅτι ἀρχὴν πρὸ πάντων κτισμάτων ὁ Θεὸς γεγέννηκε δύναμίν τινα ἐξ ἑαυτοῦ λογικὴν, ἥτις ὑπὸ δόξα Κυρίου ὑπὸ πνεύματος τοῦ ἁγίου καλεῖται, πολὲ δὲ υἱὸς, ποτὲ δὲ σοφία, ποτὲ δὲ Ἄγγελος, ποτὲ δὲ Θεὸς, ποτὲ δὲ Κύριος ὁ λόγος· *quòd primitus ante omnes creaturas DEUS genuerit ex semetipso Virtutem quandam rationalem, quæ à Spiritu S. & Gloria Domini vocatur, aliquando autem* Filius, *nonnunquam verò* Sapientia, *quandoque autem* Angelus, *nonnunquam verò DEUS, interdum autem* Dominus & Verbum.

§. 2. Atqui cum duo posteriora Θεὸς & Κυρίος nomina DEI propria sint, hæc quàm sæpe Justinus ductu Scripturæ λόγῳ seu Filio DEI tribuerit, neque nudè appellari, sed revera esse *DEUM & Dominum* crediderit, ex sequentibus Dialogi cum Tryphone locis patet. Sic postquam pag. 246. C. eum vocaverat Κύριον δυνάμεων, deinde p. 254. D. accingit se ad demonstrationem, ὅτι καὶ Θεὸς, καὶ Κύριος τῶν δυνάμεων ὁ Χριστός, *quòd & DEUS & Dominus exercituum sit Christus*; hancque præstat ex Psalmo 23. 46. &c. Porro pag. 275. C. ait: πειράσομαι ὑμᾶς πεῖσαι νοήσαντας τὰς γραφὰς, ὅτι ἔστι & λέγεται Θεὸς & Κύριος ἕτερος ὑφ' τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων· *Persuadere annitar vobis scientibus Scripturas, esse videlicet & dici DEUM & Dominum alium præter factorem omnium*; quomodo & p. 281. D. de ipso ait: Θεὸς καλεῖται, καὶ Θεός ἐστι, καὶ ἔσται. *Deus vocatur, & Deus est, & erit.* Petiit autem demonstrationes ex apparitionibus factis Abrahamo, Isaaco, Jacobo, Mosi, quibus non DEUM Patrem, sed λόγον visum fuisse, adeo sæpe Tryphoni inculcat, ut loca vix numerari queant.

§. 3. Cum autem in plerisq; illis locis, & ipso modò citatô, eum qui Abrahæ ac Mosi apparuit, dicit ἕτερον Θεὸν, Filium non alienæ aut diversæ à Patre essentiæ vult esse, sed solùm distinctam ejus ὑποστασιν indicat. Quod ex collatione pag. 283. A. & 227. seq. clarè patet. Illic enim ait: Οὐχ ὁ ποιητὴς τῶν ὅλων ἔσται Θεὸς ὁ τοῦ Μωσεῖ εἰπὼν, αὐτὸν εἶναι) Θεὸν Αβραὰμ, & Θεὸν Ισαὰκ, καὶ Θεὸν Ιακὼβ, ἀλλ' ὁ ἀποδειχθεὶς ὑμῖν ὤφθαι τοῦ Αβραὰμ καὶ τοῦ Ιακὼβ, τῇ τοῦ ποιητοῦ τῶν ὅλων θελήσει ὑπηρετῶν. *Non conditor hujus universitatis est* DEUS *ille, qui Mosi dixit, se esse* DEUM *Abrahæ, &* DEUM *Isaaci, &* DEUM *Jacobi, sed is, qui vobis demonstratus est apparuisse Abrahamo & Jacobo, voluntati creatoris universorum ministrans*, nempe λόγος seu Filius DEI. Hîc verò ita sermocinatur: Οὔτε ἦσαι ποτὲ ἄλλος Θεὸς, ὦ Τρύφον, ὅτε ἦν ἀπ' αἰῶνος, πλὴν τοῦ ποιήσαντος ὑπ' αὐτοῦ τάττεσθαι τόδε πᾶν· οὐδὲ ἄλλον μὲν ἡμῶν,

ἡμᾶν, ἄλλον ἢ ὑμᾶν ἠγόμεθα Θεὸν, ἀλλὰ αὐτὸν ἐκεῖνον τ᾽ ἐξαγαγόντα τὸς πατέρας ὑμᾶν ἐκ γῆς Αἰγύπτ ἐν χειρὶ κραταιᾷ, κ βραχίονι ὑψηλῷ· οὐδ᾽ εἰς ἄλλον τινὰ ἠλπίκαμεν· οὐ γάρ ἔστιν· ἀλλ᾽ εἰς τοῦτον, εἰς ὃν κ ὑμεῖς, τ Θεὸν τ Αβραὰμ, κ Ισαὰκ, κ Ιακώβ· *Neq; unquam alius erit, ô Trypho, neq; à condito ſeculo fuit DEUS, præter eum, qui fecit ac diſpoſuit hoc univerſum: neq; alium noſtrum, alium veſtrum ducimus DEUM, ſed illum ipſum, qui eduxit Patres veſtros è terra Ægypti in manu forti & brachio excelſo: neq; in alium quemquam ſperamus; (non enim extat) verùm in eum, in quem & vos, DEUM Abrahæ, & Iſaaci, & Jacobi.* Eſt itaq; ex ſententia Juſtini DEUS creator mundi idem qui DEUS Abrahæ, Iſaaci & Jacobi; & non eſt idem: eſt ſcilicet idem in eſſentia; non eſt idem in perſona. Linquo hoc à nomine DEI petitum argumentum pro ὁμοουσίῳ Filii, ubi unicum adhuc in dicto Dialogo locum annotavero pag. 340. D. ubi Juſtinus de Joſua ait, quòd Iſraelitis non æternam, ſed temporalem tantùm hæreditatem diſtribuerit, ἅτε ὁ Χριστὸς ὁ Θεὸς ὢν, οὐδὲ υἱὸς Θεοῦ, *utpote qui neq; Chriſtus DEUS eſſet, neq; filius DEI.* Quæ verba ideo adjeci, ut ſi forte quiſpiam Arii vel Socini ſectator, diſtinctione inter Θεὸν & τ Θεὸν, i. e. ſine articulo & cum illo, ex Clementis Alexandrini Lib. III. Strom. pag. 460. C. petitâ, Chriſtum τ Θεὸν à Juſtino dictum negaverit, os ei obſtrui queat.

§. 4. Accedit deniq; quòd Chriſtum DEUM adorandum eſſe, ex Scripturis in eodem Dialogo paſſim docuerit Juſtinus. Sic pag. 287. B. citatis verbis Pſalmi 44. *Ipſe eſt Dominus tuus, & adorabis eum*; ſubdit iis indicatum eſſe, ὅτι κ προσκυνητός ἐστι, κ Θεὸς, κ Χριστός· *Quòd & adorandus ſit, & DEUS, & Chriſtus.* Et pag. 293. B. C. dum ex Tryphone quærit, num ipſe alium quempiam προσκυνητὸν, κ Κύριον, κ Θεὸν, *adorandum, & Dominum, & DEUM* in Scripturis dictum noverit, πλὴν τοῦ τοῦτο ποιήσαντος τὰ πάντα, κ τοῦ Χριστοῦ, *præter conditorem univerſitatis hujus, & Chriſtum?* hunc pariter atq; illum talem eſſe indicat. Et ſequenti pag. 294. C. iterum mentionem facit Scripturarum, αἱ διαῤῥήδην τ Χριστὸν κ παθητὸν, κ προσκυνητὸν, κ Θεὸν ἀποδεικνύουσιν, *quæ diſertis verbis Chriſtum & paſſionibus obnoxium, & adorandum, & DEUM demonſtrant.* Deniq; pag. 302. B. ex Scriptura docet, Θεὸν ἰσχυρὸν κ προσκυνητὸν Χριστὸν ὄντα, *Deum fortem atque adorandum eſſe Chriſtum.* At verò neminem niſi verum DEUM adorandum eſſe, planiſſimè docet Juſtinus Apol. 1. p. 31. lin. 5. & p. 32. l. 30. noſtræ Edit. vel pag. 63. & ſeq. Edit. Pariſ. Chriſtum igitur talem eſſe credidit.

Ad §. 10.

De *TATIANO & THEOPHILO ANTIOCHENO.*

DUO Tatiani loca, quibus Chriſtum DEUM vocat, annotare haud abs re erit. Nam Sect. 22. pag. 54. lin. 8. nuperrimæ Editionis, ab amiciſſimo *Worthio* egregiè elaboratæ, Spiritum S. appellat τ διάκονον τοῦ παθητοῦ Θεοῦ, *Miniſtrum DEI paſſi.* Et Sect. 35. pag. 77. lin. 9. ſeqq. hæc habet verba: Οὐ γὰρ μαίνομεν, ἄνδρες Ελληνες, οὐδὲ λήρους ἀπαγγέλλομεν, Θεὸν ἐν ἀνθρώπου μορφῇ γεγονέναι καταγγέλλοντες. *Non deſipimus, ô Græci, neq; nugas vobis proferimus, DEUM ſub hominis forma natum annuntiantes.* Ad ea itidem, quæ ex Theophilo Antiocheno allata ſunt, duo ex Lib. III. ad Autolycum adjicio. Ibi nempe pag. 122. D. ait: Νομοθέτην ἔχομεν τ ὄντως Θεόν· *Legiſlatorem habemus eum qui verè DEUS eſt.* Atqui eum, qui Moſi in monte Sinai apparuit, ac Legem tulit, non DEUM Patrem, ſed Filium fuiſſe, Theophilus procul dubiô cum univerſo Patrum ejus ævi choro credidit, idq; ſatis clarè indicavit Lib. II. pag. 100. A. In ipſo fine deniq; Lib. III. ait, Ethnicos præmia & honores decernere Chriſtianis, τοῖς εὐφώνως ὑβρίζουσι τ Θεὸν, *qui ſonorâ voce DEUM contumeliis afficiunt.* Atqui Chriſtiani non compellebantur ab Ethnicis ſupremum DEUM, primum rerum omnium cauſam, negare vel contumeliis afficere, ſed Chriſtum, quem ipſi DEI Filium eſſe, & unum cum Patre DEUM confitebantur. Hunc itaq; nomine DEI hîc indigitâſſe videtur Theophilus.

CAP.

CAP. V.

Declaratur Irenæi doctrina de Filio Dei, Nicænam fidem apertissimè confirmans.

§. 1. NUnc attentè audiamus, quæ S. Episcopus & Martyr Irenæus, de Filii Dei vera Divinitate, ex Apostolico ipsius præceptore Polycarpo edidicit, aliosque adeo edocuit. Præclara quidem ex hoc Scriptore testimonia contra Cap. 3. §. 18. Arianos me allaturum, suprà promisi: an verò fidem meam in hoc capite liberaverim, penes Lectorem non prorsus iniquum judicium esto. In libro 3. cap. 6. totus in eo est Irenæus, ut probet, *neque Dominum, neque Spiritum S. neque Apostolos, eum qui non esset Deus, definitivè & absolutè Deum nominâsse aliquando, nisi esset verus Deus: neque Dominum appellâsse aliquem ex sua persona, nisi qui dominatur omnium, Deum Patrem & Filium ejus.* Idem mox testimonium illud ab Justino citatum ex Psal. 45. *Sedes tua, Deus, in æternum*, &c. allegat, subjungens: *Utroſq; Dei appellatione significavit Spiritus, & eum qui ungitur Filium, & eum qui ungit, id est Patrem.* Unde hujusmodi argumentum formamus: Quisquis in Scripturis Deus absolutè & definitivè dicitur, is revera Deus est: at Filius, perinde ac Pater, Deus in Scripturis absolutè ac definitivè dicitur: ergo Filius perinde ac Pater est revera Deus. Præmissæ sunt Irenæi; ergo & conclusio inde necessariò sequens. Addit postea Irenæus: *Scripturam, cùm eos, qui non sunt Dii, nominat, non in totum ostendere illos Deos; sed cum aliquo additamento & significatione, per quam ostenduntur non esse Dii.*

§. 2. Huic adjungendus est locus in lib. 4. cap. 11. "Dominus enim noster, *inquit*, & "Magister in ea responsione, quam habuit "ad Sadducæos, qui dicunt resurrectionem "non esse, & propter hoc inhonorantes De-"um, atque Legi detrahentes, & resurrectio-"nem ostendit, & Deum manifestavit, di-"cens eis: Erratis nescientes Scripturas, "neque virtutem Dei. De resurrectione e-"nim, *inquit*, mortuorum non legistis quid "dictum est à Deo dicente: Ego sum Deus "Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob? & "adjecit: Non est Deus mortuorum, sed vi-"ventium; omnes enim ei vivunt. Per hæc "manifestum fecit, quoniam is qui de rubo "locutus est Mosi, & manifestavit se esse "Deum Patrem, hic est viventium Deus. "Quis enim est vivorum Deus, nisi qui est "super omnia Deus, & super quem alius non "est Deus?" Et paulò pòst: "Qui igi-"tur à Prophetis adorabatur Deus vivus, hic "est vivorum Deus & Verbum ejus, qui & "locutus est Mosi, qui & Sadducæos redar-"guit, qui & resurrectionem donavit." Post aliqua sic concludit: "Ipse igitur Chri-"stus cum Patre, vivorum est Deus, qui & "locutus est Mosi, qui & Patribus manife-"status est." Quid his manifestius esse potest? Scilicet, juxta Irenæum, qui Mosi de rubo locutus est, seque Patribus manifestavit, is est Deus vivus, Deus viventium, Deus super omnia, & super quem alius non est Deus: at juxta eundem Irenæum Christus ipse cum Patre is est, qui locutus est Mosi, & Patribus manifestatus est. Quid verò ex his sequitur? scilicet, ergo Christus ipse cum Patre est Deus vivus, Deus viventium, Deus super omnia, & super quem alius non est Deus: quod & in terminis Irenæus affirmat.

§. 3. Hoc ex eo ampliùs confirmatur, quòd idem Irenæus lib. 3. cap. 18. citet Apostoli testimonium Rom. 9. v. 5. iisdem verbis eôdemque sensu, quô ipsum hodieque accipiunt Catholici. Nam probaturus contra Hæreticos, *non alium Jesum, alterum Christum fuisse, sed unum & eundem esse*, post alia illum Pauli locum ita adducit: *Et iterùm ad Romanos scribens de Israel, dicit: Quorum Patres, & ex quibus Christus secundum carnem, qui est Deus super omnes bene-*

dictus in ſæcula. Eraſmus tamen (quem ſecuti ſunt alii) hoc etiam irrefragabile pro vera Filii Divinitate teſtimonium reddere incertum conatus eſt: nam triplicem hîc verborum conſtructionem commentus eſt, quarum una tantùm Filii Deitatem agnoſcit. Atqui antiquus Pater Irenæus nullam aliam præter receptam lectionem ac conſtructionem agnovit. Irenæo autem conſentiunt Tertullianus lib. cont. Prax. cap. 8, & 15; Novatian. de Trinit. c. 13, & 30; Cyprian. lib. 2. Teſtim. cont. Judæos, (etſi ſecus pronuntiavit Eraſmus, mendoſô Codice deceptus.) Origenes ad Roman. 9, v. 5; Athanaſius Orat. 2, & 5. cont. Arianos, & in libro de communi eſſentia; Gregorius Nyſſen. lib. 10. cont. Eunom. Marius Victorinus lib. 1. cont. Arium; Hilarius lib. 4, & 8; Ambroſius lib. 1. de Spiritu S. cap. 3; & lib. 4. de fide cap. 6; Auguſtinus lib. 2. de Trinit. cap. 13; & lib. 1. cont. Fauſt. cap. 3, & 6; Cyrillus lib. 1. Theſauri; Idacius contra Varimadum lib. 1. Caſſianus initio lib. 3. de Incarn. Gregorius M. Homil. 8. in Ezech. Iſidorus Hiſpalenſis libro de Different. num. 2. & alii ferme omnes Patres. Qui Eraſmum (inquit Petavius) temeritatis inconſultæ reum peragunt, dum ita pronuntiare non eſt veritus: "Qui con- "tendunt ex hoc loco evidenter evinci, "Chriſtum apertè dici Deum, aut videri a- "liis Scripturæ teſtimoniis parum fidere, aut "nihil ingenii tribuere Arianis, aut parum "attentè contemplari ſermonem Apoſtoli." Falſô id quidem (ſubjicit Petavius) & impudenter, in quo etiam à Beza reprehenſus eſt. Sed ad Irenæum redeo.

De Trin. lib. 2. c. 9. v. 2.

§. 4. Nobiliſſimus eſt ejuſdem locus in lib. 4, cap. 8. *Omnia*, inquit, *menſurâ & ordine Deus facit, & nihil non menſum apud eum, quoniam nec incompoſitum. Et bene qui dixit, ipſum immenſum Patrem in Filio menſuratum. Menſura enim Patris Filius, quoniam & capit eum.* Quid his clarius? Docet Filium immenſo Patri commenſurari, eumque totum, quantus quantus ſit, capere comprehendereque; proinde ipſi per omnia (ſi id tantùm demas, quòd à Patre ſit) æqualem eſſe. Nam capere magnitudinem Patris, Irenæo idem eſſe, quod Patri eſſe æqualem, conſtat ex alio Irenæi loco lib. 1. cap. 1. ubi Valentini fabulam refert, nempe Bythum genuiſſe Nun ὅμοιόν τε καὶ ἴσον τῷ προβαλόντι, καὶ μόνον χωροῦντα τὸ μέγεθος τοῦ πατρός· i. e. *Similem & æqualem ei qui emiſerat, & ſolum capientem magnitudinem Patris.* Notandum autem, non ſimplex eſſe hoc teſtimonium, neque tantùm Irenæi, ſed & alterius Scriptoris Catholici, ipſo antiquioris, vel certè ejus ὁμιλίας, cujus hîc verba citantur, ſenſum declarare. Sed vide, quomodo hoc invictum Irenæi teſtimonium evadere conetur Irenici Auctor. Reſpondet ſcilicet, "Irenæum non Irenic. "de quavis menſura loqui, quâ Filius Pa- pag. 46. "trem menſuret; ſed vel de ea menſura, de "qua modò egerat, ſcilicet, quòd Filius ea "Legis impleat, perficiat & capiat, quæ ha- "ctenus apud Patrem menſa & determinata "fuerunt; vel, ſi de alia etiam menſura, "cognitionis ſcilicet, agit, eam in ſuo gene- "re perfectam, non verò mox ſummam in- "telligere." Quibus hæc regero. Primò, quod de Legis impletione, perfectione & comprehenſione per Chriſtum Hæreticus reſpondet, planè Sophiſticum eſt. Nam verba teſtimonii, quibus probatio noſtra innititur, nempe hæc, *ipſum immenſum Patrem in Filio menſuratum*, &c. non ἀμέσως connectuntur cum iis, quæ de Lege dixerat Irenæus initiô Capitis. Scilicet ibi affirmat, Legi veteri rituali ſuum tempus à Deo menſum ac definitum fuiſſe, ita nimirum ut à Moſe illa inciperet, & in Joanne deſineret. Deinde à particulari ad univerſale tranſiens, obiter docet, omnia univerſim menſurâ & ordine Deum feciſſe, & nihil non menſum apud Deum eſſe. Hæc autem dum cogitat Vir ſanctus, mente ſubitô quaſi volatu in ſublime evectâ, (quod hujuſmodi Scriptoribus aliàs non rarò accidit,) videt, Deum menſuræ & proportionis adeo amantem eſſe, ut neque ſibi ipſi deeſſe menſuram voluerit, quâ veluti circumſcriberetur & contineretur infinitas ſua & immenſitas. Quod confirmat hôc inſigni & egregiô Catholici cujuſdam Scriptoris dictô, *ipſum immenſum Patrem in Filio menſuratum*, &c. Mox verò ſe recolligens, & quaſi diſcedens ab illa ſublimitate, redit ad inſtitutum, oſtendens, totam Veteris Teſtamenti adminiſtrationem temporalem fuiſſe. Hanc veram eſſe ejus Capitis analyſin facilè videbit, quiſquis ipſum non prorſus oſcitanter legerit. Præterea quis adeo vecors eſt, ut ſeriò exiſtimet, horum verborum, *ipſe immenſus Pater in Filio menſuratur*, &c. hunc eſſe ſenſum: Voluit Deus, ut Lex Moſis ritualis definitum ſuum tempus haberet, atque, ut à Moſe inceperit, ita per Chriſtum tandem impleta ceſſaret & aboleretur? Nam agit ibi manifeſtè Irenæus non de Lege morali perpetua & æterna; ſed de ceremoniali, ut loquuntur, quæ nempe *à Moſe inchoavit, & conſequenter in Joanne deſiit, & de legiſdatione, quam finem oportuit habere, manifeſtatô Novô Teſtamentô.* Secundò, quod alterum Anonymi interpretamentum attinet, diſertè loquitur Irenæus non de menſura, in ſuo qualicunque genere perfectâ, ſed de ſumma

&

& adæquata, hoc eſt, de ejuſmodi menſura, in qua ipſe immenſus Pater, quantumcunq; immenſus ſit, menſuretur. Certè conſpicua eſt emphaſis in voce *ipſum*, neque hoc, *ipſum immenſum Patrem in Filio menſuratum*, &c. aliud ſignificare poteſt, quàm Patrem, quatenus immenſus eſt, hoc eſt, à nulla creatura capi poteſt, à Filio quidem comprehendi. Senſum loci reddidit, neſcio an ipſum locum reſpexerit, Gregorius Thaumaturgus in Oratione Panegyrica ad Origenem, ubi ait, Deum Patrem Filiô ſuô ſeipſum περιϊέναι *circumambire*; quod mox explicans, dicit Filium gaudere τῇ ἴσῃ πάντη δυνάμει τῇ αὐτοῦ, i. e. *virtute uſquequaque paternæ æquali*. Locum integrum infrà adducemus. Tertiò, fruſtra omnino conatur Sophiſta hunc Irenæi locum altero illo, in libro 5. haud longè ab initio, eludere. Neq; enim ibi dicit Irenæus, hominem capere magnitudinem Patris, vel ipſum immenſum Patrem in eo menſuratum eſſe; & alibi, quomodo vir pius capere aliquatenus Patrem dicatur, clarè explicat, nempe in lib. 4, cap. 37. Verba ſunt: " Præſignificabant " enim Prophetæ quoniam videbitur Deus " ab hominibus, quemadmodum & Domi- " nus ait: Beati mundô corde, quoniam ipſi " Deum videbunt. Sed ſecundum magni- " tudinem quidem ejus & mirabilem glo- " riam, nemo videbit Deum & vivet; inca- " pabilis enim Pater; ſecundum autem di- " lectionem & humanitatem, & quòd omnia " poſſit, etiam hoc concedet iis qui ſe dili- " gunt, id eſt, videre Deum." Diſertè hîc negat Irenæus, mundos corde Deum videre & capere ſecundum magnitudinem ejus & mirabilem gloriam, ſiquidem Deus hôc modô incapabilis ſit, nempe ab homine & creaturis omnibus: (unde & paulò ſuperiùs ibidem dixerat, Deum *ſecundum magnitudinem ignotum eſſe omnibus his qui ab eo facti ſunt:*) at in loco, quô de agitur, clarè docet, Filium Dei capere Patrem ſuum etiam ſecundum magnitudinem ejus, ita ſcil. ut ipſe immenſus Pater in Filio menſuretur. In re omnibus manifeſtâ pluribus non eſt opus.

cap. 12. n. 4.

pag. 370.

§. 5. Penè infinitus forem, ſi loca Irenæi omnia, quæ ad confirmandum Filii τὸ ὁμοούσιον faciunt, adducerem. Itaq; contentus ero, allatis modò Martyris beatiſſimi teſtimoniis unum præterea & alterum adjeciſſe, quæ Arianæ hæreſis jugulum ipſum prorſus confodiunt. In lib. 2, c. 43. prodigioſam Valentinianorum ſuperbiam, qui omniſcientiam quandam ſibi arrogârunt, reprimit ac retundit, pulcherrimâ comparatione hominis ad Filium Dei inſtitutâ, his verbis: " Si autem & aliquis non " invenerit cauſam omnium quæ requiruntur, cogitet quia homo eſt in infinitum " minor Deo, & qui ex parte acceperit gratiam, & qui nondum æqualis vel ſimilis " ſit factori, & quia omnium experientiam " & cogitationem habere non poſſit ut Deus: " ſed in quantum minor eſt ab eo qui fa- " ctus non eſt, & qui ſemper idem eſt, " ille qui hodie factus eſt, & initium " facturæ accepit, in tantum ſecundum ſci- " entiam, & ad inveſtigandum cauſas o- " mnium, minorem eſſe eo qui fecit. NON " ENIM INFECTUS ES, O HOMO, " NEQUE SEMPER COEXISTEBAS " DEO, SICUT PROPRIUM EJUS " VERBUM; ſed propter eminentem bo- " nitatem ejus, nunc initium facturæ acci- " piens, ſenſim diſcis à Verbo diſpoſitiones " Dei, qui te fecit. Ordinem ego ſerva tuæ " ſcientiæ, & ne ut bonorum ignarus ſuper- " tranſcendas ipſum Deum." Verba tam clarâ luce refulgent, ut nullâ prorſus noſtrâ, ſive explicatione, ſive deductione indigeant. Huic autem loco geminus eſt alter in lib. 3, cap. 8, ubi itidem Irenæus inter Verbum ſeu Filium Dei & creaturas collationem inſtituit hunc in modum: " Sed nec quicquam, *inquit*, " ex his quæ conſtituta & in ſubjectione " ſunt, comparabitur Verbo Dei, per quem " facta ſunt omnia, qui eſt Dominus noſter " Jeſus Chriſtus. Quoniam enim ſive An- " geli, ſive Archangeli, ſive Throni, ſive " Dominationes, ab eo qui ſuper omnes eſt " Deus, & conſtituta ſunt & facta per Ver- " bum ejus, Joannes quidem ſic ſignificavit. " Cùm enim dixiſſet de Verbo Dei, quoniam " erat in Patre, adjecit: Omnia per eum " facta ſunt, & ſine eo factum eſt nihil. Da- " vid quoque cùm laudationes enumerâſſet, " nominatim univerſa quæcunque diximus, " & cœlos, & omnes virtutes eorum, adjecit: " Quoniam ipſe præcepit & creata ſunt; " ipſe dixit & facta ſunt. Cui ergo præce- " pit? Verbô ſcilicet, per quod, inquit, cœ- " li firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis " virtus eorum. Quoniam autem ipſe omnia " fecit liberè, & quemadmodum voluit, ait " iterum David: Deus autem noſter in cœ- " lis ſurſum, & in terra; omnia, quæcunque " voluit, fecit. Altera autem ſunt quæ " conſtituta ſunt, ab eo qui conſtituit, & " quæ facta ſunt, ab eo qui fecit. Ipſe e- " nim infectus & ſine initio, & ſine fine, & " nullius indigens, ipſe ſibi ſufficiens, & " adhuc reliquis omnibus ut ſint, hoc i- " pſum præſtans: quæ verò ab eo ſunt facta, " initium ſumpſerunt; quæcunque autem " initium ſumpſerunt, & diſſolutionem poſ- " ſunt percipere, & ſubjecta ſunt, & indi- " gent ejus qui ſe fecit: neceſſe eſt omnino, " uti

Pſal. 148. 5.

Pſal. 33. 6.

Pſal. 135. 5.

" uti differens vocabulum habeant, apud eos " etiam, qui vel modicum sensum in discer- " nendo talia habent: ita quidem ut qui " omnia fecerit, CUM VERBO SUO, " justè dicatur Deus & Dominus solus; " quæ autem facta sunt, non jam ejusdem " vocabuli participabilia esse, neque justè id " vocabulum sumere debere quod est Crea- " toris." Docet hîc apertè Irenæus, Verbum seu Filium Dei ab iis omnibus, quæ constituta, facta, & subjecta sunt (sint licet illa supremi ordinis creaturæ, scilicet sive Angeli, sive Archangeli, sive Throni, sive Dominationes) tam infinitis intervallis dissitum esse, ut ea, vel ideo quòd constituta, facta, ac subjecta sint, in comparationem cum ipso venire neutiquam mereantur. Docet, eundem Dei Filium juxtà cum Patre suo increatum esse, & æternum, nullius indigentem, sibi ipsi sufficientem, ac porro creaturis omnibus, ut sint, largientem. Ad hæc disertè docet, Verbum seu Filium Dei, propterea quòd tum ipse increatus sit, tum per ipsum omnia sint facta, unà cum Patre suo in consortium Divini nominis admitti debere: reliquis verò omnibus, quæ facta & constituta sunt, Dei vel Domini vocabulum, utpote Creatoris proprium, abusivè atque impropriè omnino tribui. Denique hæc omnia eô fervore asserit, ut qui increatam naturam à rebus creatis ad eum modum distinguere & discriminare nesciunt, communis eos sensûs planè expertes esse pronuntiet. Nescio sane, an quicquam his efficacius contra Arianam blasphemiam ab ullo Catholicorum Doctorum, qui post Concilium Nicænum scripserunt, dictum aut prolatum unquam fuerit.

§. 6. Neque tamen vel hic Irenæi locus Petavii censuram potuit effugere. Nam ex eo, quòd Pater optimus, postquam citaverat Psalmistæ verba, *quoniam ipse præcepit, & creata sunt*, &c. hæc subjecerit: *Cui ergo præcepit? Verbo scilicet*, colligit Jesuita, ἐπιτροπήν quandam ab ipso & ministri functionem in rerum creatione Dei Filio tribui, qualem & lib. 4. cap. 17. significat. Sed quis hîc viri ἐπιείκειαν & candorem non desideret? Quàm facile ipsi erat, verbis illis ex ipso loci contextu sanam interpretationem adhibere? Scilicet Deus Verbo suo creationem mundi præcepit, non ut Dominus servo (Filium enim Dei disertè ibidem eximit Irenæus ex eorum numero, quæ constituta, facta & subjecta sunt,) sed ut Pater filio, ejusdem cum ipso increatæ naturæ, divini imperii ac potestatis consorti. Præcepit autem Deus Verbo suo, ut mundus fieret, hoc est, voluit mundum fieri per Verbum suum, concurrente ipsius Verbi voluntate. Hinc ipse Petavius alibi, quasi sui oblitus, fatetur, Irenæum hæc Catholicè scripsisse, & aliquos Veterum, qui post Nicænam vixere Synodum, & Arianæ hæresis hostes acerrimi fuerunt, eôdem genere sermonis sine ulla offensione usos fuisse. Nam in lib. 2. de Trinit. sic scribit: " Sunt " autem aliqui, qui eôdem genere sermonis " nullâ penitus offensione sunt usi, ut Patris " mandatum ac præceptum sapere illa verba " (nempe, faciamus hominem, &c. Gen. 1.) " putarent. Ita enim Irenæus Verbum ait " infectum & æternum esse, eique præcepis- " se Deum creare omnia. Et alibi: Hominem " esse creatum Patre volente, ac jubente; " Filiô verò exequente, & efficiente. Ba- " silius quoque & πρεσβύτερα, id est " imperantem Dominum, & δημιουργὸν " λόγον, id est, Verbum efficiens appellat. " Et Cyrillus in libro 29. Thesauri. Atha- " nasius etiam in libro de decretis Nicæn. " Synod. hæc de Psalmo secundo ac trice- " simo, *Ipse mandavit & creata sunt*, expo- " nit sic, ut Patrem Filio mandâsse velit. " Marius item Victor librô primô de rerum " creatione:

" Quæ mandante Deo cum plenus mente
" Parentis
" Filius omnipotens faceret.

" Tum Auctor libri de Incarnatione, qui " tomo 4. extat operum Augustini, Fi- " lium dicit in omni conditione Patri mini- " strâsse, quia per ipsum omnia facta sunt. " Eòdemq; spectant & illa Prosperi in Com- " mentario ad Psalmum 148. *Ipse mandavit & creata sunt:* Quod enim Deus dicit, " Verbo dicit: & Verbum, per quod facta " sunt omnia, mandatum dicentis exequi- " tur." Ita scil. Petavio ipse Petavius optimè respondit. Cæterum quòd in loco, quo de agimus, Irenæus dicat, ipsum Deum liberè omnia fecisse, id ex Davide probans dicente, *Deus autem noster in cœlis sursum, & in terra; omnia, quæcunque voluit, fecit*; inde sic porro argumentatur Irenici Auctor: *Quasi*, inquit, *diceret, Verbum quidem secundùm mandatum Patris omnia fecisse; at Deum ipsum liberè, quicquid voluit. Quæ oppositio Patrem Filiô majorem dici innuit.* Verùm si Irenæum unquam attentè legisset Hæreticus, certè tam insulsâ cavillatione omnino abstinuisset. Nimirum cùm Irenæus Deum Patrem per Verbum sive Filium suum omnia liberâ suâ voluntate fecisse dicit, Gnosticos oppugnat, qui docuerunt, ab inferioribus potestatibus mundum factum fuisse, idque præter

c. 7. n. 7.

Iren. l. 4. c. 75.

Basil. l. de Sp. S. c. 16.

Vide & Athanasium, Orat. contr. Gentes Tom. 1. p. 51.

Petav. de Trin. l. 1. c. 3. n. 7. Vide & Sand. Enucleat. Hist. Eccles. l. 1. p. 91.

Iren. p. 46

ter ſummi Dei ſententiam ac voluntatem. Adverſus hos hæc duo ubique in libris ſuis adfirmat & probat ſanctus Epiſcopus : 1ò. Hunc mundum neutiquam ab inferioribus poteſtatibus, à ſummi Dei eſſentia & natura alienis, conditum fuiſſe ; ſed ab ipſo ſummo Deo per *ſuam* ipſius *progeniem*, perq; proprias *ſuas manus*, (ut ipſis Irenæi verbis utar,) nempe per Filium & Spiritum ſanctum factum. 2ò. Mundum hunc fabricatum non fuiſſe per virtutes aliquas *abſciſſas à ſententia* Dei, (ut loquitur in loco, quem mox citabimus ex lib. 1. cap. 19.) hoc eſt, quæ agerent præter ejus ſententiam ac voluntatem ; ſed ab ipſo Deo per Filium & Spiritum S. *conſultò* & *liberrimè* productum fuiſſe. Iterum dico, vel non omnino, vel perfunctoriè tantùm & incuriosè admodum legiſſe Irenæi Scripta, qui hanc eſſe optimi Patris ipſiſſimam mentem ac ſententiam non intelligit.

§. 7. Quod ad alterum locum attinet, quem carpit Petavius, in libro 4. cap. 17. ubi Filio, ut & Spiritui ſancto, miniſtri functionem tribuere videtur Irenæus in rerum creatione ; reſpondeo, intelligere ibi Irenæum miniſtrum non Patri *extraneum*, (quod Ariani voluerunt,) ſed ὁμοούσιον & *connaturalem* ; ſeu potiùs id tantùm velle, Deum Patrem per Filium & Spiritum S. opus illud creationis perfeciſſe, quod Angelis miniſtris, aut inferioribus poteſtatibus tribuebant Hæretici. En ipſa Irenæi verba ! " Hic * enim " Filius, *inquit*, qui eſt Verbum Dei, ab ini- " tio præſtruebat, non indigente Patre An- " gelis, uti faceret conditionem, & formaret " hominem, propter quem & conditio fie- " bat ; neque rurſus indigente miniſterio ad " fabricationem eorum quæ facta ſunt ad " diſpoſitionem eorum negotiorum, quæ ſe- " cundum hominem erant, ſed habente co- " pioſum & inenarrabile miniſterium. Mi- " niſtrat enim ei ad omnia ſua progenies & " figuratio ſua, id eſt, Filius & Spiritus San- " ctus, Verbum & Sapientia ; quibus ſervi- " unt & ſubjecti ſunt omnes Angeli." Quaſi diceret : Univerſorum Patri ad condendam creaturam miniſtris non opus erat, ſive Angelis, ſive aliis inferioribus poteſtatibus, ab ipſius eſſentia & natura remotis, quemadmodum vos Hæretici temerè adeoque impiè finxiſtis : abundè enim & ad hoc, & ad omnia ſufficiebat ei ſua ipſius progenies, quæ ex ipſo & in ipſo erat, Filius nempe & Spiritus S. qui adeo miniſtri non ſunt, ut ipſis revera miniſtrent, ſerviant, & ſubjectæ ſint creaturæ omnes, adeoque ipſi Angeli. Papæ ! Quantum hæc ab Arianiſmo diſtant ! Libet tamen in clariorem rei explicationem alia nonnulla Irenæi loca huic ſubjicere. In libro 1. cap. 19. prope initium, de rerum creatione per Filium & Spiritum S. ſic diſſerit : " Omnia per " ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt " nihil. Ex omnibus autem nihil ſubtractum " eſt, ſed omnia per ipſum facit Pater, ſive " viſibilia, ſive inviſibilia, ſive ſenſibilia, ſive " intelligibilia, ſive temporalia propter quan- " dam diſpoſitionem, ſive ſempiterna : & ea " omnia non per Angelos, neque per Virtu- " tes aliquas abſciſſas ab ejus ſententia ; ni- " hil enim indiget omnium Deus ; ſed per " Verbum & Spiritum ſuum omnia faciens " & diſponens & gubernans, & omnibus eſ- " ſe præſtans. " Eandem doctrinam tradit in libro 2. cap. 55. ſub finem his verbis : " Solus unus Deus fabricator, hic eſt, qui " ſuper omnem principalitatem & poteſta- " tem & dominationem & virtutem : hic " Pater, hic Deus, hic conditor, hic factor, " hic fabricator, qui fecit ea per SE- " METIPSUM, hoc eſt, per Verbum & Sa- " pientiam ſuam, cœlum & terram & ma- " ria & omnia quæ in eis ſunt. " Cui loco geminum habemus in lib. 4. cap. 37. prope initium : " Non ergo, *inquit*, Angeli fece- " runt nos, nec nos plaſmaverunt, nec An- " geli potuerunt imaginem facere Dei, nec " alius quis præter Verbum Domini, nec vir- " tus longè abſiſtens à Patre univerſorum. " Nec enim indigebat horum Deus ad faci- " endum quæ ipſe apud ſe præfinierat fieri, " quaſi ipſe ſuas non haberet manus. Adeſt " enim ei ſemper Verbum & Sapientia, Fi- " lius & Spiritus, per quos & in quibus o- " mnia liberè & ſponte fecit, ad quos & lo- " quitur, dicens : *Faciamus hominem ad ima- " ginem & ſimilitudinem noſtram* ; IPSE A " SEMETIPSO ſubſtantiam creaturarum, & " exemplum factorum, & figuram in mundo " ornamentorum accipiens. " Quibus in locis Irenæus eam Patris, Filii, & Spiritûs ſancti, quem nomine Sapientiæ cum Theophilo Antiocheno & aliis indigitat, θείας ταυτότητος (ſalvâ ſemper perſonarum diſtinctione) aſſerit, ut Patrem per Filium & Spiritum S. mundum creantem, per ſemetipſum illum feciſſe dicat. Ex his verò omnibus tandem manifeſtiſſimum fit, S. Irenæum ab Ariano dogmate prorſus abhorruiſſe, eamque fidem, quæ poſtea à Patribus Nicænis expoſita fuit, omnino tenuiſſe.

* L. *Hæc.*

§. 8. Quod venerando Scriptori ab Auctore Irenici, Sandio, & aliis objicitur, nempe ab ipſo tribui Filio Dei, etiam quà Deus eſt, dei & hoſæ extremi judicii ignorantiam, prorſus inſulſam eſſe cavillationem, facilè demonſtrabimus. In libro 2. cap. 49. ita quidem

ſcribit: "Etenim ſi quis exquirat cauſam, " propter quam in omnibus Pater communicans Filio, ſolus ſcire & horam & diem " à Domino manifeſtatus eſt; neque aptabilem magis, neque decentiorem, nec ſine " periculo alteram, quàm hanc, inveniat in " præſenti, quoniam cùm ſolus verax Magiſter ſit Dominus, ut diſcamus per ipſum, " ſuper omnia eſſe Patrem. Etenim *Pater*, " ait, *major me eſt*: & ſecundum agnitionem itaque præpoſitus eſſe Pater annuntiatus eſt à Domino noſtro ad hoc, ut & " nos, in quantum in figura hujus mundi " ſumus, perfectam ſcientiam, & tales quæſtiones concedamus Deo: & ne forte " quærentes altitudinem Patris inveſtigare, " in tantum periculum incidamus, uti quæramus, an ſuper Deum alter ſit Deus." Fateor, verba primô intuitu videri, Filio Dei, etiam quà maximè propriè Dei Filius eſt, ignorantiam tribuere. Verum Sophiſtis ſi vacâſſet, integrum illud Irenæi caput legiſſe, facilè vidiſſent, aliam prorſus fuiſſe ſanctiſſimi Patris mentem ac ſententiam. Nam in illo capite paulò antè hæc de Chriſto Domino noſtro ſcripſerat: *Etſi enim Spiritus Salvatoris, qui in eo eſt, ſcrutatur omnia, & altitudines Dei; ſed quantum ad nos, diviſiones gratiarum ſunt, & diviſiones miniſteriorum, & diviſiones operationum, & nos ſuper terram, quemadmodum & Paulus ait, ex parte quidem cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Sicut igitur ex parte cognoſcimus; ſic & de univerſis quæſtionibus concedere oportet ei, qui ex parte nobis præſtat gratiam.* Ubi per *Spiritum Salvatoris*, divinam ipſius naturam intelligi perſpicuum eſt. Quippe ſic & alibi, cum veteribus aliis, quos ſuprà commemoravi, Chriſti Θεότητα *Spiritum* vocat, nempe lib. 5, cap. 1. εἰ δὲ μὴ ὧν ἄνθρωπος ἐφαίνετο ἀνθρώπῳ, ὅτε ὁ ὢν ἐπ' ἀληθείας ἦν, πνεῦμα Θεοῦ, *Si hominis tantùm ſpeciem præbebat, cùm homo non eſſet, ſanè neque id quod verè erat, hoc eſt Dei Spiritus, remanebat.* Et paulò pòſt ibid. *In fine Verbum Patris & Spiritus Dei, adunitus antiquæ ſubſtantiæ plaſmationis Adæ, viventem & perfectum effecit hominem.* Manifeſtum eſt igitur, Chriſto homini tantùm ignorantiam tribuiſſe Irenæum; Spiritui verò, ſive Divinitati ipſius, omniſcientiam abſolutiſſimam conceſſiſſe. Quippe divinam ſapientiam menti humanæ Chriſti effectus ſuos impreſſiſſe pro temporum ratione, Chriſtumque, quà homo fuit, προκόπτειν σοφίᾳ, *profeciſſe ſapientiâ*, (ut Luc. 2, v. 52, diſertè dicitur,) adeoque pro tempore ſuæ ἀποστολῆς, quô iſtâ ſcientiâ opus non habebat, diem judicii univerſalis ignorare potuiſſe, nemini ſano abſurdum videbitur: quanquam Reformatos ob iſtam ſententiam mirè exagitent Pontificii, atque inter eos imprimis os fœdiſſimum Feuardentii, qui in hunc ipſum Irenæi locum nos *poſteriores Gnoſticos, à veteribus ne latum quidem unguem recedentes*, nec non *viperarum genimina* vipera ipſe omnium virulentiſſima appellat. Sed ad Irenæum redeo. Illud certum eſt, ſanctiſſimum Doctorem ubique aliàs de Filio Dei ita loqui, tanquam filio, qui tum naturam, tum voluntatem paternam perfectiſſimè noverit. Addo, eundem Irenæum paſſim Gnoſticos impietatis reos arguere, quòd Sophiam & Monogenen Patris ignorantiæ paſſionibus ſubjicerent. Clara imprimis ſunt verba ejus de Sophia lib. 2, c. 25, in ipſo initio: "Quomodo autem non vanum eſt, quòd " etiam Sophiam ejus dicant in ignorantia, " & in deminoratione, & in paſſione fuiſſe? " Hæc enim aliena ſunt à Sophia & contraria, ſed nec affectiones ejus ſunt. Ubi e- " nim eſt improvidentia & ignorantia utilitatis, ibi Sophia non eſt. Non igitur So- " phiam paſſum Æonem vocent; ſed aut " vocabulum ejus, aut paſſiones prætermittant." Quiſquamne verò eſt, qui credat, Irenæum hæreticis objecturum fuiſſe, quòd fictæ ſuæ Sophiæ ignorantiæ paſſionem addixiſſent, ſi veræ Sophiæ, hoc eſt Filio Dei, eandem ipſe imperfectionem tribuiſſet. Præterea Irenæum dicentem audivimus, immenſum Patrem in Filio menſurari, Filium capere Patrem & complecti. Qui hæc ſcripſit, credibile eſt, ipſum ſenſiſſe, Dei Filium paternam voluntatem ullâ ex parte ignorâſſe? Denique relegat, qui hac de re dubitat, verba ejuſdem Irenæi lib. 2, c. 43, quæ hujus capitis n. 5. citavimus. Ibi enim comparationem hominis ad Filium Dei inſtituens, omniſcientiam, quam ſibi impiè arrogârunt Valentiniani, hâc ratione impugnat, quòd nemo hominum, nulla creatura *æqualis ſit vel ſimilis factori, neque ſemper coextiterit Deo, ſicut proprium ejus Verbum.* Certum eſt igitur, conceſſiſſe Irenæum proprio Dei Patris Verbo, utpote ipſi æquali & ſemper coexiſtenti, abſolutiſſimam omniſcientiam.

§. 9. Cæterum cùm à nonnullis, quibuſcum ſe jungit Sandius, accuſetur etiam Irenæus, quòd nuſquam in Scriptis ſuis Spiritus S. Divinitatem agnoſcat; viſum eſt hîc obiter ſanctiſſimum Martyrem ab hac quoque calumnia vindicare. Itaque paucis quidem, ſed evidentiſſimè demonſtrabo, Irenæum credidiſſe, Spiritum S. 1. Perſonam eſſe à Patre & Filio diſtinctam, non meram Patris ἐνέργειαν ἀνυπόστατον. 2. Perſonam eſſe divinam, hoc eſt, ejuſdem cum Deo Patre & Filio naturæ

turæ atque eſſentiæ. Prius illud ex his locis (ut alia complura omittam) ſatis evincitur. In libro 4, cap. 14. ſic de Filio loquitur: *Ab omnibus accipiens teſtimonium, quoniam verè homo & verè Deus, à Patre, à Spiritu, & ab Angelis*, &c. Ubi manifeſtè alius teſtis Pater, alius Spiritus S. & uterque aliûs à Filio, cui teſtimonium præbuerunt. Alludit ſcil. ad baptiſmum Chriſti, in quo omnes tres perſonæ SS. Trinitatis ſe ſimul diſtinctè exhibuerunt, Pater in voce è cœlis ſonante, Spiritus S. in columba deſuper veniente, Filius in carne humana. Idem ibidem paulò pòſt: *Unus*, inquit, *Deus Pater, & unus Filius, & unus Spiritus* $. Hic unus, & unus, & unus neceſſariò tres perſonas efficiunt: & manifeſtum quoque eſt, ab Irenæo unum dici Spiritum $. eôdem ſenſu, quô & unus Filius dicitur; at Filium pro diſtincta à Patre perſona habuiſſe Irenæum, omnes fatentur. Sed apertiſſimus eſt locus ejuſdem libri cap. 37, quem ſuperiùs integrum adduxi, hîc verò iterum ex parte recitabo: *Adeſt enim*, inquit, *ei* [*Patri*] *ſemper Verbum & Sapientia, Filius & Spiritus, per quos & in quibus omnia liberè & ſponte fecit, ad quos & loquitur dicens: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Animadverte: Patri ſemper ſive ab æterno aderat & Filius & S. Spiritus; neuter verò erat ipſe Pater: & ſi Pater in verbis illis, *Faciamus hominem*, &c. non modò Filium, ſed & Spiritum S. allocutus eſt; ergo Spiritus S. perinde ac Filius, perſona eſt à Patre diſtincta. Quin & hinc Divinitas Spiritûs S. certò colligitur. Nam ab æterno is cum Patre & Filio extitiſſe dicitur; nihil autem æternum, ſaltem ex ſententia Irenæi, præter Deum. Deinde idem adjungitur Patri & Filio in opere creationis; creationis autem opus, juxta Irenæum, (ut & ſanos omnes,) Dei ſolius proprium eſt. Nam in lib. 3. c. 8. (quem locum ſuprà etiam allegavimus,) eum qui alia facit & creat, ab iis quæ facta & creata ſunt, ita diſtingui docet, ut is qui creat, ſit ipſe increatus, æternus, ἀνεπίγενητος· iſta vero initium exiſtentiæ habeant, diſſolubilia ſint, à Conditore ſuo dependeant, ipſique ſerviant & ſubjecta ſint. Unde & ibidem ex eo, quòd Deus Pater per Verbum ſive Filium ſuum omnia creaverit, concludit, ipſum illum Filium, juxtà cum Patre, increatum eſſe, æternum, omniumque Dominum. Sed Divinitas Spiritûs S. alibi etiam ab Irenæo apertè declaratur. Sic in loco, in ſuperioribus itidem laudato, lib. 4. cap. 17. Dei Patris ipſa *progenies & figuratio* dicuntur Filius & Spiritus S. idque ad diſtinctionem eorundem ab Angelis miniſtris, à Deo Patre per Filium & Spiritum S. creatis, qui proinde omnes Filio & Spiritui S. perinde ac Deo Patri, ſervire & ſubjici, nempe ut conditori ſuo, dicuntur. Omni verò exceptione major eſt locus Irenæi in lib. 5. cap. 12. in quo Spiritum S. ab afflatu illo, ſive Spiritu, quô Adamus animatus eſt, differre docet, quòd Spiritus ille ſanctus increatus, omnium Creator ac Deus ſit; afflatus autem, creatus. Digniſſimus eſt locus, qui integrè recitetur: " Aliud eſt, *inquit*, afflatus vitæ, " qui & animalem efficit hominem; & aliud " Spiritus vivificans, qui & ſpiritalem efficit " eum. Et ideo Eſaias ait: Sic dicit Do- Iſai. 42. 5.
" minus, qui fecit cœlum, & finxit illud; " qui firmavit terram, & quæ in ea ſunt; & " dedit afflatum populo, qui ſuper eam eſt, " & Spiritum iis, qui calcant illam. Afflatum quidem communiter omni, qui ſuper " terram eſt, populo dicens datum; Spiritum autem propriè his, qui conculcant " terrenas concupiſcentias. Propter quod " rurſus ipſe Eſaias diſtinguens ea, quæ " prædicta ſunt, ait: Spiritus enim à me Iſai. 57. 16.
" exiet, & flatum omnem ego feci. Spiritum quidem propriè in Deo deputans, " quem in noviſſimis temporibus effudit per " adoptionem filiorum in genus humanum: " afflatum autem communiter in conditione, " & factura oſtendens illum. Aliud autem L. *Facturam.*
" eſt, quod factum eſt, ab eo qui fecit. Afflatus igitur temporalis; Spiritus autem ſempiternus." * Nihil hîc moramur inconcinnam locorum Eſaiæ interpretationem; neque enim Irenæum conſulimus ut feliciſſimum ubique S. Scripturæ interpretem, ſed ut teſtem Apoſtolicæ traditionis, ſaltem de primario Chriſtianiſmi capite, fide digniſſimum. Nec quàm validis ex Scriptura teſtimoniis doctrinam ille Catholicam adſtruxerit, (quanquam etiam hac ex parte ſe plerumq; doctis & piis omnibus egregiè probaverit,) ſed quid pro Catholica doctrina habuerit, nunc inquirimus. Hîc igitur, inquam, Irenæus & Deum & Creatorem Spiritum S. manifeſtè prædicat. Nam (ut optimè Petavius annotavit) *in Deo deputari* Spiritum, Græcè ἐν Θεῷ vel εἰς Θεὸν λογίζεσθαι, idem eſt ac Deum deputari; † ſicut cùm ſtatim addit, *Afflatum in conditione & factura oſtendens*, idem dicit, atque creaturam facturamque

* Vide & Tertullianum adverſus Marcionem lib. 2. cap. 4. fere per totum.

† Græca apud Damaſcenum ſunt: Τὸ πνεῦμα ἰδίως ἐπὶ τῷ Θεῷ τάξας· τὴν δὲ πνοὴν κοινῶς ἐπὶ τῆς κτίσεως, ᾗ πνοὴν ἀναγορεύσας αὐτήν. Quæ ultima verba Doctiſſimi *Bulli* explicationem confirmant.

ramque censeri. Tum perspicuè *quod factum est*, id est *afflatum*, à *Spiritu*, id est *eo qui fecit*, esse diversum asserit: atque hunc *sempiternum*, illum *temporalem* esse. Non est igitur Spiritus sanctus, juxta Irenæum, creatura, aut factura, sed Deus ex Deo exiens, & Creator, ac sempiternus. Ac de Irenæo in præsenti satis.

ANNOTATA

Ad CAP. V.

De S. IRENÆO.

§. 1. TEstimoniis pro Deitate Christi ex Irenæo allatis sequentia addere, haud abs re erit. Lib. I. cap. 2. pag. 45. recentissimæ editionis (quam hîc semper citabo) Symbolum fidei, quam Catholica Ecclesia ab Apostolis eorumque discipulis accepit, recitans, Christum ut Dominum nostrum ac DEUM, etiam post futuram resurrectionem, ab omnibus, DEO Patre id volente, adorandum proponit his verbis lin. 15. seqq. ἵνα Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, καὶ Θεῷ, καὶ σωτῆρι, καὶ βασιλεῖ, κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ πατρὸς τοῦ ἀοράτου πᾶν γόνυ κάμψῃ, *ut Christo Jesu Domino nostro, & DEO, & Salvatori, & Regi, secundùm placitum Patris invisibilis omne genu curvet* &c. Deinde lib. III. cap. 10. pag. 213. col. 1. rationem munerum, quæ Magi Christo recens nato attulerunt, exponens, thus ideo oblatum dicit lin. 32. *quoniam DEUS* (erat) *qui & notus in Judæa factus est, & manifestus eis, qui non quærebant eum.* Eôdem lib. cap. 18. pag. 242. col. 1. lin. 10. seqq. docet de Christo, quòd sit *Salvator eorum qui salvantur, & Dominus eorum qui sunt sub dominio, & DEUS eorum quæ constituta* (creata) *sunt, & unigenitus Patris.* Notatu quoque digna sunt, quæ de unione Deitatis & humanitatis in Christi persona, ejusq; ratione, sequenti cap. 20. pag. 247. lin. ult. & pag. 248. lin. 1. seqq. differit, sic sonantia: ἥνωσεν οὖν, καθὰς προέφαμεν, τὸν ἄνθρωπον τῷ Θεῷ. Εἰ γὰρ μὴ ἄνθρωπος ἐνίκησεν τὸν ἀντίπαλον τοῦ ἀνθρώπου, οὐκ ἂν δικαίως ἐνικήθη ὁ ἐχθρός. πάλιν τε, εἰ μὴ ὁ Θεὸς ἐδωρήσατο τὴν σωτηρίαν, οὐκ ἂν βεβαίως ἔχομεν αὐτήν. Καὶ εἰ μὴ συνενώθη ὁ ἄνθρωπος τῷ Θεῷ, οὐκ ἂν ἠδυνήθη μετασχεῖν τῆς ἀφθαρσίας. Ἔδει γὰρ μεσίτην Θεοῦ τε καὶ ἀνθρώπων διὰ τῆς ἰδίας πρὸς ἑκατέρους οἰκειότητος εἰς φιλίαν καὶ ὁμόνοιαν τοὺς ἀμφοτέρους συναγαγεῖν. *Itaque adunivit, quemadmodum prædiximus, hominem DEO. Si enim homo non vicisset inimicum hominis, non justè victus esset inimicus. Rursus autem, nisi DEUS donâsset salutem, non firmiter haberemus eam. Et nisi homo conjunctus fuisset DEO, non potuisset particeps fieri incorruptibilitatis. Oportuerat enim Mediatorem DEI & hominum per suam ad utrosque domesticitatem in amicitiam & concordiam utrosque reducere.* Porro cap. 23. col. 2. lin. 8. docet, Prophetas intimâsse, quòd venturus sit *filius DEI, qui DEUS est.* Et mox lin. 16. *Manifestè significans,* (Habacuc) *quoniam DEUS, & quoniam in Bethleem adventus ejus.* Unde tandem concludit lin. 22. ὁ Θεὸς ἓν ἄνθρωπος ἐγένετο, καὶ αὐτὸς Κύριος ἔσωσεν ἡμᾶς. *DEUS igitur homo factus est, & ipse Dominus salvabit* (salvavit) *nos.* Et cap. 26. pag. 257. recitatis Esaiæ de Christo Immanuele verbis, hæc sua subjungit col. 1. lin. 6. *Diligenter igitur significavit Spiritus S. per ea quæ dicta sunt, generationem ejus quæ est ex Virgine, & substantiam, quoniam DEUS; Emmanuel enim nomen hoc significat.* Et col. 2. lin. 5. *Quod autem non consentiet nequitiæ, ut eligat bonum, proprium hoc est DEI, uti non per hoc, quòd manducabat butyrum & mel, nudè solummodo eum hominem intelligeremus, neque rursus per nomen Emmanuel sine carne eum DEUM suspicaremur.* Atque ex eodem Esaiæ loco ac aliis ejusdem Prophetæ verbis cap. 9. *Et vocatur nomen ejus Admira-*

Admirabilis Consiliarius, *Deus fortis*, itidem lib. IV. cap. 66. pag. 363. probat Irenæus prædictum esse, *quoniam Verbum caro erit, & Filius DEI filius hominis, & hoc factus quod & nos, DEUS fortis est, & inenarrabile habet genus.* Denique lib. V. cap. 14. pag. 421. seqq. S. Pater eum, cui libros suos misit, ita affatur: *Memor igitur, Dilectissime, quoniam carne Domini nostri redemptus es, & sanguine ejus redhibitus, & DEUM confitens, & hominem ejus firmiter excipiens* &c. Et cap. 17. pag. 426. col. 1. lin. 19. seqq. *Peccata igitur remittens* (*JESUS*) *hominem quidem* (Paralyticum) *curavit, semetipsum autem manifestè ostendit, quis esset. Si enim nemo potest remittere peccata, nisi solus DEUS, remittebat autem hæc Dominus, & curabat homines; manifestum est, quoniam ipse erat Verbum DEI, Filius hominis factus, à Patre potestatem remissionis peccatorum accipiens, quoniam homo, & quoniam DEUS; ut quomodo homo compassus est nobis, tanquam DEUS misereatur nostri, & remittat nobis debita nostra, quæ factori* (Creatori) *nostro debemus DEO.* Atqui Christum unum eundemque cum Creatore, in quem peccaveramus, DEUM esse, Irenæus apertè indicat in præcedentibus pag. 425. col. 1. lin. 36. ita contra Hæreticos disputans: *Bene igitur Verbum ejus* (DEI) *ad hominem dicit: Remittuntur tibi peccata; idem ille, in quem peccaveramus in initio, remissionem peccatorum in fine donans. Aut si alterius quidem transgressi sumus præceptum, alius autem erat qui dixit: Remittuntur tibi peccata tua; neque bonus, neque verax, neque justus est hujusmodi. Quomodo enim bonus, qui non ex suis donat? Aut quomodo justus, qui aliena rapit? Quomodo autem verè remissa sunt peccata, nisi ille ipse, in quem peccavimus, donavit remissionem.* Nisi enim Christus unus cum Patre DEUS sit, hoc hæreticis, duos DEOS statuentibus, oppositum argumentum in caput Irenæi recidit, ac ipse sibi turpiter contradixit. His accedunt ista loca, ubi Ebionæos Deitatem Christi negantes refutavit Irenæus; quæ cùm à Reverendo Auctore in *Judicio Catholicæ Ecclesiæ* &c. cap. 1. §. 3. contra Episcopium allegata sint, hîc omitto.

§. 2. Neque Irenæus Christo *impropriè* Divinitatem tribuit, quomodo Reges atque Principes *Dii* vocari solent; sed verè atque essentialiter DEUM esse credidit, uti ex sequentibus patet locis. Lib. III. cap. 21. ubi contra Hæreticos, qui JESUM *nudè tantùm hominem dicunt ex Joseph generatum*, disputat, hæc post alia habet pag. 249. col. 2. lin. 19. seqq. *Quoniam autem est ipse* (Christus) PROPRIE *præter omnes qui fuerunt tunc homines, DEUS, & Dominus, & Rex æternus, & unigenitus, & Verbum incarnatum, prædicatum & à Prophetis omnibus, & Apostolis, & ab ipso Spiritu, adest* (in promptu est) *videre omnibus, qui vel modicum de veritate attigerint. Hæc autem non testificarentur Scripturæ de eo, si, similiter ut omnes, homo tantùm fuisset. Sed quoniam præclaram præter omnes habuit in se eam quæ est ab altissimo Patre genituram, præclarâ autem functus est & eâ quæ est ex Virgine, generatione; utraque Scripturæ divinæ de eo testificantur: & quoniam homo indecorus & passibilis* &c. *& quoniam Dominus sanctus, & mirabilis Consiliarius, & decorus specie, & DEUS fortis, super nubes veniens universorum Judex, omnia de eo Scripturæ prophetabant.* Similiter lib. IV. cap. 14. p. 302. col. 1. lin. 11. de Servatore ait, quòd sit, *ab omnibus accipiens testimonium, quoniam* VERE HOMO, *& quoniam* VERE DEUS, *à Patre, à Spiritu, & ab Angelis, ab ipsa conditione* (creatura) *ab hominibus, & ab apostaticis spiritibus* &c. Ad quæ verba meritò hæc in nupera editione annotavi: *Adeo clarè hîc tam Divinæ, quàm humanæ Christi naturæ veritatem eloquitur, ut nullus effugii locus Adversariis sit relictus.* Accedunt denique ad probandam veram Christi Deitatem divina attributa, quæ Irenæus ei disertè adscribit, & quidem ea, quæ tam Ariani, quàm Photiniani, prisci ac recentes, ei denegârunt, æternitatem dico & incomprehensibilitatem, ut ita appellare liceat. Ac de illa quidem postea Sect. III. seorsim agitur; de hac verò sufficiat in præsenti adduxisse egregia, quibus incarnatio Filii DEI describitur, verba lib. III. c. 18. p. 241. col. 2. lin. 16. *Invisibilis visibilis factus, & incomprehensibilis factus comprehensibilis, & impassibilis passibilis, & Verbum homo, universa in semetipsum recapitulans.*

De *MELITONE.*

§. 1. IRenæo Melitonem, ceu insignem Deitatis Christi testem, jungo exemplô Anonymi Auctoris libri contra Artemonis Hæresin Seculi III. initiô scripti, cujus fragmentum nobis conservavit Euseb. Hist. Eccles. lib. V. cap. 28. ubi hæc inter alia legimus: Τὰ γὰρ Εἰρηναίου τε καὶ Μελίτωνος καὶ τῶν λοιπῶν τίς ἀγνοεῖ βιβλία, Θεὸν καὶ ἄνθρωπον καταγγέλλοντα τὸν Χριστόν; *Irenæi quidem, & Melitonis, & reliquorum Scripta quis est qui ignoret, in quibus Christum DEUM simul & hominem prædicaverunt?* Ac Melitonis quidem librorum soli fere tituli nostrâ ætate superstites sunt, recensiti ab eodem Eusebio lib. IV. H. E. cap. 26. & Hieronymo in Catal. Script. Eccles. Quorum unus cum sit περὶ ἐνσωμάτου Θεοῦ, hunc *de* DEO *incarnato*, nempe Christo, interpretati, eôque ad probandam inde Deitatem Servatoris usi sunt Theologi. Verùm non de DEO *incorporato*, sed *corporeo* (utramque enim significationem habet ἐνσώματος) Melitonem librô isto tractâsse, inter alios Cotelerius in Not. ad Homil. XVII. Clementin. bene probavit verbis Origenis, apud Theodoretum Quæst. 20. in Genesin, & Gennadii Massil. lib. de Dogmatibus Eccles. cap. 4.

§. 2. Missô itaque titulô isto, videamus an non, deperditis licèt integris Melitonis libris, fragmenta quædam eorum alicubi reperiantur, quibus Deitas Christi asseratur. Et sane duo ejusmodi mihi, Anastasii Hodegum pridem perlegenti, occurrerunt, apprime notanda. Quippe ibi cap. 12. pag. 217. Theodosiani & Gajanitæ ex Melitonis Sardensis Oratione in passionem Christi hæc afferunt verba: ὁ Θεὸς πέπονθεν ὑπὸ δεξιᾶς Ισραηλίτιδος. *DEUS passus est à dextra Israelitica.* Ipse verò Anastasius cap. 13. pag. 258. & 260. ex Melitonis Serm. III. περὶ σαρκώσεως Χριστοῦ, ubi contra hæresin Marcionis, veram Christi humanitatem negantis, disputat, sequentia cedrô digna allegavit: Ως ἀδεμία ἀνάγκη, τοῖς νῦν ἔχουσιν, ὀξ ὧν μετὰ τὸ βάπτισμα ὁ Χριστὸς ἔπραξε, πορισᾶν τὸ ἀληθὲς καὶ ἀφάνασιν τῆς ψυχῆς αὐτοῦ καὶ τοῦ σώματος τὸ καθ' ἡμᾶς ἀνθρωπίνης φύσεως. τὰ γὰρ μετὰ τὸ βάπτισμα, φησὶν, ὑπὸ Χριστοῦ πραχθέντα, καὶ μάλιστα τὰ σημεῖα, τὴν αὐτοῦ κεκρυμμένην ἐν σαρκὶ θεότητα ἐδήλων καὶ ἐπεσύνετο τῷ κόσμῳ. Θεὸς γὰρ ὢν ὁμοῦ τε καὶ ἄνθρωπος τέλειος ὁ αὐτὸς, τὰς δύο αὐτοῦ οὐσίας ἐπιστώσατο ἡμῖν· τὴν μὲν θεότητα αὐτοῦ διὰ τῶν σημείων ἐν τῇ τριετίᾳ τῇ μετὰ τὸ βάπτισμα· τὴν δὲ ἀνθρωπότητα αὐτοῦ ἐν τοῖς τριάκοντα χρόνοις τοῖς πρὸ τοῦ βαπτίσματος, ἐν οἷς διὰ τὸ ἀτελὲς τὸ κατὰ σάρκα ἀπέκρυβε τὰ σημεῖα τῆς αὐτοῦ θεότητος, καίπερ Θεὸς ἀληθὴς πρωτοφανὴς ὑπάρχων. *Non est necessarium, his quos ratio non fugit, ex actionibus Christi post Baptismum adstruere animæ ejus & corporis ac humanæ nostræ naturæ veritatem ab omni fictione alienam. Nam quæ post Baptismum à Christo gesta sunt, inquit,* (Melito) *maximè miracula, latentem ejus Deitatem manifestabant ac mundo comprobabant. Cùm enim idem DEUS simul & homo perfectus esset, duas ejus naturas nobis demonstravit; Divinitatem quidem per miracula, triennio illo post Baptismum patrata; humanitatem verò suavi triginta illis annis Baptismum antegressis, quibus carnis vilitas tegebat signa Deitatis ejus, quamvis verus ante sæcula DEUS existeret.* Quæ dum confero cum loco Anonymi §. 1. citato, ubi Christum DEUM pariter & hominem à Melitone prædicatum testatur, vix dubito, hæc ipsa illum verba præ oculis habuisse. Addo denique sequentia, quæ in Chronico Paschali ad Annum Christi 164. & 165. ex Apologetico Melitonis citantur: Οὐκ ἐσμὲν λίθων ἀδεμίαν αἴσθησιν ἐχόντων θεραπευταὶ, ἀλλὰ μόνου Θεοῦ, τοῦ πρὸ πάντων, καὶ ἐπὶ πάντων, καὶ ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, ὄντως Θεοῦ λόγου πρὸ αἰώνων, ἐσμὲν θρησκευταί. In quibus præpositionem ἐπὶ ante τοῦ Χριστοῦ omittendam, hæcque verba ita vertenda censeo: *Non sumus cultores lapidum sensu carentium, sed solius DEI, qui est ante omnia & super omnia, & Christi ejus, verè DEI Verbi ante sæcula, veneratores* Conjecturæ sive emendationis hujus rationes dabo Tomô II. Spicilegii Patrum Seculi II. brevi, si DEO placuerit, proditurô. Interim hîc observandum Lectori propono, quàm frivolè Auctor libri Anglici, *Judicium Patrum de Trinitate contra D. Bulli Defensionem Fidei Nicænæ* p. 4. Melitonem inter S. Trinitatis adversarios numeraverit, solo titulô libri περὶ κλίσεως καὶ γενέσεως Χριστοῦ, quem Euseb. lib. IV. cap. 26. nominat, inductus. Cui quid reponendum sit, *Valesii* Annotatio ad istum locum abunde edocet; ut meis ampliùs verbis non sit opus.

CAP.

CAP VI.

S. Clementis Alexandrini luculentiſſima teſtimonia, de vera ac ſumma Filii Divinitate, adeoque de integra SS. Trinitate ὁμοουσίῳ, *proferuntur.*

§. 1. AD S. Clementem Alexandrinum progredior, Irenæi coætaneum, & Pantæni illius τῦ πολυθρυλλήτυ (qui, ut ex aliis refert Photius Cod 118, iis uſus eſt Magiſtris, qui Apoſtolos vidiſſent; quin & illorum nonnullos ipſe audivit,) genuinum diſcipulum. De hoc ipſe Petavius fatetur, quòd Chriſtianum dogma, de Verbo Dei ac Filio, Platonis ad mentem accommodaverit, ſine erroris plerumque ſuſpicione; quòdque de Filio Dei recta & fidei conſentanea Catholicæ tradiderit. Ibidem tamen & eôdem quaſi ſpiritu, (ne quiſquam Veterum ſine erroris in hoc articulo inuſtâ ipſi notâ manibus ſuis elaberetur,) quædam & in ipſo Clemente reprehendit, quæ ſcil. Platonici & Ariani dogmatis indolem ſapiant, de quibus ſuô locô agemus. Sed mirari ſatis nequeo *Petrum Danielem Huetium*, Virum doctiſſimum, & (quantum ex Scriptis ejus conjectare licet) candoris eximii; qui in Origenianis ſuis Bellarmino Origenem hôc argumentô tuenti, quòd ſana & orthodoxa fuerit Præceptoris ipſius Clementis, diſcipulorum Dionyſii Alexandrini & Gregorii Thaumaturgi, de myſterio SS. Trinitatis opinio, ita reſpondet: " Nihil profectò Origenianæ cauſæ " contrarium magis dicere potuit. Nullius " enim ex his tribus ſatis puri fuerunt & in- " tegri de Trinitate ſenſus. Nam & Filii " ſubſtantiam à Paterna ita ſecernit Cle- " mens, ut inferiorem eam ſtatuat. Diony- " ſius verò Alexandrinus Filium Patris " ποίημα, eique diſſimilem eſſe dixit, & " ἀφῆκε φωνὰς ἧκιστα πρεπούσας τῷ πνεύ- " ματι, *voces Spiritui parum convenientes* " *emiſit*, inquit Baſilius Epiſt. 41, à quo ca- " ſtigatus quoque eſt Gregorius Thauma- " turgus, quòd Filium apertè creaturam " prædicaverit." De Origenis diſcipulorum nobili pari, ut & de ipſo Origene, poſtea dicemus. De Clemente Origenis Præceptore nunc quæſtio eſt. Certè Clementis Alexandrini Scripta genuina, quæcunque hodie extant, omnia non indiligenter evolvi, idq; eô imprimis conſiliô, ut ejus de hoc articulo ſententiam exquirerem. Poſt hoc examen ita mecum ſtatuo, neminem Catholicorum Doctorum, qui Concilium Nicænum anteceſſerunt, adeoque nec quemquam eorum, qui ipſum ſubſecuti ſunt, Filii veram Divinitatem clariùs, diſertiùs, ſignificantiùs docuiſſe, quàm Clemens ille noſter docuit. Sane dogma illud utramque illi Scriptori paginam facit. Unde Ruffinus *de Adulteratione lib. Origenis* hæc de Clemente ſcripſit: *Clemens Alexandrinus Presbyter & Magiſter Eccleſiæ illius, in omnibus penè libris ſuis, Trinitatis gloriam & æternitatem unam eandemque deſignat.* Ex tanta copia nos loca aliquot illuſtriora ſeligemus.

Petav. de Trinit. l. 1, c. 4, n. 1.

Huet. Origen. l. 2. c. 2. quæſtione 2, n. 10.

§. 2. Non longè ab initio Protreptici, ſive Admonitionis ad Gentes, nobilem Pauli locum citat Clemens, ex Epiſtola ad Titum cap. 2, v. 11, 12, 13. *Gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus apparuit, docens nos, ut abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, moderatè & juſtè & piè vivamus in hoc ſæculo; expectantes beatam ſpem & manifeſtationem gloriæ magni Dei & Servatoris noſtri Jeſu Chriſti:* ibidemque Chriſtum Servatorem τῦ μεγάλυ Θεῦ, *magni illius Dei* elogiô inſignitum intelligit, hæc elegantiſſima ſubjungens: Τοῦτο ὅτι τὸ σῶμα τὸ καινὸν, ἡ ἐπιφάνεια, ἡ νεῦ σαλπίσασα ἐν ἡμῖν ἡ ἐν ἀρχῇ ὄντος ἡ προόντος λόγυ. ἐπεφάνη δὲ ἕναλχος ὁ πρωὼν σωτὴρ· ἐπεφάνη ὁ ἐν τῷ ὄντι ὢν, ὅτι ὁ λόγος, ὃς ἦν πρὸς τ Θεὸν, διδάσκαλος ἐπεφάνη, ᾧ τὰ πάντα δεδημιούργηται. λόγος ὁ καὶ τὸ ζῆν ἐν ἀρχῇ μετὰ τ πλάσαι φωσφόρος ὡς δημιουργός, τὸ εὖ ζῆν ἐδίδαξεν, ἐπιφανεὶς ὡς διδάσκαλος, ἵνα τὸ ἀεὶ ζῆν ὕστερον ὡς Θεὸς χορηγήσῃ, i. e.

pag. 6.

i. e. " Hoc est canticum novum, manifesta-
" tio, quæ nunc refulsit in nobis, Verbi, quod
" erat in principio, & priùs fuit. Apparuit
" autem nuper, qui priùs erat, Servator;
" apparuit qui est in eo qui est, quoniam
" Verbum, quod erat apud Deum, per quod
" omnia sunt fabricata, Doctor apparuit:
" Verbum, quod olim vitam in creatione ut
" opifex dedisset, postquam tanquam Magi-
" ster se manifestavit, bene vivere docuit, ut
" æternam vitam postea ut Deus suppedita-
" ret." Ubi Servatorem Christum, æternum, in principio scil. & priùs existentem, Patri ὁμοούσιον, utpote τὸ ὄντα ἐν τῷ ὄντι, h. e. in ipsa Dei Patris essentia subsistentem, denique Deum, hujus & æternæ vitæ largitorem agnoscit. In eodem libro, ut in Filium
p. 66. credant, Gentes hortatur his verbis: πίστευσον ἄνθρωπε ἀνθρώπῳ καὶ Θεῷ· πίστευσον ἄνθρωπε τῷ παθόντι, καὶ προσκυνουμένῳ Θεῷ ζῶντι· πιστεύσατε οἱ δοῦλοι τῷ νεκρῷ· πάντες ἄνθρωποι πιστεύσατε μόνῳ τῷ πάντων ἀνθρώπων Θεῷ. Quibus in verbis interpretandis miserè, ut solet, hallucinatur Hervetus. Sic autem locus vertendus: *Crede homo homini & Deo: crede homo ei qui passus est, & ei qui adoratur, Deo viventi: credite servi mortuo: credite omnes homines ei qui solus Deus est omnium hominum.* Ubi Christum non modò hominem, sed & Deum, Deum illum viventem, qui adoratur, (quæ manifesta est veri Dei periphrasis,) denique unicum hominum omnium Deum pronuntiat.

§. 3. Quid verò magnificentius verbis illis, quæ in eodem libro, unicâ paginâ interjectâ, leguntur? Ibi scilicet Servator noster
p. 68. à Clemente dicitur ὁ θεῖος λόγος, ὁ φανερώτατος ὄντως Θεὸς, ὁ τοῦ δεσπότην τῶν ὅλων ὑπεισελθεῖς· ὅτι ἦν υἱὸς αὐτοῦ, καὶ ὁ λόγος ἦν ἐν τῷ Θεῷ, i. e. *Verbum divinum, qui est manifestissimè verus Deus, qui est universorum Domino exæquatus: quoniam erat ejus Filius, & Verbum erat in Deo.* Verbis utitur tam emphaticis, ut omnem operam videatur adhibuisse, uti summam Servatoris Divinitatem plenè exprimeret. Christum dicit Verbum divinum, verum Deum, verum Deum manifestissimum, Deo Patri æqualem: idque additâ hâc ratione, quòd is Dei Filius sit, nempe genuinus ex ipso natus, quòdque Verbum
p. 91. sit in ipso Deo subsistens. Idem in Pædagog. lib. 1. cap. 5. prope finem, postquam dixerat per Esaiam narrari Filii Dei magnitudinem, nempe verbis illis, *admirabilis consiliarius, Deus potens, Pater æternus, Princeps pacis*; statim hæc subjicit: ὦ τὸ μεγάλου Θεοῦ· ὦ τὸ τελείου παιδίου· υἱὸς ἐν πατρὶ, καὶ πατὴρ ἐν υἱῷ· i. e. *O magnum Deum! O perfectum Puerum! Filius in Patre, & Pater in Filio.* Postea in ejusdem libri cap. 6. Filium dicit τὸν λόγον τέλειον, ἐκ τελείου φυέντα τοῦ πατρός, i. e. *Verbum perfectum, ex perfecto Patre natum:* hoc est, Filium Patri suo, è quo natus est, omni perfectionis genere respondentem. Operæ pretium fecerit Lector, si integrum locum apud ipsum Clementem expenderit. Post aliquammulta in eodem capite plenam & perfectam sanctissimæ Trinitatis confessionem edit his verbis: εἷς μὲν ὁ τῶν ὅλων Πατήρ· p. 102.
εἷς δὲ καὶ ὁ τῶν ὅλων Λόγος· καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἕν, καὶ τὸ αὐτὸ πανταχοῦ, i. e. *Unus quidem est universorum Pater; unum est etiam Verbum universorum; & Spiritus S. unus, qui & ipse est ubique.* Animadverte: unicuique personæ sacræ τριάδος vim divinam tribuit, quæ rerum universitatem pervadat; ita ut prima sit Pater universorum, altera λόγος itidem universorum, ac denique tertia ubique & in universis adsit. Rursus ejusdem libri cap. 7. de Christo Pædagogo sic loquitur: ὁ δὲ ἡμέτερος παιδαγωγὸς ἅγιος Θεὸς p. 109.
Ἰησοῦς, ὁ πάσης τῆς ἀνθρωπότητος καθηγεμὼν λόγος· αὐτὸς ὁ φιλάνθρωπος Θεός ἐστι παιδαγωγός· i. e. *Noster autem pædagogus sanctus Deus Jesus, Verbum quod est omnis humanæ naturæ dux; ipse hominum amator Deus est Pædagogus.*

§. 4. Idem ejusdem libri cap. 8. totus in eo est, ut probet omnia Dei Patris attributa (nempe absoluta) ipsi cum Filio esse communia, ob communem utriusque divinam naturam, & quicquid de Patre dicitur, in Filium etiam competere. Totum caput lectu dignissimum est: nobis quædam Lectori quasi digitô monstrâsse sufficiat. Probat Christum neminem odisse, omnium salutem velle hâc ratione: εἴ τι οὖν μισεῖ ὁ λόγος, p. 113.
βούλεται αὐτὸ μὴ εἶναι· οὐδὲν δέ ἐστιν, ὃ μὴ τὴν αἰτίαν τοῦ εἶναι ὁ Θεὸς παρέχεται· οὐδὲν οὖν μισεῖται ὑπὸ τοῦ Θεοῦ· ἀλλ' οὐδὲ ὑπὸ τοῦ λόγου· ἓν γὰρ ἄμφω, ὁ Θεός, i. e. *Si quid ergo odio habeat Verbum, id vult non esse; nihil est autem, cujus causam Deus, quòd id sit, non præbeat: nihil ergo odio habet Deus: sed neque Verbum; utrumque enim unum est, nempe Deus.* Ac postquam de primariis attributis divinis, bonitate nempe ac justitia, fusè ex Scripturis egerat, atque ostenderat ipsa in Patrem ac Filium æquè competere, ita tandem concludit: ὡς εἰ) ταῖς ἀληθείαις καταφανὲς τὸ, τῶν p. 119.
συμπάντων Θεὸν, ἕνα μόνον εἰ), ἀγαθὸν, δίκαιον, δημιουργὸν, υἱὸν ἐν πατρὶ, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν. i. e. *Ut sit veritate apertum, quod qui est universorum Deus, unus solus sit, bonus, justus, opifex; nempe Filius in Patre, cui gloria in sæcula sæculorum, Amen.*

Hic

Hîc Lectori non prorſus ſtupido, monitore non eſt opus, ut intelligat, Filium in Patre & cum Patre ſtatui univerſorum Deum, qui ſolus ſit bonus & juſtus opifex, cuique proinde gloria in æternum adſcribi debeat. Idem Pædagog. lib. 3, cap. 7. de Filio Dei hæc habet ſane magnificentiſſima: ἀνενδεὴς γὰρ ὁ τὸν παντοκράτορα Θεὸν λόγον ἔχων, καὶ ἐνδεὴς ὢν χρήζει, ἀπορεῖ πολε· κλῆσις γὰρ ὁ λόγος ἀνενδεὴς, καὶ εὐπορίας ἀπάσης αἴτιος, i. e. *Eſt enim minimè indigens, qui* VERBUM *habet* DEUM OMNIPOTENTEM, *& nullo eorum, quibus opus habet, unquam eget. Verbum enim poſſeſſio eſt, cui nihil deeſt, & eſt cauſa omnis copiæ.* Denique in fine Pædagogi ſic Verbum ſive Filium Dei unà cum Patre orat: ἵλαθι τοῖς σοῖς, παιδαγωγὲ, παιδίοις, πάτερ, ἡνίοχε Ισραὴλ, υἱὲ καὶ πάτερ, ἓν ἄμφω, Κύριε, i. e. *Propitius eſto tuis, O Pædagoge, pueris, Pater, auriga Iſrael, Fili & Pater, unum ambo, Domine.* Et mox ſanctiſſimæ Τριάδι laudes effundit hâc formulâ: Gratias agamus, inquit, τῷ μόνῳ πατρὶ καὶ υἱῷ, υἱῷ καὶ πατρὶ, παιδαγωγῷ καὶ διδασκάλῳ υἱῷ, σοὶ καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι· πάντα τῷ ἑνί· ἐν ᾧ τὰ πάντα· δι' ὃν τὰ πάντα ἕν· δι' ὃν τὸ ἀεί· οὗ μέλη πάντες· οὗ δόξα, αἰῶνες· πάντα τῷ ἀγαθῷ, πάντα τῷ καλῷ, πάντα τῷ σοφῷ, τῷ δικαίῳ τὰ πάντα· ᾧ ἡ δόξα καὶ νῦν καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας, Ἀμήν, i. e. *Soli Patri & Filio, Filio & Patri, Pædagogo & Magiſtro Filio, unà cum ſancto Spiritu; per omnia uni; in quo omnia; per quem omnia unum; per quem eſt quod ſemper eſt; cujus membra omnes; cujus ſunt gloria & ſæcula:* * *qui eſt undequaque bonus, undequaque pulcher, undequaque ſapiens, undequaque juſtus: cui gloria nunc & in ſæcula ſæculorum, Amen.* In meridiana luce cœcutit, qui non clarè videt, in hac δοξολογίᾳ plenam & perfectam conſubſtantialis Trinitatis, hoc eſt, unius Dei in tribus perſonis, Patre nempe, Filio & Spiritu S. ſubſiſtentis, confeſſionem contineri.

pag. 236, 237.

p. 266.

§. 5. Cæterum ne videar Stromatum libros prorſus neglexiſſe, locum ex ipſis unum & alterum hîc proferam. Stromatum lib. 4. ſic de Chriſto loquitur Clemens noſter: ὅτως ἐγγίζει τοῖς δικαίοις ὁ Κύριος, καὶ ἐδὲν λέλησεν αὐτὸν τῶν ἐννοιῶν & τοῦ λογισμοῦ ὧν ποιούμεθα· τὸν Κύριον Ιησοῦν λέγω, τὸν τῷ παντοκρατορικῷ θελήματι ἐπίσκοπον τῆς καρδίας ἡμῶν, i. e. *Sic juſtis appropinquat Dominus, & nihil eum latet ex noſtris cogitationibus, &, quas facimus animô, diſſertationibus: Dominum Jeſum dico, qui omnipotente ſuâ voluntate cordium noſtrorum inſpector eſt.* Verba non egent commentariô. Idem Strom. 7, Verbi, ſive Filii Dei, ubique præſentem, omniaque, vel minima, curantem Divinitatem, hâc appoſitiſſimâ & elegantiſſimâ ſimilitudine illuſtrat: ὅπερ γὰρ τρόπον ὁ ἥλιος οὐ μόνον τὸν ὁρατὸν καὶ τὸν ὅλον κόσμον φωτίζει, γλῶ τε καὶ θάλασσαν ἐπιλάμπων, ἀλλὰ καὶ διὰ δυρίδων καὶ μικρᾶς ὀπῆς πρὸς τὰς μυχαιοτάτας οἰκους ἀποστέλλει τὸ αὐγοειδὲς· ὅτως ὁ λόγος πάντη κεχυμένος, καὶ τὰ σμικρότατα τοῦ βίου πράξεων ἐπιβλέπει· i. e. *Sicut enim Sol non ſolùm cælum & totum mundum illuminat, ſuper terram & mare reſplendens, ſed etiam per feneſtram & parvum foramen, vel in intima penetralia domorum lucem emittit: ita Verbum undiquaque effuſum, vel minima ex iis inſpicit, quæ in vita geruntur.* Ex Clemente autem multò plura his adjicere potuiſſem: ſed cui hæc non ſufficiunt, ſufficiet nihil.

p. 517.

§. 6. Videamus jam, quid contra hæc tam clara ac diſerta Petavius & cæteri Sanctorum Patrum Critici nimiùm (ne quid pejus dicam) cenſores ex Clemente attulerint, quò probent ipſum Ariani dogmatis labe aliquâ infectum fuiſſe. Primò objicit Petavius locum Clementis Strom. 7. ubi de Filio Dei ita ſcribit: τελειοτάτη ᾗ, καὶ ἁγιοτάτη, καὶ κυριοτάτη, καὶ ἡγεμονικωτάτη, καὶ βασιλικωτάτη, καὶ εὐεργετικωτάτη ἡ υἱοῦ φύσις, ἡ τῷ μόνῳ παντοκράτορι προσεχεστάτη, i. e. *Perfectiſſima autem & ſanctiſſima, maximèque principalis, & quæ maximè imperat, & eſt maximè regia, & longè beneficentiſſima eſt natura Filii; quæ eſt ſoli omnipotenti conjunctiſſima.* Ita enim προσεχεστάτη vertendum cenſeo; quô ſenſu à Philoſophis προσεχῆ dicuntur *proxima* & conjuncta cum re & cauſa immediata. Ad locum autem Petavius hæc notat: *Naturam ait Filii omnipotenti Deo citimam eſſe; quod Platonici & Ariani dogmatis indolem ſapit. Atqui non eſt proxima natura, ſed eadem cum Patre Filii.* Et hunc locum à Petavio citàtum reſpexiſſe credo Huetium, cùm pronuntiavit, *ſubſtantiam Filii à Clemente ſtatui paternâ inferiorem.* Sed facilis eſt reſponſio: Divina Filii natura à Clemente hîc non abſolutè ſpectatur, ſed relatè, ſive perſonaliter,

p. 711.

De Trin. l. 1, c. 4, n. 1, p. 702.

* Hæc potiùs ita vertenda puto: *cujus gloria ſunt ſæcula* i. e. Spiritus cœleſtes ſive Angeli. De qua τῶν αἰώνων ſignificatione vide quæ notavi ad Irenæum pag. 9. num. 2.

ut loquuntur, quatenus Filii ὑπόϛασιν conſtituit. Scil. vox φύσις nonnunquam à Veteribus, ut & vox ὐσία, pro perſona uſurpatur. Vide hujus Sectionis cap. 9, n. 11, ut nihil aliud voluiſſe Clemens cenſendus ſit, quàm Filium eſſe Patri ſuo conjunctiſſimum. Quid, quæſo, in hôc mali? Certè Gregorius Nyſſenus in Epiſtola ad Ablabium ſine reprehenſione dixit, Filium τὸ πρόσεχῶς ὲκ τοῦ πρώτου, i. e. *id quod proximè, continenter*, ſive *immediatè eſt ex primo*, hoc eſt Deo Patre. Quod ſi intelligas à Clemente hôc in locô primas Patri, Filio ſecundas tribui; quid etiam hîc novi? Sane ὑποχὴ quandam Patri, quatenus ipſe eſt fons Deitatis, & principium Filii, competere, Scripturæ paſſim teſtantur, & fatentur Patres Ante-Nicæni, Nicæni, & qui poſt Conc. Nicæn. ſcripſere, uno ore omnes: quod poſtea ſuô locô demonſtrabimus, Cæterùm Clementem nequaquam voluiſſe, ſubſtantiam Filii paternâ inferiorem eſſe, certum eſt. Huic commento reclamant tot loca à nobis ſuperiùs allata, in quibus ille (ſi quiſquam alius Veterum) Filii τὸ ὁμοούσιον & veram Divinitatem apertiſſimè agnoſcit: reclamat etiam hujus ipſius loci contextus. Nam in verbis ἀμέσως ſequentibus Clemens perquam honorificè (ipſo Petavio notante) de Filio Dei loquitur, ipſi hæc primaria divina attributa, nempe indiviſibilitatem, immutabilitatem, æternitatem, omniſcientiam, omnipræſentiam tribuens. Præ cæteris verò notandum, quod ibidem Filius à Clemente dicitur ὅλος νὸς, ὅλον φῶς πατρῷον *totus mens, totus lumen paternum*: quæ ſane verba communem Patris & Filii naturam perſpicuè declarant.

Gregorii Nyſſ. Oper. Tom. 2. p. 459.

§. 7. Objicit præterea Petavius verba hæc Clementis, quæ in eodem libro, paucis interjectis, habentur: ὅθ ὑφ' ἑτέρου κωλυθείη ποτ' ἂν ὁ πάντων Κύριος, ϗ μάλιϛα ὀρθοπρεπῶς τοῦ ἀγαθοῦ ϗ παντοκράτορος θελήμαϛι πατρός. i. e. *Neque ab alio prohibitus unquam fuerit, qui eſt omnium Dominus; maximè cùm boni & omnipotentis Patris voluntati ſervit.* Sed quas hîc in ſudo tenebras fecit Vir doctiſſimus? Lege, quiſquis veritatem amas, antecedentia apud Clementem & conſequentia, & miraberis, nullus dubito, quid hîc Petavio in mentem venerit. Ibidem totus in eo eſt Clemens, ut oſtendat, Chriſtum communem eſſe Servatorem, atque omnium hominum ſalutem, quantum in ſe eſt, (ſalvâ ſemper humani arbitrii libertate,) promovere. Ait autem, Chriſtum in ſalute hominum procurandâ nullam creaturam impedire poſſe; (cum is ſit omnium Dominus;) Patrem verò (qui eſt itidem unâ cum Filio Dominus omnium,) impedire nolle; ſiquidem in hoc opere Paternam Filius implet voluntatem. Hoc idem Clemens dicit (ipſo Petaviô dictum approbante, Pædagog. lib. 1. cap. 8, dum Filium appellat τὸν τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας συναγωνιϛὴν γνήσιον, *Dei in homines benevolentiæ ſincerum adjutorem.* Denique objicit Petavius locum Clementis Strom. 4, p. 537. ὁ μὲν Θεὸς ἀναπόδειϰϖ ὤν, ὅτι ἐϛιν ἐπιϛημονιϰός· ὁ δὲ υἱὸς σοφία τε ὄξι, ἐπιϛήμη, ϗ ἀλήθεια, ϗ ὅσα ἄλλα τούτῳ συζυγῆ, ϗ ὂν ϗ ἀπόδειξιν ἔχει ϗ διέξοδον. i. e. *Deus quidem ſub demonſtrationem non cadit, adeoque neque ſub ſcientiam: Filius verò ſapientia eſt, & ſcientia, & veritas, & quæcunque cognata ſunt iſtis: proinde demonſtrationem habet & enarrationem.* Sed manifeſtum eſt, Clementem his verbis nihil aliud voluiſſe, quàm Deum Patrem immediatè & per ſe à nemine cognoſci, aut ſciri poſſe; ſed per Filium revelari, qui, ut λόγος Dei caro factus, & ſe & Patrem ſuum hominibus, pro captu ipſorum, declaravit. Jam ſi hoc ſit Arianiſmus, quàm vereor, ne ipſe tandem Joannes Apoſtolus Arianus audiat, qui in Evangelii ſui cap. 1, v. 18, ſic ſcripſerit: *Deum nemo vidit unquam: Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe declaravit eum.* Quid? quod Clemens ibidem verbis ἀμέσως ſequentibus uno quaſi ictu omnes Arii prorſus jugulat blaſphemias, dum Filium Dei docet eſſe infinitum circulum, omnes virtutes ac poteſtates Divinitatis in ſe uno complectentem, immenſum, ac denique æternum, qui exiſtendi neque initium neque finem habeat. Locum infrà ad Sectionem tertiam recitabimus. Vides, quàm frivola ſint, quæ Clementi noſtro à Petavio objiciuntur.

p. 114.

pag. 703.

§. 8. Ab aliis id etiam in Clemente reprehenditur, quòd Filium Dei alicubi dixerit πρωτόϰτιϛον σοφίαν, *primò creatam Sapientiam.* Strom. 5, p. 591. * Sed fruſtra prorſus & illi ſunt. Nam conſtat, vocem ϰτιϛὸς in eo Clementis loco idem ſignificare quod γενητὸς· quemadmodum etiam latinè *creare* dicitur pro *gignere*, ut *Sulmone creatos*, id eſt, *progenitos.* Sane Clementem non exiſtimâſſe, Filium Dei eſſe creaturam, ex iis quæ ſuprà ex ipſo attulimus, meridianâ luce clarius eſt. Subjungam hîc verba præſtantiſſimi Viri, Henrici Valeſii: *Certè*

* Reſpexit nimirum locum Proverb. VIII. ubi Sapientia ait: Κύριος ἔϰτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα αὐτοῦ, prout hæc verba citat, & de λόγῳ ſeu Filio DEI explicat, ipſe Clemens in Protreptico p. 52. B. C.

In notis ad Euseb. pag. 8. *Certè veteres Theologi*, inquit, *ac præcipuè ii, qui ante Concilii Nicæni tempora scripserunt, per vocabulum* κτίζειν *non solùm creationem intellexerunt quæ ex nihilo fit, sed omnem generaliter productionem, tam quæ ab æterno esset, quàm illam quæ in tempore.* Ad eundem modum omnino exponendus est locus, quem ex Petri Apocryphis citat Clemens Strom. 6. p. 644. εἷς γὰρ ταῦτ ἔστιν ὁ Θεὸς, ὃς ἀρχὴν τῶν ἁπάντων ἐποίησεν, μηνύων τὸ πρωτόγονον υἱόν. i. e. *Unus enim est revera Deus, qui fecit principium universorum, significans primogenitum Filium.* Scilicet Græcis itidem usurpatum est (quos & nos Angli imitamur,) ποιεῖν τέκνα, *facere liberos*, pro *liberos generare*: & ita seipsum interpretatur Auctor ejus dicti, continuò subjungens: μηνύων τὸ πρωτόγονον υἱὸν, *significans primogenitum Filium.*

§. 9. Denique Sandius * Clementi opus exprobrat, quod extabat olim, hôc verò tempore intercidit, *Hypotyposeon*; in quibus, testatur Photius Cod. 109, Arianæ perfidiæ semina fuisse plurima, imprimis quòd Filium inter creaturas numeraverit. Sed hæc nauci sunt, neque hominem decent, qui ipsum nobis veteris Historiæ Ecclesiasticæ nucleum pollicitus est. Quippe agnoscunt hodie eruditi, (inter quos & ipse Petavius,) blasphema ista Clementis minimè germana fuisse; sed ipsi ab impostore aliquo afficta. Quod eorum judicium ex ipso Photio abunde confirmatur. Nam testatur ibidem Photius, in libris istis Hypotyposeon doceri, materiam æternam esse; ideas veluti certis decretis induci; animas à corporibus in corpora migrare; multos ante Adamum mundos extitisse; Evam ex Adamo, non ut sacri libri tradunt, sed obscœnô quodam more eductam fuisse; Angelos cum fœminis congressos, liberos inde sustulisse; duo adhæc Patris Verba esse, quorum minus mortalibus sit visum, imò ne hoc quidem: quæ omnia quantum distent à Clementis doctrina, in genuinis & indubitatis ipsius Scriptis traditâ, non opus est ut dicamus. Ad hæc, idem Photius (qui alioqui de Clemente, utpote Origenis Magistro, pessima quæque facilè suspicabatur,) non obscurè indicat, se neutiquam existimâsse, ista Clementis revera esse, dum mox subjicit: ἀλλὰ ἢ μυρία βλασφημεῖ καὶ φλυαρεῖ, εἴτε αὐτὸς, εἴτέ τις ἕτερος τὸ αὐτοῦ πρόσωπον ὑποκριθείς· i. e. *Alia quoque id genus sexcenta blasphemâ voce nugatur, sive ipse, sive quis alius, ejus personam indutus.* Denique ipse ille Photius Cod. 110. de Clementis Pædagogi libris tribus agens, & de Protreptico ad Gentes, quæ Scripta Clementis genuina esse omnes fatentur, observat, has Elucubrationes libris Hypotyposeon, sive doctrinam, sive dictionem spectes, longè absimiles esse. Verba ejus sunt: οὐδὲν ἢ ὅμοιον ἔχουσι πρὸς τὰς ὑποτυπώσεις ἕτοι οἱ λόγοι. οὔτε γὰρ μαλαιῶν καὶ βλασφήμων ἀπηλλαγμένοι δοξῶν καθεστήκασι, καὶ ἡ φράσις ἀνθηρὰ, καὶ εἰς ὄγκον ἠρμένη σύμμετρον μετὰ τῆς ἡδέως, καὶ ἡ πολυμάθεια ἐμπεφόρτισται· i. e. *Nihil autem simile habent hi sermones cum Hypotyposibus, quando & stolidis illis ac blasphemis opinionibus omnino vacant, & dictio ipsa in his floridior ad temperatam gravitatem non sine jucunditate assurgit, & multiplex eruditio, [Clementi] conveniens, in iis conspiciatur.* Equidem ego nullus dubito, quin Ruffinus hos imprimis Hypotyposeon libros (fortè & octavum Stromateon librum depravatum, qualis suâ ætate apparebat in quibusdam exemplaribus; cujus etiam Photius meminit in citato Codice 110) respiciens, eosque cum aliis omnibus Clementis libris indubitatis, in quibus ille Catholicam de SS. Trinitate sententiam constanter defendit, componens, hæc de Clemente verba (quæ jam superiùs ex parte recitavi) protulerit: *Clemens quoque Alexandrinus Presbyter, & Magister Ecclesiæ illius, in omnibus penè libris suis Trinitatis gloriam atque æternitatem unam eandemque designat: & interdum invenimus aliqua in libris ejus capitula, in quibus Filium Dei creaturam dicit. Nunquid credibile est de tanto Viro, tam in omnibus Catholico, tam erudito, ut vel sibi contraria senserit, vel ea, quæ de Deo non dicam credere, sed vel audire quidem impium est, scripta reliquerit?* Ac de S. Clemente Alexandrino hactenus. Ruffinus de adult. lib. Origen.

* Sandius de Script. Eccles. pag. 24. & Enucl. Hist. Eccles. lib. 1. pag. 94.

ANNOT.

ANNOTATA

Ad CAP. VI. §. 2. ſeqq.

De CLEMENTE ALEXANDRINO.

CItatis Clementis Alexandrini pro ὁμοουσίῳ Filii teſtimoniis ſequentia addere placet, à Reverendo Auctore noſtro brevitatis ergo, uti videtur, omiſſa. In Protreptico pag. 5. D. hæc leguntur: Νῦν δὴ ἐπεφάνη ἀνθρώποις αὐλὸς εἷς ὁ Λόγος, ὁ μόνος ἄμφω, Θεὸς καὶ ἄνθρωπος, ἁπάντων ἡμῖν ἄιτιος ἀγαθῶν. *Nunc autem apparuit hominibus hic ipſe Logos* (Verbum,) *qui ſolus eſt ambo, DEUS & homo, omnium nobis Auctor bonorum.* Sequenti pag. 8. C. ὁ μὲν Ιωάννης ὁ κῆρυξ τοῦ Λόγου ταύτῃ πῃ παρεκάλει ἑτοίμους γίνεσθαι εἰς Θεοῦ τοῦ Χριστοῦ παρουσίαν. *Joannes quidem præco Verbi eâ ratione adhortabatur paratos eſſe ad DEI Chriſti adventum.* In Pædagogi lib. 1. c. 2. p. 80. A. Chriſtus Pædagogus fidelium dicitur Θεὸς ἐν ἀνθρώπου σχήματι, ἄχραντος, πατρικῷ θελήματι ἁγίου, λόγος, Θεὸς ὁ ἐν τῷ πατρὶ, ὁ ἐκ δεξιῶν τοῦ παιδὸς, σὺν καὶ τῷ σχήματι Θεός. *DEUS in figura hominis, impollutus, paternæ voluntatis miniſter, Verbum DEUS qui eſt in Patre, qui eſt à dextris Patris, & cum forma* (viſibili) *DEUS.* Eſt DEUS, perinde ut Pater, licet dicatur miniſter Patris, quem ordine ſequitur; ſicuti Diaconus eſt miniſter Sacerdotis, & tamen verè eſt homo atque Clericus, perinde ut Sacerdos. Ejuſdem libri cap. 3. his incipit verbis: πάντα ὑπνοῖσιν ὁ Κύριος καὶ πάντα ὠφελεῖ, καὶ ὡς ἄνθρωπος, καὶ ὡς Θεός· τὰ μὲν ἁμαρτήματα ὡς Θεὸς ἀφιείς· εἰς δὲ τὸ μὴ ἁμαρτάνειν παιδαγωγῶν ὡς ἄνθρωπος. *In omnibus prodeſt & in omnibus juvat Dominus, & tanquam homo, & tanquam DEUS: peccata quidem remittens ut DEUS; ne peccemus autem, Pædagogi ritu inſtituens ut homo.* Lib. II. Pædagogi cap. 3. p. 161. D. ἐφάτε, ὁ Κύριος τρυβλίῳ ἐπώψατο ἐυτελεῖ, καὶ κατέκλινεν τοὺς μαθητὰς ἐπὶ τὴν πόας χαμαὶ, καὶ τοὺς πόδας ἔνιπλεν αὐτῶν σαβάνῳ περιζωσάμενος ὁ ἄπτος Θεὸς καὶ Κύριος τῶν ὅλων. *Videte: Chriſtus in vili catino cibum ſumpſit, & fecit diſcipulos ſuper herbam accumbere, & pedes eorum lavit linteô accinctus, à faſtu alienus DEUS & Dominus omnium.* Porro Lib. VI. Strom. pag. 684. A. Chriſtum appellat Θεὸν ἐν σαρκὶ, *DEUM in carne*; & ſæpiùs in Stromatibus eum vocat Σωτῆρα Θεὸν, *Servatorem DEUM*, reſpiciens verba Davidis Pſalm. XXIII. 5. ἕτος λήψεται εὐλογίαν παρὰ Κυρίου, καὶ ἐλεημοσύνην παρὰ Θεοῦ σωτῆρος αὐτοῦ· quibus Lib. VII. Strom. pag. 733. citatis, hæc ſua ſubjungit: Κατὰ παράδοσιν, ὡς ἔοικεν, ἡμῖν Θεὸν εἶναι τὸν σωτῆρα ἀπέδειξεν ὁ Δαβίδ. *In tranſitu, ut videtur, nobis oſtendit David, Salvatorem eſſe DEUM.* Ecce quàm ſæpe Clemens Chriſtum DEI titulô ornaverit, quod non feciſſet, niſi ipſum verum DEUM de vero DEO cum Nicænis Patribus credidiſſet.

§. 2. Neq; eſt ut quis excipiat, Clementem l. III. Strom. p. 460. C. diſtinguere inter Θεὸν ἁπλῶς dictum, & τῇ ἄρθρου προλάξει, ita nempe ut ὁ Θεὸς appelletur, ac quòd poſteriori modô ὁ παντοκράτωρ, *omnipotens* ſive ſummus DEUS indicetur, ibidem docere; in omnibus verò textibus modò citatis Chriſtum Θεὸν ſine præmiſſione articuli dici. Ecce enim alia Clementis loca, ubi ὁ Θεὸς audit. Lib. I. Pædagogi c. 5. p. 29. A. legimus τὸν Θεὸν τὸν Λόγον, τὸν δι' ἡμᾶς ἄνθρωπον γενόμενον. Et ſequenti cap. 7. p. 110. C. D. ὁ Θεὸς Κύριος, & ὁ Θεὸς λόγος. Similiter Lib. II. Pæd. cap. 8. p. 182. C. bis Chriſtum vocat, τὸν Θεὸν, τὸν φιλάνθρωπον Θεόν. Deniq; Lib. VII. Strom. p. 703. B. hæc habet verba, non modò ob appoſitum articulum, ſed & omniſcientiæ attributum Chriſto adſcriptum alioſq; titulos, notatu digna: Ἄγνοια οὐκ ἄπεστι τοῦ Θεοῦ, τοῦ πρὸ καταβολῆς κόσμου συμβούλου γενομένου τῷ παιδὶ. αὕτη γὰρ ἦν σοφία ἣ προσέχαιρεν ὁ παντοκράτωρ Θεός· δύναμις γὰρ τοῦ Θεοῦ ὁ υἱὸς, ἅτε πρὸ πάντων ὢν γενόμενον ἀρχικώτατος λόγος τοῦ παιδὸς, καὶ σοφία αὐτοῦ κυρίως κ. λ. *Ignorantia in DEUM non cadit, qui ante mundi conſtitutionem fuit Patris Conſiliarius. Hæc enim erat Sapientia, quâ DEUS omnipotens delectabatur: DEI enim virtus eſt Filius, utpote ante omnia quæ facta ſunt Verbum Patris maximè principale, & Sophia ejus propriè* &c. Confer de omniſcientia, quâ ipſa cordium intima perſcrutatur, & omnipotentia quoq; Filii DEI, praced. pag. 702. A. B. & ſeqv. 704. B. alia loca ut taceam.

CAP.

CAP. VII.

Tertulliani Sententia de Filii τῷ ὁμοουσίῳ, *cum Nicæna fide omnino conſpirans, explicatur.*

§. 1. AD Tertullianum devenimus. Is cum æternitatem Filii negâſſe quibuſdam viſus ſit; (qui ſcil. mentem Auctoris inveſtigare vel nequiverunt, vel non curârunt: nam & ſecundæ SS. Trinitatis perſonæ æternam exiſtentiam revera agnoviſſe Tertullianum, utcunque alicubi locutus ſit, infrà oſtendam;) conſtanter tamen, ubique, ac verbis diſertiſſimis Filii τὸ ὁμοούσιον confeſſus eſt. Unum ejus librum adverſus Praxeam legas, in quo de SS. Trinitate fusè & ex profeſſo agit; toties ibi ac tam apertè Filii aſſerit conſubſtantialitatem, ut Auctorem crederes poſt Nicæni Concilii tempora ſcripſiſſe. Nos tum ex eo libro, tum ex aliis Tertulliani Scriptis, loca quædam nobiliora Lectori exhibebimus. In Apologetici capite 21: *Hunc*, inquit, *ex Deo prolatum dicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei & Deum dictum, ex* UNITATE SUBSTANTIÆ: *nam & Deus Spiritus.* Ubi apertè Filium cum Patre unius eſſe ſubſtantiæ, hoc eſt, ipſi ὁμοούσιον, inde colligit, quòd is ex Patre generatus ſit. Quod idem vult, dum in libro adverſus Praxeam cap. 7. de Filio Dei ſic ſcribit: " Primogenitus eſt, ut ante omnia ge" nitus; & unigenitus, ut ſolus ex Deo ge" nitus, propriè de vulva cordis ipſius.

§. 2. Verùm ſimilia expendamus, quibus Tertullianus Filii generationem quadantenus explicare conatus eſt; ea τὸ ὁμοούσιον manifeſtè comprobant. In Apologetico poſt verba jam recitata & hæc ſequuntur: " Etiam " cùm radius ex Sole porrigitur, portio ex " ſumma; ſed Sol erit in radio, quia Solis " eſt radius, nec ſeparatur ſubſtantia, ſed " extenditur. Ita de Spiritu Spiritus, & " DE DEO DEUS. UT LUMEN DE " LUMINE accenſum, manet integra & " indefecta materiæ matrix, etſi plures inde " traduces qualitates mutueris: ita & quod " de Deo profectum eſt, Deus eſt & Dei Fi" lius, & unus ambo: ita de Spiritu Spiri" tus, & DE DEO DEUS modulô al" ternum numerum gradu, non ſtatu fe" cit, & à matrice non receſſit, ſed exceſſit." Ubi habes ipſa verba Nic. Symb. & ſenſum quoq; planè eundem. Illuſtris verò eſt locus lib. adv. Prax. cap. 8: " Hæc erit, *inquit*, pro" bola veritatis, cuſtos veritatis, quâ prola" tum dicimus Filium à Patre, non ſepara" tum. Protulit enim Deus ſermonem, ſicut " radix fruticem, & fons fluvium, & Sol ra" dium. Nam & iſtæ ſpecies probolæ ſunt " EARUM SUBSTANTIARUM, ex qui" bus prodeunt." Huic geminus eſt locus alter ejuſdem libri cap. 13: " Apoſtolum, " *inquit*, ſequor, ut ſi pariter nominandi " fuerint Pater & Filius, Deum Patrem ap" pellem, & Jeſum Chriſtum Dominum no" minem. Solum autem Chriſtum potero " Deum dicere, ſicut idem Apoſtolus: Ex Rom. 9. " quibus Chriſtus, qui eſt, inquit, Deus " ſuper omnia benedictus in ævum omne. " Nam & radium Solis ſeorſum Solem vo" cabo; Solem autem nominans cujus eſt " radius, non ſtatim & radium Solem ap" pellabo. Nam etſi Soles duos faciam, ta" men & Solem & radium ejus tam duas res, " & duas ſpecies UNIUS ET INDIVI" SÆ SUBSTANTIÆ numerabo, quàm " Deum & Sermonem ejus, quàm Patrem " & Filium." In quibus verbis Chriſtum Deum ſuper omnia benedictum in ævum omne ab Apoſtolo dictum affirmat, ac Patrem & Filium eſſe unius & indiviſæ ſubſtantiæ diſertè docet. Sic & in 3. lib. cont. Marcion. cap. 6. expreſsè dicit, " Chriſtum & Spiri" tum & SUBSTANTIAM eſſe Creato" ris, & eos qui Patrem non agnoverint, " nec Filium cognoſcere potuiſſe, per " EJUSDEM SUBSTANTIÆ condirio" nem." Quæ quidem conſtans fuit Tertulliani doctrina, ut ipſe teſtatur in libro

cont. Prax. cap. 4: " Filium, *inquit*, non a-
" liunde deduco quàm de SUBSTANTIA
" PATRIS. Sic & ejusdem libri cap. 12.
" Cæterum, *inquit*, ubique teneo unam sub-
" stantiam in tribus cohærentibus.

§. 3. Hinc idem Tertullianus in libro de Carne Christi, duplicem in Christo naturam distinguens, divinam & humanam, contra eos qui carnis Christi veritatem negabant, disertè docet, eundem Christum tum respectu excellentioris naturæ verè Deum esse & ex Dei substantia, tum alterius naturæ respectu pariter verè hominem esse, & substantiam humanam verè assumpsisse: atque in illa natura non natum, hoc est increatum, sive non factum; in hac natum & factum esse prædicat. En verba ejus diserta dicti libri cap. 5. " Itaque, *inquit*, utriusque substantiæ cen-
" sus hominem & Deum exhibuit: hinc
" natum, inde non natum; hinc carneum,
" inde spiritalem; hinc infirmum, inde præ-
" fortem; hinc morientem, inde viventem.
" Quæ proprietas conditionum, divinæ & hu-
" manæ, æquâ utique naturæ veritate cujus-
" que dispuncta est, eâdem fide Spiritûs &
" carnis." Ubi quidam è nostratibus perperam omnino *non natum* ita interpretatur, *hoc est, ex homine matre:* nam pari ratione Christus etiam quà homo dici poterit *non natus*, nempe ex homine patre. Ego autem planè persuasum habeo Tertullianum (qui ex Græcis Ecclesiæ Scriptoribus multùm profecit,) hîc respexisse, & magna ex parte transcripsisse celebrem Ignatii locum, quem ex Epistola ad Ephesios suprà adduximus: ἷς ἰατρός ἐστι, κ. λ. Nam pro eo quod Ignatius ibi habet, γεννητὸς & ἀγέννητος, Tertullianus reddit, *natus & non natus*; quod Ignatius σαρκικὸς & πνευματικὸς, id Tertullianus, *hinc carneus, inde spiritalis*; quod Ignatius ἐν σαρκὶ, sive ἐν ἀνθρώπῳ Θεὸς, id Tertullianus dicit, *& Deus, & homo*; denique quod Ignatius ἐν θανάτῳ ζωὴ, idem Tertullianus, *hinc moriens, inde vivens:* ut Græcum Ignatii textum penè ad verbum Latinè vertisse videatur Tertullianus. Ac sane non suis hîc usum fuisse verbis Tertullianum, sed alienis, nempe Ignatii, non uno argumento inducor ut credam. Primò, permirum meritò videretur, si Tertullianus, in tot ipsissima Ignatii verba, idque prout ab ipso continuâ antithesi dispositа fuerunt, casu incidisset. Deinde Tertullianus, cùm suô loquendi modô utitur, constanter solùm Patrem *non natum* prædicat, intelligens id solùm propriè non natum dici, quod à nullo ortum sit principio. Sed nimirum ἀγέννητος Ignatii ad verbum reddendum erat, *non natus:* & vidit Tertullianus ex antithesi, nihil aliud voluisse Ignatium, quàm Christum, quà Deus est, increatum esse; quod & ipse agnovit. Quibus illud etiam adjiciendum, illam Ignatii sententiam in Epistola ad Ephesios videri pro egregio dicto habitam fuisse, & magni usûs adversus Hæreticos, qui de Christi persona blasphema docuerunt, adeoque apud Ecclesiæ Doctores valde celebrem fuisse. Unde ipsam & Athanasius, & Gelasius, & Theodoretus usurpârunt. Atque hinc (ut obiter id notem) clariùs refellitur Dallæi Sophisma contra Epistolas Ignatii à Tertulliani silentio ductum: *Tertullianus*, inquit, *fuisse præcoquos & abortivos Marcionitas notat, qui Christum phantasma dicerent; idque probat ex Joanne Apostolo. At Ignatius eorum doctrinam perstringit: eum igitur Joanni testem addidisset Tertullianus, si hominem nôsset.* Respondet Reverendus admodum atque eruditissimus Præsul, Pearsonus noster, Tertullianum in Scriptis suis, quæ extant, *nullam unquam sententiam ex ullo Scriptore Ecclesiastico totidem verbis nomine citatô excerpsisse*; quod sane verissimum esse puto. Nos illud addimus, Tertullianum nihilominus in loco citato Ignatii sensus, & maximam partem ipsa verba, celatô nomine, usurpâsse; idque contra eos, qui Christum Phantasma dicerent, quos & Ignatius impugnavit. Judicent eruditi. Ego è diverticulo in viam redeo.

Vind. Epist. Ignat. part. 1, c. 10. p. 102.

Vide hujus Sect. cap. 2. n. 6.

§. 4. His consentaneum est, quòd Tertullianus Filium, quà Deus est, Deo Patri ἰσότιμον & æqualem esse, non uno in loco apertè pronuntiet. Mox ipsum audiemus affirmantem, omnes tres personas Divinitatis, Patrem, Filium, & Spiritum S. esse ut unius substantiæ, ita & UNIUS STATUS ET UNIUS POTESTATIS. Ad Filium verò quod attinet, in Lib. adverss. Prax. cap. 17. fatetur, omnia Patris nomina & attributa in Filium etiam competere, quatenus is Dei Filius est. Verba sunt: *Nomen Patris, Deus omnipotens, altissimus, Dominus Virtutum, Rex Israelis, Qui est, quatenus ita Scripturæ docent. Hæc dicimus & in Filium competisse, & in his Filium venisse, & in his semper egisse, & sic ea in se hominibus manifestâsse. Omnia, inquit, Patris mea sunt. Cur non & nomina? Cùm ergo legis Deum omnipotentem, & altissimum, & Deum Virtutum, & Regem Israelis, & Qui est, vide ne per hæc Filius etiam demonstretur*; SUO JURE *Deus omnipotens, quà Sermo Dei omnipotentis.* Disertior est locus contra Marcion. lib. 4. cap. 25. *Omnia sibi tradita dicit à Patre. Credas, si Creatoris est Christus, cujus omnia, quia*

quia NON MINORI *ſe tradidit omnia* FILIO *Creator, quæ per eum condidit, per Sermonem ſcilicet ſuum.* His addas verba Tertulliani expreſſa in libro de Reſurrectione Carnis cap. 6 : *Et Sermo enim Deus, qui in effigie Dei conſtitutus, non rapinam exiſtimavit* PARIARI *Deo.* Et illa lib. adverſ. Prax. cap. 7 : *Exinde* PAREM *ſibi faciens, de quo procedendo Filius factus eſt.* Quin & iſta ejuſdem Tertulliani, ejuſdemque libri cap. 22 : *Unum ſumus, dicens, ego & Pater, oſtendit duos eſſe, quos* ÆQUAT *& jungit.*

§. 5. Atque ex his exponi debent dicta illa Tertulliani, in Scriptis ipſius occurrentia, in quibus ait Filium ita ſe ad Patrem habere, ut *portio* ſe habet ad *ſummam*, ſive totum, ex quo deſumitur, ac velut decerpitur. Scilicet iſtiuſmodi ſimilia non ad vivum reſecanda, ſed candidè, ex æquo & bono, attendendo nimirum ad mentem ac ſententiam Auctoris, alibi clariùs & verbis propriis explicatam, accipienda ſunt. In quibuſdam tenet ſimilitudo ; in quibuſdam verò diſconveniens eſt. In his quadrat 1. Quòd ut portio non ſola & per ſe totum conſtituit, ſic & Filius non eſt omne id quod eſt Deus ; ſed præter Filium, & aliæ ὑποστάσεις, nempe Pater & Spiritus S. in divina eſſentia ſubſiſtunt. 2. Quòd ut portio ex ſumma ſive toto deſumitur, & totum eſt naturâ prius ſuis portionibus ſive partibus ; ſic & Filius ex Patris ſubſtantia derivatur, & Pater, quà Pater, eſt Filio quaſi naturâ prior. Deficit verò ſimilitudo in his : 1. Per portionem intelligimus id quod à toto dividitur & ſeparatur ; at Filius à Patre indiviſus eſt, & ſemper fuit. Quod Tertullianus ubique & conſtanter affirmat. Sic in loco ſuperius adducto ex lib. adv. Prax. cap. 8 : *Prolatum dicimus Filium à Patre, ſed non ſeparatum.* Et cap. 9. *Hanc me regulam profeſſum, quâ inſeparatos ab alterutro Patrem & Filium & Spiritum teſtor, tene ubique.* Et cap. 19. *Oſtendimus etiam duos Deos in Scriptura relatos & duos Dominos : & tamen ne de iſto ſcandalizetur, rationem reddimus. Quà Dei, non duo dicuntur, nec Domini, ſed quà Pater & Filius, duo: & hoc non ex ſeparatione ſubſtantiæ, ſed ex diſpoſitione, quùm individuum & inſeparatum Filium à Patre pronuntiamus.* 2. Portio eſt minor totô, ex quo deſumitur ; at Filius per omnia (demptô quòd Filius ſit) Patri par & æqualis, & omnia Patris habet & poſſidet. Quod etiam Tertullianus tot in locis modò à nobis adductis clarè docet. Quibus addas, quòd in Lib. 3. adverſ. Marcion. cap. 6. poſtquam dixerat Filium portionem eſſe ex plenitudine divinæ ſubſtantiæ, mox diſertè ſubjicit, portionem illam eſſe *plenitudinis conſortem.* Cùm verò Tertullianus (lib. cont. Prax. cap. 14.) Patrem & Filium inter ſe confert ſimilitudine à Sole, hoc eſt ipſa ſubſtantiæ ſumma, ut loquitur, quæ eſt in cœlis, & cujus nimius fulgor inaſpectabilis, & radiô ejus, cujus ſplendor pro temperatura portionis tolerabilis, deductâ ; id intelligendum (niſi Tertullianum craſſiſſimæ contradictionis reum peragere velis) de οἰκονομίᾳ illa *, quam Filius Dei, pro ſumma ſua erga humanum genus charitate, ſponte ſuſcepit ; quâ ſcil. à lapſu primi hominis ſe demiſit, & viris ſanctis, ſingulis ætatibus ſe utcunque conſpiciendum præbuit ; & in plenitudine temporum homo factus fuit, & cum hominibus familiariter verſatus. Imò hanc fuiſſe ipſiſſimàm mentem ac ſententiam Tertulliani & cæterorum Patrum, iis in locis, ubi probant, eum qui Patriarchis apparuit, non fuiſſe ipſum Deum Patrem, ſed Filium ejus, hâc ratione, quòd Pater inviſibilis ſit, neque loco includatur, Filius verò viſibilis ſit & in loco reperiatur, infrà ad Sectionem quartam evidentiſſimè oſtendam.

Vide & Sect. 4. c. 2. n. 5.

§. 6. Sed quid multis opus eſt ? Tertullianus paſſim integram Trinitatem ὁμοούσιον & ὁμότιμον apertè profitetur. Sic in Lib. adverſ. Prax. cap. 2. poſtquam regulam fidei recitaverat, hæc ſubjungit : *Sed ſalvâ iſtâ præſcriptione, ubique tamen propter inſtructionem & munitionem quorundam, dandus eſt etiam retractatibus locus ; vel ne videatur unaquæque perverſitas non examinata, ſed præjudicata damnari ; maximè hæc, quæ ſe exiſtimat meram veritatem poſſidere, dum unicum Deum non aliàs putat credendum, quàm ſi ipſum eundemque & Patrem & Filium & Spiritum S. dicat. Quaſi non ſic unus ſit omnia, dum ex uno omnia, per ſubſtantiæ ſcil. unitatem, & nihilominus cuſtodiatur* οἰκονομίας *ſacramentum, quæ unitatem in Trinitate diſpoſit, tres dirigens Patrem, Filium & Spiritum S. tres autem non ſtatu, ſed gradu ; nec ſubſtantiâ, ſed formâ ; nec poteſtate, ſed ſpecie ; UNIUS AUTEM SUBSTANTIÆ, ET UNIUS STATUS, ET UNIUS POTESTA-*

* Poterunt & iſta Tertulliani referri ad illam Filii συγκατάβασιν, quâ ab ipſa rerum creatione ſe demiſit & aptavit rebus creatis, de qua vide Sect. 3. c. 9. n. 10, 11.

STATIS; *quia unus Deus, ex quo & gradus isti, & formæ, & species, in nomine Patris & Filii & Spiritus S. deputantur.* Ubi, nî fallor, per *gradum* intelligi voluit ordinem illum, quô Pater à se existat, Filius à Patre immediatè prodeat, Spiritus verò S. à Patre per Filium procedat: adeoque Pater prima, Filius secunda, Spiritus S. tertia Divinitatis persona meritò dicatur. Per *formas* autem & *species* significare voluisse videtur diversos τρόπους ὑπάρξεως, quibus Pater, Filius, & Spiritus S. in eadem divina natura subsistunt. Utcunque verò illud sit, manifestum est, in his verbis omnes tres personas Deitatis & ὁμοουσίους & ὁμοτίμους statui. Huic autem adjungendus est locus alter ejusdem Libri cap. 13. *Duos quidem*, inquit, *definimus Patrem & Filium, etiam tres cum Spiritu S. secundùm rationem Oeconomiæ, quæ facit numerum, ne (ut vestra perversitas infert) Pater ipse credatur natus & passus, quod non licet credi, quoniam non est traditum. Duos tamen Deos & duos Dominos nunquam ex ore nostro proferimus: non quasi non & Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus S. Deus, & Deus unusquisque; sed quoniam retrò & duo Dei & duo Domini prædicabantur, ut ubi venisset Christus, & Deus agnosceretur, & Dominus vocaretur, quia Filius Dei Domini.* Ubi obiter animadvertas, Tertullianum etiam Spiritum S. perinde ac Patrem & Filium, Deum disertè pronuntiare. Quod contra Erasmum noto temerè affirmantem*, aliquandiu, nempe usque ad Hilarii tempora, Veteres non ausos fuisse Spiritum S. Deum nominare. Poteram, si id nunc ageretur, istud Erasmi pronuntiatum prolixè refutare. Sed consulas, si lubet, Petavium de Trinit. lib. 3. cap. 7. §. 1. & seqq. Ego ad propositum redeo, istis quæ jam adducta sunt, unicum præterea Tertulliani locum adjiciens, quem legere est in libro de Pudicitia cap. 21. Ubi disertè agnoscit Tertullianus *Trinitatem* UNIUS DIVINITATIS, *Patrem, Filium & Spiritum sanctum.*

§. 7. Priusquam autem à Tertulliano ad alios Scriptores Ecclesiasticos transeamus, detinendus paulisper Lector, dum mirum quoddam Sandii commentum refellimus. Is ait manifestum esse, Tertullianum idem quod Arius de Patre, Filio, & Spiritu S. sensisse, antequam in hæresin Montani lapsus esset. Deinde ex hac vanissima suppositione ita ratiocinatur: *Unde si quid in Scriptis ejus pro Homousio reperitur, Ariani potiori jure* (scil. quàm Catholici, qui ea utuntur ad retundenda minùs sana quædam ipsis visa Tertulliani de Filio Dei pronuntiata,) *objectione ista de Montanismo auctoritatem Tertulliani enervare possunt, quasi qui demum cum Montano Trinitatem ὁμοούσιον credere inceperit.* Sed in hôc falsi arguimus hominem nugacissimum his evidentissimis rationibus. Primò, constat Doctores Catholicos, qui Tertullianum adeoque Montanum antecesserunt, quorum Scripta ad nos devenere, omnes τὸ ὁμοούσιον Filii ut & Spiritûs S. agnovisse: constat illud, inquam, luculentissimis testimoniis, quæ ex iis sigillatim in superioribus adduximus. Tertullianus igitur ab Ecclesia primùm Catholica, cujus in communione aliquamdiu mansit, non à Montano demum, ad quem postea defecit, Trinitatem ὁμοούσιον edidicit. Deinde in libris omnibus Tertulliani, tum iis qui ante, tum qui post ejus ad Hæresin Montani defectionem scripti fuere, ea reperiuntur, quæ consubstantialis Trinitatis dogma apertissimè confirmant: quod nôrunt omnes, qui ejus Scripta evolverunt, & loca à nobis modò allata satis declarant. Porro ipse Tertullianus jam Montanista, quanquam ridiculè admodum glorietur quidem, se à Montani Spiritu certiorem de sanctæ Trinitatis mysterio, ut & de cæteris Christianæ religionis capitibus, ad regulam Fidei pertinentibus, factum fuisse, quàm priùs fuisset per Scripturæ literam & traditionem Ecclesiasticam; disertè tamen fatetur, eandem se Fidem ac sententiam de Patre, & Filio, ac Spiritu sancto semper tenuisse. Clara sunt ejus verba in libro adversus Prax. cap. 2. *Nos verò*, inquit, *& semper, & nunc magis, ut instructiores per Paracletum, deductorem scil. omnis veritatis, unicum quidem Deum credimus, sub hac tamen dispensatione, quam οἰκονομίαν dicimus, ut unici Dei sit & Filius Sermo ipsius, qui ex ipso processerit*, &c. Deinde recitatâ Fidei regulâ, in eâ Trinitatem ὁμοούσιον doceri affirmat. Per Paracletum autem significare Tertullianum Montani Paracletum, cujus ductui, desertâ Ecclesiâ, se jam dedisset, consentiunt docti, & res ipsa loquitur. Denique hîc, velim, recolat Lector, quæ de Montano suprà observavimus hujus Sectionis cap. 1. n. 15.

§. 8. Verùm agnosce, Lector, miram Sandii peritiam in Veterum Scriptis, quorum censuram profitetur. Ad probandam Hypothesin suam hôc utitur argumentô, quòd dogmata illa, quæ Arianismum sapiunt, maximè repe-

* Erasmus in præfatione ad Hilarium.

reperiantur in iis Tertulliani libris, *quos Hieronymus non recenſet inter eos, quos pro Montano ſcripſit, imò quos neceſſe eſt eum ſcripſiſſe, antequam in Montaniſmum inciderit, quales ſunt libri contra Praxeam & Hermogenem.* Sed primùm, in libro contra Praxeam τὸ ὁμοούσιον Filii, quod Arianæ hæreſi ſatis adverſum eſt, ſæpiſſimè atque apertiſſimè doceri, ſuprà oſtendimus *. Deinde adeo non neceſſe eſt, ut apertè falſum ſit, librum contra Praxeam à Tertulliano ſcriptum fuiſſe, antequam in Montaniſmum incidiſſet. Nam ipſe Tertullianus, idque in eo ipſo libro contra Praxeam, diſertè profitetur, ſe jam tum, cum adverſus Praxeam ſcriberet, à Pſychicis, quos vocat, hoc eſt Catholicis, diſjunctum, & Montani partibus addictum fuiſſe. Non longè enim à libri initio ſic ſcribit : " Nam idem (Praxeas) tunc Epiſcopum " Romanum agnoſcentem jam Prophetias " Montani, Priſcæ, Maximillæ, & ex ea a- " gnitione pacem Eccleſiis Aſiæ & Phrygiæ " inferentem, falſa de ipſis Prophetis & Ec- " cleſiis eorum adſeverando, & præceſſorum " ejus auctoritates defendendo, coegit & " literas pacis revocare jam emiſſas, & à " propoſito recipiendorum chariſmatum con- " ceſſare. Ita duo negotia Diaboli Praxeas " Romæ procuravit ; Prophetiam expulit, " & hæreſin intulit ; Paracletum fugavit, " & Patrem crucifixit. " Animadvertis, Tertullianum Praxeæ, ob id quòd Epiſcopo Romano auctor fuerit, ut Montanum cum ejus aſſeclis, & ipſorum Prophetias repudiaret, adeo infenſum fuiſſe, ut in hôc ipſum dicat Diaboli negotium procurâſſe. Erat igitur Tertullianus jam tum non modò Montaniſta, ſed in eâ ſectâ Zelotes. Ibidem autem paulò pòſt hæc legas : *Et nos quidem agnitio Paracleti atque defenſio disjunxit à Pſychicis.* Ad id verò, quòd Hieronymus librum contra Praxeam non recenſeat inter eos libros, quos pro Montano ſcripſit Tertullianus, reſpondeo : diſtinguendos eſſe omnino libros, quos Tertullianus jam Montaniſta pro Montano propriè contra Eccleſiam ſcripſit, ab iis libris, quos idem, dum Montaniſta fuit, non pro Montano contra Eccleſiam, ſed pro communi Eccleſiæ & Montani doctrina contra alios Hæreticos elucubravit. In priori cenſu ponit Hieronymus Libros *de Pudicitia, de Jejuniis, de Monogamia, de Ecſtaſi :* ad poſteriorem claſſem pertinere librum *adverſus Praxeam*, nos evidentiſſimè probavimus. Sed de Tertulliano in præſentiarum ſatis.

---

* Plurimis Tertulliani verbis, ex lib. contra Praxean hôc capite pro ὁμοουσίῳ Filii citatis, addo quæ de S. Trinitate protulit cap. 25. ejuſdem Tractatûs, notatu digniſſima : *Ita connexus Patris in Filio, & Filii in Paracleto, tres efficit cohærentes, alterum ex altero. Qui tres unum ſunt, non unus ; quomodo dictum eſt :* EGO ET PATER UNUM SUMUS ; *ad ſubſtantiæ unitatem, non ad numeri ſingularitatem.* Confer & illa, quæ ſequenti cap. VIII. §. 4. allegata ſunt.

CAP. VIII.

Confirmatur Nicæna fides, de Filii τῷ ὁμοουσίῳ, testimoniis Caii Presbyteri, & S. Hippolyti celeberrimi Episcopi & Martyris.

§. 1. AD Scriptores jam venio Eccleclesiasticos, qui Tertulliano ætate proximi fuerunt. Extabat Photii temporibus liber περὶ τοῦ παντὸς, *de Universo* inscriptus; quem alii perridiculè Josepho Judæo, alii Justino Martyri, nonnulli demum Irenæo, ut refert idem Photius, attribuerunt. Sed rectè illorum sententiam secutus est Photius, qui tradiderunt librum revera conscriptum fuisse à Caio Presbytero, eodem, qui Labyrinthum (celebrem librum) composuit, & Zephyrini Episcopi Romani temporibus maximè floruit; siquidem ipse Caius in extremo Labyrintho testatum reliquit, se esse libri de universi natura auctorem. Quàm autem per omnia Catholicè de vera Christi Divinitate scripserit Auctor ille, nos docet Photius his verbis: περὶ μέν τοι Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν ὡς ἔγγιστα θεολογεῖ· κλῆσίν τε αὐτῷ ἀναφθεγγόμενος Χριστοῦ, ἣν ἴδιον πατρὸς ἄφραστον γέννησιν ἀμέμπτως ἀναγράφων. i. e. *De Christi autem veri Dei nostri Divinitate aptissimè disserit, quando & ipsam Christi appellationem illi attribuit, & ineffabilem ex Patre generationem citra reprehensionem describit.* Certè de Servatoris nostri vera Divinitate, & ejus inenarrabili generatione, non aptissimè & citra reprehensionem disseruisset Caius, Photiô saltem judice & censore, si quicquam ipsi excidisset, quod pro Arianis faceret, aut Filii τῷ ὁμοουσίῳ vel in speciem repugnaret. Meritissimô igitur jure hunc Scriptorem inter Catholicæ Nicænæ fidei vindices ac patronos numeramus.

Photius in Bibliotheca Cod. 48.

§. 2. Caio Presbytero succenturiandus est S. Hippolytus Martyr & Episcopus Portuensis, (quod ab Anastasio Bibliothecario discimus,) qui floruit Alexandrô Mammeæ filiô imperante, hoc est circiter annum Christi 220. Is in opusculis contra Beronem & Helicen * apud Anastasium in Collectaneis, duplicem in Christo naturam accuratè discernit, & divinam eandem planè esse demonstrat, quæ est in Patre. Nam Christum dicit Θεὸν ἄτρεπτον ὁμοῦ, καὶ περίγραπτον ἄνθρωπον ὄντα τε καὶ νοούμενον, τὴν ἑκατέρου τελείως τελείαν ἔχοντα, i. e. *Deum infinitum simul, & circumscriptum hominem esse & intelligi, utriusque substantiam perfectam perfectè habentem.* Ejusdem est illustris hæc de Christi divina simul & humana natura confessio, quâ certe à nemine unquam, vel post Concilium Nicænum, expressior aut significantior edita fuit: † τὸ γὰρ θεῖον, ὡς ἦν πρὸ σαρκώσεως, ἔστι καὶ μετὰ σάρκωσιν καθ' ὑπόστασιν ἄτρεπτον, ἄληπτον, ἀπαθὲς, ἀναλλοίωτον, ἄτρεπτον, αὐτοδυνὲς, καὶ, τὸ πᾶν εἰπεῖν, ὑφεστὸς σωτῆρος, μόνον ἀτρεπτοδυνὲς ἀγαθὸν, i. e. *Divinitas, ut erat ante incarnationem, est & post incarnationem secundum naturam infinita, incomprehensibilis, impassibilis, inalterabilis, inconvertibilis, per se potens, & ut totum dicam, substantiale quid subsistens, quod solum infinitæ virtutis bonum sit.* Nec mirabitur quisquam hæc tam præclara & magnifica de Filio Dei protulisse Hippolytum, qui meminerit ipsum fuisse discipulum (ut veteres tradiderunt) Clementis Alexandrini; qui de Christo vero Deo ὡς ἔγλιστα θεολογεῖ, quemadmodum suprà ostendimus.

§. 3. Hæc autem cùm tam clara ac diserta sint, Sandius nullam aliam evadendi viam cernere potuit, quàm ut audacter, pro more scil. suo, pronuntiaret, *Opuscula de Theologia & Incarnatione contra Beronem & Helicen Serm. 1. apud Anastasium in Collect. non esse Hippolyti.* Sed videamus, quibus illerationibus suam hanc decretoriam sententiam, veteris & magni illius Bibliothecarii (in

Sandius de Script. Eccl. pag. 27.

* Hippolytus Sermone I. apud Anastas. in Collect. pag. 210. † Ibid. pag. 211.

(in MSS. antiquiorum Patrum codicibus, pro officio ſuo, verſatiſſimi) judicio oppoſitam tueatur. *Nec Euſebius*, inquit, *nec Hieronymus tractatûs ejuſmodi meminerunt.* Quaſi ſcilicet omnia omnium veterum Doctorum Scripta Euſebius & Hieronymus commemoraverint. Sed & Euſebius diſertè profitetur, ſe plenum operum Hippolyti catalogum neutiquam exhibuiſſe ; dum poſt recenſita quædam ejus Scripta, hæc ſubjungit : πλεῖστά τε ἄλλα ἃ παρὰ πολλοῖς εὕροις ἂν σωζόμενα. i. e. *Et alia plurima apud multos aſſervata licet reperire.* Euſebii autem Catalogo pauciſſima Hippolyti Scripta addidit Hieronymus. Sane haud minori veriſimilitudine contendere potuiſſet Sandius, Hippolytum nullius unquam Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe ; ſiquidem & Euſebius, & Hieronymus locum Epiſcopatûs ipſius prorſus ignorârunt, & ab Anaſtaſio demum illud didicimus. En & alteram ejus ratiunculam ! *Vel Sabellianum*, inquit, *vel Eutychianum eorum Excerptorum auctorem fuiſſe neceſſe eſt, ob hæc ejus verba:* ὅτ' αὐτόν ἐϛι τῷ πατρὶ, γνόμενος τ' αὐτὸν τῇ σαρκὶ ἀλλ' οὐ κένωσιν. *Utraque autem loquendi formula hæretica eſt Ignatio Epiſt. ad Trall. cum dicit hæreticos docere* τ' αὐτὸν εἶναι πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ πνεῦμα ἅγιον, & *poſt :* εἰ γὰρ τ' αὐτὸν Θεὸς καὶ ἄνθρωπος. *Si enim* τ' αὐτὸν *identitatem ſubſiſtentiæ denotare dicatur, manifeſtiſſimus eſt Sabellianiſmus ; ſin unitatem eſſentiæ & naturæ, apertiſſimus eſt Eutychianiſmus.* Quibus reſpondeo, τ' αὐτὸν in priori membro loci, unitatem eſſentiæ & naturæ omnino denotare, non ſubſiſtentiæ identitatem, quam ſolam impugnavit ſpurius ille Ignatius, quem citat Sandius. Neque hinc tamen concedendum, Eutychianiſmum confirmari in verbis illis τ' αὐτὸν τῇ σαρκί. Ut hominis intolerabilem ſive inſcitiam, ſive fraudulentiam clariùs perſpicias, en tibi, Lector, integrum Hippolyti locum : *Sermo ſive Filius Dei*, inquit, τροπὴν οὐκ ὑπέμεινεν, μηδ' ἐν παντελῶς, ὅ τ' αὐτόν ἐϛι τῷ πατρὶ, γενόμενος τ' αὐτὸν τῇ σαρκὶ ἀλλ' οὐ κένωσιν· ἀλλ' ὥσπερ ἰδίᾳ σαρκὸς, πάσης ἔξω περιγραφῆς μεμένηκε, i. e. *Mutationem non paſſus eſt, nec in ullo prorſus, in quo idem eſt cum Patre, factus eſt idem cum carne, propter exinanitionem ; ſed cujuſmodi erat abſque carne, ita manſit extra omnem circumſcriptionem.* Vides, Hippolytum hîc non affirmare, ſed expreſsè negare, Verbum ſive Filium Dei poſt incarnationem in ullo prorſus idem factum fuiſſe cum carne. Sane nihil contra Eutychis inſaniam expreſſius dici potuit. Sed adhuc inſtat Sandius : *Porro*, inquit, *auctorem Sabellianum fuiſſe, abunde liquet ex ejuſdem verbis apud Anaſtaſium, quibus Filio* ἀγεννησίαν *tribuit. Nam Ignatius d. l. ſcribit, Hæreticos (Simonianos Sabellii præcurſores) Chriſtum* ἀγέννητον *putare.* Scilicet ludit hic & ludificari voluit Lectorem ſuum Sophiſta craſsâ homonymiâ vocabuli ἀγεννησίας. Suprà oſtendi, voces ἀγέννητος & ἀγέννητος à Scriptoribus Eccleſiaſticis, præſertim qui Nicænâ Synodô anteriores fuerunt, promiſcuè uſurpari ; ita ut tam ἀγέννητον quàm ἀγένητον ſignificaret id quod increatum vel non factum ſit : quô ſenſu Filium ἀγέννητον expreſsè dixit verus Ignatius. Vide quæ ſuprà diſſeruimus hujus Sect. cap. 2. n. 6. Rectè itaque, licet barbarè, Anaſtaſius vocem ἀγεννησία ab Hippolyto uſurpatam vertit, *infactio.* Piget de tam obviis & notis toties Lectorem monuiſſe.

Vide Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 6. c. 22.

Anaſtaſ. in Collect. pag. 210.

§. 4. Specioſior eſt objectio eorum, qui probare conantur hæc Excerpta non eſſe Hippolyti, quòd in iis hæreſis Eutychetis, qui Hippolytô longè poſterior fuit, clarè refellatur. His ex Caniſio reſpondet Poſſevinus in Apparatu, errorem de permiſtione naturarum in Chriſto, contra quem diſputat Hippolytus, non cum Apollinari & Eutyche demum natum & introductum, ſed longè antiquiorem eſſe, cum illius Juſtinus Martyr meminerit in Expoſitione fidei. Falſi fortaſſe fuerunt Caniſius & Poſſevinus in eo, quòd expoſitionem fidei Juſtino Martyri tribuerint ; errorem tamen, de permixtione naturarum in Chriſto, Apollinari & Eutychete antiquiorem eſſe, quin & ab Eccleſiæ Doctoribus, qui Hippolytum anteceſſere, impugnatum fuiſſe, aliunde certiſſimè conſtat. Pluribus illud teſtimoniis probare potuiſſem. Sed unicô Tertulliani locô contentus ero. Ita igitur ille in libro ipſius indubitato contra Praxeam cap. 27. de Verbi incarnatione diſſerit : " De hoc quærendum, quomodo " Sermo caro ſit factus, utrumne quaſi tranſ- " figuratus in carne, an indutus carnem ? " Imò indutus. Cæterum Deum immuta- " bilem & informabilem credi neceſſe eſt, " ut æternum. Transfiguratio autem inter- " emptio eſt priſtini. Omne enim quod- " cunque transfiguratur in aliud, deſinit eſſe " quod fuerat, & incipit eſſe quod non erat. " Deus autem neque deſinit eſſe, neque a- " liud poteſt eſſe. Sermo autem, Deus ; " & Sermo Domini manet in ævum, perſe- " verando ſcilicet in ſua forma. Quem ſi " non capit transfigurari, conſequens eſt, ut " ſic caro factus intelligatur, dum ſit in car- " ne & manifeſtatur, & videtur, & contre- " ctatur per carnem : quia & cætera ſic ac-

" cipi

" cipi exigunt. Si enim Sermo ex transfigu-
" ratione & demutatione ſubſtantiæ caro
" factus eſt, una jam erit ſubſtantia Jeſus
" ex duabus, ex carne & Spiritu mixtura
" quædam, ut electrum ex auro & argento,
" & incipit nec aurum eſſe, id eſt, Spiritus,
" neque argentum, id eſt, caro, dum alte-
" rum altero mutatur, & tertium quid effi-
" citur. Neque ergo Deus erit Jeſus; Ser-
" mo enim deſiit eſſe, qui caro factus eſt:
" neque homo caro; caro enim non pro-
" priè eſt, quia Sermo fuit. Ita ex utroque
" neutrum eſt; aliud longè tertium eſt, quàm
" utrumque. Sed enim invenimus illum di-
" rectò & Deum & hominem expoſitum
" —— certè uſquequaque filium Dei &
" filium hominis, ſine dubio ſecundum u-
" tramque ſubſtantiam in ſua proprietate
" diſtantem; quia neque Sermo aliud quàm
" Deus, neque caro aliud quàm homo. Sic
" & Apoſtolus de utraque ejus ſubſtantia
" docet: Qui factus eſt, inquit, ex ſemine
" David; hic erit homo & filius hominis:
" qui definitus filius Dei ſecundum Spiri-
" tum; hic erit Deus & Sermo Dei, Filius.
" Videmus duplicem ſtatum, non confuſum,
" ſed conjunctum in una perſona, Deum &
" hominem & Jeſum." Hæc Tertullianus Hippolytô antiquior, quibus contra Eutychetis hæreſin nihil expreſſius aut efficacius dictum unquam fuit. Quis tamen pro egregio Sophiſta illum non haberet, qui hinc concluderet, Librum adverſus Praxeam Tertulliani non eſſe, ſed Auctoris, qui demum poſt Eutychetem ſcripſit? Sed nimirum ut in mundo, ita in Eccleſia eadem ſemper recurrit fabula, & quas poſterior ætas novas hæreſes appellat, eæ ſunt revera priſtini tantùm errores renovati, atque ab orco revocati.

Irenic. p. 67. §. 5. Quid autem ſibi vult Auctor Irenici, cum hæc Hippolyti fragmenta rejicit ut *nuperrimè* producta? An nuperrimus ipſe eſt Anaſtaſius, cujus in Collectaneis illa Excerpta extant, & tanquam Hippolyti extra controverſiam genuina producuntur, qui ante 800. annos floruit? Nunquid verò ſuſpicatur, Collectanea iſta, quæ anno 1620. edidit Sirmondus, Anaſtaſii Bibliothecarii non eſſe? Atqui ipſe Anaſtaſius in Præfatione indubitati operis, Hiſtoriæ nempe Eccleſiaſticæ, ſive Chronographiæ tripartitæ, ſe Auctorem eorum Collectaneorum apertè profitetur, exponitque (ut obſervavit P. Labbæus) nonnulla ex iis opuſculis, quæ Latinitate à ſe donata, in iſtam collectionem conjecerat. Quod autem præterea objicit Anonymus, quædam in Excerptis illis reperiri, de æternitate Filii, quæ repugnant doctrinæ Hippolyti in opere ipſius indubitato contra hæreſin Noeti, quàm frivolum id ſit, cum ad Sectionem tertiam de Filii τῷ σωματίῳ ventum eſt, clarè oſtendam. Fruſtra quoque idem eſt, cum ex eodem libro adverſus Noetum locum hunc adducit, tanquam Auctoris Excerptorum Theologiæ repugnantem: *Nec enim Verbum per ſe, & ſine carne, perfectus filius erat, cum tamen eſſet perfectum Verbum unigenitus: neq; caro per ſe ſine Verbo ſubſiſtere poterat, quia in Verbo habebat τὸ ὑφίσασθαι, id eſt, in Verbo ſubſiſtebat.* Scilicet non ita inſaniit Hippolytus, ut diceret, (quod dixiſſe illum Anonymus voluit,) Verbo ſive Unigenito quicquam intrinſecæ perfectionis revera acceſſiſſe ex carnis aſſumptione; imò contrarium apertè docet. Nam primò diſertè ait, Dominum noſtrum perfectum fuiſſe Verbum & unigenitum ante incarnationem. Deinde clarè docet, Verbum ſive unigenitum adeo ex carne humana non melioratum eſſe, ut caro illa ipſam ſuam ſubſiſtentiam Verbo debeat. Quid ergo, inquies, voluit Hippolytus, cum ait, Verbum & unigenitum ſine carne perfectum non fuiſſe filium? Voluit, inquam, manifeſtè, τὸν λόγον ante incarnationem non omni filiationis genere, ut ita dicam, defunctum fuiſſe, ſive nondum fuiſſe omni modô, quô Pater voluit, Dei Filium. Scilicet Domino noſtro triplicem nativitatem & filiationem attribuerunt Veteres. Prima eſt, quâ ut λόγος ex mente Patris ab æterno natus fuit. Ex hac nativitate perfecta hypoſtaſis divina extitit; nec ipſi quicquam poſtea acceſſit, ſed potiùs cæteræ nativitates συγκαταβάσεις fuerunt ſive condeſcenſiones Filii Dei. Altera nempe nativitas eſt, quâ ὁ λόγος à Deo Patre, apud quem, cum nihil adhuc præter Deum exiſteret, adeoque ab æterno fuerat, κατ' ἐνέργειαν exivit, ac tanquam ex utero ejus prodiit, ſeque demiſit ad condenda univerſa. Tertia demum nativitas tum fuit, cum idem ὁ λόγος caro factus eſt, & è ſinu Patris in uterum beatiſſimæ Virginis illapſus, homo ex ipſa natus eſt per inumbrationem Spiritûs S. Hæc fuit τοῦ λόγου extrema συγκατάβασις, (à nobis hominibus, adeoque ab ipſis Angelis æternùm adoranda,) quâ peractâ, perfectus Filius Dei factus eſt, hoc eſt, ut dixi, omni filiationis genere defunctus eſt: ſiquidem cæteræ filiationes, quæ humanam Chriſti naturam ſpectant, ex hac dependent, atque ex ipſa conſequuntur. Hæc fuſiùs explicabimus ad Sectionem illam 3. de Filii τῷ σωματίῳ. Interim illud obſervandum eſt, inter ea, quæ Irenici auctor ex libro Hippolyti contra Noetum adduxit, tanquam Catholicæ, id eſt Nicænæ, fidei contraria,

traria, quædam esse, quæ illam ipsam fidem egregiè confirmant. Hujusmodi est illud: *Cum alium dico,* (nempe Filium à Patre,) *non duos Deos dico, sed tanquam lumen ex lumine, & aquam ex fonte, aut radium à Sole: una enim virtus ex toto; totum verò Pater, ex quo virtus, Verbum: hoc verò mens sive sensus, qui prodiens in mundum, ostensus est puer Dei.* Omnia igitur per eum facta sunt; ipse solus ex Patre genitus.* Ubi Patrem & Filium, personâ distinctos, unum tamen esse Deum inde probat, quòd Filius non sit Deus à seipso, sed Deus de Deo, atque ex Patre, tanquam lumen ex lumine, & aqua ex fonte, & radius à Sole prodeat: & Filium disertè eximit ex numero rerum à Deo factarum, illum solum ex ipso Deo Patre genitum pronuntians: quæ cum Nicæna confessione omnino conspirant. Neque cuiquam offendiculo esse debet, quòd ibidem Hippolytus Patrem dicat *totum,* Filium verò *virtutem ex toto.* Nam totum rectè dicitur Pater, quà est πηγὴ Θεότητος· siquidem Divinitas, quæ in Filio est & in Spiritu Sancto, Patris est, quia à Patre derivatur. Apprimè itidem Catholica sunt, quæ mox ex eodem Hippolyti libro Sophista adfert, nempe hæc: *Pater mandat, Verbum perficit; Filius autem ostenditur, per quem Pater creditur. Oeconomia consensionis redigitur ad unum Deum. Unus enim est Deus, qui mandat Pater, qui obedit Filius, qui docet scientiam Spiritus Sanctus. Pater, qui est super omnia, Filius per omnia, Spiritus Sanctus in omnibus.* Hîc scil. Hippolytus Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unum esse Deum apertè docet, & unicuique Trinitatis personæ omnipræsentiam tribuit ac vim divinam, quæ cuncta pervadat. Quod verò Patrem dicit *mandare*, Filium *obedire*, in eo consentientes secum & similiter loquentes habet alios Patres Orthodoxos, non modò Ante-Nicænos, sed & qui post Concilium Nicænum floruerunt. Respice omnino quæ suprà ad Irenæum differuimus, hujus Sectionis cap. 5. n. 6. Quòd itidem Patrem propriè super omnia esse dicit, id ad ἀϊδιότητα illam Patris, quâ Pater est, omnino referendum, quam Catholici omnes agnoscunt. Sed quid multis opus est? Ipse titulus libri adversus Noetum satis ostendit, quàm frustra prorsus Arianam inde blasphemiam adstruere conatus sit Irenici Auctor. Scilicet liber ita inscribitur: *Homilia de Deo Trino & Uno, & de mysterio Incarnationis contra hæresin Noeti.* Certè autem Deum Trinum & Unum nemo Arianus nisi sophisticè ac veteratoriè profiteri potest. Ac de S. Hippolyto hactenus.

---

* In Græco textu, qui injuriâ temporum interiit, procul dubiô legebatur: ὁ προελθὼν εἰς τὸν κόσμον, ἐφανερώθη ὁ παῖς τοῦ Θεοῦ. Ita enim & in Interpretatione Psalmi secundi sonant verba ejusdem Scriptoris, quæ ex Theodoreto allego sequenti pag. 103. col. 1. ab initio: ὁ προελθὼν εἰς τὸν κόσμον Θεὸς καὶ ἄνθρωπος ἐφανερώθη. Cæterum Hippolyto quoque solemne fuisse, Christum vocare τὸν παῖδα τοῦ Θεοῦ, *puerum* sive potiùs *filium* DEI, patet ex ejus *Demonstratione de Christo & Anti-Christo*, inserta *Combefisii* novissimo Auctario Bibliothecæ Patrum, Parisiis 1672. Ibi enim non adeo multùm ab initio hanc quæstionem proponit: πῶς ἂν παλαι τοῖς μακαρίοις προφήταις ἀπεκάλυψεν ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος, αὐτὸς πάλιν ὁ τοῦ Θεοῦ παῖς, ὁ πάλαι ὢν λόγος, τυχεῖν ἐπιζητεῖς. *Quomodo factum, ut beatis Prophetis olim revelationem dederit DEI Logos, ipse denuo DEI Filius, qui olim Logos erat, quæris.* Et paulo pòst: εἷς γὰρ καὶ ὁ τοῦ Θεοῦ παῖς κ. λ. *Unus enim est DEI filius.* &c. Confer verba ex Sect. 61. citata sequenti pag. 104. col. 2. Ita scilicet Hippolytus aliiq; antiqui Patres Christum appellârunt ex Esaiæ XLII. aliisque locis, ubi DEUS de ipso ait: Ἰδοὺ ὁ παῖς μου· quanquam παῖς ibi *servum* significet. Sed hæc obiter.

ANNOTATA

Ad CAP. VI. §. 1.

De CAJO.

LAudatum Caji Tractatum περὶ παντὸς, *de Universo*, haud ampliùs integrum habemus; habemus tamen amplum ejus fragmentum sive partem istam, quâ tractavit περὶ Ἅδου, ἐν ᾧ συνέχονται ψυχαὶ δικαίων τε καὶ ἀδίκων, *De Inferno quô continentur animæ justorum & injustorum*, editam primùm ab Hoeschelio, haud ita pridem verò à Moynio Syllogæ variorum sacrorum Scriptorum insertam; quanquam is Hippolytum ejus Auctorem faciat. Atqui ibi hæc legimus: Πάντες δὲ δίκαιοι τε καὶ ἄδικοι ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ Λόγου ἀχθήσονται· τοῦτο γὰρ πατὴρ τὴν κρίσιν πᾶσαν δέδωκε. Καὶ αὐτὸς βουλῇ πατρὸς ἐπιτελῶν, κριτὴς ἀποφαίνεται, ὃν Χριστὸν προσαγορεύομεν. *Omnes autem sive justi, sive injusti, adducentur, coram DEO Verbo: huic enim Pater omne judicium dedit. Et ille voluntatem Patris adimplens, Judex adveniet; quem nos Christum appellamus.* Non dubito, quin hæc ultima verba respexerit Photius, loco §. 1. hujus Capitis citato, ubi ait: κλῆσίν τε αὐτῷ ἀναφθεγγόμενος τοῦ Χριστοῦ. De quo Christi nomine vide infrà pag. 187. col. 2. Ista verò ἐνώπιον Θεοῦ Λόγου in mente habuisse videtur, dum scribit: περὶ μέν τοι Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ ἡμῶν ὡς ἔγλισα θεολογεῖ· quanquam alia plura & magis expressa de Christi Deitate ac ineffabili ex Deo Patre generatione dicta procul dubiô in hoc Tractatu extiterint.

Ad §. 2.

De *HIPPOLYTO.*

§. 1. ALia satis clara pro Deitate Christi testimonia Hippolyti habentur inter plura ejus dicta, à Theodoreto Dialogô II. Tom. IV. p. 88. seq. & Act. V. Concilii Lateranensis Tom. VI. Concil. Labbei allegata. Sic dictâ p. 88. ex Oratione *de distributione talentorum* hæc citantur verba: Τέτους δὲ καὶ τοὺς ἑτεροδόξους φήσειεν ἄν τις γελοιᾷν, σφαλλομένους παραπλησίως. Καὶ γὰρ κἀκεῖνοι ἤτοι φιλὸν ἄνθρωπον ὁμολογοῦσι περιφηνέναι τὸν Χριστὸν εἰς τὸν βίον, τὸ θεότητι αὐτοῦ τὸ τάλαντον ἀρνούμενοι· ἤτοι τὸν Θεὸν ὁμολογοῦντες ἀναίνονται πάλιν τὸν ἄνθρωπον, πεφαντασιωκέναι διδάσκοντες τὰς ὄψεις αὐτῶν τῶν θεωμένων ὡς ἄνθρωπον, ἀ φορέσαντα ἄνθρωπον, ἀλλὰ δόκησίν τινα φασμαλώδη μᾶλλον γεγονέναι, ὅσον ὥσπερ Μαρκίων καὶ Οὐαλεντῖνος, καὶ οἱ Γνωστικοί, τὸ σαρκὸς ἀποδιαστῶντες τὸν Λόγον, τὸ ἓν τάλαντον ἀποβάλλονται, τὴν ἐναν-θρώπησιν. *Hos autem & eos qui aliter sentiunt, dixerit quispiam vicinos esse, ut qui errent similiter. Nam & illi etiam vel nudum hominem confitentur apparuisse Christum in vita, Divinitatis ejus talentum negantes; vel DEUM confitentes, hominem rursus negant, docentes eum fallaci specie spectantium oculis illusisse, velut hominem, cum hominem non gestaverit, sed inane potiùs spectrum fuerit; sicut Marcion, Valentinus & Gnostici Verbum à carne divellentes, talentum unum, hoc est incarnationem, abjiciunt.* Notatu quoque digna sunt ejusdem Hippolyti verba ex Interpretatione Psalm. 2. quæ iterum auctoritate Theodoreti p. 89. ea citantis adducimus: Οὗτος

ὁ προελθὼν εἰς τ̃ κόσμον, Θεὸς ϗ ἄνθρωπος ἐφανερώθη. Καὶ τ̃ μὲν ἄνθρωπον αὐτῶ εὐκόλως ὄξι νοεῖν, ὅτι πεινᾷ, ϗ κοπιᾷ, ϗ κάμνων διψᾷ κ. λ. Τὸ δὲ θεϊκὸν αὐτῶ πάλιν φανερῶς ἐξι ἰδεῖν, ὅτε ὑπ' Ἀγγέλων προσκυνεῖται, καὶ θεωρεῖται ὑπὸ ποιμένων, ϗ προσδοκᾶται ὑπὸ Συμεὼν, ϗ ὑπὸ Ἄννης μαρτυρεῖται, & ζητεῖται ὑπὸ Μάγων, ϗ σημαίνεται δι' ἀστέρος, ϗ ὕδωρ ἐν γάμοις οἶνον ἀπεργάζεται, ϗ θαλάτῃ ὑπὸ βίας ἀνέμων κινυμένῃ ἐπιτιμᾷ, ϗ ἐπὶ θαλάσσης περιπατεῖ, ϗ τυφλὸν ἐκ γενετῆς ὁρᾶν ποιεῖ, καὶ νεκρὸν Λάζαρον τετραήμερον ἀνίστᾳ, ϗ ποικίλας δυνάμεις τελεῖ, ϗ ἁμαρτίας ἀφίησι, καὶ ἄξιοσίαν δίδωσι μαθηταῖς. *Hic qui venit in mundum, DEUS & homo manifestatus est. Et hominem quidem ipsius facile est intelligere, dum esurit, & defatigatur, & fatigatus sitit, &c. Divinam verò ipsius naturam apertè rursus videre est, quando ab Angelis adoratur, & à Pastoribus conspicitur, & expectatur à Simeone, & Annæ ornatur testimoniô, & à Magis quæritur, & à stella indicatur, & ex aquis in nuptiis vinum facit, & mare vi ventorum agitatum increpat, & super mare ambulat, & cæco à nativitate visum largitur, & quatriduanum Lazarum resuscitat, & varias virtutes perficit, & peccata remittit, & potestatem remittendi dat discipulis.* Idem Christum DEUM appellavit Sermone in Helcanam & Annam cit. p. 88. ubi ita fatur : Τρεῖς καιροὶ τῶ ἑαυτῶ προετυπῶντο εἰς αὐτὸν τ̃ σωτῆρα, ἵνα τὰ προφητευθέντα περὶ αὐτῶ μυστήρια ἐπιτελέσῃ· ἐν μὲν τῷ πάσχα, ἵνα ἑαυτὸν ἐπιδείξῃ τ̃ μέλλοντα ὡς πρόβατον θύεσθαι, καὶ ἀληθινὸν πάσχα δείκνυσθαι, ὡς ὁ Ἀπόστολος λέγει· τὸ δὲ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη, Χριστὸς ὁ Θεός. *Tria anni tempora Servatorem ipsum designabant, ut quæ de ipso prædicta erant mysteria perageret : in Paschate quidem, ut ostenderet sese tanquam ovem sacrificandum, & verum Pascha probandum, sicut dixit Apostolus* (1 Corinth. V. 7.) *Pascha nostrum pro nobis immolatus est, Christus DEUS.* Divinæ etiam omnipræsentiæ attributum Christo adscripsit Tractatu in Pascha, ex quo hæc cit. Concil. Tomô col. 287.288. habentur verba : ὅλος ὢν ἐν πᾶσι, καὶ πανταχῆ, γεμίσας δὲ τὸ πᾶν, πρὸς πάσας τὰς ἀερίους ἀρχὰς γυμνὸς ἀνταπεδύσατο, καὶ πρὸς ὀλίγον βοᾷ παρελθεῖν τὸ ποτήριον, ἵνα δείξῃ ἀληθῶς, ὅτι καὶ ἄνθρωπος ἦν. *Totus erat in omnibus & ubique, adimplens verò omnia, ad omnes aerios Principatus nudus redispoliatus est, & ad parvum clamat transire calicem, ut ostendat verè, quia & homo erat.* Nota quoque dictum, & *homo* ; quoniam scilicet aliam insuper naturam habebat, & DEUS erat.

§. 2. Accedunt alia quoque ejusdem Hippolyti verba ex ejus in Genesin Commentario. Et periit quidem iste Commentarius ; asservata tamen sunt quædam ejus fragmenta in Catenis, quæ vulgò dici solent, Patrum in dictum Mosis librum ; quorum aliqva Romæ descripta *Isaacus Vossius* quondam doctissimo *D. Joanni Millio*, hic verò pro singulari erga me favore eadem mihi benevolè communicavit. Atqui inter hæc in XLIX. Caput vers. 22. υἱὸς αὐξημένῳ Ἰωσὴφ sequentia habentur verba : Ἐπειδὴ γὰρ ὁ μονογενὴς τῶ Θεῶ λόγος, Θεὸς ὑπάρχων ἐκ Θεῶ, κεκένωκεν ἑαυτὸν κατὰ τὰς γραφὰς, καθεὶς ἐθελοντὴς ἑαυτὸν εἰς ὅπερ ἐστὶ ἰδιον, & τὴν ἄδοξον ταύτην σάρκα ἠμπίσχετο, ϗ ἐν τῇ τῶ δούλου μορφῇ πέφηνε, γεγονὼς ὑπήκοος τῷ Θεῷ ϗ πατρὶ μέχρι θανάτου, ταύτῃ τοι λοιπὸν καὶ ὑπερυψῶσθαι λέγεται· καὶ ὡς ἐπ ἔχων λοιπὸν τὸ ἀνθρώπινον μονονουχί, καὶ ἐν χάριτος μοίρᾳ, λαμβάνει τὸ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα, κατὰ τὴν τῶ μακαρίου Παύλου φωνήν· ἀλλ' ἰδοὺ τὸ χρῆμα κατὰ τὸ ἀληθὲς ἡ δόσις ὡς ἐν ἀρχῇ πλὴν ἐπ ἐνόντων αὐτῷ φυσικῶς, πολλῶ γε καὶ δεῖ· νοοῖτο δ' ἂν μᾶλλον ἀναφοίτησις καὶ ἀναδρομὴ πρὸς τὸ ἐν ἀρχῇ καὶ ἀσιωδῶς καὶ ἀναποβλήτως ὑπάρχον αὐτῷ. *Quandoquidem unigenitum DEI Verbum, DEUS ex DEO existens,* (observa ipsius Concilii Nicæni phrasin, uti suprà pag. 101. col. 1. *Lumen de lumine*) *exinanivit semetipsum juxta Scripturas, demittens semetipsum ultrò in id quod non erat, & vilem hancce carnem induit, atque in servi forma apparuit, obediens DEO & Patri factus usque ad mortem, eapropter de cætero & superexaltatus esse legitur : & tanquam id propè non habens propter humanam naturam, ac gratuiti instar doni, accepit nomen super omne nomen, secundum B. Pauli verba, sed ex rei veritate res ipsa tamen non erat donum eorum quæ ab initio naturaliter haud habuit ; (longè aliter se res habet) verùm potiùs reditus existimandus est & recursus ad id, quod à principio essentialiter & inseparabiliter ei inerat.* Et paulo pòst ad ista verba, εὐλογίας πατρὸς ϗ μητρὸς, ita commentatur : Σαφῶς τε ϗ ἐναργῶς ἡ τε ἐκ Θεῶ & πατρὸς γέννησις τ̃ μονογενοῦς, ϗ διὰ τ̃ ἁγίας παρθένου σημαίνεται, καθὸ νοεῖται ϗ πέφηνεν ἄνθρωπος. υἱὸς γὰρ ὑπάρχων φυσικῶς τε καὶ ἀληθῶς τῶ Θεῶ καὶ πατρὸς, δι' ἡμᾶς ἀνέτλη τὸν διὰ γυναικὸς τε καὶ μήτρας γέννησιν, καὶ μαζοὺς τεθήλακεν. Οὐ γέ τοι κατά τινας δοκήσεις γέγονεν ἄνθρωπος, ἀλλ' ὡς τῶτο καλὰ ἀλήθειαν πέφηνας· ὅπερ ἐσμὲν, αὐτοὶ τοῖς τῆς φύσεως ἑπόμενοι νόμοις, καὶ τετρῆς ἠνέσχησεν, & τοι ζωὴν αὐτὸς τῷ κόσμῳ διδούς. *Clarè atq; manifestè ea pariter quæ est ex DEO & Patre gene-*

generatio Unigeniti, ac quæ per sanctam Virginem facta est, indicatur, juxta quam creditur & visus est homo. Filius enim DEI & Patris naturaliter atque verè existens, propter nos sustinuit eam quæ fuit per Virginem atque uterum generationem, & ubera suxit. Neque enim, ut quibusdam videtur, putativè fuit homo, sed idem verè apparuit quod nos sumus, qui naturæ Leges sequimur, & nutrimentô usus est, quamvis ipse mundo vitam daret. Denique ex Hippolyti Commentario in benedictiones Balaami hæc citavit Leontius lib. 1. contra Nestorium & Eutychen, quæ nunc Latinè solùm do, Græcum textum è MS. Cod. Bibl. Bodlej. in Spicilegio Patrum Seculi III. DEO volente additurus. Ita verò sonant : *Ut demonstretur utramque quidem in se habere substantiam, scilicet DEI & hominum, sicut Apostolus ait : Mediator quidem DEI & hominum homo Christus Jesus : Mediator autem unius hominis non est, sed hominum. Oportebat ergo, ut Christus factus Mediator DEI & hominum, ab utrisque arrabonem quandam acciperet, ut appareat Mediator duarum naturarum.*

§. 3. Cæterum mirabitur fortasse Lector in S. Patrum monumentis versatus, quare non ex Hippolyti Scriptis de Anti-Christo testimonia pro Deitate Christi adduxerim. Nam in Tractatu *de Consummatione mundi & de Anti-Christo atque de secundo adventu Domini nostri Jesu Christi*, mox ab initio, p. 3. edit. Græcæ Paris. 1556. legimus τὴν τοῦ Θεοῦ λόγ. σαρκὸς ἐπιδημίαν, *DEI per carnem adventum.* Et pag. 14. ὁ Πέτρος, ἡ πέτρα τ πίστεως, ὃν ἐμακάρισε Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν κ. λ. *Petrus, petra fidei, quem beatum prædicavit Christus DEUS noster.* Porrò p. 30. loquitur de ἰδία δυνάμει τ αὐτοῦ θεότητος, *propriâ virtute Deitatis ejus.* Et mox: ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν σαρκικῶς ἡμῖν ἐπεδήμησε. *Etenim DEUS noster in carne versatus est nobiscum.* Deniq; pag. 40. mentionem facit Ethnicorum Christianos hortantium : Ἄρνησαι τ Θεόν σου τὸν ἐσταυρωμένον· *Negato DEUM tuum crucifixum.* Similiter in *Demonstratione de Christo & Anti-Christo*, quam post Gudium edidit Combefisius in Auctario novissimo Bibliothecæ M. Patrum, Sectio 6. ita incipit : Τοῦ μὲν ἐν Κυρίῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ τ Θεοῦ λόγ. τὸ βασιλικὸν ἐνδοξον ὡς λέοντος προκεκηρυγμένου κ.λ. *Cum igitur Dominus Jesus Christus DEUS ob Regiam Majestatem ac gloriam ut Leo prænunciatus sit* &c. Ibidem Sect. 44. prædicat τὸν ἐν κοιλίᾳ τ παρθένου συνειλημμένον Θεὸν λόγον, *conceptum in utero Virginis DEUM Verbum.* Et Sect. 61. Χριστὸν παῖδα Θεοῦ, Θεὸν καὶ ἄνθρωπον, *Christum Filium DEI, DEUM & hominem.* Ast non consultum duco, certam veritatem incertis atque dubiis probatum ire testimoniis, qualia ea, quæ modò producta sunt, saltem maximam partem, esse ingenuè confiteor. Quippe quod priorem attinet Tractatum, in ejus Codice MS. Barocciano plura inde citata, nempe ex pag. 3. & 30. aut planè omissa, aut aliter exarata sunt, ut ex variis ejus Lectionibus, in Spicilegio Patrum III. Seculi, DEO juvante, erudito orbi communicandis patebit. Similiter verba ex Sect. 6. Demonstrationis de Anti-Christo adducta, in loco parallelo alterius Tractatûs (quippe verbotenus hinc inde sibi invicem consonant) ita expressa sunt pag. 25. dictæ editionis: Τοῦ μὲν Κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ λόγ. τὸ βασιλικὸν &c. Reliqua certiora quidem sunt, attamen non omni prorsus dubiô carent ; quòd utrumqe Hippolyti Scriptum, maximè prius, interpolatum esse videatur, ut in dicto Spicilegio pluribus demonstrabo. Neque enim nunc ad ista digredi placet.

CAP. IX.

CAP. IX.

Origenis doctrinam de Filii Dei vera Divinitate omnino Catholicam, & Nicænæ fidei planè consonam fuisse, præcipuè ex indubitato ejus, & maximè incorrupto, atque ab ipso jam sene accuratiori diligentiâ elucubrato Opere contra Celsum, fusè & luculenter ostenditur.

§. 1. HIppolyto succedat ejus æmulus, & qui in illa æmulatione longè superior evasit, *Origenes*. Dictu mirum est, quàm super hujus Viri πολυθρυλλήτου doctrinâ in partes iverint, atque acerrimè inter se digladiati fuerint Theologi quà veteres, quà recentiores. Ut de Veteribus solùm, memor instituti mei, agam; ex iis alii Origenem ad cœlum usque laudibus extollunt; alii ipsum ut pessimum Hæresiarcham, adeoque omnium penè hæresium, præsertim quæ Ecclesiæ fidem de SS. Trinitate spectant, fontem & scaturiginem diris devovent. Sed Catholicos qvod attinet Doctores, qui Origenis ætati viciniores fuêre, major & longè potior fuit numerus eorum, qui ipsi adstipulati sunt. Alexander Hierosolymitanus, Theoctistus Cæsarienſis, Dionysius Alexandrinus, Firmilianus Cæsarienſis, Gregorius Thaumaturgus, & Athenodorus, Origenis coætanei, ipsum in maximo pretio semper habuerunt: & tota Palæstina, Arabia, Phœnicia & Achaia causam Origenis adversus Demetrium Alexandrinum propugnârunt. Eandem deinde tutati sunt Pamphilus Martyr & Eusebius Cæsarienſis per Apologiam sex libros complexam, quorum unicus supersest. Alios quoque magni nominis Viros complures Eusebii temporibus Apologias pro Origene scripsisse, tradit Photius Cod. 118. Origenem porro tanquam Catholicæ fidei adversus hæresin, quæ postea Ariana dicta fuit, strenuum propugnatorem laudavit magnus Athanasius in libro de Decretis Nicænæ Synodi. His accensendus Didymus Alexandrinus, (Vir celebris, quô magistro se usum, sæpius Hieronymus gloriatur,) qvi pro Origene Apologeticum edidit, & Titus Bostrorum Episcopus, & Gregoriorum nobile par, Nazianzenus & Nyssenus, & Joannes Hierosolymitanus, assiduis eam ob rem Epiphanii & Hieronymi probris lacessitus. Methodius quoque, qui diu ante exortam controversiam Arianam scripsit, cum priùs fuerit Origenis adversarius infensissimus, suum aliquando odium deposuit, ac tandem inter ejus admiratores nomen suum profiteri non erubuit. Denique Ruffinus (à Cassiano lib. 7. de Incarnatione dictus, quicquid de ipso judicaverit sequior ætas, *Christianæ Philosophiæ Vir, haud contemnenda Ecclesiasticorum Doctorum portio*; cujus sanctimoniam ipse etiam Hieronymus aliquando summis laudibus extulit, ut ex Epistola ejus quinta ad Florentium constat,) Origenis acerrimus Hyperaspistes fuit; ut nihil dicam de innumeris per Ægyptum dispersis Monachis, qui maxima Origenis de causa cum Theophilo Alexandrino certamina inierunt.

§. 2. In hoc tanto tantorum Virorum dissensu optandum erat, ut ex infinitis, quæ Chalcenterus ille elucubravit, Scriptis plura ad nos deveniſſent integra & illibata; unde ipsi, neutri parti addicti, de ejus doctrina certiùs dijudicare potuissemus. Ast (proh dolor!) ex libris Origenis quosdam, dum is adhuc viveret, à maleferiatis hominibus corruptos atque interpolatos, & Scripta nonnulla aliena prorsus ac spuria sub ejus nomine celebratissimo edita fuisse, ipse conqueſtus est in Epistola ad quos-

Apud Rufin. de Adulter. libb. Origen.

quosdam in Alexandria scriptâ. Ut facilè conjicias, quantò majori post ejus obitum confidentiâ isti tenebriones id genus facinora perpetraverint. Certè Origenianorum Operum pars longè maxima jam penitus interciderunt; quæque hodie supersunt, ea, demptis contra Celsum libris, & excerptis quibusdam, quæ Philocalia vocantur, Latinè tantùm extiterunt, idque, ut ex certis indiciis constat, multùm ab Interpretibus interpolata atque immutata: donec nuper Clarissimus Daniel Huetius Ἐξηγητικὰ Origenis non pauca ex MSS Græcè edidit. Quin eo nomine de φιλοκαλίοις omnibus præclarè meritus sit Vir doctissimus, nemo nisi invidus diffitebitur. Idem tamen Huetius profitetur, sibi esse verisimile, *Quotquot libros Origenis ad nos fortuna transmisit, violatos esse, at eos potissimùm, qui præter Notariorum σφάλματα & Hæreticorum adulterationes, Interpretum etiam hallucinationes & perfidiam senserunt.* Excipere, nî fallor, debuerat libros contra Celsum; quippe quos præter Librariorum σφάλματα, à quibus nulli Veterum libri prorsus immunes sunt, aliam violationem notabilem subiisse, nemo, quod sciam, hactenus suspicatus fuerit.

Origenian. p. 233.

§. 3. Cæterum si omnia Origenis Scripta, eaque pura & incorrupta, hodie extarent; haud omnia tamen veræ ac genuinæ ejus sententiæ declarandæ pariter inservirent. Scilicet variorum Auctoris πολυγεάφυ Operum diversa foret ratio. Nam alia ad amicos secretò scripsit *, quæ lucem nunquam visura speravit; in quibus liberè ac penè scepticè differuit, ac plerumque non tam suam certam ac definitam sententiam, quàm vel aliorum ratiocinationes, vel suos quosdam scrupulos ac dubitatiunculas, ad clariorem veritatis elucidationem, proposuit. Alia ipse in publicum emisit, sive contra Infideles, sive adversus Hæreticos, seu denique ad instruendum plebem Christianam; in quibus, viâ tritâ ac tutâ incedens, receptam in Ecclesia Catholica doctrinam studiosiùs tradidit. Deinde alia properanter dictitavit, alia diligentiori curâ elucubravit. Denique alia (ut Huetii verbis utar) senex Adamantius, ingeniô per ætatem magis subactô, elimavit; alia efferente sese in juventutis æstu fœcunditate profudit. De quibus præclarè dixit Hieronymus in Prologo ad Commentarios in Lucam, Origenem in quibusdam Tractatibus *quasi iterum talis luderè; alia esse virilia ejus & senectutis seriâ.* Negari autem non potest, quin Origenis suffragium de Catholica doctrina peti debeat ex iis præcipuè Scriptis, quæ publicis usibus ipse destinavit; quæ cogitatè & attentè exaravit; quæ denique jam senex, & longô rerum usu & experientiâ edoctus composuit. Hujusmodi sunt, omnium consensu, libri octo contra Celsum Epicureum. Quippe in his communem Christianorum doctrinam, adversus instructissimum Religion.nostræ hostem propugnat: hi summô Auctoris studiô, maximâ eruditione, idque ab ipso jam sexagenariô majori (ut disertè testatur Eusebius H. E. l. 6. c. 36.) elucubrati fuere, Itaque ex his præcipuè libris testimonia mea proferam, quibus Catholicum fuisse in hoc articulo Origenem ostendam: subjectis tantùm locis quibusdam, quæ ex aliis ipsius Scriptis Catholici Doctores, qui Origenis temporibus proximiores fuere, quique adeo genuina ejus Scripta à spuriis optimè nôrunt discernere, mihi suppeditârunt. Ex quibus omnibus spero fore, ut Lector cordatus clarè tandem perspiciat, quàm impotenter in Origenem debacchatus sit Petavius, dum ita de Patre (vel inimicis judicibus) sanctissimo atque eruditissimo scribere non est veritus: *De Origene*, inquit, *constat, eum de Filio ac Spiritu Sancto impiè absurdèque sensisse.*. Et paulò pòst: *Origenes ut ætate Arium antecessit, sic impietate par, imò impii dogmatis auctor illi fuit.* Et passim alibi ejusmodi convitia in Origenem jacit. Fortasse existimavit Jesuita, se religione suâ ad id obstrictum fuisse, ut ita venerando Patri malediceret; quòd scil. Origenes & Origenistæ cum dogmatis suis damnati & anathematismis confossi fuerint in quinta Synodo. † Verùm non defuere Viri illustres è Romana Ecclesia, (Joannem Picum Mirandulanum dico, Jacobum Merlinum Victurnienſem, Desiderium Erasmum Roterodamum, Sixtum Senensem, Claudium Espencæum, Gilbertum Genebrardum, & Petrum Halloixium,) qui nihil sibi metuentes

De Trin. l. 1. c. 12. n. 9.

Ibid. n. 10.

* De his Hieronymus in Epistola 65. ad Pamm. & Ocean. testatur, Origenem in Epistola, quam scripsit ad Fabianum, pœnitentiam egisse, cur talia scripserit; & causam temeritatis in Ambrosium retulisse, quod secretò edita in publicum protulerit.

† Seu potiùs in alia Synodo Constantinopoli habita, quintà illa anteriori. Vide *Valesium* Not. ad Evagrium, pag. 111.

tes à quinti Concilii anathematiſmis, Origenem non modò ſine probro nominare, ſed & palam apertéque defendere auſi ſunt. Nimirum rectè judicârunt iſti, ab illa Synodo non tam ipſum Origenem, aut genuina Origenis placita, quàm perniciosiſſima illa dogmata, de Trinitate ἑτεροουσίῳ, de phantaſtica corporis reſurrectione, quæ in adulteratis Origenis Scriptis continerentur, quæve nonnulli Origeniſtæ, qui vocarentur, magni illius nominis patrocinio defenderent, anathemate condemnata fuiſſe. Damnavit quidem Synodus unà cum iſtis & paradoxa illa de præexiſtentia animarum, de aſtris & elementis animatis, &c. quæ verè Origenis fuere : ſed iſta damnavit tantùm ut falſa & perabſurda, non tanquam hæretica ; niſi acceſſerit præfracta animi obſtinatio, & Catholicæ ſententiæ contemptus : qui, ut ab ipſo Origene procul abfuit, ita in Origeniſtis pleriſque nimiùm ſe prodidit. Sed tandem ad rem ipſam accedamus.

§. 4. In libris contra Celſum toties Origenes verè divinam, hoc eſt, increatam, infinitam, incomprehenſibilem, immutabilem Verbi & Filii Dei naturam declarat, ut, ſi omnia huc ſpectantia vellem adducere, ejus Syntagmatis pars magna mihi tranſcribenda foret. Itaque ex eo opere loca tantùm ſelectiora quædam proferemus. In libro 1. de Magis ex Oriente in Judæam venientibus, ad viſendum Regem, quem ſtella inſolita indicavit, agens, ſic loquitur: φέροντες μὲν δῶρα, p. 46.
ἀ (ἵν' ὅτως ὀνομάζω) σωθέτῳ τινὶ ἐκ Θεοῦ & ἀνθρώπου ὄντι, προσήνεγκαν σύμβολα μὲν, ὡς βασιλεῖ τὸ χρυσὸν, ὡς δὲ τεθνηξομένῳ τὸ σμύρναν, ὡς δὲ Θεῷ τὸ λιβανωτόν· i. e. *Ferentes dona ei qui componebatur (ut ſic loquar) ex Deo & homine mortali, ſymbola obtulerunt ; aurum tanquam Regi, ut morituro myrrham, ut Deo thus.* Ubi in Chriſti perſona agnoſcit & hominem mortalem, & Deum immortalem, cui honos divinus, thuris oblatione olim exhiberi ſolitus, debeatur. Cui geminus eſt locus, qui in eodem libro, pauculis interjectis paginis, occurrit : ubi Celſô ludente in ſanguinem Jeſu profuſum in cruce, ac dicente, *non fuiſſe illum cruorem, qualis Divis ſolet eſſe beatis* ; ita reſpondet Origenes : ἡμεῖς δὲ αὐτῷ πιστεύοντες Ἰησοῦ, περὶ μὲν τοῦ ἐν αὐτῷ Θειότητι λέγοντι· ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς, καὶ ἡ ἀλήθεια, & ἡ ζωὴ, καὶ εἴ τι τοιοῦτοις προσαπλήσιον· περὶ δὲ τοῦ, ὅτι ἐν ἀνθρωπίνῳ σώματι ἦν, ταῦτα φάσκοντι· νυνὶ δὲ ζητεῖτέ με ἀποκτεῖναι ἄνθρωπον, ὅστις τὴν ἀλήθειαν ἐν ὑμῖν λελάληκα· συνδοῦλόν τι χρῆμά φαμεν αὐτὸν γεγονέναι. i.e. *Nos verò ipſi Jeſu credentes, de Divinitate quidem quæ in eo erat, dicenti :* Ego ſum via, veritas & vita, *& ſi quid eſt his ſimile : de corpore vero, in quo erat, humanô ſic loquenti :* Nunc me quæritis interficere hominem, qui veritatem vobis locutus ſum ; *aimus eum fuiſſe quiddam compoſitum.* Mox dicit Chriſtum pag. 52.
habuiſſe θειότερόν τι ἐν τῷ βλεπομένῳ ἀνθρώπῳ, ὅπερ ἦν ὁ κυρίως υἱὸς Θεοῦ, θεὸς λόγος, & δύναμις, καὶ Θεοῦ σοφία, i. e. *Quiddam divinius ſub humana ſpecie, quod erat PROPRIE Dei Filius, Deus Verbum, virtus ſapientiaque Dei.* Et poſt aliquam multa, Chriſtum appellat Θεὸν ἐν ἀνθρωπίνῳ φανέντα σώματι ἐπ' εὐεργεσίᾳ τῶν γηΐνων ἡμῶν, *Deum apparentem in humano corpore, ut in noſtrum genus exerceret beneficentiam.*

§. 5. In libro ſecundo citans Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram* ; & locum Davidis Pſal. 148. 5. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit & creata ſunt* ; Dei fuiſſe Filium ac Sermonem, cui ita locutus eſt ac præcepit Deus Pater, hâc ratione colligit : εἰ γὰρ ἐνε- pag. 63.
τείλατο ὁ Θεὸς, καὶ ἐκτίσθη τὰ δημιουργήματα· τίς ἂν, κατὰ τὸ ἀρέσκον τῷ προφητικῷ πνεύματι, εἴη ὁ τὴν τηλικαύτην τοῦ παρὰ θεοῦ ἐντολὴν ἐκπληρῶσαι δυνηθείς, ἢ ὁ (ἵν' ὅτως ὀνομάσω) ἔμψυχος λόγος καὶ ἀληθεία τυγχάνων ; i. e. *Si enim mandavit Deus, & condita ſunt creaturæ ; quis juxta ſententiam Prophetici Spiritûs poſſet eſſe tanti paterni mandati executor, quàm ille, ut ſic loquar, animatus ejus ſermo & veritas ?* Quibus in verbis Filium Dei à rebus creatis omnibus apertiſſimè diſtinguit ; quin & clarè docet, opus creationis, illi Dei Filio à Patre ſuo demandatum, tantum fuiſſe, utpote divinæ omnipotentiæ proprium, ut perfici neutiquam potuerit niſi ab eo, qui ſit ipſe Dei Patris ſermo ac veritas. Quæ ratiocinatio quàm procul diſtet à mente Ariomanitarum, dictis Scripturæ locis abutentium ; quámque ſententiæ Catholicorum, ex opere creationis Divinitatem Filii aſſerentium, ad amuſſim conveniat, oculati omnes vident. Ibidem docet Origenes, Dei Verbi Divinitatem per incarnationem neutiquam fuiſſe ita circumſcriptam, ut nuſquam illa eſſet extra Jeſu corpus & animam ; ſed eſſe fuiſſeque ſemper φθάνοντα πανταχοῦ, *ubique præſentem.* Id verò nequis in Cerinthianæ hæreſis patrocinium traheret, mox ſubjungit : ταῦτα δὲ φαμὲν, οὐ χωρίζοντες τὸν υἱὸν τοῦ pag. 64.
Θεοῦ ἀπὸ τοῦ Ἰησοῦ. ἓν γὰρ μάλιστα μετὰ τὴν οἰκονομίαν γεγένηται πρὸς τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ, i.e. *Hæc autem non eò à nobis dicta ſunt, quòd ſeparemus à Jeſu Filium Dei ; ſummè enim unita fuere poſt diſpenſationem anima Jeſu corpuſque cum Verbo Dei.* Ecquis verò utramque Chriſti naturam,

turam, & utriuſque naturæ unionem hypoſtaticam magis Catholicè explicare potuit, quàm ab Origene hiſce in locis factum eſt? Mox ibidem corpus Chriſti dicit τὸ ἀληθῶς ναὸν Θεοῦ τοῦ λόγου καὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς ἀληθείας, i. e. *Verum templum Dei Verbi, veritatis & ſapientiæ:* quod Judæi lapideum Dei templum plus ſatis venerantes, contempſerunt.

§. 6. In libro tertio objicienti Chriſtianis
pag. 135. 136. Celſo, *quòd Jeſum mortali corpore conſtantem credant eſſe Deum, idque piè ſibi videantur facere*; ita reſpondet Origenes: ἴσωσαν οἱ ἐγκαλοῦντες, ὅτι ὃν μὲν νομίζομεν καὶ πεπείσμεθα ἀρχῆθεν εἶναι Θεὸν καὶ υἱὸν Θεοῦ, λόγος ὁ αὐτολόγος ἐστί, καὶ ἡ αὐτοσοφία, καὶ ἡ αὐτοαλήθεια· τὸ δὲ θνητὸν αὐτοῦ σῶμα, καὶ τὸ ἀνθρωπίνῳ ἐν αὐτῷ ψυχῇ, τῇ πρὸς ἐκεῖνο ἃ μόνον κοινωνίᾳ, ἀλλὰ καὶ ἑνώσει, καὶ ἀναχράσει, τὰ μέγιστα φαμὲν προσειληφέναι, καὶ τὸ ἐκείνου θειότητος κεκοινωνηκότα εἰς Θεὸν μεταβεβηκέναι. i. e. *Sciant iſti criminatores, hunc Jeſum, quem ab initio Deum Deique filium eſſe credimus, ipſum eſſe Verbum, ipſam veritatem, ipſam ſapientiam: cæterum mortale ejus corpus & humanam in eo animam illius Verbi non ſolùm communicatione, ſed etiam unione & permixtione, maxima quæque dicimus accepiſſe, & Divinitatem ipſius participantia, in Deum evaſiſſe.* Cujus reſponſionis (ſiquid video) hic ſenſus manifeſtus eſt: An illud vos conturbat, O Philoſophi, quòd nos Chriſtiani Chriſtum Servatorem noſtrum, mortali corpore conſtantem, Deum dicimus? Imò, ringamini licet, illum Deum eſſe affirmamus ipſiſſimum; nempe ipſam rationem, ipſam veritatem, ipſam ſapientiam, quin & in tantum Deum, ut non vereamur dicere, ejus etiam humanam naturam, per unionem cum divina, quodammodo Deificatam eſſe. Notanda hîc eſt locutio omnino Platonica, αὐτολόγος, αὐτοαλήθεια. Nam Plato αὐτοαγαθὸν dixit, quod eſt verè ac per ſe bonum; illud epitheton attribuens ſoli vero ac ſummo Deo, à quo ille τὸν λόγον longiùs ſeparabat. Atqui Origenes, tanquam ex Chriſtiana Platonicam Philoſophiam corrigens, etiam τὸν λόγον ſive Filium Dei αὐτοσοφίαν, αὐτοαλήθειαν, ac proinde αὐτοαγαθὸν, jure merito dici poſſe pronuntiat. Cæterum non eſt, quod fratres noſtri Lutherani, qui neſcio quam humanæ in Chriſto naturæ ubiquitatem defendunt, ex his Origenis Verbis quicquam cauſæ ſuæ accedere arbitrentur. Nam in loco, quem ex libro ſecundo modò adduximus, apertè docet Origenes, τὸν λόγον ita cum humana Chriſti natura conjunctum eſſe, ut etiam extra Jeſu animam corpuſque exiſtat; ac τὸ *ubique eſſe* in ſolam Divinitatem competere. Quin & in hoc ipſo loco mox poſt verba allata, quod de permixtione humanæ in Chriſto naturæ cum divina dixerat, ita ipſe Origenes diſertè explicat, ut nihil aliud ſe voluiſſe profiteatur, quàm carnem Jeſu glorificatam, mutatis qualitatibus talem eſſe redditam, qualem decebat habitare in ſummo æthere, nihil retinentem carnalis infirmitatis congenitæ. Lege, ſi vacat, quæ apud Origenem ſequuntur: ego è diverticulo in viam redeo.

§. 7. In libro quarto inducitur Celſus Epicureus, adverſus Chriſtianorum de Filii in
pag. 169. 170. terras deſcenſu & ἐνσαρκώσει doctrinam hunc in modum diſputans: *Deus eſt bonus, pulcher, fælix, & pulcherrimâ optimâque ſpecie: is ſi deſcenderet ad homines, ut mutetur opus eſt; mutabitur autem è bono in malum, è pulchro in turpem, è fælice in infælicem, ex optimo in nequiſſimum. Quis ſic ſe mutatum cuperet? Certè mutatio hæc & transformatio cadit in hominem mortalem: immortali verò ſemper eodem modo ſe habere convenit. Ergo nunquam Deus talem mutationem reciperet.* Jam ſi Origenes idem de Filio Dei ſenſiſſet, quod poſtea Arius, quàm facilè potuiſſet hujus argumenti ipſum fundamentum ſubvertere? uno ſcilicet verbo dicendo: Neque ſe, neque Catholicos Chriſtianos ſui temporis credidiſſe Filium Dei eſſe revera Deum immutabilem; ſed planè ſtatuiſſe creaturam illum eſſe, à Deo alienæ ac prorſus mutabilis naturæ. Sed longè aliter, & ſalvâ omnino Catholicorum hypotheſi de Filii Dei natura verè divina & incommutabili, reſpondet Origenes his verbis: Δοκεῖ δή μοι πρὸς ταῦτα λέγεσθαι τὰ δέοντα, διηγησαμένῳ τὴν ἐν ταῖς γραφαῖς λεγομένην κατάβασιν Θεοῦ πρὸς τὰ ἀνθρώπινα· εἰς ἣν ἡ μεταβολὴν αὐτῷ δεῖ, ὡς Κέλσῳ ἡμᾶς οἴεται λέγειν, ὅτε τροπῆς τὸ ἐξ ἀγαθοῦ εἰς κακὸν, ἢ ἐκ καλοῦ εἰς αἰσχρὸν, ἢ ἐξ εὐδαιμονίας εἰς κακοδαιμονίαν, ἢ τοῦ ἀρίστου εἰς τὸ πονηρότατον. μένων γὰρ τῇ ἰδίᾳ ἀτρεπτος, συγκαταβαίνει τῇ προνοίᾳ καὶ τῇ οἰκονομίᾳ τοῖς ἀνθρωπίνοις πράγμασιν. ἡμεῖς μὲν οὖν καὶ τὰ θεῖα γράμματα παρίσαμεν, ἄτρεπτον λέγοντα τὸν Θεὸν ἔντε τῷ, σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ· καὶ ἐν τῷ· ἐγὼ γὰρ ἀλλοιώμαι. οἱ δὲ τοῦ Ἐπικούρου Θεοὶ, σωμάτιοι ἐξ ἀτόμων συγκαινούμενοι, καὶ ὅσον ἐπὶ τῇ συγκρίσει ἀναλυτοὶ, πραγματεύονται φθαρτοποιοὺς ἀτόμους ἀποζητεῖσθαι. ἀλλ' οὐ καὶ ὁ τῶν Στοϊκῶν Θεὸς, ἅτε σῶμα συγκαινόμενον, ὁτὲ μὲν ἡγεμονικὸν ἔχει τὸν ὅλου ἰδίαν, ὅταν ἡ ἐκπύρωσις ᾖ· ὁτὲ ἐπὶ μέρους γίνεται αὐτῆς, ὅταν ἡ Διακόσμησις. ἰδὲ γὰρ δεδιώνηται ἔστι τρανῶσαι τὴν φυσικὴν τοῦ Θεοῦ ἔννοιαν, ὡς πάντῃ ἀφθάρτου, καὶ ἀπαθοῦς, καὶ ἀσωμάτου, καὶ ἀδιαιρέτου. τὸ δὲ καταβεβηκὸς εἰς ἀνθρώπους ἐν

p. 17

μορφῇ

μορφῇ Θεοῦ ὑπῆρχε, καὶ διὰ φιλανθρωπίαν ἑαυτὸν ἐκένωσεν, ἵνα χωρηθῆναι ὑπ' αὐτῶν δυνηθῇ. ἡδέπως δ' ἂν ἐξ ἀγαθῶν * εἰς κακὸν γέγονεν αὐτῶ μεταβολή· κ.λ. i. e. *Ad hæc satis responsum erit, ut mihi videtur, si dixero, quomodo in S. Scripturis accipiatur descensus Dei ad homines: ad quem nullâ mutatione opus est, ut Celsus putat nos opinari, nec versione in malum è bono, aut è pulchro in turpem, aut è fælice in infælicem, aut ex optimo in nequissimum. Immutabilis enim in sua essentia manens, condescendit rebus humanis providentiâ & dispensatione. Nos certè è sacris literis Deum immutabilem esse discimus, ubi legitur:* Tu autem ipse es; *&*, Non immutor. *Epicuri verò Dii ex atomis compositi, & proinde constitutione suâ dissolubiles, habent quod agant, dum illas atomos, quæ corporibus corruptionem efficiunt, excutiant. Nec secus Stoicorum Deus, utpote corpus, interdum mens est quæ totam possidet substantiam, cum sit conflagratio; interdum verò ex parte ipsius substantiæ generatur, cum sit mundi ordinatio. Isti enim non potuerunt quidem clarè Dei naturam intelligere, quòd sit omnino incorruptibilis, simplex, nec compositus, nec divisibilis. Id autem quod ad homines descendit, in forma Dei substitit, & propter amorem humani generis seipsum exinanivit, ut posset concipi ab hominibus; absque ulla tamen mutatione ex bono in malum,* &c. Post aliqua subdit Adamantius: εἰ δὲ ⸂σῶμα θνητὸν καὶ ψυχὴν ἀνθρωπίνην⸃ ἀναλαβὼν ὁ ἀθάνατος Θεὸς λόγος, δοκεῖ τῷ Κέλσῳ ἀλλάττεσθαι ⸂καὶ μεταπλάττεσθαι· μανθανέτω ὅτι ὁ λόγος τῇ οὐσίᾳ μένων λόγος, οὐδὲν μὲν πάσχει ὧν πάσχει τὸ σῶμα ἢ ἡ ψυχή. συγκαταβαίνων δ' ἐκεῖ ὅτε τῷ μὴ δυναμένῳ αὐτὸν τὰς μαρμαρυγὰς καὶ τὴν λαμπρότητα τῇ θειότητι βλέπειν, οἷονεὶ σὰρξ γίνεται, σωματικῶς λαλούμενος: i. e. *Quod si Verbum Deus immortalis, quia corpus mortale animamque humanam assumpserit, Celso idcirco immutari videatur; discat Verbum manere Verbum suâ substantiâ, nec pati eorum quicquam, quæ corpus aut anima patitur; condescendere tamen interdum non valentibus ejus claritatem ac splendorem Divinitatis obtueri, ac veluti carnem factum, loqui corporaliter.* Dicant cordati omnes, an hæc sint verba Scriptoris, qui *Arium impietate superavit, adeoque impii dogmatis auctor illi fuit.* Scilicet clarè hîc docet Origenes, τὸν λόγον sive Filium Dei esse Deum immortalem, substantiâ suâ immutabilem, & quatenus in forma Dei subsistit, juxtà cum Patre naturæ omnino incorruptibilis, simplicis, nec compositæ, nec divisibilis. Aliquantò post ad aliam Celsi objectionem, priori affinem, responsurus, sic orditur: πρὸς τοῦτο λέγοιτ' ἂν πῇ μὲν περὶ τοῦ θείου λόγου φύσεως, ὄντος Θεοῦ· πῇ δὲ περὶ τοῦ Ἰησοῦ ψυχῆς, i.e. *Ad hoc responderi potest, distinguendo Divini Verbi naturam, quæ Deus est, & Jesu animam.* Vides hîc ipsam Verbi naturam Deum, sive Verbum naturâ Deum disertè dici. Cui similis Origenis locus citatur in Catena Baltasaris Corderii in Joan. ad cap. 1. v. 1. ubi filius Dei ab Origene dicitur ὁ δημιουργὸς τοῦ παντὸς, τυγχάνων Θεὸς λόγος καθ' οὐσίαν, *ille rerum omnium conditor, qui est secundum essentiam Deus Verbum.* Quis verò ex Arianis dixerit, Filium esse ipsâ suâ essentiâ ac substantiâ Deum? Scilicet hoc illud ipsum est, quod adversus Arium statuerunt Patres Nicæni, nempe Filium Dei esse Deo ὁμοούσιον.

* Forte ἀγαθοῦ, ut paulo antè

§. 8. In libro quinto rationem reddens, cur Christiani Filium Dei, non Solem, Lunam, stellasve adoratione prosequantur, ita differit: ὁ τοίνυν εὔλογον τὸν διδαχθέντας μεγαλοφυῶς ὑπερβαίνειν πάντα τὰ δημιουργήματα, ——— ἀσκοῦντας ἔχειν τὴν λαμπρὰν καὶ ἀμάραντον σοφίαν, εἰ καὶ ἀνειληφότας αὐτὴν ἔσαν ἀπαύγασμα φωτὸς αἰδίου· καταπλαγῆναι τὸ αἰσθητὸν ἥλιον, καὶ σελήνης, καὶ ἄστρων φῶς ἐπὶ τοσοῦτον, ὥστε διὰ τὸ αἰσθητὸν φῶς ἐκείνων νομίσαι ἑαυτοὺς κάτω πως εἶ), ἔχοντας τηλικοῦτον νοητὸν γνώσεως φῶς, καὶ φῶς ἀληθινὸν, καὶ φῶς τοῦ κόσμου, καὶ φῶς τῶν ἀνθρώπων, κἀκείνοις προσκυνῆσαι. i. e. *Itaque non decebat eos, qui didicerant generosè omnem creaturam transcendere,* ——— *contendebantque studiis ferventibus ad immarcessibilem illam sapientiam, aut jam perceperant eam, eam, inquam, quæ æterna lucis splendor est; obstupescere ad Solis, Lunæ, stellarumque lumen sensibile, in tantum, ut propterea se inferiores existimarent, cum ipsi habeant tantam lucem intelligibilem, lucem veram, lucem mundi, lucem hominum; eaque adorarent.* Hìc apertè dicit Origenes, Sapientiam sive Filium Dei esse lucem illam veram, lucem mundi, æternæ lucis splendorem; quem Christiani, neglectis Sole, Luna, cæterisque cœli luminibus, ideo colant, quòd edocti sint in cultu suo omnem creaturam generosè transcendere. Unde manifestissimum est, neutiquam cum Ario somniâsse Origenem, Filium Dei inter τὰ δημιουργήματα sive res creatas censendum esse. Rem hanc adhuc luculentiùs explicat paulò pòst (nempe p. 238.) his verbis: Καὶ ὥσπερ οἱ διὰ τὸ φῶς αἰσθητὸν καὶ θεάνιον εἶ), προσκυνοῦντες ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ ἄστρα, οὐκ ἂν προσκυνήσαιεν ἀστιγθῆρα πυρὸς, ἢ λύχνον ἐπὶ γῆς, ὁρῶντες τὸ ἀσύγκριτον ὑπεροχὴν τῶν νομιζομένων ἀξίων προσκυνεῖσθαι· οὕτω δὲ τὸ τῶν ἀστιγθήρων καὶ τῶν λύχνων φῶς· ὕτως οἱ νοήσαντες, πῶς ὁ Θεὸς φῶς ἐστι· καταλαβόντες ᾗ, πῶς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ

p. 171.

p. 237.

Θεῦ φῶς ἀληθινόν ἐστιν, ὃ φωτίζει πάντα ἄνθρωπον ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον· σεμνύνοντες δὲ & πῶς ἔστὸς φησι τὸ, Ἐγὼ εἰμι τὸ φῶς τῦ κόσμυ· ὃν ἂν εὐλόγως προσκυνήσασεν τὸν διονεὶ βραχεῖ ἀπιν-δῆρα, ὡς πρὸς φῶς τὸν Θεὸν, ἀληθινὸν φωτὸς, ἐν ἡλίῳ, ἢ σελήνῃ, & ἄστροις. καὶ ὃν ἀτιμάζοντές γε τὰ τηλικαῦτα τῦ Θεῦ δημιυργήματα, ὀδὲ Ἀναξαγορίως μύδρον Δία πυρὸν λέγοντες εἶ) τὸν ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ ἀστέρας, τοιαῦτά φαμεν περὶ ἡλίυ, καὶ σελήνης, καὶ ἀστέρων· ἀλλ' αἰσθανόμενοι γε τ ἀφάτῳ ὑπεροχῇ ὑπερεχόσης θειότητος τῦ Θεῦ, ἔτι ἢ ἢ τῦ μονογενῦς αὐτῦ ὑπερέχοντος τὰ λοιπά. i. e. *Et quemadmodum isti adoratores Solis, Lunæ, stellarumque, & admiratores eorum luminis, nunquam adorarent scintillam ignis aut lucernam in terra, videntes incomparabiliter præcellentiora, quorum lumen adoratione dignum existimant: ita qui intelligunt, quomodo Deus lumen sit, & quomodo Filius ejus lux vera sit, illustrans omnem hominem in hunc mundum venientem, & intelligunt etiam illud ejus dictum,* Ego sum lux mundi; *immeritò adorarent parvam velut scintillam veræ lucis, si ad lumen illud quod Deus est, conferatur, quæ in Sole, Luna & astris existit. Non autem quòd contemnamus tam egregia Dei opera, aut, sicut Anaxagoras, globum ignitum Solem existimemus, ut & Lunam & astra cætera, ideo hæc de Sole, Luna & astris cæteris dicimus; sed quòd agnoscamus Dei & Filii ejus unigeniti inenarrabili præstantiâ præcellentem Divinitatem, quæ cætera omnia longè post se relinquit.* Quid, quæso, ad declarandum veram Filii Divinitatem, his disertius dici potuit? Nam expresè hîc tradit Origenes, Filium cum Patre esse verum illud lumen, quod Deus est, cui collata parvæ instar scintillæ est ipsa Solis Lux: qui & Filio perinde ac Patri expresè tribuit inenarrabili præstantiâ præcellentem Divinitatem, quæ creaturas omnes immensùm superat. Demum hinc iterum concludit, Deum Patrem ejusque unigenitum Filium, spretis, quantum ad adorationem attinet, Sole, Lunâ, cæterisque cœli luminibus, solos (nempe in unitate Spiritus sancti, quod ipse Origenes alibi agnoscit)
pag. 239. divino cultu honorandos esse. Ibidem, paucis interjectis, ait, Deum Patrem non τοπικῶς *localiter*, utpote immensum, neque loco inclusum, sed προνοητικῶς, *per providentiam* condescendere hominibus pro sua bonitate: Filium verò Dei non solùm tunc cum inter homines degeret, sed & semper suis adesse discipulis; & quanquam ex infinita erga humanum genus charitate dignatus est etiam τοπικῶς nobiscum in assumpta natura humana versari; tamen omnino πανταχῦ, *ubique* præsentem esse. Quibus positis, deinde pro cultu solius Dei Patris ejusque unigeniti Filii, contra adorationem luminum cœlestium, ita ratiocinatur: ἄτοπον δὲ ἐστι, τὸν πληρώσαντα τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ εἰπόντα· Οὐχὶ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν ἐγὼ πληρῶ; λέγει Κύριος, ὄντα μεθ' ἡμῶν, καὶ πλησίον ἡμῖν τυγχάνοντα, (πιστεύομεν γὰρ αὐτῦ λέγοντι· Θεὸς ἐγγίζων ἐγώ εἰμι, καὶ ὁ Θεὸς πόρρωθεν, λέγει Κύριος,) ζητεῖν εὔχεσθαι τῷ μὴ φθάνοντι ἐπὶ τὰ σύμπαντα ἡλίῳ, ἢ σελήνῃ, ἢ τινι τῶν ἀστέρων. i. e. *Absurdum autem esset, cum is, qui cœlum & terram implet, dicens,* Nonne cœlum & terram ego impleo? ait Dominus, *nobis præsto sit & in proximo;* (*credimus enim dicenti:* Deus appropinquans ego sum, non Deus longinquus, ait Dominus) *quærere, cui vota facias, non semper ubique præsentem Solem, Lunam, aut stellam aliquam.*

§. 9. In libro sexto divinam prorsus atq; increatam Filii Dei naturam verbis hisce omni luce clarioribus confirmat: ὅτε γὰρ τὸν pag. 287. ἀγέννητον καὶ πάσης γενητῆς φύσεως πρωτότοκον καθ' ἀξίαν εἰδέναι τις δυνήσεται, ὡς ὁ γεννήσας αὐτὸν πάλιν, ὅτε τὸν πατέρα, ὡς ὁ ἔμψυχος λόγος, & σοφία αὐτῦ, καὶ ἀλήθεια· i. e. *Neque enim eum qui factus non est, & naturæ omnis facta est primogenitus, quisquam pro dignitate potest nosse, sicut Pater ipse qui genuit: neque Patrem quisquam, sicut animatum ejus Verbum, veritas & sapientia.* Hisce, inquam, verbis Origenes, tanquam in confessu Patrum Nicænorum ipse jam sedisset, contra Arium disertè pronuntiat, Filium Dei ὀδὲ ποιητὸν, ὀδὲ κτιστὸν, *neque factum, neque creatum* esse: (nam utrumque complectitur suo ambitu vox ἀγέννητος:) quin & Patrem & Filium sibi invicem pariter comprehensibiles, creaturis verò omnibus prorsus incomprehensibiles esse, expresè docet. Hujus autem illustris loci ictum ut evadat Sandius, fingit textum Origenis interpolatum hîc ac depravatum esse: *Petavius*, inquit, *probat lib.* 1. Lib. de *de Trinit. cap.* 3. *n.* 5. & 6. (seu potius cap. Scriptor. 4. n. 6. & 7.) *locum Origenis, quando lib.* 6. Eccles. p. *contra Celsum, Filium* ἀγέννητον *vocet, esse interpolatum, eò quòd Epiphanius Hær. Origenis reprehendat eum, quod in Commentariis ad Psalmum, Filium dixerit* ἄγνωστον *Deum.* Sed non ibi dicit, nedum probat Petavius, locum hunc Origenis interpolatum esse: neque si ita dixisset Jesuita, magni æstimanda esset ejus censura. Nam Græci codices MSS. omnes, quotquot uspiam reperti sunt, cum excusis exemplaribus hîc consentiunt: & sententia hujus loci omnino consentanea est constanti doctrinæ horum contra Celsum librorum, in quibus Origenes Filium Dei è censu τῶν δημιυργημάτων passim disertè eximit, ut ex testimoniis jam suprà à nobis productis

ductis liquet. Ad id verò quod ex Epiphanio objicit Petavius, nempe Origenem in Commentario ad Psalmum 1. Filium Dei dixisse γλυπτὸν Θεὸν, nescire non poterat Sandius, luculentam responsionem reddidisse Cl. Huetium Origenian. lib. 2. pag. 43. *Origenes*, inquit, *cum Filium appellat* γλυπτὸν Θεὸν, *sic accipe : qui principium sui habet & existendi initium. Filio quidem commune est cum creatis rebus, sui principium ac originem habere : emanandi autem ex illo principio ac prodeundi ratio planè diversa est : prodit enim Filius per generationem æternam ; prodeunt creatæ res per temporariam creationem.* —— *Atque ita Filius dici potest* ἀγέννητος, *qui ab alio non habet ut sit, nempe tanquam opus seu res facta, vel tanquam res creata : &* γνητὸς, *qui ab alio habet ut sit, nempe tanquam res genita & Filius. Sic Origenes, qui* γλυπτὸν Θεὸν *appellâsse Filium insimulatur,* —— *Filium tamen* ἀγέννητον *vocat Lib. 6. contra Cels.* Paulo post hæc subjungit idem Huetius: *Cum Filium dixit (Origenes)* γλυπτὸν, *id sibi voluit, habere ipsum sui principium ; contrà Hieronymus exposuit, esse factum. Nempe sic verba Origenis in pessimum sensum trahere amabat. Ita Epiphanius vocis* γλυπτὸς *usum in aliis probaturum se dicit, in Origene damnare.* Plura hac de re apud Huetium ibidem legas. Ego ad libros Origenis contra Celsum redeo. In eodem libro sexto dicenti Celso, Deum neque ratione esse comprehensibilem, sic re-
pag. 320. spondet Origenes : Διαστέλλομαι τὸ ζημαινόμενον, καὶ φημὶ εἰ μὲν λόγῳ τῷ ἐν ἡμῖν, εἴτε ἐνδιάθετῳ, εἴτε καὶ προφορικῷ, καὶ ἡμεῖς φήσομεν, ὅτι ὅπ ἔστιν ἔφικτος τῷ λόγῳ ὁ Θεός. εἰ δὲ νοήσαντες τὸ ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς Θεὸν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος· ἀποφαινόμεθα, ὅτι τούτῳ τῷ λόγῳ ἔφικτός ἐστιν ὁ Θεὸς, i. e. *Distinguo significatum, & dico : si intelligatur de ratione, quæ vel inserta est nobis, vel è nobis se exerit, hâc non esse Deum comprehensibilem. Sin de illa, quæ erat in principio, & erat apud Deum, & ipsa erat Deus, aimus hâc Deum esse comprehensibilem.* Scil. Deus nisi à Deo, quod infinitum est, nisi ab infinito comprehendi non potest : unde sequitur τὸν λόγον, qui Deum valeat comprehendere, ipsum esse Deum ; quod & in terminis Origenes cum Joanne Evangelista affirmat. Quàm hoc Origenis pronuntiatum Arianæ blasphemiæ ex diametro repugnet, nemo est qui non videat. Dixit enim Arius in libro *Thalia* inscripto, (referente Athanasio in lib. de Synod.) ἀδυνατον υἱῷ, τὸν πατέρα ἐξιχνιάσαι ὁποῖός ἐστιν ἐφ' ἑαυτῷ· αὐτὸς γὰρ ὁ υἱὸς τὸν ἑαυτοῦ οὐσίαν οὐκ οἶδεν, i e. *Possibile enim non est Filio, investigare Patrem, qualis in seipso est : Filius quippe suam ipse essentiam non novit.* His gemina sunt, quæ post aliquam multa in eodem libro sequuntur : τίς δὲ ἄλλος σῶσαι καὶ προσαγαγεῖν τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ δύναται τὸν ἀνθρώπινον ψυχὴν, ἢ ὁ Θεὸς λόγος ; ὃς ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεὸν ὤν, διὰ τὴν κολλησθείσαν τῇ σαρκὶ καὶ γινομένους ὅπερ σάρξ, ἐγένετο σάρξ, ἵνα χωρηθῇ ὑπὸ τῶν μὴ δυναμένων αὐτὸν βλέπειν καθὸ λόγος ἐστὶν, καὶ πρὸς Θεὸν ἐστὶν, καὶ Θεὸς ἐστὶν ὁ λόγος· i. e. *Quis enim alius valeat servare, & ad Deum Opt. Max. humanam animam adducere, quàm Deus Verbum ? qui cum in principio apud Deum esset, propter carni cohærentes & carnales caro factus est, ut caperetur ab iis, à quibus alioqui ne videri quidem poterat, in quantum Verbum erat, & apud Deum erat, & Deus erat.* Denique Origenes mox ibidem Filium dicit, perinde ac Patrem, magnum atque incomprehensibilem ; quin & Patrem cum unigenito Filio etiam magnitudinem suam communicâsse affirmat. Verba infrà commodiori locô integrè recitabimus.

§. 10. Vides Lector, ut Origenes in libris contra Celsum, (qui ex omnibus ejus Scriptis, omnium consensu, maximè genuini, puri & incorrupti sunt,) veram Filii Divinitatem sæpius atque apertissimè confirmet. Quis jam suspicaretur, ex hisce ipsis libris ea colligi potuisse, quæ Arianæ blasphemiæ Origenem faviisse ostenderent ? Petavius * tamen id objicit Origeni tanquam Arianissimum sapiens, quòd in libro 6. contra Celsum † scripserit, τὸν μὲν προσεχῶς δημιουργὸν εἶ) τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ λόγον, καὶ ὡσπερεὶ αὐτουργὸν τοῦ κόσμου τὸν μὲν πατέρα τοῦ λόγου, τῷ προσελαχέναι τῷ υἱῷ ἑαυτοῦ λόγῳ ποιῆσαι τὸν κόσμον, εἶ) πρώτως δημιουργόν· i. e. *Proximum mundi opificem esse Filium Dei Verbum, qui velut per se mundum ipse fabricârit : Patrem verò Verbi, eo ipso quòd Filio suo atque Verbo jusserit mundum facere, esse primarium opificem.* Sed quomodo hæc intelligenda sint, jam suprà ostendi de Irenæi doctrina agens, hujus Sectionis cap. 5. n. 6. quò Lectorem remitto. Certè à Patre tanquam summo opifice quasi imperante, per Filium, Patris jussionem ac voluntatem exequentem, creata fuisse omnia, adeo Arianum non est, ut etiam Catholici Doctores, qui post Concilium Nicænum vixerunt, quique Arianæ hæresis acerrimi impugnatores fuere, passim illud in Scriptis suis affirmare non sint veriti, ut ibidem ex ipso Petavio ostendimus. Scriptoribus isthic adductis libet hîc unum Hilarium adjungere, qui in libro 4. de Trinit. agens de verbis il-
pag. 39, 40. lis Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, &c. sic loquitur : *Per id quod dictum est*, Faciamus hominem, *ex eo origo est*,

* De Trinit. lib. 1. cap. 4. n. 5.

† p. 317.

ex

ex quo capit & Sermo : in eo verò quòd Deus ad imaginem Dei facit hominem, significatur etiam is, per quem consummatur operatio. Et paulò pòst : *In eo quod dicitur*, Faciamus, *& jussio exæquatur, & factum.* Et mox iterum de Sapientia sive Filio Dei, Patri suo aggaudente in creationis operibus, hæc habet: *Causam lætitiæ suæ Sapientia docuit : lætabatur autem ob lætitiam Patris, in perfectione mundi & in filiis hominum lætantis. Scriptum est enim :* Et vidit Deus quia bona sunt. *Placere Patri opera sua gaudet*, PER SE EX PRÆCEPTO EJUS EFFECTA. Quæ postrema Hilarii verba, loci Origeniani, quem carpit Petavius, sententiam plenè exprimunt. Illud porro notandum est, Origenem dictum suum, ne cuiquam duriusculum videretur, expressè emolliisse adverbiô ὡσανεὶ, *velut: Filius*, inquit, *est proximus mundi opifex, qui* velut *per se mundum ipse fabricârit :* quâ cautione dubiô procul occurrere voluit eorum errori, qui Patris & Filii in eodem creationis opere indivisam ἐνέργειαν non agnoverint. Sed quò tandem evadet hæc Scholasticorum Theologorum in censendis Veterum dictis audacia ac temeritas? Sane si is, qui dixerit Patrem, quà Pater est, primarium esse mundi opificem, qui hæc universa per Filium suum condiderit, pro Ariano habendus est; vix ab Arianismi labe purus erit ipse Paulus, in Epist. 1 ad Corinth. cap. 8. v. 6. de partibus, ut ita loquar, Patris & Filii in rerum creatione & renovatione, sic differens: *Nobis unus est Deus Pater, à quo omnia, & nos in ipso : & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Nam illud ἐξ ὃ, *à quo*, causam primariam denotare, manifestum est. Unde & Theodorus Beza ad locum hæc annotat : *Quum Pater à Filio distinguitur, illi principium tribuitur.* Scilicet hæc omnia omnino referenda sunt ad illam Filii subordinationem quâ Patri, ut Auctori suo (hîc iterum ipsis Hilarii verbis utor,) subjectus est, de qua Sectione quartâ fusiùs agemus. Quid? quòd in ipso Symbolo Nicæno credere jubemur, primò, *in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium creatorem :* deinde *in unum Dominum Jesum Christum*, &c. *per quem omnia facta sunt.* Puto Nicænos Patres, nisi in Oecumenico convenissent Concilio, cui nefas sit contradicere, propter hæc dicta, acrem Petavii Jesuitæ censuram vix evasuros fuisse. Ut paucis rem totam complectar; qui dixerit Deum Patrem, tanquam fontem Divinitatis adeoque omnium operationum divinarum originem, à seipso per Filium suum mundum condidisse, ac proinde rerum omnium primarium esse opificem; næ is Arianæ hæresis neutiquam incusandus est: nisi verò antiquis Ecclesiæ Patribus universis, adeoque ipsis Scriptoribus θεοπνεύστοις Arianismi dicam impingere velimus. Sed illud demum Arianæ esset blasphemiæ, si quis doceret, Patrem hæc universa constituisse per Filium, tanquam per instrumentum sibi extraneum, aut tanquam per virtutem aliquam ante cætera omnia creatam, atque ab ipsius essentia alienam: quæ impietas mentem Origenis ne per somnium quidem unquam subiit, ut ex locis à nobis superiùs adductis liquet.

§. 11. Sed & alia quædam in ipsis contra Celsum libris atrô calculô notat, & verû transfigit ipse Huetius, ex quibus nos præcipua discutiemus. Primò adducit Huetius, tanquam solutu difficiliora, verba Origenis lib. 8. contr. Cels. pag. 386. εἰ δέ τις ἐκ τούτων περιπαθήσειαι, μή πη αὐτομολῶμεν πρὸς τοὺς ἀναιροῦντας δύο ἢ) ὑποστάσεις πατέρα καὶ υἱόν ἐπισκοπάτω τῷ· Ἦν δὲ πάντων ἡ καρδία καὶ ἡ ψυχὴ μία, ἵνα θεωρήσῃ τό· Ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν· i. e. *Quod si quis his motus verebitur, ne fortè transfugiamus ad eos, qui negant duas esse hypostases Patrem & Filium; audiat illud :* Erat autem omnium credentium cor unum & una anima; *ut contempletur illud dictum* : Ego & Pater unum sumus. Et deinde : θεησκεύομεν ἕν τὸν πατέρα τῆς ἀληθείας, καὶ τὸν υἱὸν τὴν ἀλήθειαν, ὄντα δύο τῇ ὑποστάσει πράγματα, ἓν δὲ τῇ ὁμονοίᾳ, καὶ τῇ συμφωνίᾳ & τῇ ταυτότητι τοῦ βουλήματος, i.e. *Itaque religiosè colimus Patrem veritatis, & veritatem Filium, duos quidem hypostasi, unum verò concordiâ, consensu, voluntatisq; identitate.* Ad quæ hæc annotat Vir doctissimus : *Patrem & Filium duo esse ait* ὑποστάσει, *unum consensu & concordiâ. Atqui* ὑπόστασις *pro* οὐσίᾳ *priscis temporibus solebat usurpari ab Ethnicis & Christianis. Hieronymus Epist. 57. ad Damas.* Tota secularium literarum schola nihil aliud ὑπόστασιν nisi οὐσίαν novit. *Ita sumpserunt Nicæni Patres, ita Sardicenses. Ita & sumpsisse Origenem verisimile est.* Respondeo primò : Voces ὑπόστασις & οὐσία priscis temporibus variè usurpatæ fuere, saltem à Christianis. Scilicet nonnunquam ὑπόστασις pro eo quod nos οὐσίαν dicimus, & vice versâ vox οὐσία pro eo quod nos ὑπόστασιν appellamus, ab ipsis accepta fuit: nonnunquam ὑπόστασιν dixerunt Veteres, etiam qui Concilium Nicænum antecesserunt, quod nos hodie personam sive subsistentiam appellamus. Vocem ὑποστάσεως pro eo quod nos οὐσίαν dicimus, à priscis quandoque usurpari non modò confitetur, sed & contendit Huetius. Quamquam (ut verum ingenuè fatear,) non memini, me

Huet Origenian. l. 2. p. 32.

me vocem ita usurpatam à Scriptore aliquo Catholico, de SS. Trinitate differente, ante Concilium Nicænum, aut aliquamdiu post, legisse. Vocabulum vero οὐσίαν ab iisdem pro eo quod nos ὑπόστασιν appellamus, nonnunquam accipi certissimum est. Sic Pierius Martyr & Presbyter, Pamphili Martyris præceptor, cum de Patre & Filio Catholico more sentiret, Patrem tamen & Filium οὐσίας & φύσεις duas esse dicebat, ut refert Photius, *usiæ* & *naturæ* vocabulô *hypostasin* significans, ut ex antecedentibus & consequentibus constare dicit idem Photius. Sic vocem φύσις (quæ alioqui latioris est significationis, quàm vox οὐσία,) à Clemente Alexandrino usurpatam fuisse, suprà observavimus. Atque eodem sensu vocabulum accipi à Gregorio Nysseno, ab Epiphanio, adeoque ab ipso Athanasio ostendit Petavius de Trinit. lib. 4. cap. 1. n. 2. 3. Denique (quod rem nostram propiùs spectat,) vocem ὑποστάσεως aliquoties à priscis Ecclesiæ Doctoribus, etiam qui Concilium Nicænum antecesserunt, pro subsistentia, vel pro re singulari per se subsistente, quæ in rebus intellectu præditis idem est quod persona, usurpari multis exemplis constat. Tertullianus in libro adverſ. Prax. cum asserere voluit Filii subsistentiam contra eos, qui illum distinctam esse a Patre personam negabant, affirmat Filium Dei esse *substantiam & rem substantivam.* Sic cap. 7. *Ergo, inquis, das aliquam substantiam esse Sermonem, Spiritu & Sophiæ traditione constructam? planè. Non vis enim eum substantivum habere in re, per substantiæ proprietatem, ut res & persona quædam videri possit, & ita capiat secundus à Deo constitutus duos efficere, Patrem & Filium, Deum & Sermonem. Quid est enim, dices, sermo, nisi vox & sonus oris, & (sicut Grammatici tradunt) aer offensus, intelligibilis auditu, cæterum vacuum nescio quid, & inane, & incorporale? At ego nihil dico de Deo inane & vacuum prodire potuisse, ut non de inani & vacuo prolatum: nec carere substantiâ, quod de tanta substantia processit,* &c. Rursus cap. 26. de Patris & Filii distinctione agens, sic loquitur: *Deus Dei tanquam substantiva res, non erit ipse Deus; sed hactenus Deus, quia ex ipsius Dei substantia, quæ & substantiva res est,* &c. Mox negat sapientiam & providentiam esse *res substantivas*, aut *substantias*, hoc est, ὑποστάσεις. Scilicet hanc loquendi formam ex Græcis Patribus omnino sumpsisse videtur Græcorum ille imitator, Photius Bibl. Codic. 119.

Græcam vocem ὑπόστασιν Latinè *substantiam* & *rem substantivam* vertens: cum alioqui Latini, etiam Tertulliani ætate, suum habuerint vocabulum, quô subsistentiam in divina essentia exprimerent, nempe vocem *personæ*, quæ aliquoties in eodem libro ab ipso Tertulliano usurpatur. Hippolytus, Tertulliano ætate proximus, & Origene antiquior, in loco superiùs a nobis laudato ait, carnem sive humanam in Christo naturam per se non subsistere, sed *in Verbo habere* τὴν ὑπόστασιν, hoc est, *in Verbo subsistere.* Dionysius Alexandrinus, Origenis discipulus, in responsione ad quæstionem quartam Pauli Samosateni, de tribus personis S. Trinitatis sic loquitur: αἱ δύο ὑποστάσεις ἀχώριστοι, καὶ τὸ ἐνυπόστατον τοῦ πατρὸς πνεῦμα, ὃ ἦν ἐν τῷ υἱῷ, i. e. *Duæ hypostases* (Patris scil. & Filii) *inseparabiles sunt, & subsistens Patris Spiritus, qui erat in Filio.* Atque ex hoc Dionysii Alexandrini loco omnino explicanda mihi videtur sententia cognominis, & coætanei ejus, Dionysii Romani: qui in Epistola contra Sabellianos apud Athanasium,† postquam ipsos refutaverat, eos deinde redarguit, qui Deitatem secabant εἰς τρεῖς μεμερισμένας ὑποστάσεις, *in tres divisas hypostases.* Petavius quidem de Trinitate Lib. 4. Cap. 1. §. 5. eo in loco vocem ὑπόστασιν pro οὐσίᾳ in generaliori significatione poni voluit; hôc, ut arbitror, argumento ad id inductus, quòd Dionysius dissensum suum ab iis profiteatur, qui Deitatem in tres hypostases dividebant. Sed hoc nihil est. Neque enim simpliciter eos culpat Dionysius, contra quos disputat, quòd tres in Deitate hypostases statuerint; sed ideo tantùm, quòd hypostases illas tres esse μεμερισμένας, *divisas* existimârint. Quod mox ibidem pleniùs exprimit, dum rursus eosdem hæreticos divisisse ait Divinitatem εἰς τρεῖς ὑποστάσεις ξένας, ἀλλήλων παντάπασι κεχωρισμένας· *in tres hypostases peregrinas, ab invicem omnino separatas.* Pessimè igitur verba Dionysii Græca Latinè reddidit Petavius *distinctas hypostases.* Adversus hos Hæreticos deinde statuit Dionysius, ἑνῶσθαι τῷ Θεῷ τὸ ὅλων τὸ θεῖον λόγον· ἐμφιλοχωρεῖν δὲ τῷ Θεῷ, ἢ ἐνδιαιτᾶσθαι τὸ ἅγιον πνεῦμα, *uniri omnium Deo Dei Verbum; & in eodem hærere versarique Spiritum sanctum:* hoc est, hypostases tres divinas per inexplicabilem quandam περιχώρησιν intimè sibi invicem conjunctas esse, & sese mutuò quasi immeare, ita ut altera ab altera neutiquam separari possit. Quâ de re inferiùs plura dicemus.

Vide hujus Sect. c. 8. n. 5.

† Athan. de Syn. Nic. Decretis p. 275. Edit. Paris. 1627.

Locum autem hunc Dionysii Romani integrè citatum videas hujus Sectionis cap. 11. n. 1. Itaque cum Dionysius Romanus negat, in Deitate tres esse hypostases divisas ac separatas; idem manifestè voluit, quod alter Dionysius, cum affirmat, Patrem & Filium esse duas hypostases minimè separatas, & Spiritum S. quoque hypostasin esse in ipso Filio subsistentem, adeoque neque à Filio, neque à Patre disjunctum. Nimirum uterque hypostaseon distinctionem in Divinitate pariter agnovit; uterque divisionem & separationem hypostaseon pariter negavit. His verò clarissimam lucem affert alter Dionysii Alexandrini locus, citatus à magno Basilio* in libro de Spiritu sancto cap. 29. ubi Dionysium illum inducit sic in media sua Apologia contra Sabellianos disputantem: ἐι τῶ τρεῖς εἰ) τὰς ὑποστάσεις, μεμερισμένας εἰ) λέγουσι, τρεῖς εἰσι, κἂν μὴ θέλωσιν, ἢ τ̃ θείαν τριάδα παντελῶς ἀνελεῖν, i. e. *Si eo quòd tres sunt personæ, divisas esse dicunt, tres sunt, etiamsi nolint, aut divinam Trinitatem prorsus è medio tollant.* Quibus ex verbis apertè colligitur, apud Catholicos Dionysii ætate ratum & fixum illud fuisse, tres esse in divinis hypostases; Sabellianos verò ex illa hypothesi consequi existimâsse, tres esse hypostases divisas; utpote qui tres distinctas personas in essentia divina absque divisione subsistentes mente sua concipere nequiverunt. Hanc autem consequentiam omnino rejiciunt ambo Dionysii in locis suprà adductis. Pergamus. Dionysii utriusque æquales sex Episcopi, qui ex Synodo Antiochena ad Paulum Samosatenum scripsere Epistolam, in ipsa contra eundem Paulum & Sabellium negant, Filium Dei esse Patris ἐπιςήμην ἀνυπόςαλον, *scientiam per se minimè subsistentem.* Et ibidem ipsum Dei Filium dicunt Dei Patris ἐνέργειαν ζῶσαν κ) ὑφεςῶσαν, *virtutem viventem ac subsistentem.* Quis igitur dubitet, quin hi Episcopi Filium quoque dixerint ὑπόςασιν à Patre distinctam? Præsertim cum Dionysius Alexandrinus ejusdem sæculi τὴν ὑπόςασιν & τὸ ἀνυπόςαλον tanquam idem significantia usurpârit, ut ex loco suprà allato liquet. Alexander Episcopus Alexandrinus, in Epistola ad Alexandrum Constantinopolitanum ante Synodum Nicænam scriptâ, eodem sensu vocem accepisse videtur, dum ad verba Joannis Evangelistæ, Evang. c. 1. v. 1. hæc scribit: τὴν γὰ ἰδιότροπον αὐτ̃ ὑπόςασιν ἐδήλωσεν, εἰπών· Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, κ) ὁ λόγος ἦν πρὸς τ̃ Θεόν. i. e. *Proprio modo constantem ejus (Filii) hypostasin significavit, dicens: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Et, si magno Basilio, potiùs quàm nupero Jesuitæ Petavio, fides habenda sit, eodem sensu vocabulum intellexerunt, juxta antiquum scil. in Ecclesia usum, Patres Nicæni, cum in Symbolo anathematizârunt eos, qui dicerent Filium esse ἐξ ἑτέρας ὑποςάσεως, ἢ οὐσίας, *ex alia hypostasi, sive substantia,* quàm Patris. Nam Basilius in Epistola LXXVIII. referens, Marcellum Ancyranum, & alios quosdam Sabellianæ fautores hæresis, ex illis Nicæni Concilii verbis patrocinium quæsiviisse; ὁσίαν & ὑπόςασιν negat εἶναι συνωνύμως & tanquam idem significantes voces à Patribus adhibitas fuisse. Quod hâc ratione probat: εἰ γὰ μίαν κ) τὴν αὐτὴν ἐδήλουν ἔννοιαν αἱ φωναὶ, τίς χρεία ἦν ἑκατέρων; ἀλλὰ δῆλον ὅτι, ὡς τ̃ μὲν ἀρνουμένων τὸ ἐκ τ̃ οὐσίας εἶ) τὸ παλαιὸς, τ̃ δὲ λεγόντων, ὅτι ἐκ τ̃ οὐσίας, ἀλλ' ἐξ ἄλλης τινὸς ὑποςάσεως, ὅτως ἀμφότερα ὡς ἀλλότρια τ̃ ἐκκλησιαςικ̃ φρονήματος ἀπηγόρευσαν, i. e. *Si unam & eandem rem significârunt voces illæ, quid attinebat simul illas adhiberi? Sed perspicuum est, eò quòd alii negarent, Filium è substantia esse Patris, alii neque ex ejus substantia, sed ex alia insuper hypostasi esse dicerent; utramque illos opinionem tanquam alienam à sensu Ecclesiastico rejecisse.* Libet verò hîc obiter argumenta præcipua, quibus hanc M. Basilii sententiam convellere Petavius conatus est, paucis ad examen revocare: *Primò*, inquit, *contra solum Arii dogma Symboli clausulam addidisse Patres, liquidò constat.* Poteram interrogare Petavium, unde id liquidò constet? Certè liquidissimò constat, Patres in suo Symbolo, quanquam Arii dogma præcipuè impugnare intenderint, & aliorum tamen hæreses alicubi perstringere. Sic cum definiunt per Filium facta fuisse omnia, non Arianos, quippe qui hoc nunquam negârint, sed Ebionæos, Artemonitas, Samosatenianos, & ejusdem monetæ alios Hæreticos feriunt. Sed esto, clausulam istam contra solum Arianorum dogma à Patribus additam fuisse; (quod verissimum esse puto;) quid tum? *Ariani*, inquit Petavius, *non docuerunt Filium ab alia persona quàm Patris originem traxisse.* Respondeo, neq; docuisse Arianorum quempiam, Filium ex alia substantia originem traxisse, si rigidè & exactè loqui velimus. Verùm ut omnes Ariani negârunt Filium è substantia Patris natum; ita quidam ullo modo

Bibl. PP. tom. 11.

Apud Theodorit. E. H. l. 1. c. 4.

Petav. de Trin. l. 4. c. 2. n. 6.

* Oper. Basilii Tom. 2. pag. 358. Edit. Parisiens. 1637.

modo ex ipso Patre, sive ex hypostasi Patris natum illum fuisse pernegârunt. Scilicet duæ fuere imprimis Ariomanitarum classes: alii fatebantur quidem Filium ex ipsa Patris hypostasi peculiari modo natum fuisse, non, ut cæteræ creaturæ, ex nihilo factum; sed negabant tamen Filium ex Patris substantia progenitum; virtutem tantummodo aliquam paternam illum esse existimantes, non paternæ substantiæ ἀπόῤῥοιαν· alii ne ex ipso Patre peculiari modo genitum fuisse Filium faterentur, eum planè ex non existentibus factum, ut cæteræ creaturæ, rotundè pronuntiârunt. Priores illi Semiariani dicti fuere, quorum sententiam, ex ipsorum Confessione apud Epiphanium Hæres. 73. n. 2. & seqq. sic paucis optimè explicavit alibi ipse Petavius his verbis: *Ibi*, inquit, *multa Catholico dogmati quàm simillima proferunt: imprimis quòd Filium negant esse creaturam, eò quòd verus sit Filius, ac verâ generatione productus, non tropicâ illâ, quâ creatæ res à Deo genitæ dicuntur; sed verè esse Patrem: quem & ex sese genuisse Filium fatentur, idque ante omnem cogitationem, & omnes rationes, & tempora, & sæcula. Hæc sunt specie ipsâ plausibilia, & ad Catholicam professionem quàm proximè accedunt. Sed deest tamen hoc illis, in quo fidei robur caputque consistit, quòd Filium* ἐκ τῆς οὐσίας *genitum à Patre esse non confitentur, sed* ἐκ τῆς ὁμοιότητος τοῦ πατρὸς, *ex similitudine Patris; nempe* ἐνεργείᾳ γεννητικῇ, *actione & efficientia genitali: siquidem Patrem aiunt varias actiones habere, unam* κτιστικὴν, *creatricem, alteram* γεννητικὴν, *generatricem, quæ producit Filium. Tum non eandem* οὐσίαν *in utroque esse statuunt, sed duas inter se similes.* Utramque itaque factionem Arianorum feriunt Patres Nicæni in verbis illis, ἢ ἄλλης ὑποστάσεως, ἢ οὐσίας· nempe tum illos, qui Filium ex persona Patris sive ex ipso Patre ullo modo natum fuisse negabant, & ex nihilo factum dicebant: tum etiam eos, qui Filium ex ipso Patre peculiari modo natum cum faterentur; tamen ἐξ οὐσίας, *è substantia* Patris progenitum, ac proinde Patri ὁμοούσιον pernegabant. Ut rem extra omnem controversiæ aleam ponam, Confessio Arianorum per Marim, Theodorum & Marcum Constanti Imperatori oblata, ab Athanasio lib. de Synod. Arim. & Seleuc. recitata, hæc in fine habet: τοὺς δὲ λέγοντας ἐξ οὐκ ὄντων τὸν υἱὸν, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως, καὶ μὴ ἐκ τοῦ Θεοῦ, [καὶ] ὡς ποτὲ ὅτε οὐκ ἦν υἱὸς, ἀλλοτρίους οἶδεν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία· i. e. *Eos porro qui dicunt Filium ex non existentibus, sive ex alia hypostasi, & non ex Deo esse, & fuit tempus quô nondum erat Filius, alienos à se censet Catholica Ecclesia.* Eadem planè exhibent Confessio per Eudoxium, Martyrium, & alios in Italiam missa, & Confessio Sirmiensis, quæ apud Athanasium ibidem sequuntur. Vides autem hîc, Arianos illos negâsse, Filium ex nihilo creatum, sive factum; & fassos fuisse, Filium ἐξ ὑποστάσεως, *ex hypostasi* Dei Patris, sive ex ipso Deo natum: cum tamen certissimum sit eosdem Hæreticos nunquam fassos, nunquam fassuros fuisse Filium ἐξ οὐσίας, *è substantia* Patris progenitum. Rectè itaque atque eruditè voces ὑπόστασις & οὐσία in Symbolo Nicæno distinxit Basilius: temerè verò prorsus observationem illam magni Doctoris carpsit Jesuita Petavius. Quod verò ad Basilii rationem, nempe Patres Nicænos in tam brevi Symbolo duas istas voces simul adhibituros non fuisse, si eadem esset ambarum significatio, respondet Petavius; id facilè refellitur. *Si*, inquit, *Basilii ista ratio valeret, ne illud quidem reprehensionis expers foret, quòd in eodem Symbolo, cum Patres dixissent damnare se illos, qui fuisse aliquando putarent, quando non erat Filius, statim id subjiciunt, quod idem significat: & antequam nasceretur, non erat; nec non, quia ex nullis substantibus factus est.* Sed nego verba illa, *antequam nasceretur, non erat*, idem prorsus significare, quod priora, *erat quando non erat.* Nam prior sententia Filii existentiæ initium indefinitè tribuit; altera punctum ipsum, ut ita dicam, initii illius designat. Equidem sensus in verbis posterioribus latet, qui etiam Petavii acumen fugit; quinam verò ille sit, infrà commodiori locô fusè explicabimus. Neque verum est, in verbis consequentibus, *quia ex nullis substantibus factus est*, rursus idem planè repeti. Nam ex grege Arianorum fuere nonnulli (ipso Petavio alibi id notante) quos postea Psathyrianos appellatos fuisse scribit in 4. libro de Hæres. Theodoretus, qui ut Patrem extitisse semper, ita Filium semper ab eo creatum fuisse dicerent: nihil enim apud Deum aliud esse gignere, quàm creare. Isti non dixerunt fuisse quando Filius non erat: dixerunt tamen Filium ex non existentibus factum. Cæterum etiam Gelasius Cyzicenus in Actis Concilii Nicæni part. 2. cap. 12. ex totius Synodi mandato ac decreto respondentem Hosium inducit, ac τριάδα ὑποστάσεων prædicantem: quod & postea per Leontium Episcopum Patres profitentur ibid. cap. 21. Hinc Anastasius Sinaita scripsit, Nicænos Patres definiisse, τρεῖς εἶναι ὑποστάσεις, ἤτοι πρόσωπα ἐν τῇ ἁγίᾳ καὶ ὁμοουσίῳ τριάδι· i. e. *Tres esse hypostases, sive personas in sancta & consubstantiali Trinitate.* Horum auctoritatem contempsit Petavius, iis scil. argumentis fretus, quibus se Basilii sententiam refutâsse frustra

Petav. de Trin. l. 1. c. 10. n. 7.

Vide Athanas. Tom. 1. p. 895.

Vid. Sect. 3. cap. 9. n. 2. & seqq.

Anast. in Odeg. c. 21.

fruſtra gloriatur. Certè Euſebius Cæſarienſis (qui Synodo Nicænæ interfuit, quôque nemo meliùs antiqvum vocis ὑποςάζεως in Eccleſia uſum intellexit,) in literis ſuis ad Euſtathium Antiochenum (referente Socrate) confeſſus eſt, ἐνυπόςατόν τε & ἐνυπάρχοντα τὸν ὑὸν ἔι τῷ Θεῷ, ἕνα τε Θεὸν ἐν τρισὶν ὑποςάσεσιν ἔι, i. e. *Filium Dei propriam hypoſtaſin & ſubſiſtentiam habere, Deumque in tribus hypoſtaſibus unum eſſe.* Atque hôc ſenſu ſine offenſione uſurpari perſeverâſſet (ut arbitror) vox ὑπόςασις, niſi Ariani ipſam abuſi fuiſſent ad propagandam hæreſin ſuam, pro natura ac ſubſtantia in generaliori ſignificatione accipientes, ac docentes, Patrem & Filium duas eſſe hypoſtaſes, hoc eſt, naturas ac ſubſtantias diverſas, à ſe invicem diſcrepantes. Adverſus hos enim Catholici Doctores affirmârunt in Concilio Sardicenſi, Patris & Filii μίαν eſſe ὑπόςασιν. Digna ſunt quæ à nobis hîc deſcribantur Patrum Sardicenſium verba hac de re in Epiſtola ſua Synodica* apud Theodoritum: Τὸ τῶν αἱρετικῶν σύςημα φιλονικεῖ, ἀμφόρους εἶναι τὰς ὑποςάσεις τοῦ παρὸς & τοῦ ὑοῦ & τοῦ ἁγίου πνεύματος, μὴ εἶναι κεχωρισμένας. ἡμεῖς δὲ ταύτῃ παρειλήφαμεν & δεδιδάγμεθα, & ταύτῃ ἔχομεν τὴν καθολικὴν καὶ ἀποςολικὴν παράδοσιν & πίςιν καὶ ὁμολογίαν, μίαν εἶναι ὑπόςασιν, ἣν αὐτοὶ οἱ αἱρετικοὶ ἐξίαν προσαγορεύουσι, τοῦ παρὸς καὶ τοῦ ὑοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, i. e. *Hæreticorum factio pertinaciter aſſeverat, Patris ac Filii & Spiritûs S. diverſas eſſe hypoſtaſes, à ſe invicem ſeparatas. Nos verò hanc à majoribus accepimus ac didicimus, & hanc tenemus Catholicam atque Apoſtolicam traditionem & fidem ac profeſſionem, unam eſſe hypoſtaſin, quam ipſi Hæretici ſubſtantiam appellant, Patris ac Filii & Spiritûs S.* Hîc Patres diſertè monent, ſe Patrem, Filium & Spiritum S. μίαν ὑπόςασιν dixiſſe eô tantùm ſenſu, quô Hæretici vocem ὑπόςασιν pro οὐσία acceperunt: ſignificantes nimirum, ſe alium ejus vocabuli ſenſum, apud veteres Eccleſiæ Doctores Catholicos receptum, (quippe à quibus uſurpatum fuerit pro perſona ſive ſubſiſtentia) non ignorâſſe, eumque lubentes amplexuros fuiſſe, ac faſſuros juxta iſtam vocis acceptionem, tres eſſe in Divinitate perſonas ſive ſubſiſtentias. Hinc tamen natum fuiſſe conſtat triſte illud diſſidium, quod poſtmodum Orientis adeoque Occidentis Eccleſias turbavit, de una ſive tribus hypoſtaſibus Divinis: dum ſcil. alii cum Patribus Concilii Sardicenſis loqui amârunt; alii verò veterem vocabuli uſum & ſignificationem retinuerunt. Quem uſum ſuâ tandem auctoritate confirmavit Concilium Conſtantinopolitanum primum, in Epiſt Synod. apud Theodoritum Eccl. Hiſt. lib. 5. cap. 9. Cæterum Ariani tandem etiam vocem ὑποςάσεως, unà cum οὐσίας vocabulo, è Symbolis ſuis abjiciendam decrevere. Nam in Confeſſione Conſtantinopoli ſcriptâ ab Acacio, Eudoxio, aliiſque, qui Seleucienſis Synodi decretô damnati, ad Imperatorem confugerunt, prope finem ſic definiunt: † τὸ μὲν ὄνομα τῆς οὐσίας, ὅπερ ἁπλούςερον ἀπὸ τῶν πατέρων ἐτέθη, ἄγνωςόν τε τοῖς λαοῖς, σκάνδαλον ἔφερε, διότι μηδὲ αἱ γραφαὶ τοῦτο περιέχουσιν, ἤρεσε περιαιρεθῆναι. ——— Καὶ γὰρ οὐδὲ ὀφείλει ὑπόςασις περὶ πατρὸς, καὶ υἱοῦ, καὶ ἁγίου πνεύματος ὀνομάζεσθαι. ὅμοιον γὰρ λέγομεν τῷ παρὰ τὸν υἱόν· i. e. *Nomen porro ſubſtantiæ, quod ſimpliciùs à Patribus editum, & ignotum populis, ſcandalum adfert, quoniam in S. literis non continetur, placuit de medio tolli.* ——— *Imò ne* ὑπόςασις *quidem de Patre, Filio, & Spiritu S. nominari debet. Similem autem dicimus Patri Filium,* &c. Quô decretô Ariani illi priores ſuas Confeſſiones, in quibus dixerant, Filium etiamſi non ἐξ οὐσίας, tamen ἐξ ὑποςάσεως Dei Patris genitum eſſe, omnino reſciderunt.

Socrates E. H. l. 1. cap. 23.

Theodorit. E. H. l. 2. c. 8.

2ò. Præmiſſâ hâc admodum prolixâ, neq; tamen utili minùs, Diſſertatione generali de antiquo uſu Eccleſiaſtico vocum οὐσία & ὑπόςασις· tandem ad Origenem redeo. Certum eſt, vocabulum ὑπόςασις apud ipſum pro ſubſiſtentia i. e. pro re ſingulari & individua, per ſe ſubſiſtente, quæ in iis quæ intellectu prædita ſunt, idem eſt ac quod *perſonam* hodie dicimus, paſſim uſurpari. Imò non memini, me uſpiam vocem aliter ab ipſo, ubi de Trinitate loquitur, acceptam legiſſe. Unde Vir magnus, Hugo Grotius, in Notis ad Joan. cap. 1. v. 2. & Epiſt. ad Hebræos cap. 1. v. 3. affirmat, eam vocis ὑποςάζεως ſignificationem ab Origene primùm (quod tamen verum eſſe non puto,) ex Platonicis in Eccleſiæ uſum traductam fuiſſe. Ad locum ab Huetio notatum quod attinet, nihil manifeſtius quàm Origenem ibi affirmare, Patrem & Filium duos eſſe τῇ ὑποςάσει eôdem ſenſu, quô Hæretici, quos ibidem perſtringit, id negârunt. Quinam verò iſti? Procul dubiô Noetiani & alii, qui Deum eſſe μονοπρόσωπον docuerunt,

* Seu potiùs in Appendice ad Epiſtolam a quibuſdam adjectâ, reliquis Epiſcopis reclamantibus. Vide Athanaſ. Epiſt. Synodica ad Antiochenſes pag. 576. Edit. Pariſ.

† Apud Athan. de Synod. Arim. & Seleuc. Tom. 1. pag. 906.

runt, ac tantùm μίαν ὑπόστασιν, hoc est, personam unam in Divinitate agnoverunt. Quod verò præterea objicit Huetius, Origenem, cum unum esse concordiâ & consensu dixerit Patrem & Filium, aliam omnem videri respuisse unitatem; id sane levis est momenti. Nam qui tantùm unitatem consensûs inter Patrem & Filium aliquo in loco exprimit, non statim is censendus est, omnem aliam unitatem prorsus ignorâsse. Deinde Origenes sexcentis aliis in locis Patrem & Filium ὁμοουσίους, si rem, quæ voce significatur, spectes, agnovit; sæpius etiam in terminis, ut loquuntur, τὸ ὁμοούσιον confessus est, citante Pamphilo Martyre, & attestante Ruffino. Idem de Novatiano, sive Auctore libri de Trinitate inter opera Tertulliani, quem ob similem locutionem notat Huetius, suô locô luculenter ostendam. Porro Origenes Tomô primô in Joannem de Valentinianis, ejusdemque farinæ aliis Hæreticis locutus, ait: χρῶνται τῷ· Ἐξηρεύξατο ἡ καρδία μου λόγον ἀγαθὸν, ὀνομάζοντες πατέρα μὲν, διονεὶ ἐν συλλαβαῖς κειμένῳ (ἢ) τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦτο ὑπόστασιν αὐτῷ, εἰ ἀκριβῶς αὐτῷ πιστεύσομεν, ἃ διδάσκει, ἀλλ' οὐσίαν αὐτοῦ σαφηνίζουσιν· i. e. *Utuntur dictô illo:* Eructavit cor meum verbum bonum; *existimantes Filium Dei paternam prolationem esse, tanquam in syllabis positam: unde hypostasin illi, si accuratè ipsos interrogemus, non tribuunt, neque substantiam ejus explanant.* Hîc fatetur Huetius, ὑπόστασιν ab οὐσίᾳ distingui quidem; sed ait, non sumi pro *persona*, sed *subsistentia*. Verùm apud Veteres, ubi de Trinitate loquuntur, quid, quæso, differt persona à subsistentia? Nimirum illi, ut rectè obsevavit Petavius,* *subsistentiam* pro concreto, quod dici solet, nomine sumpserunt, & cum *persona* confuderunt. Deinde in loco Origenis, quem reprehendit Huetius, accipiatur igitur ὑπόστασις pro *subsistentia*, ut dicantur Pater & Filius duo τῇ ὑποστάσει, *subsistentiâ*: an quisquam Catholicus id culpet? Imò nonne Hæreticus est, qui neget? Verùm acriùs insurgit Huetius: *Quid*, inquit, *defensionem præbere conamur* Origeni, *cum suam ipse causam prodat Tom. 2. in Joan. p. 56. ubi quendam impugnans* δογματίζοντα, μηδὲ οὐσίαν τινὰ ἰδίαν ὑφεστάναι τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἑτέραν δέ τινα τοῦ πατέρα καὶ τοῦ υἱόν post aliqua addit: ἡμεῖς μὲν τοίνυν τρεῖς ὑποστάσεις πεπιστεύκαμεν τυγχάνειν, τοῦ πατέρα, καὶ υἱὸν, καὶ ἅγιον πνεῦμα, κ. λ. i. e. *Nos autem qui tres personas esse Patrem, Filium & Spiritum S. persuasi sumus, &c. Quibus significat ab eo qui unicam in Trinitate οὐσίαν ponit, se dissentire, & tres ὑποστάσεις admittere, hoc est, tres οὐσίας. Nam si ἰδιότητας, hoc est, personas significaret vox ὑποστάσις, neutiquàm exprimeret dissensum suum ab eo, qui unius οὐσίας Trinitatem esse volebat.* Atqui, inquam ego, ex hoc loco nihil aliud colligi potest, quàm Adversarium, quem ibi impugnat Origenes, οὐσίας nomine hypostasin sive personam intellexisse, quod & ab aliis multis, etiam Catholicis, factum suprà ostendimus. Scilicet Adversarius, contra quem disputat ibi Origenes, fuit revera ex Noeti schola, qui dicebat, Spiritum S. à Patre & Filio nullatenus differre, sed τὸ αὐτὸ εἶναι τῷ πατρὶ, *prorsus idem esse quod Pater*, referente ibidem ipso Origene. Adversus hunc ostendit eo in loco Origenes, quod sine controversia Mat. 12. 32. distinctio declaretur Spiritûs S. à Filio; indeque concludit, Spiritum S. ut & Filium etiam, à Patre personâ differre. Tum subjungit, & se, & alios Catholicos credere, Patrem, Filium & Spiritum S. esse τρεῖς ὑποστάσεις, *tres subsistentias*. Nimirum ὑπόστασις apud Origenem fere constanter significat sive subsistentiam in abstracto, sive rem singularem & individuam per se subsistentem, quæ in iis, quæ vitâ & intellectu gaudent, (ut sæpius dixi,) idem est quod persona. Sed quorsum hisce Lectorem ambagibus detinemus? Extat locus in Græcis Origenis Commentariis ab ipso Huetio editis, qui nostram Origeniani sensûs interpretationem apertissimè confirmet. Nam Tomo 12. in Joannem, editionis Huetianæ p. 186. quosdam notat Origenes, (nempe ex Noetianis) qui ex locis Scripturæ quibusdam malè intellectis ostendi existimârunt, μὴ διαφέρειν τῷ ἀριθμῷ τὸν υἱὸν τοῦ πατρὸς, ἀλλ' ἓν, ὁ μόνον οὐσίᾳ, ἀλλὰ καὶ ὑποκειμένῳ τυγχάνοντας ἀμφοτέρους, κατά τινας ἐπινοίας διαφόρους, ὁ κατ' ὑπόστασιν, λέγεσθαι πατέρα & υἱόν· i. e. *Numerô non differre Filium à Patre, sed utrumque unum non modò substantiâ, sed & subjectô existentes, secundum quasdam notiones diversas, non secundum hypostasin, Patrem & Filium dici.* Quibus ipse respondet: λεκτέον πρὸς αὐτοὺς πρῶτον μὲν, ἕτερον εἶ) τὸν υἱὸν παρὰ τὸν πατέρα, καὶ ὅτι ἀνάγκη τὸν υἱὸν πατρὸς εἶναι υἱὸν, καὶ τὸν πατέρα υἱοῦ πατέρα. i. e. *Ad hos dicendum primò, alium esse Filium à Patre, & quòd necessariò Filius sit Patris Filius, & Pater Filii sit Pater.* Hîc οὐσία & ὑπόστασις clarè distinguuntur, planè quemadmodum à nobis hodie fit; & Origenis aliorumque Catholicorum sententia à

* Petavius de Trinitate lib. 4. cap. 3. n. 6.

Noetiana accuratè discriminatur. Docebant Catholici, Patrem & Filium unum quidem esse substantiâ, (hoc est, ὁμοουσίους,) sed hypostasi & subjecto duos : contrà Hæretici contendebant, Patrem & Filium non modò substantiâ, sed etiam hypostasi unum esse, ac tantùm secundum diversas notiones sive conceptus nostros distingui, atque aliô respectu nunc Patrem, nunc aliô Filium dici. His certè nihil manifestius. Quòd verò de antiquo vocis ὑποστάσεως in divinis usu Ecclesiastico, fusiùs fortasse quàm propositæ objectio postularet, disseruerim ; id, uti spero, haud molestum erit Lectori cordato, qui secum animô reputaverit, quàm hîc non modò à vulgo Theologorum, sed etiam à Viris eruditissimis totâ viâ erretur.

§. 12. Sequitur alia Huetii objectio, desumpta ex verbis Origenis lib.8. contra Cels.
p.387. nempe hisce : ἔστω δή, τινὰς ὡς ἐν πλήθει πιστεύοντων, καὶ δεχομένων ἀφωνίαν, ἀφ' ἧς τὴν προπέτειαν ὑποτίθεσθαι, τὸν σωτῆρα εἶναι τὸν ἐπὶ πᾶσι Θεὸν· ἀλλ' ὅτι γε ἡμεῖς τοιοῦτον, οἱ πειθόμενοι αὐτῷ λέγοντι· ὁ πατὴρ, ὁ πέμψας με, μείζων μού ἐστιν· i. e. *Esto autem, non deesse quosdam, ut in tam numerosa credentium multitudine, qui discrepantes ab aliis, temere affirment, quòd Servator sit ille universorum Deus; nos certè hoc non facimus, qui credimus ipsi dicenti : Pater, qui misit me, major me est.* Ad
Origen. l.2. p.34. quæ hæc annotat Cl. Huetius : *Affirmabant quidam Christum esse universorum Deum, idque verè & orthodoxè. Pertinet illud sane ad divinam Christi naturam, non ad humanam. Negat è contrario Origenes, Servatorem esse universorum Deum, quod inde probat, quia Patre minor sit, qui est universorum Deus. Divinæ ergo Christi naturæ detrahit supremam illam θεότητα supra res universas, & Patri addicit ; proindeque μεγέθει τινὶ, & ut Deum Deo, inferiorem Patri Filium statuit, non ut hominem Deo.* Sed primò, gravissimè errat Vir doctissimus, (quod pace ejus dixerim,) in eo, quòd putet, quos hîc perstringit Origenes, verè & orthodoxè affirmâsse, Filium esse universorum Deum. Nam disertè loquitur Origenes de paucis quibusdam inter Christianos, qui in eo quod affirmabant, à reliqua credentium *numerosa multitudine*, hoc est, à Catholica Christi Ecclesia, discrepabant. Quinetiam, si antecedentia & consequentia apud Origenem legeris, comperies, quæ ibi Celsus Christianis objicit, esse omnino ex Hæreticorum fabulis desumpta. Quinam verò isti, qui heterodoxè, & à communi Christianorum consensu abeuntes, affirmârunt Servatorem esse ipsum universorum Deum ? Puto Hæreticos designari, qui Origenis temporibus Noetianorum appellatione noscebantur, qui docebant Filium esse ipsum Deum Patrem, qui ἀφαιρετικῶς solebat ab ejus ævi Catholicis ὁ ἐπὶ πᾶσι Θεὸς, *universorum Deus* appellari. Certè Justinus verbis non absimilibus id genus Hæreticorum, alio nomine ipsius ætate cognitorum, impiam vesaniam in Apologia, quæ dicitur, secunda his verbis notat : οἱ γὰρ τὸν υἱὸν πατέρα φάσκοντες εἶναι, ἐλέγχονται μήτε τὸν πατέρα ἐπιγάμβροι, μήθ' ὅτι ἐστὶν υἱὸς τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων γινώσκοντες· ὃς καὶ λόγος πρωτότοκος ὢν τοῦ Θεοῦ, καὶ Θεὸς ὑπάρχει· i. e. *Qui enim Filium Patrem esse dicunt, comperiuntur neque Patrem scire, neque filium Patri universorum esse nôsse : qui, quòd Verbum Dei primogenitum sit, Deus etiam ipse est.* Ubi tum Filium à Patre universorum distinguit, & esse ipsum Deum Patrem contra Hæreticos negat ; tum etiam Filium, perinde ac Patrem, Deum revera esse, utpote ex ipso Deo Patre genitum, agnoscit. Fortassis verò Marcionitas, & alia id genus hominum monstra, in loco citato ferit Origenes, qui docebant Servatorem non esse Dei illius, qui mundum condidit, Filium ; sed ejus Dominum, eôque superiorem, eôq; nomine universorum Deum. Sane de his agi in antecedentibus & consequentibus, manifestum est. Secundò, quod Origenes in loco citato dicit, Filium etiam quà Deus est, (hoc est, Deus ex Deo,) Patre minorem esse ; (quod reprehendit Huetius) planè Catholicum esse, atque etiam à Patribus, qui post Nicænum Concilium Arianam hæresin acerrimè impugnârunt, defensum, infrà ad Sectionem 4. ostendemus. Ubi etiam lucu- Vid. Sect. 4. c. 2. n. 6.
p. 95. lentissimè probabimus, Origenem in libris contra Celsum, cum Deum Patrem κατ' αἰτίαν Filiô majorem statuerit, κατὰ φύσιν tamen Patrem & Filium pares omnino esse & æquales agnovisse.

§. 13. Tertiò reprehendit Huetius verba in libro 5. contra Celsum, ubi sic scribit :
pag. 238 ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ κύριος, ἀκούσας ποτὲ, διδάσκαλε ἀγαθὲ, ἀναπέμπων τὸ λεγόμενον τοῦτο ἐπὶ τὸν ἑαυτοῦ πατέρα, φησί· τί με λέγεις ἀγαθόν ; οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς, ὁ Θεὸς ὁ πατήρ. εἴπερ δὲ τοῦτ' εὐλόγως, ὡς εἰκὼν τοῦ ἀγαθότητος τοῦ τοῦ Θεοῦ τυγχάνων, εἴρηκεν ὁ υἱὸς τῆς ἀγάπης τοῦ πατρός· πῶς οὐχὶ εὐλογώτερον ἂν τοῖς προσκυνοῦσιν εἶπεν ἥλιος, τί με προσκυνεῖς ; Κύριον γὰρ τὸν Θεόν σε προσκυνήσεις· κ. λ. i. e. *Servator noster & Dominus, appellatus aliquando præceptor bonus, ad Patrem suum remittens eum qui se appellaverat, inquit :* Quid me dicis bonum ? nemo bonus nisi unus, nempe Deus Pater. *Quod si id meritò, ut imago bonitatis Dei, dixit dilectus Patris filius, annon justiùs Sol diceret suis adoratoribus : quid me ado-*

ras? Dominum Deum tuum adorabis, &c. Ad quæ hæc annotat Vir doctiſſimus: *Bonitatem illam, quæ Deo Patri convenit, Chriſto detrahit, non tantùm quatenus homo eſt, ſed etiam quatenus imago eſt bonitatis Dei, hoc eſt, quatenus eſt Deus.* Quaſi ſcilicet Chriſtus, etiam quatenus homo eſt, non ſingulari ratione eſſet bonitatis Dei imago. Quis verò credat, Origenem ſtupidi adeo ingenii fuiſſe, ut non intellexerit, textum illum Evangeliſtæ ad Chriſti οἰκονομίαν, in aſſumpta natura humana ſuſceptam, omnino pertinere? Imò Origenes ibidem diſertè monet, ſe Chriſtum iſta loquentem inducere, tanquam παράδειγμα, *exemplum*, quod ſcil. hominibus ipſe Chriſtus, inter homines verſatus, exhibere voluit. Quod ſi daremus, Origenem ibi loqui de Chriſto quatenus Deus eſt, equidem rectè dicitur Filius imago bonitatis paternæ, adæquata ſcilicet & perfecta; & tamen quatenus Patris imago eſt, non ipſe Pater, hoc eſt, quatenus ex paterno fonte bonitatem ſuam, ut & cætera divinæ naturæ attributa, adeoque ipſam divinam naturam derivatam habet, atque in ſecundo ſigno originis (ut loquuntur Scholaſtici) Deitatem poſſidet, haud minùs rectè eâ ratione Patri primas tribuere potuit. Quod verò ex iſtis verbis colligit Huetius, nempe Origenem omnino bonitatem illam, quæ Deo Patri convenit, Chriſto detraxiſſe, ac ſenſiſſe, (quod mox ibidem dicit idem Huetius,) Filium eſſe tantùm paternæ bonitatis particulam & auram quandam imperfectam; à mente ipſius Origenis prorſus alienum eſſe, (ſi modò mens ac ſententia ejus ex libris contra Celſum æſtimanda ſit) certiſſimum eſt. Nam cum in locis à nobis ſuperiùs adductis clarè doceat Origenes, Filium eſſe, perinde ac Patrem, verum Deum, increatum, immortalem, immutabilem, impaſſibilem, immenſum, ubique præſentem, atque undequaque beatum & perfectum; quâ is ratione potuit in eodem libro bonitatem, quæ Patri convenit, Filio, quà Deus eſt, detrahere? Sed & ſuprà etiam Adamantium audivimus lib. 3. cont. Celſ. dicentem, Filium Dei eſſe τὴν αὐτολόγον, καὶ τὴν αὐτοσοφίαν, καὶ τὴν αὐτοαλήθειαν, i.e. *ipſam* (ſive abſolutiſſimam) *illam rationem, ipſam illam ſapientiam, ipſam illam veritatem.* Quidni igitur Filius dicatur ipſa ſive abſolutiſſima bonitas, non bonitatis alicujus ſuperioris particula atque aura quædam imperfecta? Scilicet omnium attributorum divinorum par eſt ratio. Sic in libro 5. contra Celſum, unde hæc criminatio deſumpta eſt, iterum Origenes Filium dicit τὸν αὐτολόγον, καὶ τὴν αὐτοσοφίαν, καὶ τὴν αὐτοδικαιοσύνην· i.e. *ipſam illam rationem, ipſam illam ſapientiam, ipſam illam juſtitiam.*

Origeni-an. lib. 2. pag. 39.

pag. 258.

In quæ Origenis loca quiſquis luculentum commentarium cupit, adeat M. Athanaſium in Oratione contra Gentes, ubi ſic de Filio Dei ſcribit: δύναμίς ἐστι τοῦ πατρὸς, καὶ σοφία, καὶ λόγος, ἃ κατὰ μετοχὴν ταῦτα ὢν, οὐδὲ ἔξωθεν ἐπιγινομένων τούτων αὐτῷ κατὰ τὰς αὐτοῦ μετέχονλας, καὶ σοφιζομένους δι' αὐτοῦ, καὶ δυναλοὺς, καὶ λογικοὺς ἐν αὐτῷ γινομένους· ἀλλ' αὐλοσοφία, αὐτολόγος, αὐτοδύναμις ἰδία τοῦ πατρός ἐστιν, αὐτοφῶς, αὐτοαλήθεια, αὐτοδικαιοσυνη, αὐτοαρετὴ, καὶ μὴ καὶ χαρακτὴρ, καὶ ἀπαύγασμα, καὶ εἰκὼν· καὶ σωμελόντι φράσαι, καρπὸς παντέλειος τοῦ πατρὸς ὑπάρχει, καὶ μόνος ἐστὶν υἱὸς, εἰκὼν ἀπαραλλακλος τοῦ πατρός· i.e. *Potentia autem Patris dicitur, & ſapientia, & ratio, non ideo quòd aliquâ tantùm ex parte iſtarum rerum communionem adipiſcatur, aut iſta aliunde ipſi ſupervenirent; quemadmodum qui ipſius ſunt participes, per ipſum ſapientes, potentes ac rationales efficiuntur; ſed propterea quòd ſit ipſa ſapientia, ipſa ratio, ipſa propria potentia Patris, ipſa lux, ipſa veritas, ipſa juſtitia, ipſa virtus, & character, & ſplendor, & imago Patris: & ut verbô dicam, fructus Patris undecunque perfectus, ac ſolus Filius, & invariabilis imago Patris.* Tom. 1. pag. 51.

§. 14. Doctiſſimi Huetii veſtigia adhuc premo, qui ſe miſſis ambagibus, ipſa Origenianæ doctrinæ penetralia ſcrutaturum profeſſus, notat, *credidiſſe Origenem, Filium manâſſe de Dei ſubſtantia, ſic tanquam lucem de Sole, atque ejuſdem eſſe ac Patrem ſubſtantiæ, quia lux ejuſdem eſt ſubſtantiæ, cujus Sol; & rurſus Filium à Patris ſubſtantia & Divinitate ſegregâſſe, quia ut à Sole per effluvium profecta eſt lux, ſecreta ab eo & ſepoſita dici poteſt; præterea Patre inferiorem eſſe Filium, quia Sol luce nobilior eſt & dignitate ſuperior.* Origeni-an. lib. 2. pag. 44.

Antea ex eodem ſimili ab Origene uſurpato collegerat, *Trinitatem ab Origene in partes ſectam, & eſſentiæ ac Divinitatis quibuſdam veluti gradibus diſtinctam fuiſſe.* Verùm hoc non eſt (quod ſalvo honore Viri laudatiſſimi dictum velim) ipſa Origenianæ doctrinæ penetralia ſcrutari; ſed ea potiùs rimari & ſuſpicari, de quibus ipſe Origenes ne per ſomnium quidem unquam cogitavit. Fateor generationem Filii ex Patre illuſtrari ab Origene, etiam in libris contra Celſum, ſimilitudine radii ſive ſplendoris à Sole, ſive alio corpore lucido, projecti. Sed quid tum? Annon Patres Catholici omnes, tam qui ante, quàm qui poſt Concilium Nicænum ſcripſerunt, eôdem ſimili uſi ſunt? Nonne ipſi Patres Nicæni, idque in ipſo Symbolo ſuo, dixerunt, Filium Deum ex Patre Deo naſci, ut lumen de lumine? Et quid demum Epiſtolæ ad Hebræos divino Scriptori fiet, qui Ibidem pag. 37.

non

non veritus eſt Filium Dei nuncupare ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ πατρὸς, *ſplendorem paternæ gloriæ*, cap. 1. v. 3? Duo certe poriſmata, quæ ex hac comparatione deducit, Origenique affingit Huetius, à mente Origenis omnino aliena ſunt. Primum eſt, Filium à Patre dividi & ſeparari, ut partem divinæ eſſentiæ à tota, adeoque Dei eſſentiam in partes ſectam eſſe. Sed quis credat, Origeni, Viro ſane non indocto, tam inſulſam blaſphemiam venire in mentem potuiſſe? Quoties verò in Scriptis ſuis iſtam blaſphemiam expreſsè repudiavit Adamantius! Sic (ut alia
† p. 169. loca ſexcenta omittam) in lib. 4. cont. Celſ.† (quem locum jam ſuprà in hoc Capite integrum adduximus,) Epicureos & Stoicos irridet, quòd non potuerint τεμνῶσαι τῇ φυσικὴν τοῦ Θεοῦ ἔννοιαν, ὡς πάντῃ ἀφθάρτου, καὶ ἁπλοῦ, καὶ ἀσωμάτου, καὶ ἀδιαιρέτου· i. e. *Clarè Dei naturam intelligere, nempe quòd is ſit omnino incorruptibilis, & ſimplex, nec compoſitus, nec divisibilis.* Mox addit, Filium Dei in forma Dei, hoc eſt, in eſſentia divina ſubſiſtere, proinde & ipſum juxtà cum Patre immutabilem eſſe. Nihil autem expreſſiùs huic commento repugnat, quàm verba Origenis, quæ ex lib. 2. ſup. Joan. citat Pamphilus in Apolog. nempe hæc: *Unigenitus ergo Deus Salvator noſter, ſolus à Patre generatus, naturâ & non adoptione Filius eſt. Natus autem ex ipſa Patris mente, ſicut voluntas ex mente. Non enim divisibilis eſt divina natura, id eſt, ingeniti Patris, ut putemus vel diviſione, vel imminutione ſubſtantiæ ejus, Filium eſſe progenitum.* Vide hujus cap. n. 19. in fine. Ad alterum Huetii Corollarium quod attinet, nempe Filium ab Origene Patre inferiorem ſtatui, infrà ſuô locô evidentiſſimè oſtendam, nunquam ſtatuiſſe Origenem, Patri Filium eſſe imparem juxta eſſentiam, ſed tantùm originis reſpectu, nempe quatenus Pater eſt auctor & principium Filii. Verbô dicam: Origenes aliique Catholici Patres ſimile illud Solis & radii, lucis & ſplendoris uſurpantes, hæc tantùm ſignificare voluerunt, neque aliud quicquam ipſis in mentem venit: 1. Patrem eſſe πηγὴν θεότητος, *fontem Divinitatis*, quemadmodum Sol fons eſt ſplendoris ex ipſo emiſſi. 2. Filium eſſe ejuſdem naturæ ac ſubſtantiæ, cujus eſt Pater; utpote de ipſa Patris eſſentia genitum, ut lumen ex lumine manat. 3. Filium neutiquam à Patre ſuo diviſum ac ſeparatum exiſtere; quemadmodum nec radius à Sole, nec ſplendor a luce disjungitur. 4. Denique Filium ſine alteratione & diminutione divinæ eſſentiæ ex Patre naſci. Equidem hos animi noſtri conceptus, de adoranda generatione Filii Dei, mirum in modum adjuvat ſimilitudo iſta; unde & à Patribus Nicænis in ipſa Confeſſione ſuâ adhibita fuit.

§. 15. Reſtat quinta atque ultima criminatio, quam ex libris contra Celſum Origeni intentat Huetius; nempe docuiſſe ipſum, *humiliori Patrem obſecratione venerandum eſſe quàm Filium.* Genuinam hanc fuiſſe Origenis ſententiam duobus præcipuè locis ex iiſdem libris probat. Alter locus invenitur in libro quinto, ubi ſic Origenes diſſerit: Origeniana. lib. 2. p. 48.
πᾶσαν μὲν δέησιν χρὴ πρόσευχὴν, καὶ ἔντευξιν, καὶ εὐχαριστίαν ἀναπεμπτέον τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ διὰ τοῦ ἐπὶ πάντων ἀγγέλων ἀρχιερέως, ἐμψύχου λόγου καὶ Θεοῦ. δεησόμεθα δὲ καὶ αὐτοῦ τοῦ λόγου, καὶ ἐντευξόμεθα αὐτῷ, καὶ εὐχαριστήσομεν, καὶ προσευξόμεθα δέ, ἐὰν δυνώμεθα καθαρεύειν τὰ περὶ προσευχῆς κυριολεξεως, καὶ καταχρήσεως· i. e. *Omnes enim deprecationes & petitiones, omnes interpellationes & gratiarum actiones fundendæ ſunt Deo, rerum omnium Domino, per majorem omnibus Angelis ſummum Pontificem, vivum Verbum & Deum. Verbum quoque illud deprecaturi ſumus, interpellabimus, & ei gratias agemus, preces etiam offeremus, modò intelligamus, quomodo hæc accipiantur vel abuſivè, vel propriè.* Ubi, inquit Huetius, orationem propriè Deo Patri fundi jubet; impropriam verò & καταχρηστικὴν Filio: illi ut ſummo Deo, bonorum datori; huic tanquam μεσίτῃ, qui preces noſtras Deo offerat. Locum alterum legas lib. 8. ἀλλὰ τὸν ἕνα Θεὸν, καὶ τὸν ἕνα υἱὸν pag. 386.
αὐτοῦ, καὶ λόγον, καὶ εἰκόνα ταῖς κατὰ τὸ δυνατὸν ἡμῖν ἱκεσίαις καὶ ἀξιώσεσι σέβομεν, προσάγοντες τῷ Θεῷ τῶν ὅλων τὰς εὐχὰς διὰ τοῦ μονογενοῦς αὐτοῦ· ᾧ πρῶτον προσφέρομεν αὐτὰς, ἀξιοῦντες αὐτὸν, ἱλασμὸν ὄντα τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν, προσαγαγεῖν ὡς ἀρχιερέα καὶ εὐχὰς, καὶ τὰς θυσίας, καὶ τὰς ἐντεύξεις ἡμῶν τῷ ἐπὶ πᾶσι Θεῷ· i. e.. *Sed unum Deum, & ejus Filium ac Verbum imaginemque, quantum poſſumus, ſupplicationibus & honoribus veneramur, offerentes Deo univerſorum Domino preces per ſuum Unigenitum: cui priùs eas offerimus, rogantes ut ipſe, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris, dignetur tanquam Pontifex preces noſtras, & ſacrificia, & interceſſiones offerre Deo optimo maximo.* Miror hæcce Origenis loca Viro docto offendiculo eſſe, in quibus egomet (ut verum fatear) Catholicam de perſona & officio Servatoris noſtri doctrinam non malè explicari ſemper exiſtimaverim. Sed ad rem. Chriſtus Dominus noſter bifariam ſpectari poteſt, quà Deus eſt, & qua Θεάνθρωπος ſive Mediator inter Deum & hominem. Sub poſteriori χρίστου ſi Servatorem noſtrum ſpectes, conſtat multis Scripturæ locis atque omnium Chriſtianorum conſenſu, cultum omnem, quem

quem Deo exhibemus, ipsi per Christum Mediatorem exhibendum esse : quin & cultum & honorem omnem, quem Christo deferimus, εἰς δόξαν Θεοῦ τοῦ πατρὸς, *in gloriam Dei Patris* (ut loquitur Paulus Phil. 2.) omnino redundare. Christum verò Mediatorem esse inter Deum & homines utriusque naturæ respectu, (quicquid ex Pontificiis quidam contrà obganniant,) veteres Catholici Patres, cum S. Scripturis, uno ore docuerunt. Atque hanc imprimis χεσιν Jesu nostri spectâsse Origenem in utroque loco allegato, manifestum est ; siquidem utrobique loquitur de Christo ut summo Sacerdote, qui pro nobis apud Deum Patrem intercedit, quique tanquam ἱλασμὸν *propitiationem* pro peccatis nostris sese obtulit. Quod si Christum intueamur ut Deum, extra Mediatorii officii respectum, rursus duplex ejusdem consideratio nobis occurrit. Nam vel absolutè ut Deus spectatur ; vel relatè ut Deus ex Deo, sive Dei Filius. Sub priori consideratione si respiciamus τὸν λόγον, multis in locis clarè fatetur Origenes, ipsi propter inenarrabili præstantiâ præcellentem Divinitatem, quam cum Patre communem habet, eundem planè divinum cultum, quem Patri exhibemus, omnino deberi : hoc est, oportere nos mente & conceptione nostrâ (quâ solâ propriè Deum colimus) easdem divinæ naturæ perfectiones omnes Filio adscribere, quas Patri tribuimus. Repete loca, quæ jam citavimus in hoc capite n. 8. Sin Filium intueamur relatè, quà Filius est, & ex Deo Patre trahit originem ; tum rursus certum est, cultum & venerationem omnem, quem ipsi deferimus, ad Patrem redundare, in ipsumque, ut πηγὴν Θεότητος, ultimò referri.* Huc etiam respexisse videtur Origenes in posteriori loco ab Huetio citato ; ubi post verba allegata, hæc ἀμέσως subjiciuntur : περὶ τοῦ Θεὸν ἔν ἡ πίστις, ἀφ' ἧς ταύτῃ βεβαιοῦται ἐν ἡμῖν ὑὸς αὐτοῦ. καὶ ἀδεμίαν ἡμῖν ἔχει δεῖξαι ϛάσιν περὶ τοῦ ὑὸν τοῦ Θεοῦ ὁ Κέλσος· καὶ σέβομέν γε τὸν πατέρα, θαυμάζοντες αὐτοῦ τὸν ὑὸν, λόγον, καὶ σοφίαν, καὶ ἀλήθειαν, καὶ δικαιοσύνην, καὶ πάντα ἅπερ εἰ μεμαθήκαμεν τοῦ ὑὸν τοῦ Θεοῦ, ἕτω δὴ καὶ τὸ χωνθέντα ἀπὸ τοιούτου πατρός· i. e. *Itaque in Deo fides nostra consistit, per confirmantem eam in nobis ipsius Filium. Nec est quòd Celsus nobis seditionem objiciat propter Filium : veneramur enim Patrem, eò quòd admiramur ejus Filium, Verbum, & Sapientiam, & Veritatem, & Justitiam, & quicquid didicimus esse Dei Filium, è tali Patre progenitum.* Hanc doctrinam sanam & Catholicam esse, nôrunt omnes, qui in veterum Doctorum Scriptis vel mediocriter versati fuere. Quid ? quòd hæc Patris δόξολογίαις Deum Patrem ἐν πρώτῃ τάξει (ut Justinus loquitur) glorificamus : & preces pleraſque ad ipsum dirigimus. Qua de re notatu sane digna sunt Petavii, Crellio de Spiritu sancto respondentis, verba de Trinit. lib. 3. cap. 7. n. 15. *Nam*, inquit, *quòd ad Spiritum sanctum preces in Ecclesia publicè fere non diriguntur, frustra ex eo calumniam struit Crellius ; siquidem veteri ex usu pleraque ad Patrem referuntur. Atque ita decretum legimus in Carthaginensi tertia Synodo, canone XXIII, ut cum ad altare assistitur, semper ad Patrem dirigatur oratio. Nimirum quia tunc Christi corpus, sive homo Christus offertur, ac veteris & cruenti sacrificii memoria celebratur, æquum est ad Patrem, velut auctorem ac principium, referri omnia ; uti summum imitemur Sacerdotem & Pontificem, Christum Dominum ; qui tum omnia dicta factaque sua Patris ad honorem referre solebat ; tum in illo postremo sacrificio tradidit semet ipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis. Nec est inde consequens aut Christum Deum non esse, aut nec Spiritum sanctum : sed hoc solùm, esse summum utriusque principium, à quo uti proprietatibus distincti sunt, sic naturâ & substantiâ non discrepant.*

§. 16. Hactenus ea defendimus, quæ Viri doctissimi Petavius & Huetius in libris Origenis contra Celsum reprehenderunt. Cæterum præter ista, Hieronymus olim (odiô scil. suô in Origenem, seu potiùs in Origenis interpretem Ruffinum, nimiùm indulgens, indeque omnia ejus verba dictaque in pessimum sensum trahere amans,) & alia complura de Filio Dei, in aliis Origenis Scriptis absurdè atque impiè dicta notavit ; quæ omnia ex uno opere contra Celsum facilè refelluntur. Præcipua attingemus. In Epistola 59. ad Avit. errores recensens librorum περὶ ἀρχῶν, scripsisse Origenem ait Hieronymus, in primo ejus operis volumine, *Deum Patrem, per naturam invisibilem, à Filio non videri.* Et in secundo : *Restat ut invisibilis sit Deus. Si autem invisibilis per naturam est, neque Salvatori visibilis.* Idem in Epistola 61. ad Pammach. cap. 3. ex libris περὶ ἀρχῶν adfert ac damnat hæc Origenis verba : *Sicut enim incongruum est dicere, quòd possit Filius videre Patrem : ita inconveniens est opinari, quòd Spiritus S. possit videre Filium.* Et primarium hunc ac præcipuum inter Origenis errores statuit Epiphanius Hæres. 64. capite 4. & in Ancorato capite 63. Sed audiamus ipsum Origenem in opere

* Vide quæ de primitivæ Ecclesiæ δοξολογίαις observavimus suprà c. 3. n. 6.

Origenes contra Celſ. l. 6. p. 287.

illo indubitato contra Celſum, ſuam de ſcientia, quâ Pater & Filius ſe mutuò cognoſcunt, ſententiam clarè explicantem his verbis: ἀλλὰ ☩ ὁ σωτὴρ ἡμῶν καὶ Κύριος, λόγος τοῦ Θεοῦ, τὸ μέγεθος παρεισὰς τῆς γνώσεως τοῦ πατρὸς, ὅτι κατ' ἀξίαν προηγουμένως, αὐτῷ μόνῳ λαμβάνεται καὶ γινώσκεται, δευτέρως δὲ τοῖς ἐλλαμπομένοις τὸ ἡγεμονικὸν ἀπ' αὐτοῦ τοῦ λόγου ☩ Θεοῦ, φησίν· Οὐδεὶς ἐπιγινώσκει τὸν υἱὸν εἰ μὴ ὁ πατὴρ, οὐδὲ τὸν πατέρα εἰ μὴ ὁ υἱὸς, καὶ ᾧ ἂν ὁ υἱὸς ἀποκαλύψῃ. ὅτε γὰρ τὸν ἀγήρατον καὶ πάσης γενετῆς φύσεως πρωτότοκον κατ' ἀξίαν εἰδέναι τις δύναται, ὡς ὁ γεννήσας αὐτὸν πατὴρ, ὅτε τὸν παλαιὸν ὡς ἔμψυχον λόγον, καὶ σοφία αὐτοῦ καὶ ἀλήθεια· i. e. *Quin & Servator noſter ac Dominus, Dei Verbum, magnitudinem cognitionis indicans, quâ Pater ejus noſcitur, quódque pro dignitate ab ipſo ſolo noſcatur, ſecundô verò locô ab illuminatis mentibus per illud ipſum Verbum ac Deum*: Nemo, *inquit*, novit Filium niſi Pater, neque Pater niſi Filius, & cui Filius revelaverit. *Nam neque infectum, atque ante omnem factam naturam genitum quiſquam pro dignitate poteſt nôſſe, ſicut Pater ipſe qui genuit: neque Patrem quiſquam, ſicut animatum ejus Verbum, Veritas & Sapientia.* Nihil magis Catholicè dictum unquam fuit. Quin & Origenem ſuprà || dicentem audivimus, Deum Patrem eſſe τῷ λόγῳ *Verbo* ſive Filio ſuo ἐφικτὸν, *comprehenſibilem.* Ad loca Origenis quod attinet, ex libris περὶ ἀρχῶν deſumta, poteram reſpondere, ex omnibus Origenis Scriptis iſta περὶ ἀρχῶν, maximè eſſe corrupta atque interpolata, idque à Ruffino * multis argumentis oſtenſum eſſe. Sed tali hîc reſponſione opus non habemus, cum ipſa Origenis verba, prout à Ruffino integrè producuntur,† qui & ſcopum Auctoris & contextum ſermonis explicat, ſuæ purgationi abunde ſufficiant. Sic ſe res habuit. Origenes in libro primo Peri archôn quæſtionem moverat adverſus eos, qui Deum corporeum dicunt, & humanis eum membris habituque deſcribunt: quod præcipuè Valentinianorum & Anthropomorphitarum hæreſis aſſerebat. Hoſce contra Hæreticos Origenes Eccleſiaſticam fidem defendens, omni genere incorporeum eſſe Deum, & idcirco etiam inviſibilem rationibus confirmârat. Dein provocante ipſum quæſtionis ordine, hæc ſubjungit: *Verùm iſtæ aſſertiones minus fortaſſe auctoritatis habere videntur apud eos, qui ex S. Scripturis de rebus divinis inſtitui volunt, & inde ſibi probari quærunt, quomodo natura Dei ſupereminet corporum naturam. Vide ergo ſi non etiam Apoſtolus hoc idem ait, cum de Chriſto loquitur, dicens:* Qui eſt imago inviſibilis Dei, primogenitus omnis creaturæ. *Non enim, ut quidam putant, alicui viſibilis, & aliis inviſibilis: quia non dicit Apoſtolus,* imago inviſibilis Dei hominibus, *aut* inviſibilis peccatoribus, *ſed valde conſtanter pronunciat de ipſa natura Dei dicens,* imago inviſibilis Dei. *Sed & Joannes in Evangelio dicens,* Deum nemo vidit unquam; *manifeſtè declarat omnibus, qui intelligere poſſunt, quia nulla natura eſt, cui viſibilis ſit Deus: non quaſi qui visibilis ſit quidem per naturam, & velut fragilioris creaturæ evadat aſpectum; ſed quoniam naturaliter videri impoſſibile eſt. Sed ſi requiras à me, quid etiam de ipſo Unigenito ſentiam; ſi ne ipsi quidem viſibilem dicam Dei naturam, qui naturaliter inviſibilis eſt; non tibi ſtatim vel impium videatur eſſe, vel abſurdum: rationem quippe dabimus conſequenter. Aliud quidem eſt videre, aliud noſcere. Videri & videre corporeum eſt: noſci & noſcere intellectualis naturæ eſt. Quicquid ergo proprium corporum eſt, hoc nec de Patre, nec de Filio ſentiendum eſt. Quod verò ad naturam pertinet Deitatis, hoc inter Patrem ac Filium conſtat. Denique ipſe in Evangelio non dixit, quia* nemo videt Patrem niſi Filius, neque Filium niſi Pater; *ſed ait:* Nemo novit Filium niſi Pater, neque Patrem quis novit niſi Filius. *Ex quo manifeſtè indicatur, quòd quicquid inter corporeas naturas videre & videri dicitur, hoc inter Patrem & Filium noſcere dicitur & noſci, per virtutem ſcientiæ, non per viſibilitatis fragilitatem. Quia ergo de incorporea natura & inviſibili, nec videre propriè dicitur nec videri; idcirco neque Pater à Filio, neque Filius à Patre videri in Evangelio dicitur, ſed noſci.* Quis cum Ruffino non ſtatim agnoſcat, in his verbis Origenem de comparatione Patris & Filii nihil dicere, ſed de ipſa Deitatis natura quærere, *ſi ei aptum ullo genere viſibilitatis vocabulum videretur?* Non enim negat, imò ſatis apertè docet Origenes, Patrem æquè a Filio percipi, ac Filium a Patre, hoc eſt, perfectiſſimè: id tantùm dicit, alterum ab altero percipi, *non per viſibilitatis fragilitatem, ſed per ſcientiæ virtutem.* Quid verò ad hæc Hieronymus? Audi & judica. Sic igitur ille Apolog. adverſ. Ruffin. lib. 2. *In primo libro* περὶ ἀρχῶν, inquit, *ubi Origenes linguâ ſacrilegâ blaſphemavit, quòd Filius Patrem non videat, tu*

Tom. 2. pag. 511.

|| Vide hujus Capitis n. 9. * Vide Prolegom. Ruffini in lib. περὶ ἀρχῶν.

† Vide Ruffini Invectiv. inter opera Hieronymi Tom. 9. pag. 139.

tu etiam cauſas reddis, quaſi ex perſona ejus qui ſcripſit: & Didymi interpretaris χόλιον, *in quo ille caſſo labore conatur alienum errorem defendere; quòd Origenes quidem bene dixerit, ſed nos ſimplices homines & cicures Enniani, nec illius ſapientiam, nec tuam, qui interpretatus es, intelligere poſſumus.* Quare autem non demonſtrat verba Origenis χόλιον iſtud Didymi (Viri ſane in Eccleſia magni nominis, & Hieronymi ipſius olim magiſtri) reſpuere, aut à Ruffino haud bona fide recitari ac transferri? Credo, quia non poterat. Nimirum Hieronymo ſolenne erat (pro ea, quâ pollebat, rhetoricandi facultate) argumenta, quibus premebatur, vel ſilentiô planè præterire, vel jocis ac dicteriis eludere. Certè Ruffini, atque ante ipſum Didymi, reſponſionem veriſſimam eſſe ſatis indicant verba Origenis, prout ab ipſo Hieronymo allegantur. Ait quippe Origenem ſcripſiſſe, *Deum Patrem per naturam inviſibilem, à Filio non videri*; & rurſus: *Si Deus inviſibilis per naturam eſt, neque Salvatori viſibilis erit.* Hinc, inquam, non obſcurè colligitur, Origenem ideo dixiſſe, Patrem à Filio videri non poſſe, non quòd Filius, tanquam fragilioris aſpectûs, non valeat Patrem videre, qui alioqui per naturam ſuam à competente facultate videri poſſit; ſed quòd Deus per ſe & ipsâ naturâ ſuâ inviſibilis ſit, hoc eſt incorporeus, neque ſub aſpectum cadat: eoque ſenſu Patrem & Filium ſibi invicem pariter inviſibiles pronuntiâſſe. Ut quod res eſt, liberè dicam; Hieronymus in hac Origenis accuſatione, animum à candore alienum atque affectibus abreptum ita manifeſtè prodidit, ut in cæteris criminationibus fidem ſibi omnem derogâſſe videatur. Quod & facilè agnoſcet, quiſquis hac de re Invectivas, quæ dicuntur, Ruffini cum Hieronymi adverſus Ruffinum Apologia conferre non gravabitur.

§. 17. Deinde in eadem Epiſtola ad Avitum & illud Origeni tribuit Hieronymus impium pronuntiatum: *Filium comparatum Patri, non eſſe veritatem; ſed comparatum ad nos, eſſe imaginariam veritatem.* Alii ex Veteribus atrociorem blaſphemiam ipſi impingunt, nempe *Filium Patri collatum eſſe mendacium.* Quis verò ſanus exiſtimet, Origenem ita delirâſſe? Certè jam ſuperùs oſtendimus, Origenem tum in libris contra Celſum, tum alibi docuiſſe verbis diſertis, Filium Dei eſſe αὐτοαλήθειαν, *ipsiſſimam veritatem.* Sed reſponſio ad hanc objectionem elucere videtur ex ipſa objectione, prout Græcè proponitur ab Anonymo defenſore Origenis, apud Photium Cod. 117. Is ibidem inter capita in Origene reprehendi ſolita, poſtremum illud ponit: ὅτι ἡ εἰκὼν τοῦ Θεοῦ, ὡς πρὸς ἐκεῖνον, οὗ ἔστιν εἰκὼν, καθ' ὃ εἰκὼν, οὐκ ἔστιν ἀλήθεια, i.e. *Imaginem Dei reſpectu ejus, cujus eſt imago, quatenus eſt imago, non eſſe veritatem.* Quæ propoſitio ſi expendatur, ſana videbitur & Catholica. Nam Filium, quatenus eſt imago Patris, non eſſe veritatem, hoc eſt, non ipſum eſſe Patrem, cujus eſt imago, certiſſimum eſt. Scilicet hoc ab Origene dictum videtur contra Noetianos, qui eandem eſſe Patris & Filii perſonam aſſerebant. Cæterum Filium Dei eſſe Patris ſui veram, vivam ac perfectiſſimam imaginem, ipſi Patri per omnia, etiam magnitudine, reſpondentem, diſertè docet Origenes lib. 6. cont. Celſ. quem locum infrà integrum adducemus.

§. 18. Denique & hanc Origeni blaſphemiam adſcribit in Epiſtola ad Avitum Pater Stridonenſis: *Deum Patrem eſſe lumen incomprehensibile; Chriſtum collatione Patris ſplendorem eſſe perparvum.* Atqui Patrem & Filium pariter eſſe incomprehenſibiles, in libris cont. Celſ. non uno in loco diſertè docuiſſe Origenem, ſuprà vidimus. Videtur autem hæc criminatio ex iis locis petita, ubi dicit Origenes: *In Patre nullas eſſe tenebras; Filium verò in tenebris lucere.* Sed mentem ac ſententiam ſuam iis in locis clarè explicavit ipſe Origenes Tom. 4. in Joan. his verbis: μηδεὶς δὲ ἡμᾶς ὑπολαμβανέτω ταῦτα λέγειν ἀσεβῶς εἰς τὸν χριστὸν τοῦ Θεοῦ. ᾧ γὰρ λόγῳ ὁ πατὴρ μόνῳ ἔχει ἀθανασίαν, τοῦ Κυρίου ἡμῶν διὰ φιλανθρωπίαν θάνατον τὸν ὑπὲρ ἡμῶν ἀνειληφότος· τούτῳ ὁ πατὴρ ἔχει μόνῳ τὸ σκηνία ἐν αὐτῷ οὐκ ἀδημία, τοῦ χριστοῦ διὰ τὴν πρὸς ἀνθρώπους εὐεργεσίαν ἐφ' αὐτὸν τὰς ἡμῶν σκοτίας ἀναδεδεγμένου· i. e. *Nec verò ſuſpicetur nos quiſquam hæc dicere minùs piè Chriſtum Dei colentes. Nam quâ ratione ſolus Pater habet immortalitatem, quia Dominus noſter noſtrûm nomine mortem ob amorem erga genus humanum pertulerit; hâc Pater ſolus habet, ut in ipſo nullæ ſint tenebræ; cum Chriſtus, ut homines beneficio afficeret, tenebras noſtras in ſeipſum receperit.* Editione Huet. p. 73.

§. 19. Ita tandem doctrinam librorum Origenis contra Celſum, in articulo de Filio Dei, orthodoxam eſſe & Catholicam, clarè oſtendimus: impiiſque adeo dictis, quæ Hieronymus & alii egregio Doctori attribuerunt, aſſertiones planè contrarias, ex eodem opere indubitato productas, oppoſuimus. Qui verò teſtimonia illa Catholica, quæ in cæteris Origenis Scriptis reperiuntur, cupit cognoſcere, conſulat ille Pamphili Martyris Apologiam

logiam pro Origene, (quam verè Pamphili esse, contra Hieronymum mox liquidò probabimus,) quæ extat inter opera Hieronymi Tom. 9. Edit. Marian. Victor. Paris. 1623. Nobis loca quædam selectiora ex illa Apologia hîc recitâsse sufficiat. Ex primo libro περὶ ἀρχῶν hæc Origenis verba citat Pam-
pag. 120. philus: *Nulla ergo natura est, quæ non recipiat malum, exceptâ Dei, quæ fons omnium est. Et Christus sapientia est; & sapientia utique recipere stultitiam non potest. Et justitia est; justitia autem nunquam profectò injustitiam capiet. Et Verbum est vel ratio; quæ utique irrationabilis effici non valet. Sed & lux est; & lucem certum est quòd tenebræ non comprehendunt. Similiter autem & natura Spiritus sancti, quæ sancta est, non recipit pollutionem; naturaliter enim vel substantialiter sancta est. Si qua autem alia natura sancta est, ex assumptione hac vel inspiratione Spiritus sancti habet ut sanctificetur, non ex sua natura hoc possidens, sed accidens: propter quod & decidere potest quod accidit.* Hìc Origenes disertè docet ἀναμάρτησιν, sive *tò malum non posse recipere*, in solam Dei naturam competere; & simul non minùs expressè dicit, neque Filium, neque Spiritum S. posse malum recipere: omnino igitur sensit Origenes, & Filium, & Spiritum S. in natura divina subsistere. Quod eos notare velim, qui Origenem existimant saltem Spiritum sanctum inter creaturas numerâsse. Sed & mox ibidem totius SS. τριάδος inconvertibilitatem atque æternitatem clarè agnoscit his verbis: *Si revelante Filio cognoscit Patrem Spiritus sanctus, ergo ex ignorantia ad scientiam venit: quod utique & impium pariter & stultum est, Spiritum S. confiteri, & ignorantiam ei ascribere. Non enim cum aliud aliquid esset antequam Spiritus sanctus, per profectum venit in hoc, ut esset Spiritus sanctus; ut quis audeat dicere, quia tunc quidem, cum nondum esset Spiritus sanctus, ignorabat Patrem; postea verò quàm recepit scientiam, etiam Spiritus sanctus effectus est. Quod si esset, nunquam utique in unitate Trinitatis, id est, Dei Patris inconvertibilis, & Filii ejus, etiam ipse Spiritus S. haberetur, nisi quia & ipse semper erat Spiritus*
pag. 122. *sanctus.* De Filio verò Dei sic scribit Origenes in primo libro Epistolæ ad Romanos, citante Pamphilo: *Quærat fortassis aliquis, si Filius charitas est, præcipuè propter hoc quòd Joannes ad Deum Patrem retulit hanc vocem dicens, quia Deus Charitas est. Sed rursum ex ipsa ejus Epistola proferemus & illud quòd ait: Charissimi diligamus invicem, quoniam charitas ex Deo. Qui ergo dixit, quia Deus Charitas est, ipse iterum docet charitatem esse ex Deo: quam charitatem credo non esse alium nisi unigenitum Filium ejus, sicut Deum ex Deo, ita charitatem ex charitate progenitam. Unigenitus Filius Salvator noster, qui solus ex Patre natus est, solus naturâ & non adoptione filius est.* Mox ex Commentariis in Epistolam ad Hebræos hæc Origenis verba citat Pamphilus: *Oportet autem scire nos, quia per ineffabilia quædam & secreta & recondita quodammodo vim sibi faciens Scriptura sancta, conatur hominibus indicare & intellectum suggerere subtilem, vaporis nomen inducens. Quod ideo de rebus corporalibus assumpsit, ut vel ex parte aliqua possimus intelligere, quomodo Christus qui est sapientia, secundum similitudinem ejus vaporis, qui de substantia aliqua corporali procedit, sic etiam ipse ut quidam vapor exoritur de virtute ipsius Dei: sic & sapientia, ex eo procedens, ex ipsa Dei substantia generatur. Sic nihilominus & secundum similitudinem corporalis aporrhœæ esse dicitur, aporrhœa gloriæ omnipotentis pura quædam & sincera. Quæ utraque similitudines manifestissimè ostendunt, communionem substantiæ esse Filio cum Patre. Aporrhœa enim homousios videtur, id est, unius substantiæ cum illo corpore, ex qua est vel aporrhœa, vel vapor.* Denique adducit beatissimus Martyr & hunc Origenis locum: *Observandum namque est, ne quis incurrat in illas absurdas fabulas eorum, quæ prolationes quasdam sibi ipsis depingunt: ut divinam naturam in partes vocent,* (puto legendum *secent*) *& Deum Patrem, quantum in se est, dividant; cum hæc incorporeâ de natura vel leviter suspicari, non solùm extremæ impietatis sit, verùm ultimæ insipientiæ: nec omnino vel ad intelligentiam consequens, ut incorporeæ naturæ substantialis divisio possit intelligi. Magis autem sicut voluntas procedit è mente, & neq; partem aliquam mentis secat, neq; ab ea separatur, aut dividitur; tali quadam specie putandus est Pater Filium genuisse, imaginem scil. suam: ut sicut ipse est invisibilis per naturam, ita imaginem quoque invisibilem genuerit. Verbum enim est Filius, & ideo nihil in eo sensibile intelligendum est. Sapientia est, & in sapientia nihil corporeum suspicandum est. Lumen est verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; sed nihil habet commune ad Solis hujus lumen.*

§. 20. Quis autem non videt, hisce Origenis locis à Pamphilo productis fidem Catholicam de Filio Dei, adeoque de ὁμοουσίῳ Trinitate, apertissimè confirmari. Verùm horum testimoniorum auctoritatem elevare conan-

conantur nonnulli hôc prætextu, quòd loca allata integra nuſquam comparuerint in Græca Pamphili, ſive Euſebii Apologia; ſed à Ruffino in ſua verſione Latinâ conficta atque addita fuerint. Hujus ſententiæ prora ac puppis eſt, quòd Hieronymus Ruffino objiciat, Græcam Euſebii (nam Pamphili eſſe nolebat) Apologiam fidem Arianam revera propugnâſſe, ejuſdemque fidei fuiſſe Origenem oſtendiſſe. Sic enim ille Apol. adverſ. Ruffin. L. 2. cap. 4. *Vir doctiſſimus Euſebius*, inquit, *per ſex volumina nihil aliud agit, niſi ut Origenem ſuæ oſtendat fidei, id eſt, Arianæ perfidiæ.* Hinc concludit Sandius, * Apologiam ſub Pamphili nomine à Ruffino Latinè editam, *aut non eſſe Euſebii*, (ſive Pamphili,) *aut ita à Ruffino in Latinum verſam, ut ne quidem linea genuina relicta fuerit, vel denique ſi quid genuinum à Ruffino fuit relictum, oportere id poſtea etiam ex Ruffini verſione fuiſſe exciſum.* Sed fidem hîc Hieronymo habendam non eſſe, validiſſimis argumentis evinci poteſt. Nam primò Photius Cod. 118. teſtatur, ſe in Græco legiſſe Pamphili Martyris & Euſebii pro Origene libros ſex: in quibus nulla Arianæ perfidiæ veſtigia notat ſeverus ille Cenſor, qui alioqui in aliorum Scriptis conſtanter ſolet minima quæque reprehendere, quæ vel ſpeciem Arianiſmi præ ſe ferant. Deinde idem Photius Cod. 117. veterem quendam Auctorem Anonymum commemorans, qui Apologiam itidem pro Origene conſcripſerat, ait, Auctorem illum in Apologia ſua pro Origene ejuſque ſententiis pugnâſſe auctoritate tum aliorum antiquiorum Scriptorum, tum imprimis Pamphili Martyris & Euſebii Cæſarienſis. μᾶλλον δὲ, inquit, ᾧ ἄλλων ἁπάντων Παμφίλῳ τε τῷ μάρτυρι ἐπερείδεται, καὶ τῷ Εὐσεβίῳ i. e. *Præ cæteris verò Pamphilo Martyri innititur & Euſebio.* Ut indubium mihi videatur, Anonymum illum eandem prorſus cum Pamphilo & Euſebio Origenem defendendi rationem ſecutum eſſe. Nunquid verò Arianus fuit Apologiſta? Nihil minus. Nam ipſe Photius, qui alioqui pleroſque Origenis errores illi tribuit, diſertè dicit, quòd περὶ τῆς ἁγίας τριάδος οὐδὲν τῶν ἐσφαλμένων λέγει, i. e. *de S. Trinitate nihil erratorum adfert.* Quomodo autem Origenem defendit Auctor? φησὶ δὲ, inquit Photius, καὶ περὶ τοῦ Ωριγένους, μηδὲν αὐτὸν κατὰ δόξαν ἐσφάλεσθαι περὶ τῆς τριάδος· i. e. *Quin etiam hoc aſſerit de Origene, nihil eum quod quidem ad dogma de Trinitate attinet, errâſſe.* Ait mox Photius, Scriptorem illum quindecim capita Origeni objecta (quorum tria prima, decimum tertium & ultimum ad articulum de Trinitate pertinent,) probâſſe ἀληθολαὶς οὖσι, ἐκ τῶν τοῦ αὐτοῦ ἐκείνου συγγραμμάτων ποιούμενον τοὺς ἐλέγχους, *meras eſſe calumnias, ex ipſiuſmet* (Origenis) *Scriptis allatis argumentis.* Eandem planè rationem ac methodum ſervat Apologia ſub Pamphili nomine à Ruffino edita. Sane ex his illud ſaltem efficitur, à Græco Scriptore veteri, qui in articulo de S. Trinitate, vel Photio judice, Catholicus fuit, allata fuiſſe ex ipſis Origenis Scriptis, prout tum Græcè extarent, teſtimonia, quæ Catholicum pariter fuiſſe in eodem articulo Origenem oſtenderent: atque hoc feciſſe Auctorem illum Pamphili Martyris & Euſebii exemplô, eorumque veſtigiis inſiſtentem. Denique alibi evidenter probavimus, nunquam Euſebium ipſum hæreſin, quæ poſtea Arii dicta fuit, amplexum fuiſſe: neque igitur potuit Euſebius, ſive ſolus, ſive cum Pamphilo (nam utriuſque eſſe opus infrà † oſtendemus) Arianam impietatem in Origene defendere. Sed videntur Pamphilus & Euſebius in defenſione illa quædam attuliſſe ex Origene teſtimonia, quibus voculæ & dicta nonnulla admixta eſſent, quæ Catholicis auribus Hieronymi ætate minùs placuerunt, utpote ab Arianis tum ad hæreſin ſuam propagandam uſurpata: quæ teſtimonia propterea reſecuiſſe videtur à ſua verſione Ruffinus, ea transferre contentus Origenis loca, à Pamphilo producta, quæ Catholicam doctrinam verbis planè Catholicis traderent. Quod innuere videtur ipſe Ruffinus, cum in Epilogo ad tranſlationem ſuam ad Macarium ait, ſe *Apologeticum ſancti Martyris Pamphili, prout potuit, vel* RES POPOSCIT, *Latino ſermone digeſſiſſe.* Cæterum perſuaſum habeo, Ruffinum nullum Origenis teſtimonium in ſua verſione poſuiſſe, quod non in Pamphili & Euſebii Apologia totidem verbis haberetur; nihilque, quicquid detraxerit, de ſuo addidiſſe. Nam ipſe Ruffinus (quem Virum fuiſſe ſinceræ pietatis ſtudioſum, multa oſtendunt, utcunque ipſum Romanis inviſum reddiderint Hieronymi vafræ artes,) ſub initium præfationis ſuæ in Apologiam Pamphili ad Macarium, ſanctè profitetur, ſe in eo opere *non ſuam* de

* Sandius de Script. Eccleſ. pag. 47.

† Vide hujus Sectionis cap. 13. n. 3.

Origene *sententiam, sed sancti Martyris Pamphili* scisitanti Macario exposuisse : Origenemque non proprio, sed *alieno sermone* defendisse. Mox ibidem hôc in negotio ad tremendum Dei judicium provocat adversarios his verbis : *Sed quoniam ad judicium Dei venturi sumus, non refugiant scire quod verum est, ne forte ignorantes delinquant : considerantes quia falsis criminationibus percutere fratrum infirmorum conscientias, in Christum peccare est. Et ideo non accommodent criminationibus aurem suam, nec ab alio discant alterius fidem, maximè cum coràm experiri sit copia, & oris sui confessio, quid vel qualiter unusquisque credat, ostendit. Qualiter ergo sentiat Origenes in singulis, tenor libelli hujus edoceat.* In vertendis quidem plerisque Origenis libris multa de suo addidisse Ruffinum constat : sed quotiescunque eâ libertate usus fuerit, de eo Lectorem suum, prout hominem probum & veri amantem decebat, ipse expresè monuit. * Quid ? quod ipse Hieronymus, qui alioqui tam manifestam fraudem Ruffino neutiquam condonaturus fuisset, ne unum quidem Origenis locum, in Pamphili sive Eusebii Apologia citatum notavit, qui aliter à Ruffino Latinè redditus fuerit, quàm sive in Apologia illa, sive apud ipsum Origenem legeretur.

§. 21. Quis verò non miretur Hieronymum, hæc Ruffino de ipsa ejus versione objicientem ? *Multa*, inquit, *in illa scandala reperiuntur & apertissimæ blasphemiæ. Dicit Eusebius, imò, ut tu vis, Pamphilus in isto volumine, Filii & Patris ministrum Spiritum S. non de eadem Patris Filiique substantia ; animas hominum lapsas esse de cœlo*, &c. Nam etsi Pamphilus quidem in Apologia à Ruffino versâ, inducatur Origenem defendens, in eo quòd animarum præ-existentiam crediderit ; blasphemia tamen illa de Spiritu S. nusquam in eo opere reperitur. Dices : Ruffinum ab Hieronymo admonitum, è suis ipsam codicibus expunxisse. Sed unde igitur evenit, ut nullum ejus operis exemplar hodie extet, in quo blasphemia ista reperiatur ? Nam longè latèque dispersa fuerant Ruffinianæ translationis exemplaria, antequam illud objecerit Hieronymus. Nunquid verisimile est, Ruffinum, hominem scil. Romæ despicatui habitum per Hieronymi artes, potuisse omnes illos codices priores sive supprimere, sive emendare ? Deinde Ruffinus in Epilogo ad Pamphili Apologiam, qualis primùm ab ipso edita fuit, (quod ex Hieronymo etiam discimus,) Macarium sic alloquitur : *In his quæ in superiori libro, secundum Apologeticum sancti Martyris Pamphili, quem pro Origene Græco sermone edidit, prout potuimus vel res popposcit, Latino sermone digessimus, illud est quod te, desideriorum vir Macari, admonitum esse volo, ut scias hanc quidem fidei regulam, quam de libris ejus suprà exposuimus, esse, quæ & amplectenda sit, & retinenda. In omnibus enim his Catholicum inesse sensum evidenter probatur.* Fieri sane non potuit, ut Ruffinus, Vir in articulo de S. Trinitate absque dubio Catholicus, in tam aperta blasphemia Catholicum inesse sensum evidenter probari consultò diceret, idque in illo ipso ad Macarium libro, quô credere se religiosè profitetur, *quòd sancta Trinitas coæterna sit, & unius naturæ, uniusque virtutis & substantiæ* ; atque aliter docenti anathema denuntiat. Numquid verò ita stupidus fuit Ruffinus, ut spissam adeo blasphemiam in sua translatione ipse, absque monitore, non animadverteret ? Minimè gentium. Quid igitur dicendum ? Det mihi hîc Lector æquus conjectandi veniam. Pamphilus prope finem Apologiæ à Ruffino versæ, Origenis errorem de animarum προϋπάρξει defendens, vel certè excusans, contraque eos disputans, qui animarum traductionem defenderent, duo horum genera describit : alterum eorum, qui cum animas hominum ex traduce esse docerent, primam tamen animam ex Dei esse substantia defenderent ; eorum alterum, qui ex nihilo factam à Deo esse animam illam primam assererent. Adversus priores ita differit Pamphilus : *Jam verò illi, qui ex traduce animas venire affirmant, & simul cum corporali eas semine seminari ; siquidem, ut quidam ipsorum affirmare solent, non aliud dicunt animam esse quàm insufflationem Spiritûs Dei, illam scil. quam in initio factura mundi Deus insufflâsse dicitur in Adam, de ipsa Dei esse eam substantia profitentes ; quomodo non & isti videbuntur quodammodo hæc præter Scripturæ regulam, & rationem pietatis asserere, quòd substantia Dei est ?* Vix dubito, quin ex his verbis istam Pamphilo calumniam struxerit Hieronymus. Quippe cum Veterum multis sensit Hieronymus, spiraculum vitæ, quod Deus primo homini insufflâsse dicitur, fuisse ipsum Spiritum S. eidem homini unà cum anima ejus infusum. Sic in commentariis in cap. 4. Epist. ad Eph. ad verba illa : *Nolite contristare Spiritum S. in quo signati estis in die redemptionis* ; hæc annotat : *Signati enim sumus Spiritu Dei sancto, ut & Spiritus noster & anima imprimantur signaculô Dei, & illam recipiamus imaginem*

Apol. adver. Ruffin. lib. 2. cap. 4.

Vide Ruffini Præf. ad Macar.

pag. 127.

---

* Vide Ruffin. Præf in lib. περὶ ἀρχῶν & Perorat. ad comment. Origenis in Epist. ad Roman.

ginem & ſimilitudinem, ad quam in exordio conditi ſumus. Hoc ſignaculum ſancti Spiritus, juxta eloquium Servatoris, Deo imprimente ſignatur. Ubi imaginem & ſimilitudinem illam Dei, ad quam in ipſa ſua creatione efformatus fuit homo, interpretatur ſignaculum Spiritus ſancti: quod ideo omnino feciſſe videtur, quia ſpiraculum vitæ, quod Deus cum primum hominem formaret, ipſi inſufflâſſe dicitur, Spiritum fuiſſe S. credidit. Hoc clariùs dixit Tertullianus lib. de Baptiſmo c. 5. ubi de regeneratione hominis, quæ per Baptiſmum fit, ſic loquitur: *Ita reſtituitur homo Deo ad ſimilitudinem ejus, qui retro ad imaginem Dei conditus fuerat*, &c. *Recipit enim illum Dei Spiritum, quem tunc de afflatu ejus acceperat, ſed pòſt amiſerat per delictum.* Hinc igitur factum videtur, ut ex eo quòd inſufflationem Spiritûs Dei Pamphilus, ſive Auctor Apologiæ (intelligens nimirum per inſufflationem, juxtà cum adverſariis quos refellit, nihil aliud quàm ipſam hominis animam,) negaret de ſubſtantia eſſe Dei, ipſum calumniatus fuerit Hieronymus, quaſi docuiſſet, Spiritum Dei, tertiam Divinitatis perſonam, de ſubſtantia Dei non eſſe, proindeque Dei miniſtrum, ſive creaturam eſſe. Si cui autem hæc conjectura noſtra minùs placeat, illi neceſſariò dicendum videtur, Ruffini verſionem Apologiæ Pamphili ab inimicis ejus & Hieronymi partiariis corruptam fuiſſe; atque ex depravato aliquo codice iſtam criminationem arripuiſſe Hieronymum. Sane de tali injuria, interpretationi ſuæ librorum Origenis περὶ ἀρχῶν factâ, conqueritur ipſe Ruffinus, Deum χαρδιογνώσιν injuriæ vindicem appellans. Sic enim ille in Invectivarum adverſus Hieronymum lib. 1. *Ipſa, ſicut tranſtuleram, mea verba poſuiſſent. Sed nunc auſcultes, quid faciant: & flagitii eorum require, ſi ullum præceſſit, exemplum. In eo loco, ubi ſcriptum erat: Quod ſi requiris à me, quid etiam de ipſo Unigenito ſentiam; ſi ne ipſi quidem viſibilem dicam Dei naturam, qui naturaliter inviſibilis eſt; non tibi ſtatim vel impium videatur eſſe, vel abſurdum: rationem quippe dabimus conſequenter; pro eo quod nos ſcripſimus: rationem quippe dabimus conſequenter; illi ſcripſerunt: Non tibi ſtatim impium vel abſurdum videatur eſſe; quia ſicut Filius Patrem non videt, ita nec Spiritus S. videt Filium. Hoc ſi in foro poſitus, vel negotiis ſæcularibus, commisiſſet ille, qui de monaſterio Romam, quaſi calumniandi peritiſſimus, miſſus eſt: nôrunt omnes, quid conſequeretur ex legibus publicis ejuſmodi criminis reus. Nunc verò quia ſæcularem vitam reliquit, & à tergiverſatione illa actuum publicorum ad monaſterium converſus eſt, & adhæſit magiſtro nobili; ab ipſo docetur iterum pro modeſtia furere, inſanire; pro quiete ſeditiones movere; pro pace movere bellum; pro concordia movere diſſidia; perfidus eſſe pro fide, pro veritate falſarius.* Mox ibidem de falſario illo narrat iſta: *Cum falſam*, inquit, *hujuſmodi ſententiam apud Mediolanum recitaret, & à me, quæ exigebat, falſa eſſe dicerentur; interrogatus à quo accepiſſet exemplaria, reſpondit, matronam quandam sibi dediſſe, de qua ego: Quæcunque illa eſt, nihil dico; ſed ſui eam & Dei conſcientiæ derelinquo.* Atque de Pamphili Apologia pro Origene, hæc inpræſentiarum dixiſſe ſufficiat.

Inter opera Hieron. Tomò 9. p. 140.

§. 22. Ut caput hoc tandem claudam, dum allata ſuperiùs Origenis loca attentiùs perpendo, ita mecum ſtatuo: Patrem illum, tot Theologorum, quà veterum, quà recentiorum cenſuris vexatum, in articulo de Filii Divinitate, adeoque de S. Trinitate, revera Catholicum fuiſſe: quanquam in modo articulum explicandi, aliter nonnunquam locutus fuerit, quàm hodie Catholici ſolent; quod ipſi cum reliquis fere omnibus Patribus, qui Concilium Nicænum anteceſſerunt, commune fuit. Imò liceat mihi in Scriptis Origenis non indiligenter verſato, poſt accuratè expenſam etiam ipſius à Veteribus deſcriptam hiſtoriam, judicium meum de Theologia ejus univerſim liberè, abſque cujuſquam invidia proferre. Erat Vir ille, ut omnes conſentiunt, eximiè quidem pius; ſed curioſi nimiùm ac penè laſcivientis ingenii. Pietas & religio cohibuit hominem, quò minùs in regula fidei (cujus pars magna eſt dogma de SS. Trinitate,) quicquam innovaret. In aliis verò, quæ ſalvâ fidei regulâ in controverſiam vocari poterant, nimiùm ingenio ſuo indulgens, pauca protulit à communiori Doctorum ſibi ὁμιλίων ſententia longiùs diſcrepantia. Huc refero paradoxa illa de animæ præexiſtentia, de luminaribus cœli animatis, de infinitis mundis, & ſimilia. Sed & in his conſervavit modeſtiam, quæ pium decuit; cum ea propoſuerit non dogmaticè & aſſeveranter, ſed tanquam veritatem in quæſtionibus nondum Eccleſiæ judiciô expreſsè definitis diligenter inquirens. Qua de re conſule omnino Pamphili Apologiam non longè ab initio.

Vide & Huetii Origenian. l. 2. pag. 189.

§. 23. Hoc noſtrum de Origene judicium, præter teſtimonia jam à nobis in hoc capite adducta, multa alia confirmant. Primò defenſores Origenis, qui in articulo de S. Trinitate Catholici fuere, cum alia ipſi tributa heterodoxa placita, quæ nempe modò commemo-

memoravimus, non diffiterentur, ea vel excusantes, vel etiam defendentes; cum Catholicis tamen omnibus de Trinitate sensisse illum ipsum Origenem, acriter contenderunt. Hac ratione Origenem defendisse Pamphilum Martyrem, & Anonymum Apologistam apud Photium, paulò antè ostendimus. Eandemq; viam iniisse in sua Origenis defensione Didymum Alexandrinum, Virum pietate & eruditione insignem, & Nicænæ fidei constantissimum propugnatorem, auctor est ipse Hieronymus; qui Apol. adversus Ruffin. l. 2. c. 4. sic ipsum Ruffinum alloquitur: * *Quid*, inquit, *respondebis pro Didymo, qui certè in Trinitate Catholicus, cujus etiam nos de Spiritu sancto librum in Latinam linguam vertimus? Certè hic in iis, quæ ab Hæreticis in Origenis Scriptis addita sunt, consentire non potuit: & in ipsis περὶ ἀρχῶν, quos tu interpretatus es, libris breves dictavit commentariolos, quibus non negaret ab Origene scripta, quæ scripta sunt, sed nos simplices homines non posse intelligere quæ dicuntur: & quo sensu in bonam partem accipi debeant, persuadere conatur. Hoc duntaxat de Filio & Spiritu sancto. Cæterùm in aliis dogmatibus & Eusebius & Didymus apertissimè in Origenis scita concedunt: & quod omnes Ecclesiæ reprobant, Catholicè & piè dictum esse defendunt.* Notatu quoque digna sunt de Basilio Magno & Gregorio Nazianzeno verba Socratis Hist. Eccl. lib. 4. c. 6. καίτοι, inquit, τῶν Ἀρειανῶν τὰ Ὠριγένους βιβλία εἰς μαρτυρίαν, ὡς ᾤοντο, τῶν ἰδίων καλόντων δόγματος, αὐτοὶ διήλεγχον, καὶ ἐδείκνυον μὴ νοήσαντας τὸν Ὠριγένους σκοπόν· i. e. *Et quamvis Ariani libros Origenis ad dogmatis sui, ut putabant, confirmationem adducerent; illi tamen eos redarguerunt, & Origenis doctrinam ab iis nequaquam intelligi demonstrârunt.* Secundò, antiquiores Origenis inimici & adversarii præcipui, qui de aliis acerrimè & inclementer nimis ipsum exagitârunt, de aliqua ejus hæresi circa Trinitatis dogma fere siluerunt. Nam Socrates H. E. L. 6. c. 13. de primariis Origenis accusatoribus, Methodio nempe, Eustathio, Apollinari, & Theophilo (quos liberiùs locutus κακολόγων τετραχτὺν, *maledicorum quaternionem* nuncupat,) agens, hæc de ipsis animadvertit: ἐγὼ δέ τι, inquit, καὶ πλέον ἐκ τῶν ἐκείνων ἀπιστίας εἰς σύστασιν Ὠριγένους φημί. οἱ γὰρ κινήσαντες ὅσπερ φόνου μέμψεως ἄξια, δι' ὧν ὡς κακῶς δοξάζοντα περὶ τῆς ἁγίας τριάδος ἐβλασφήμουν, δείκνυνται περφανῶς τὴν ὀρθὴν εὐσέβειαν μαρτυροῦντες αὐτῷ· i. e. *Ego verò ex illorum reprehensione aliquid amplius accedere ad commendationem Origenis affirmo. Etenim qui omnia undique conquisiverunt, quæ reprehensione digna existimabant, ii certè cum illum minimè reprehenderint tanquam de Trinitate malè sentientem, rectæ ac sinceræ pietatis testimonium ei perhibere manifestissimè convincuntur.* Theophilus quidem Epistolarum Paschalium ab Hieronymo Latinè versarum, quæ tum in magna Bibliotheca Patrum, tum inter Opera Hieronymi hodie extant, Epistolâ primâ (si fides Hieronymo habenda sit) quædam Origenis errata de Trinitate reprehendit. Sed ista nullo negotio dilui potuissent, si iis nunc vacaremus. Certè autem Sulpicius Severus, optimæ fidei Historicus, Dial. 1. cap. 3. † historiam Concilii, per Theophilum suis temporibus adversus Origenis Scripta congregati, narrans, hæc scribit: *Cum ab Episcopis in libris illius multa legerentur, quæ contra Catholicam fidem scripta constaret, locus ille vel maximam parabat invidiam, in quo editum legebatur, quia Dominus Jesus, sicut pro redemptione hominis in carne venisset, crucem pro hominis salute perpessus, mortem pro hominis æternitate gustâsset, ita esset eodem ordine passionis etiam Diabolum redempturus: quia hoc bonitati illius pietatique congrueret, ut qui perditum hominem reformâsset, prolapsum quoque Angelum liberaret.* Si constitisset tam impiè sensisse Origenem de primario Christianismi capite, nempe de SS. Trinitate, atque Hieronymus aliique obtenderunt; sane Theophilus cum suæ partis Episcopis, qui omnes angulos Scriptorum Origenis rimati sunt, ut accusationis ansam invenirent, illudque imprimis in animo habuisse videntur, ut Adamantium (cujus auctoritate contra Ecclesiam factiosi Monachi abuterentur,) in maximum hominum odium inducerent, istam præcipuè ejus hæresin palam omnibus exposuissent; utpote quæ eâ ætate præ aliis omnibus hæresibus maximè, idque jure meritô, Catholicis exosa fuit. Sed probè nôrunt homines cauti, istam criminationem ab Origenis defensoribus facillimè potuisse refelli ex ipsis Origenis Scriptis indubitatis; proinde ipsam prætermittentes, de aliis capitibus, in quibus Chalcenterus haud ita facilè defendi poterat, accusationem suam præcipuè instituerunt. Addit ibidem Severus, quod Origeni in illo Concilio objectum fuit, suâ sententiâ *errorem* fuisse, non *hæresin*: atqui Arianum dogma pro hæresi pestilentissima

---

* Oper. Hieron. Tom. 3. pag. 512. † Pag. 548. Edit. Lugdun. Batavor. 1654.

ma habuisse Severum constat; neutiquam igitur Arianismi in Conciliabulo isto arguebatur Origenes. Tertiò, observationem merentur, quæ Eusebius H. E. L. 6. c. 2. sub finem, de constantia Origenis in orthodoxa fide retinendâ narrat, hæc subjungens: φυλάττων, inquit, ἔτι ἐξ παιδὸς κανόνα ἐκκλησίας, ἐξελυτρόμενός τε, ὡς αὐτῷ ῥήματί φησί που αὐτὸς, τὰς τῶν αἱρέσεων διδασκαλίας, i. e. *Servans Ecclesiæ regulam jam inde à puero, & ut ipsemet alicubi loquitur, hæresium doctrinas abominans.* Sane nemo in Historia Ecclesiastica versatus nescire potest, Origenem pro Catholica fide adversus subnascentes sua ætate hæreses quascunque primarium ac penè unicum fuisse Ecclesiæ pugilem. Scilicet quotiescunque & ubicunque surrexit Hæreticus aliquis, qui receptam in Ecclesia fidem ausus est impugnare, mox ad unum Origenem recurrebatur, qui velut alter David, Goliathum illum exercitum Domini convitiantem fundâ suâ adoreretur. Imò ad hujusmodi certamina, præ veritatis amore & zelo (in hoc etiam Davidi similis) sese ultro offerebat. Equidem nemo unquam magis quàm Origenes dici meruit omnium Hæreticorum malleus. Ad immotam autem fidei regulam pertinere dogma de vera Filii Divinitate, semper judicavit Catholica Ecclesia. Neque aliter sensit Origenes. Nam in libro primo περὶ ἀρχῶν (citante Pamphilo in Apologia,) dogmata scitu & creditu necessaria à non necessariis distinguens, inter necessaria hæc ponit: *Primò quòd unus est Deus, qui omnia creavit.* ——— *Tum deinde quòd Jesus Christus ante omnem creaturam natus ex Patre est.* ——— *Incarnatus est, cum Deus esset, & homo factus mansit quod Deus erat.* ——— *Tum deinde honore ac dignitate Patri & Filio sociatum esse Spiritum sanctum.** Inter dogmata non necessaria, sive problemata, quæ modestè & salva pace Ecclesiastica in utramque partem disputari poterant, numerat ibidem quæstiones, de tempore & modo creationis Angelorum, de Sole, Luna & Stellis, utrum animantia, an exanima sint, &c. In istiusmodi scilicet quæstionibus discutiendis, nimiam fortasse libertatem sibi indulsit Origenes: ad altera verò illa dogmata quod attinet, à fidei regula in Ecclesia fixâ & stabilitâ vel latum unguem recedere ipsi religio fuit. Quartò, magni esse ponderis mihi videtur argumentum, utcunque ipsum contempserit doctissimus Huetius, Bellarmini, † (quod alibi obiter attigimus,) qui Catholicum fuisse in hoc articulo Origenem inde probat, quòd sana & orthodoxa fuerit præceptoris ipsius Clementis, & discipulorum, Dionysii Alexandrini & Gregorii Thaumaturgi, de mysterio SS. Trinitatis opinio. Ad Clementem enim quod attinet, suprà, ubi de ejus fide agerem, evidentissimè probavi, à nemine quàm ab ipso Catholicam doctrinam de ὁμοουσίῳ Triade clariùs agnitam aut prædicatam fuisse. Idem de Alexandrino Dionysio & Gregorio Thaumaturgo (utcunque duobus maximis nominibus Arianæ impietatis notam inusserit, in sui nominis infamiam, Jesuita Petavius,) infrà æquè clarè ostendemus. Quid autem? An verisimile sit, qui tam Catholicum eo in articulo magistrum, qui tam Orthodoxos habuit discipulos, qui etiam Magistrum suum, ut præstantissimum Ecclesiæ Doctorem semper admirati sunt, in ipso articulo hæreticum fuisse? Quintò, deinde mille instar testium de Origenis in hac quæstione ὀρθοδοξίᾳ esse debet magnus Athanasius; qui in libro de Synodi Nicænæ decretis, sensisse cum Patribus Nicænis Origenem de vera & æterna Filii Divinitate, disertè testatur: ‖ περὶ δὲ τοῦ (inquit) ἀϊδίως συνεῖναι τὸν λόγον τῷ πατρὶ, ἢ μὴ ἑτέρας ὄσίας ἢ ὑποστάσεως, ἀλλὰ τῆς τοῦ πατρὸς ἴδιον αὐτὸν εἶ), ὡς εἰρήκασιν οἱ ἐν τῇ συνόδῳ, ἐξέστω πάλιν ἡμᾶς ἀκοῦσαι ἢ τῶνδε τοῦ φιλοσόφου Ωριγένους· i. e. *Verbum autem ab æterno esse cum Patre, nec alterius substantiæ vel hypostasis, sed ipsius paternæ substantiæ proprium illum esse, quemadmodum dixerunt qui interfuerunt Synodo, liceat nobis rursus audire etiam ex laborioso Origene.* Ibidem autem, priusquam ipsa Origenis testimonia adducit, fatetur Athanasius, præmissa quædam ab Origene fuisse in loco a se primùm citando, quæ sanæ doctrinæ repugnare viderentur: sed ait, illa disputantis, non asseverantis more ab eo prolata fuisse; quæ verò ipse affert, planè genuinam Origenis sententiam continere. μετ' ἒν (inquit,) τὰ ὡς ἐν γυμνασίᾳ λεγόμενα πρὸς τὺς αἱρετικὺς, ἐυθὺς αὐτὸς ἐπιφέρει τὰ ἴδια, λέγων ὅτως· i. e. *Post illa ergo, quæ certandi gratia quasi in palæstra adversus Hæreticos adduxerat, statim ista, quæ propria ipsius sunt, subintulit, dicens.* Deinde citat illustrem Origenis sententiam de

Suprà c. 6. §. 1.

* Reperiuntur ista in ipsa Præfatione librorum περὶ ἀρχῶν.

† Bellarminus lib. 1. de CHRISTO cap. 10.

‖ Oper. Athanasii Tom. 1. pag. 277.

Filii æternitate & conſubſtantialitate; cui & alteram ex alio Origenis libro ſubjungit: quæ loca Sectioni noſtræ III. reſervamus. Sane autem ego nullus dubito, quin diſſerendi illa ratio, quam ubique fere in Scriptis ſuis ſecutus eſt Origenes, quâ nempe Hæreticorum placita, ipſorum Hæreticorum quaſi perſonam induens, primùm repræſentaret, deinde Catholicam explicare ſententiam ſolitus fuit, anſam imprimis dederit imperitis & malevolis, ipſum Origenem hæreſis accuſandi, quaſi ſcilicet hæretica illa ex animo defendiſſet. Ait verò Huetius, * Origenis ſententiam *parum Athanaſio perſpectam fuiſſe.* Sed in eo ignoſcat nobis Vir eruditus, quòd nihilominus perſuaſum habeamus, Athanaſio Epiſcopo Alexandrino, Origenis Alexandrini temporibus tam vicino, Scriptorumque ejus aliorumque Veterum diligentiſſimo pariter & perſpicaciſſimo Lectori, longè meliùs perſpectam fuiſſe Adamantii ſententiam, quàm cuiquam ex nobis ſeris nepotibus perſpecta eſſe poſſit. Pergit autem Huetius: *Non nego*, inquit, *hæc dixiſſe Origenem; at eo ſenſu dixiſſe, quô Nicæna dixit Synodus, id verò fateri non poſſum.* Rurſus dico, nemini meliùs cognitum eſſe potuiſſe Synodi Nicænæ ſenſum, quàm Athanaſio, qui Synodo illi ipſe interfuit. Idem verò Athanaſius teſtatur, Origenem tam de Filii τῷ ὁμοουσίῳ, quàm de ipſius τῷ σωσιουσίῳ cum Patribus Nicænis omnino ſenſiſſe. Ac de Filii quidem æternitate verum illud eſſe non diffitebitur Huetius; de conſubſtantialitate verò id fateri ſe non poſſe profitetur. Atqui ſuprà fusè & luculenter oſtendimus, Filium non alio ſenſu Patri ὁμοούσιον dixiſſe Epiſcopos Nicænos, quàm quô Filius ſtatuitur verus eſſe Deus perinde ac Pater, non creatæ alicujus aut mutabilis eſſentiæ. Atque hôc ſenſu Filium Patri ὁμοούσιον agnoviſſe Origenem, nos in hoc Capite abunde probavimus. Ad numericam, quæ dicitur, unitatem ſubſtantiæ Patris & Filii quod attinet, (quam negâſſe Origenem ibidem ait Huetius) poſſum evidenter oſtendere, Origenem unitatem illam eatenus agnoviſſe, quatenus ipſam Patrum antiquiorum quiſquam, adeoque ipſe Athanaſius agnovit: hoc eſt, credidiſſe Origenem, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, cum revera tres ſint perſonæ, nequaquam tamen ut tres homines ſeorſum & ſeparatim exiſtere; ſed intimè ſibi invicem cohærere & conjunctos eſſe; adeoque alterum in altero exiſtere, atque, ut ita loquar, immeare invicem & penetrare per ineffabilem quandam περιχώρησιν, quam *circuminſeſſionem* Scholaſtici vocant: ex qua περιχωρήσει unitatem illam numericam neceſſariò effici contendit Petavius. † Sed hac de re alibi commodior erit diſſerendi locus. || Interea ab Origene ad alios Patres tranſeamus.

---

* Huetius Origenian. lib. 2. pag. 33.

† De Trinitate lib. 4. cap. 16.

|| Vide Sectionem 4. cap. 4. n. 9. & ſeqq.

CAP.

CAP. X.

De Cypriani Martyris, Novatiani, sive Auctoris libri de Trinitate inter opera Tertulliani, nec non Theognosti fide ac sententia.

§. 1. ORigenis σύγχρονος fuit Cyprianus, primarius, dum vixit, Africæ Episcopus, Vir sanctissimus & Spiritûs planè Apostolici, qui & glorioſissimi tandem Martyrii coronam adeptus est. Is tam purè atque integrè de Filii Divinitate & sensit & scripsit, ut nihil omnino in ejus libris invenire potuerit ipse Petavius, quod veru atque obelo suo transfigeret, aut, pro more, Arianismi labe & maculâ aspergeret. Itaque pauca ex hoc Scriptore testimonia attulisse sufficiat. In libro 2. Testimoniorum adversus Judæos ad Quirinum uberrimè probat è Scripturis, Christum esse Deum: eique omnia tribuit, quæ in iisdem Scripturis soli vero ac summo Deo tribuuntur. Sic cap. 5, & 6. locum Esaiæ c. 45. *Quoniam in te Deus est, & non est alius Deus præter te: Tu enim es Deus, & non sciebamus, Deus Israel Salvator*; & Baruch. c. 3. *Hic Deus noster, & non deputabitur alius absque illo*; & Davidis Psal. 46. *Vacate & cognoscite, quoniam ego sum Deus. Exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra*; & Pauli, Rom. 9. *Qui est Deus super omnia benedictus in sæcula*; & Apocalypseos c. 1. & 21. *Ego sum Alpha & Omega, initium & finis*; & rursus Esaiæ c. 35. *Deus noster judicium retribuet, ipse veniet & salvos nos faciet*; & ejusdem Esaiæ: *Ego Dominus Deus, hoc nomen mihi est, claritatem meam alteri non dabo, neque virtutes meas sculptilibus*: hæc, inquam, loca cum aliis, in quibus summus Deus manifestè designatur, de Christo dici intelligit. Quibus addas, quod ejusdem libri cap. 10. ex professo probare aggreditur: *Quòd homo & Deus Christus* EX UTROQUE GENERE *concretus, ut Mediator esse inter nos & Patrem posset.* Quæ verba manifestè significant, Christum, quà Deus est, Deo Patri; quà homo, nobis hominibus pariter esse ὁμοούσιον sive ὁμοιούσιον. Cæterum libros Testimoniorum ad Quirinum, Cypriani esse genuinos certum est; siquidem Hieronymus Dial. 1. adversus Pelag. Augustinus lib. 4. contra duas Epistolas Pelag. cap. 8, & 10. Gennadius in Catalogo de Pelagio, & Beda Retract. in cap. 3. Act. ipsos disertis verbis Cypriano tribuunt. Itaque temeraria est Erasmi censura, quâ probabilius sibi esse dicit, hos libros non esse Cypriani. Rationem verò ejus censuræ, quam affert, nempe quòd præterquam in Præfatione Auctor nusquam Cypriani stylum exerat, quis non miretur tanto Viro excidere potuisse? Nam in sola Præfatione stylum suum exerere potuit Cyprianus; siquidem ipsi tres libri integri nihil aliud sunt quàm collectio testimoniorum Scripturæ in certa aliquot capita dispositorum, in quibus citandis par erat, ut Vir sanctus Latinam Scripturæ versionem, jam suo tempore in Africa receptam ac vulgatam sequeretur.

§. 2. Sed & in aliis Cypriani Scriptis ea passim legas, quæ veram Filii Divinitatem egregiè declarent. Unum & alterum locum hîc proferam. In Epistola 63. ad Cæcilium prope initium, Jesum Christum appellat *Dominum & Deum nostrum.* Quod & iterum facit postea in eadem Epistola. Illustris verò est locus in libro de Idolorum vanitate, in quo Cyprianus de Sermone & Filio Dei sic loquitur: "Indulgentiæ igitur hujus & "gratiæ arbiter & magister sermo & Filius "Dei mittitur, qui per Prophetas omnes "illuminator & doctor humani generis præ-"dicabatur. Hic est virtus Dei, hic ratio, "hic sapientia ejus & gloria, hic in virgi-"nem illabitur, carnem Spiritu sancto co-"operante induitur (*leg.* carnem Spiritus "sancti induitur,) Deus cum homine mis-"cetur, hic Deus noster, hic Christus est." Ubi *carnem Spiritus sancti induitur*, ut veram lectionem ideo amplector, quòd plerique vetustissimi libri MSS. ita locum exhibeant.

p. 84.

p. 86.

p. 170.

Verùm

Verùm ſcioli quidam, ut mihi videtur, in nonnullis Codicibus textum corruperunt, exiſtimantes ſcilicet per Spiritum ſanctum aliam quàm tertiam Divinitatis perſonam non poſſe intelligi. At unamquamque Trinitatis hypoſtaſin, ob communem tribus divinam & ſpiritualem naturam, tum in Scripturis, tum paſſim in Veterum ſcriptis *Spiritum* appellari, alibi oſtendimus: quod & in nonnullis MSS. codicibus ad hunc locum in margine adnotatur, monente Pamelio. Qui tamen idem nihil hîc immutandum cenſuit, veritus ſcil. ne Antitrinitarii virus ſuum hinc haurirent, & cauſarentur, à Cypriano tertiam Divinitatis hypoſtaſin agnitam non fuiſſe. O inanem metum! Nam ex multis Cypriani locis abunde liquet (quod etiam de cæteris Patribus, qui ad eundem modum locuti ſunt, meritò affirmamus,) ipſum integram Trinitatem ὁμοούσιον credidiſſe. Sic in Epiſtola ad Jubaianum de Hæreticis baptizandis, probat Hæreticorum Baptiſma validum
p. 106. non eſſe hôc argumentô: " Si, *inquit*, bapti-
" zari quis apud Hæreticos potuit, utique &
" remiſſam peccatorum conſequi potuit. Si
" peccatorum remiſſam conſecutus eſt, &
" ſanctificatus eſt, & templum Dei factus eſt.
" Quæro CUJUS DEI? Si Creatoris; non
" potuit, qui in eum non credidit. Si CHRI-
" STI; nec hujus fieri poteſt templum, qui
" negat Deum Chriſtum. Si SPIRITUS
" SANCTI; cum tres unum ſint, quomo-
" do Spiritus S. placatus ei eſſe poteſt, qui
" aut Patris, aut Filii inimicus eſt?" Ubi vides Spiritum Sanctum, perinde ac Patrem & Filium, Deum diſertè dici, prout à Tertulliano factum ſuprà obſervavimus. Obiter quoque animadvertas, Cyprianum hîc omnino reſpicere locum Joannis 1 Epiſt. c. 5. v. 7. *Et hi tres unum ſunt.* Ex profeſſo autem locum citat in libro de Unitate Eccleſiæ cap. 4. ad finem, his verbis: *De Patre, Filio, & Spiritu ſancto ſcriptum eſt: Hi tres unum ſunt.* Sic & ante Cyprianum, Tertullianus ad eundem locum manifeſtè alluſit lib. adv. Prax. c. 25. *Connexus*, inquit, *Patris in Filio, & Filii in Paracleto tres efficit cohærentes, alterum ex altero: qui tres unum ſunt, non unus.* Quod adverſus eos notandum, qui verba iſta à Catholicis, poſt Arianam controverſiam, textui Joannis inſerta fuiſſe ſuſpicantur. Sed redeo ad illud, unde pauliſper digreſſus ſum. Idem Cyprianus in eadem ad Jubaianum Epiſtola, Baptiſmum in ſolo Jeſu Chriſti nomine collatum nihil efficere, inde probat, quòd
p. 107. *ipſe Chriſtus gentes baptizari jubeat in plena & adunata Trinitate.* Ubi per plenam & adunatam Trinitatem manifeſtum eſt tres perſonas, Patrem, Filium & Spiritum S. tanquam omnes in una Divinitate ſubſiſtentes, deſignari, adeoque Spiritum Sanctum, perinde ac Filium, Deo Patri in eodem divini honoris conſortio adunari.

§. 3. Contra hæc Cypriani loca tam clara ac diſerta Sandius, quò Lectori perſuaderet, beatiſſimum Martyrem hæreſi, quæ poſtea dicta eſt *Ariana*, faviſſe, adducit, ſeu potiùs indicat, dicta quædam Cypriani, quæ Arianiſmum ſapere videantur. Sed eorum pleraq; ad Filii οἰκονομίαν ſpectant; ut quòd Chriſtus à Patre clarificari petierit, ejuſque voluntatem uſque ad obſequium bibendi calicis & ſubeundæ mortis impleverit, *&c.* Alia ad ſubordinationem illam Filii, quâ Filius eſt, ad Patrem, tanquam principium atque auctorem ſuum, referenda ſunt. Quâ etiam ratione in Epiſt. 73. ad Pompeium dicit Cyprianus, Spiritum S. eſſe Filiô minorem, ut mittente miſſum. Reliqua meræ ſunt calumniæ à Sandio ἑτερομάρτυρι affictæ; ut quòd ait, Cyprianum docuiſſe, *Chriſtum ex ore Altiſſimi procreatum eſſe.* In libro quidem ſecundo Teſtimoniorum adv. Judæos c. 1. probare volens Cyprianus, *Chriſtum primogenitum eſſe, & ipſum eſſe ſapientiam Dei, per quem omnia facta ſint*; adducit verba Salomonis Prov. 8. v. 22. ad v. 30. incluſivè. Deinde citat pericopen ex Eccleſiaſtici cap. 24. in qua hæc verba occurrunt: *Ego* (Sapientia) *ex ore Altiſſimi prodivi ante omnem creaturam.* Quis hinc cum Sandio colligat, Cyprianum docuiſſe, Chriſtum ex ore Dei procreatum ſive factum fuiſſe, ad inſtar ſcil. verbi hominis, quod antequam ex ore proferatur, non exiſtit; quemadmodum Valentiniani aliique Hæretici exiſtimârunt? Imò Cyprianus in hiſce ipſis Teſtimoniorum libris diſertè ex Scripturis docet, Filium Dei exiſtendi neque initium neque finem habere, ut ſuô locô oſtendetur. Conſimili fraude, tanquam Cypriani citat Sophiſta hanc ſententiam: *Chriſtum non auſum eſſe ſe comparare Deo, nec eſſe illi æqualem, ſed Patrem majorem*; ſubjungens: *Quæ Arianiſmum ſapere concedit Huetius Origenian. lib. 3. Append. n. 12.* Additque: *Rapinam nempe arbitratur, Chriſtum eſſe æqualem Deo; tantum diſcriminis Chriſtum inter & Deum eſſe, quantum Apoſtolos inter & Chriſtum.* Verùm ſciat Lector veri amans, reperiri quidem in libello de Singularitate Clericorum hæc ver- p. 304.
ba: *Si Chriſtus ſeipſum auſus eſt comparare Deo, qui ait*, Pater major me eſt; *aut ſi Apoſtoli coæquare ſemetipſos auſi ſunt Chriſto; nos hodie Apoſtolis æquales facit conſimilis fortitudo.* Sed librum ſpurium & ſuppoſititium eſſe conſentiunt hodie docti omnes, interque

Enucl. Hiſt. Eccleſ. l. 1. p. 112, 113.

eos

eos ipſe Huetius. *Cypriani non eſſe iſtud opus* (inquit Huetius locô à Sandio citatô,) *clamant barbaræ hæ voces, cujuſmodi nullas in puro ac terſo Cypriani ſermone nanciſcaris:* conſtitutionarios, repulſorium, vulgaritatis, fluxurarum, probroſitas, *&c. Quis monſtrorum ejuſmodi parentem Cyprianum dicat?* En egregium Sandiani candoris ſpecimen! Interim verba allata, cujuſcunque ſint, ſanam interpretationem facilè admittunt, & de Chriſto in terris agente, & noſtræ ſalutis οἰκονομίαν implente, intelligi poſſunt. Imò hanc fuiſſe ipſam Auctoris mentem inde apparet, quòd paucis interjectis, citet ex Epiſt. ad Philippenſes c. 2. hæc verba: *Hoc ſentite de vobis, quod & in Chriſto Jeſu, qui cum in forma Dei eſſet conſtitutus, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens.* Qui Pauli locus, ita verſus, manifeſtè ſignificat, Chriſtum quidem, quatenus in forma Dei conſtitutus fuit, potuiſſe ſine arrogantia & abſq; ulla Dei Patris ſui injuria arbitrari, ſe Deo eſſe æqualem, atque ut talem ſe gerere; ſed tamen ſemetipſum exinaniviſſe, *&c.* Fœdè itidem Virum ſanctum calumniatur Sandius, dum ipſi mox tribuit hanc hæreſin: *Verbum* (in Chriſto) *fuiſſe loco animæ.* Nam conſtans eſt Cypriani doctrina, Verbum ſive Filium Dei aſſumpſiſſe non carnem tantùm, ſed hominem & filium hominis, hoc eſt, verum & perfectum hominem, ex anima rationali & corpore humano conſtantem; quod nôrunt omnes, qui in Cypriani Scriptis planè hoſpites non ſunt.

p. 305.

§. 4. Quis autem patienter ferat, qui veritati & candori ſtudet, impudentiſſimum Sophiſtam, dum ex Ruffino probare nititur, Cyprianum fuiſſe Arianum? "Quamobrem, "*inquit*, Ruffinus Apol. pro Orig. quam- "plurimis ait in illis partibus (loquitur au- "tem de Conſtantinopoli,) ſanctum Mar- "tyrem Cyprianum hujus fidei fuiſſe, quæ "à Tertulliano non rectè ſcripta eſt, per- "ſuaſum fuiſſe. Tertullianum ſane Magi- "ſtri titulô condecoravit, ejuſque Scriptis "quotidie incubuit; quod verò Tertulliani "fides fuerit Ariana, ſuprà diximus." Poſt aliqua ſubjicit: "Arianiſmum & Macedo- "nianiſmum à Ruffino & Orientalibus de- "notari liquet ex verbis Ruffini proximè "præcedentibus." Quâ verò fronte potuit ille ad verba Ruffini præcedentia Lectorem remittere? Scilicet inde luce meridiana clariùs patebit, peſſimâ fide Ruffinum allegari ad probandum, cum Ario ſenſiſſe Cyprianum. En tibi, Lector, integrum Ruffini locum:* "Sancti Cypriani, *inquit*, Martyris ſolet "omne Epiſtolarum corpus in uno Codice "ſcribi. Huic corpori Hæretici quidam, qui "in Spiritum S. blaſphemant, Tertulliani "libellum de Trinitate, reprehenſibiliter, "quantum ad veritatem fidei noſtræ perti- "net, ſcriptum inſerentes, & quamplurimos "codices de talibus conſcribentes, per totam "Conſtantinopolim urbem maximam diſtra- "hi pretiô viliori fecerunt, ut exiguitate "pretii homines illecti, ignotos & latentes "dolos faciliùs compararent: quò per hoc "commentum Hæretici perfidiæ ſuæ fidem "tanti viri auctoritate conquirerent. Acci- "dit tamen, ut recenti adhuc facto, quidam "ex noſtris fratribus Catholicis inventi, ad- "miſſi ſceleris commiſſa retegerent, & ex "parte aliqua, ſi quos poſſent, ab erroris "hujus laqueis revocarent. Quamplurimis "tamen in illis partibus, ſanctum Marty- "rem Cyprianum hujus fidei, quæ à Ter- "tulliano non rectè ſcripta eſt, fuiſſe per- "ſuaſum eſt." Jam quivis perſpiciat, Conſtantinopolitanos fuiſſe Hæreticos Pneumatomachos, qui perſuadere aliis conarentur, Cypriani fidem à Catholica diverſam fuiſſe; idque illos probatum iviſſe non ex aliquo Martyris genuino opere, (quippe qui Catholicè ubique de S. Trinitate ſcripſerit,) ſed ex alieno libello, quem ipſi peſſimi nebulones Cypriani operibus inſeruerant, impia fraude mox à Catholicis detectâ. Ac ſane Cyprianum de S. Trinitate librum aliquem conſcripſiſſe, nemo Scriptor Eccleſiaſticus teſtatus eſt. Imò neque Tertulliani fuiſſe per omnia librum illum ab Hæreticis venditatum cenſeo, ſed multis in locis ab iiſdem Hæreticis depravatum. Nam Tertullianus nunquam cum Pneumatomachis ſenſit, ſed conſtanter, etiam in hæreſin lapſus, tres perſonas unius Divinitatis credidit, & Spiritum Sanctum, perinde ac Patrem & Filium, *Deum* expreſsè dixit, ut ex teſtimoniis ſuprà à nobis allatis apparet. Verùm de Tertulliani fama & exiſtimatione non multùm laborârunt Catholici ejus ævi; quippe qui tunc, propter alia ejus dogmata, apud omnes Orthodoxos pro Hæretico & ab Eccleſia alieno habitus fuerit. Idem fere de Novatiano ſtatuendum, cujus fuiſſe librum de Trinitate ab Hæreticis diſperſum, illum ſcil. qui hodie inter opera Tertulliani extat, cenſuit Hieronymus.† Nam & ille Catholicè de Trinitate ſenſit, ut mox oſtendemus. Ex his autem

p. 304.

* Vide Ruffini Apol. pro Orig. inter opera Hieronymi Tom. 9. p. 137.
† Vide Hieron. adverſ. Ruffin. Apol. l. 2. c. 5. ſub finem.

aliisque multis indiciis intelligat porro Lector, quid sit Sandio, Historiam Ecclesiasticam enucleare; nempe explosas & insulsas fabulas, manifesta mendacia undique conquirere & congerere, quibus damnatæ Arianorum hæresi fides atq; auctoritas concilietur. Atque hucusq; Cypriani sententiam explicavimus.

§. 5. Cypriano subjiciendus est Novatianus, sive Auctor libri de Trinitate, quem paulò antè commemoravimus. Hunc auctorem de Trinitatis mysterio *non satis accuratè esse locutum, imò absurdè pleraque tradidisse*, dicit Petavius: & Sandius, Petavii judicio, ut solet, nimiùm confisus, ipsum accenset iis, qui idem, quod Arius, antè tradiderunt. Verùm minùs accurata & absurda illa vel ad Filii οἰκονομίαν, vel ad minoritatem istam Filii, ad Patrem tanquam ad auctorem & principium suum collati, quam Catholici omnes etiam post Synodum Nicænam agnoverunt, referenda esse, suô locô ostendetur. Interim Auctorem, quisquis fuerit, in rei summa cum Ario minimè sensisse, paucis ex ipso, sed iis luculentissimis, adductis testimoniis demonstrabimus. Cui demonstrationi hoc unum præmittimus observandum, ipsum Petavium alibi fateri disertis verbis, minùs accurata & absurda illa, quæ operi suo inseruit Auctor, *aut solo loquendi modo, aut certè citra mysterii substantiam, ab Catholica regula discrepare.* Hôc strictim notatô, rem ipsam aggrediamur. In capite 23. Auctor Christi Divinitatem sic adstruit: *Si homo*, inquit, *tantummodo Christus, quomodo dicit:* Ego ex Deo prodii, & veni? *cum constet hominem à Deo factum esse, non ex Deo processisse. Ex Deo autem homo quomodo non processit, sic Dei Verbum processit.* Mox addit: *Deus ergo processit ex Deo, dum qui processit sermo, Deus est, qui processit ex Deo.* Quid fere in ipso Nicæno Symbolo contra Arium expressius dicitur? Nam hæc duo, *à Deo factum esse, & ex Deo procedere*, Auctor disertè opponit: & Christum in excellentiori sua natura non factum, sive minimè creatum esse, sed ex ipso Deo processisse, proinde Deum ex Deo esse, haud minùs disertè affirmat. Idem paulò pòst in eodem capite: *Si*, inquit, *homo tantummodo Christus, quid est quod ait:* Ego & Pater unum sumus? *Quomodo enim Ego & Pater unum sumus, si non & Deus est & Filius, qui idcirco unum potest dici, dum ex ipso est, & dum filius ejus est, & dum ex ipso nascitur, dum ex ipso processisse reperitur, per quod & Deus est.* Ex quo loco clarè refellitur Petavii calumnia in hujus libri Auctorem, dum ait, ipsum *verba illa Joannis decimo, Ego & Pater unum sumus, Arianô penè more declarâsse*; ad hanc censuram confirmandam citans ista ejus verba cap. 22. *Unum autem quod ait, ad concordiam & eandem sententiam, & ipsam charitatis societatem pertinet; ut meritò unum sint Pater & Filius per concordiam, & per amorem, & per dilectionem.* Atqui, inquam, ex loco jam à nobis allato constat, Auctorem verba illa Joannis non de sola concordia, sive consensu voluntatis, (quod Ariani fecerunt) sed etiam, atque inprimis, de communione substantiæ, quæ inter Patrem & Filium intercedit, cum Catholicis omnino intellexisse. Quod & eo ipso in loco, quem citat Petavius, Auctor clarè satis exprimit, dum hæc verba (à Petavio haud bonâ fide celata) ἀμέσως subjicit: *Et quoniam ex Patre est, quicquid illud est, Filius est; manente tamen distinctione, ut non sit Pater ille qui Filius, quia nec Filius ille, qui Pater est.* Nimirum Sabellii hæresin ibi unicè impugnat, quæ Patrem & Filium sic unum prædicat, ut distinctionem personarum omnino tollat. Adversus hanc hæresin docet, Patrem & Filium unum quidem esse cùm voluntatis consensu, tum etiam substantiæ unitate, siquidem Filius ex ipso paternæ essentiæ fonte derivetur; sed tamen duos omnino esse subsistentiâ, sive personâ. Profectò minimè toleranda est Petavii Jesuitæ in veteres Scriptores iniquitas, ita passim sana & Catholica illorum dicta, contra manifestam ipsorum mentem ac sententiam, in sensus alienos atque hæreticos detorquentis.

§. 6. Sed ad Auctorem nostrum redeo, unicum præterea ex ipso locum adducturus, qui τὸ ὁμοούσιον Filii luculentissimè confirmet. Ipsum legere est in capite 11. ubi de utraq; Christi natura, divinâ & humanâ, sic Auctor loquitur: " Tam enim Scriptura etiam De-
" um adnuntiat Christum, quàm etiam ipsum
" hominem adnuntiat Deum. Tam homi-
" nem descripsit Jesum Christum, quàm De-
" um quoque descripsit Christum Dominum.
" Quoniam nec Dei tantùm illum filium es-
" se proponit, sed & hominis; nec hominis
" tantùm dicit, sed & Dei referre consuevit:
" ut dum ex utroque est, utrumque sit, ne,
" si alterum tantùm sit, alterum esse non pos-
" sit. UT ENIM PRÆSCRIPSIT IPSA
" NATURA HOMINEM CREDEN-
" DUM, QUI EX HOMINE SIT, ITA
" EADEM NATURA PRÆSCRIBIT ET
" DEUM CREDENDUM ESSE, QUI EX
" DEO SIT: ne si non & Deus fuerit, cum
" ex Deo sit, jam nec homo sit, licet ex ho-
" mine fuerit, & in alterutro utrumque pe-
" riclitetur, dum alterum altero fidem perdi-
" disse convincitur. " Certè mens illi tota caligat,

Petav. de Trin. l. 1. c. 5. n. 5. Sandius Enucl. H. E. lib. 1. p. 110.

Petavius Præfat. in Tom. 2. c. 5. n. 3.

Petav. ubi suprà.

caligat, qui non illico perſpicit, hiſce verbis apertiſſimè doceri, Chriſtum perinde Deo Patri ὁμοούσιον eſſe, quà ex Deo eſt, atque ὁμοούσιος eſt nobis hominibus, quà ex homine eſt; neque minùs verum Deum, quàm verum hominem eſſe. Cæterum illud de hoc Auctore ex abundanti addam, ipſum Cathocè etiam de Spiritu ſancto ſenſiſſe. Nam cap. 29. in ipſo initio docet, juxta regulam fidei credendum eſſe non modò in Patrem & Filium, ſed etiam in Spiritum S. Et in capitis proceſſu eas Spiritui S. addicit virtutes & operationes, quæ in creaturam competere neutiquam poſſunt. Ac denique prope finem capitis eidem Spiritui S. *divinam æternitatem* expreſsè tribuit. Quâ verò ratione Spiritum S. Filiô minorem dixerit, alibi oſtendimus. Atque de hoc Auctore inpræſentiarum hæc dixiſſe ſufficiat.

Suprà c. 3. §. 17.

§. 7. Cum Scriptoribus in hoc capite memoratis numerabimus Theognoſtum Alexandrinum; quanquam ejus ætatem vix compertam habeamus. Illud unum ſcire licet, Nicæna Synodo multò antiquiorem fuiſſe illum, Origene recentiorem. Origene poſteriorem fuiſſe certum eſt, quia ut ſectatorem Origenis illum fugillat Photius. Diu verò ante Concilium Nicænum eundem vixiſſe inde colligas, quòd Athanaſius (libro in illud Evangelii, *Quicunque dixerit verbum in Filium hominis*, &c.) ipſum inter παλαιοὺς ἄνδρας, *priſcos homines* numerat; & illius continenter Origenis teſtimonio ſubjungit. Illum ἄνδρα λόγιον, *Virum diſertum* in libro de decretis Synodi Nicænæ; & τὸ θαυμάσιον, *admirandum illum* in libro paulò antè laudato appellat idem Athanaſius. Libros ſcripſit τῶν ὑποτυπώσεων, qui dudum interciderunt. Sed ex eorum ſecundo citat pro τῷ ὁμοουσίῳ Athanaſius hoc illuſtre teſtimonium: οὐκ ἔξωθέν τίς ὄζιν ἐφευρεθεῖσα ἡ τοῦ υἱοῦ οὐσία, οὐδὲ ἐκ μὴ ὄντων ἐπεισήχθη, ἀλλὰ ἐκ τοῦ παλεοὺς οὐσίας ἔφυ, ὡς τοῦ φωτὸς ἀπαύγασμα, ὡς ὕδατος ἀτμίς· ὅτε γὰρ τὸ ἀπαύγασμα, ὅτε ἡ ἀτμὶς, αὐτὸ τὸ ὕδωρ ὄζιν, ἢ αὐτὸς ὁ ἥλιος· ὅτε ἀλλότριον, ἀλλὰ ἀπόῤῥοια τοῦ παλεοὺς οὐσίας, οὐ μερισμὸν ὑπομεινάσης τοῦ παλεοὺς οὐσίας. ὡς γὰρ μηδὲν ὁ ἥλιος ὁ αὐτὸς οὐ μειοῦται ταῖς ἐκχεομέναις ἀπ' αὐτοῦ αὐγαῖς, οὕτως οὐδὲ ἡ οὐσία τοῦ παλεοὺς ἀλλοίωσιν ὑπέμεινεν, εἰκόνα ἑαυτῆς ἔχουσα τὸν υἱόν· i. e. " Filii ſubſtantia non eſt extrin-
" ſecus inventa, aut ex non exiſtentibus ſu-
" perinducta; ſed ex Patris ſubſtantiâ pro-
" genita, ut à luce jubar, ut ex aqua vapor:
" neque enim vapor idipſum eſt quod aqua,
" neque jubar idipſum quod Sol: ſed neque
" alienum, verùm fluxus eſt paternæ ſub-
" ſtantiæ, idque ita ut interim ſubſtantia illa
" Patris diviſionem non patiatur. Quemad-
" modum enim Sol non diminuitur ſuis ex
" ſe effuſis radiis; ita nec ſubſtantia Patris
" imminuitur, imaginem ſui Filium progi-
" gnens." Certè nihil unquam, vel in ipſo Nicænorum Patrum venerando confeſſu, adverſus Arianos expreſſiùs dictum fuit.

Tom. 1. p. 971.

Tom. 1. p. 274.

Ibidem.

§. 8. Itaque verum eſſe non poteſt, quod ſcribit Photius Cod. 106. (cui tamen fidem habet non modò Sandius,* ſed & doctiſſimus Huetius,†) docuiſſe hunc Theognoſtum, idque in eo ipſo, quem citat Athanaſius, Hypotypoſeon libro ſecundo, Filium Dei, nempe quà propriè Filius Dei eſt, creaturam eſſe. Imò ipſe Photius ſibi fidem detrahit, dum in eodem capite prope finem ait, dixiſſe Theognoſtum Dei Filium τῇ ἐνεργείᾳ μὴ περιγεγραμμένον, *vi ſive efficacia non eſſe circumſcriptum:* quod certè de creatura dici non poteſt. Quin & idem mox agnoſcit, Scriptorem illum in ſeptimo Hypotypoſeon libro piè magis cùm de aliis tractaſſe, ἢ μάλιστα περὶ τοῦ τέλει τοῦ λόγου, περὶ τοῦ υἱοῦ, *tum præſertim de Filio, in fine ſermonis.* Certè præclara fuiſſe oportet, quæ ibi de Filio Dei ſcripſit Theognoſtus, quum eadem ipſe Photius, tanquam piè imprimis dicta, laudaverit. Quis autem credat, Virum tantum, quantum fuiſſe Theognoſtum conſtat, in eodem opere tam repugnantia defendiſſe? Res eſt: Photius præ acerrimo adverſus Origenem odio, & in hunc Theognoſtum, ejus aſſeclam & defenſorem, iniquus fuit; indeque Scripta ejus in malam partem accepit, ſeu potiùs ab aliis accipi voluit. Scilicet Theognoſtus ex aliorum, quibuſcum diſputabat, opinione illud dixit, non ut ſuam declarans ſententiam. Hoc ex ipſo Photio non obſcurè colligitur, qui poſtquam ejus blaſphemiæ Theognoſtum arguerat, mox τὰ δεῖνα inducit, Virum inſignem hac ratione defendentem, quòd iſta propoſuerit ἐν γυμνασίας λόγῳ, ἢ οὐ δόξης, *exercitationis gratia, & non ex ſua ſententia.* Illud verò non negat Photius, ſed tantùm reprehendit iſtiuſmodi diſputandi rationem, ſaltem de myſteriis divinis, & in ſcripta oratione: quam tamen culpam nullus dubito, quin alii cuivis Scritori, qui Origeniſta non fuiſſet, facilè condonâſſet. Sed rem extra controverſiam ponit magnus Athanaſius, qui poſt recitatum Theognoſti teſtimonium, quod ſuprà deſcripſimus, hæc continuo ſubjungit: ὁ μὲν οὖν Θεόγνωστος, τὰ πρότερα ὡς ἐν γυμνασίᾳ ἐξετάσας, ὕστερον τοῦ ἑαυτοῦ δόξαν πιθεὶς, οὕτως εἴρηκεν· i. e. " Theognoſtus igitur, poſtquam ſuperiora
" tanquam inter diſputandum inquiſiviſſet,
" tandem, ſuam ipſius ſententiam ponens, ſic
" locutus eſt." Clarum eſt igitur, Theognoſtum

* Enucl. H.E. l. 1. p. 109.
† Origen. p. 45.

ſtum in libro Hypotypoſeon 2. priùs heterodoxorum ſententias propoſuiſſe, interque eas opinionem eorum, qui Filium Dei creaturam eſſe dicerent; idque ita ut eorum perſonam quodammodo indueret, & argumentationes repræſentaret: tandem verò ſuam planè Catholicam ſententiam, iſtis oppoſitam, tradidiſſe verbis ab Athanaſio productis.

§. 9. Quod præterea Theognoſto objicit Photius, ipſum nempe docuiſſe, Filium Dei τῶ λογικῶν μόνον ἐπιτατεῖν, *ratione præditis tantùm præeſſe*; id facile diluitur. Scilicet neutiquam voluit Vir ſanctus, Filii imperium ad ſolas creaturas rationales ita alligari, ut reliquæ creaturæ ab ejus dominio eximantur. Abſit. Nam quomodo divinam Filii Dei providentiam & virtutem ab ulla Dei creatura ſecludere potuit, qui (ipſo Photio, ut vidimus, fatente) dixerit, Filium Dei virtute & efficacia ſua nullatenus circumſcriptum eſſe? Quid igitur? Dubiô procul Theognoſtus idem voluit, quod ejus magiſter Origenes, quem Photius Cod. 8. refert docuiſſe, διήκειν μὲν τ πατέρα διὰ πάντων τῶ ὄντων, τ δ ὑὸν μέχρι τῶ λογικῶν μόνων, τὸ δ πνεῦμα μέχρι μόνων τ σεσωσμένων i. e. "Pervadere "quidem Patrem quæcunque ſunt, Filium "verò duntaxat rationis participes, Spiritum "ea tantùm quæ ſalutem adepta ſunt." Quomodo autem hæc intelligenda ſint, Hue-
Lib. 2. p. 46, 47. tius nos docet in Origenianis: "Hæc, *inquit*, "ἀποτόμας ita ſumpta vix eſt, ut reprehen-"ſionem effugiant. At ſi quis ad mentem "potiùs Origenis quàm ad verba attenderit, "aliter ſentiet. Quamvis enim una eadem-"que ſint ſacræ Trinitatis extranea opera, & "quicquid agit in rebus externis Pater, hoc "agat & Filius, hoc & Spiritus Sanctus; "quædam tamen Patri aſſignari ſolent, alia "Filio, alia Spiritui ſancto. Quemadmo-"dum ergo Patri vulgò attribuitur creatio "rerum, licet trium peræquè perſonarum "ſit; ita Filio, qui eſt λόγῳ, omnium λο-"γικῶν curam Origenes adſcribit; ſanctitu-"dinis verò collationem addicit Spiritui "ſancto, juxta Rom. 1. 4. & 2 Theſ. 2. 13. "quamvis toti Trinitati debeatur. Scriptum "eſt 1 Pet. 1. 2. ſecundum præſcientiam Dei "Patris, in ſanctificationem Spiritus, in obe-"dientiam & aſperſionem ſanguinis Jeſu "Chriſti." Hanc Origenis mentem fuiſſe probat Huetius luculentiſſimis ex ejus libris allatis teſtimoniis. Quibus & ſubjungit illuſtrem locum Paſchaſii Diaconi lib. 1. de Spir. S. c. 9. Origenis ſibi ſententiam uſurpantis, qui ſic habet: "Quantum in Scripturis ſan-"ctis manifeſtiſſimè deprehenditur, alia Pa-"ter ipſe per ſe, alia ſpecialiter per Filium, "alia per Spiritum Sanctum, licet ſub privi-"legio potentiæ communis, operatur. Quia "*ſumus*, ad Patrem propriè referri videtur; "in quo, ſicut Apoſtolus dicit, vivimus, mo-"vemur, & ſumus. Quod verò rationis, & "ſapientiæ, & juſtitiæ capaces ſumus, illi "ſpecialiter, qui eſt ratio, & ſapientia, & "juſtitia, id eſt, Filio deputatur. Quod au-"tem vocati regeneramur, innovati ſanctifi-"camur, per divina eloquia perſonæ Spiritus "ſancti evidenter adſcribitur." Addit & præclarum Auguſtini dictum lib. 15. de Trinit. cap. 17. "Sicut unicum Dei Verbum "propriè vocamus nomine ſapientiæ, cum "ſit univerſaliter & Spiritus ſanctus, & Pa-"ter ipſa ſapientia; ita Spiritus S. propriè "nuncupatur vocabulo charitatis, cum ſit "univerſaliter charitas & Pater & Filius." Cæterum quod ibidem antè dixerat idem eruditiſſimus Huetius, Athanaſium in libro, quem ſcripſit in Matth. 12. 32. ob hæc dicta *& Origenem, & ejus ſectatorem Theognoſtum exploſiſſe*; verum non eſt. Nam Athanaſius tantùm dicta utriuſque conſideranda, & profundiorem aliquem in iis ſenſum quærendum eſſet admonet. Verba ejus ſunt: ἐγὼ δ ἀφ' Oper. Athanaſ. Tom. 1. p. 972. ὧν ἔμαθον, νομίζω τ ἑκατέρα διάνοιαν μετρίας τινὸς δοκιμασίας ἐπιδεῖσθαι καὶ κατανοήσεως· μὴ ἄρα κεκρυμμένῳ ἔστι τις ἐν αὐτοῖς τοῖς ὑπὸ αὐτῶν εἰρημένοις βαθύτερος νοῦς· i. e. "Ego "autem pro mea qualicunque eruditione ar-"bitror, utriuſque ſententiam, nonnullam "examinationem & conſiderationem requi-"rere; num forte in eorum dictis profundi-"or aliquis ſenſus occultè lateat." Certè hoc non eſt, ob dicta iſta Origenem & Theognoſtum explodere. Profundiorem autem illum intellectum jam nobis erutum dedit ipſe Huetius. Ac de ſancti Theognoſti ſententia & fide hæc dicta ſunto.

CAP.

ANNOTATA

Ad §. 1. ſeqq.

De S. CYPRIANO, & allegatione verborum S. Joannis 1 *Epiſt.* 5. 7.

§. 1. IN ipſius S. Cypriani Tractatibus quidem haud plura Deitatis Chriſti documenta, quàm quæ à Reverendo *Bullo* allegata ſunt, reperiuntur. Addi tamen illis poteſt ſuffragium Euchratii à Thenis, in Concilio Carthaginenſi, cui S. Cyprianus præfuit, cujuſq; Acta vel ſententiæ Epiſcoporum habentur inter Opera ejuſdem, ubi num. 29. hæc Euchratii verba extant: *Fidem noſtram & Baptiſmatis gratiam, & Legis Eccleſiaſticæ regulam DEUS & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſuo ore Apoſtolos docens perimplevit, dicens: Ite & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Unde Baptiſma Hæreticorum rejicit, *de quorum ore virus, non vita, nec gratia cœleſtis, ſed blaſphemia Trinitatis exprimitur.* In quibus vox *Trinitatis*, & titulus *DEI & Domini noſtri* Jeſu Chriſto adſcriptus, juxtà ac in S. Cypriani Epiſtolis, occurrit. Cæterum adversus id, quod doctiſſimus Auctor noſter §. 2. monuit, S. Cyprianum, perinde ac Tertullianum, verba S. Joannis 1. Epiſt. cap. 5. v. 7. de tribus in cœlo teſtibus allegâſſe, objici poſſet auctoritas recentioris Africani Epiſcopi, Facundi Hermianenſis, qui lib. 1. Defenſionis trium Capitulorum ſequentia habet: *Joannes Apoſtolus in Epiſtola ſuâ de Patre, & Filio, ac Spiritu S. ſic dicit:* Tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & ſanguis; & hi tres unum ſunt. *In Spiritu ſignificans Patrem, ſicut Dominus mulieri Samaritanæ ſecundum ipſius Joannis Evangelium loquitur, dicens:* Crede mihi, quia veniet hora &c. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in Spiritu & veritate oportet adorare. *In aqua verò Spiritum S. ſignificans, ſicut in eodem ſuo Evangelio exponit verba Domini, dicentis:* Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; *ubi ſubſecutus adjecit:* Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum &c. *In ſanguine verò Filium ſignificans, quoniam ipſe ex S. Trinitate communicavit carni & ſanguini.* Et poſt pauca: *Quod Joannis Apoſtoli teſtimonium B. Cyprianus Carthaginenſis Antiſtes & Martyr in Epiſtola ſive libro, quem de Trinitate ſcripſit, de Patre & Filio & Spiritu S. dictum intelligit. Ait enim:* Dicit Dominus: Ego & Pater unum ſumus; & iterum de Patre & Filio & Spiritu S. ſcriptum eſt: Et hi tres unum ſunt. Hæc ille. Ex quibus colligere eſt, Facundum non modò ipſum verba S. Joannis de tribus in cœlo teſtibus, Patre, Filio & Spiritu non agnoviſſe, ſed neq; exiſtimâſſe, quòd Cyprianus ea allegaverit, verùm loc. cit. ubi ait *de Patre Filio & Spiritu S. ſcriptum eſſe. Et hi tres unum ſunt*, ad verſum *de tribus in terra teſtibus* myſticè expoſitum reſpexerit. Sed Facundo Hermianenſi oppono paulò antiquiorem, nec minùs eruditum Scriptorem Africanum, Fulgentium Epiſcopum Ruſpenſem, qui non modò in lib. de Trinitate ad Felicem Notarium cap. 4. controverſum S. Joannis comma ipſe citat, ſed & à S. Cypriano eô, de quo agimus, locô citatum tradit, prope finem Reſponſionum contra Arianos ita ſcribens: *Beatus enim Joannes Apoſtolus teſtatur, dicens:* Tres ſunt qui teſtimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus; & hi tres unum ſunt. *Quod etiam beatiſſimus Martyr Cyprianus in Epiſtola de Unitate Eccleſiæ confitetur* &c. Unde verba S. Cypriani allegat, & quidem rectiùs, quàm Facundus, hallucinatus utiq; dum librum ſive Epiſtolam *de Trinitate* citavit. Ex Fulgentii itaq; ſententia Cyprianus verba S. Joannis de tribus in cœlo teſtibus prorſus agnovit; uti quidem ſemetipſum ea in Africanis Codicibus legiſſe clariſſimè indicat. Cæterum Tertulliani eadem quæ S. Cypriani eſt ratio.

§. 2. Quicquid autem de Africanis Novi Teſtamenti Codicibus, quibus Tertullianus & S. Cyprianus uſi ſunt, ſtatuatur, S. Joannem tamen in Autographo iſta de tribus in cœlo teſtibus verba ſcripſiſſe credo, ac argumenta, quibus ad id inducor, hâc occaſione iis qui diverſum ſentiunt, conſideranda offero. 1. Comma controverſum nihil continet, quod non S. Joannes alibi, in Evangelio ſcilicet, expreſsè docuerit, aut potiùs Chriſtum ipſum docuiſſe memoraverit. Tres nominat, qui teſtimonium perhibent de Chriſto, Patrem, Verbum, & Spiritum ſanctum; hoſq; unum eſſe addit. Atqui de primo teſte hæc Servatoris verba in Evangelio refert S. Joannes cap. 5. v. 37. ὁ πέμψας με πατὴρ, αὐτὸς μεμαρτύρηκε περὶ ἐμοῦ. *Qui me miſit, Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me*; nempe voce, in Baptiſmo Chriſti, è cœlis factâ: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui*, Matth. 3. 17. De primo autem & ſecundo teſte junctim S. Joannes iterum ſequens dictum Domini conſignavit cap. 8. v. 18. ἐγώ εἰμι ὁ μαρτυρῶν περὶ ἐμαυτοῦ, καὶ μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ ὁ πέμψας με, πατήρ. *Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de me ipſo, & teſtimonium perhibet de me, qui miſit me, Pater.* De tertio deniq; teſte, Spiritu ſancto, Servator ait Joan. 15. 26. ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ. *Ille teſtimonium perhibebit de me.* Quòd autem tres iſti teſtes unum ſint, amantiſſimus diſcipulus itidem ex ore Magiſtri ſui didicerat, dicentis Joan. 10. 30. ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. *Ego & Pater unum ſumus.* Ex quibus patet, non modò ſententiam ſed ipſa verba controverſi commatis in ipſius S. Joannis Evangelio, licet diverſis in locis, reperiri. Quidnî igitur idem in Epiſtola ſuâ eadem ſcripſerit? Imò verò nullâ ratione mihi perſuadere poſſum, S. Apoſtolum, ubi ex inſtituto agit de iis, qui Jeſu Chriſto teſtimonium perhibuerint, nominâſſe quidem tres teſtes terrenos; tres verò cœleſtes, majoris, imò maximæ ac prorſus infallibilis auctoritatis, ipſum DEUM Patrem, Verbum, & Spiritum ſanctum, ad quorum teſtimonium Chriſtum provocâſſe bene noverat, ſilentiô præteriiſſe. Accedit 2. quòd ipſe S. Joannes ſe teſtimonium DEI Patris de Filio ſuo allegâſſe indicaverit verbis mox ſequentibus verſ. 9. Εἰ τὴν μαρτυρίαν τῶν ἀνθρώπων λαμβάνομεν, ἡ μαρτυρία τοῦ Θεοῦ μείζων ἐστίν· ὅτι αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία τοῦ Θεοῦ, ἣν μεμαρτύρηκε περὶ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium DEI majus eſt: quoniam hoc eſt teſtimonium DEI, quod teſtificatus eſt de Filio ſuo.* Atqui ſi controverſum comma è textu tollatur, nullum ibi teſtimonium DEI Patris præcedit, quod verſu modò recitatô urgeat. Nam tres teſtes, *Spiritum, aquam, & ſanguinem* quod attinet, ſi per eos cum quibuſdam Interpretibus intelligas, Spiritum, quem Chriſtus in cruce moriens, Patri commendavit, & ſanguinem atq; aquam, quæ è latere ejuſdem jam mortui emanârunt, ac veritatem humanæ ejus naturæ demonſtrârunt; manifeſtum eſt, quòd teſtimonium horum haud DEI Patris teſtimonium dici queat. Sin verò, quæ mea eſt ſententia, alibi prolixè exponenda ac probanda, S. Joannes hôc locô ad veritatem, non humanæ Chriſti naturæ, ſed divinæ ejus doctrinæ confirmandam triplex teſtimonium allegans, eô ſignificaverit triplicem, quem Theologi dicere ſolent, Baptiſmum, *flaminis, fluminis, ſanguinis*, id eſt, dona Spiritûs tunc in credentes effuſa, præſertim Spiritum Prophetiæ, qui Apocal. 19. 10. *teſtimonium Jeſu* expreſsè ab Angelo appellatur; deinde Baptiſmum aquæ, quem qui in nomen Chriſti ſuſcipiunt, publicum ei teſtimonium perhibent; deniq; effuſionem ſanguinis pro nomine Jeſu, *Martyrium* jam initiô Eccleſiæ dictum, appellatis quoq; inde iis, qui hoc teſtimonium perhibebant, *Martyribus*; (vide Act. 22. 20.) ſi, inquam, hæc ſententia acceptetur, tunc iterum non DEI, ſed hominum iſta ſunt teſtimonia. Homines enim, licet Divino Spiritu acti, ſunt, qui ſive Prophetiâ, ſive Sacramentô, ſive Sanguine, ſuam indeq; aliorum in Chriſtum fidem confirmant. DEI teſtimonium igitur dum inculcavit Apoſtolus, ad Patrem Filium & Spiritum ſanctum, teſtes paulò vel immediatè antè memoratos, reſpexiſſe utiq; videtur. Deniq; 3. voces iſtæ ἐν τῇ γῇ, *in terra*, additæ tribus teſtibus, Spiritui, aquæ, & ſanguini, prorſus ſuperfluæ forent, niſi aliorum *in cœlo* teſtium mentio præcederet vel ſequeretur. Atq; inde factum puto, ut in quibuſdam exemplaribus, in quibus comma de tribus ἐν τῷ οὐρανῷ teſtimonium perhibentibus deſideratur, etiam voces ἐν τῇ γῇ ſint omiſſæ.

§. 3. Præcipuum, imò unicum fere, quod adverſus dictum Apoſtolicum objicitur, eſt raritas Codicum, & quidem antiquiorum, in quibus illud exaratum fuit, ac hodienum reperitur. Abfuit quippe ab exemplari Syriaci Interpretis, nec non pluribus aliis, quibus uſi ſunt S. Patres quarti & quinti à Chriſto nato ſeculi, uti colligitur ex eo, quòd nuſpiam in genuinis eorum Scriptis contra Hæreticos, Deitatem Filii vel Spiritus Sancti negantes, illud citatum inveniatur. Neque hodienum in MS. Codice Alexandrino aliiſque melioris notæ libris extat, & in quibus

quibus legitur, paulò diverſum & aliô plerumque ordine poſitum eſt, alteri ſcilicet verſui de tribus in terra teſtibus ſubjunctum. Sed reſpondeo, hæc omnia haud demonſtrare, quòd verba iſta de tribus in cœlo teſtibus à S. Joanne non ſint ſcripta; ſed ſolùm probare, quòd haud diu pòſt à negligente vel feſtino Scriba ſint omiſſa, indeque mancus textus in plura exemplaria fuerit transfuſus. Atqui hujus omiſſionis eadem planè apparet in hoc textu ratio, quâ omnia ferè ſacrorum & profanorum Auctorum Scripta ſunt mutilata, nempe repetitio earundem vocum, τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες, aut poſtremarum, ἓν εἰσιν. Ut verò perſpiciat Lector, idem in aliis S. Scripturarum, & quidem S. Joannis, locis accidiſſe, ex ipſo S. Cypriano & Tertulliano, è quorum Scriptis auctoritas dubii teſtimonii noſtri probatur, duo ſimilia affero exempla. In Concilio Carthaginenſi, cui S. Cyprianus velut Primas præfuit, num. 5. p. 231. Tractatuum S. Cypriani in Edit. Oxon. hæc Chriſti verba ex Joan. 3. 6. citata leguntur: *Quod natum eſt de carne, caro eſt; & quod natum eſt de ſpiritu, ſpiritus eſt: quia DEUS ſpiritus eſt, & de DEO natus eſt.* Eôdem modô allegavit Tertullianus lib. de Carne Chriſti cap. 19. Si itaque ex horum Codicibus aliiſque judicium capere liceat, in S. Joannis Evangelio poſt iſta verba: τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματός ἐστι, πνεῦμά ἐστι, hæc fuere ſcripta: ὅτι Θεὸς πνεῦμά ἐστι, καὶ ἐκ Θεοῦ γεγεννημένον ἐστὶ, occaſione repetiti verbi ἐστὶ poſtea omiſſa. Similiter S. Cyprianus lib. 1. Teſtimon. adverſus Judæos cap. 15. in fine p. 25. ſequentia Servatoris in *Evangelio* verba adduxit: *Non relinquetur in templo lapis ſuper lapidem, qui non diſſolvatur; & poſt triduum aliud excitabitur ſine manibus.* Quæ integra in Editionibus S. Evangeliorum fruſtra quæras; in quibus quidem Marc. 13. 2. videas priora: ὃς οὐ μὴ ἀφεθῇ λίθος ἐπὶ λίθῳ, ὃς οὐ μὴ καταλυθῇ· poſteriora autem in ſolo, quem ſciam, MS. Cantabrigienſi Codice Græco ſic expreſſa reperias: καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν ἄλλως (ἄλλος) ἀναστήσεται ἄνευ χειρῶν. Cæterum hæc ab ipſa S. Marci manu profecta eſſe, vix dubitare me ſinit ejuſdem hiſtoria de falſis adverſus Chriſtum teſtibus, quâ refert proximè ſequenti cap. 14. v. 58. aliquos dixiſſe, quòd è Chriſti ore audiverint: ὅτι ἐγὼ καταλύσω τὸν ναὸν τοῦτον ἀχειροποίητον, καὶ διὰ τριῶν ἡμερῶν ἄλλον ἀχειροποίητον οἰκοδομήσω· *Ego diſſolvam templum hoc manufactum, & poſt triduum, aliud non manufactum ædificabo.* Quæ ultima ſunt ipſa antè citata verba, nuſquam alibi in S. Evangeliis, exceptô iſto S. Marci locô, literis conſignata; in hôc verò occaſione recurrentis particulæ καὶ (καὶ διὰ, & καὶ καθημένῳ) jam olim à negligentibus vel feſtinantibus Librariis omiſſa, ac proinde in paucis tantummodo Codicibus conſervata.

§. 4. Sed ut iis quoque ſatisfaciam, qui controverſa Joannis verba ne quidem à Tertulliano & Cypriano, vel alio quodam antiquo Patre allegata largiuntur, alios duos proferam Novi Teſtamenti verſus, qui in editis exemplaribus, ac pluribus, iiſque antiquiſſimis Manuſcriptis haud extant, neque à S. Patribus citati ſunt: quos tamen ab ipſis S. Apoſtolis ſcriptos eſſe perſuaſus ſum, quia addendi eos ratio nulla ſuppetit; omittendi autem occaſio planè eadem conſpicitur, quam in modò memoratis locis obſervavimus. Nimirum Joan. cap. 6. verſui 56. ὁ τρώγων μου τὴν σάρκα, καὶ πίνων μου τὸ αἷμα, ἐν ἐμοὶ μένει, κἀγὼ ἐν αὐτῷ, hæc in antiquo MS. Cantabrigienſi ſubjuncta habes: καθὼς ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἐν τῷ πατρί. Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ λάβητε τὸ σῶμα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, ὡς τὸν ἄρτον τῆς ζωῆς, οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν αὐτῷ. Similiter in Epiſtola S. Pauli ad Hebræos cap. 11. inter verſum 23. & 24. ſequens comma in quibuſdam exemplaribus interjectum legitur, teſte Curcellæô: πίστει μέγας γενόμενος Μωϋσῆς ἀνείλετο τὸν Αἰγύπτιον, καταναοῦν τὴν ταπείνωσιν τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ. Atqui prius comma ob recurrentem vocem ἐν αὐτῷ vel καθὼς, poſterius autem ob iterata verba: πίστει Μωσῆς μέγας γενόμενος, excidiſſe quis non videt? Quidnî igitur in controverſo S. Joannis loco idem contigerit? Neque hæc, quæ modò attuli, exempla defectuum in ſacris quibuſdam Codicibus divinæ in conſervanda S. Scriptura providentiæ detrahunt; ſiquidem ſufficit, quòd aliqua extent exemplaria vel libri quidam, quorum ope defectus iſtos reſarcire queamus. Ut taceam, loca iſta ad neceſſarios fidei articulos confirmandos aut prorſus non pertinere, aut non neceſſaria eſſe, quòd eorum veritas pluribus aliis ſacrorum Scriptorum teſtimoniis prorſus illibatis probari poſſit.

DE

Ad §. 6.

De *NOVATIANO.*

POSTQUAM Novatianus cap. 11. Deitatem Chriſti verbis à Reverendo *Bullo* allegatis clarè ediſſeruit, eandem ex Scripturis tam veteris, quàm novi Teſtamenti fusè probat cap. 12. & 13. unde præcipua huc tranſcribere haud abs re erit ; quoniam hinc patebit iisdem, quibus nunc adverſus Hæreticos pugnamus telis, jam olim ſui ævi feras transfixiſſe Eccleſiæ Patres, eosq; hoc de Deitate Chriſti dogma pro neceſſario ad ſalutem habuiſſe. Ita igitur Novatianus exorditur caput 12. " Cur ergo " dubitemus dicere, quod Scriptura non du- " bitat exprimere ? Cur hæſitabit fidei ve- " ritas, in quo Scripturæ nunquam hæſita- " vit auctoritas ? Ecce enim Oſee Prophe- " tes ait ex perſona Patris: *Jam non ſalva- " bo eos in arcu, neq; in equis, neq; in equi- " tibus, ſed ſalvabo eos in Domino DEO ip- " ſorum.* Si DEUS ſalvare ſe dicit in DEO, " non autem ſalvat niſi in Chriſto DEUS ; " cur ergo homo dubitet Chriſtum DEUM " dicere, quem DEUM à Patre animad- " vertit poſitum per Scripturas eſſe ? Imò " ſi non ſalvat niſi in DEO Pater DEUS, " ſalvari non potuerit à DEO Patre quiſ- " quam, niſi confeſſus fuerit Chriſtum " DEUM, in quo ſe et per quem ſe repro- " mittit Pater ſalutem daturum : ut meritò " quiſquis illum agnoſcit eſſe DEUM, ſa- " lutem inveniat in DEO Chriſto : quiſquis " non recognoſcit eſſe DEUM, ſalutem per- " diderit, quam alibi niſi in Chriſto DEO " invenire non poterit." Mox poſt citata Eſaiæ cap. 7. de *Immanuele* verba & argumentum pro Deitate Chriſti inde deductum pergit : " Idem Prophetes : *Convaleſcite manus* " *diſſolutæ, & genua debilia conſolamini, pu-* " *ſillanimes ſenſu convaleſcite, nolite timere.* " *Ecce DEUS noſter judicium retribuet, ipſe* " *veniet, & ſalvabit nos. Tunc aperien-* " *tur oculi cæcorum, & aures ſurdorum audi-* " *ent*, &c. Si in adventu DEI dicit Pro- " phetes hæc futura ſigna, quæ facta ſunt, " aut DEI Filium agnoſcant Chriſtum, in " cujus adventu & à quo hæc ſanitatum ſi- " gna facta ſunt, aut Divinitatis Chriſti ve- " ritate ſuperati, in alteram hæreſin ruen- " tes, Chriſtum dum Filium DEI & DE- " UM confiteri nolunt, Patrem illum eſſe " confitebuntur. Vocibus enim Prophetarum " rum incluſi, jam Chriſtum DEUM nega- " re non poſſunt." Similiter argumentatur ex dicto Habacuci : *DEUS ab Africo veniet, & Sanctus de monte opaco & condenſo.* Ex cap. 13. quô N. T. loca & argumenta inde petita continentur, ſequentia ſolùm annotare placet : " Quòd ſi cum nullius ſit " niſi DEI, cordis nôſſe ſecreta, Chriſtus " ſecreta conſpicit cordis ; quòd ſi, cum nul- " lius ſit niſi DEI, peccata dimittere, idem " Chriſtus peccata dimittit ; quòd ſi, cum " nullius ſit hominis de cœlo venire, de cœ- " lo veniendo deſcendit ; quòd ſi, cum nul- " lius hominis hæc vox eſſe poſſit : *Ego &* " *Pater unum ſumus*, hanc vocem de conſci- " entia Divinitatis Chriſtus ſolus edicit ; " quòd ſi poſtremò, omnibus Divinitatis " Chriſti probationibus & rebus inſtructus " Apoſtolus Thomas, reſpondens Chriſto, " *Dominus meus & DEUS meus*, dicit ; quòd " ſi & Apoſtolus Paulus : *quorum*, inquit, *Pa-* " *tres, & ex quibus Chriſtus ſecundum carnem,* " *qui eſt ſuper omnia DEUS benedictus in ſecu-* " *la*, in ſuis literis ſcribit ; quod ſi idem ſe " Apoſtolum non ab hominibus, aut per ho- " minem, ſed per Ieſum Chriſtum eſſe de- " promit ; quòd ſi idem Evangelium non ſe " ab hominibus didiciſſe, aut per hominem, " ſed per Ieſum Chriſtum accepiſſe conten- " dit : meritò DEUS eſt Chriſtus." Confer quæ idem habet inferiùs cap. 30.

CAP.

CAP. XI.

In quo consensus cum Patribus Nicænis Dionysiorum, Romani & Alexandrini, declaratur.

§. 1. Dionysius Romanus Episcopus, dum adhuc Presbyter esset, à cognomine suo Dionysio Alexandrino λόγιός τε ἀνὴρ καὶ θαυμάσιος, *Vir disertus & admirandus* appellatus, Valeriano & Gallieno imperantibus floruit. In hujus Dionysii Fragmentis nihil reprehendit Petavius, tanquam Arianismum sapiens; sed ipsum, ut perquam Catholicè de S. Trinitate sentientem laudat. Quin & ipse Sandius, qui nihil non in Antiquitate ruspatus est, quod pro Arianis vel tantillùm facere videretur, de hoc Scriptore prudenter admodum tum in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, tum in Nucleo suo Historiæ Ecclesiasticæ totus silet. Nos verò, ne tantum fidei Catholicæ vindicem & testem ignoret Lector φιλαλήθης, ejus suffragia in medium proferemus. Scripsit eruditam Epistolam adversus Sabellianos, quæ periit: sed ejus segmentum bene longum, aurô contrà non carum nobis reservavit Athanasius, in quo absolutissima de S. Trinitate confessio continetur. Nam postquam ibi Dionysius Sabellii dogma refutâsset, contra aliam hæresin Sabellianæ contrariam, ita disserit: ἐξῆς δ' ἂν εἰκότως λέγοιμι καὶ πρὸς διαιρέσεις, καὶ κατατέμνοντας, καὶ ἀναιρέσεις τὸ σεμνότατον κήρυγμα τῆς ἐκκλησίας τοῦ Θεοῦ, τὴν μοναρχίαν εἰς τρεῖς δυνάμεις τινὰς, καὶ μεμερισμένας ὑποστάσεις, καὶ θεότητας τρεῖς. πέπεισμαι γὰρ εἶναί τινας τῶν παρ' ὑμῖν κατηχούντων καὶ διδασκόντων τὸν θεῖον λόγον, τάσεως ὑπερβατὰς τῆς φρονήσεως· οἱ κατὰ διάμετρον, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀντίκεινται τῇ Σαβελλίου γνώμῃ. ὁ μὲν γὰρ βλασφημεῖ, αὐτὸν τὸν υἱὸν εἶναι λέγων τὸν πατέρα, καὶ ἔμπαλιν· οἱ δὴ τρεῖς θεοὺς τρόπον τινὰ κηρύττουσιν, εἰς τρεῖς ὑποστάσεις ξένας, ἀλλήλων παντάπασι κεχωρισμένας διαιροῦντες τὴν ἁγίαν μονάδα. ἀνωθεῖν γὰρ ἀνάγκη τῷ Θεῷ τὸν ὅλων τὸν θεῖον λόγον ἐμφιλοχωρεῖν δὴ τῷ Θεῷ καὶ ἐνδιαιτᾶσθαι δεῖ τὸ ἅγιον πνεῦμα· ἤδη δὴ καὶ τὴν θείαν τριάδα εἰς ἕνα, ὥσπερ εἰς κορυφήν τινα, τὸν Θεὸν τῶν ὅλων τὸν παντοκράτορα λέγω, συγκεφαλαιοῦσθαί τε καὶ συναγεσθαι πᾶσα ἀνάγκη· i. e. "Deinceps adversus eos similiter dicam, qui "dividunt, & secant, & evertunt religiosissimum dogma Ecclesiæ Dei; Monarchiam in tres quasdam virtutes partientes, "& divisas hypostases, ac Deitates tres. "Nam audio quosdam apud vos esse Catechistas & Doctores divini verbi, qui illius sunt opinionis auctores: qui ex diametro, ut sic dicam, pugnant cum Sabellii "placitis. Hic enim blasphemat, Filium ipsum asserens esse Patrem, & è converso, "Patrem esse Filium: at isti tres quodammodo Deos prædicant, dum sanctam Monadem dividunt in tres hypostases peregrinas, à se invicem planè separatas. Etenim necesse est uniri omnium Deo Dei "Verbum, & in Deo manere & habitare "Spiritum sanctum. Jam verò divinam "quoque Trinitatem in unum, velut in caput quoddam & summam, omnipotentem "Deum universorum dico, colligi & coalescere, prorsus est necesse." Verba hæc tam diserta sunt, ut nostrâ non egeant deductione, quâ ostendatur, quàm in ipsis integra doctrina de sacra Triade, contra hæreses quasviscunque, plenissimè & planissimè explicetur. Idem verò Dionysius post aliqua, adversus eos, qui Filium Dei creaturam prædicarent, hæc subjungit: ἀμεῖον δ' ἄν τις καταμέμφοιτο καὶ τὸν ποίημα τὸν υἱὸν εἶναι δοξάζοντας, καὶ γεγονέναι τὸν Κύριον, ὥσπερ ἕν τι τῶν ὄντων γενομένων, νομίζοντας, τῶν θείων λόγων γνώμην αὐτῷ τὴν ἁρμόττουσαν καὶ πρέπουσαν, ἀλλ' ἐχὶ πλάσιν τινὰ καὶ ποίησιν προσμαρτυρόντων· i. e. "Cæterum non minùs culpaveris eos, qui Filium Dei opus existimant, "& Dominum factum esse, sicut cætera, opinantur: cum sacra eloquia generationem "ei congruentem & decentem, non autem "formationem & creationem testimoniis suis attribuant." Addit ἀμέσως hæc verba: βλάσφημον ἓν ἀ τὸ τυχὸν, μέγιστον μὲν ἓν, χειροποίητον

Vid. Eusebius H.E. l. 7. c. 7.

Athan. de Decretis Synodi Nicænæ, Tom. 1. p. 275.

ερπόλλον τρόπον τινὰ λέγειν τ̃ Κύριον· i. e. " Blaſphemia igitur non vulgaris, ſed maxi- " ma habenda eſt, ſi quis Dominum quo- " dammodo manu factum dicat." Denique poſt aliquammulta lectu digna, ſic concludit Dionyſius: ὅτε ἓν καταμερίζειν χρὴ εἰς τρεῖς θεότητας τ̃ θαυμαστὴν καὶ θείαν μονάδα, ὅτε ποιήσει κωλύειν τὸ ἀξίωμα καὶ τὸ ὑπερβάλλον μέγεθος τ̃ Κυρίου· ἀλλὰ πεπισθέναι εἰς Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, καὶ εἰς Χριστὸν Ιησοῦν τ̃ υἱὸν αὐτοῦ, & εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα· ἑνῶσθαι δ' τῷ Θεῷ τ̃ ὅλων τ̃ λόγον· ἐγὼ γὰρ, φησὶ, & ὁ πατὴρ ἓν ἐσμεν· καὶ, ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί. ὅτω γὰρ ἂν καὶ ἡ θεία τριὰς, καὶ τὸ ἅγιον κήρυγμα τ̃ μοναρχίας διασώζοιτο· i. e. " Non igitur dividenda eſt in " tres Deitates admirabilis & divina unitas, " neque ſub nomine creationis minuenda " eſt dignitas, & immenſa Domini maje- " ſtas; ſed credendum eſt in Deum Patrem " omnipotentem, & Chriſtum Jeſum Filium " ipſius, & in Spiritum ſanctum: uniri au- " tem univerſorum Deo Verbum: *Ego enim*, " inquit, *& Pater unum ſumus*; &, *Ego in* " *Patre, & Pater in me*. Ita enim & divina " Trinitas, ſimulque ſancta prædicatio Mo- " narchiæ conſervari poſſint." Quis unquam quicquam meliùs vel poſt Nicænum Concilium, contra Arianam aliaſque de Trinitate hæreſes ſcripſit? Sed de fide hujus Dionyſii Romani plura dicemus in Dionyſio Alexandrino, cujus ſententiæ explicationem nunc aggredior.

§. 2. Dionyſius Alexandriæ Epiſcopus, ὁ μέγας, *magnus ille* ab Euſebio, Baſilio * & aliis dictus, quemadmodum cognominis, ita σύγχρονος fuit, ut jam indicavimus, Dionyſio Romano: & amborum hiſtoriæ, quod ad rem attinet quâ de agimus, ſecum invicem ſic cohærent, ut altera ſine altera plenè enarrari nequeat. De hoc autem Dionyſio, tanquam ſuo, mirè olim gloriabantur Ariani; non immeritò quidem, ſi nupero Ariano Sandio credimus; ſed reipſa immeritiſſimè. Verum audiamus primùm, quid de ipſo ſcripſerit Sandius: " Docuit, *inquit*, " creaturam eſſe Filium Dei, & factum, nec " naturâ proprium, ſed hoſpitem, vel pere- " grinum ſecundum ſubſtantiam eſſe Patris, " ſicut agricola ſe habet ad vineam, & navi- " um fabricator ad ſcapham; etenim, ait, " tanquam creatura exiſtens, non erat ante- " quam fieret." Ut verò intelligas, quibus magiſtris hoc didicerit Sandius, poſt pauca hæc ſubjicit: " Huetius Origen. lib. 2. c. 2. " q. 2. §. 10, 23. ait indigna & intoleranda " de Trinitate profudiſſe Dionyſium Ale- " xandrinum; nam Filium Patris πόιημα, " *i. e. creaturam* & factum, ejuſque diſſimi- " lem dixiſſe, & alienum quoad ſubſtan- " tiam à Patre, quemadmodum eſt agricola " ad vitem; neque cum creatura ſit, fuiſſe " antequam factus eſſet: & voces emiſiſſe " Spiritui parum convenientes. Et cap. 3. " §. 6. refert eum falſa & abſurda de Tri- " nitate commentum eſſe. Ideoque Diony- " ſius Petavius etiam hunc ſibi cognominem " non immeritò iis accenſet, qui idem quod " Arius antè tradiderunt." Demum ſic concludit: " Non temere ergo coram Athana- " ſio de Dionyſii conſenſu gloriabantur." Hæc Sandius.

§. 3. Verùm enim verò nos aſſerere non veremur, Arianos non modò temerè & falsò, ſed etiam imprudenter admodum, atque in cauſæ ſuæ ruinam, ad Dionyſii ſententiam appellâſſe: adeoque contendimus, vix quicquam in Eccleſiaſtica Hiſtoria eorum, quæ ante Concilium Nicænum geſta ſunt, occurrere, quod contra Arianos magis faciat, quàm hujus Dionyſii Hiſtoria, ſi fideliter enarretur. Itaque hiſtoriam illam verè & ſuccinctè referemus. Cum, hæreſi Sabelliana in Ægypto & Pentapoli, unde orta erat, magis indies gliſcente, Dionyſius Epiſcopus Alexandrinus epiſtolam adverſus eam ad Ammonium & Euphranorem ſcripſiſſet; dum perſonas accuratiùs diſtinguere curaret, in contrariam inflecti viſus eſt partem, nimirum divinas perſonas non tantùm diſtinxiſſe, ſuis proprietatibus ſingulis attributis, ſed etiam ſubſtantiâ diviſiſſe ab invicem, adeoque negâſſe Filium eſſe Patri ὁμοούσιον. Quapropter à Pentapolitanis quibuſdam læſæ fidei reus factus apud Romanum Epiſcopum, eodem quoque tunc nomine Dionyſium appellatum; cum in ea cauſa Synodus Epiſcoporum Romæ celebrata eſſet, idem Alexandrinus ab ea rogatus, ut ſententiam ſuam declararet, Apologiam ad prædictum Romanum Epiſcopum ſcripſit, qua ſe defendens à calumniis illatis, egregiè fidem Catholicam de Homouſio ſartam tectam cuſtodivit, eidemque Epiſcopo in omnibus ſatisfecit. Hæc autem ita geſta eſſe, teſtatur S. Athanaſius ejuſdem Alexandrinæ Eccleſiæ poſtea Epiſcopus, tum in Commentario de Synodis Arimin. & Seleuc. tum maximè in libro, quem ex profeſſo conſcripſit adverſus Arianos, qui Dionyſium ſuæ ipſorum opinionis jam olim fuiſſe profeſſorem jacti-

Enucl. H. Eccl. l. 1. p. 122.

* Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 7. in ipſo initio, Baſil. Epiſt. Canon. ad Amphiloch.

jactitarent: quos refellens Athanasius, docet Dionysium rectè in omnibus de fide Catholica sensisse, & quæ ambiguè alicubi in Epistola ad Ammonium & Euphranorem dixisset, eadem tum in illa ipsa Epistola, tum postmodum aliis suis Scriptis dilucidiùs explicâsse; ac præcipuè illis, quæ ad sui cognominem Romanum Episcopum scripsit: quæ quidem quatuor libris fuisse comprehensa, Eusebius atque Hieronymus testantur. Sed qui hæc ignorârunt, & minùs legerunt, quæ pro Dionysii defensione scripta fuissent ab Athanasio, non dubitârunt eundem Dionysium pòst etiam accusare, quod Arianis arma subministrâsset, puta Basilius & Gennadius Massilienses: quanquam Basilius, * re postea cognita, ut videtur, de eodem tanquam orthodoxo honorificè meminit. Deceptus verò in eo est Ruffinus † Aquileiensis, dum existimavit Dionysii Scripta ab Arianis fuisse corrupta & depravata. Nihil enim hujusmodi Athanasius, eum defendens, causatur; sed illa ut ab eo scripta sunt, integra atque sincera perseverâsse indicat, quibus ipsum rectè sensisse perspicuè innotesceret. Ita fere historiam compendiô tradidit Baronius.

§. 4. In hac autem historia duo imprimis nobis observanda veniunt. Primò hinc liquet, Dionysium Alexandrinum nunquam revera scripsisse, quæ ipsi à Pentapolitanis objecta erant, nempe Filium Dei, quà propriè Filius Dei est, creaturam, sive facturam esse: nunquam non agnovisse eundem Dei filium Patri esse ὁμοούσιον & ὁμοιχυῆ. Id probat Athanasius primò ex ipso libri titulo, quem Dionysius ille ad Romanum Dionysium scripsit. Verba Athanasii hæc sunt: Athan. de sententia Dionysii Alexand. Tom. 1. p. 559.

πρῶτον μὲν ὃν Ἐλέγχου καὶ Ἀπολογίας ἔγραψεν ἑαυτῷ τὴν ἐπιστολήν. τοῦτο δὲ τί ἐστιν, ἢ ὅτι τοὺς μὲν ψευδομένους ἐλέγχει, περὶ δὲ ὧν ἔγραψεν, ἀπολογεῖται; δεικνὺς, ὅτι μὴ, ὡς Ἀρείῳ ὑπενόησεν, ἔγραψεν αὐτὰς, ἀλλ' ὅτι τῶν ἀνθρωπίνως εἰρημένων περὶ τοῦ Κυρίου μνησθεὶς, ὅτι ἠγνόει τοῦτον εἶναι λόγον καὶ σοφίαν ἀδιαίρετον τοῦ πατρός· i. e. "Primò igitur Epistolam suam "Refutationem & Defensionem inscripsit. "Quod quid aliud significat, quàm se & "mentientes refellere, & quæ scripsit defen-"dere? ostendens se nequaquam ea mente, "quâ Arius, ista scripsisse; sed dum citaret "dicta, quæ ad humanam Domini naturam "pertinerent, sibi non excidisse, eundem "Dominum esse etiam Verbum & Sapien-"tiam minimè à Patre divisam." Ac sane si ea unquam revera sensisset Dionysius, quæ ipsi Pentapolitani objecerunt, responsionem ad objecta crimina Vir eximiè pius non *Refutationem* & *Defensionem*, sed potiùs *Confessionem*, aut *Palinodiam* inscripsisset. Nam blasphemias sibi objectas non defendisse γυμνῇ κεφαλῇ Dionysium, ex ipsa ejus Apologia constat: neque si ita fecisset, apud Dionysium Romanum se unquam purgâsset, utpote Virum, ut suprà ostensum est, in articulo de S. Trinitate apprime Catholicum. Deinde idem probat Athanasius ex eo, quòd ipse Dionysius in Apologia palam conquestus est, adversarios verba sua haud bonâ fide recitâsse, sed truncâsse & mutilâsse, atque ex iisdem ita truncatis & mutilatis propositiones hæreticas, quas ipsi objicerent, effinxisse. Verba Athanasii, post ea, quæ adduximus ἀμέσως sequentia, diserta sunt: ἔπειτα, inquit, αἰτιᾶται τὰς κατηπείλας αὐτῷ, ὡς μὴ ὁλοκλήρους λέγοντας, ἀλλὰ περικόπτοντας αὐτῷ τὰς λέξεις· ἢ ὡς μὴ καλῇ συνειδήσει, ἀλλὰ πονηρᾷ λαλοῦντας ὡς θέλουσι· τότε ἢ τότοις ἀπεικάζει, τοῖς τὰς τοῦ μακαρίου ἀποστόλου διαβάλλουσιν ἐπιστολάς. ἡ ἢ τοιαύτη μέμψις αὐτῷ πάντως ἀπὸ φαύλης ὑποψίας αὐτὸν ἀπολύει· i. e. "Porro conqueritur de adversariis suis, "quòd non integrè ipsius Scripta, sed mu-"tilatè adducant; neque bonâ conscientiâ, "aut sincerè, sed malâ conscientiâ, pro li-"bitu suo, loquantur: illosque similes pro-"nuntiat beati Apostoli Epistolarum calum-"niatoribus. Ista autem ejus querela ab "omni ipsum suspicione liberat." Denique sigillatim monstrat Athanasius, Dionysium in Apologia sua ad singula sibi objecta capita respondisse, seque Catholicum in omnibus probâsse; id, inquam, Athanasius, adductis ipsis Dionysii expressis verbis, liquidò ostendit; ut mirari satis nequeam Viros illos doctos & Catholicos, qui hodieque in immortale illud Alexandrinæ Ecclesiæ decus Arianismi calumniam impingere non desinant.

§. 5. Quò res clariùs Lectori patescat, ex capitibus Dionysio objectis, nos unum & alterum præcipuum, unde pendeant cætera, hîc notabimus. Querebantur calumniatores, quòd Patrem nominans Dionysius, non simul nominaverit Filium, rursusq; in mentione Filii nomen Patris reticuerit; inde inferentes, disjunxisse ipsum, elongâsse ac divisisse Filium à Patre. Ad hoc optimus Præsul, apud Athanasium sic respondet:

* Basil. ad Amphiloch. de Spirit. S. c. 29.

† Ruffin. Apolog. pro Origene.

Tom. 1. Athanas. p. 561.

ἓν ὧν ἐμοῦ λεχθέντων ὀνομάτων ἕκαστον ἀχώριστόν ὅτι καὶ ἀδιαίρετον τοῦ πλησίον. πατέρα εἶπον, καὶ πρὸ ἐπαγάγω τὸν υἱόν, ἐσήμανα καὶ τοῦτον ἐν τῷ παρεῖναι υἱὸν ἐπήγαγον, εἰ καὶ μὴ προεῖχεν τὸ πατέρα, πάντως ἂν ἐν τῷ υἱῷ προσέλαβε. ἅγιον πνεῦμα προσέθηκα· ἀλλ' ἅμα καὶ πόθεν, καὶ διὰ τίνος ἦκεν, ἐφήμοσα. οἱ δὲ οὐκ ἴσασιν ὅτι μήτε ἀπαλλοτριοῦσθαι πατρὸς υἱόν, ἢ πατρὸς· προσκαταρκτικὸν γάρ ἐστι τὸ συναφείας τὸ ὄνομα· ὅτε υἱὸς ἀπῴκισαι τοῦ πατρός· ἡ δὲ πατρὸς προσηγορία δηλοῖ τὴν κοινωνίαν. ἔν τε ταῖς χερσὶν αὐτῶν ὄντι τὸ πνεῦμα, μήτε τοῦ πέμποντος, μήτε τοῦ φέροντος δυναμένην χέρεσθαι. πῶς ἐν οὖν τοιούτοις χεώμενος τοῖς ὀνόμασι, μεμερίσθαι ταῦτα καὶ ἀφορίσθαι παντελῶς ἀλλήλων δίομαι. i. e. " Singula illa nomina, de quibus locutus " ſum, inſeparabilia à ſe invicem ſunt, " nec dividi queunt. Patrem cum dico, " ante mentionem Filii, ſub Patris voca- " bulo etiam Filium ſignificavi. Contrà ſi " in mentione Filii Patrem omiſerim, ta- " men ille ſub nomine Filii præintelligi de- " buit. Spiritum ſanctum adjeci; ſed ita ut " ſimul adjunxerim, undenam ille, & per " quem venerit. Sed iſti ignorant, Patrem " à Filio alienari non poſſe, quatenus Pater " eſt; quippe quòd primarium ſit conjun- " ctionis vocabulum: neque Filium à Patre " procul remotum eſſe; ſiquidem Patris " vocabulum communionem declarat: in " amborum verò manibus eſſe Spiritum ſan- " ctum, qui neque à mittente, neque à fe- " rente ſegregari poſſit. Quomodo igitur " qui iſtis nominibus utor, ſuſpectus ha- " bear, quaſi dividi omnino iſta ſeparique " exiſtimaverim?" Hæc omnia, aliquam- multis interjectis, paucis verbis complecti- tur, dum, referente Athanaſio, ait, ἀδιαίρετον καὶ ἀμείωτον τὴν τριάδα εἰς μονάδα συνεφαλαιοῦσθαι· i. e. *indiviſibilem & indiminutam Trinitatem in unitatem colligi.*

p. 262.

§. 6. Dionyſio præterea objiciebant adverſarii, docuiſſe ipſum, Filium Dei alienum eſſe à Patris ſubſtantia; Patremque ad Filium ita ſe habere, ut agricola ſe habet ad vitem, & navium fabricator ad ſcapham. Ad quæ reſpondet Vir ſanctus in hæc verba:

Apud Athanaſ. Tom. 1. p. 561.

πλὴν ἐγὼ γνωτά τινα καὶ ποιητά τινα φήσας νοεῖσθαι, ὧν μὲν τοιούτων ὡς ἀχρειοτέρων ἐξ ἐπιδρομῆς εἶπον παραδείγματα. ἐπεὶ μήτε τὸ φυτὸν ἔρην τῷ γεωργῷ, μήτε τῷ ναυπηγῷ τὸ σκάφος· εἶτα τοῖς ἰχνευμένοις δὲ προσφυεστέρας ἐπιδιέτεινα, καὶ πλέον διεξῆλθον περὶ τῶν ἀληθεστέρων, ποικίλα προσεξευρὼν τεκμήρια· ἅπερ καί σοι δι' ἄλλης ἐπιστολῆς ἔγραψα· ἐν οἷς ἔλεγξα καὶ ὃ προσφέρουσιν ἔγκλημα κατ' ἐμοῦ, ψεῦδος ὄν, ὡς ὁ λέγων τὸν Χριστὸν ὁμοούσιον εἶναι τῷ Θεῷ. εἰ γὰρ καὶ τὸ ὄνομα τοῦτο φημι μὴ εὑρηκέναι, μηδ' ἀνεγνωκέναι πω τῶν ἁγίων γραφῶν· ἀλλά γε τὰ ἐπιχειρήματά μοι τὰ ἐξῆς, ἃ σεσιωπήκασι, τὴν διανοίας ταύτης δῆλα ἀπάδει. καὶ γὰρ καὶ ἀνθρωπείαν γονὴν παρεδήλωνον, δῆλον ὡς ὅσαι ὁμοχυῆ· φήσας πάντας τοὺς γονεῖς μόνον ἑτέρους εἶναι τῶν τέκνων, ὅτι μὴ αὐτοὶ εἶεν τὰ τέκνα. ἐν τῇ μὲν ἐπιστολῇ, ὡς προεῖπον, διὰ τὰς πεπυσάσεις οὐκ ἔχω προσκομίσας. εἰ δ' ἔν σοι αὐτά τὰ τότε ῥήματα, μᾶλλον ἂν καὶ πάσης ἂν ἔπεμψα τὸ ἀντίγραφον· ὅπερ ἂν εὐπορήσω, πεμῶ. οἶδα γὰρ μεμνημαι πλείονα προσθεὶς τῶν συγγενῶν ὁμοιώματα. καὶ γὰρ καὶ φυτὸν εἶπον, ἀπὸ σπέρματος ἢ ἀπὸ ῥίζης ἀνελθόν, ἕτερον εἶναι τοῦ, ὅθεν ἐβλάστησε, καὶ πάντως ἐκεῖνο καθέστηκεν ὁμοιοφυές· καὶ ποταμὸν ἀπὸ πηγῆς ῥέοντα ἕτερον χῆμα καὶ ὄνομα μετειληφέναι· μήτε γὰρ τὴν πηγὴν ποταμὸν, μήτε τὸν ποταμὸν πηγὴν λέγεσθαι· καὶ ἀμφότερα ὑπάρχειν, καὶ τὸν μὲν πηγὴν, διοτεὶ τὸν πατέρα εἶναι, τὸν δὲ ποταμὸν εἶναι τὸ ὂν ἐκ πηγῆς ὕδωρ. ἀλλὰ ταῦτα μὲν καὶ τὰ τοιαῦτα μηδὲ ὁρᾶν γεγραμμένα, ἀλλ' οἷονεὶ τυφλώττειν ὑποκρίνονται· τοῖς δυσὶ ῥήματίοις ἀσυνέτοις καθάπερ λίθοις μακρόθεν ἐπιχειροῦσιν ἐμβάλλειν· i. e. " Cæterum ego, cum dixiſſem, " quædam genita, & facta quædam intel- " ligi, horum quidem, ut minoris momenti, " exempla tantùm in tranſcurſu recenſui. " Poſtquam enim dixeram, neque plantam " eſſe in agricola, neque in navium fabri- " catore ſcapham; deinceps in rebus con- " gruis & accommodatioribus longiorem " moram impendi, quæque magis genuina " erant, pleniùs enarravi, variis adinventis " argumentis: (quæ & tibi in alia Epiſtola " deſcripſi:) quibus oſtendi crimen, quod " deferunt contra me, falſum eſſe, quaſi qui " non dixerim Chriſtum eſſe Deo conſub- " ſtantialem. Nam tametſi dico me id no- " men non reperiſſe, nec legiſſe alicubi in " ſacris Literis; argumenta tamen mea, quæ " poſtmodum ſubjunxi, & ab illis tacita " ſunt, ab hac ſententia non diſſonant. Nam " & humanum partum pro exemplo adduxi, " haud dubiè congenerem, idque in verbis " meis addens, omnino parentes eô ſolùm " alios eſſe à liberis, quòd ipſi liberi ſui non " ſint. Et Epiſtolam, ut dixi, ob caſus tem- " porum proferre nequeo. Si autem tibi " hæc verba mitto, multò libentiùs totum " exemplar miſiſſem: quod & ubi nactus " ipſum fuero, faciam. Scio autem & bene " memini, me plurimas ex cognatis rebus " ſimilitudines congeſſiſſe. Nam & plantam " dixi, è ſemine aut radice provenientem, " aliud eſſe ab eo unde germinaſcit, & ta- " men cum eo prorſus eſſe ſimilis naturæ; " & fluvium è fonte promanantem, aliam " formam nomenque accipere: neque enim " fontem fluvium, neque fluvium fontem " appel-

" appellari; & tamen ambos exiſtere, & " fontem inſtar Patris eſſe, fluvium verò " eſſe ex fonte aquam. Cæterum hæc & i- " ſtiuſmodi à me ſcripta, quaſi cæcutientes, " diſſimulant ſe vidiſſe, duobuſque vocabu- " lis malè compoſitis, veluti ſaxis, eminus " me lapidare conantur." Sic Dionyſius. Quid autem hâc defenſione clarius? Scilicet Vir magnus in Epiſtola, quam carpſerunt adverſarii ejus, Patris & Filii diſtinctionem, contra Sabellianos, variis ſimilibus illuſtrare conatus fuerat: quorum alia ad humanam tantùm Chriſti naturam à Patre conditam pertinerent, ut illud agricolæ ad vitem, & fabri nautici ad navem; alia verò etiam ad divinam Servatoris naturam, per æternam generationem à Patre acceptam, accommodata eſſent. Ac prioris quidem generis exempla, ut minùs apta, obiter tantùm & leviter perſtrinxerat; in poſterioribus verò, ut maximè congruis & accommodatis, diutiùs immoratus fuerat. Hæc inter, plura erant, quæ Filii τὸ ὁμοούσιον (quanquam fatetur Dionyſius ſe ibidem ipſam vocem non adhibuiſſe,) re ipſa egregiè confirmarent. Nam & humanum partum pro exemplo adduxerat, hæc verba expreſſa ſubjungens: *omnino parentes eô ſolùm alios eſſe à liberis, quòd ipſi liberi ſui non ſint.* Quô exemplô tum naturæ communio, quæ inter Deum Patrem & Filium intercedit, tum perſonarum diſtinctio manifeſtè declaratur. Addiderat, plantam è ſemine aut radice ſuccreſcentem, aliud eſſe ab eo unde progerminatur, & tamen cum eo prorſus eſſe ejuſdem naturæ: & alia plura ejus generis exempla. Verùm hæc omnia Sophiſtæ reticentes, ex duabus tantùm voculis, iiſque à ſe malè compoſitis, atque aliorſum, quàm voluit Dionyſius, pertractis, calumniandi anſam arripuerunt. At quorſum, inquies, omnino adhibuit Dionyſius exempla iſta minùs accommodata, quæque tantùm in humanam Chriſti naturam quadrarent? Optimè reſpondet magnus Athanaſius: καὶ ἔστιν ἀληθῶς τύπος ἕτερος πιθανὸς πρὸς ἀνατροπὴν τῆς Σαβελλίου μανίας· κ. λ. " Eſt, *inquit*, hæc diſſerendi " ratio revera efficax ad ſubruendum Sabel- " lii furorem, ut qui velint citiſſimè convin- " cere iſtiuſmodi homines, neutiquam ini- " tium faciant ab iis, quæ demonſtrant Ver- " bi Divinitatem, nimirum Verbum Sapien- " tiam, & Potentiam, & Filium eſſe, Pa- " tremque cum eo unum eſſe; ne illi rectè " dicta pravè interpretantes, inde ſibi occa- " ſionem ſuppeditent improbæ ſuæ conten- " tionis, cum audiant: *Ego & Pater unum* " *ſumus*; &, *Qui videt me, videt Patrem me-* " *um*: ſed præmittant ea, quæ de Salvatore " humanitus dicta ſunt, quemadmodum Dio- " nyſius fecit, quale eſt, quòd eſuriret, quòd " precatus ſit, & paſſus. Quantò enim iſta " humiliora ſunt dictu, tantò magis oſten- " ditur, Patrem hominem non eſſe factum. " Neceſſum enim eſt, cum Dominus vitis " appelletur, eſſe vinitorem; & cum pre- " cetur, eſſe qui exaudiat; cum denique " petat, eſſe qui donet. Hæc autem longè " liquidiùs Sabellianorum furorem oſten- " dunt, quòd alius ſit qui precetur, alius " qui audiat; alius vitis, alius agricola." Quod verò Dionyſio objiciebant adverſarii, negâſſe ipſum Filii æternitatem, de eo magni Præſulis luculentam reſponſionem audies ad Sect. 3. de Filii τῷ συναϊδίῳ. Hæc autem cum ita ſe habeant, ſeriò monendi ſunt horum temporum Viri quidam docti, ne veterum Sycophantarum mores imitentur, neve poſthac plurima illa, quæ Dionyſius Cathocè ſcripſit, diſſimulantes, duas iſtas voculas, τὸ φυτὸν & τὸ γεωργὸν, veluti duos lapides, eoſque locô ſuô motos, in Virum ſanctiſſimum ac de Eccleſia Catholica optimè meritum, pergant impingere.

§. 7. Ad alterum illud, quod in hujus Dionyſii hiſtoria præcipuè obſervandum duxi, progredior. Hinc itaque illud præterea evidenter colligitur, ſententiam, quæ ſtatuit Filium Dei eſſe Patri ſuo ὁμοούσιον & συναΐδιον, jam Dionyſii ætate pro certa & Catholica, cui nefas contradicere, in Eccleſiis Chriſtianis communiter receptam atque habitam fuiſſe. Nimirum ſimul atque maleferiati quidam homines falsò in Dionyſium ſparſerant calumniam, quaſi docuiſſet ille, Filium non eſſe Deo Patri ὁμοούσιον, ſed creatum & factum, & fuiſſe quando Filius non eſſet; totus fere Chriſtianus orbis eâ de re commovebatur: ab Oriente in Occidentem deferebatur querela: ad Epiſcopum Romanum, primam inter Præſules Cathedram obtinentem, appellatio facta eſt: Concilium in Romana diœceſi eâ de re mox habitum; in quo damnatis, quæ Dionyſii Alexandrini dicebantur, opinionibus, Synodica ſcripta eſt Epiſtola ad ipſum Dionyſium, quâ ſciſcitabantur ex ipſo Patres, an dogmata iſtiuſmodi revera evulgâſſet. Hoc apertè teſtatur ipſe Athanaſius, Dionyſii defenſor, in libro de Synodis Arim. & Seleuc. his verbis: ἀλλὰ τινῶν αἰτιασαμένων παρὰ τοῦ ἐπισκόπῳ Ῥώμης, τὸν δὲ Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον, ὡς λέγοντα ποίημα, καὶ μὴ ὁμοούσιον τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ· ἡ μὲν κατὰ Ῥώμην συνόδος ἠναγκάσθη, ὁ δὲ τοῦ Ῥώμης ἐπίσκοπος τὸν πάντων γνώμην γράφει πρὸς τὸν ὁμώνυμον ἑαυτοῦ· i. e. " Cæterum cum quidam Alexan- " drinum Epiſcopum apud Romanum accu- " ſarent,

Tom. 1. p. 568.

Tom. 1. p. 918.

" ſarent, quaſi qui Filium creaturam & non " conſubſtantialem Patri diceret; Synodus " quidem Romæ coacta rem indignè tulit, " & Romanus Epiſcopus ad ſui cognomi- " nem omnium ſententiam perſcripſit." Inde nata Dionyſii Alexandrini *Refutatio & Apologia*, ad Romanum Dionyſium conſcripta, quâ ſe apud Virum prudentem & æquiſſimum facilè purgavit. Quinetiam ex hac hiſtoria certò colligitur (quod & jam alibi * obſervavimus,) ipſum ὁμοσίῳ vocabulum, temporibus hujus Dionyſii, hoc eſt ſexaginta ad minimum annis ante Concilium Nicænum apud Catholicos, in explicatione dogmatis de Filii Divinitate, uſu vulgatum, receptum atque approbatum fuiſſe. Quippe id Dionyſio, ut ipſe fatetur, in terminis objectum fuit, quòd Filium non dixerit Patri ὁμοούσιον· atque ad eam objectionem reſpondit Vir optimus, ſe vocabulum quidem in Scripturis non legiſſe, neque tamen propterea ab eo abhorruiſſe; (equidem in Epiſtola contra Paulum Samoſatenum vocem illam tanquam Catholicis Patribus ſe anterioribus uſurpatam, ut ſuprà oſtenſum eſt, diſertè probat;) rem verò ipſam quæ vocabulô ſignificatur, tum in aliis Scriptis ſuis, tum in ea ipſa Epiſtola, ex qua calumniam ipſi ſtruxerant Adverſarii, ſæpius atque apertiſſimè confirmâſſe.

Locô jam indicatô.

§. 8. Quid jam ad hæc omnia Sandius? Audi, & mirare hominis extremam ſive imperitiam, ſive impudentiam: " Apologia, " *inquit*, hujus Dionyſii, quæ fertur con- " ſcripta ad Dionyſium Romanum, mihi " ſpuria videtur, & conficta ab iis, qui à " Romano Pontifice, ceu ſummo judice, " omnes controverſias fidei decidendas vo- " lunt." Quis verò mortalium ante ipſum hoc ſuſpicatus unquam fuit? Sed fortaſſe Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Enucleator ille rationes hujus cenſuræ ſuæ habet, quas nos ſimplices homines & cicures Enniani nondum intelligimus. Quippe palam profitetur, ſibi propoſitum fuiſſe, *quaſi paralipomena Hiſtoria Eccleſiaſtica, & quæ ſunt* ἄῤῥητα ῥήξεων *vulgariter eruditorum, ſcribere.* Age, videamus, ecquid hîc proferre poſſit dignum, quod omnium tam vulgariter, quàm ſupra vulgus eruditorum conſenſui opponatur. " Pri- " mò, *inquit*, iſtius Apologiæ nec Euſebius, " nec Hieronymus meminere." Reſp. Demus hoc verum eſſe; at iſtius Apologiæ meminit Athanaſius, qui Anteceſſoris ſui in cathedra Alexandrinâ Scripta optimè novit, atq; ita meminit, ut bene longas ex ipſa pericopas ἀυτολεξεὶ citaverit, quas & Arianis, de conſenſu Dionyſii gloriantibus, fidenter oppoſuerit. Meminit & ejuſdem magnus Baſilius, de Spir. S. cap. 29. ubi & egregium de Spiritus ſancti Divinitate teſtimonium ex ipſa profert. Sed & falſiſſimum eſt, neque Euſebium, neque Hieronymum iſtius Apologiæ meminiſſe: uterque ſatis claram ejus mentionem fecit. Euſebius Hiſt. Eccl. l. 7. c. 26. Epiſtolas recenſens, & libros epiſtolari formâ conſcriptos, quos adverſus Sabellium elucubravit Dionyſius Alexandrinus, de hac Apologia ſic ſcribit: συνετάξατο ἓξ περὶ δ αὐτῆς ἀποδείξεως ἢ ἄλλα τέσσαρα συγγράμματα· ἃ τῷ κατὰ Ρώμην ὁμωνύμῳ Διονυσίῳ προσφωνεῖ· i. e. " Quatuor etiam " libros de eodem argumento compoſuit, " quos cognomini ſuo Dionyſio Romanorum " Epiſcopo nuncupavit." Quibus Euſebii verbis libros περὶ ἐλέγχου ἢ ἀπολογίας, quorum fragmenta protulit Athanaſius, deſignari manifeſtum eſt. Scilicet omnia conveniunt, ſive formam, ſive argumentum, ſive nuncupationem, ſive partitionem librorum reſpicias. Forma utriuſque Scripti eadem erat, nempe Epiſtolaris. Opus, quod memorat Euſebius, erat de controverſia Sabelliana conſcriptum; idemque argumentum tractavit opus περὶ ἐλέγχου ἢ ἀπολογίας, ab Athanaſio & Baſilio citatum. Dionyſio Romanorum Epiſcopo nuncupatum & iſtud, & hoc pariter. Epiſtolicum opus, cujus meminit Euſebius, in diverſa volumina partitum erat: ſic & Apologetica Epiſtola ab Athanaſio commemorata. Epiſtolam, cujus mentionem facit Euſebius, quatuor omnino partibus conſtitiſſe ipſe teſtatur: & ex Apologiæ Dionyſianæ primo, altero & tertio volumine nominatim protulit teſtimonia Athanaſius. Vide, quæ doctiſſimus Valeſius ad dictum Euſebii locum annotavit. Jam quod ad Hieronymum attinet, & is quoque hujus quadripartitæ Epiſtolæ diſertè meminit in Catalog. Script. Eccleſ. in Dionyſio Alexandrino, his verbis: *Ejus ſunt & quatuor libri ad Dionyſium Romanæ urbis Epiſcopum.*

Sand. de Scriptor. Eccleſ. p. 42, 43.

Enucl. Hiſt. Eccleſ. l. 1. p. 121.

§. 9. Secundô in loco ita argumentatur Sandius: " Conſtat, *inquit*, ex Chronico & " Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebii, Dionyſium " Alexandrinum priùs valde ſenem mor- " tuum, eique ſucceſſorem Maximum (an. " 268.) conſtitutum, quàm Dionyſius Ro- " manus Epiſcopus (an. 269.) evaſiſſet." Argu-

* Suprà cap. 1. hujus Sectionis §. 8.

Argumentum quidem tali Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ enucleatore dignum. Scilicet nôrunt omnes, qui in hoc literarum genere vel mediocriter verſati ſunt, Euſebium hîc in temporis ſupputatione turpiter lapſum eſſe. Hic fons erroris, quòd annos Pontificatûs Xyſti, anteceſſoris Dionyſii Romani, ignoraverit; utpote quem undecim annis Eccleſiæ Romanæ præfuiſſe tradit, cum Xyſtum conſtet haud per integrum triennium eam Eccleſiam gubernâſſe. De hoc Euſebii ſpiſſo errore ſic ſcribit præſtantiſſimus Valeſius *: "Graviter, " *inquit*, hîc hallucinatur Euſebius. Ne" que enim undecim annis Xyſtus Roma" nam rexit Eccleſiam, ſed bienniô tan" tùm & menſibus undecim, ut ſcribitur " in libro de Pontificibus Romanis, quem " primus edidit Cuſpinianus. In eo libro " anni Pontificum Romanorum optimè di" geſti ſunt, à Calliſto Papa uſque ad Libe" rii Pontificatum. Et de Xyſto quidem ita " ſcribit: *Xyſtus annis* 2. *menſ.* 11. *diebus* 6. " *cœpit à conſulatu Maximi & Glabrionis* " *uſque Tuſco & Baſſo, & paſſus eſt octavo* " *Idus Auguſti.* Idem teſtatur Cyprianus in " Epiſtola ad Succeſſum; qui & ipſe iiſdem " Coſſ. ſed inſequenti menſe Martyrium " paſſus eſt. At Euſebius nihil de Xyſti " Martyrio nec in Chronico, nec in Hiſto" ria Eccleſiaſtica dicit. Quod valde mi" ror, & multo magis mirarer, niſi ſcirem " Euſebium in rebus per Occidentem geſtis " negligentiorem fuiſſe. Porro in Chro" nico quidem ſcribit, Xyſtum ſediſſe annos " 8. cum hîc undecim annos ei tribuat. " Et Xyſto quidem Dionyſium Papam ſuc" ceſſiſſe tradit annô Gallieni 12. in lo" cum verò Dionyſii Alexandrini Maxi" mum ſucceſſiſſe dicit anno 11. ejuſdem " Gallieni. Quod eſt abſurdiſſimum; cum " conſtet Dionyſium Alexandrinum qua" tuor adverſus Sabellium libros Dionyſio " Romanæ urbis Epiſcopo nuncupâſſe, ut " ſcribit Euſebius ſuprà cap. 24."

§. 10. Reſtat tertius atque ultimus Sandii cavillus, paucis à nobis expediendus: " Contrariatur, *inquit*, hæc Apologia ſen" tentiæ Dionyſii Alexandrini, & conſen" tit cum hæreſi Pauli Samoſateni, de qui" bus agemus lib. 1. Hiſt. Eccleſ." Sed primò unde probat hanc Apologiam contrariari, ut loquitur, ſententiæ Dionyſii Alexandrini? Scilicet docuit Dionyſius, Filium Dei, etiam quà propriè Filius Dei eſt, creaturam & facturam eſſe, &c. quæ dogmata ex profeſſo impugnat Apologiæ Auctor. Verùm hoc eſt τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν. Quippe nos aſſerimus, nunquam talia revera docuiſſe Dionyſium; ſed per calumniam afficta fuiſſe iſta Viro optimo ab adverſariis: atque hanc aſſertionem noſtram ex ea ipſa Apologia, quam Dionyſii genuinam eſſe certiſſimis argumentis conſtat, ſolidè probamus. Iſtis quidem calumniis contrariatur Apologia: at niſi contrariaretur, titulô *Refutationis* & *Apologiæ* neutiquam inſcribi debuiſſet. Secundò, ad illud quod affirmat Sandius, nempe ſententiam Auctoris Apologiæ conſentire cum hæreſi Pauli Samoſateni, quis non totus obſtupeſcat? Nam paſſim in Apologia illa, τῷ λόγῳ ſive Filii Dei Divinitas clarè aſſeritur, quam Paulus Samoſatenus negavit. Fortaſſe autem voluit Sandius, Sabellianum omnino fuiſſe Apologiæ auctorem; Sabellium verò & Paulum Samoſatenum in articulo de Filio Dei ὁμοδόξους fuiſſe: quod & acriter contendit lib. 1. Enucl. Hiſt. Eccl. in Paulo Samoſateno. Verùm ut demus Nugatori, eandem fuiſſe, vel certè eódem recidiſſe Sabellii & Pauli Samoſateni hæreſin; unde tamen, aut quo demum argumento probabit, Apologiæ Auctorem cum hæreſi Sabellii conſenſiſſe? Certè adverſus Sabellianam imprimis hæreſin ſcriptam fuiſſe iſtam Apologiam, teſtantur Euſebius, Athanaſius, & alii. Imò dicit Athanaſius, Dionyſium in illo opere Σαβέλλιον ἀναλῦσαι, *Sabellium ſubvertere.* Quin & ea ex fragmentis Apologiæ, quæ apud Athanaſium extant, jam citavimus, quæ Sabellianæ hæreſi ex diametro repugnant. Hujuſmodi eſt, (cætera taceo, ne Lectorem moleſtâ repetitione obtundam,) quòd Dei Patris & Filii diſtinctionem illuſtret ſimili ab humano partu ducto, hæc ſubjungens: *omnino parentes eô ſolùm alios eſſe à liberis, quòd ipſi liberi ſui non ſint.* Quis ſanus dixerit hæc verba eſſe Auctoris, cum Sabellio, aut etiam cum Paulo Samoſateno conſentientis? Sed veriſimile mihi videtur, nunquam perlegiſſe Sandium fragmenta illa Apologiæ, quæ apud Athanaſium extant; verùm ab aliis audiviſſe, Filii τὸ ὁμοούσιον in Scripto illo adſtructum eſſe; indeque intuliſſe, Scriptorem fuiſſe omnino Sabellianum. Quæ conjectura mea primâ fronte mira fortaſſe videbitur Lectori ſano, qui Sandii centonem nondum viderit. Sed nimirum Auctor ille ubique in libro ſuo illud pro certo & rato habet, Homouſianorum, quos vocat, & Sabellianorum

p. 114

* Valeſ. in not. ad Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 7. c. 27.

rum de Filio Dei ſententiam prorſus eandem eſſe. Quò nihil à vero remotius eſt; ſiquidem ſuprà clarè oſtendimus, neminem Dei Filium Patri ὁμοούσιον poſſe dicere, niſi abſurdè admodum & impropriè, qui cum Sabellio idem ſentiat. Ac de Apologia Dionyſii Alexandrini hactenus.

Sect. 2. c. 1. n. 9. ſubfinem

§. 11. Præterea idem Dionyſius paulò ante mortem, rogatus à Patribus Antiochiæ in cauſâ Pauli Samoſateni congregatis, inſignem ſcripſit adverſus eundem Paulum Epiſtolam, quæ hodieque extat. In ea divina anima, ad Deum migratura, de Jeſu Domini vera Divinitate divinè prorſus diſſerit. Plurima ſunt, quæ huc ſpectant; ſed nos pauca tantùm delibabimus. Chriſtum ibi diſertè appellat ἄκλιτον καὶ δημιουργὸν, *increatum & creatorem*; & inferiùs, τῇ φύσει Κύριον, καὶ λόγον τοῦ πατρὸς, δι' ὃν τὰ πάντα ἐποίησεν ὁ πατὴρ, καὶ ὁμοούσιον τῷ πατρὶ εἰρημένον διὰ τὸν ἁγίων πατέρων· i. e. *Illum qui naturâ Dominus eſt, & Verbum Patris, quem ſancti Patres conſubſtantialem Patri dixerunt*, Poſtea apud eundem hæc legimus: ἀναλλοίωτος γὰρ ὁ Χριστὸς, ὡς Θεὸς λόγος· i. e. *Immutabilis enim eſt Chriſtus, quatenus eſt Dei Verbum.* Et poſt paginam interjectam, Chriſtus ab ipſo dicitur ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς, ἡ καταφυγὴ ἡμῶν· *Deus ſuper omnia, perfugium noſtrum.* Quibus gemina ſunt, quæ proximè ſequenti paginâ de Servatore noſtro legimus: ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς, Κύριος ὁ Θεὸς Ισραὴλ, Ιησοῦς ὁ Χριστός· i. e. *Qui ſuper omnia Deus eſt, Dominus & Deus Iſrael, Jeſus Chriſtus.* Quid? quòd integram Trinitatem ὁμοούσιον apertè agnoſcat Dionyſius Reſp. ad quæſt. Pauli Samoſateni, Reſp. ad quæſt. 4. ὁμοειδὴς, inquit, ἐν τῷ εἴδει τοῦ περιστερᾶς ὁ Χριστὸς λόγος τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ· ὁμοειδὴς τῷ πατρὶ τὸ πνεῦμα· i. e. *Ejuſdem formæ eſt cum Spiritu ſancto in ſpecie columbæ oſtenſo Chriſtus Verbum: ejuſdem item formæ cum Patre eſt Spiritus.* Quod noto adverſus eos, qui Dionyſium hunc de Spiritu ſancto ſaltem malè ſenſiſſe arbitrantur. Sed & ibidem de Filii pariter & Spiritus S. Divinitate hæc præclara enuntiat: Θεὸς γὰρ, inquit, Ισραὴλ Ιησοῦς ὁ πρὸ αἰώνων λόγος, ὡς καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα· i. e. *Deus enim Iſraelis eſt Jeſus ille, qui eſt Verbum ſæcula antecedens: nec non & Spiritus ſanctus.* Rurſus in eodem opuſculo ſic de Spiritu ſancto loquitur: ὁ γὰρ ἀθῴως ἀπελεύσεται βλασφημῶν κατὰ τοῦ φιλανθρώπου πνεύματος τὸ ἅγιον· πνεῦμα γὰρ ὁ Θεός· i. e. *Non enim impune feret is, qui adverſus benignum Spiritum ſanctum blaſphemus eſt: Spiritus enim eſt Deus.*

Blib. PP. Tom. 11. p. 266. p. 267. p. 288. p. 289. p. 290. p. 284.

§. 12. Quid rurſus ad hæc Sandius? Iterum frontem perfricat, & hanc quoque Dionyſii inſcriptam Epiſtolam, ut ſpuriam, audacter rejicit. "Circumfertur quoque, "*inquit*,* ſub Dionyſii Alexandrini nomine "Epiſtola contra Paulum Samoſatenum; "ſed ea eſt ſuppoſititia." Quis verò non ægrè ferat hujus homuncionis ἀναίδειαν, ita de Sanctorum Patrum Scriptis ex proprio cerebello & pro libitu ſuo, ſpretis antecedentium omnium Auctorum judicio, fide, atque auctoritate, decretoriam ſententiam ferentis? Certè Epiſtolæ Dionyſii Alexandrini, ad Antiochenos contra Paulum Samoſatenum ſcriptæ, diſertis verbis meminit Euſebius Hiſt. Eccleſ. lib. 7. c. 27. ὁ μὲν, inquit, κατ' Αλεξάνδρειαν Διονύσιος, παρακληθεὶς ὡς ἂν ἐπὶ τὴν ζωοδόχον ἀφικοῖτο, γῆρας δυσὶ καὶ ἀσθένειαν τοῦ σώματος αἰτιασάμενος, ἀνατίθεται τὴν παρουσίαν, δι' ἐπιστολῆς τὸ αὐτοῦ γνώμην, ἣν ἔχοι περὶ τοῦ ζητουμένου, παρασήσας· "Dionyſius Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus, rogatus ut ad Concilium veniret, "adventum quidem ſuum diſtulit, ſenectutem & infirmitatem corporis cauſatus: "cæterum quid ipſe de hac quæſtione ſentiret, per Epiſtolam indicavit." Meminere ejuſdem Epiſtolæ ipſi Patres Antiocheni in Synodica ſua Epiſtola apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 7. c. 30. ἐπεστέλλομεν, inquiunt, ὃ ἅμα καὶ παρεκαλοῦμεν πόλλους καὶ τῶν μακαρίων ἐπισκόπων, ἐπὶ τὴν θεραπείαν τῆς θανατηφόρου διδασκαλίας· ὥσπερ καὶ Διονύσιον τὸν ἐπὶ τῆς Αλεξανδρείας, καὶ Φιρμιλιανὸν τὸν ἀπὸ τῆς Καππαδοκίας, τοὺς μακαρίτας· ὧν ὁ μὲν ἐπέστειλεν εἰς τὴν Αντιόχειαν, τὴν ἡγεμόνα τῆς πλάνης οὐδὲ προσρήσεως ἀξιώσας, οὐδὲ πρὸς προσώπου γράψας αὐτῷ, ἀλλὰ τῇ παροικίᾳ πάσῃ· ἧς καὶ τὸ ἀντίγραφον ὑπεταξαμεν· i. e. "Scripſimus etiam ad complures Epiſcopos longiùs diſſitos: eoſque hortati ſumus, ut ad exitialis doctrinæ morbum "curandum accederent. Nam & ad Dionyſium Alexandrinum, & ad Firmilianum Cappadociæ Epiſcopum, beatæ recordationis Viros, literas dedimus. Quorum ille ſcripſit quidem Antiochiam, ſed "erroris ducem ne ſalutatione quidem dignatus eſt; neque ad eum nominatim, "verùm ad univerſam Antiochenſium Eccleſiam literas ſuas direxit: quarum etiam "exemplum hîc ſubjecimus." Denique (ut

* Sand. de Script. Eccleſ. p. 42.

(ut alios taceam) ejus Epiſtolæ meminit Hieronymus Catalog. Script. Eccleſ. in Dionyſio Alexandrino: " Sed adverſus Pau-
" lum Samoſatenum, *inquit*, ante paucos
" dies quàm moreretur, inſignis ejus fer-
" tur Epiſtola." Ubi inſignem vocat Epiſtolam, quòd in ipſa doctrina de Filio Dei Catholica egregiè explicata & confirmata fuerit. Age, jam argumentum, quod dignum exiſtimavit Sandius quod tantæ auctoritati opponeretur, paucis expendamus. " Eraſmus
" Brochmandus, *inquit*, rejicit illam Epi-
" ſtolam, ceu ſpuriam, quia in ea Chriſtus
" Patri ὁμοούσιος dicatur, cum tamen ea
" vox ante tempora Arii in uſu non fue-
" rit." Ut ſincerè & candidè reſpondeam, quis ſit ille Brochmandus, quem hic Sandius commemorat, fateor me neſcire; * nec multum refert, ut ſciam. Certè illius ſententia, quantus quantus fuerit, præ Antiochenſium Patrum, Euſebii, & Hieronymi fide atque auctoritate, flocci facienda eſt. Ad argumentum verò ejus quod attinet, ſuprà non uno in loco evidenter probavi, vocabulum ὁμοούσιος in frequenti uſu fuiſſe apud Catholicos diu ante Concilium Nicænum, adeoque ante Dionyſium Alexandrinum. Sed vide inſigne candoris Sandiani ſpecimen. Pugnat hîc argumentô, quod ipſe alibi nullius eſſe momenti, diſertis verbis fatetur. Nam de libris Origenis in Jobum agens, ita diſſerit: " Qui verò cum Sixto
" Senenſi, Poſſevino, Bellarmino, & Riveto
" tractatus hos, ut & Commentarios, non
" habent pro operibus Origenis, ex ea ra-
" tione, quòd in iis fiat mentio ὁμουσίου,
" longè poſt Origenis tempora enati, fal-
" luntur: probabimus enim libro 1. Hiſt.
" Eccl. ὁμουσίου vocem jam temporibus Ori-
" genis uſitatam fuiſſe." Scilicet inepta erat hæc ratio ad Origeni abjudicandum libros in Jobum, quos tamen Origenis non eſſe docti conſentiunt: nunc verò valida habetur ad abjudicandum Dionyſio Epiſtolam contra Paulum Samoſatenum, quam revera ſcripſiſſe Dionyſium, Auctores cuncti, tam veteres quàm neoterici, (ſi unum fortaſſe Brochmandum illum excipias,) unanimi conſenſu agnoſcunt. Res eſt: Libri in Jobum deliramentis Arianis referti ſunt; ideoque intererat Sandii Ariani, ut pro genuinis Origenis haberentur: at Epiſtola Dionyſii inſcripta contra Paulum Samoſatenum Filii ὁμοούσιον egregiè confirmat; proinde quô jure quâque injuria, omnino ut ſpuria rejicienda erat. En ſincerum & fide dignum Hiſtoricum!

Cap. 1. §. 8.

DeScript. Eccleſ. p. 30.

Itaque tandem maximum Virum, Dionyſium Alexandrinum, blaſphemiæ, quam Arius poſtea propugnavit, neutiquam faviſſe; ſed de Filio Dei, adeoque de SS. Trinitate, Catholicè omnino & ſenſiſſe, & ſcripſiſſe, abunde (nî fallor) evicimus. Nunc ad alios Eccleſiæ Doctores progredior.

* Fuit Lutheranus Doctor Theologiæ, & Profeſſor in Academia Hafnienſi.

ANNOTATA

Ad §. V, & VI.

De *DIONYSIO ALEXANDRINO.*

CItat Reverendus *Bullus* sub finem §. 5. sententiam Dionysii Alexandrini asserentis, referente Athanasio, ἀδιαίρετον & ἀμείωτον τὴν τριάδα εἰς μονάδα συγκεφαλαιοῦσθαι, *indivisibilem & indiminutam Trinitatem in unitatem colligi.* Sed ipsa Dionysii integra verba, quæ hactenus in omnibus Editionibus Græcè desiderabantur, in recentissima, ex MSS. Codicibus felicissimè restituit doctissimus & omni laude dignus Montfauconus, Tom. 1. Part. 1. pag. 255. ita sonantia : ἕτω μὲν ἡμεῖς εἰς τε τὴν τριάδα τὴν Μονάδα πλατύνομεν ἀδιαίρετον, καὶ τὴν τριάδα πάλιν ἀμείωτον εἰς τὴν Μονάδα συγκεφαλαιούμεθα· *Sic quidem nos indivisibilem Unitatem in Trinitatem dilatamus, & Trinitatem iterum quæ imminui nequit, in Unitatem contrahimus.* Quam Dionysii sententiam in mente habuisse videtur Isidorus Pelusiota, lib. 2. Epist. 144. scribens : τὸ δὲ πλατύνειν εἰς τὴν ἁγίαν τριάδα τὰς ὑπιστάσεις εἰς μίαν οὐσίαν συνάγειν, ὀρθόταλόν ἐστι καὶ ἀληθέστατον δόγμα· *At personas in sanctam Trinitatem dilatare, atq; in unam essentiam colligere, rectissimum ac verissimum dogma est.* Similiter in loco altero Dionysii, suprà §. 6. recitato post ista verba pag. 144. col. 2. lin. 6. ὅτι μὴ αὐτοὶ εἶεν τὰ τέκνα adde : ἢ μήτε γενεῖς ἀναγκαῖον ὑπάρχειν εἶναι, μήτε τέκνα : *alioqui necesse fore neq; parentes existere, neq; filios.* Ita enim integer locus extat tam in libro de decretis Synodi Nicænæ Tom. 1. pag. 231. nuperrimæ editionis, & lib. de Synodis Arimini & Seleuciæ p. 758. Et paulo pòst pro ἐκεῖνο καθέστηκεν ὁμοιουσίους, repone ἐκείνῳ καθέστηκεν ὁμοφυές, *ejusdem cum illo naturæ,* ut iterum ex dictis Athanasii Tractatibus patet. Cæterum post ista Dionysii verba, alia ex lib. III. Apologiæ ejusdem mox addit Athanasius, ipsa quoq; τὸ ὁμοούσιον Filii bene confirmantia : Ζωὴ ἐκ ζωῆς ἐγεννήθη, καὶ ὥσπερ ποταμὸς ἀπὸ πηγῆς ἔρρευσε, καὶ ἀπὸ φωτὸς ἀσβέστου λαμπρὸν φῶς ἀνήφθη· *Vita ex vita genita est, & quemadmodum flumen è fonte emanavit, & à luce inextinctâ splendida lux accensa est.* Neq; notatu indigna sunt, quæ paulo pòst pag. 257. C. ex lib. II. Apologiæ Dionysii allegantur : Εἰ δέ τις ἐμὲ συκοφαντῶν, ἐπειδὴ τὸν ἁπάντων ποιητὴν τὸν Θεὸν καὶ δημιουργὸν εἶπον, εἶπαί με καὶ τὸν Χριστὸν λέγειν, ἀκουσάτω μου πρότερον πατέρα φήσαντος αὐτὸν, ἐν ᾧ καὶ ὁ υἱὸς προσγέγραπται. Μετὰ γὰρ τὸ εἰπεῖν πατέρα ποιητὴν, ἐπήγαγον· καὶ ὅτε πατὴρ ἦν ὢν ποιητὴς, εἰ κυρίως ὁ γεννήσας πατὴρ ἀκούεται· τὴν γὰρ πλατύτητα τοῦ παλαιοῦ προσηγορίας ἐν τοῖς ἑξῆς ἐπεξεργασόμεθα· ὅτε ποιητὴς ὁ πατὴρ, εἰ μὴ καὶ ὁ χειροτέχνης ποιητὴς λέγοιτο. *Si quis autem ex Sycophantis, eò quòd Deum dixi omnium factorem & creatorem, existimet me etiam Christi creatorem dixisse, advertat me priùs Patrem ipsum appellâsse, in quo vocabulo Filius adscriptus est. Postquam enim dixi Patrem factorem esse, subdidi : Neq; pater eorum est quorum factor est, si propriè pater intelligatur esse is qui genuit ; (latitudinem enim vocabuli hujus,* Pater, *in sequentibus inquiremus) neq; factor pater est, si solus opifex factor dicatur.* Alia insuper Dionysii loca ibidem legere est pag. 259.

CAP.

CAP. XII.

De ſententia & fide Viri celeberrimi Gregorii Thaumaturgi, Neocæſareæ in Ponto Epiſcopi.

§. 1. S. Theodorus, Origenis diſcipulus & decus pariter, poſtea dictus nomine Gregorius, & ob ingentia præclaraque facinora (utpote qui multa & maxima patravit miracula, & non verbis ſolùm, ſed factis multò magis ad fidem Chriſti gentes pertraxit,) prænomine Magnus, & cognomine Thaumaturgus, Neocæſareenſis Epiſcopus, coætaneus fuit Dionyſiorum Romani & Alexandrini, ſed Alexandrino ſupervixit: quippe hic mortuus fuit ante ultimum Concilium Antiochiæ contra Paulum Samoſatenſem congregatum; cui Concilio interfuit Gregorius, ut ex Euſebio liquet.* Is poſteris tradidit Confeſſionem fidei de SS. Trinitate ὁμοουσίῳ accuratiſſimam & abſolutiſſimam his verbis conceptam: † Εἷς Θεὸς, πατὴρ λόγου ζῶντος, σοφίας ὑφεστώσης, καὶ δυνάμεως, καὶ χαρακτῆρος ἀϊδίου· τέλειος τελείου γεννήτωρ· πατὴρ υἱοῦ μονογενοῦς. εἷς Κύριος, μόνος ἐκ μόνου, Θεὸς ἐκ Θεοῦ· χαρακτὴρ καὶ εἰκὼν τῆς Θεότητος, λόγος ἐνεργὴς· σοφία τῶν ὅλων συστάσεως περιεκτική, καὶ δύναμις τῆς ὅλης κτίσεως ποιητική· υἱὸς ἀληθινὸς ἀληθινοῦ πατρός, ἀόρατος τοῦ ἀοράτου, καὶ ἄφθαρτος ἀφθάρτου, καὶ ἀθάνατος ἀθανάτου, καὶ ἀΐδιος ἀϊδίου. καὶ ἓν πνεῦμα ἅγιον, ἐκ Θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον, καὶ διὰ υἱοῦ πεφηνὸς, δηλαδὴ τοῖς ἀνθρώποις, εἰκὼν τοῦ υἱοῦ, τελείου τελεία· ζωὴ, ζώντων αἰτία· πηγὴ ἁγία, ἁγιότης, ἁγιασμοῦ χορηγός· ἐν ᾧ φανερῶται Θεὸς ὁ πατὴρ, ὁ ἐπὶ πάντων καὶ ἐν πᾶσι, καὶ Θεὸς ὁ υἱὸς, ὁ διὰ πάντων. τριὰς τελεία, δόξῃ καὶ ἀϊδιότητι καὶ βασιλείᾳ μὴ μεριζομένη, μηδὲ ἀπαλλοτριουμένη. ὥστε ἓν κτιστόν τι, ἢ δοῦλον ἐν τῇ τριάδι, ὥστε ἐπείσακτον, ὡς πρότερον μὴ ὂν ὕστερον δὲ ἐπεισελθόν· ὥστε ἓν ἐνέλιπε ποτὲ υἱὸς πατρὸς, ὥστε υἱῷ τὸ πνεῦμα, ἀλλ' ἄτρεπτος καὶ ἀναλλοίωτος ἡ αὐτὴ τριὰς ἀεί· i.e. Gerardo Voſſio interprete: "Unus Deus, Pater Verbi "viventis, ſapientiæ ſubſiſtentis, & potentiæ, & characteris ſempiterni: perfectus "perfecti genitor, Pater Filii unigeniti. "Unus Dominus, ſolus ex ſolo, Deus ex "Deo: Character & imago Deitatis, Verbum efficax: Sapientia conſtitutionis rerum univerſarum comprehenſiva: & virtus atque potentia univerſæ creaturæ effectiva: Filius verus, veri Patris, inviſibilis ejus qui eſt inviſibilis, & incorruptibilis corruptioni non obnoxii, & immortalis mortis prorſus neſcii, & ſempiternus ſempiterni. Unuſque Spiritus "ſanctus, ex Deo exiſtentiam habens, & "qui per Filium apparuit, ſcilicet hominibus: imago Filii, perfecti perfecta; vita, "viventium cauſa, fons ſanctus, ſanctitas, "ſanctificationis ſuppeditator: in quo manifeſtatur Deus Pater, qui ſuper omnia "eſt & in omnibus, & Deus Filius, qui "per omnia eſt. Trinitas perfecta, quæ "gloriâ & æternitate, ac Regnô atque imperiô non dividitur, neque abalienatur. "Non igitur creatum quid, aut ſervum in "Trinitate: neque ſuperinductitium aliquid & adventitium, quaſi priùs non exiſtens, poſteriùs verò adveniens. Non ergo "defuit unquam Filius Patri, neque Filio "Spiritus; ſed immutabilis & invariabilis "eadem ſemper manet Trinitas.

§. 2. Hanc Fidei Confeſſionem ferunt Gregorio (cum totus intentus curæ paſtorali optimè adminiſtrandæ, nocte quadam rationem diſpiceret prædicandæ populo ſuo ſinceræ fidei, variaſque, quæ tum controverterentur, de S. Trinitate quæſtiones animô revolveret,) cœlitus per revelationem tradi-

* Vide Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 7. c. 28. coll. c. 30.

† Vide Oper. Gregorii Thaumat. p. 1. edit. Pariſ. 1622.

traditam fuisse. Neque sane incredibile cuiquam videri debet, tale quippiam homini accidisse, cujus totam vitam revelationibus & miraculis illustrem fuisse, Scriptores Ecclesiastici omnes, quotquot ejus meminerunt, (& quis fere non meminit?) uno ore testantur. Utut verò illud sit, formulam illam Confessionis Catholicæ de SS. Trinitate à Gregorio revera profectam fuisse constat. Nam eidem illam tribuit non modò Ruf-
* Hist.E. finus *, sed & ipsius cognominis Gregorius
l.2. c.25. Nyssenus, † qui Viri admirabilis res gestas & Scripta accuratè perspecta habuit, adeoque vitam ejus descripsit. Quin & rem hanc ita narrat Vir eximius, ut vix quisquam cordatus de ea dubitare possit. Nimirum Confessionem illam recitaturus, hæc verba præmittit: δι' ἧς μυσαγωγεῖται μέχρι τῆς νῦν ὁ ἐκεῖνος λαὸς, πάσης αἱρετικῆς κακίας διαμείνας ἀπείρατος· i. e. "Per quam (*Con-
" *fessionem*) usque in præsentem diem in-
" stituitur plebs illa, (*nempe Neocæsareen-
" *sis*,) quæ ab omni hæreticâ malitiâ in-
" tacta permansit." Scilicet adeo certum erat, Confessionem illam fidei à Gregorio Thaumaturgo profectam, ut plebs omnis civitatis Neocæsareensis, cujus Episcopus & immortale decus ille fuit, illam, ut Gregorii indubiè genuinam, amplexa, perque ipsam à Patrum memoria usque ad Nysseni ætatem institui solita fuerit: indeque factum, ut Ecclesia Neocæsareensis, cum totus mundus Arianus fieret, ab hæretica malitia se illæsam conservaverit. Postquam verò Confessionem recitâsset Nyssenus, hæc subjungit: ὅτῳ δ' φίλον περὶ τούτου πειθῆναι, ἀκουέτω τῆς ἐκκλησίας, ἐν ᾗ τὸν λόγον ἐκήρυττεν, παρ' οἷς αὐτὰ τὰ χαράγματα τῆς μακαρίας ἐκείνης χειρὸς εἰς ἔτι καὶ νῦν διασώζεται· i. e. "Quod si-
" quis sibi fidem de hac re fieri cupit, au-
" diat Ecclesiam, in qua sermonem prædi-
" cabat, apud quam illa ipsa verba à beata
" illa manu exarata, adhuc etiam nunc con-
" servantur." Appellat ipsum Thaumaturgi αὐτόγραφον, à Neocæsareensibus usque ad suam ætatem religiosè custoditum. Nescio sane an ad ejusmodi traditionem aliquam confirmandum quicquam ampliùs desiderari possit. Cæterum Gregorii Nysseni testimonio apertè suffragari mihi videtur Basilius Magnus, ipsius frater, qui Epist. 75. ad Neocæsareenses testatur, se ab avia sua, in tenera ætate, Gregorii Thaumaturgi ipsa verba didicisse, quibus rectè de fide in SS. Trinitatem institutus fuerit. Verba ejus sunt‖: Πίστεως δὲ τὴν ἡμετέραν τίς ἂν γένοιτο ἐναργεστέρα ἀπόδειξις, ἢ ὅτι τεθραμμένοι ἡμεῖς ὑπὸ τίτθῃ μακαρίᾳ γυναικὶ, παρ' ὑμῶν ὡρμημένῃ· Μακρίναν λέγω τὸ πελάγιον· παρ' ἧς ἐδιδάχθημεν τὰ τοῦ μακαριωτάτου Γρηγορίου ῥήματα, ὅσα πρὸς αὐτὴν ἀπολαύσει μνήμης διασωθέντα αὐτή τε ἐφύλαττε, καὶ ἡμᾶς ἔτι νηπίους ὄντας ἐπλάτυνε καὶ ἐμόρφου τοῖς τῆς εὐσεβείας δόγμασι· i. e. "Fidei verò nostræ quæ pote-
" rit esse evidentior probatio, quàm quod à
" nutrice beata fœmina, quæ ex vestro gre-
" mio progressa est, (Macrinam dico, illu-
" strem illam,) educati sumus: à qua &
" beatissimi Gregorii verba didicimus, quæ
" memoriæ beneficiô ad illius usque ætatem
" conservata, & ipsa retinuit, & nos adhuc
" infantes iisdem, tanquam pietatis dogma-
" tibus, formavit." Omnino, inquam, hîc Thaumaturgi Confessio designari mihi videtur. Nam totidem verbis à Gregorio traditam fidei ὑποτύπωσιν de SS. Trinitate (quippe de ea ibi agit) se in infantia sua, ab avia Macrina Neocæsareensi edoctum fuisse disertè testatur Basilius. Attende Lector. Nyssenus refert, populum Neocæsareensem per Thaumaturgi Confessionem, à Patrum memoria ad suam usque ætatem, institui solitum fuisse: ait verò Basilius, se ab avia sua, (nempe dum apud ipsam Neocæsareæ in Ponto unà cum parentibus suis vitam ageret,) in tenera ætate (hoc est, ante Concilium Nicænum,) rectam fidem de SS. Trinitate, totidem Gregorii verbis conceptam, edidicisse. Quis non existimaverit de eadem fidei Confessione utrumq; loqui? Quin & idem Basilius lib. de Spiritu S. cap. 29. testatur, tantam fuisse Gregorii illius apud Neocæsareenses usque ad sua tempora existimationem, ut nihil sive in doctrina, sive in ritibus admittere in Ecclesia voluerint, nisi quod à maximo illo fundatore suo traditum accepissent. Verba Basilii hæc sunt (*): τοῦτο μέγα ἔτι καὶ νῦν τοῖς ἐγχωρίοις τὸ θαῦμα, καὶ νεαρὰ καὶ ἀεὶ προσφαλὴς ἡ μνήμη ταῖς ἐκκλησίαις ἐνίδρυται, ὥστε μηδενὶ χρόνῳ ἀμαυρωθῆναι· ἐκεῖνον ὃ προεῖπόν τινα, ὃ λόγον, ὃ τύπον τινὰ μυστικὸν, παρ' ὧν ἐκείνοις παρέλιπε, τῇ ἐκκλησίᾳ προσέθηκαν· i. e. "Hujus [Gregorii] & in
" hodiernum quoque diem magna est apud
" ejus regionis homines admiratio, recensq;
" ac semper vigens memoria sic infixa est
" Ecclesiis, ut nullo tempore obscuretur.
" Itaque non praxin aliquam, non dictum,
non

† In Vita. S. Greg. Thaum. Oper. Tom. 2. p. 978, 979.

‖ Basil. Oper. Tom. 3. p. 131. Edit. Paris. 1638.

(*) Basil. Oper. Tom. 2. p. 360. Edit. Paris. 1638.

" non formàm ullàm mysticam, ultrà quàm " illis reliquit, Ecclesiæ (suæ] adjecerunt." Si dictum nullum, ultrà quàm illis reliquit Gregorius, certè multò minùs Symbolum aliquod aut fidei Confessionem, quam ab ipso non acceperat, Ecclesia Neocæsareensis voluit admittere. Et tamen Basilii ætate Confessionem fidei, quâ de agimus, in Ecclesia ista receptam fuisse, idque ut à Gregorio traditam, certissimum est. His addas, quòd Confessio illa tradatur, ut Thaumaturgi indubiè genuina, à Patribus universis, in quinta Synodo Oecumenica congregatis. Denique ipsa Confessio ætatem Gregorii Thaumaturgi planè redolet; quippe quæ manifestè opposita sit hæresibus, quæ Ecclesiam Christi tum temporis maximè turbârunt. Duæ imprimis iis temporibus hæreses vigebant, ut ex Epistola Dionysii Romani apud Athanasium suprà commemoratâ liquet: altera Sabellii, quæ Patrem, Filium, & Spiritum S. nomine solùm, non ὑποστάσει, differre statuebat; altera Sabellianæ velut ex diametro contraria, eorum nempe, qui SS. Trinitatem dividebant in tres hypostases separatas, peregrinas, atque à se invicem alienas, quique adeo dicebant, Filium & Spiritum S. creaturas esse, & aliquando Deo Patri defuisse. Priorem hæresin apertè feriunt verba ista in ipso Confessionis initio: πατὴρ λόγου ζῶντος, σοφίας ὑφεστώσης· & illa: υἱὸς ἀληθινὸς ἀληθινοῦ πατρός· (nam Sabellius neque verum Patrem, neque verum Filium, sed utrumque nomine tantùm fatebatur:) ac denique illa de Spiritu sancto: ἐκ τοῦ Θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον. Hæresin alteram, præter alia, prorsus jugulant verba illa: τριὰς τελεία, δόξῃ καὶ ἀϊδιότητι καὶ βασιλείᾳ μὴ μεριζομένη, μηδ' ἀπαλλοτριουμένη· & sequentia: ὥστε ἓν κτίσμά τι, ἢ δοῦλον ἐν τῇ τριάδι· κ. λ. Ut verbô dicam, conferat Lector studiosus professionem Dionysii Romani de SS. Trinitate, quam capite superiori n. 1. ex Athanasio recitavimus, cum hac Gregorii nostri, ejus coætanei, Confessione; & miram utriusque convenientiam illico perspiciet.

Sand. de Scriptor. Eccl. p. 19

§. 3. Quid jam ad hæc Sandius? *De Confessione fidei*, inquit, *nihil aliud dico, quàm de ea tacere Eusebium, & Hieronymum, & Sophronium.* Quasi scilicet Eusebius & Hieronymus omnia veterum Patrum scripta & facta commemoraverint. Certè Eusebius in Historia sua Ecclesiastica, nescio quô casu (nam ut credam malô aliquo consilio id factum, quod putavit Anastasius Bibliothecarius, à me impetrare nequeo,) Gregorii Thaumaturgi laudes fere silentiô pressit, nec quicquam de miraculis ejus, per totum Christianum orbem celebratis, dicit. Puto, in alio aliquo opere, quod intercidit, plura de Gregorio Thaumaturgo retulisse Eusebium. Certè in Apologia pro Origene, ejus discipuli, Gregorii Thaumaturgi mentionem facit, insertâ etiam ei operi Panegyrica ejusdem oratione in laudem Origenis, ut testatur Socrates H. E. l. 4. c. 27. Eusebii autem Historiam fere κατὰ πόδας secutus est Hieronymus; Sophronius verò tantùm Hieronymi interpres fuit. Miror autem quid Philippo Labbæo in mentem venerit, dum in Dissertatione sua de Scriptoribus Ecclesiasticis ita scripsit: " Certum quidem, *inquit*, " est, teste S. Gregorio Nysseno in Thau- " maturgi Vita, Deiparam cum S. Joanne " Evangelista apparuisse, ut expositionem " fidei Catholicæ illi traderet. Sed an ea " sit Vossiana, jure dubitat Bellarminus, " quem vide cum Petavio Tom. 2. Theolog. " Dogmat. qui negat." Nam an fidei confessio à Vossio edita, Gregorii Thaumaturgi revera sit, nunquam dubitavit Bellarminus; imò illud pro certo habuit, ut cuivis ipsum Bellarminum consulenti patebit. De ἐκθέσει sive expositione fidei longiori, quæ κατὰ μέρος dicitur, ab eodem Vossio editâ, dubitat quidem Bellarminus, & jure merito. Falsum quoque est Petavium negâsse, Confessionem illam, prout à Vossio edita est, Gregorii esse genuinam; imò illam citat, ut Gregorii, & *illustre monumentum traditionis Ecclesiasticæ ac Catholicæ de Trinitate professionis* disertè appellat, Præfat. in Tom. 2. cap. 4. n. 5. Sed nimirum is quoque de fidei expositione longiori loquens, (quam hîc confudit Labbæus cum Gregoriana fidei confessione breviori,) ipsam Gregorii esse, non sine gravissimis rationibus negavit, de Trinit. lib. 1. cap. 4. n. 10. Ad id verò quod dicit Labbæus, meritò dubitari, an Confessio fidei, quam Gregorius Nyssenus Gregorio Thaumaturgo tribuit, sit eadem cum Vossiana, quis non obstupeat? Nam Confessioni fidei, quam Gregorius Nyssenus Gregorio Thaumaturgo ascribit, ad verbum respondet Confessio à Vossio edita. Si quempiam ex Criticis heterodoxis, quos vocat, ità turpiter lapsum deprehendisset Labbæus, quàm ipsi pro more insultâsset! Sed illud obiter.

Anastas. ad ann. Christi 246.

§. 4. Porro extat hodieque inter opera Gregorii à Vossio evulgata, Oratio Panegyrica ad Origenem, quæ omnium consensu, adeoque ipso Sandio fatente, Viri maximi germanum Scriptum est. In ea Oratione, postquam dixerat Deum Patrem à nulla creatura dignè laudari posse, deinde hæc de Fi-

p. 53,54. lio Dei subjungit sane magnifica: Αλλὰ τὰ μὲν εἰς τ̃ πάντων βασιλέα καὶ κηδεμόνα, τ̃ διαρκῆ πηγὴν πάντων ἀγαθῶν, εὐεργεσίας καὶ ὕμνους, τῷ καὶν τούτῳ τ̃ ἀδένειαν ἡμῶν ἰωμένῳ, καὶ τὸ ἐνδεὲς ἀναπληροῦν μόνῳ δυναμένῳ ἐπιρρέψομεν, τῷ προσάτῃ τῶν ἡμετέρων ψυχῶν καὶ σωτῆρι, τῷ προτογόνῳ αὐτοῦ λόγῳ, τῷ πάντων δημιουργῷ καὶ κυβερνήτῃ. αὐτῷ μόνῳ ἱκανός τε ἑαυτῷ, καὶ ἱκανὸς πάντων, ἰδία τε καὶ καθ' ἕκαστον ☾ ἀθρόον ἅμα δυνατὸν ὂν ἀναπέμπειν διηνεκεῖς καὶ ἀδιαλείπτους τῷ παλὶ τὰς εὐχαριστίας· ὅτι αὐτὸς ἡ ἀλήθεια ὢν, καὶ ἡ αὐτοῦ παλὶ τῶν ὅλων καὶ σοφία καὶ δύναμις, πρὸς ἣ καὶ ἐν αὐτῷ ὢν, καὶ πρὸς αὐτὸν ἀτεχνῶς ἡνωμένος, ὃν ἔστιν ὅπως ἢ διὰ λήθην, ἢ ἀσόφως, ἢ κἂν ἀδενείας τινὸς, ὥσπέρ τις ἀπεξενωμένος αὐτοῦ *, ἢ ὃν ἐφίξεται τῇ δυνάμει τ̃ δυνάμεως, ἢ ἐφίξεται μὲν, ἑκὼν δέ, ὃ μὴ θεμὶς εἰπεῖν, ἐάσῃ τὸν παλέρα ἀνδοξήμητον. μόνῳ τούτῳ δυνατὸν ὂν, τελειόπαλα πᾶσαν ἀποπληρῶσαι τ̃ ἀξίαν τῷ αὐτῷ προσκυνήσεως ἄνων· ὃν τινα αὐτὸς ὁ τῶν ὅλων πατὴρ ἐν προὸς αὐτὸν πιστάμενος, δι' αὐτοῦ μονονχὶ † αὐτὸς αὐτὸν ἐκπεριών, τῇ ἴσῃ πάντῃ δυνάμει τῇ αὐτοῦ δόξαν τινὰ τιμὴν ☾ τιμᾶτο· ὅπερ πρῶτος καὶ μόνος ἔχειν ἔλαχεν ἐκ πάντων τ̃ ὄντων, ὁ μονογενὴς αὐτοῦ, ὁ ἐν αὐτῷ Θεὸς λόγος.

" Sed nos laudationes quidem & hymnos in
" omnium Regem & moderatorem, perennem fontem omnium bonorum, ei, qui &
" in hoc ipso infirmitatem nostram sanat,
" & quod deest, explere solus potest, relinquamus; præsidi, inquam, animarum nostrarum ac Salvatori, primogenito ejus
" Verbo, omnium opifici & gubernatori.
" Ipsi soli pro seipso, & pro omnibus privatim ac universè facile est assiduas ac perpetuas gratias agere: quia cum ipse sit
" veritas, & ipsius Patris universorum &
" sapientia & potentia; adhæc & in ipso
" existat, & ipsi verè atque omnino unitus
" sit; nullum est periculum, ne vel per
" oblivionem, vel insipientiam, aut præ imbecillitate aliqua, ac sic quis ab eo alienus
" esset, vel virtute sua paternam virtutem
" non assequatur; vel ut assequatur quidem,
" volens tamen, quod nefas est dicere, Patrem suâ laudatione destituat. Huic soli
" possibile est, perfectissimè omnes congruentium illi laudum numeros adimplere:
" utpote quem ipse omnium Pater unum
" secum faciens, & per ipsum tantum non
" sese ipse circumambiens, virtute sua usquequaque æquali honorat quodammodo &
" honoratur: quod quidem primus soluſque
" ex omnibus sortitus est unigenitus ejus,
" ille qui in ipso est, Deus Verbum."
Mox ibidem Filium appellat τελειόπαλον καὶ ζῶντα, καὶ αὐτῷ τῷ πρώτῳ νῷ λόγον ἔμψυχον, *perfectissimum ac viventem, & ipsius primæ mentis animatum sermonem.* || Quot in his verbis elogia de Filio Dei coacervantur, quæ veram ipsius Divinitatem egregiè declarant? Filium Dei dicit præsidem animarum nostrarum, primogenitum Dei Verbum, omnium opificem & gubernatorem, ipsius Patris veritatem, sapientiam ac potentiam: qui in ipso sit Patre, eidemque verè unitus sit; in quem nulla oblivio, insipientia, aut imbecillitas cadat; qui à Deo Patre neutiquam alienus sit; qui virtute sua paternam virtutem assequatur; quem Deus Pater unum secum fecerit, quôque infinitam suam Majestatem quasi circumscripserit; (planè quemadmodum vetustissimus Scriptor apud Irenæum dixit, ut suprà vidimus, ipsum immensum Patrem in Filio mensurari,) qui virtute usquequaque Paternæ æquali revera præditus sit; qui denique in ipso Deo Deus Verbum subsistat, idque Verbum perfectissimum, utpote ex prima & æterna mente natum. An quisquam ex Arianorum grege hæc de Filio Dei sincerè & ex animo pronuntiare possit? Neque offendiculo cuiquam esse debet, quòd Thaumaturgus Filium dicat Patrem suum honorare & laudare; siquidem idem simul dicit, Patrem honorâsse Filium, virtute ipsi impertitâ, suæ usquequaque pari. Scilicet laudat & honorat Filius Patrem, tanquam sui auctorem ac principium; Pater verò amplectitur, & quodammodo etiam honorat Filium, ut sui vivam & perfectissimam imaginem & progeniem. Unde & Scriptores Catholici, qui post Synodum Nicænam vixerunt, similiter de Filio Dei passim locuti sunt. Quanquam hôc in loco videatur etiam Gregorius respicere Filii οἰκονομίαν, quatenus ut Mediator, fidelium preces & gratiarum actiones Deo Patri offert, & sua intercessione gratas & acceptas reddit. Imò disertè loquitur de Filio, ut in hoc negotio † ἀδένειαν ἡμῶν ἰωμένῳ, *infirmitatem nostram sanante.* Huic mediatorio officio ostendit sufficere omnino Filium; quippe qui respectu potioris suæ naturæ, unum prorsus cum Patre sit, & virtute paternæ usquequaque æquali polleat.

Cap. 5. §. 4.

§. 5.

---

* Sic. in Confessione negat in Trinitate ἀπαλλοτρίωσιν.

† Illud cautè addidit, quia si propriè loquendo Filius circumambiret Patrem, major esset Patre, cui tantùm naturâ æqualem illum esse voluit dicere.

|| Itidem in Confessione dicit Filium τέλειον τελείᾳ πλῃδὸς, ut etiam λόγον ζῶντα.

§. 5. Denique si nullum hodie extaret Gregorianæ fidei de SS. Trinitate scriptum monumentum, unus Basilius M. testis locupletissimus foret, sententiam ipsius eo super articulo sanam, sinceram & Catholicam fuisse. Nimirum Basilius, quoties litem ipsi intenderent hæretici adversarii de fide circa Trinitatem; toties fere ad traditionem Gregorii Thaumaturgi appellavit, seque eandem prorsus, quam Vir ille admirandus docuit, de Trinitate sententiam à puero tenuisse professus est. Sic in Epistola 75. ad Neocæsareenses, ut suprà ostensum est, gloriatur, se fidem orthodoxam de SS. Trinitate in pueritia sua ex Thaumaturgi verbis, ipsi per aviam Macrinam traditis, edidicisse. Eam verò de Deo fidem, quam per aviam acceperat, se nunquam mutâsse, ipse clarè testatur Epist. 79. ad Eustathium, his verbis: εἰ γὰρ καὶ τ' ἄλλα ἡμῶν συναγμῶν ἄξια, ἀλλ' ἓν ἔν γε τοῦτο τολμῶ καυχᾶσθαι ἐν Κυρίῳ, ὅτι ἀδέκαστος πεπλανημένας ἔχον τὰς περὶ Θεοῦ ὑπολήψεις, ἢ ἑτέρως φρονῶν μετέμαθον ὕστερον· ἀλλ' ἣν ἐκ παιδὸς ἔλαβον ἔννοιαν περὶ Θεοῦ ταύτὴν ἀπὸ τ' μακαρίας μητρός μου, καὶ τ' μάμμης μου Μακρίνης, ταύτην αὐξηθεῖσαν ἔχον ἐν ἐμαυτῷ, i. e. " Licet enim reliqua vita " nostra digna sit, cujus gratiâ ingemiscamus; de hoc tamen uno in Domino gloriari ausim, quòd nunquam falsas opiniones habuerim de Deo; neque aliter priùs " sentiens, animi postea judicium mutaverim: sed quam à puero sententiam de " Deo, à beata matre & avia mea Macrina " recepi, illam justis incrementis auctam " in meipso conservârim. " Itaque si Catholicè & piè de Trinitate sensit Basilius, (de quo nemo ambigit) Catholicus quoque fuit eo in articulo Gregorius, ipso Basilio teste. Idem Basilius formulam illam δοξολογίας, quâ SS. Trinitas in Ecclesiis ipsius regimini subjectis glorificabatur, quamque tantopere aversati sunt Hæretici, Gregorii nostri auctoritate defendit in libro de Spiritu S. ad Amphilochium cap. 29. Ubi postquam maximi Viri maximas laudes congesserat, hæc ad rem subjicit: ἓν τοίνυν τῶ Γρηγορίῳ καὶ ὁ νῦν ἀντιλεγόμενῳ τρόπῳ τ' δοξολογίας ἐστὶν, ἐκ τ' ἐκείνου παραδόσεως τῇ ἐκκλησίᾳ περυλαγμένῳ· i. e. " Idem igitur " glorificationis modus, quem instituit Gregorius, & is cui nunc contradicitur, ex " illius traditione ab Ecclesia (*nempe Neo-* " *cæsareensi, quam ipse tantum non fundavit*) observatus. " Meritò igitur, & Basilii testimonio fretus, pronuntiavit Anastasius Bibliothecarius in Historia, * hunc imprimis Gregorium ab Arii deliramentis prorsus fuisse alienum.

Tom. 3. p. 141.

§. 6. Hæc autem cum ita se habeant, mirari satis nequeo Viros illos doctissimos, qui ausi sunt hunc maximum Ecclesiæ Doctorem Arianismi incusare, eique adeo criminationi Basilii auctoritatem obtendere. Ait Petavius, † à Basilio Epist. 64. duos errores (non magis veritati, quàm sibi invicem repugnantes) Gregorio Thaumaturgo tribui: alterum Sabellianum, quòd docuerit, Patrem & Filium cogitatione tantùm nostrâ, non verò hypostasi differre; alterum Arianum, quòd Filium dixerit κτίσμα καὶ ποίημα, *creaturam & opus*. Ac prius illud rectè dixisse Gregorium, ostendere conatur Petavius; in posteriori verò Arianizasse Thaumaturgum existimat. Huetius || etiam, nimium, ut videtur, Petavii candori & judicio confisus, scribit, *à Basilio castigatum fuisse Gregorium Thaumaturgum, quòd Filium apertè creatum prædicaverit*. Mox dicere non veretur, Virum illum admirandum *Arii deliramenta sectatum fuisse*. Horum doctissimorum virorum auctoritate fretus, Sandius Arianus, (*) plurimùm de eo gloriatur, quòd ingens illud Ecclesiæ Christianæ decus & ornamentum, etiam nobis Catholicis fatentibus, cum Ario senserit. Verùm, si ipsa Basilii verba, unde hujus criminationis materia desumpta est, paulò attentiùs expendamus, mox apparebit, Gregorio nostro Arianismi calumniam, Basilii ingratiis, impingi. Basilius igitur in Epistola 64. ad Neocæsareenses, postquam dixerat, Sabellianismi apud Neocæsareenses instauratores, quibuscum lis ei fuit, nugas suas etiam Scriptis editis consignâsse, & Epistolæ ipsorum ad Meletium meminerat; mox alteram perstringit Epistolam, ab ipsis ad Anthimum Episcopum conscriptam, in qua magni Gregorii auctoritatem deliramentis suis obtenderunt. Verba Basilii hæc sunt: (†) καθῆκαν δέ τινα πεῖραν δι' ἐπιστολῆς καὶ πρὸς τ' ὁμόψυχον ἡμῶν Ἄνθιμον τῶν Τυάνων ἐπίσκοπον, ὡς ἄρα Γρηγορίε εἰπόν-

10

* Anastasius ad ann. Christi 246.
† Petav. de Trin. lib. 1. c. 4. §. 10.
|| Huet. Origen. pag. 36.
(*) Sandius Enucl. Hist. Eccl. lib. 1. p. 111.
(†) Oper. Basil. Tom. 3. pag. 101.

τῆς ἐν ἐκθέσει πίστεως, πατέρα καὶ υἱὸν ἐπινοίᾳ μὲν εἶναι δύο, ὑποστάσει δὲ ἕν. τοῦτο δὲ ὅτι οὐ δογματικῶς εἴρηται, ἀλλ' ἀγωνιστικῶς ἐν τῇ πρὸς Αἰλιανὸν διαλέξει, ἐπὶ ἠδυνήθησαν συνιδεῖν οἱ ἐπὶ λεπτότητι τῶν φρενῶν ἑαυτοὺς μακαρίζοντες· ἐν ᾗ πολλὰ τῶν ἀπογεγραμμένων δῆλα σφάλματα, ὡς ἐπ' αὐτῶν τῶν λέξεων δείξομεν ἡμεῖς, ἐὰν ὁ Θεὸς θέλῃ. ἔπειτα μέντοι τὸ ἕλληνα πείθειν, οὐχ ἡγεῖτο χρῆναι ἀκριβολογεῖσθαι περὶ τὰ ῥήματα· ἀλλ' ἔστιν ὅπου καὶ συνιδόντα τὸ ἔθει τῷ ἀναγομένῳ, ὡς ἂν μὴ ἀντιτείνοι πρὸς τὰ χαίρεια. διὸ δὴ καὶ πολλὰς ἂν εὕροις ἐκεῖ φωνάς, τὰς νῦν τοῖς αἱρετικοῖς μεγίστην ἰσχὺν παρεχομένας· ὡς τὸ κτίσμα, καὶ τὸ ποίημα, καὶ ἔστι ποτὲ ὅτε. πολλὰ δὲ καὶ περὶ τοῦ πρὸς τὸν ἄνθρωπον σωτηρίας εἰρημένα, εἰς τὸν περὶ τοῦ θεότητος ἀναφέρουσι λόγον, οἱ ἀπαιδεύτους τῶν γεγραμμένων ἀκούοντες· ὁποῖόν ἐστι καὶ τοῦτο, τὸ παρὰ τέτων περιφερόμενον i. e. "Dederunt autem experimentum aliquod per "Epistolam etiam ad ejusdem nobiscum "sententiæ Anthimum Thyanorum Episcopum, prætendentes Gregorium in expositione fidei dixisse, Patrem & Filium "cogitatione quidem duos esse, hypostasi verò unum. Hoc scilicet non dogmaticè, neque affirmando, sed concertantis "more in disputatione adversus Ælianum "ab eo dictum esse, intelligere nequiverunt, qui propter intelligendi subtilitatem beatos sese reputant. In qua disputatione multi sunt eorum, quæ descripta "sunt, errores; (*hoc est, multa de αὐτογεγράφῳ perperam descripta sunt,*) quemadmodum, si Deus volet, ex ipsis verbis "ostendemus. Porro cum Gentilem ad "fidem adducere niteretur, non existimabat sibi circa verba accuratiùs disceptandum esse, sed alicubi consuetudini ejus, "quem ad fidem induceret, nonnihil condonandum, ne forte necessariis reluctaretur. Unde etiam multas invenias illic voces, quæ jam Hæreticis plurimum "addunt roboris, ut creatura, & factura, "& similia. Multa etiam quæ de incarnatione dicta sunt, ad Divinitatis rationem referunt, qui imperitè quæ scripta "sunt, audiunt: quale & hoc ipsum est, "quod ab ipsis circumfertur." His verbis docet Basilius, Sabellianos verba illa in ἐκθέσει Gregorii, *Patrem & Filium cogitatione quidem duos esse, hypostasi verò unum*, quæ ille tantùm ex hypothesi adversariorum inter disputandum protulerat, pro dogmate ipsius Gregorii accepisse: & ob id ridet homuncionum ἀβλεψίαν, qui cernere, quod tam obviam erat, nequiverunt. Non ergo dicit Basilius Gregorium revera sensisse, Patrem & Filium διανοίᾳ tantùm differre, sed contrarium planè dicit. Ita frustra operam suam perdidit & oleum Petavius, dum effatum illud tanquam à Gregorio rectè & Catholicè prolatum, nescio quibus argutiis defendere conatus est, & Basilium tanquam idem pronuntiatum Gregorii immeritò reprehendentem sugillavit. Quippe nunquam ex sua sententia ita scripsit Gregorius; neque eidem Gregorio insulsam illam hæresin usquam tribuit Basilius. Ait præterea Basilius, vulgatos fuisse ab hæreticis operis illius Gregoriani mendosos Codices, in quibus multa perperam describerentur: seque σφάλματα illa evidenter ostensurum spondet. Hoc manifestè significant verba, ἐν ᾗ πολλὰ τῶν ἀπογεγραμμένων δῆλα σφάλματα, κ. λ. Atque huc referendum videtur, quod Evagrius notat Hist. Eccles. lib. 3. c. 31. Hæreticos deliramenta sua sub magni illius Gregorii nomine orbi obtrusisse. Denique fatetur Basilius, inter ea, quæ revera in illo opere Gregorii erant, ab ipso, dum haud necesse putaret, in rudiori doctrinæ Christianæ ὑποτυπώσει Gentili tradendâ, ἀκριβολογεῖν περὶ τὰ ῥήματα, multas voces usurpatas fuisse, ex quibus illi, qui contrariam Sabellianæ hæresin sequerentur, dogmata sua confirmare adnisi sunt. * Sed an jure eos id fecisse dicit Basilius? Nihil minus. Nam mox addit, quæ Gregorius de Christo dixerat, ad humanam ejus naturam respiciens, Hæreticos ad Divinitatem imperitè traxisse. Atque huc expresè refert illud κτίσμα καὶ ποίημα, quod Sophistæ tantopere jactitabant. Non ergo dicit Basilius, (quod dicere ipsum vult Petavius) sensisse revera aut scripsisse Gregorium, Filium Dei, quà propriè Dei Filius est, creaturam, sive facturam esse; sed planè contrarium significat.

§. 7. Quid multis? Tantum abest ut Basilius hîc concedat, Hæreticos Antitrinitarios cujusvisCunque generis Gregorii patrocinium suis placitis meritò obtendisse, ut in hac ipsa etiam Epistola ad ejus imprimis sententiam de S. Trinitate, post sacras Scripturas, ipse fidenter provocet. Verba ejus haud longè ab Epistolæ initio p. 99 hæc

* Nempe Anomœi, qui etiam Ecclesiam Neocæsareensem turbarunt, ut apparet ex Basilii verbis in hac ipsa Epistola: ἐντεῦθεν ἡμᾶς ὁ Ἀνόμοιος σπαράσσει· ἐπεὶ δὲν ἦ, ὡς ἔοικεν, Σαλούιος.

p. 99. hæc ſunt : πίςεως διαςρφὴ παρ' ὑμῖν μελετᾶται, ἐχθρὰ μὲν τοῖς ἀποςολικοῖς καὶ ἐυαγγελικοῖς δόγμασιν, ἐχθρὰ δὲ τῇ παραδόσει τοῦ μεγάλου ὡς ἀληθῶς Γρηγορίου, καὶ ἧς ἐφεξῆς ἀπ' ἐκείνου, μέχρι τοῦ μακαρίου Μυσωνίου· ἃ τὰ διδάγματα ἔναυλά ὄζει καὶ νῦν ἡμῖν δηλονότι· i. e. " Studiosè agitur apud vos fidei " perverſio, Apoſtolicis & Evangelicis do- " ctrinis inimica; inimica quoque TRA- " DITIONI MAGNI REVERA " GREGORII, & eorum qui illum ex " ordine ſubſecuti ſunt ad beatum uſque " Muſonium: cujus nempe dogmata etiam- " num auribus noſtris perſonant. " Res eſt : Gregorius rectè & Catholicè omnino de Perſonis divinis & ſenſit & ſcripſit : ſed Hæretici Neocæſareenſes verba ejus, cujus præcipuè auctoritate premebantur, aut adulterârunt, aut perperam omnino interpretati ſunt. Hinc Baſilius in fine præcedentis Epiſtolæ 63. eoſdem non ſine ingenti animi commotione ſic alloquitur : τὰς περὶ τὴν πίςιν καινοτομίας καλασιγάσατε, τὰς ὑποςάσεις μὴ ἀθετεῖτε, τὸ ὄνομα τοῦ χρισοῦ μὴ ἀπαρνεῖσθε, τὰς τοῦ Γρηγορίου φωνὰς μὴ παρεξηγεῖσθε. εἰ δὲ μὴ, ἕως ἂν ἐμπνέωμεν, καὶ διωκώμεθα φθέγγεσθαι, ἀμήχανον ἡμᾶς ἐπὶ τοσαύτῃ λύμῃ ψυχῶν σιωπᾶν· i. e. " Novationes iſtas " circa fidem compeſcatis, hypoſtaſes [*Di-* " *vinas*] ne reprobetis, nomen Chriſti ne " abnegetis, Gregorii voces ne ſiniſtrè in- " terpretemini. Quod ſi ſecus egeritis, " donec ſpirandi loquendique facultas erit, " ad tantam animarum perniciem nunquam " ſilere poterimus. " Itaque præſtantiſſimum, poſt Apoſtolos, Chriſtianiſmi Doctorem, Gregorium Neocæſareenſem, ex Arianorum caſtris (ubi à Viris quibuſdam doctis vi & quaſi captivus detinebatur,) tandem liberavimus, Eccleſiæque Catholicæ reſtituimus.

ANNOTAT.

Ad §. 4.

De *Gregorii Thaumaturgi* Confeſſione fidei.

GRegorii honorificam mentionem tribus in locis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ fecit Euſebius. Nam Lib. VI. cap. 30. de diſcipulis Origenis ait : ὧν ἐπισήμως μάλιςα ἔγνωμεν, Θεόδωρον, ὃς ἦν αὐτὸς ὅτος, ὁ καθ' ἡμᾶς ἐπισκόπων διαβόητος Γρηγορίου τόν τε αὐτοῦ ἀδελφὸν Ἀθηνόδωρον. *Quorum præcipuos fuiſſe cognovimus Theodorum, qui & Gregorius dictus eſt, Epiſcoporum noſtrâ ætate celeberrimus; & fratrem ejus Athenodorum.* Et Lib. VII. cap. 14. ac 28. eum inter præcipuos iſtius ævi Epiſcopos numerat; ſed nulla illius opera, vel libros ab ipſo ſcriptos nominat. Nominavit autem, ut hunc defectum ſuppleret, ultimô locô Ruffinus Lib. VII. Hiſt. Eccl. cap. 26. (juxta ejus diviſionem) ubi hæc legimus : *Verùm quoniam beati Gregorii Hiſtoriæ textus attulit mentionem, digniſſimum puto, tanti Viri geſta, quæ ſub orientali & Septentrionis axe cunctorum ſermone celebrantur, omiſſa, neſcio quo caſu, huic narrationi ad memoriam poſteritatis inſerere.* Unde poſt narrata aliqua ejus miracula, de Scriptis ejus ſequentia ſubdit : *Sed & ingenii ſui nobis in parvo maxima monumenta dereliquit. In Eccleſiaſtem namq; Metaphraſin idem Gregorius magnificentiſſimè ſcripſit. Et Catholicæ fidei expoſitionem breviter editam dereliquit; quam pro ædificatione Eccleſiarum ſociare his commodo duxi.* Hinc ipſa Gregorii Confeſſio ſequitur, prout in hôc capite, ſuprà pag. 151. recitata eſt.

CAP. XIII.

Sententia de Filii τῷ ὁμοσσίῳ sex Episcoporum Antiocheni Concilii, qui ad Paulum Samosatensem Epistolam scripsere; nec non Pierii, Pamphili, Luciani, & Methodii Martyrum, Catholica, & Nicænæ fidei plane consona fuisse ostenditur.

§. 1. GRegorii Thaumaturgi temporibus exorta est hæresis Pauli Samosateni, qui Christi Divinitatem negabat: adversus quem sæpius convenerunt Antiochiæ Episcopi Catholici. Ex his Episcopis sex primarii (quorum nomina, Hymenæus, Theophilus, Theotecnus, Maximus, Proclus, Bolanus,) scripserunt ad eundem Paulum, antequam is ultimi ac frequentissimi consessûs anathemate Ecclesiâ pelleretur, insignem Epistolam, quæ hodieque extat Tom. 11. Bibl. Patrum. In illa Epistola sancti Antistites expressè docent, Filium Dei ipsâ essentiâ & substantiâ suâ Deum esse. Nam postquam professi fuerant, se tradere "fidem quam ac-
"ceperant ab initio, habuerantque tradi-
"tam & conservatam in Catholica Ecclesia
"usque in hodiernum diem, per successio-
"nem ab Apostolis, qui & oculis suis vi-
"derunt, & administri facti sunt Verbi,
"prædicatam ex Lege, & Prophetis, & N.
"Testamento;" postquam, inquam, hanc professionem præmiserant, mox fidem veram & Apostolicam hanc esse de Christo asserunt: σοφίαν, καὶ λόγον, καὶ δύναμιν Θεοῦ, τὸν πρὸ αἰώνων ὄντα, ὃν προεγνώσει, ἀλλ' ἰδίᾳ καὶ ὑποστάσει Θεὸν, Θεοῦ υἱόν. "Sapientiam il-
"lum esse, & Verbum, virtutemque Dei,
"ante sæcula existentem, non solâ præsci-
"entiâ, sed substantiâ, & subsistentiâ Deum,
"Dei Filium." Nihilominus neque hos Episcopos manibus suis elabi finit Petavius citra ἑτεροδοξίας notam: quanquam, ut diximus, antesignani fuerint magni Concilii Antiocheni, & Epistolam, ut verisimile est, non sine totius Synodi conscientia scripserint. Nam in libro 1. de Trinit. c. 4. n. 9. sic de ipsis scribit Jesuita: "Quinetiam
"Episcopi illi sex, qui ad Paulum Samosa-
"tenum, antequam in ordinem redigere-
"tur, Epistolam scripserunt, in eâ quædam
"de Filio proponunt ab Catholicæ regula
"fidei nonnihil abhorrentia: ut cum Fili-
"um dicunt, in mundo procreando, pater-
"nam implêsse voluntatem, eique, ut id
"faceret, præcepisse Patrem. Unde & di-
"versum à Patre Filium esse confirmant:
"quoniam qui præcipit, alteri præcipiat
"necesse est. Addunt, eundem paternam
"implentem voluntatem, Patriarchis appa-
"ruisse, & ob id ministerium, Angeli no-
"men obtinuisse." Hanc Petavii censuram avidè arripuit Sandius *, ut & his magnis nominibus, tanquam Arianismo astipulantibus, sacculum suum impleret. Verùm sexcenta licet ejusmodi loca ex veteribus proferat sive Petavius, sive alius quispiam, nunquam mihi inde persuadebit, cum Ario illos consensisse. Novi enim, ista omnia, quatenus vel ad subordinationem Filii ad Patrem, tanquam principium & auctorem suum, vel ad ὁμονομίαν illam, quam mox à lapsu hominis suscepit Dei Filius, referuntur, (prout ultima illa referri debent,) sanum & orthodoxum sensum admittere, neq; ab Catholicæ fidei regula, à Nicænis Patribus explicatâ, abhorrere †: quanquam fortasse à Scholastica Theologia (cui plus æquò in his mysteriis tribuit Petavius,) nonnihil discrepent. Quod autem hos sex Episcopos attinet, illustri testimoniô ex hac ipsorum Epistola

* Enucl. Hist. Eccl. l. 1. p. 123, 124.

† Vide hujus Sectionis cap. 5. n. 6.

Epiſtola allatô, infrà * oſtendam, ſenſiſſe ipſos, Filium Dei eſſe κατὰ φύσιν Patri omnino æqualem. Interim ad alios Eccleſiæ Doctores tranſeamus.

§. 2. Pierius, Alexandrinæ Eccleſiæ Preſbyter, Pamphili Martyris magiſter, ſub Claro & Diocletiano Principibus, quô tempore eandem Eccleſiam Theonas regebat (teſte Hieronymo †) floruit. Is in tantam ſermonis diverſorumq; Tractatuum venit elegantiam, ut, referente eodem Hieronymo, *Origenes junior* vocaretur. Vir erat miræ ἀσκήσεως, & voluntariæ paupertatis appetitor. Fertur quoque, ut ſcribit Photius, unà cum Iſidoro fratre germano martyrii pro Chriſti nomine certamen ſubiiſſe. Quæ ſcripta edidit, hodie intercidere omnia. Sed ex Photio, qui ejus volumen librorum duodecim legerat, diſcimus, Scriptorem in hôc de Filii Divinitate articulo planè Catholicum fuiſſe. Nam Cod. 119. ſic de eo ſcribit: πολλὰ δ' ἔξω τ῀ νῦν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καθεσπότων, ἀρχαιοτρόπως ἴσως, ἀποφαίνεται. ἀλλὰ περὶ μὲν παλαιᾶς καὶ ὑπὲρ εὐσεβῶς πρεσβεύει, πλὴν ὅτι οὐσίας δύο καὶ φύσεις δύο λέγει· τῷ δ' οὐσίας καὶ φύσεως ὀνόματι, ὡς δῆλον ἔκ τε τ῀ ἑπομένων καὶ προηγουμένων τῇ χωρίς, ἀντὶ δ' ὑποστάσεως, οὐχ ὡς Ἀρείῳ προσανακείμενοι, χρώμενος. i. e. "Plurima "autem præter ea, quæ in Eccleſia hodie "obtinent, veteri fortaſſis more, tradit. De "Patre tamen & Filio piè credit, niſi quòd "ſubſtantias duas totidemque naturas eſſe "dicit: ſubſtantiæ & naturæ nomine (ut "ex iis, quæ locum antecedunt & conſe"quuntur, manifeſtum eſt,) pro hypoſtaſi, "non ut Arii ſectatores, uſus." Sane ſummè Catholica fuiſſe oportet, quæ de Filio Dei ſcripſerat Pierius, cum eadem ipſe Photius (rigidus alioquin & ſeverus veterum Scriptorum cenſor, quique innocentiſſima quæque ipſorum dicta in ſuſpicionem Arianiſmi trahere ſolitus eſt,) ut piè admodum ſcripta, & ab Arianiſmo aliena collaudaverit. Præterea cum Photius dicit, plurima tradidiſſe Pierium veteri more, & ab iis, quæ ſua ætate in Eccleſia obtinerent, aliena, deinde ἀμέτρως addit, eundem tamen Pierium de Filio Dei piè credidiſſe; manifeſtè indicat, Pierii doctrinam de Filio Dei cum Theologia, quæ ipſius ætate pro Catholica habita fuerit, omnino conſpirâſſe. Quam procul autem Eccleſiæ Græcæ doctrina de Filio Dei, Photii ætate, ab Arianiſmo abfuerit, nôrunt omnes, qui in Eccleſiaſtica Hiſtoria quicquam nôrunt. Quod autem ibidem addit Photius, Pierium de Spiritu ſancto minùs piè docuiſſe, quòd nempe dixerit, Spiritum ſanctum Patre & Filio inferiorem eſſe, facillimè ab hæreſis ſuſpicione defenditur. Quippe Spiritus ſanctus minor eſt Patre & Filio eodem reſpectu, quô ipſe Filius Patre minor ab Catholicis omnibus agnoſcitur, nempe originis reſpectu. Habet originem Filius à Patre ſolo; Spiritus verò ſanctus originem trahit à Patre & Filio, ut definivit Eccleſia Occidentis; ſive à Patre per Filium, uti loqui amârunt Orientales. Hoc tantùm voluiſſe Pierium, planè perſuaſum habeo. Cæterum ex his liquet, quàm falsò, & impudenter, pro more ſuo, ſcripſerit Sandius ||, *docuiſſe Pierium (teſte Photio) Filium & Patrem duas eſſe eſſentias & naturas*, vocibus ſcilicet eſſentiæ & naturæ, prout à perſona diſcriminantur, acceptis. Non id Photius teſtatur, ſed directè contrarium, nempe Pierium de Patre & Filio piè credidiſſe; ubi verò dixerit, Patrem & Filium duas eſſe οὐσίας, ex contextu ſermonis ejus manifeſtum eſſe, ipſum οὐσίας vocabulum pro hypoſtaſi uſurpâſſe; ac proinde id tantùm voluiſſe, Patrem & Filium duas eſſe perſonas: quod Catholicum eſſe, Catholici, ut puto, omnes ultro fatebuntur. Sed à magiſtro ad diſcipulum deveniamus.

§. 3. S. Pamphilus, Pierii auditor, Preſbyter Eccleſiæ Cæſareenſis in Palæſtina, Vir celebris, qui ſub Maximini perſecutione martyriô coronatus fuit, ſcripſit paulò ante τελείωσιν, unà cum Euſebio carcere incluſus, Apologiam pro Origene, quinque tomis conſtantem; quibus, mortuo Pamphilo, per ſe Euſebius ſextum addidit. Primus ex quinque Pamphili libris, à Ruffino Latinè verſus, inter opera Hieronymi, à Mariano Victorio edita, hodieque extat. Quem Martyris nomine haud falsô inſcriptum eſſe, contra Hieronymum varia hac de re ac pugnantia referentem, facilè probari poteſt. Certè apertè falſum eſt, quod ſcribit Hieronymus (lib. 3. Apol. adverſus Ruffin. cap. 4.) Apologiam illam *ſolum Ruffinum ſub Martyris nomine edidiſſe*; ſiquidem & Græci Codices (teſte Photio Cod. 118. & veteri Auctore Græco Apologiæ pro Origene apud Photium Cod. 117.) ipſam Pamphilo attribuerunt. Subdolè idem Hieronymus Apologiam

* Vide Sect. 4. cap. 2. n. 7.

† Hieron. Catalog. Script. Eccleſ. c. 87.

|| Enucl. Hiſt. Eccleſ. l. 1. p. 126.

logiam istam Eusebii esse, sæpius contendit. Nam Eusebii quidem est, sed non Eusebii solius; siquidem utriusque, tum Pamphili, tum Eusebii, conjunctis studiis elucubrata fuit. Hoc disertè testatur ipse Eusebius, qui omnium optimè rem novit, Hist. Eccles. lib. 6. c. 33. ὅσα γ', inquit, ἀναγκαῖα τ' περὶ αὐτὸν διαγνῶναι ἦν, ταῦτα κ' ἐκ τ' λόγε αὐτῷ πεποιημένης ἡμῖν τε κ' τῷ καθ' ἡμᾶς ἱερῷ μάρτυρι Παμφίλῳ ἀπολογίας, πάρεσιν ἀναλέξασθ· ἣν τ' φιλαιτίων ἕνεκα συμποιήσαντες ἀλλήλοις, διὰ πολλῆς πεποιήμεθα· i. e. "Quæ-"cunque verò de illo (*Origene*) necessariò "cognoscenda sunt, ea petere licet ex Apo-"logia, quam pro eo ego & sanctus nostri "temporis Martyr Pamphilus conscripsi-"mus: quam quidem nos propter malevo-"los quosdam accusatores, communi studio "atque operâ junctim elaboravimus." Eusebii locum explicat Photius Cod. 118. his verbis: ἀνεγνώσθη Παμφίλε τ μάρτυρ, Ε Ευσεβίε ὑπὲρ Ωριγένες· τόμοι ε τὸ βιβλίον ἐξ. ὧν οἱ μὲν πέντε Παμφίλῳ τὸ δεσμωτηρίον οἰκοῦντι, συμπαρόντ Ε Ευσεβίε, ἐξεπονήθησαν· ὁ δ' ἕκτ, ἐπεὶ ὁ μάρτυς ξίφει τ ζῆν ἀπαχθεὶς, ἀνέλυσε πρὸς ὃν ἐπόθει Θεὸν, Ευσεβίῳ λοιπὸν ἀπαρτίζεται· i. e. "Lectus est liber "Pamphili Martyris & Eusebii pro Ori-"gene, sex Tomis constans. Quorum quin-"que à Pamphilo in carcere detento, præ-"sente etiam Eusebio, elaborati sunt; sex-"tus autem, postquam gladiô Martyr vitâ "privatus, migravit ad Deum quem concu-"piscebat, ab Eusebio est absolutus." Mirum verò est, quod Hieronymus, loco superiùs citato, hôc præcipuè argumentô probare nitatur, Apologiam illam non esse Pamphili, quòd *Eusebius scribat Pamphilum nihil proprii operis edidisse.* Scilicet hîc Eusebium cum Eusebio committit. Nam idem Eusebius, ut vidimus, disertè testatur, Pamphilum isti defensioni operam suam navâsse. Sed nodum hunc, si voluisset, perquam facilè solvere potuisset Hieronymus. Quippe proprium Pamphili opus Apologeticus ille dici non debuit, quem alterius, nempe Eusebii, operâ adjutus elaboravit. De fide versionis Apologiæ Pamphili Ruffinianæ, diximus suprà quæ sufficiant. Jam ex illa Apologia abunde liquet, orthodoxam fuisse de Christi Divinitate Pamphili opinionem. Dum enim eo in opere Catholicum fuisse Origenem inde probare nititur Vir sanctus, quòd in Scriptis ille suis docuerit, "eandem esse "inconvertibilitatem Spiritûs sancti, quæ "& Patris & Filii; æqualem esse Trinita-"tem, & Spiritum sanctum non esse crea-"turam; sicut Pater novit initia omnium "quæ sunt, & fines, sic & Filium, sic & "Spiritum sanctum scire; ὁμοούσιον esse cum "Patre Filium, id est, unius substantiæ:" dum, inquam, in his capitibus orthodoxum fuisse Origenem conatur ostendere, apertissimè declarat, se easdem propositiones pro veris & Catholicis habuisse. Adhæc ὀρθοδοξίας Pamphili super hac quæstione haud contemnendum est argumentum, quòd à S. Pierio Theologiam ille suam edoctus fuerit: quem Pierium de Patre & Filio piè omnino credidisse, ipse Photius, ut vidimus, fatetur. Itaque inverecundus Sophista Sandius * beatissimum hunc Martyrem inter hæresis, quæ Ariana postea dicta fuit, fautores & astipulatores immeritissimò recensuit.

§. 4. S. Pamphilo adjungendus est S. Lucianus, Antiochenæ Ecclesiæ Presbyter, Vir disertissimus, qui tantum in Scripturarum studio laboravit, ut etiam Hieronymi ætate (ipso teste †) quædam exemplaria Scripturarum Lucianæa nuncuparentur. Scripsit de Fide libellos, & breves ad nonnullos Epistolas; quæ omnia interciderunt. Passus est Nicomediæ ob defensionem Christi, sub persecutione Maximini, sepultusque Helenopoli Bithyniæ. Et huic beatissimo Viro Petavius || ἑτεροδοξίας in articulo de Filii Divinitate notam inussit: quem secutus Sandius, (*) multùm de Luciano, tanquam Arianorum Patrono, gloriatur. Imò ipse etiam Huetius, à Petavio, ut videtur, deceptus, hunc Martyrem inter eos recenset, qui falsa & absurda de Trinitate commenti sunt, Origenian. l. 2. cap. 3. §. 6. Sed expendamus p. 187. argumenta quibus hæc eorum censura nititur. Primò dicunt, Arianos se *Lucianistas* vocitâsse, nempe ob suum fidei consensum cum Luciano Martyre. Fateor. Sed quis cordatus fidem habebit mendacissimo isti hominum generi? Perinde gloriabantur etiam de Origene & Dionysio Alexandrino, tanquam sui ὁμοψύχοις. Verùm quàm prorsus inanis & inverecunda fuerit hæc ipsorum jactantia, in superioribus abunde, nî fallor, ostendimus. Ad Lucianum Martyrem verò quod attinet, notatu digna sunt, quæ de Conci-

* Enucl. Hist. Eccles. l. 1. p. 126.
† Hieron. Catal. Script. Eccles. c. 88.
|| Petav. de Trin. l. 1. c. 4. n. 13.
(*) Sand. Enucl. Hist. Eccl. l. 1. p. 127.

Concilio, literis Conſtantii Imperatoris Antiochiam convocatô ad Encænia, refert Sozomenus Hiſt. Eccl. l. 3. c. 5. * Ejus Synodi Epiſcopi (quorum pars maxima vel planè Ariana fuit, vel Ario certè nimiùm favebat) primùm edidere fidei Confeſſionem, à Nicæna fide longè diverſam. Cum verò in ea formula jejunè nimis viſi eſſent de Filii Divinitate egiſſe, aliam evulgârunt pleniorem, idque hâc occaſione arreptâ. Cum paulò ampliùs Antiochiæ commorati eſſent, repererunt fidei formulam à Luciano Martyre conſcriptam: quam, quòd in ipſa vox ὁμοούσιος non inveniretur, & verba ejus nonnulla hæreſi ipſorum favere viderentur, avidè amplexi ſunt, atque ut ſuæ fidei explicationem ediderunt: quò ſcilicet imperitis perſuaderent, ſe πολυθρυλλήτου Luciani Martyris fidem tenuiſſe. Sic enim ſcribit Sozomenus loco citato: ἔλεγον δὲ ταύτην τὴν πίστιν ὁλόγραφον εὑρηκέναι Λουκιανοῦ, τοῦ ἐν Νικομηδείᾳ μαρτυρήσαντος. i. e. "Aiebant autem reperiiſſe ſe hanc "fidem totam ſcriptam manu ipſius Luciani, "ejus qui Nicomediæ Martyrium perpeſſus "eſt."

§. 5. Formulæ illius, prout ab Athanaſio, † Socrate || & aliis recitatur, in gratiam Lectoris, cui ipſi Auctores præſto non ſint, quæcunque Trinitatem ſpectant, hîc deſcribere non gravabor. Itaque Symbolum Lucianæum, ab Arianis tantopere venditatum, hæc de SS. Trinitate profitetur: Πιστεύομεν ἀκολούθως τῇ εὐαγγελικῇ καὶ ἀποστολικῇ παραδόσει, εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, τὸν τῶν ὅλων δημιουργόν τε καὶ ποιητήν· καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ, Θεὸν, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο· τὸν γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ἐκ τοῦ πατρὸς, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, ὅλον ἐξ ὅλου, μόνον ἐκ μόνου, τέλειον ἐκ τελείου, βασιλέα ἐκ βασιλέως, Κύριον ἀπὸ Κυρίου· λόγον ζῶντα, σοφίαν, ζωὴν, φῶς ἀληθινὸν, ὁδὸν ἀληθείας, ἀνάστασιν, ποιμένα, θύραν· ἄτρεπτόν τε καὶ ἀναλλοίωτον· τὸν τῆς θεότητος, οὐσίας τε καὶ δυνάμεως, καὶ βουλῆς, καὶ δόξης τοῦ πατρὸς ἀπαράλλακτον εἰκόνα· τὸν πρωτότοκον πάσης κτίσεως· τὸν ὄντα ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεὸν, λόγον Θεοῦ, κατὰ τὸ εἰρημένον ἐν τῷ εὐαγγελίῳ· Καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος· δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, καὶ ἐν ᾧ τὰ πάντα συνέστηκε· τὸν ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν κατελθόντα ἄνωθεν, καὶ γεννηθέντα ἐκ παρθένου κατὰ τὰς γραφάς. —— καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τὸ εἰς παράκλησιν καὶ ἁγιασμὸν, καὶ εἰς τελείωσιν τοῖς πιστεύσι δεδομένον· καθὼς καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς διετάξατο τοῖς μαθηταῖς, λέγων· πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος. δῆλον ὅτι πατρὸς ἀληθινῶς ὄντος πατρὸς, καὶ υἱοῦ ἀληθινῶς υἱοῦ ὄντος, καὶ πνεύματος ἁγίου ἀληθῶς ὄντος πνεύματος ἁγίου· τῶν ὀνομάτων οὐχ ἁπλῶς, οὐδὲ ἀργῶν κειμένων, ἀλλὰ σημαινόντων ἀκριβῶς τὴν ἰδίαν ἑκάστου τῶν ὀνομαζομένων ὑπόστασίν τε καὶ δόξαν, καὶ τάξιν· ὡς εἶναι τῇ μὲν ὑποστάσει τρία, τῇ δὲ συμφωνίᾳ ἕν. i. e. "Credimus juxta "Evangelicam & Apoſtolicam traditionem, "in unum Deum Patrem omnipotentem, "omnium rerum opificem & fabricatorem: "& in unum Dominum Jeſum Chriſtum, "filium ejus unigenitum, Deum, per quem "omnia facta ſunt; genitum ex Patre ante "omnia ſecula, Deum ex Deo, totum ex to"to, ſolum ex ſolo, perfectum ex perfecto, "Regem ex Rege, Dominum ex Domino: "verbum vivum, ſapientiam, vitam, lucem "veram, viam veritatis, reſurrectionem, pa"ſtorem, januam: nec mutationi obnoxium, "nec converſioni: paternæ divinitatis, ſub"ſtantiæ, poteſtatis, conſilii, & gloriæ ex"preſſam undequaque imaginem: primoge"nitum omnis creaturæ; qui erat in prin"cipio apud Deum, Deus Verbum, ſicut di"citur in Evangelio: *Et Deus erat Verbum*; "per quem omnia facta ſunt, & in quo o"mnia ſubſiſtunt: qui noviſſimis tempori"bus deſcendit è cœlo, & natus eſt ex Vir"gine ſecundum Scripturas. ——Et in Spi"ritum ſanctum, qui credentibus donatur ad "conſolationem, & ſanctificationem, & ad "conſummationem; ſicut & Dominus noſter "Jeſus Chriſtus præcepit diſcipulis, dicens: "*Ite & docete omnes gentes, baptizantes cun*"*ctos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus* "*ſancti.* Patris, inquam, verè Patris; & Filii "verè Filii; & Spiritus ſancti revera Spiritus "ſancti: ita ut hæc vocabula non ſint nuda "ſine re vocabula; ſed quæ accuratè expri"mant propriam uniuſcujuſq; perſonam, ordi"nem, ac gloriam: adeo ut perſonis quidem "tres ſint; conſenſu autem unum.

§. 6. Verè fuiſſe Luciani hoc Symbolum, non ab Arianis ipſi affictum, multa evincunt. Primò Epiſcopi illi imprudenter admodum, adeoque impudenter, formulam aliquam fidei ſub Luciani nomine, quæ ipſius revera non fuiſſet, Antiochiæ edidiſſent; ubi & ſancti Martyris memoria meritò ſacra, & Scripta

* Vide & Niceph. Hiſt. Eccleſ. l. 9. c. 5.
† Athanaſ. lib. de Synod. Arim. & Seleuc. Tom. 1. p. 892.
|| Socrat. Hiſt. Eccleſ l. 2. c. 10.

ejus religiosissimè custodita fuerunt : ut facillimè ab omnibus fraus deprehendi potuisset. Deinde, ut semel illis tutò mentiri licuisset, fieri tamen certè non potuit, ut impostura diutiùs lateret. At Symbolum istud, ut indubiè Luciani Martyris, venditârunt etiam Ariani, idque summa cum fiducia, multis pòst annis, nempe cum, Valentinianô & Valente imperantibus, Synodus congreganda esset in urbe Tarso Ciliciæ, referente Sozomeno Hist. Eccl. l. 6. c. 12. Tum enim, inquit ibidem Sozomenus, συνελθόντες ἐν Καισαρείᾳ τῆς Ασίας ἀμφὶ τριάκοντα τίνες τῶν Ασιανῶν ἐπισκόπων, τὸ μὲν ἐπὶ τῇ ὁμοουσίᾳ τῶν ἐκκλησιῶν σφόδρα ἐπήνεσαν· παρῃτοῦντο δὲ τὸ τῆς ὁμοουσίου ὄνομα· ἢ τὸν ἐν Αντιοχείᾳ καὶ Σελευκείᾳ ἐκτεθεῖσαν πίστιν χρῆναι κρατεῖν ἰσχυρίζοντο, ὡς καὶ Λουκιανὸν τὸν μάρτυρα ἔσαν, καὶ μετὰ πολλῶν ἱδρώτων καὶ πόνων τὰ περὶ αὐτῶν δοκιμασθεῖσαν· i. e. " Quatuor circiter ac " triginta Asiani Episcopi in Caria Asiæ pro" vincia collecti, studium quidem in resti" tuenda Ecclesiarum concordia positum ma" gnopere laudârunt : Consubstantialis au" tem vocabulum admittere recusabant ; af" firmantes fidem quæ Antiochiæ & Seleu" ciæ promulgata fuerat, ratam esse opor" tere, quippe quæ & Luciani Martyris fi" des esset, & non sine multis periculis ac " laboribus ab ipsorum antecessoribus fuis" set comprobata." Porro si hoc Symbolum consarcinâssent ipsi Ariani, certè illud suis placitis aptiùs conformâssent ; saltem ea non inseruissent, quæ ipsorum hæresin planè jugularent : cujusmodi nonnulla in eo reperiuntur, uti mox ostendemus. Denique hæc fidei Confessio præcipuè dirigitur adversus hæresin Sabellianam, ut ex iis, quæ sub finem continet, manifestissimum est.* Nam post explicatam fusiùs de SS. Trinitate fidem, demum concluditur Symbolum hôc quasi epilogô, summam & scopum totius præcedentis sermonis explicante : " Patris, inquam, " verè Patris ; *& Filii verè Filii* ; & Spiritus " sancti revera Spiritus sancti : ita ut hæc " vocabula non sint nuda & sine re vocabu" la ; sed quæ accuratè exprimant propriam " uniuscujusque personam, ordinem, ac glo" riam : adeo ut personis quidem tres sint ; " consensu autem unum." Quid autem ista attinebant ad Arianam controversiam, quæ in Concilio illo Antiocheno agitabatur ? At Luciani ætate dogma Sabellii maximè viguit, ejusdemq; fertur ipse Lucianus acerrimus fuisse impugnator. His mantissæ loco addam observationem Philostorgii Hist. Eccl. lib. 2. c. 15. ubi de Luciani Martyris discipulis agens, qui magistri sui doctrinam haud illibatam servârunt, scribit : οἳ τὸ Ασέμιον παρατρέψαι τὸ ῥῆμα, ἀνόμοιόν φασιν εἶναι τὸν υἱὸν τῷ πατρὶ κατ' οὐσίαν εἶναι τὸν υἱόν, ἐν τοῖς αὐτῶν λόγοις ἐγγράμμασι διαμαρτυρόμενον. Atqui illud Asterius ex Luciani Symbolo totidem verbis mutuatus est, ut ex collatione apparebit.

§. 7. Jam si hoc Symbolum revera Luciani sit, certè Catholicus omnino fuit in articulo de Filii Divinitate Lucianus. Quippe hæc Confessio, demptô quòd in ipsa desideretur vox ὁμοούσιος, cætera cum Nicæna fide planè consentit, ut rectè observavit Sozomenus locô suprà citatô. Quare, si rem ipsam spectemus, sepositâ λογομαχίᾳ, perinde potuerunt & pari jure Ariani se Nicænæ fidei assertores dicere, ac Lucianistas sese appellaverunt. Imò penè ausim affirmare, absolutam Filii Divinitatem aliquatenus in Lucianæo Symbolo efficaciùs & significantiùs exprimi, quàm in ipso Nicæno. Quippe verba illa, *Deum ex Deo, totum ex toto, perfectum ex perfecto*, quæ Confessionis Lucianææ sunt, perfectam Filii Divinitatem, & æqualem paternæ naturam disertiùs enuntiant, quàm ista Nicæni Symboli : *Deum ex Deo, lumen de lumine, verum Deum ex vero Deo.* Quæ verò in Luciani Symbolo Arianis nonnihil favere videantur, ea planè Catholicè dicta fuisse, egregiè demonstrat Hilarius in libro de Synodis adversus Arianos. Verba Hilarii hæc p. 228. sunt : " Volens igitur congregata sanctorum " Synodus (*scilicet tam Catholicum Hilario* " *visum est hoc Symbolum, ut à viris Catholi*" *cis Antiochiæ congregatis profectum illud* " *crediderit*) impietatem eam perimere, quæ " veritatem Patris & Filii & Spiritus sancti, " nominum numerô eluderet, ut non subsi" stente causa uniuscujusq; nominis, triplex " nuncupatio obtineret sub falsitate nomi" num unionem, ut Pater solus atque unus " idem, atque haberet & Spiritus sancti no" men & Filii ; idcirco tres substantias esse " dixerunt, subsistentium personas per sub" stantias edocentes, non substantiam Patris " & Filii & Spiritus sancti diversitate simi" lis essentiæ separantes. Quod autem dictum " est, ut sint quidem per substantiam tria, per " consonantiam verò unum, non habet calu" mniam : quia cognominato Spiritu, id est " Paracleto, consonantiæ potiùs quàm essen" tiæ per similitudinem substantiæ prædicari " convenit unitatem. Cæterum omnis supe" rior sermo in nullo Patrem & Filium es" sentiæ

* Quod etiam Hilario observatum mox videbis n. 7.

" ſentiæ ac naturæ diverſitate diſcernit. Ubi " enim dicitur, Deum ex Deo, totum ex toto; " non ambigitur totum Deum ex toto Deo " natum. Nam & Dei de Deo natura non " differt: & totus ex toto in iis ipſe eſt, in " quibus Pater eſt. Unus ex uno, paſſiones " humani partus & conceptionis excludit: " ut dum unus ex uno eſt, non aliunde, nec " diverſus, aut aliud ſit qui eſt unus ex uno. " Perfectus à perfecto: non differt præter " originis cauſam ab innaſcibilitate nativitas, " cum perfectio utriuſque non differat. Rex " de Rege: non admittit uno atque eodem " nomine poteſtas connuncupata diſſimilitu- " dinem poteſtatis. Dominus de Domino: " Dominatus quoq; exæquatur in Domino; " nec recipit differentiam confeſſa in utroq; " ſine diverſitate dominatio. Illud verò quod " poſt multa alia ſubjectum eſt, inconverti- " bilem & immutabilem Divinitatis & eſ- " ſentiæ & virtutis & gloriæ imaginem, ab- " ſolutum eſt. Nam ex Deo Deus, ex toto " totus, ex uno unus, & ex perfecto perfe- " ctus, & ex Rege Rex, & ex Domino Do- " minus, cum in ea omni Divinitatis gloria " atque natura, in qua permanet Pater, na- " tus quoque ſubſiſtat & Filius, etiam hoc " ex paterna ſubſtantia habet, ne demutabi- " lis fiat. Non enim in eo naſcente ea, de qua " eſt natus, demutata natura eſt; ſed indemu- " tabilem eſſentiam natus obtinuit, ex inde- " mutabilis auctoritate naturæ. Nam quam- " vis imago eſt, tamen incommutabilis eſt " imago: non commutatâ in eo ſcilicet per " diſſimilitudinem paternæ eſſentiæ, ex qua " eſt genitus, naturâ, quia in eo imago pa- " ternæ eſſentiæ naſceretur. Jam verò cum " primus editus eſſet totius creaturæ, doce- " tur & ipſe ille ſemper fuiſſe in principio " apud Deum. Verbum Deus dicitur, dum " primus editur. Natus fuiſſe oſtenditur, " dum ſemper fuit, nec tempore ſeparatur " à Patre. Non ergo videri poteſt diviſio " ſubſtantiarum, quæ nihil aliud ſtuduit, " quàm ut per trium ſubſiſtentium nomen, " triplicis vocabuli excluderet unionem, ad " ſeparationem diverſæ in Filio & in Patre " ſubſtantiæ introducta: cum totius fidei " expoſitio Patrem & Filium, innaſcibilem " & unigenitum, nec tempore, nec nomine, " nec eſſentiâ, nec dignitate, nec dominatio- " ne diſcernat." Itaque argumentum prius, quô probare anniſi ſunt nonnulli, Lucianum Martyrem Arianæ hæreſi faviſſe, nempe à jactantia Arianorum de ſuo cum Luciano conſenſu ductum, plenè refutavimus.

§. 8. Sed maximè nituntur Viri docti Alexandri, Alexandrinæ Eccleſiæ Præſulis, teſtimoniô, qui in Epiſtola ad cognominem ſuum, Alexandrum Conſtantinopolitanum, poſtquam Pauli Samoſateni mentionem feciſſet, mox hæc ſubjungit: ὃν διαδεξάμενος Λουκιανὸς, ἀποσυναγωγὴ ἔμεινε τριῶν ἐπισκόπων πολυετεῖς χρόνους· i. e. *Cui ſuccedens* (in errore ſcilicet) *Lucianus, pluribus annis à communione trium Epiſcoporum ſegregatus manſit.* Verùm reſpondeo, Alexandrum aut de alio Luciano ibi loqui; (quod vel ideo ſane veriſimile eſt, quia Lucianum ſuum Martyrem non nominat;) aut planè deceptum fuiſſe. Nam Lucianum Martyrem Pauli Samoſateni blaſphemiam amplexum fuiſſe, ac propterea ſub tribus Epiſcopis ſucceſſivè extra communionem Eccleſiæ manſiſſe (quod de ſuo Luciano teſtatur Alexander,) fidei Hiſtoriæ omnis Eccleſiaſticæ repugnat. Certè Euſebius, qui Luciani Martyris ætate vixit, longè alia de ipſo narrat Hiſt. Eccl. lib. 8. cap. 19. τῶν δ' ἐπ' Ἀντιοχείας, inquit, μαρτύρων τὰ πάντα βίον ἄριστα πρεσβύτερος δ αὐτόθι παροικίας Λουκιανός. ἐν τῇ Νικομηδείᾳ ἤδη αὐτὸς, βασιλέως ἐπιπαρόντος, τὸ θεῖον τοῦ Χριστοῦ βασιλείαν λόγῳ πρότερον δι' ἀπολογίας, εἶτα δὴ καὶ ἔργοις ἀνεκήρυξας· i. e. " Ex Antiochenis verò " Martyribus, per omnem vitam optimus e- " juſdem Eccleſiæ Presbyter Lucianus. Qui " Nicomediæ cœleſte Chriſti Regnum pri- " mùm verbis & oratione Apologetica, præ- " ſente ipſo Imperatore; poſtea verò etiam " rebus aſſeruit." Quomodo illum per omnem vitam optimum Presbyterum dixit Euſebius, qui per multos annos, hoc eſt ſub tribus Epiſcopis ſucceſſivè, (ut loquuntur,) ob hæreſin Samoſateni aſſertam, extra communionem Eccleſiæ manſerit. Meminit Euſebius Theodoti Coriarii, ob eandem hæreſin à Victore excommunicati, Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 28. Meminit Natalis Confeſſoris, à Theodoto ſeducti, ac propterea ex Eccleſiæ communione ejecti, ibidem. Denique fusè narrat hiſtoriam Pauli Samoſateni in hæreſin lapſi, atque ea de cauſa à Synodo Antiochena anathemate percuſſi, lib. 7. cap. 27. & ſeqq. Quis igitur credat, ſi Lucianus Martyr ſub tribus Epiſcopis in hæreſi Samoſateniana extra communionem Eccleſiæ Catholicæ manſiſſet, Euſebium de re notabili, ſua ætate actâ ſilere, nedum ipſum Lucianum, tanquam per omnem vitam optimum Presbyterum, quique Chriſti Regnum tam verbis quàm factis plurimùm adjuverit, commendare voluiſſe? Præterea Hieronymus in Catalogo, ut vidimus, Lucianum Martyrem non modò ob vitæ ſanctimoniam, ſed ob doctrinam etiam & S. literarum peritiam mirificè laudat: & librorum ejus de Fide mentionem faciens, nihil in iis à fide Catholica alienum notat. Quin & in

Apud Theodorit. H. E. lib. 1. c. 4.

in præfatione in Paralipom. refert, suo tempore apud Catholicos à Constantinopoli usq; Antiochiam versionem Scripturarum Lucianæam receptam atq; approbatam fuisse. Porro Sozomenus H. E. l. 3. c. 5. Lucianum dicit, ἄνδρα τά τε ἄλλα ἐυδοκιμώτατον, καὶ τὰς ἱερὰς γραφὰς εἰς ἄκρον ἠκριβωκότα· i. e. *Virum tum in cæteris probatissimum, tum maximè in S. literis summè eruditum.* Palam est igitur, neq; Eusebium, neq; Hieronymum, neq; Sozomenum de Luciani Martyris hæresi aliquâ vel schismate quicquam unquam inaudivisse. Itaque ut non obstinatè nimis negaverim, Luciano Martyri in concertatione cum Sabellianis idem evenire potuisse, quod Dionysio Alexandrino accidit; ut scilicet, quòd ex iis quæ Christo homini conveniunt, probare annisus sit, illum non esse ipsum Patrem, à Sabellianis accusaretur coram Ecclesiæ præsulibus, quasi qui veram Christi Divinitatem negaret: tamen beatissimum Virum Pauli Samosateni aut Arii blasphemias revera amplexum fuisse, proptereaque ab Ecclesiæ Catholicæ communione sub tribus Episcopis suis successivè se abjunxisse, (quod de suo Luciano refert Alexander) haud facilè adducar ut credam. Huic enim commento reclamat, ut dixi, Historia omnis Ecclesiastica, & fidei Confessio, quam ipsi Ariani Luciano tribuerunt. Verumtamen illud demum ex abundanti addam, si demus Alexandrum ista de Luciano Martyre & quidem verè scripsisse, parum illud Arianorum causam juvare. Nam Samosatenianam blasphemiam amplexum fuisse Lucianum suum, testatur Alexander, quam ipsi Ariani damnant. Quod si dicant, in eo uno falsum fuisse Alexandrum, quòd Pauli Samosateni & Luciani, ut & Arii doctrinam eandem esse censuerit; ne sic quidem quicquam proficient. Tum enim pro uno Luciano sibi astipulante, Ecclesiam Catholicam Luciani ætate ipsorum hæresi adversantem habituri sunt. Nam doctrina illius Luciani (quisquis ipse fuerit, & quæcunque ipsius sententia) adeo Catholicæ contraria erat, ut nequiverit ille, teste Alexandro, & suam hæresin & Ecclesiæ communionem simul retinere. Ac de Luciano Martyre hactenus.

§. 9. Claudam hoc caput brevi examinatione doctrinæ & fidei sancti Methodii. S. Methodius, referente Hieronymo, primùm Olympi Lyciæ, & postea Tyri Episcopus, nitidi compositique sermonis Scriptis adversus Porphyrium & Origenem, aliisque multis elucubrationibus clarus, ad extremum novissimæ persecutionis, sub Diocletiano & Maximiano, in Chalcide civitate Græciæ Martyriô coronatus est. Ex multis, quæ scripsit, solum fere Symposion ad manus nostras integrum devenit; si modò integrum: nam & opus illud ab Hæreticis interpolatum ac depravatum, infrà ostendemus. Fragmenta & Excerpta ejus plurima legimus apud Photium, & alios Auctores; ex quibus præcipuè ipsius de Filio Dei sententiam ac fidem colligemus. In libro de Martyribus apud Theodoretum Christum nominat *Dominum & Filium Dei, qui non rapinam arbitratus est, esse æqualem Deo.* Quæ, Petavio etiam judice, non nisi in Deum verum cadere possunt. Idem in libro περὶ τῶν ὑλῶν (apud Photium Cod. 235.) ad verba S. Joannis cap. 1. *In principio erat Verbum, &c.* hæc annotat: τὸ μὲν γὰρ ἀρχὴν, ἀφ' ἧς ἀνεβλάστησεν ὁ ὀρθότατος λόγος, τὸν πατέρα καὶ ποιητὴν τῶν ὅλων φατέον, ἐν ᾧ ἦν. τὸ δὲ, ἔστιν ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεὸν, τὸ ἐξουσιαστικὸν τοῦ λόγου, ὃ εἶχε καὶ πρὸ τῆς παλιγγενεσίας. καὶ πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἰς γένησιν παρελθεῖν, ἔοικε σημαίνειν, τὴν ἐξουσίαν ἀρχὴν εἰπών. " Principium " enim, à quo germinavit verissimum Verbum, dicendum est, esse Patrem universi " conditorem, in quo erat. Illud autem, *Hoc* " *erat in principio apud Deum*, potestatem " sive dominationem Verbi, quam habuit a- " pud Patrem etiam antequam mundus crearetur, significare videtur, cum potestatem " Principium appellet. " Quibus in verbis dum ait, Verbum ex ipso Deo Patre, tanquam ex radice sua, progerminâsse, in ipso esse & fuisse, apud ipsum τὸ ἐξουσιαστικὸν, *potestatem*, auctoritatem, sive dominationem habuisse, antequam res creatæ existerent; omnino Verbi τὸ ὁμοούσιον declarat, & Verbum illud è censu rerum ex nihilo creatarum & in servili conditione positarum eximit. Sed & notandum, hôc in libro Methodium ex professo impugnare Origeni attributum errorem, quô res creatas ab æterno cum Deo extitisse hac ratione probâsse dicebatur, quòd alioqui Deus ab æterno Dominus non fuisset; cum scilicet nihil ab æterno existeret, in quod dominatum exercere posset. Adversus hoc commentum egregiè ostendit Methodius, Deo Patri & Filio τὸ ἐξουσιαστικὸν competiisse, etiam antequam quicquam ex rebus creatis existeret; siquidem ab æterno Deus Pater cum Verbo suo, omnipotenti virtute polleret, quâ, quando voluerit, creaturas producere posset, quibus dominaretur: interea verò Deo nihil defuisse; quippe qui ab æterno perfectissimè beatus fuerit, neque quicquam ex rebus postea creandis ad consummandam suam fælicitatem desideraverit. Idem Methodius in Symposio (apud Photium Cod. 237.) Christum dicit Filium Dei εἶναι, καὶ γεγονέναι, *esse, non fieri:* hoc est, naturâ, non per creationem

Dial. 1. pag. 37.

Petavius Præfat. in Tom. 2. c. 4. n. 5.

Phot. Biblioth. p. 939.

Catalog. Scriptor. Eccl. c. 94

p. 959.

nem, ſive adoptionis jure, Filium Dei eſſe. Sed & ibidem ait, Filium Dei exiſtentiæ ſuæ neq; initium habuiſſe, nec finem habiturum; ſed εἶναι ἀεὶ τ' αὐτὸν, *eundem ſemper eſſe.* Quod ſane ſoli vero Deo competit, ſaltem ex Methodii ſententia, qui in citato libro περὶ γενητῶν, contra Origenem, ſeu potiùs Origenis interpolatorem, æternitatem mundi aſſerentem, multis argumentis contendit, quicquid omni nitio caret, ἀγένητον increatum eſſe, nihilque æternum eſſe præter Deum *. Integrum Methodii locum recitabimus Sect. 3. de Filii τῷ συναϊδίῳ c. 4 n. 7.

† De Trin. l.1. c.4. n.12. || p. 938.

§. 10. His tam diſertis opponit Petavius † unam Methodii ſententiam, quam ex libro περὶ δῶν γενητῶν recitat Photius Cod. 235. || his verbis conceptam: δύο ἢ δυνάμεις ἐν τοῖς προωμολογημένοις ἔφαμεν εἶναι ποιητικάς· τ' μὲν ἐξ ὄντων γυμνῷ τῷ βουλήματι χωρὶς μελλησμοῦ, ἅμα τῷ θελῆσαι, αὐτουργοῦσαν ὃ βούλεται ποιεῖν· τυγχάνει ἢ ὁ πατήρ· θατέραν κατακοσμοῦσαν καὶ ποικίλλουσαν κατὰ μίμησιν τ' προτέρας τὰ ἤδη γεγονότα· ἔστι ἢ ὁ υἱὸς, ἡ παντοδύναμος καὶ κεφαλαιώδης χεὶρ τοῦ παιδὸς, ἐν ᾗ μετὰ τοῦ ποιῆσαι τ' ὕλην ἐξ οὐκ ὄντων κατακοσμεῖ· i. e. "Duas in ſupradictis affirmabamus eſſe potentias effectrices: unam, quæ ex non extantibus, nuda voluntate, ſine cunctatione, ſimul ac voluit, à ſeipſo molitur, quicquid vult facere; eaq; eſt Pater: alteram, quæ componit, & varietate quadam exornat, ad prioris imitationem, quæ jam facta ſunt; & eſt Filius, omnipotens ac fortis manus Patris, in qua poſtquam fecit materiam ex non extantibus, exornat." Tria hîc reprehendit Petavius, tanquam à Catholicæ fidei regulâ diſſona: primò quòd Methodius δυνάμεις duas appellet Patrem & Filium; tum quòd alteram virtutem, id eſt Patrem, αὐτουργεῖν, à ſe moliri & creare, Filium verò à Patre, atque ad ipſius imitationem, operari dicat; denique quòd Patri rerum ex nihilo creationem attribuat, velut exclusô Filiô, cui tantùm rerum jam creatarum exornationem concedit. Sed hæc omnia Catholicum ſenſum facilè admittunt, adeoque poſtulant: unde neque ipſe Photius quicquam in verbis iſtis culpavit. Ad primum quod attinet, potiori jure Pater & Filius δύο δυνάμεις à Methodio dicuntur, quàm δύο φύσεις ſive ἐσίαι ab aliis Patribus appellantur, qui pro Catholicis tamen & orthodoxis in hoc articulo habiti ſunt. Scilicet hæ voces omnino perſonaliter, ut dici ſolet, accipiuntur, ut ſuprà oſtendimus. Ad ſecundum, Patrem ſolum αὐτουργεῖν, hoc eſt, à ſeipſo operari, quis Catholicus negaverit? Quippe Patris hoc proprium eſt, ut à ſeipſo exiſtat & operetur; Filius verò & eſſe, & operari, ut loquuntur, ſuum Patri tanquam auctori acceptum refert. Quô reſpectu etiam Filius dicitur quaſi ex imitatione Patris opera ſua facere. Vide Joan. 5. v. 19. & Maldonatum in locum. Senſum Methodii aliorumque Patrum, ut & S. Scripturæ, optimè expreſſit Gregorius Nazianzenus Orat. 36. Tom. 1. pag. 584. his verbis: δῆλον ὅτι τ' αὐτῶν πραγμάτων ἰδὼς τύπους ἐνσημαίνεσθαι μὲν ὁ πατὴρ, ἐπιτελεῖ ἢ ὁ λόγος, οὐ δουλικῶς, οὐδ' ἀμαθῶς, ἀλλ' ἐπιστημονικῶς τε καὶ δεσποτικῶς, καὶ οἰκειότερόν γε εἰπεῖν, πατρικῶς. i. e. "Manifeſtum eſt quòd rerum "earundem formas (in ipſo) imprimit Pa- "ter: exequitur autem Verbum, non ſervi- "liter, nec imperitè, ſed ſcienter & heriliter, &, ut aptiùs loquar, paternè." Plura hac de re ibidem legas notatu digna. Nazianzeni verò dictum ipſe Petavius alicubi approbat, ad idem hæc porro annotans: "Unde "conſtat, Patrem indicare Filio, vel eum "docere quid faciendum ſit, & quaſi mon- "ſtrando præire, nihil aliud eſſe, niſi eidem, "unà cum natura & eſſentia, rerum faciendarum intelligentiam, & earum formas at- "que ideas communicare gignendo." Deniq; ad id quod poſtremô in loco reprehenditur, nempe quòd Patri rerum ex nihilo creationem attribuat Methodius, quaſi exclusô Filiô; non difficilis eſt reſponſio. Scilicet non magis à creatione rerum Filium excludit, quàm à rerum jam creatarum exornatione Patrem. Imò in poſtremis verbis loci allati non obſcurè dicit, Patrem per Filium, ſive in Filio, & materiam creâſſe, & ipſam exornâſſe. Præterea quomodo cenſendus eſt Methodius dixiſſe, Patrem ſine Filio res ex nihilo creâſſe, eo ipſo in loco, ubi Filium expreſsè vocat omnipotentem Patris manum? An quicquam Pater fecit aut creavit abſque omnipotenti ſua manu? Quid igitur? Omnino hîc repetenda ſunt, quæ ſuprà ad ſimilem Origenis locum illuſtrandum ex Huetio adduximus. Eorum ſumma hæc eſt: Quamvis una eademque ſint S. Trinitatis extranea opera, quædam tamen tum in S. literis, tum in Veterum Scriptis, Patri aſſignari ſolent, alia Filio, alia Spiritui ſancto. Sic à Methodio hîc Patri præcipuè attribuitur creatio rerum, tanquam Divinitatis fonti: Filio verò aſcribitur rerum jam creatarum ſapiens ordi-

De Trin. l. 2. c. 4. §. 6.

Vid. hujus Sect. c. 10. n. 9.

* πῶς δὴ ἔν, ὦ ἠλίθιοι, εἴπερ τὴν κλίσιν, συναπέραντον ἦσαν τῷ δημιουργῷ, μὴ δεῖσθαι τοῦ δημιουργοῦ; τὸ γὰρ συναπέραντον, μηδαμῶς ἀρχὴν γενέσεως ἔχον, καὶ συναγέννητον, καὶ ἰσοδύναμον ἀνάγκη τυγχάνειν. Methodius apud Phot. Cod. 235. p. 938.

natio, dispositio, & exornatio; quippe qui ratio, consilium, & sapientia Patris dici soleat. Hæc quidem quâ ratione dicta sint, plenè assequi haud possumus: sed stultum prorsus & temerarium est, ea in his mysteriis mox rejicere, quæ nos homunciones satis explicare nequeamus. Methodium verò nunquam somniâsse, rerum creationem Patri ita attribuendam, ut Filius excludatur, certum est. Nam ex hoc ipso libro περὶ τῶ γνησίων
p. 963. locum Methodii citat Photius in eodem Codice 235. idque mox post verba, quæ vellicat Petavius, in quo rerum creatio Filio etiam disertè ascribitur. Nam ad verba illa Geneseos, *In principio creavit Deus cœlum & terram*, ita differit ibidem Methodius: ἀρχὴν δὲ αὐτὴν τῆ σοφίαν λέγων τις, οὐκ ἂν ἁμάρτοι. λέγεται γὰρ παρά τινι τῶ ἐκ τῆ θείᾳ χορῆ λέγουσα περὶ αὐτῆς τὸν τρόπον τοῦτον· Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτῆ, εἰς ἔργα αὐτῆ, πρὸ τῶ αἰῶνος ἐθεμελίωσέ με. ἦν γὰρ ἀκόλουθον καὶ πρεπωδέστερον, πάντα ἃ εἰς γένεσιν ἦλθον, εἶναι ταύτης νεώτερα, ἐπεὶ δι' αὐτῆς γεγόνασιν· i. e. "Is "qui principium ipsam dixerit Sapientiam, "non aberrabit. Dicitur enim apud quendam è cœtu sacro Scriptorum sic de seipsa "loqui: *Dominus condidit me initium viarum "suarum ad opera sua, ante sæcula fundavit "me.* Erat enim consequens & decentius, "omnia quæ creata sunt, esse hâc posterio"ra, cum per ipsam facta sint." Ubi constat per *Sapientiam* intelligi Dei Filium.

§. 11. Methodio præterea objicit Sandius * incommodas de Trinitate sententias, quas in Symposio observavit ejusdem editor Possinus. Sed ad hanc objectionem responsum nobis suppeditat Photius, qui Cod. 237. de libro Methodii, *Symposion* inscriptô, expressè monuit, ipsum, jam sua ætate, maximam partem depravatum, atque ab Hæreticis interpolatum fuisse. Verba Photii hæc sunt: p. 963.
σημειωτέον, ὡς ἔστι ὁ διάλογος, ᾧ ἐπιγραφὴ συμπόσιον, ἢ περὶ ἁγνείας, πολλὰ πολὺ νενοθευμένος ἔοικεν. εὑρήσεις γὰρ ἐν αὐτῆ παρεσπαρμένας, καὶ Ἀρειανικὰς δοξοκοπίας, καὶ ἑτέρων τινῶν κακοδοξούντων μυθολογήματα· i. e. "Notan"dum, Dialogum hunc, qui Symposion in"scribitur, sive de Castitate, magnam par"tem adulteratum esse: offendes enim in "illo adjectas & Arianas vanasque opinatio"nes, aliasque malè sentientium fabulas." Ubi illud etiam mecum observabit Lector, Photium, quòd de solo Methodii Symposio monendum duxerit, multa in ipso Ariana additamenta, ut & aliorum Hæreticorum nugas, reperta fuisse, eô ipso non obscurè significare, in cæteris ejusdem Scriptis, qualia ipsius ætate extiterunt, nihil ejusmodi occurrisse. Etenim quomodo potuit Photius adulteratum fuisse Methodii Symposion hac ratione colligere, quòd in eo opere Arii vanæ opinationes passim occurrerent, nisi ex cæteris ejus Scriptis (quæ multa fuere) ipsi certò constitisset, constantem ejus de Filio Dei doctrinam Arianis deliramentis prorsus contrariam fuisse? Certè præclarum hoc est Methodii eô in articulo ὀρθοδοξίας argumentum. Interim in hoc ipso Symposio non pauca hodieque superstant genuinæ Methodii de Filio Dei doctrinæ vestigia: quorum nonnulla nos ex Photio jam indicavimus, plura facilè indicaturi, si illud operæ pretium fore existimaremus. Sed de Methodio satis.

---

* Sand. Enucl. Hist. Eccl. l. 1. p. 128.

ANNO-

ANNOTATA.

De S. *LUCIANO MARTYRE.*

AD Luciani orthodoxiam confirmandam haud parum conducunt Suidæ de eo verba, sic sonantia : Τὴν καθαρότητα τῶν θείων δογμάτων παρ' τούτῳ τις ἂν κάλλιστα τῶν κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον γενομένων, ἐπ' ἄκρον ἔυρει φυλατομένην. Ἔξεστι γὰρ καὶ ἐπιστολὰς ἀμέλει γενναιοτάτας, ἐξ ὧν φωράσαι τις ἂν ἔυ μάλα ῥᾳδίως, ἦν ὁ ἀνὴρ ἐπὶ τῶν θείων ἔσωζε γνώμην. *Puritatem divinorum dogmatum apud hunc ex omnibus illius ætatis Viris pulcherrimè summôq; studiô conservatam invenias. Nam & Epistolas edidit profectò præstantissimas, ex quibus quivis facillimè deprehendat, quænam fuerit hujus Viri de rebus Divinis sententia.* Cui testimonio Suidæ eò plus tribuendum est, quia ex ipsis Luciani quas laudat, Epistolis fidem dicto facit ; quæ si superstites essent, certiores adhuc eâ de re fieri possemus. Sed illæ omnes periere ; nec nisi unicum, quod sciam, unius fragmentum nobis conservatum est ab Auctore Chronici Alexandrini ad A. C. 303.

De S. *METHODIO.*

DUM Methodii Convivium Virginum Tom. III. Bibliothecæ Maximæ Patrum, ubi Latinè solùm extat, perlegi, hæc de vera Christi Deitate & S. Trinitatis mysterio dicta mihi occurrerunt. Oratione 1. pag. 678. F. de λόγῳ ita loquitur : *Eô consiliô elegit humanam carnem, Deus ipse cum esset, induere, ut velut in tabulâ divinum exemplar vitæ propositum intuentes, pictoris in exprimendo fidelitatem imitaremur.* Orat. 2. pag. 681. G. H. *Christum* dicit *hominem merâ Divinitate & perfectâ plenum, & Deum in homine quodammodo inclusum.* Et paulò pòst : *Quoniam enim ipse verissimè erat, & est, in principio existens apud Deum, & Deus existens, Imperator & Pastor cœlestium, &c.* Orat. 5. pag. 686. B. *Mentio*, inquit, *ternarii inspergitur ad insinuandam sanctæ ac bene ominatæ Trinitatis necessariam notionem.* Deniq; Orat. 8. pag. 693. G. H. postquam mentionem fecerat Hæreticorum, qui *circa unum ex numeris Trinitatis delusi errant ; aliquando quidem circa Patrem—aliquando circa Filium ---- aliquando circa Spiritum sanctum* ; de orthodoxa Catholicæ Ecclesiæ fide, per mille ducentos sexaginta dies Apocal. 12. mysticè, juxta Methodii sententiam, designatâ, sequentia subjungit : *Mille porro ducenti sexaginta dies, per quos hîc sumus in peregrinatione, Patris est, & Filii, & sancti Spiritûs, secundum rectam fidem exacta & optima cognitio, quâ gaudet Mater nostra, ex eaq; alitur & crescit, &c.* Cæterum prostat quidem unus insuper & alter Methodii Tractatus, è quibus plura eaq; luculentissima pro Filii ὁμοουσίῳ & Catholicâ S. Trinitatis professione testimonia allegari possent ; sed ab iis abstineo, quòd Tractatus isti aut supposititii, aut interpolati esse videantur. De quibus, Deo volente, in Spicilegio Patrum Seculi III. dicam.

CAP.

CAP. XIV.

Sententia ac fides, de vera Filii Divinitate, Arnobii Afri & Lactantii declaratur. Sectio secunda de τῷ ὁμοουσίῳ brevi Epilogo concluditur.

§. 1. DUo reliqui sunt Scriptores, qui Synodum Nicænam paulò antecesserunt, Arnobius & Lactantius, magister & discipulus. Horum prior Arnobius sub Diocletiano, Principe Siccæ apud Africam, florentissimè Rhetoricam docuit, referente Hieronymo Catal. Script. Eccl. c. 90. Qui etiam in Chronicis ad Ann. 20. Constantini narrat, eundem Arnobium, cum in civitate Siccæ ad declamandum juvenes erudiret, & adhuc Ethnicus ad credulitatem somniis compelleretur, neque ab Episcopis impetraret fidem, quam semper impugnaverat, elucubrâsse adversus pristinam religionem luculentissimos libros, & tandem velut quibusdam obsidibus pietatis fœdus impetrâsse. Libri illi numerô septem fuere, adversus Gentes inscripti; qui, post varias Editiones alias, tandem elegantissimis characteribus impressi, unà cum eruditissimis variorum Commentariis prodiere Lugduni Batavorum in quarto ann. 1651. quam editionem nos sequemur. In eo opere veram ille Filii Divinitatem sæpius atque apertissimis verbis confitetur. In libro primo de Christi miraculis agens, ita scribit: " Atqui constitit Christum sine ullis adminiculis rerum, sine ullius ritûs observatione, vel lege, omnia illa quæ fecit, nominis sui possibilitate feciſſe: & quod proprium, consentaneum, dignum Deô fuerat verô, nihil nocens, aut noxium, sed opiferum, sed salutare, sed auxiliaribus plenum bonis, potestatis munificæ liberalitate donasse." Ubi Christum Deum verum disertè pronuntiat. Huic geminus est locus, qui in eodem libro, post aliquammulta, sequitur; ubi postquam Christum dixerat, *æqualiter bonis malisque subvenisse*, hæc subjungit: *Hoc est enim proprium Dei veri potentiæque regalis, benignitatem suam negare nulli.* In eodem libro, Ethnico quærenti, *si Deus fuit Christus, cur formâ est in hominis visus, & cur more est interemptus humano?* ita respondet: p. 37. " An aliter potuit invisibilis illa vis, & habens nullam subsantiam corporalem, inferre & commodare se mundo, conciliis intersse mortalium, quàm ut aliquod tegmen materiæ solidioris assumeret, quod oculorum susciperet injectum, & ubi se figere inertissimæ posset contemplationis obtutus? Quis est enim mortalium, qui quiret eum videre, quis cernere, si talem voluisset inferre se terris, qualis ei primigenia natura est, & qualem se ipse in sua esse voluit vel qualitate, vel numine? Assumpsit igitur hominis formam, & sub nostri generis similitudine potentiam suam clausit, ut & videri posset & conspici." Ibidem, paucis interjectis, hæc sequuntur: " Sed more est hominis interemptus. Non ipse. Neque enim cadere divinas in res potest mortis occasus: nec interitionis dissolutione dilabi id, quod est unum & simplex, nec ullarum partium congregatione compactum. Quis est ergo visus in patibulo pendere, quis mortuus est? homo, quem induerat, & secum portabat." Ubi potiorem Christi naturam dicit *rem divinam, incorruptibilem, unam & simplicem, nullarum partium congregatione compactam:* quæ nulli creatæ naturæ attribui possunt.

§. 2. Sed non opus est per hasce ambages Lectorem ducere. Duo loca proferam, in quibus Arnobius absolutam Filii Divinitatem ex professo, & verbis veluti Solis radiô descriptis, declarat. In libro illo primo, ad Gentilium objectionem: *Natum hominem colitis*; his verbis respondet: " Etiamsi esset id p. 24 verum, tamen pro multis, & tam liberalibus donis, quæ ab eo profecta in nobis sunt,

p. 29.

" ſunt, Deus dici appellariq; deberet. Cum " verò Deus ſit re certa, & ſine ullius rei " dubitationis (*leg.* redubitationis) ambi- " guo, inficiaturos arbitramini nos eſſe, " quam maximè illum à nobis coli, & præ- " ſidem noſtri corporis nuncupari? Ergone, " inquiet aliquis furens, iratus & percitus, " Deus ille eſt Chriſtus? Deus, reſponde- " bimus, & interiorum potentiarum Deus: " & quod magis infidos acerbiſſimis dolori- " bus torqueat, rei maximæ causâ à ſummo " Rege ad nos miſſus." Locus alter, in eo- p. 32. dem etiam libro, ſic habet: " Nihil, ut re- " mini, magicum, nihil humanum, præſti- " gioſum, aut ſubdolum, nihil fraudis deli- " tuit in Chriſto, derideatis licet ex more " atque in laſciviam diſſolvamini cachinno- " rum. Deus ille ſublimis fuit, Deus ra- " dice ab intima, Deus ab incognitis Regnis, " & ab omnium Principe Deus ſoſpitator eſt " miſſus: quem neque Sol ipſe, neque ulla, " ſi ſentiant, ſydera, non rectores, non prin- " cipes mundi, non denique Dii magni, aut " qui fingentes ſe Deos, genus omne morta- " lium territant, unde aut qui fuerit, potue- " runt noſcere vel ſuſpicari." Hiſce in locis expreſsè docet Arnobius, Filium dici Deum, non modò abuſivè, (quomodo Angeli, Magiſtratus, & Viri præſtantiſſimi Dii nonnunquam vocantur,) ſed re certâ & ſine ambiguo, id eſt, veriſſimè & maximè propriè: quod impiorum Arianorum παναιρεσίαν planè condemnat, qui Filium quidem Deum dicere non recuſabant, ſed ambiguo nominis uſu bonos viros fefellerunt. Eundem porro dicit Deum ſublimem, Deum radice ab intima, Deum Soſpitatorem, Deum quam maximè colendum, denique Deum incomprehenſibilem, quem nulla creatura capere poſſit. Quibus quid magnificentius de Filio Dei enuntiari poterat? Si cui autem illud offendiculo ſit, quòd Arnobius interim Patrem appellet *ſummum Regem & omnium Principem*; ſciat ille & meminerit, (quod ſæpius cogor repetere) omnino hoc referendum ad illam ἀρχὴν, quæ Patri competit, quatenus eſt fons & caput Divinitatis, quam & ſacri Scriptores, & Patres tam Nicæni quàm Ante-Nicæni ſartam tectam conſervatam voluere: de qua ſuô locô fuſiùs agemus.

§. 3. Et hunc tamen Arnobium inter Scriptores Ante-Nicænos, qui Ario in hæreſi ejus præiverunt, collocat Sandius. Nam in Indice ſive Elencho libri ſui ſcribit: *Arnobius cum Ario ſenſit.* Ibidem autem remittit Lectorem ad paginam libri ſui 127. Age videamus, quomodo ibi probet, Arnobium cum Ario ſenſiſſe? " Arnobius, *inquit*, docuit, " religioſum eſſe, Deum ingenitum colere: " Deum verum oportere nunquam eſſe ge- " nitum: Deum ſolum eſſe ingenitum: u- " num eſſe rerum Patrem, immortalem, at- " que ingenitum, ſolum, nihilque omnino " ante ipſum: ſequi, hos omnes, quos opi- " natio credidit Deos eſſe mortalium, aut ab " eo eſſe genitos, aut eo jubente prolatos eſ- " ſe; & ſi prolati & geniti fuerint, poſteri- " oris eſſe ordinis & temporis: ſi ordinis " poſterioris & temporis, ortus neceſſariò " habere, & exordium nativitatis & vitæ: " non eſſe verum Deum, qui habeat patrem " & matrem, avos, avias, fratres, & nunc " nuper in utero matris ſuæ formatus ſit, " decemque menſibus abſolutus & conſum- " matus, qui conceptus & natus muliebri " alvo eſſet, qui annorum gradibus ad eum " finem aſcendiſſet ætatis: Deum enim o- " mnipotentem non eſſe genitum, ſed inge- " nitum." Sed hîc omnino vel negligentiſſimum Scriptorum Arnobii Lectorem, vel certè egregium Sophiſtam & prævaricatorem ſe oſtendit Sandius. Quis enim ſanæ mentis, qui Africanæ eloquentiæ Principem illum unquam attentè perlegit, neſcire poteſt, iſta omnia ab ipſo dicta fuiſſe adverſus Ethnicorum ſuperſtitionem, qui *meros* homines, juxtà ſecum ortum & interitum habentes, divino cultu proſequerentur? Nunquid hæc contra Chriſti θεανθρώπου veram Divinitatem quicquam faciunt? Imò ipſam confirmant. Cum enim docuerit in locis indicatis Arnobius, fatente Sandio, Deum verum oportere eſſe ingenitum, id eſt, increatum, & exordium nativitatis non habentem, hoc eſt æternum; & tamen ſæpius atque apertiſſimè (ut vidimus) affirmaverit, Chriſtum eſſe omnino Deum verum; hinc clarè ſequitur, Chriſtum potiori ſua natura, cujus reſpectu Deus verus appellatur, ex Arnobii ſententia, omnino increatum atque æternum eſſe. Sic ex eo quòd docuerit idem Arnobius, verum Deum unum eſſe, & tamen ſimul docuerit, Filium perinde ac Patrem eſſe verum Deum; hinc certò colligimus, credidiſſe Arnobium, Filium eſſe unum cum Patre Deum, licet perſonâ diverſum. Quod ibidem ſubjungit Sandius, docuiſſe nempe Arnobium, *Chriſtum veniſſe in mundum, ut ſummi Regis imperium ſervaret*, illud omnino Catholicum eſt; quatenus ſcil. ad Filii exinanitionem, quâ, aſſumptâ ſervi formâ, Deo Patri obediens factus eſt, refertur, prout omnino referri debet. Sane piget pudetque cavillationes tam inſulſas toties refellere.

p. 24.

§. 4. De Lactantii doctrina nunc paucis agemus, cujus explicatio Sectioni huic ſecun-

dæ ſatis prolixæ finem imponet. Erat Scriptor ille penè rudis diſciplinæ Chriſtianæ, & in Rhetorica meliùs, quàm in Theologia verſatus. Unde ipſum Damaſus Papa Scholaſticum magis quàm Eccleſiaſticum cenſuit; & Hieronymus ob ſermonis potiùs elegantiam, quàm accuratam Evangelicæ doctrinæ ſcientiam commendavit. Certè nunquam inter Eccleſiæ Doctores numeratus fuit. Ut vix operæ pretium videatur inquirere, quid iſte de hac quæſtione ſive ſenſerit, ſive ſcripſerit. Sed vide, Lector, & mirare vim Catholicæ traditionis. Is ipſe Lactantius, quanquam alicubi, ex imperitia ſacrarum Scri-
Vid. Sect. 3. c. 10. n. 20. pturarum & doctrinæ Eccleſiaſticæ, de modo generationis Filii perabſurda ac prorſus ridicula tradiderit; (ſi modò Lactantius ſit, qui iſta tradidit;) tamen ipſum hujus dogmatis τὸ ἀπερίχον non ignoravit, eaque adeo Scriptis ſuis docuit, quæ apprime Catholica ſunt, & Arianæ hæreſi ex diametro repugnant. Nam Filium Dei unius eſſe cum Patre ſubſtantiæ, unumque Deum, totum Patris continere & capere clarè affirmat. En loca diſerta. In libro 4. cap. 29. Ethnicorum objectionem, adverſus Chriſtianorum de Filio Dei doctrinam, proponit his verbis: "Fortaſſe quærat aliquis, quomodo, cum Deum nos unum colere dicamus, duos tamen eſſe aſſeveramus, Deum Patrem & Deum Filium; quæ aſſeveratio pleroſque in maximum impingit errorem. Quibus cum probabilia videantur eſſe quæ dicimus, in hoc uno labare nos arbitrantur, quòd & æternum & mortalem Deum fateamur." Ad hanc verò objectionem ita ad verbum reſpondet: "De mortalitate jam diximus; nunc de unitate doceamus. Cum dicimus Deum Patrem & Deum Filium, non diverſum dicimus, nec utrumque ſecernimus; quia nec Pater ſine Filio eſſe poteſt, nec Filius à Patre ſecerni: ſiquidem nec Pater ſine Filio nuncupari, nec Filius poteſt ſine Patre generari. Cum igitur & Pater Filium faciat, & Filius Patrem; una utrique mens, unus Spiritus, UNA SUBSTANTIA eſt: ſed ille quaſi exuberans fons, hic tanquam defluens ex eo rivus: ille tanquam Sol, hic quaſi radius à Sole porrectus: qui quoniam ſummo Patri & fidelis & charus eſt, non ſeparatur, ſicut nec rivus à fonte, nec radius à Sole; quia & aqua fontis in rivo eſt, & Solis lumen in radio." Si cum Ario ſenſiſſet Lactantius, certè longè aliter ad hanc objectionem reſpondiſſet, nempe in hunc fere modum: Multùm falſi eſtis, O Philoſophi, qui nos Chriſtianos, Deum Patrem & Deum Filium prædicantes, exiſtimetis duos revera Deos inducere; ſiquidem alio prorſus ſenſu Patrem, alio Filium Deum nuncupamus: quippe Patrem ſolum verè ac propriè, Filium verò abuſivè & impropriè Deum dicimus: cum hic ſit revera pura puta creatura, ab eſſentia Dei aliena & ex nihilo facta, per adoptionem & gratiam tantùm in Divini nominis honorem ac dignitatem adſcita. Verùm nihil hujuſmodi ſomniavit Lactantius: notior erat Catholica de Filio Dei doctrina, quàm ut iſta deliramenta pro Chriſtianorum placitis vel ipſe venditaret. Quomodo igitur nodum ſolvit? Fatetur, ex Chriſtianorum ſententia, Filium perinde ac Patrem verè ac propriè Deum dici; quippe cui cum Patre non modò una mens, ſed & unus Spiritus, & una ſubſtantia ſit, quod ipſum Patres Nicæni voluere, cum Deum Patrem & Deum Filium ὁμοουσίους decernerent: duos tamen Deos apud Chriſtianos neutiquam prædicari ſtrenuè contendit. Id verò duplici ratione explicat. Primò, Deus Pater & Deus Filius non ſeparatim, ut duo homines, ſed indiviſi ab invicem exiſtunt, ita ut Pater ſit in Filio, & Filius in Patre: planè quemadmodum Sol & radius, fons & rivus neutiquam à ſe invicem ſeparantur. Deinde unus eſt fons & principium Divinitatis, nempe Pater; à quo Filius, tanquam radius à Sole, aut rivus à fonte derivatur. Quid magis Catholicè dici potuit? Scilicet eâdem planè ratione orthodoxi Patres omnes, tam Ante-Nicæni, quàm qui poſt Nicænum floruere Concilium, unitatem Patris & Filii explicârunt, uti infrà oſtendetur. Hîc quidem illud reprehendunt nonnulli, quòd Lactantius Deum Patrem exuberanti fonti comparet, quaſi ſcilicet Filius eſſet rivulus tantùm ex iſto fonte, & diminuta paternæ ſubſtantiæ portio. Verùm iniqui prorſus mihi ſemper viſi ſunt, qui ſimilia, ad illuſtrandum utcunque Divinæ generationis inenarrabile myſterium à veteribus adhibita, ita ad vivum reſecant*. Certè nihil ejuſmodi voluiſſe Lactantium, manifeſtum eſt ex verbis ejus expreſſis, quæ in eodem Capite ſequuntur: "Quapropter, *inquit*, cum mens & voluntas alterius in altero ſit, vel potiùs una in utroque; meritò unus Deus uterque appellatur: quia quicquid eſt in Patre ad Filium transfluit, & quicquid in Filio, à Patre deſcendit." Si quicquid eſt in exuberante Divinitatis fonte, qui Pater dicitur, id omne ad Filium tranſ-

* Vide quæ ad Tertullianum diſſeruimus hujus Sectionis cap. 7. §. 5.

transfluit: (quod Lactantius disertè affirmat) tum certè Filius non est, propriè loquendo, Divinitatis portio; sed Deus ex Deo, totus ex toto, perfectus à perfecto: quemadmodum Symbola Gregorii Thaumaturgi, & Luciani Martyris suprà audivimus loquentia. Istis verò gemina sunt, quæ lib. 2. c. 9. de Filio Dei dicit Lactantius; nempe quòd Deus Pater ipso, *& consiliariô usus est & artifice in excogitandis, ornandis perficiendisque rebus; quoniam is & providentiâ, & ratione, & potestate perfectus est.* Nihil igitur diminutum aut imperfectum in Filio Dei somniavit Lactantius. De Lactantio hactenus.

§. 5. Itaque tandem luculentissimis testimoniis, è singulis Scriptoribus Ante-Nicænis, quorum vel integra Scripta, vel fragmenta saltem aliqua reperire potuimus, adductis, Thesin nostram secundam abunde comprobavimus, quæ hæc fuit: " Filium " Dei Deo Patri ὁμοούσιον, sive consubstan- " tialem, hoc est, non creatæ alicujus aut " mutabilis essentiæ, sed ejusdem prorsus " cum Patre suo naturæ Divinæ & incom- " mutabilis, proinde verum Deum ex Deo " verô esse, Catholicorum Doctorum, qui " tribus primis sæculis floruerunt, constans " concorsque fuit sententia." Si quis autem miretur, quòd Sectio nostra secunda in hanc longitudinem excreverit, cogitet is velim, nos hîc τὸ κατεργὸν dogmatis, de Filii Divinitate, ex Scriptis Veterum explicâsse; in reliquis verò de ejusdem consectariis tantùm & consentaneis acturos. Hìc vertitur controversiæ cardo; quare hîc opera nostra præcipuè collocanda fuit. Adde quòd in hac Sectione plerique trium priorum sæculorum Scriptores primùm commemorandi veniunt, quorum Lectoris intererat aliquâ ex parte cognoscere historiam; quâ semel cognitâ, non opus erit in sequentibus de eorundem ætate, auctoritate, aliisque ad ipsos pertinentibus, quicquam monere. Multa quoque hîc Veterum Scripta primùm citantur, de quibus an verè Auctorum sint, quorum nomina præ se ferunt, inter eruditos controversia est. Hujusmodi criticis disceptationibus (ad quæstionem, qua de agitur, dirimendam apprime necessariis) multum operæ nostræ in hac Sectione impenditur. Semel autem unicuique Auctori genuinis ejus Scriptis vindicatis, spuriisque abjudicatis, deinceps haud fere necesse erit, quoties Auctores illos Scriptave eorum iterum citaverimus, istis altercationibus Lectorem morari. Verbô dicam: ut non video, quomodo Lectori studioso plenè satisfeciss̃em, si in hac Sectione secunda explicanda & confirmanda brevior fuissem; ita spero me ad Sectiones sequentes ea dicturum, quæ æquo saltem Lectori sufficiant. Ad reliqua igitur nunc, cum bono Deo, progrediamur.

ANNO-

ANNOTATA

De S. *PETRO, EPISCOPO ALEXANDRINO & MARTYRE.*

PAtribus Ante-Nicænis, quos veræ Chriſti Deitatis teſtes adduxit Doctiſſimus Auctor noſter, addere placet Petrum, ejus è qua Arius poſtea exiit, Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopum, qui pro Chriſtiana fide Martyrium circa annum Chriſti 311. obiit. Quippe ex illius libro περὶ Θεότητος, *de Deitate* ſequentia verba inter alia allegantur in Concilio Epheſino Actione I. Tom. III. Concil. Labbei col. 507. Θελήματι Θεοῦ ὁ λόγος σὰρξ γενόμενος, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, ὃ κατελείφθη τῆς θεότητος· *DEI voluntate Verbum factum eſt caro, habituq; inventum ut homo, non receſſit à Deitate.* Et poſt pauca: ὅθεν καὶ εὐαγγελιστὴς ἀληθεύει λέγων· ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν· τότε δηλονότι, ἀφ' ὅτε ὁ ἄγγελος ἠσπάσατο τὴν παρθένον, εἰπών· χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ Κύριος μετὰ σοῦ. τὸ γὰρ, Κύριος μετὰ σοῦ, νῦν ἔστιν ἀκοῦσαι τῶν Γαβριὴλ, ἀντὶ τοῦ, ὁ Θεὸς λόγος μετὰ σοῦ. *Quare & Evangeliſta quoq; vera prædicat, dum ait:* Et Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis; *tum videlicet, cum Angelus Virginem ſalutavit dicens:* Ave gratiâ plena, Dominus tecum; *hoc eſt, Deus verbum tecum eſt.* (Quæ & Actione VII. ejuſdem Concilii col. 835. iterum citata leguntur.) Et in eodem libro paucis interjectis rurſum: ὁ γὰρ Θεὸς λόγος χωρὶς τοῦ ἀνδρὸς ἀπουσίαν, κατὰ βούλησιν τοῦ πάντα δυναμένου κατεργάσασθαι Θεοῦ, γέγονεν ἐν μήτρᾳ τῆς παρθένου σὰρξ, μήτε δεηθεὶς τοῦ ἀνδρὸς ἐνεργείας, ἢ παρουσίας. *Deus autem Verbum, in abſentia mariti, DEI, qui quidvis efficere poteſt, voluntate in Virginis utero incarnatus eſt, Viri operatione aut præſentiâ ad hoc minimè requiſitâ.* Atqui quòd titulô DEI in propriâ ſignificatione acceptô, Chriſtum verè atq; eſſentialiter DEUM crediderit Petrus, patet ex ejuſdem Homiliâ *de Adventu Salvatoris noſtri,* ex qua hæc allegantur à Leontio Lib. I. contrà Neſtorium & Eutychen: *Et Judæ dixit:* Oſculo Filium DEI tradis? *Hæc & his ſimilia, & ſigna omnia quæ fecit, & virtutes demonſtrant eſſe eum DEUM, factum hominem. Utraq; itaq; demonſtrantur, & quòd erat DEUS naturâ, & quòd fuit homo naturâ.*

Cæterum Ante-Nicænorum Doctorum Catholicorum teſtimoniis, pro Filii DEI τῷ ὁμοουσίῳ hactenus adductis, & Hæreticorum quorundum iſtius ævi dicta addi poſſent; illorum ſcilicet, qui cum veritatem humanæ Chriſti naturæ negaverint, Divinam tamen eidem conceſſerunt. Verùm quòd hæc non tanti momenti eſſe videantur, quódq; partim fictum quidam Chriſtum ſeu Filium DEI, ac commentitiam Patris Filiiq; Deitatem alii ſtatuerint, ab iſtis recenſendis abſtinere placet.

CAP.

SECTIO III.

De Filii τῷ συναϊδίῳ

SIVE

Coæterna cum Deo Patre exiſtentia.

CAP. I.

Connexio Sectionis tertiæ cum præcedenti. Proponitur de Filii æternitate Theſis prima. Quæ primum diſertiſſimis Ignatii, Viri Apoſtolici, teſtimoniis confirmatur. Nobilis ejuſdem locus in Epiſtola ad Magneſios luculentâ explicatione illuſtratur. Gnoſtici Arianorum parentes.

§. 1. STabilitâ Patrum Ante-Nicænorum ſuffragiis doctrinâ de Filii τῷ ὁμοουσίῳ, inde ejuſdem *συναΐδιον* per conſequentiam omnino neceſſariam deducitur. Etenim qui verè proprièque Deus eſt, & ex Dei ſubſtantia genitus, idem habeat omnia neceſſe eſt, quæ ſunt propria Dei, infinitatem, immenſitatem, æternitatem, omnipotentiam, τὸ ἄκλιτον, τὸ ἄτρεπτον, hoc eſt *increabilitatem*, ut ſic loquar, & *incommutabilitatem*, cæteraſque proprietates, ſine quibus ſtare Divinitas vera non poteſt. Nemo fere Scriptorum eſt, Synodô Nicænâ poſteriorum, qui hoc contra Arianos non obſervavit. Id ipſum verò pluribus exponit Cyrillus in nono Theſauri libro, ac de æternitate præſertim id eſſe conſequens docet. Inter alia, quæ huc ſpectant, diſerta imprimis atque expreſſa ſunt hæc ejus verba: Ὡς ὥσπερ εἰ προγενὼς ἐφαίνετο, οὐκ ἂν ἦν ὁμοούσιος· ὅτως ἐπεὶ μὴ τοῦτό ἐστιν, ἀλλ' ἦν ἀεὶ συὼ αὐτῷ, πάντως ἔσται καὶ ὁμοούσιος. i. e. *Ut enim ſi ad Patrem acceſſiſſet in tempore, non eſſet conſubſtantialis; ita quia illud verum non eſt, ſed ſemper erat cum ipſo, omnino conſubſtantialis erit.* Tum paucis interjectis: ὁ γὰρ ἔσαι τι συναΐδιον τῷ πατρὶ, μὴ ὢν ἐξ αὐτοῦ φυσικῶς· ἵνα μὴ καὶ τοῖς κλίσμασι τοῦτο προσεῖναι λέγωμεν, ὃ μόνῃ πρόσεστι τῇ θείᾳ φύσει. ὀκοῦν κἂν ἀρχὴν ὁ υἱὸς ἔχῃ τ ἑαυτοῦ πατέρα, ἀλλὰ καθὸ ἐκ τ ἀρχῆς ὄζι, συνόμοιον αὐτῷ τὸ εἶναι ἔχων, ἀνόμοιος ὀκ ἔσαι κατὰ τ ὐσίαν αὐτῷ. ἐπειδὴ γὰρ ἐκ τ ἀρχῆς ὄζι, διὰ τοῦτο καὶ ὁμοούσιος τῇ ἀρχῇ· τὸ γὰρ ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, ἐπιγένητον ὀκ ἔζι· ἵνα μὴ τοῦτο ὢν εὑρίσκεται καὶ αὐτός· i. e. " Non enim erit aliquid coæter-
" num Patri, quod non eſt naturaliter ex
" ipſo: ne etiam iſtud creaturis ineſſe di-
" camus, quod ineſt divinæ ſoli naturæ.
" Quamobrem etſi Filius principium habet
" Patrem ſuum; tamen quatenus ex princi-
" pio eſt, concurrentem cum ipſo habens
" exiſtentiam, non erit ei diſſimilis ſubſtan-
" tiâ. Nam quia eſt ex principio, ideo con-

" ſubſtantialis principio. Porro quod eſt " Patri conſubſtantiale, id adventitium non " eſt in tempore, ne & Pater ipſe talis eſſe " reperiatur. "

§. 2. Verùm quia Patres Ante-Nicæni quibuſdam, qui nimiùm ſibi placent, tam hebetis ſtupidique prorſus ingenii viſi ſunt, ut conſequentiam adeo manifeſtam non perſpexerint; proinde minimè cohærentes in hoc articulo, ac planè repugnantes opiniones adſtruxèrint: ideo operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi eorundem ſententiam, de Filii coæterna cum Patre exiſtentia, diſtinctè ac ſeorſim explicatam Lectori exhiberem. Nonnulla quidem Veterum teſtimonia, æternitatem Filii confirmantia, jam ad præcedentem Sectionem, aliud agentes, attulimus: ſed dignum eſt argumentum, quod ex profeſſo retractetur. Cùm autem antiqui Eccleſiæ Doctores hac de re, licet non diverſa, diversô tamen modô, locuti ſint; hinc Sectio hæc noſtra tertia non unâ Theſi abſolvi poterit; (ut duæ præcedentes;) ſed pluribus concluſionibus, prout res poſtulat, explicanda venit. Harum Concluſionum ſive Theſium hæc eſto prima:

THESIS PRIMA.

Doctorum qui Concilium Nicænum anteceſſerunt, potior & major pars Filii τὸ συναΐδιον, *id eſt, coæternam cum Deo Patre exiſtentiam, ſine ambagibus, apertè, clarè ac perſpicuè docuerunt & profeſſi ſunt.*

§. 3. Horum Patrum meritò agmen ducit Ignatius, Catholicæ doctrinæ, quæ in Eccleſiis ipsâ Apoſtolorum ætate obtinuit, teſtis locupletiſſimus. Is in Epiſtola ad Polycarpum, ſanctiſſimum Coepiſcopum ſuum ſic affatur: p. 12. τὸν ὑπερχρονιον περσδόκα, τὸν ἄχρονον, τὸν ἀόρατον, τὸν δι' ἡμᾶς ὁρατὸν, τὸν ἀψηλάφητον, τὸν ἀπαθῆ, τὸν δι' ἡμᾶς παθητὸν, τὸν κατὰ πάντα τρόπον δι' ἡμᾶς ὑπομείναντα. i. e. " Eum qui " eſt ſupra tempus expecta, intemporalem, " inviſibilem, propter nos viſibilem, impal- " pabilem, impaſſibilem, propter nos paſſibi- " lem, ſecundum omnem modum propter " nos ſuſtinentem. " De Filio Dei manifeſtè loquitur, præter alia attributa Divina etiam hoc ipſi tribuens, quòd ſit ὑπερχρονιος, ἄχρονος, *ſupra tempus, ſine tempore*, hoc eſt, æternus. Nam ea fuit hujus Viri Apoſtolici ſimplicitas, ut nequaquam putandus ſit luſiſſe in voce *temporis*, ut poſtmodum luſerunt ſubdoli Ariani. De auctoritate autem hujus Epiſtolæ ea paucis dixit clariſſimus Iſaacus Voſſius in Notis ad Epiſtolæ titulum, quæ æquis ingeniis ſatisfaciant. Sed doctiſp. 21. & ſeqq. ſimus Pearſonus noſter in Proœmio ad Vindicias Epiſtolarum S. Ignatii cap. 6. eâ de re fuſiùs diſſerens, ſingularem Uſſerii opinionem ita refutavit, ut, quin Epiſtola illa inter eas numerari debeat, quæ Euſebii temporibus pro Ignatianis habitæ fuere, nullus jam reſtet dubitandi locus. Porro idem Ignatius in Epiſtola ad Magneſios diſertiſſimè Filii æternitatem prædicat his verbis: εἷς Θεός ἐστιν, p. 34. ὁ φανερώσας ἑαυτὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών· i. e. (juxta verſionem veteris Interpretis Uſſeriani, quem ubique fere ſequor,) " Unus " Deus eſt, qui manifeſtavit ſeipſum per Je- " ſum Chriſtum Filium ipſius, QUI EST " IPSIUS VERBUM ÆTERNUM, NON " A SILENTIO PROGREDIENS.

§. 4. Haud me fugit eſſe, qui ex hoc loco contendunt, haſce Epiſtolas Ignatii non eſſe; ſiquidem verba illa, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, *non à ſilentio progrediens*, proprium Valentini, ut ipſis videtur, perſtringunt errorem, vivente Ignatiô nondum exortum. Ad hanc autem objectionem Reverendus admodum Pearſonus noſter (poſt Uſſerium, Voſſium & Hammondum, quorum dicta Dallæo aliiſque, ſuarum partium ſtudio nimiùm addictis haud ſatisfecerant,) prolixiùs reſponſurus, has quatuor aſſertiones ſibi demonſtrandas proponit: 1. Verba illa, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, hæreſin Ebionitarum ferire: 2. Verba illa ad Valentinum omnino non ſpectare: 3. Hæreſin, quæ verbis iſtis feriri putatur, Valentino fuiſſe antiquiorem & à veteribus Gnoſticis acceptam: 4. Probari certò non poſſe, ipſos Valentini errores Ignatio fuiſſe penitus incognitos. Et in his tractandis eruditionem ſuam omnigenam, imprimis verò Antiquitatis Eccleſiaſticæ ſummam peritiam ita expandit, ut propterea doctis & piis omnibus meritò in honore atque admiratione ſit: eaque adeo dicit, præſertim in probatione tertiæ aſſertionis, quæ ad refellenda Blondelli & Dallæi cavilla omnia abunde ſufficiant. Cogor tamen à doctiſſimo Patre, quem ſummopere colo & revereor, in aliquibus diſſentire: ipſiuſque humanitatem

&

& candorem ſummiſsè exoro, ut mihi liceat meam, de celebri Ignatii loco, ſententiam liberè proponere; præſertim cùm, ut id faciam, ad maximi momenti veritatem, quam explicamus, confirmandam plurimum interſit. Perſuaſum habeo, Ignatium in verbis allatis, & in tota perioche ad quam verba illa pertinent, neque Valentinianos, neque Ebionæos reſpicere; ſed Judaizantes illos Gnoſticos, quorum princeps erat Cerinthus, (qui Valentinô longè anterior, adeoque ipſis Apoſtolis coævus fuit; cujuſque Hæreſis Eccleſias Aſiaticas, Ignatii temporibus, maximè turbavit,) omnino perſtringere. Cujus ſententiæ meæ rationes priuſquam proferam, viſum eſt Ignatiani ſermonis contextum integrum hîc recitare, quò res clarùis pateſiat.

§. 5. Ita igitur Vir ſanctus Magneſios ſuos
p. 34, 35. alloquitur: Πάντες ὧν ὡς εἰς [ἕνα] ναὸν συντρέχετε Θεοῦ, ὡς ἐπὶ ἓν θυσιαστήριον, ὡς ἐπὶ ἕνα Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν ἀφ' ἑνὸς πατρὸς προελθόντα, καὶ εἰς ἕνα ὄντα καὶ χωρήσαντα. μὴ πλανᾶσθε ταῖς ἑτεροδοξίαις, μηδὲ μυθεύμασιν τοῖς παλαιοῖς ἀνωφελέσιν οὖσιν. εἰ γὰρ μέχρι νυῦ κατὰ νόμον Ἰουδαϊσμὸν * ζῶμεν, ὁμολογοῦμεν χάριν μὴ εἰληφέναι. οἱ γὰρ θειότατοι προφῆται κατὰ Χριστὸν Ἰησοῦν ἔζησαν· διὰ τοῦτο καὶ ἐδιώχθησαν, ἐμπνεόμενοι ὑπὸ τῆ χάριτος αὐτοῦ, εἰς τὸ πληροφορηθῆναι τοὺς ἀπειθοῦντας, ὅτι εἷς Θεός ἐστιν, ὁ φανερώσας ἑαυτὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, ὃς κατὰ πάντα εὐηρέστησεν τῷ πέμψαντι αὐτόν. εἰ οὖν οἱ ἐν παλαιοῖς πράγμασιν ἀναστραφέντες εἰς καινότητα ἐλπίδος ἦλυθον, μηκέτι σαββατίζοντες, ἀλλὰ κατὰ κυριακὴν ζωὴν ζῶντες, ἐν ᾗ καὶ ἡ ζωὴ ἡμῶν ἀνέτειλεν δι' αὐτοῦ καὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ, ὃν τινες ἀρνοῦνται, δι' οὗ μυστηρίου ἐλάβομεν τὸ πιστεύειν, καὶ διὰ τοῦτο ὑπομένομεν ἵνα εὑρεθῶμεν μαθηταὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ μόνου διδασκάλου ἡμῶν· πῶς ἡμεῖς δυνησόμεθα ζῆσαι χωρὶς αὐτοῦ; ὃς καὶ οἱ προφῆται μαθηταὶ ὄντες, τῷ πνεύματι ὡς διδάσκαλον αὐτὸν προσεδόκων, καὶ διὰ τοῦτο ὃν δικαίως ἀνέμενον, παρὼν ἤγειρεν αὐτοὺς ἐκ νεκρῶν. μὴ οὖν ἀναισθητῶμεν τῆ χρηστότητι αὐτοῦ. ἐὰν γὰρ ἡμᾶς μιμήσεται † κατὰ πρόσωπον, οὐκ ἔτι ἐσμέν· διὰ τοῦτο μαθηταὶ αὐτοῦ γενώμενοι, μάθωμεν κατὰ Χριστιανισμὸν ζῆν. ὃς γὰρ ἄλλῳ ὀνόματι καλεῖται πλέον τούτου, οὐκ ἔστιν τοῦ Θεοῦ. ἀπόθεσθε οὖν τὴν κακὴν ζύμην τὴν παλαιωθεῖσαν καὶ ἐνοξίσασαν, καὶ μεταβάλεσθε εἰς νέαν ζύμην, ὅς ἐστιν Ἰησοῦς Χριστός. ἁλίσθητε ἐν αὐτῷ, ἵνα μὴ διαφθαρῇ τις ἐν ὑμῖν, ἐπεὶ ἀπὸ τῆ ὀσμῆς ἐλεγχθήσεσθε. ἄτοπόν ἐστιν Χριστὸν Ἰησοῦν καλεῖν, καὶ Ἰουδαΐζειν. ὁ γὰρ Χριστιανισμὸς οὐκ εἰς Ἰουδαϊσμὸν ἐπίστευσεν, ἀλλὰ Ἰουδαϊσμὸς εἰς Χριστιανισμὸν, ὡς πᾶσα γλῶσσα πιστεύσασα εἰς Θεὸν συνήχθη. ταῦτα δέ, ἀγαπητοί μου, οὐκ ἐπεὶ ἔγνων τινὰς ἐξ ὑμῶν ὕπως ἔχοντας, ἀλλ', ὡς μικρότερος ὑμῶν, θέλω προφυλάσσεσθαι ὑμᾶς, μὴ ἐμπεσεῖν εἰς τὰ ἄγκιστρα τῆ κενοδοξίας, ἀλλὰ πεπληροφορῆσθαι ἐν τῇ γνώσει, καὶ τῷ πάθει, καὶ τῇ ἀναστάσει τῇ γενομένῃ ἐν καιρῷ τῆ ἡγεμονίας Ποντίου Πιλάτου, πραχθέντα ἀληθῶς καὶ βεβαίως ὑπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆ ἐλπίδος ἡμῶν, ἧς ἐκτραπῆναι μηδενὶ ὑμῶν γένοιτο· i.e. (juxta verſionem interpretis Uſſeriani veteris) "Omnes
" ut in unum templum concurrite Dei, ut
" in unum altare, in unum Jeſum Chri-
" ſtum, ab uno Patre exeuntem, & in unum
" exiſtentem & revertentem. Non erretis
" extraneis opinionibus, neque fabulis vete-
" ribus, inutilibus exiſtentibus. Si enim
" uſque nunc ſecundùm Judaiſmum vivi-
" mus, confitemur gratiam non recepiſſe.
" Diviniſſimi enim Prophetæ ſecundùm
" Chriſtum Jeſum vixerunt. Propter hoc
" & perſecutionem paſſi ſunt, inſpirati à gra-
" tia ipſius, ad certificare imperſuaſos, quo-
" niam unus Deus eſt, qui manifeſtavit ſe i-
" pſum per Jeſum Chriſtum filium ipſius,
" QUI EST IPSIUS VERBUM ÆTER-
" NUM, NON A SILENTIO PRO-
" GREDIENS, qui ſecundum omnia bene
" placuit mittenti ipſum. Si igitur in vete-
" ribus rebus converſati, in novitatem ſpei
" venerunt, non ampliùs ſabbatizantes, ſed
" ſecundum Dominicam viventes, in qua &
" vita noſtra orta eſt per ipſum & mortem
" ipſius, quod || quidam negant; per quod || l. quam.
" myſterium accepimus credere, & propter
" hoc ſuſtinemus, ut inveniamur diſcipuli
" Jeſu Chriſti, ſolius Doctoris noſtri; quo-
" modo nos poterimus vivere ſine ipſo? Cu-
" jus & Prophetæ diſcipuli exiſtentes, ſpi-
" ritu ipſum ut Doctorem expectabant; &
" propter hoc quòd juſtè expectabant, præ-
" ſens ſuſcitavit ipſos ex mortuis. Non igi-
" tur non ſentiamus benignitatem ipſius. Si
" enim nos perſequatur ſecundùm quod o-
" peramur, non ampliùs ſumus. Propter
" hoc diſcipuli ejus effecti, diſcamus ſecun-
" dum Chriſtianiſmum vivere. Qui enim
" alio nomine vocatur ampliùs ab hoc, non
" eſt Dei. Deponite igitur malum fermen-
" tum inveteratum & exacuens; & tranſpo-
" nite in novum fermentum, qui eſt Jeſus
" Chri-

---

* Leg. ἰουδαισμῶ, vel vox omino omittenda. Vide Voſſii Notas in locum.

† Τιμήσεται, *æſtimet*, legendum, in margine notavit Auctor doctiſſimus, conjecturam Vedelii & Iſaaci Voſſii ſecutus. Sed quid ſi ex Cod. Nydprucciano interpolatæ hujus Epiſtolæ reponas μωμήσεται, *reprehendat*, vel μισήσεται, ex Clementis Alex. Pædagog. l. 1. c. 8. pag. 113. ubi hæc Ignatii verba, uti videtur, imitatus ſcribit: πῶς οὖν μισεῖ ὁ λόγος, βέλεται αὐτὸ μὴ εἶναι.

" Christus. Salificemini in ipso, ut non cor-
* L. *quia*. " rumpatur aliquis in vobis, qui * ab odore
" redarguemini. Inconveniens est Jesum
" Christum perfari, & Judaizare. Christi-
" anismus enim non in Judaismum credidit;
" sed Judaismus in Christianismum: ut o-
" mnis lingua credens in Deum congregare-
" tur. Hæc autem, dilecti mei, non quia
" cognovi aliquos ex vobis sic habentes;
" sed ut minor vobis, volo præservari vos,
" ut non incidatis in hamos vanæ gloriæ;
" sed certificemini in nativitate & passione
" & resurrectione, factâ in tempore ducatûs
" Pontii Pilati; quæ facta sunt verè & fir-
" miter à Jesu Christo, spe nostra: à qua a-
" verti nulli vestrûm fiat.

§. 6. Hic contextus orationis apertissimè demonstrat, eosdem omnino Hæreticos, à capite sermonis ad calcem usque, designari. Quinam verò Hæretici illi? De Valentinianis non agi (quod somniârunt Blondellus & Dallæus,) certissimum est; siquidem ex tota perioche liquet, Hæreticos, quos ferit Ignatius, Judaismum professos fuisse: quod de Valentinianis nemo Veterum prodidit; nemo recentiorum (quod sciam,) vel fando inaudivit. De suis vero Heterodoxis ait Ignatius, ipsos *secundùm Judaismum vixisse, sabbatizâsse, dum Jesum Christum profitebantur, tamen Judaizasse, &c.* Ad hoc argumentum, à R. Pearsono adductum, nihil respondit ejus Observator, neque sane quicquam solidi respondere unquam poterit. Jam ad Ebionæos quod attinet, quanquam Judaismi nota in ipsos quadret; cætera tamen omnia Gnosticis aptiùs conveniunt: quædam verò de aliis quàm Gnosticis intelligi nequeunt. Nam primò verba illa, quibus Magnesios hortatur Ignatius, *ut concurrant ut in unum Jesum Christum, ab uno Patre exeuntem, & in unum existentem & revertentem*; hæc, inquam, verba Gnosticos, imprimis Cerinthianos, apertè feriunt. Nam Cerinthiani non in unum Jesum Christum crediderunt; sed alium esse Jesum, alium Christum (à summa principalitate in Jesum post baptisma venientem, iterumque à Jesu ante passionem ipsius ad suum Pleroma revertentem) docuerunt. Neque ipsi unum Patrem Jesu Christi agnoverunt; sed Jesu Patrem Demiurgum, sive mundi fabricatorem, Christi superiorem potestatem professi sunt, quemadmodum infrà ex Irenæo ostendemus. Deinde cùm mox ab Ignatio veteris Test. Prophetæ dicuntur *inspirati à gratia Christi ad persuadendum incredulis, quòd unus sit Deus, qui manifestavit seipsum per Jesum Christum Filium ipsius*; hîc iterum Gnostici non obscurè perstringuntur. Nam illi omnes & soli docuerunt, alium esse Deum mundi conditorem, alium Deum illum, qui se per Christum Filium hominibus patefecit. Præterea ad ipsam Ignatii, de qua quæritur, sententiam quod attinet, quanquam facilè concesserim, verba, ἐκ ἀπὸ σιγῆς προελθὼν, per exegesin addita esse ad explicationem eorum, quæ de Verbi æternitate præcesserant; tamen manifestum mihi videtur, eâ explicatione Ignatium voluisse pravo alicui conceptui Hæreticorum, quos perstringit, de Verbi prolatione, occurrere. At Ebionæi de ista prolatione nihil philosophati sunt; Gnostici verò communiter, & inter ipsos Cerinthiani, perabsurdam eâ de re opinionem conceperunt; cui redarguendæ ista Ignatii verba sunt appositissima, uti mox videbimus. Imò omnino existimo, veteres Ebionæos neque ipsum τῷ λόγῳ nomen aut vocabulum de Christo usurpâsse unquam; utpote qui Evangelium Joannis, ubi Christus ὁ λόγος dicitur, planè rejecerunt, solo eô quod est secundum Matthæum, Evangeliô utentes, ut disertè testatur Irenæus lib. 1. c. 26. Porro cum Ignatius, postquam admonuerat *non sabbatizandum* Christianis, sed *secundùm Dominicam vivendum, in qua & vita nostra orta est per ipsum* [Christum] *& mortem ipsius*, continuò subjungit, *quam quidam negant*; non obscurè significat, Judaizantes illos Hæreticos, quos notat, unà cum errore suo, de necessaria Legis Mosaicæ observatione, etiam alterum conjunxisse longè pejorem, hoc est, veram Christi passionem ac mortem negâsse. Quod quidem de Ebionæis verè dici nequit; de Gnosticis verò Cerinthianis verissimè affirmatur, quemadmodum mox ostendemus. Denique conclusio hujus Ignatiani sermonis sententiam nostram apertissimè confirmat: " Hæc autem, *inquit*, dilecti mei, non quia " cognovi aliquos ex vobis sic habentes: sed " ut minor vobis, volo præservari vos, ut " non incidatis in hamos vanæ gloriæ: sed " certificemini in nativitate & passione & " resurrectione, facta in tempore ducatûs " Pontii Pilati; quæ facta sunt verè & fir- " miter à Jesu Christo, spe nostra: à qua a- " verti nulli vestrûm fiat. " Ex his, inquam, verbis liquidò liquet, Hæreticos, de quibus in antecedentibus Magnesios suos præmonet Ignatius, esse non Ebionæos, sed Gnosticos. Nam in Hæreticorum istorum hamos ne incidant Magnesii, ipsos hortatur, illudque tanquam ἀλεξιφάρμακον contra istorum venena ipsis præscribit Ignatius, ut persuasum habeant, Jesum Christum verè natum & passum fuisse, & verè à mortuis resurrexisse temporibus Pontii Pilati, neque ab hac persuasione se abduci sinant. Hæc autem, inquam,

inquam, certè nihil ad Ebionæos, ad Gnosticos verò, & Cerinthianos speciatim, quàm maximè pertinebant. Quippe Gnostici omnes, cujuscunque denominationis fuerint, veram Jesu Christi nativitatem, passionem & resurrectionem revera negârunt, quanquam non eâdem omnes ratione. Hoc Irenæus, curiosissimus Gnosticorum doctrinæ explorator, eruditè observat lib. 3. cap. 11. Ubi postquam ostenderat, quomodo Joannes Apostolus in ipso Evangelii initio Cerinthianos & Nicolaitas perstringat; (quem ipsius sermonem paulò inferiùs adducemus;) mox ad verba illa v. 14. cap. 1. descendit, demonstrans, neque Cerinthianos illos, neque aliam ullam Gnosticorum sectam, Jesu Christi incarnationem, passionem aut resurrectionem sincerè agnovisse. Verba ejus hæc sunt: "Secundùm autem illos, neque Verbum "caro factum est, neque Christus, neque "qui ex omnibus factus est, Salvator. Etenim Verbum & Christum nec advenisse in "hunc mundum volunt; Salvatorem verò "non incarnatum, neque passum; descendisse autem quasi columbam in eum Jesum, qui factus est ex dispositione, & cùm "adnunciasset incognitum Patrem, iterum "ascendisse in Pleroma. Incarnatum autem "& passum quidam quidem eum qui ex dispositione sit, dicunt Jesum, quem per Mariam dicunt pertransiisse, quasi aquam per "tubum; alii verò Demiurgi filium, in "quem descendisse eum Jesum qui ex dispositione sit: alii rursum Jesum quidem ex "Joseph & Maria natum dicunt, & in hunc "descendisse Christum, qui de superioribus "sit, sine carne & impassibilem existentem. "SECUNDUM AUTEM NULLAM "SENTENTIAM HÆRETICORUM, "Verbum Dei caro factum est. Si enim quis "regulas ipsorum omnium perscrutetur, inveniet quoniam sine carne & impassibilis "ab omnibus illis inducitur Dei Verbum, & "qui est in superioribus Christus. Alii enim putant manifestum || eum, quemadmodum hominem transfiguratum, neque "autem natum, neque incarnatum dicunt illum: alii verò neque figuram illum assumpsisse hominis, sed quemadmodum columbam descendisse in eum Jesum, qui natus est ex Maria. Omnes igitur illos falsos testes ostendens discipulus Domini, ait: "Et Verbum caro factum est, & habitavit "in nobis." Hæc Irenæus. De Cerinthianis autem id peculiare tradunt Philastrius, Epiphanius & Augustinus, quòd docuerint *etiam Jesum nondum resurrexisse, sed resurrecturum aliquando*; nempe, ut arbitror, cùm terrestris Regni millenium, quod somniârunt, incepturum esset. His addas, quòd verba illa Ignatii, *ut non incidatis in hamos vanæ gloriæ*, Gnosticos omnino respicere videantur, qui κενοδοξίας mancipia fuerunt. Quippe propter mira sua de Æonibus commenta videri volebant isti eruditiores cæteris, spernebantque alios Christianos ut rudiores: indeque Γνωστικῶν nomen ipsi sibi fecere. Hactenus, ut arbitror, clara sunt omnia.

p. 257, & 258. edit. Feuard.

|| L. *manifestatum.*

§. 7. Sed quid, inquies, dicendum de Judaismo, quem suis Hæreticis per totam periochen exprobrat Ignatius? Annon hæc nota Ebionæorum & Nazaræorum propria fuit? Nunquid hæc nota convenit Gnosticis? Respondeo, omnino. Gnostici enim Cerinthiani, quanquam, ut videtur, revera Legem & ritus Judaicos non magni facerent, adeoque de Legis auctore intus indigna sentirent; quamdiu tamen potentia Judæorum aliquatenus stetit, indeque gravissimæ Christianis persecutiones passim oborirentur, (hoc est, ad usque ultimum Judæorum excidium sub Adriano, quô tempore Judæorum reliquiæ per Adriani operam, meritò ipsis infensissimi, in extremum omnium odium & contemptum venere,) cum Judæis Judaizarunt, quò crucem effugerent. Certè Epiphanius Hæres. 28. Philastrius in *Cerintho*, & Augustinus de Hæresibus cap. 8. disertè tradunt, Cerinthianos docuisse, *circumcidi oportere, & Legem Mosaicam observare*. Epiphanius autem d. l. expresè notat, Cerinthum, cùm Legem ipse coleret, Angelum tamen Judæorum sive Legis datorem adeo non adorâsse, ut potiùs eum malum esse diceret *, & detestaretur: quanquam non ausus fuerit hoc palàm docere, & profiteri, quod postmodum Marcion fecit. Unde sequitur, Cerinthum non ex animo Judaizasse; sed ob commoda tantùm sua, ut cum Judæis gratiam iniret, & persecutiones ab ipsis excitatas effugeret, Legis Mosaicæ zelum præ se tulisse, ut modò observavimus. Hinc plerique è Cerinthianis, quanquam aliis circumcisionem injungerent, ipsi tamen incircumcisi manserunt. Unde Ignatius in Epistola ad Philadelphenses ipsos perstringit his verbis notatu dignissimis: ἐαὰν ἤ τις Ιουδαϊσμὸν ἑρμηνεύῃ ὑμῖν, μὴ ἀκούετε αὐτοῦ· ἄμεινον γάρ ἐστιν παρ' ἀνδρὸς περιτομὴν ἐχοντος Χριστιανισμὸν ἀκούειν, ἢ παρὰ ἀκροβύστου Ιουδαισμόν.

* φάσκει γὰρ τὸν νόμον δεδωκότα ἂν ἀγαθὸν, ὃ τῷ νόμῳ πείθεσθαι δηλοῖ, κακὸν ἢ ὅπως ἀγαθῷ. πῶς ἂν ὁ πονηρὸς τὸν ἀγαθὸν νόμον δέδωκεν; Epiphan. Hær. 28.

i. e. " Si quis autem Judaismum interprete-
" tur vobis, non audiatis ipsum. Melius est
" enim à viro circumcisionem habente Chri-
" stianismum audire, quàm ab habente præ-
" putium Judaismum. " Scilicet ex his verbis liquet, fuisse eô tempore, quô scripta fuit hæc Epistola, (ut ejus antiquitatem Ignatii ætati convenientem agnoscas,) qui, cùm ipsi præputiati essent, Judaismum tamen profiterentur, aliisque persuaderent. De his etiam loqui mihi videtur ipse Dominus in Epistola per Joannem, Ignatii magistrum, ad eosdem Philadelphicos missa, Apoc. 3. v. 9. ubi mentio fit τῶν λεγόντων ἑαυτοὺς Ιουδαίους ἔιναι, καὶ οὐκ εἰσὶν, ἀλλὰ ψεύδονται. Vide & Apoc. 2. v. 9. In utroque loco hi dicuntur non Judæi, sed Synagoga Satanæ: nempe quòd cùm Israelis & Legis Deum à se coli profiterentur, revera tamen ipsum illum Deum, Satanicô spiritu instigati, detestarentur & blasphemarent. Quinam vero illi? Ebionæi? Minimè certè. Nam Ebionæi omnes circumcisi erant, atque omnem Legem Mosaicam religiosissimè observabant. Itaque Gnosticos Cerinthianos omnino his verbis designat Ignatius; de quibus & in verbis ibidem antecedentibus manifestè agit. Quippe hos apertè feriunt verba illa, quæ in ipso perioches initio occurrunt: πολλοὶ γὰρ λύκοι ἀξιόπιστοι ἡδονὴ κακὴ αἰχμαλωτίζουσιν τοὺς θεοδρόμους· *Multi enim lupi fide digni* (i. e. qui fide digni videntur,) *delectatione malâ captivant in Deum cursores.* Nam de Cerintho magnus Dionysius Alexandrinus apud Eusebium (Eccl. Hist. lib. 7. cap. 25.) refert, τοῦτο εἶναι τὸ διδασκαλίας αὐτοῦ τὸ δόγμα, ἐπίγειον ἔσεσθαι τὸ τοῦ Χριστοῦ βασιλείαν, καὶ ὧν αὐτὸς ὠρέγετο φιλοσώματος ὢν καὶ πάνυ σαρκικὸς, ἐν τούτοις ἀνειροπολεῖν ἔσεσθαι· γαστρὸς καὶ τοῦ ἑξῆς τοῦ γαστέρα πλησμονάς, τουτέστι σιτίοις καὶ ποτοῖς καὶ γάμοις, καὶ δι' ὧν εὐφημότερον ταῦτα φήθη περιεῖσθαι, ἑορταῖς καὶ θυσίαις καὶ ἱερείων σφαγαῖς· i.e. " Hanc ejus opinionem fuisse, Regnum Chri-
" sti terrenum futurum, & in iis maximè
" rebus, quas ipse, utpote omnino carnalis
" & voluptatibus corporeis deditus, præci-
" puè concupiscebat, hæsurum; in ventris
" scilicet, & eorum quæ sub ventre sunt, sa-
" tietate, id est, in cibis ac poculis, in nu-
" ptiis, & in iis quibus ista honestiùs parari
" posse existimabat, festis nimirum & sa-
" crificiis, & hostiarum mactationibus. "
Idem diu ante Dionysium testatus est Vir celebris, Caius Presbyter, apud Eusebium Eccles. Hist. lib. 3. cap. 28. ubi de Cerintho sic loquitur: περαιτολογίας ἡμῖν ὡς δι' ἀγγέλων αὐτῷ δεδειγμένας ψευδομένῳ, ἐπεισάγει λέγων, μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐπίγειον ἔσεσθαι τὸ βασίλειον τοῦ Χριστοῦ· καὶ πάλιν ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς ἐν Ιερουσαλὴμ τὴν σάρκα πολιτευομένην δουλεύειν· καὶ ἐχθρὸς ὑπάρχων ταῖς γραφαῖς τοῦ Θεοῦ, ἀριθμὸν χιλιονταετίας ἐν γάμῳ ἑορτῆς, θέλων πλανᾶν, λέγει γίνεσθαι· i. e. " Portenta quæ-
" dam quasi ab Angelis sibi ostensa commen-
" tus, nobis introducit, affirmans post resur-
" rectionem Regnum Christi in terris futu-
" rum, ac rursus homines Hierosolymis de-
" gentes cupiditatibus & voluptatibus cor-
" poris servituros. Additque hostis ille di-
" vinarum Scripturarum, mille annorum
" spatium in nuptialibus festis transactum
" iri, quò facilius imperitos homines deci-
" piat. " Scilicet hâc Epicuræi (ut ita dicam) Millennii sui escâ (quam meritò καινὴν ἡδονὴν dixit Ignatius,) multos ad se discipulos Cerinthus ille attraxit, sive (ut Ignatius iterum loquitur,) *in Deum cursores captivavit.* Cum Ignatio ad Philadelphicos scribente pergo. Certè etiam verba ejus ibidem sequentia, εἴ τις ἐν ἀλλοτρίᾳ γνώμῃ περιπατεῖ, ἕτερος τῷ πάθει οὐ συγκατατίθεται· i. e. *Si quis in aliena sententia circumambulat, iste passioni non concordat*; hæc, inquam, verba non Ebionem, sed Cerinthum designant, qui, cum Gnosticis omnibus, (ut suprà ex Irenæo observatum est,) Christi Domini passionem revera denegavit.

§. 8. Tandem ad caput rei venio, clarè ostensurus, quomodo etiam verba illa Ignatii in Epistola ad Magnesios, ἧς ἔστιν αὐτὸς λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθὼν, dogma Cerinthianorum perstringant. Dico igitur Cerinthum de productione τοῦ λόγου prorsus juxtà cum Valentino sensisse, ipsique in hæresi ista præivisse. Quod & probo disertissimô Irenæi testimoniô lib. 3. cap. 11. ubi, quomodo verba Joannis in Evangelii sui initio figmenta Gnosticorum, Nicolaitarum imprimis & Cerinthianorum, confodiant, ostensurus Pater doctissimus, ita scribit: " Hanc fidem an-
" nuntians Joannes Domini discipulus, vo-
" lens per Evangelii annuntiationem auferre
" eum, qui à CERINTHO inseminatus erat
" hominibus, errorem, & multò priùs ab his
" qui dicuntur Nicolaitæ, qui sunt vulsio
" ejus quæ falsò cognominatur scientia, ut
" confunderet eos, & suaderet eos, quoniam
" unus Deus, qui omnia fecit per Verbum
" suum; & non, quemadmodum illi dicunt,
" alterum quidem fabricatorem, alium au-
" tem Patrem Domini; & alium quidem
" fabricatoris Filium, alterum vero de supe-
" rioribus Christum, quem & impassibilem
" perseverâsse, descendentem in Jesum Fili-
" um fabricatoris, & iterum revolâsse in
" suum Pleroma: & INITIUM QUIDEM
" ESSE MONOGENI*; LOGON AU-
" TEM

p. 257. edit. Feuardent.

* L. Monogenem.

" TEM VERUM FILIUM UNIGENITI: " & eam conditionem, quæ eſt ſecundùm " nos, non à primo Deo factam, ſed à vir- " tute aliqua valdè deorſum ſubjectâ, & ab- " ſciſsâ ab eorum communicatione, quæ ſunt " inviſibilia & innominabilia. Omnia igi- " tur talia circumſcribere volens diſcipulus " Domini, & regulam veritatis conſtituere " in Eccleſia, quia eſt unus Deus omnipo- " tens, qui per Verbum ſuum omnia fecit, " & viſibilia & inviſibilia ; ſignificans quo- " que, quoniam per Verbum, per quod Deus " perfecit conditionem, in hoc & ſalutem " his qui in conditione ſunt, præſtitit homi- " nibus ; ſic inchoavit in ea quæ eſt ſecun- " dùm Evangelium doctrina : In principio " erat Verbum, &c." Obſerva hîc, Lector, Cerinthianorum cum Valentinianis conſenſum. Primò Cerinthiani, non minùs quàm Valentiniani, plures virtutes, multa *inviſibilia* & *innominabilia*, hoc eſt, multos Æonas, inter primum Deum & Mundi fabricatorem ſtatuerunt. Deinde utrique pariter inter ſuos Æonas τὸν λόγον numerârunt. Porro utrique *Logon* non ex primo Deo immediatè, ſed à *Monogene* ſive *Nu* derivârunt. Deniq; utriq; perinde τὸ λόγῳ æternitatem negârunt. De Valentinianis conſtat. De Cerinthianis verò diſertè hîc teſtatur Irenæus, quòd initium tribuerint ipſi Monogeni, quem Logi Patrem dixerunt.

§. 9. Ad σιγὴν verò quod attinet, quis non facilè (ac ſine teſte) crediderit, Cerinthianos, ut cum Valentinianis Logon ex Monogene deduxerunt, ita Monogenen quoque è Sige derivâſſe? Præſertim cùm expreſsè dicat Irenæus, Cerinthum tribuiſſe etiam ipſi Monogeni initium. Nam hinc ſequitur, juxta Cerinthum, alium Æonem, ſeu potiùs Æonas alios, Monogenem præceſſiſſe. Quinam verò illi Æones, niſi Bythus & Sige? Certè conſtat (quicquid contrà obtendat Obſervator in Pearſonum) Monogenen à Gnoſticis omnibus, qui illum inter ſuos Æonas numerârunt, ideo Monogenen appellatum fuiſſe, quòd ipſe ſolus ex prima omnium συζυγίᾳ proximè & immediatè genitus fuerit. Deinde hic ipſe locus Auctoris Epiſtolæ ad Magneſios, (quem ipſum fuiſſe Ignatium, aliunde validiſſimis argumentis demonſtrârunt eruditi ;) ad hoc probandum apud æquos arbitros ſufficiat. Nam hiſce ipſius verbis, ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, Valentinianos neutiquam deſignari, Cerinthianos verò omnino perſtringi, jam ſatis luculenter, ut opinor, demonſtravimus. Docuit igitur alius præter Valentinum, docuit Cerinthus nominatim, Valentinô antiquior, Logon à Sige prodiiſſe. Præterea Gnoſtici, qui Logon inter ſuos Æonas poſteriores repoſuere, ejuſque æternitatem negârunt, (quod feciſſe Cerinthianos, expreſsè teſtatur Irenæus locô à nobis ſupra laudatô,) ii omnes Verbum à Silentio progreſſum docuiſſe, conſequenter & neceſſariò dicendi ſunt. Quid enim aliud (te obſecro) Gnoſticis omnibus ὁ λόγος quàm Sermo Dei vocalis? * Sermo autem Dei vocalis, ſi non niſi poſt infinita retro ſæcula extitit & productus fuit, omnino ſequitur, per infinita illa retro ſæcula Deum ſiluiſſe, ſive ſilentium apud Deum fuiſſe ; ac tandem vocalem Dei Sermonem quaſi erupiſſe. Hoc verò illud ipſum eſt, quod rejicit Ignatius, dum negat, λόγον ἀπὸ σιγῆς προελθεῖν. Irrefragabile eſſe hoc argumentum facilè videbit, quiſquis ipſum preſſiùs atque attentiùs expenderit. Denique Cerinthianos & Bythum & Sigen inter ſuos Æonas numerâſſe, diſertè teſtatur Auctor fide digniſſimus, Gregorius Nazianenus Orat. 23. ἦν ὅτε (inquit) γαλήνην εἴχομεν ἀπὸ τῶν αἱρέσεων, νίκᾳ Σίμωνες μὲν καὶ Μαρκίωνες, Οὐαλεντῖνοί τε τινες καὶ Βασιλεῖδαι καὶ Κέρδωνες, Κήρινθοί τε καὶ Καρποκράτεις, καὶ πᾶσα ἡ περὶ ἐκείνες φλυαρία τε καὶ πραγτεία ἐπὶ πλεῖσον τῶν ὅλων Θεὸν τεμόντες, καὶ ὥσπερ τὸ ἀγαθὸ τῷ δημιεργῷ πολεμήσαντες, ἔπειτα καλεπόθησαν τῷ ἑαυτῶν βύθῳ, καὶ τῇ σιγῇ παραδοθέντες, ὥσπερ ἦν ἄξιον· i. e. " Fuit quondam illud " tempus, cùm ab hæreſium procellis tran- " quilla omnia habebamus, cùm videlicet " Simones, & Marciones, & Valentini, & " Baſilidæ, & Cerdones, CERINTHI etiam " & Carpocrates, cum omnibus ipſorum nu- " gis & præſtigiis, poſteaquam rerum omni- " um Deum perdiuturno tempore ſecuiſſent, " bellumque pro Bono adverſus Creatorem " geſſiſſent, SUOMET, ut æquum erat, " PROFUNDO abſorpti, ac SILENTIO " traditi fuerunt." Animadvertis, Cerinthianos nominatim inter eos Gnoſticos recenſeri, qui ſuum habuere Bythum, & Sigen ſuam.

Tom. 1. p. 414.

§. 10. Pudet cavillationem referre, quâ luculentum hoc Nazianzeni teſtimonium, à Pearſono adductum, eludere conatur Auctor, qui in ejus Vindicias Obſervationes ſcripſit. " Nemo, *inquit*, non videt Gre- " gorium hoc ſolùm velle, hæreſes à ſe me- " moratas evanuiſſe tandem, nullamq; pror- " ſus

p. 194.

* Vide teſtimonium Irenæi ex lib. 2. c. 48. citatum infra n. 11.

" ſus Eccleſiæ moleſtiam creare; ideoque " ſcribit Profundo abſorptas ac ſilentio tra- " ditas fuiſſe, alluſione videlicet factâ ad " Profundum & Silentium Valentini, cui " illiuſque ſectatoribus competunt hæc ulti- " ma Nazianzeni verba, non autem cæteris, " quos nominat, Hæreticis." Atqui apertè falſum eſt, poſtrema Nazianzeni verba ſolis Valentinianis competere. Quippe Nazianzenus, poſtquam non modò Valentinum, ſed & Simonem, Marcionem, Baſilidem, Cerdonem, Cerinthum etiam & Carpocratem nominâſſet, de his omnibus ait, ipſos cum omnibus ſuis nugis & præſtigiis SUO (N.B.) Profundô abſorptos ac ſilentio traditos fuiſſe: quæ alluſio planè abſurda foret, atque elegantiſſimô Scriptore prorſus indigna, niſi & cæteri Hæretici ab ipſo nominati, juxtà cum Valentino, ſuum Bythum & Sigen habuiſſent. Præterea ſi illud tantùm voluit Nazianzenus, Hæreticos à ſe memoratos evanuiſſe tandem, ſine reſpectu ad Bythum & Sigen, de quibus illi omnes philoſophati eſſent; cur, quæſo, non ſimiliter loquitur de cæteris Hæreticis, quos ibidem recenſet? Cur non ipſos quoque cum Simone, Valentino, Baſilide, Cerintho, &c. in eodem (ut ita dicam,) prædicamento collocat? Nimirum hæc apud Nazianzenum continuò ſequuntur: Μοντανὸ ἢ τὸ πονηρὸν πνεῦμα, ἢ τὸ Μανὲ σκότος, ἢ ἡ Νοβάτου θρασύτης ἢ καθαρότης, Σαβελλίου τε ἡ κακὴ συνηγορία ἢ μοναρχίας εἶξε ἢ ὑπεχώρησεν· i.e. " Mon- " tani autem malus ſpiritus, & Manis tene- " bræ, & Novati temeritas dicam an puri- " tas? & Sabellii mala Monarchiæ aſſertio, " ceſſerunt, ſeſeq; ſubduxerunt." Cur non dicit ſuo Bytho & Sige tradita fuerunt? Ratio in promptu eſt. Hi poſtremò & ſeorſim nominati Hæretici Bythum & Sigen, ut priores, neutiquam venerati ſunt. Certè Nazianzenus non temerè aut inconſultò, ſed attentè, vigilanter & accuratiùs hæc ſcripſit, unicuique hæreſi ſua tribuens. Simoni, Marcioni, Valentino, Baſilidæ, Cerdoni, Cerintho etiam & Carpocrati, quos ſimul in priori ſententia complectitur, ſuum Bythum & Sigen aſcribit: quia illi omnes revera Bythum & Sigen, tanquam primam omnium *συζυγίαν*, agnoverunt. De Montano & reliquis, quos poſtmodum ſeorſim recenſet, quàm appoſitè ſcripſerit Nazianzenus, oſtendet tibi Elias Cretenſis in Commentario in locum: " Mon- " tanus, *inquit*, homo impius & ſacrilegus, " furioſam quandam & proſtitutæ pudicitiæ " fœminam ſecum trahens, eò audaciæ pro- " rupit, ut Spiritum ſanctum eam appella- " ret: quam magnus hic Vir improbum " potiùs ſpiritum optimô jure appellavit; " propterea quòd pravus & impurus ſpiri- " tus domicilium ſibi in ea conſtituiſſet. " Manes autem materiam & tenebras in- " creatas ac Deo coæternas eſſe aſtruebat. " Novatus porro, Eccleſiæ Romanæ Preſ- " byter, eos qui in fidei abjurationem inci- " diſſent, ad pœnitentiam minimè admitte- " bat. Quin nec eos, qui poſt baptiſmum " prolapſi eſſent, ad pœnitentiam ſeſe con- " ferentes, recipiendos eſſe contendebat, nec " item bigamos ſuſcipiebat. Quem de gradu " deturbatum Orthodoxi Patres, tanquam " pœnitentiam rejicientem, ac purum & cri- " minis expertem ſeipſum docentem, ab " Eccleſia ſubmoverunt. Jam de Sabellio " quoque in Oratione de dogmate dictum " eſt, quòd in unam Patris perſonam tres " perſonas contrahebat; non autem in tri- " bus perſonis Deitatis unitatem ſtatuebat." Hæc Elias. Quemadmodum igitur in poſteriori ſententia Nazianzenus Montano malum ſuum ſpiritum, Mani ſuas tenebras, Novato ſuam fictam puritatem, ac denique ſuam Sabellio malam Monarchiam rectè tribuit; ita Simoni, Marcioni, Valentino, Cerintho & reliquis in præcedenti ſententia ſimul conjunctis Hæreticis non minùs appoſitè ſuum Bythum & Sigen aſſignat.

Tom. 2. col. 821.

§. 11. Præcipua autem (nî fallor) ratio, quæ Obſervatorem movit, ut ultima Nazianzeni verba, *ſuo Profundo & ſilentio traditi fuerunt*, ad ſolos Valentinianos, non item ad reliquos Hæreticos ſimul cum ipſis nominatos propriè pertinere, contra manifeſtam ipſius Nazianzeni mentem ac ſententiam, contenderet, hæc eſt: quòd ſi poſtrema illa verba ad ſingulos Hæreticos priùs recenſitos accomodentur, tum etiam Marcionem ſuum habuiſſe Bythum & Sigen, dicendum ſit; at pro rato habet Obſervator, ſaltem Marcionem nihil quicquam de Bytho & Sige ſomniâſſe, imò nullos omnino Æonas agnoviſſe. Sed hæc mera eſt Obſervatoris præſumptio. Nam idem Nazianzenus in Oratione 44. Marcioniſtis non modò Æonas, ſed & triginta Æonas (numerum ei parem, quem Valentiniani coluerunt) diſertè tribuit. Sic enim ibi ſcribit: Τὴν ἑβδομάδα τιμῶσιν Ἑβραίων παῖδες, ἐκ τῆς Μωϋσέως νομοθεσίας, ὥσπερ Πυθαγορικοὶ τὴν τετρακτὺν ὕστερον, ἣν δὴ καὶ ὅρκον πεποίηνται, καὶ τὴν ὀγδοάδα καὶ τεμακάδα οἱ ἀπὸ Σίμωνος καὶ Μαρκίωνος, οἷς δὴ καὶ ἰσαρίθμους τινὰς αἰῶνας ἐπονομάζουσι καὶ τιμῶσιν· i. e. " Septenarium nume- " rum ex Legis Moſaicæ præſcripto He- " bræi in honore habent, quemadmodum " poſtea Pythagorei quaternarium, per " quem etiam jurare conſueverant, atque " octona-

" octonarium & tricenarium Simoniani &
" Marcioniſtæ, quibus etiam parem Æo-
" num numerum invocant & honorant. "
Quis dubitat, quin Nazianzenus ex quibuſdam Marcionis ſeu Marcionitarum Scriptis illud hauſerit? præſertim cùm eadem de Marcioniſtis tradiderint Elias Cretenſis & Nicetas, qui in Nazianzenum Commentarios ſcripſerunt. Sed Obſervator hîc, pro ſolita ſua modeſtia, & ipſum Nazianzenum imprudentiæ, utrumque verò ejus Scholiaſten craſſiſſimæ ignorantiæ arguit; quòd ea Marcioniſtis tribuerint, quæ revera Valentinianis conveniebant. Quaſi ſcilicet eadem commenta non poterant eſſe & Marcioniſtis & Valentinianis communia: aut quaſi Nazianzenus, Elias Cretenſis & Nicetas non intellexerint, Valentinum quidem primùm triginta Æonas coluiſſe; Marcionem verò poſtea iſta ejus deliramenta amplexum fuiſſe. Imò hoc diſertè monet Elias Cretenſis, idemque à Nazianzeno agnitum fuiſſe obſervat. Quippe in Notis ad Nazianzeni Orationem 23. poſtquam de prima Ogdoade Æonum locutus fuerat, ſic porro ſcribit: " Marci-
p. 819. " oniſtæ verò, adauctô morbô, tricenarium
" numerum venerabantur, ob triginta Æo-
" nas, quos ipſi colebant. Hoc enim deliri
" homines aiebant, quòd ex iis Æonibus,
" qui apud Simonianos eſſent, Sermo qui-
" dem & Vita Æones decem rurſum pro-
" duxiſſent; Homo autem & Eccleſia duo-
" decim alios Æonas: qui quidem ad octo
" eos, quos modò recenſuimus, adjuncti,
" tricenarium numerum efficiunt. Super-
" vacaneum autem fuerit eorum quoque
" nomina ſcribere; ita anilia ſunt & aſper-
" nanda. QUIBUS SIMILIA VALEN-
" TINUS QUOQUE TRADEBAT. Id-
" que magnus hic vir in oratione adverſus
" Arianos perſpicuum fecit.

§. 12. Nondum tamen tantæ auctoritati cedet Obſervator, aut credet, Marcioniſtas triginta Æonas coluiſſe. Cur, quæſo? Scilicet quia altum hac de re apud vetuſtiores Hæreſeologos ſilentium. Fateor quidem Irenæum (quem æmulatus eſt Tertullianus; ut de Epiphanio, Philaſtrio, Auguſtino aliiſque Hæreſeologiæ Scriptoribus, qui Nazianzenô juniores fuere, nihil dicam) in libro primo, ubi veterum Hæreticorum placita ex profeſſo recenſet, de Marcione agentem c. 29. nihil ejuſmodi ipſi tribuiſſe: & hinc fidenter concludit Obſervator, magnum Nazianzenum cum ſuis Scholiaſtis omnino errâſſe. Sed omnino fruſtra eſt ipſe Obſervator. Nam Irenæus eodem in libro de Cerintho cap. 25. & de Nicolaitis c. 27. agens, nullos eorum Æonas commemorat; ut neque de ipſorum Æonibus quicquam dicit Tertullianus. An hinc colligendum, neque Cerinthianos, neque Nicolaitas, ullos Æonas agnoviſſe? Nugæ. Nam ipſe Irenæus obiter alio in loco, quem ſuprà laudavimus, diſertè contrarium teſtatur. Res eſt: Irenæus in libro illo primo ſolorum Valentinianorum dogmata omnia (utpote adverſus quos præcipuè ſcripſit, quique maximè antiquiorum Gnoſticorum deliramenta interpolârunt & auxerunt) accuratè deſcribit: ubi autem de cæteris Hæreticis agit, fere tantùm τὰ ἴδια ipſorum placita commemorat. Hinc altum illud ibidem de Æonibus Nicolaitarum & Cerinthianorum, de quo dixi, ſilentium: qui tamen, ipſo alibi Irenæô teſte, docuerunt, Logon eſſe Filium Monogenis, ipſumque adeo Monogenen aliunde initium habuiſſe: ſcilicet hoc illorum dogma ipſis cum aliis Gnoſticis commune fuit. Imò de Cerintho illud apprimè obſervandum, Irenæum neque ejus notiſſimum errorem de obſervatione Legis Moſaicæ ibidem memorâſſe; ob eandem ſcilicet rationem, quòd hunc errorem juxtà cum ipſo erraverit Ebion. Ita igitur prorſus cum ad Marcionem venit c. 29. de ejus Æonibus totus ſilens, tantùm peculiaria ipſius dogmata recenſet. Ex quibus hoc præcipuum fuit, Deum illum, qui â Lege & Prophetis annuntiatus eſt, non modò alium eſſe à ſummo Deo, ipſoque longè inferiorem, (quod priores Gnoſtici omnes docuerunt,) ſed & malum eſſe & mali auctorem, ut ibidem teſtatur Irenæus. Qui etiam in fine ejuſdem capitis dicit, Marcionem *ſolum manifeſtè auſum fuiſſe circumcidere Scripturas, & impudoratè ſuper omnes obtrectare Deum.*

§. 13. Illud tamen addendum, quòd ipſe Irenæus alibi non obſcurè doceat, Marcionem fuiſſe hactenus Valentini ὁμόδοξον, ut de Logi productione de Bytho & Sige prorſus cum ipſo ſenſerit. Nam in libri 2. cap. 48. Vir ſanctus & eruditus ita Gnoſticos affatur: " Propheta quidam ait de eo,
" (*nempe de Filio Dei*) Generationem ejus
" quis enarrabit? Vos autem generationem
" ejus ex Patre divinantes, & VERBI
" HOMINUM PER LINGUAM FA-
" CTAM PROLATIONEM TRANS-
" FERENTES IN VERBUM DEI, juſtè
" detegimini à nobis, quòd neque humana,
" nec divina noveritis. Irrationabiliter au-
" tem inflati, audaciter inenarrabilia Dei
" myſteria ſcire vos dicitis: quandoqui-

" dem & Dominus ipſe Filius Dei, ipſum
" judicii diem & horam conceſſit ſcire ſo-
" lum Patrem, manifeſtè dicens: De die
" autem illa & hora nemo ſcit, neque Fi-
" lius, niſi Pater ſolus. Si igitur ſcien-
" tiam diei illius Filius non erubuit referre
" ad Patrem; neque nos erubeſcimus quæ
" ſunt in quæſtionibus majora ſecundum
" nos, reſervare Deo. Nemo enim ſuper
" Magiſtrum eſt. Si quis itaque nobis di-
" xerit, quomodo ergo Filius prolatus à
" Patre eſt? dicimus ei, quia prolationem
" iſtam, ſive generationem, ſive nuncupati-
Al. melius, *quôlibet.* " onem, ſive adapertionem, aut quomodo li-
" bet quis nomine vocaverit generationem
" ejus inenarrabilem exiſtentem, nemo no-
" vit, non Valentinus, non MARCION,
" neque Saturninus, neque Baſilides, &c.
" Inenarrabilis itaque generatio ejus cùm
" ſit, quicunque nituntur generationes &
" prolationes enarrare, non ſunt compotes
" ſui, ea quæ inenarrabilia ſunt, enarrare
" promittentes. Quoniam enim ex CO-
" GITATIONE & SENSU verbum emit-
" titur, hoc utique omnes ſciunt homines."
Hîc Irenæus manifeſtè impugnat Hæreticos, quicunque inenarrabilem τὸν λόγον generationem enarrare auſi ſunt ex trivio petitis comparationibus; dicentes ſcilicet, Verbum Dei ex Patre generari ad inſtar verbi hominis per linguam prolati; & Verbum divinum, planè quemadmodum humanum, *ex cogitatione & ſenſu* (quibus verbis ἔννοιαν, ſive σιγὴν, & νοῦν exprimere ſolitum eſſe Irenæi Interpretem conſtat,) emitti. Ex Hæreticis autem Gnoſticis ita ineptientibus nominatim perſtringit non modò Valentinum, Saturninum & Baſilidem, ſed & Marcionem, quem etiam cum Valentino proximè conjungit: nimirum quòd ille non tantùm de prima tetrade cum Valentino ſenſerit; (ut Cerinthus, Saturninus, Baſilides & alii Gnoſtici, Valentinô priores,) ſed etiam ejus triginta Æonum Pleroma integrum amplexus & veneratus fuerit, quemadmodum Gregorius Nazianzenus & eruditi ejus Scholiaſtæ diſertè teſtantur. Saltem illud ex hoc Irenæi loco clarè colligitur, Marcionem juxtà cum Valentino ſenſiſſe & docuiſſe, Verbum Dei ex Patre generari ad inſtar Verbi humani per linguam prolati, & Verbum divinum, ſicut hominis verbum, ex cogitatione & ſenſu (hoc eſt, ex Ennoea, ſive Sige, & Nu,) emitti. Niſi enim ita res haberet, nulla ratio excogitari poſſit, cur Irenæus in hac reprehenſione Hæreticorum ita delirantium Marcionem nominatim notaret, ipſumque adeo cum Valentino proximè, ut dixi, conjungeret. Res manifeſta eſt. Porro Bythum & ejus Pleroma, Demiurgô ſuperius, agnoviſſe Marcionem, alibi ſatis apertè nos docet idem Irenæus. Nam in cap. 1. lib. 2. (cujus argumentum eſt, " quòd neque ex-
" tra Pleroma ſit univerſorum Deus, neque
" extra plenitudinem ejus eſſe aliquid, ne-
" que quidem duos eſſe Deos, immensô in-
" tervallô ab invicem diſtantes,&c.") ea quæ adverſus Valentinianos præcipuè ſcripſit, ſic Marcioniſtis accommodat: " Simi-
" liter autem, *inquit*, hæc & adverſus eos
" qui ſunt à Marcione, aptata ſunt. Con-
" tinebuntur enim & circumfinientur &
" duo Dei ejus ab immenſo intervallo, quod
" ſeparat eos ab invicem. Si autem id, ex-
" cogitandi eſt neceſſitas ||, ſecundùm omnem || Lege, *Si autem ad excogitandum eſt neceſſitas &c.*
" partem multos Deos immensâ ſeparatione
" diſtantes, ab invicem quidem inchoantes,
" ad invicem autem finientes; & illâ ratio-
" ne, quâ nituntur docere, ſuper fabricato-
" rem cœli & terræ eſſe aliquod Pleroma
" aut Deum, eâdem ratione utens quiſque
" aſtruet ſuper Pleroma alterum eſſe Plero-
" ma, & ſuper illud rurſus aliud, & ſuper
" Bythum aliud pelagus Dei; & è latera-
" bus autem ſimiliter eadem eſſe: & ſic in
" immenſum excidente * ſententiâ, & ſem-
" per neceſſitas erit excogitare altera Plero-
" mata, & alteros Bythos, & nunquam a-
" liquando conſiſtere, ſemper quærentes a-
" lios præter dictos." Hæc Irenæus. Quomodo autem, (te obſecro,) hæ abſurditates Marcioniſtas premerent, quomodo hæc Irenæi argumentatio: " Illâ ratione, quâ ni-
" tuntur docere, ſuper fabricatorem cœli &
" terræ eſſe aliquod Pleroma, aut Deum,
" eâdem ratione utens quiſque aſtruet ſuper
" Pleroma alterum eſſe Pleroma, & ſuper
" illud rurſus aliud, & ſuper Bythum aliud
" pelagus Dei;" quomodo, inquam, hæc argumentatio Marcioniſtas feriret, niſi illi de Bytho & Pleromate ejus, Demiurgô ſuperiori, cum Valentino ſenſiſſent? Certè ex hoc Irenæi loco clarè patet, Marcionem non modò Bythum, ſed & ejus Pleroma agnoviſſe; quin & docuiſſe, Demiurgum, ſive Deum illum qui mundum condidit, extra Bythi Pleroma exiſtere, ab ipſo longiſſimè diſſitum & ſeparatum: quæ ſane ipſiſſima fuere

---

* *Excedente* rectiùs legendum, in marg. notavit Doctiſſimus *Bullus*. De qua conjectura vide noſtram ad iſtum Irenæi locum Annotationem.

fuere Valentini dogmata. Jam verò, cùm tam manifestè significet Irenæus, Marcionem, juxtà cum Valentino, Bythi Pleroma veneratum fuisse; quis non facilè credet Nazianzeno testanti, eundem Marcionem, cum Valentino itidem, triginta Æonas coluisse? Scilicet in Bythi Pleromate totidem Æonas, Bythô ipsô inclusô, numeravit Valentinus. Denique cùm Valentinus infra Bythi Pleroma statuerit locum quendam *medietatis*, quem & *Vacuum* appellavit, ex quo emerserit Demiurgus, infimô in loco positus; in hôc etiam cum ipso consensisse Marcionem, disertè testatur idem Irenæus lib. 2. cap. 3. "Instabilis igitur, *inquit*, qui "secundùm eos Bythus & id quod est hu- "jus Pleroma, & Marcionis Deus. Siqui- "dem (quemadmodum dicunt) habet sub- "jacens aliquid, quod vacuum & umbram "vocant: & vacuum hoc magis Pleromate "ipsorum ostenditur instabile. Est autem "& hoc dicere *, infra se omnia continen- "te eo, ab altero quodam fabricatam esse "conditionem. Oportet enim illos neces- "sariò vacuum aliquid informe confiteri, "in quo fabricatum est hoc quod est uni- "versum, infra spiritale Pleroma, *&c.*" Hîc satis manifestum est, verba illa, *quemadmodum dicunt*, ad eos omnes referri, de quibus in præcedentibus sermo fuit. Atqui ibi non modò Valentiniani notantur, sed & Marcion nominatim perstringitur. Dixit igitur cum Valentinianis Marcion, infra spiritale Pleroma vacuum esse aliquid & informe, in quo fabricatum est hoc universum, idque per fabricatorem à summo Deo alterum. Res est: Pleraque Marcionis dogmata (quicquid statuerint nonnulli ejus discipuli & sectatores, qui variè ejus placita interpolârunt, immutârunt, quædam etiam apertè negârunt) ex priorum Gnosticorum, imprimis Valentini (quô posterior fuit Marcion) deliramentis omnino desumpta fuerunt. Hoc Marcioni proprium erat, quòd ipse primus Demiurgum, sive Mundi conditorem, apertâ petere blasphemiâ ausus fuerit, dicendo ipsum esse malum malique auctorem. Verbô dicam: palàm docuit Marcion duos esse Deos, nempe Bythum caput Pleromatis spiritalis, & Demiurgum extra Pleroma illud existentem; illumque bonum Deum, hunc malum appellavit. Cujus impii dogmatis ansam arripuit à Cerdone magistro suo, de quo sic scribit Irenæus lib. 1. c. 28. ἐδίδαξε τὸν μὲν ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ προφητῶν κεκηρυγμένον Θεὸν, μὴ εἶναι πατέρα τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. τὸν μὲν γὰρ γνωρίζεσθαι, τὸν δὲ ἀγνῶτα εἶναι· καὶ τὸν μὲν δίκαιον, τὸν δὲ ἀγαθὸν παράρχειν. διαδεξάμενον δὲ αὐτὸν Μαρκίωνα τὸν Ποντικὸν, ἐπύξησε τὸ διδασκαλεῖον, ἀπηυθεμασμένως βλασφημῶν· i.e. "Deum eum, qui "à Lege & Prophetis prædicatus est, Do- "mini nostri Jesu Christi Patrem haudqua- "quam esse docuit. Hunc enim notum, "illum ignotum; hunc justum, illum bo- "num esse. Ei autem succedens Marci- "on, natione Ponticus, scholam auxit, per- "fricta scilicet fronte blasphemans." Cerdon cùm Deum Legis & Prophetarum bonum esse negârit, justum tamen confessus est: at Marcion ulteriùs progressus est, *malorum factorem, & bellorum concupiscentem, & inconstantem quoque sententiâ, & contrarium sibi ipsum dicens*, ut refert idem Irenæus initiô capitis sequentis. Non obstante igitur hôc de Marcione Observatoris cavillô, manet inconcussa magni auctoritas Nazianzeni, docentis, & Cerinthum, & alios Gnosticos Valentinô priores, suum coluisse Bythum & Sigen suam.

§. 14. Cæterum aliis, iisque luculentissimis, Veterum testimoniis probavit eruditissimus Pearsonus, Sigen à Gnosticis Valentinô anterioribus inter suos Æonas agnitam fuisse. Responsiones verò Observatoris ad loca illa nemo sane, qui modò sinceritatem & candorem Christianum amat, legere poterit sine stomacho & indignatione. Nos unum ex istis testimonium hîc referemus, atque à Sophistæ illius exceptionibus vindicabimus, deinde huic disceptationi coronidem imposituri. De Sige, ab ipso Simone Gnosticorum principe agnitâ, clarum est Eusebii testimonium de Eccles. Theol. lib. 2. cap. 9. ἃ δὴ Μάρκελλος (inquit) ἐτόλμησεν ὑποτίθεσθαι, πάλαι μὲν λέγων εἶναι τὸν Θεὸν, καί τινα ἡσυχίαν ἅμα τῷ Θεῷ συγγεγραφὼν ἑαυτῷ, καὶ αὐτὸν ἐκεῖνον τὸν τῶν ἀθέων αἱρεσιωτῶν ἀρχηγὸν, ὃς τὰ ἄθεα δογματίζων ἀπεφαίνετο λέγων· ἦν Θεὸς καὶ σιγή· κ. λ. i.e. "Quæ "autem supponere ausus est Marcellus, di- "cens olim quidem fuisse Deum, & quie- "tem quandam simul cum Deo describens, "secundùm ipsum illum impiorum Hære- "ticorum ducem, qui impia dogmatizans "definivit inquiens: Erat Deus & silenti- "um, &c." Respondet primò Observator: "Hæc tanti non sunt, ut putat Pearsonus: "nam de Deo loquitur Eusebius, non de "Bytho,

Vindic. part. post. p. 63, 64, 65.

p. 192.

* Verba hæc rectiùs expressa & distincta lege in novissima Irenæi edit. p. 118. col. 2. ac vide ibid. not. g. & b.

" Bytho, ut Blondellus. Non me latet, Va-
" lentinianos, & fortè alios quosdam Hære-
" ticos, fabulosum suum Bythum pro Deo
" habuisse, id est, pro persona divina & no-
" bilioris sexûs ; sed Dei nomine insigni-
" tum eum non video. " Quis non miretur hanc responsionem ? Esto enim, de Deo, non de Bytho, loqui hîc Eusebium ; at de Sige expressè loquitur, imò de Sige, tanquam omnium Deo conjunctissimâ & coæternâ. Aliunde autem certissimè cognoscimus, & suprà liquidò demonstravimus, Gnosticos Valentinô antiquiores & Ignatio coævos inter posteriores suos Æonas Logon numerâsse ; quod nobis sufficit. Neque enim ipse Auctor Epistolæ ad Magnesios de Bytho quicquam expressè dicit ; sed id tantùm in Hæreticis suis tacitè reprehendit, quòd dixerint Logon è Sige prodiisse. Certè autem si modò constet, à Gnosticis Valentinô anterioribus agnitam fuisse Sigen, idque ut in summo gradu collocatam, & simul constet, Gnosticos Valentini antecessores etiam Logon inter suos Æonas ordine inferiori positos agnovisse ; quis non videt nullius momenti esse Blondelli & aliorum argumentum, qui ex hac Logi è Sige prodeuntis mentione, factâ ab Auctore Epistolæ ad Magnesios, inferunt, Epistolam illam non esse Ignatii ; quia scilicet Logi è Sige derivationem nemo docuit ante Valentinum, qui Ignatii temporibus posterior fuit ? Deinde, cum ait Observator, Valentinianos, quanquam fabulosum suum Bythum pro Deo habuerint, id est, pro persona divina & nobilioris sexûs, Dei tamen nomine ipsum insigniviisse se non videre ; suô se gladiô jugulat. Hinc enim sequitur, de Valentino non loqui hîc Eusebium, quod tamen ipse mox affirmat. Si Eliæ Cretensi, doctissimo sane Scriptori, multisque præterea Veterum monumentis, quæ hodie periere, adjuto, potiùs quàm inanibus suis conjecturis & hariolationibus, nullo fundamento nixis, fidem habere velit Observator iste ; facilè ex ipso discere poterit, Gnosticos quidem communiter Bythum pro summo rerum omnium principio agnovisse ; haud tamen omnes pariter ipsum Dei nomine insignire solitos fuisse : atque hunc loquendi modum fere Simoni & Marcioni solis in frequenti usu fuisse. Nimirum Elias ille in Commentario in Orat. 23. Gregorii Nazianzeni, postquam varia Gnosticorum nomina, de Bytho & Sige philosophantium, commemoraverat, deinde hoc de Simone & Marcione peculiari-
Col. 821. ter notat : *Quidam enim ex ipsis Bythum Deum, atque item Silentium Deum esse dicebant, ut Simon & Marcion.* Atque hinc factum esse arbitror, quòd Irenæus in loco suprà à nobis allato ex lib. 2. c. 3. de Valentinianis & Marcione simul locutus, hoc discrimen castè observaverit : *Instabilis igitur*, inquit, *qui secundum eos* (nempe Valentinianos) *Bythus, & id quod est hujus Pleroma, & Marcionis DEUS.* Cæterum aliud ἀξιοφύγετον habet Observator : " Præ-
" terea, *inquit*, ponamus, Deum apud Eu-
" sebium eundem esse cum Bytho Irenæi
" & aliorum qui de Gnosticis scripserunt ;
" non inde sequetur, conjugationem Bythi
" & Siges à Gnosticis Valentinô antiqui-
" oribus inter sua figmenta numeratam es-
" se : ille siquidem impiorum Hæreticorum
" princeps ipse Valentinus erit, qui primus
" juxta Blondellum hanc Bythi & Siges
" syzygiam somniavit. " Verùm (præterquam quòd de Valentino hîc non agi, jam satis ostensum est) si quis dubitet, quem per impiorum Hæreticorum Ducem designet Eusebius, audiat ipsum Eusebium, sese explicantem Eccles. Hist. lib. 2. cap. 13. πάσης μὲν ἔν (inquit) ἀρχηγὸν αἱρέσεως, πρῶτον γεγενῆσθαι τὸν Σίμωνα παρειλήφαμεν i. e. *Sane omnis Hæresis ducem, primum fuisse hunc Simonem accepimus.* Neque hic loquendi modus Eusebio peculiaris fuit. Nam apud veteres Scriptores Ecclesiasticos *Hæreticorum dux* sive princeps tam constanter significat Simonem Magum, quàm apud profanos auctores Latinos *Poetarum princeps* Virgilium designat. Ad locum autem Eusebii quod attinet, quô de quæstio est, nescio sane an quicquam ἐμφατικώτερον dici potuerit verbis illis, *secundùm ipsum illum impiorum Hæreticorum ducem*, ad designandum singularem aliquem Hæreticum, qui impiorum Hæreticorum omnium notissimus, omnibus dux & princeps fuerit. Certè autem is Simon fuit, non Valentinus.

Vide Irenæi lib 1. c. 20 & 30, & Constit. Apostol. lib. 6. c. 7.

§. 15. In his ideo diutiùs immoratus fui, tum quòd nobilem Ignatii locum obiter illustrâsse operæ pretium duxerim, tum inprimis quòd magno ea usui sint ad refellendam Arii Hæresim, atque ad Nicænam fidem confirmandam. Nimirum hinc discant Ariomanitæ prosapiam suam, hinc suos progenitores ac parentes agnoscant. Impii Gnostici à summo Deo τὸν λόγον primi separabant : & idem faciunt Ariani. Gnostici inter Christianos primi æternitatem τῷ λόγῳ negârunt ; dicebant enim Silentium præcessisse Logon, ac proinde fuisse, quando Logos non erat : atque idem de Verbo & Filio Dei dicunt Ariani in isto ipsorum celebri

bri effato ; ἦν ποτέ, ὅτε οὐκ ἦν· *Erat quando non erat.* His deliramentis omnino contraria fuit Apoſtolicorum Doctorum ſententia, Ignatiô teſte, teſte locupletiſſimô. Quippe docuit contra Cerinthianos Ignatius, Apoſtolorum diſcipulus atque ab ipſis Apoſtolis, ubi primò ortum eſt Chriſtianorum nomen, Antiochiæ conſtitutus Epiſcopus, Chriſtum Filium Dei eſſe ipſius ſummi Dei λόγον, non ab inferiori aliquo Æone progenitum : quin & ipſius ſummi Dei λόγου ἀΐδιον, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθόντα, Verbum æternum, quod nullum Silentium præceſſit, quod nunquam non erat, quod ipſi Deo Patri coævum fuit. Sic itidem Irenæus, Polycarpi, Symmyſtæ Ignatii, auditor ac diſcipulus, in Cerintho & Nicolaitis id reprehendit, quòd initium tribuerint ipſi Monogeni *, quem Logi Patrem dixerunt ; quin & hanc ipſorum hæreſin Joannem Apoſtolum initiô ſui Evangelii ex profeſſo impugnare aſſerit, ut ſuprà oſtendimus. Idem Irenæus paſſim alios Gnoſticos, Cerinthi ſucceſſores, ob eandem hæreſin vehementer exagitat. Ego tantùm unum & alterum hujus generis locum illuſtriorem hîc proferam. In libri 2. cap. 18. Epiſcopus & Martyr Lugdunenſis adverſus Valentinianos eorumque ὁμοδόξους, de generatione τοῦ λόγου, ita diſſerit : " Ab hoc enim (*nempe* " *à Nu, ſive Monogene*) Logon & Zoen fa- " bricatores hujus Pleromatis dicunt emiſ- " ſos ; & Logi, id eſt Verbi, quidem emiſ- " ſionem ab hominum affectione accipien- " tes, & addivinantes adverſus Deum, quaſi " aliquid magnum adinvenientes in eo quod " dicunt, à Nu eſſe emiſſum Logon : quod " quidem omnes videlicet ſciunt, quoniam " in hominibus quidem conſequenter dica- " tur ; in eo autem qui ſit ſuper omnes " Deus, totus Nus & totus Logos cum ſit, " quemadmodum prædiximus, & nec aliud " antiquius nec poſterius, aut aliud ante- " rius habente in ſe, ſed toto æquali & ſi- " mili & unô perſeverante, jam non talis " hujus ordinationis ſequetur emiſſio. " Pauculis interjectis eos reprehendit, " qui " lationem prolativi hominum verbi tranſ- " ferunt in Dei æternum Verbum, & pro- " lationis initium donantes & geneſin, quem- " admodum & ſuo verbo. Et in quo, " *inquit*, diſtabit Dei Verbum, imò magis " ipſe Deus, cùm ſit Verbum, à verbo ho- " minum, ſi eandem habuerit ordinationem " & emiſſionem generationis ? " Animadvertis, Lector, expreſsè hîc docere Irenæum, nihil eſſe in Deo anterius aut poſterius ; quin & Gnoſticos acriter redarguere, quòd lationem prolativi hominum verbi (ſic Græca Irenæi vertit fidelis, ſed barbarus ejus Interpres) tranſtulerint in Dei æternum Verbum, prolationis ipſi initium donantes, quemadmodum & ſuo verbo. Huic autem loco geminum habemus ejuſdem libri cap. 47. in fine, ubi ſic Gnoſticos affatur Irenæus : " Hæc autem cæcitas & ſtultilo- " quium inde provenit vobis, quòd nihil " Deo reſervetis ; ſed & ipſius Dei, & En- " noeæ ejus, & Verbi, & Vitæ, & Chriſti " nativitates & prolationes annuntiare vul- " tis ; & has non aliunde accipientes, ſed " ex affectione hominum : & non intelli- " gitis, quia in homine quidem, qui eſt " compoſitum animal, capit hujuſmodi di- " cere, ſicut prædiximus, ſenſum hominis " & ennoeam hominis ; & quia ex ſenſu " ennoea, de ennoea autem enthymeſis, de " enthymeſi autem Logos ; (quem autem " Logon ? aliud enim eſt ſecundùm Græ- " cos Logos, quod eſt principale quod exco- " gitat, aliud organum, per quod emittitur " Logos) & aliquando quidem quieſcere & " tacere hominem, aliquando autem loqui " & operari. Deus autem cum ſit totus " mens, totus ratio, & totus Spiritus ope- " rans, & totus lux, & ſemper idem & ſi- " militer exiſtens, ſicut & utile eſt nobis " ſapere de Deo, & ſicut ex Scripturis diſ- " cimus, non jam hujuſmodi affectus & di- " viſiones decenter erga eum ſubſequentur. " Velocitati enim ſensûs hominum propter " ſpiritale ejus non ſufficit lingua deſervire, " quippe carnalis exiſtens : unde & intus " ſuffocatur || verbum noſtrum, & profer- " tur non de ſemel, ſicut conceptum eſt à " ſenſu ; ſed per partes & ſecundùm quod " lingua ſubminiſtrare prævalet. " In his verbis Irenæus Gnoſticorum ſomnia, de Filii generatione, redarguens, duplicem inprimis notat differentiam inter Verbi divini & humani prolationem. Primò, Verbum humanum præcedit ſilentium, hoc eſt, priùs ſilet homo, deinde loquitur ; neque hominis interno conceptui ejus Verbum coexiſtit. Atqui de Deo longè aliter philoſophandum ; quippe qui ſit pura mens, ſemper idem & ſimiliter exiſtens, neque ejuſmodi affectiones & diviſiones patiatur : proinde non priùs ille ſilet, deinde loquitur ;

|| Al. *Suffugatur.*

* Juxta lectionem in Edit. *Feuardentii* ; quanquam genuina in noſtrâ Edit. p. 218. col. 1. lin. 21. ſonet *Monogenem.*

ſed ejus Verbum ipſi coæternum eſt. Hoc omnino voluit Ignatius, cum de Chriſto, Gnoſticos Cerinthianos perſtringens, ait: ὃς ἔστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών. Deinde Verbum humanum non καθάπαξ ſimul & ſemel, ſed imperfectè & per partes profertur: verùm à perfecto Deo non niſi perfectum Verbum, idque unô, ut ita dicam, æternitatis momentô progreditur.

§. 16. Cæterum hanc infamem Arianæ hæreſis originem intellexit magnus Athanaſius, ipſamque adeo Arianis ſæpiùs exprobravit. Sic in Oratione quarta contra Arianos, ipſos reprehendit, ut τὰ Οὐαλεντίνου ζηλώσαντας, *Valentini dogmata æmulantes.* Et poſt aliqua, Arianos, ideo quòd Filium disjungerent à Patre, neque dicerent Patris ſui Verbum eſſe, ſed potiùs creaturam, ita execratur: ἡ ἀσέβεια Οὐαλεντίνου σὺν ὑμῖν εἴη εἰς ἀπώλειαν· i. e. *Impietas Valentini ſit vobiſcum in perditionem.** Quam verò Valentini impietatem vocat, eam Valentino cum aliis Gnoſticis ipſo anterioribus, adeoque ipſis Apoſtolis coævis communem fuiſſe, in ſuperioribus liquidò demonſtravimus. Itaque quæſtio, utrùm Nicænorum Patrum, an Arii fides tenenda ſit, in hanc tandem deſinet: an Apoſtolorum doctrina, impiorum Gnoſticorum, qui Apoſtolicas Eccleſias turbârunt, figmentis anteferenda ſit, nec ne? Puto autem, neminem Chriſtianum diu deliberaturum, utram hîc partem ſequi debeat. Ut verbô dicam, ex iis quæ hactenus diſſeruimus, manifeſtum eſt, quæſtionem de vera τοῦ λόγου Divinitate atque æternitate, inter Nicænos Patres & Arium diſputatam, etiam in primæva Eccleſia, adeoque in ipſa Apoſtolica ætate, controverſam fuiſſe; nempe inter ſceleratiſſimos mortalium Gnoſticos, & Catholicos, qui Apoſtolicæ doctrinæ conſtanter adhæſerunt: illis Arii partes (quod in immortalem Hæretici illius honorem dictum ſit) tutantibus; his verò Nicænam fidem ſtrenuè defendentibus. Sequantur igitur Ariani duces illos ſuos, ſuô periculô; nos Apoſtolicâ fide contenti erimus.

* Et Orat. 2. contra Arianos Tom. 1. pag. 179. edit. Commelin. Αἰσχυνθήτωσαν μὲν ὡς τὰ Οὐαλεντίνου καὶ Καρποκράτους καὶ τῶν ἄλλων αἱρετικῶν ζηλωταὶ καὶ φθεγγόμενοι· ὧν ὁ μὲν τοὺς ἀγγέλους ὁμογενεῖς εἴρηκε τῷ Χριστῷ· ὁ δὲ Καρποκράτης ἀγγέλους τοῦ κόσμου δημιουργοὺς εἶναι φησί. *Pudeat eos, quòd Valentini & Carpocratis aliorumq; hæreticorum imitatores, ſe præbeant atq; eadem ſonent: quorum Valentinus Angelos Chriſto congeneres pronuntiavit; Carpocrates autem eos mundi conditores appellavit.*

CAP II.

Justini Martyris, Irenæi, & Clementis Alexandrini doctrina de Filii æternitate explicatur.

§. 1. IGnatio succedat Justinus. Ex ipso nullum locum proferre potuit, aut certè nullum protulit Jesuita Petavius, qui Filii τῷ συναϊδίῳ repugnet. Nos verò testimonia quædam ex eodem adducemus, quæ coæternam τοῦ λόγου, sive Filii Dei cum Patre suo existentiam apertissimè confirment. Hujus generis insignis occurrit locus in Apologia, quæ in vulgatis editionibus prima inscribitur, in qua de Deo Patre & Filio ita differit Justinus : ὄνομα δὲ τῷ πάντων πατρὶ θεῶν, ἀγεννήτῳ ὄντι, οὐκ ἔστιν. ᾧ γὰρ ἂν τις ὀνόματι προσαγορεύηται, πρεσβύτερον ἔχει τὸν θέμενον τὸ ὄνομα. τὸ δὲ πατὴρ, καὶ θεὸς, καὶ κτίστης, καὶ Κύριος, καὶ δεσπότης οὐκ ὀνόματά ἐστιν, ἀλλ' ἐκ τοῦ εὐποιΐων καὶ τοῦ ἔργων προσρήσεις. ὁ δὲ υἱὸς ἐκεῖνος, ὁ μόνος λεγόμενος κυρίως υἱὸς, ὁ λόγος πρὸ τῶν ποιημάτων καὶ συνὼν καὶ γεννώμενος, ὅτε τὴν ἀρχὴν δι' αὐτοῦ πάντα ἔκτισε καὶ ἐκόσμησε, Χριστός μου, κατὰ τὸ κεχρίσθαι καὶ κοσμῆσαι τὰ πάντα δι' αὐτοῦ τὸν θεὸν, λέγεται· ὄνομα καὶ αὐτὸ περιέχον ἄγνωστον σημασίαν· ὃν τρόπον καὶ τὸ θεὸς προσαγόρευμα, οὐκ ὄνομά ἐστιν, ἀλλὰ πράγματος δυσεξηγήτου ἔμφυτος τῇ φύσει τῶν ἀνθρώπων δόξα. Ἰησοῦς δὲ καὶ ἀνθρώπου καὶ σωτῆρος ὄνομα καὶ σημασίαν ἔχει· i. e. *Universarum autem rerum Patri, quia ingenitus est, nomen impositum non est. Quôcunque namque demum ille vocetur nomine, vetustiorem se habeat eum qui nomen imposuerit. Pater verò, & Deus, & Creator, & Dominus, & Herus, non nomina sunt, sed à beneficiis & operibus ejus petitæ appellationes. Porro Filius ejus, qui solus propriè dicitur filius, Verbum simul cum illo ante creaturas & existens, & nascens, quoniam primitus per eum cuncta condidit & ornavit, Christus quidem ex eo, quòd per illum Deus omnia conformaverit atque ornaverit, appellatur : quod & ipsum nomen est, significationem minimè notam complectens : quemadmodum & Dei appellatio nomen non est, sed rei ineloquibilis naturæ hominum insita opinio, Jesus verò & hominis & Servatoris nomen ac designa-* pag. 44.

tionem habet. In his verbis docet Justinus, Deo Patri & & Filio nullum propriè nomen competere, sed tantùm appellationes quasdam, ab ipsorum beneficiis & operibus petitas, ipsis à nobis tribui. Hujus autem assertionis rationem hanc affert ; quòd Deus Pater ingenitus atque æternus sit, Filius verò ut Verbum ejus ipsi coexistat, ac proinde uterque neminem habeat se antiquiorem, qui ipsi nomen imponeret. Quin & Christi nomen ejus Divinitati tribuit Justinus, quasi scil. ὁ λόγος & Filius Dei Deo Patri coexistens, & ex ipso ab æterno nascens (tanquam scil. æternæ lucis æternus splendor,) tum Christi nomen fortitus fuerit, cùm Pater per ipsum cuncta conformaverit ornaveritque. Quam nominis Christi Etymologiam ego quidem haud ausim præstare ; sed hæc adduco, ad Justini sententiam, de τοῦ λόγου divina, æterna & innominabili (si ita loqui fas sit,) natura declarandum. Quanquam & Veterum alii sacrosanctum Christi nomen ad divinam ejus naturam retulerint, ut Cajus Presbyter apud Photium Cod. 48. & Gregorius Nazianzenus in Oratione 36.

§. 2. Verba autem hæc Justini, quæ citavimus ex Apologia ad Imperatores, clariorem lucem accipient ex collatione eorundem ad illustrem locum in Oratione parænetica ad Græcos ; ubi ostendere volens Justinus, Platonem suum τὸ ὂν à Mose didicisse, ita differit : Ἀκριβῶς γὰρ ἐν Αἰγύπτῳ τὸν θεὸν τῷ Μωσῆ εἰρηκέναι, ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, ὁπηνίκα πρὸς τοὺς Ἑβραίους αὐτὸν ἀποστέλλειν ἔμελλεν, ἔγνω ὅτι ἰδίου ὄνομα ἑαυτοῦ ὁ θεὸς πρὸς αὐτὸν ἔφη. οὐδὲν γὰρ ὄνομα ἐπὶ θεοῦ κυριολογεῖσθαι δύναται. τὰ γὰρ ὀνόματα εἰς δήλωσιν καὶ ἀφήγησιν τῶν ὑποκειμένων κεῖται πραγμάτων, πολλῶν καὶ ἀφανῶν ὄντων. Θεῷ δὲ ὅτε ὁ τιθεὶς ὄνομα προϋπῆρχεν, ὅτε αὐτὸς ἑαυτὸν ὀνομάζειν ᾠήθη δεῖν, εἷς ὢν μόνος ὑπάρχων· ὡς αὐτὸς ἀπὸ τοῦ ἑαυτοῦ προφητῶν μαρτυρεῖ, λέγων· ἐγὼ θεὸς πρῶτος, καὶ, ἐγὼ μετὰ ταῦτα, καὶ πλὴν ἐμοῦ θεὸς ἕτερος οὐκ pag. 19.

ὅτι ὄζι. Ἀλλ' τοῦτο τοίνυν, ὡς μὴ πρότερον ἔφην, ἐδὲ ὀνόματί τινος ὁ Θεὸς ἀποστέλλων πρὸς τοὺς Ἑβραίους τὸν Μωσέα μέμνηται, ἀλλὰ Ἀλλ' τινὶ μετοχῆς ἕνα μὴ μόνον Θεὸν ἑαυτὸν εἶναι μυστικῶς διδάσκει. ἐγὼ, γάρ φησιν, εἰμὶ ὁ ὤν. i. e. *Cum enim in Ægypto audivisset* (Plato,) *Deum Mosi dixisse:* Ego sum existens ille, *quô tempore Mosen ad Hebræos missurus esset; cognovit, Deum proprium nomen suum Mosi non promulgâsse. Fieri namque omnino non potest, ut proprium aliquod Deo nomen attribuatur; propterea quòd nomina ad designationem & discretionem subjectarum rerum imponantur, quæ variæ sunt & multæ: Deo autem qui nomen inderet, nemo ante eum extitit. Neque ipse seipsum nomine aliquô designare opus esse duxit, unus & solus existens; quemadmodum de se ipso per Prophetas suos ipse testificatur, dicens:* Ego Deus primus; &, Ego postea, & præter me alius Deus non est. *Quocirca, pro eo atque suprà dixi, ad Hebræos ablegans Mosen Deus, nullius meminit nominis; sed per participium quoddam, unum se & solum Deum esse arcanè docet:* Ego, *enim inquit,* sum existens ille. Quænam autem vis sit participii, quô se Mosi designavit propriô nomine carens Deus, post aliqua apertissimè declarat Justinus. Postquam enim dixerat Mosis τὸ ὄντα idem planè esse quod Platonis τὸ ὄν, subjungit: ἑκάτερον δὲ τὸ εἰρημένων τῷ ἀεὶ ὄντι Θεῷ προσήκειν φαίνεται. αὐτὸς γάρ ἐστι μόνῳ ὁ ἀεὶ ὤν· i. e. *Utrumque verò dictum semper existenti Deo congruere appareret. Ipse enim solus est, qui semper existit.* p. 20. Jam verò Filium Dei fuisse, qui Mosi è rubo apparuit dicens, *Ego sum existens ille,* ipse Justinus in Dialogo cum Tryphone acriter contendit. pag. 282. Vide & Apol. 2. p. 95, 96. Res est. Descriptio illa Dei apud Mosen, *Ego sum* ὁ ὤν, Deo Patri & Filio, ut uni Deo, perinde competit, salvô semper personarum discrimine. Quod egregiè ab Justino in loco ex Apologia primùm citato explicatur ad hunc modum: Deus Pater est ὁ ὤν existens ille, ut *à se ipso* semper existens; Filius verò est ὁ ὤν existens ille, ὡς συνὼν καὶ γενόμενος, ut Patri *coexistens,* & *ex ipso* ab æterno *nascens.* Cæterum Filius Dei ab Justino alibi ὁ ἀεὶ *ille semper existens* apertè dicitur, nempe in Epistola ad Diognetum, prope finem; ubi de Filio Deo à Deo Patre in hunc mundum misso, sic loquitur Philosophus Christianus: οἱ πιστοὶ λογισθέντες ὑπ' αὐτοῦ ἔγνωσαν παλαιὰς μυστήρια. ὃ χάριν ἀπέστειλε λόγον, ἵνα κόσμῳ φανῇ· ὃς ὑπὸ λαοῦ ἀτιμασθείς, Ἀλλ' ἀποστόλων κηρυχθεὶς, ὑπὸ ἐθνῶν ἐπιστεύθη. ὅστις ὁ ἀπ' ἀρχῆς, καινὸς φανεὶς, καὶ —— εὑρεθεὶς καὶ πάλαι νέος ἐν ἁγίων καρδίαις γενόμενος. ὅστις ὁ ἀεὶ, σήμερον υἱὸς λογισθείς· i. e. *Qui fideles ab eo existimati sunt, cognoverunt Patris mysteria. Cujus rei gratiâ Sermonem misit, ut à mundo conspiceretur: qui à populo contemptus, Apostolorum præconiô promulgatus, à gentibus est creditus. Hic is est qui ab initio fuit, qui novus apparuit & —— inventus, & semper novus in sanctorum cordibus nascens. Hic est ille* SEMPER *existens, hodie Filius habitus.* Cujus loci (nî fallor,) hic est sensus genuinus: Habet Filius Dei novas aliquas & recentes quasi nativitates; (quippe mundo primùm natus fuit, cùm è Patre exiret ad rerum omnium creationem; mirum in modum iterum natus est, cum in uterum sacratissimæ Virginis illapsus, suoque plasmati (ut loquitur Irenæus,) arctissimè unitus, ex ipsa Virgine in hanc lucem partu editus fuit: denique quotidie nascitur in piorum cordibus, qui ipsum per fidem & charitatem amplectuntur,) nunquam tamen revera novus & recens ipse fuit, sed Filius Dei Patris semper & ab æterno extitit. Huic scilicet loco conferendus omnino est alter Justini locus in Dialogo cum Tryphone, ubi ad verba illa Dei Patris per Davidem, *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* hæc annotat: τότε γένεσιν αὐτοῦ λέγων γίνεσθαι τοῖς ἀνθρώποις, ὅτε ἡ γνῶσις αὐτοῦ ἔμελλε γίνεσθαι· i. e. *tum nativitatem ejus contingere hominibus affirmans, cùm notio ejus contingit.* p. 316. Obiter autem mecum observabis, Lector, in loci ex Epistola ad Diognetum citati primis verbis manifestè alludere Justinum ad celebrem Pauli locum 1 Tim. c. 3. v. ult. ipsumque de Filio Dei incarnato, juxta cum hodiernis Catholicis, interpretari. Confer Hermæ locum suprà citatum Sect. 2. cap. 2. n. 3.

§. 3. Sed nunc tempus est, ut calumnias, quas doctissimo Scriptori & Sanctissimo Martyri asperserit Sandius, abstergamus. Ait ille, Justinum docuisse, *fuisse aliquando cùm non fuerit id quod genitum est;* (*quô quid propiùs,* inquit, *accedit ad tritum illud Arianorum: Erat quando non erat Filius:*) *& alibi: Genitum & conditum non re ipsâ, sed solâ voce differre; omne enim genitum esse conditum, & vice versâ.* Enucl. Hist. Eccles. pag. 77. Verùm ex hoc & ex aliis multis indiciis apparet, Sandium vel nullo judicio, vel spretâ conscientiâ, Veterum testimonia citâsse. Nam primò dictum illud posterius, *genitum & conditum re ipsâ non differre,* descripsit ex Quæstionibus & Responsionibus ad Græcos; quod opus omnium eruditorum consensu, ipso Sandiô monente, Justino abjudicatur. p. 189. De Vet. Script. Eccles. p. 20. Verba priora, *fuisse aliquando, cùm non fuerit id quod genitum est,* reperiuntur tantùm in Eversione dogmatum Aristotelis cap. 20. qui liber etiam à doctis ple-

pleriſque ut ſpurius rejicitur. Conſule Rivet. Crit. Sac. Lib. 2. Cap. 5. Deinde (quod caput rei eſt,) neutrum illud dictum ad Sandii inſtitutum quicquam facit. Nam in utroque loco Auctor, quiſquis fuerit, de Filio Dei non agit; ſed contra Philoſophos æternitatem mundi aſſerentes diſputat. Adverſus hos hôc pugnat argumentô: Mundus eſt γενητὸς & δημιουργητὸς, *genitus & factus*; (nam vocibus iſtis, ex Græcorum conſuetudine, promiſcuè utitur;) ergo fuit aliquando, quando non fuerit mundus. Certe hæc ἀδὲν πρὸς Διόνυσον. Ac de Juſtino ſatis.

Vide hujus Sect. c. 1. n. 15.

§. 4. Sequitur Irenæus. Et hunc quidem paulò ſuperiùs audivimus, juxtà cum Ignatio, Gnoſticos æternitatem τοῦ λόγου negantes, palam impugnantem. Iis quæ ibi adduximus, & hæc luculenta Irenæi teſtimonia adjicias. In libri 3. c. 20. de æterna Filii exiſtentia ſic ille ſcribit: *Excluſa eſt omnis contradictio dicentium: Si ergo tunc natus eſt, non erat antè Chriſtus. Oſtendimus enim, quia non tunc cœpit Filius Dei*, EXISTENS SEMPER *apud Patrem: ſed quando incarnatus eſt & homo factus, longam hominum expoſitionem in ſeipſo recapitulavit, in compendio nobis ſalutem præſtans.* Quibus gemina ſunt quæ dixerat Lib. 2, cap. 55. in ipſo fine: SEMPER *autem* COEXISTENS *Filius Patri, olim & ab initio ſemper revelat Patrem.* Sed apertiſſimè Filii æternitatem declarat Irenæus ejuſdem libri 2. cap. 43. ubi ſuperbam & arrogantem Gnoſticorum ſcientiæ profeſſionem retundit, comparatione factâ hominis ad Verbum, ſive Filium Dei. Locum ſuprà, aliud

Sect. 2. c. 5. n. 5.

agentes, integrum adduximus, cujus partem tantùm aliquam, prout inſtituti noſtri ratio poſtulat, hîc recitabimus: *Non enim* (inquit,) *infectus es, ô homo, neque* SEMPER COEXISTEBAS DEO, SICUT PROPRIUM EJUS VERBUM: *ſed propter eminentem bonitatem ejus nunc initium factura accipiens, ſenſim diſcis à Verbo diſpoſitiones Dei qui te fecit.* Hæc conſtans fuit Irenæi doctrina. Ausim enim ſpondere, ſi omnes ejus libros ſedulò evolvas, ne unum quidem Iota te reperturum, quod Filii τῷ συναϊδίῳ repugnet; ut nunquam ſatis mirari poſſim Sandii & aliorum frontem, qui ipſum etiam Irenæum inter Arianizantes Patres recenſere non erubuerint.

§. 5. Irenæo ſuccenturiandus eſt Clemens Alexandrinus, qui etiam ſæpiùs atque apertiſſimè prædicat Filii æternitatem. Sic in Protreptico ad Gentes: ἀΐδιος ἔτος Ἰησοῦς, οὗτος ὁ μέγας ἀρχιερεὺς Θεοῦ τε ἑνὸς & αὐτοῦ & πατρός· i. e. *Æternus hic eſt Jeſus, unus magnus Pontifex unius etiam Dei, qui idem & ejus Pater eſt.* In fine Pædagogi (quem locum ſuprà integrè adduximus,) Patrem & Filium unum eſſe Deum dicit δι' ὃν τὸ ἀεί· *per quem eſt æternitas:* quod non rectè dicitur, ſi Filius ipſe, juxtà cum Patre, æternus non ſit. Ad calcem autem Pædagogi, ſubjectus eſt Hymnus S. Clementis ad Chriſtum, qui licet in quibuſdam MSS. omittatur, in pluribus tamen reperitur; & ab ipſo Clemente omnino additus fuit, ut ex poſtremis Pædagogi verbis manifeſtiſſimè apparet. In eo Hymno, præter alia Chriſto divina attributa, ejus etiam æternitas magnificè celebratur his verbis:

Sect. 2. c. 6. n. 4.

Λόγος αἰώνιος,	*Verbum perenne,*
Αἰὼν ἄπλετος,	*Ævum infinitum,*
Φῶς ἄϊδιον.	*Lux æterna.*

Videtur autem mihi hic Hymnus à Clemente deſumptus ex Canticis ſacris, in primæva Eccleſia uſurpatis, vel certè ad eorundem imitationem compoſitus. De Pſalmis illis celebris eſt Caii locus apud Euſebium E. H. l. 5. c. 28. ubi Artemoni ſatis impudenter objicienti, dogma de Filii æternitate ante Victoris tempora non fuiſſe in Eccleſia receptum, inter alia Caius ille hæc reſpondet: Ψαλμοὶ δὲ ὅσοι & ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπαρχῆς γεγραφῆσαι, τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ τὸν Χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες· i. e. *Pſalmi quoque & Cantica fratrum ab initio à fidelibus conſcripta, Chriſtum Verbum Dei concelebrant, Divinitatem ei tribuendo.* De iiſdem Hymnis Plinius Epiſtolarum lib. 10. Epiſt. 97. ad Trajanum, ex Chriſtianorum Apoſtatarum confeſſione hæc refert: *Affirmabant autem hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris, quòd eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto, quaſi Deo, dicere ſecum invicem.* Scilicet ipſis Apoſtolorum temporibus æterna ac divina Filii Majeſtas à fidelibus etiam in publica Liturgia celebrabatur; quod etiam (Deo ſit laus,) hodieque fit, fietque (certò auguror,) ad uſque conſummationem ſæculi, fruſtra retinentibus Sociniſtis, Arianis, cæteriſque τὴν ἀρνησιθεΐαν ἀποστασίας *defectionis Deum abnegantis* (ut cum Caio illo loquar,) aſſertoribus. Sed ad Clementem redeo.

§. 6. Illuſtris eſt ejuſdem locus, de Filii infinitate & æternitate, Strom. lib. 4. ἀπερίμφαλος δέ ἐστι (inquit,) τὸ περὶ ἐκτάσης αὐτοῦ τῶν δυνάμεων οὐσίας. & διὰ τὸ γίνεσθαι ἀϊδιος καὶ ἀγένητος εἶναι ὡς ἓν, οὐδὲ πολλὰ ὡς μέρη ὁ υἱὸς, ἀλλ' ὡς πᾶν τὸ ἕν· ἔνθεν ἡ πάντα. κύκλος γὰρ ὁ αὐτὸς πασῶν τῶν δυνάμεων εἷς ἓν εἱλημένων, καὶ ἑνημένων. Ἀφ' οὗτος Α καὶ Ω ὁ λόγος εἴρηται· ἃ μόνα τὸ τέλος ἀρχὴ γίνεται,

p. 537.

ται, καὶ πλάτει πάλιν ἐπὶ τὴν ἄνωθεν ἀρχήν, ἑνὸς ἁπάσων λαῶν· i. e. *Est autem infinitus unaquâque suarum potestatum notione. Quanquam non sit verè unum, ut unum, neq; multa, ut partes, Filius; sed ut omnia unum, unde etiam omnia. Est enim ipse circulus omnium potestatum, quæ in unum circumvolvuntur & uniuntur. Et ideo Verbum dictum est Alpha & Omega, cujus solius finis fit principium, & qui rursus desinit in id quod est desuper, principium, nusquam distantiam accipiens.* Quibus in verbis cum nonnulla obscura sint, hic tamen sensus manifestus videtur: In Filii existentiâ nulla est distantia; non erat quando non erat, non erit quando non erit; sed est ipse tanquam circulus infinitus, principiô & fine carens. Apertissimè autem æternam Filii existentiam confitetur idem Clemens Strom. 7. Nam haud longè ab initio ejus libri Filium Dei disertè dicit τὸ ἄχρονον καὶ ἄναρχον, ἀρχὴ καὶ ἀπαρχὴ τῶν ὄντων· i. e. *Tempore & principiô carentem, principium, & primitias eorum quæ existunt.* Sed & ibidem, duabus paginis interjectis, Christum Dominum communem esse Servatorem omnium qui servari volunt, inde probat, quòd ipsum neque impotentia, neque invidia impediat, quò minùs hominum salutem procuret: non impotentia, quia nemo impedire ipsum possit præter Patrem, cujus & ipsius una est potentia & una voluntas: non invidia, quòd in eum, qui impassibilis & æternus sit, istiusmodi non cadat affectio.
p. 703. Verba sunt: ἔδ' ὑφ' ἑτέρου κωλυθείη ποτ' ἂν ὁ πάντων Κύριος, ὃς μάλιστα ὄντως τῷ τοῦ ἀγαθοῦ καὶ παντοκράτορος θελήματι πάρεδρος. ἀλλ' οὐδὲ ἄπειλαι τοῦ Κυρίου ἀπαθοῦς ἀνάρχως ἠνωμένου φθόνῳ· i. e. *Neque ab alio prohibitus unquam fuerit, qui est omnium Dominus, & maximè boni & omnipotentis Patris voluntati serviens. Sed neque Dominum passione carentem, & sine principio existentem tangit invidia.* Atque hæc quidem Clemens, & hæc constanter docuit: neque quicquam in genuinis ejus Scriptis occurrit, quod cum hisce pugnet.

§. 7. Dum autem quatuor jam (in hôc & præcedenti capite,) citatos testes, Ignatium nempe, Justinum, Irenæum & Clementem Alexandrinum, respicio, mecumque consîdero, quales quantique Viri illi fuerint; videor mihi æternitatem Filii Veterum auctoritate satis confirmâsse, etiamsi nihil quicquam è cæteris Patribus ad probandam Thesin nostram proferre potuissem. Quippe Ignatius ipsorum Apostolorum auditor fuit, præcipuè sancti Joannis, qui divinô consiliô post cæteros omnes Apostolos in vivis conservatus videtur, ut Christi Divinitatem contra enascentes Hæreses defenderet. Justinus aliquot annis ante Polycarpi τελείωσιν martyriô coronatus fuit; unde & in Epistola ad Diognetum se *Apostolorum* (nempe inferioris ordinis, hoc est Doctorum, qui ab ipsis Apostolis primariis in Ecclesia constituti fuerunt) *discipulum* appellat, ut suprà à nobis observatum est. Irenæus auditorem se profitetur Polycarpi, qui & ipse ab Joanne Theologiam suam hauserat. Denique Clemens Alexandrinus Pantæno illo πολυθρυλλήτῳ gloriabatur magistrô, Indorum post Bartholomæum Apostolô: quem ipsorum itidem Apostolorum discipulum fuisse Veteres quidam tradunt, certè cum Apostolicis Viris conversatum fuisse constat. Sed Deo laus sit, quòd in istas angustias non redigimur. Restat adhuc nubes testium, eorumque Catholicorum Doctorum Synodo Nicænâ anteriorum, qui eandem de Filii æternitate doctrinam Scriptis suis tradiderunt. Et ipsorum testimonia ordine proferemus. Sect. I. c. 2. n. 8.

AN-

ANNOTATA

Ad CAP. II. §. 1. seqq.

De S. JUSTINO MARTYRE.

PRo συναϊδίῳ Filii DEI adduxit Auctor Doctissimus primô locô verba S. Justini ex Apolog. I. (uti vulgò inscribitur) ubi inter alia ait : ὁ λόγος πρὸ τῶν ποιημάτων ἦν συνὼν, καὶ γεννώμενος, ὅτε τὴν ἀρχὴν δι' αὐτοῦ πάντα ἔκτισε καὶ κόσμησε Χριστὸς, &c. Quæ ita Latinè vertenda puto : *Verbum ante omnes creaturas & coexistens* (Patri) *& nascens, quando* (non *quoniam*, ut in omnibus Editionibus, ipsaque recentissima Oxonienſi expressum est) *primitus cuncta per eum condidit & ornavit*, &c. Etenim notandum, quòd ὅτε non ὅτι legatur ; quódque comma istud, ὅτε τὴν ἀρχὴν &c. cum præcedenti γεννώμενος, non cum sequentibus, Χριστὸς μὲν λέγεται, constructendum videatur. Quippe alioqui B. Martyr vix tavtologiæ crimen effugerit, dum ad explicandam nominis Christi etymologiam, immediatè addidit, eum ita dici, κατὰ τὸ κεχρίσθαι καὶ κοσμῆσαι τὰ πάντα δι' αὐτοῦ τὸν Θεόν. Duas itaque notiones duplici verbô ac bis repetitâ particulâ, καὶ συνὼν, καὶ γεννώμενος, Justinum expressisse, jam pridem ad istum locum annotavi ; priori æternam in & cum Patre existentiam, posteriori generationem ex Patre sive progressionem ante condita, atq; ad condenda sæcula, de qua vide quæ Cl. Auctor sub finem §. 2. hujus Cap. dixit. Gemina prorsus hisce Justini verbis, iisque declarandis apprimè apta sunt ista Theophili Antioch. lib. II. ad (vel adversus) Autolycum pag. 100. ubi Filium DEI vocat λόγον, τὸν ἔνδια Παύλος ἐνδιάθετον ἐν καρδίᾳ Θεοῦ, moxq; addit : ὁπότε δὲ ἠθέλησεν ὁ Θεὸς ποιῆσαι ὅσα ἐβουλεύσατο, τοῦτον τὸν λόγον ἐγέννησε προφορικὸν, πρωτότοκον πάσης κτίσεως &c. *Cum verò jam condere vellet quæcunque deliberaverat, hunc* λόγον (quem *intra cor DEI semper* sive ab æterno *existentem* dixerat) *genuit prolatum, primogenitum omnis creaturæ.* Atque ex hactenus dictis explicanda sunt quæ in Justini M. Dialogo cum Tryphone de Christo legimus, ubi pag. 267. B. Trypho ex Justini mente eum dicit περϋπάρχειν Θεὸν ὄντα πρὸ αἰώνων, *DEUM præexistentem ante omnia sæcula* ; & ipse Justinus pag. 276 D. τὸν καὶ πρὸ ποιήσεως κόσμου ὄντα Θεὸν, *eum qui & ante mundi creationem extitit DEUS.* Similiter pag. 285. E. ait : τοῦτο τὸ τοῦ ὄντι ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ προελθὲν γέννημα πρὸ πάντων ποιημάτων συὴν τῷ πατρὶ, ᾧ τούτῳ ὁ παλαιὸς προσομιλεῖ, (fortè προσωμίλει) ὡς ὁ λόγος ἐδήλωσε τοῦ Σολομῶνος, ὅτι καὶ ἀρχὴ πρὸ πάντων τῶν ποιημάτων τοῦτο αὐτὸ ἦν γέννημα ὑπὸ τοῦ Θεοῦ ἐγεγέννητο. *Hæc ipsa à Patre revera edita progenies ante creaturas omnes unà cum Patre fuit, & cum ea Pater conversatus est, prout Verbum per Salomonem declaravit, quòd & in principio ante omnes creaturas hæc ipsa proles à DEO genita fuerit.* Ἀρχὴν enim pro ἀρχῇ ibi legere suadent non modò verba ex Apol. I. suprà allegata, sed & quæ in hoc ipso Dialogo paulò antè pag. 284. A. præcedunt : ὅτι ἀρχὴν πρὸ πάντων κτισμάτων ὁ Θεὸς γεγέννηκε δύναμίν τινα ἐξ αὐτοῦ λογικήν, i. e. *DEUM primitus ante omnes creaturas genuisse ex se virtutem quandam rationalem.* Scilicet δύναμις ista λογικὴ ab æterno extitit in Patre ; in principio autem creationis rerum omnium ex DEO Patre processit, ac exterius manifestata est. Quomodo & discipulus Justini Tatianus pag. 20. nuperæ egregiæ Editionis Oxonienſis ait : Σὺν αὐτῷ γὰρ ἦν λογικῆς δυνάμεως αὐτὸς καὶ ὁ λόγος, ὃς ἦν ἐν αὐτῷ, ὑπέστησε· θελήματι δὲ τοῦ ἀπλότητος αὐτοῦ προπηδᾷ Λόγος. *Cum eo* (Patre) *per virtutem rationalem & ipsum Verbum, quod erat in illo, substitit ; cum autem placuit ejus simplicitati, Verbum prosiliit.* Ita enim verto potiùs quàm : *Cum autem voluit ipse, Verbum ex ejus simplicitate prosiliit.*

Ad

Ad §. 4.

De *S. IRENÆO.*

TEstimoniis à Reverendo Auctore pro Filii DEI τῷ συναϊδίῳ ex Irenæo allatis addo quæ idem habet lib. IV. cap. 37. ubi simul & Spiritûs S. æternitatem asserit. Hæc quippe ibi leguntur pag. 330. col. 2. lin. 18. & seqq. juxta nostram Editionem: *Adest ei* (DEO Patri) *semper Verbum & Sapientia, Filius & Spiritus, per quos & in quibus omnia liberè & sponte fecit, ad quos & loquitur, dicens: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et paulò pòst pag. 331. col. 1. lin. 36. seqq. *Quoniam* (i. e. *quòd*, ex Græco ὅτι) *Verbum, id est Filius, semper cum Patre erat, per multa demonstravimus. Quoniam autem & Sapientia, quæ est Spiritus, erat apud DEUM ante omnem constitutionem, per Salomonem ait: DEUS Sapientiâ fundavit terram* &c. Dices, Irenæum ipsummet τὸ *semper*, explicare per hæc: *ante omnem constitutionem*, sive ante creationem rerum, non autem ab æterno: idem quoque patere ex ista, quam citat, demonstratione, inquiens: *Per multa demonstravimus.* Respicere enim lib. III. cap. 11. & 18. uti colligitur ex loco parallelo, nempe lib. III. cap. 20. quod ita incipit: *Ostensô manifestè, quod in principio Verbum existens apud DEUM, per quem omnia facta sunt, qui & semper aderat generi humano, hunc in novissimis temporibus secundum præfinitum tempus à Patre, unitum suo plasmati, passibilem hominem factum; exclusa est omnis contradictio dicentium: Si ergo natus est, non erat antè Christus. Ostendimus enim, quia non tunc cœpit Filius DEI, existens semper apud Patrem.* Atqui ex proximè præcedentis cap. 18. nec non 11. doctrina nihil ampliùs elici posse, quàm quòd Christus, DEI Logos ac Filius unigenitus, ante incarnationem suam, ipsamque mundi creationem extiterit; quod licet Ebionæi tempore Irenæi, & nunc Sociniani inficias eant, Ariani tamen non negârunt, sed solùm æternam cum æterno DEO Patre coexistentiam. Respondeo, Irenæum, dum dictis locis præexistentiam Christi ante B. Mariam matrem suam, atque ante ipsam rerum creationem edisserit, æternitatem ejus supponere, hancque mentem suam satis declarâsse, dum in citatione eorundem ait, *eum SEMPER DEO Patri suo adfuisse* & coextitisse; quod falsum foret, si vera esset Arianorum assertio, DEUM Patrem aliquando extitisse, quando nondum fuit Logos seu Filius DEI. Atque sicut ex Irenæi verbis modò allegatis, quibus asserit, Christum *semper adfuisse generi humano*, rectè colligas, nunquam genus humanum in rerum natura fuisse, cum non simul fuerit Christus; ita & ex aliis, quibus iterum iterumque docet, Logon semper DEO Patri adfuisse & coextitisse, meritò concludas, nunquam DEUM extitisse, quando non & Logos ejus extiterit, huncque proinde æternum esse ac initiô carentem. Atque id ipsum clarissimis verbis alibi docet Irenæus, nempe lib. II. c. 18. pag. 138. col. 2. lin. 18. seqq. dum redarguit Valentinianos, *qui lationem prolativi hominum verbi transferunt in DEI æternum Verbum* (Græcè ex conjectura Billii lib. 1. Observat. Sacr. cap. 33. οἱ τῷ φορᾷν τὸν ἔνδον ἀνθρώπων προφορικὸν λόγον ἀναφέρουσιν εἰς τὸν ἀΐδιον τοῦ Θεοῦ λόγον) *& prolationis initium donantes & genesin, quemadmodum & suo Verbo.* Quod absurdum esse contendit, siquidem λόγος sit ipse DEUS. Si igitur initium existentiæ λόγου statuisset, aut æternitatem ejus negâsset Irenæus, ipsum culpa redarguisset; quam turpitudinem absit ut S. Doctori attribuamus.

CAP.

CAP. III.

Origenis de Filii τῆς συναϊδίου *luculentissima suffragia adducuntur.*

§. 1. SEquitur Magistrum discipulus, Clementem Alexandrinum Origenes. Qui cum solus fere inter Patres Ante-Nicænos contrarii erroris ab Hieronymo aliisque accusatus fuerit, tamen Filii æternitatem verbis Sole clarioribus
p. 239. passim adstruit. Sic in lib. 5. cont. Celsum Dei σοφίαν (quâ ibi Filium Dei manifestè designat,) dicit ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου, *splendorem æterni luminis*. Necesse autem est ut splendor æterni luminis & ipse æternus sit. Atque id ipsum hôc simili voluisse Origenem, ex aliis ejus Scriptis manifestum est. Illustris est ejusdem locus quem citat Athanasius in libro de decretis Synodi Nicænæ:
Tom. 1. p. 277. εἰ ἐστιν (inquit,) εἰκὼν τοῦ Θεοῦ τοῦ ἀοράτου, ἀόρατος καὶ εἰκών. ἐγὼ δὲ τολμήσας προφθάσαι ἂν, ὅτι μὴ ὁμοίστης τυγχάνων τοῦ παλαιοῦ, διὰ τοῦτο οὐκ ἔστιν ὅτε διὰ ἦν. πότε γὰρ ὁ Θεὸς ὁ κατὰ τὸν Ἰωάννην φῶς λεγόμενος, (ὁ Θεὸς γὰρ φῶς ἐστιν) ἀπαύγασμα διὰ εἶχε τὴν ἰδίας δόξης; ἵνα τολμήσας τις ἀρχὴν δῷ εἶναι υἱῷ, ὡς πρότερον διὰ ὄντος. ὥστε δὲ ἣν ἀῤῥήτου μὴ ἀκαλουμάστου μὴ ἀφθέγκτου ὑποστάσεως τοῦ παλαιοῦ εἰκὼν, ὁ χαρακτὴρ λόγος, ὁ γινώσκων τὸν παλέρα, διὰ τοῦτο; καταυοείτω γὰρ ὁ τολμῶν μὴ λέγων· τοῦτο ποτὲ ὅτε διὰ ἦν ὁ υἱός· ὅτι ἐρεῖ μὴ τὸ· σοφία ποτε διὰ τοῦτο, μὴ λόγος διὰ τοῦτο, μὴ ζωὴ διὰ ἦν· i. e. *Si est (Filius,) imago invisibilis Dei, ipsa quoque imago invisibilis fuerit. Imò hoc quoque ausim addere, cum sit similitudo Patris, non fuisse aliquando cum non esset. Quando enim Deus, qui secundum Joannem lux dicitur,* (Deus enim, *inquit*, lux est,) *splendorem non habuit propriæ gloriæ? ut quis auderet Filio initium ascribere, quasi antea nondum existenti. Quando autem non erat illa ineffabilis, innominabilis, inenarrabilisque paternæ hypostasis imago, character ratio, quæ Patrem cognoscit? Cogitet secum quicunque audebit dicere, erat aliquando, quando non erat Filius, se hoc ipsum dicere, sapientia aliquando non erat, ratio non erat, vita non erat.* Huic geminum ibidem locum Origenis subdit Athanasius, qui ita se habet: ἀλλ' ὃ θέμις ἐστὶν, οὐδὲ ἀκίνδυνον, διὰ τὴν ἀσθένειαν ἡμῶν τὸ, ὅσον ἐφ' ἡμῖν, ἀποστερεῖσθαι τὸν Θεὸν τοῦ ἀεὶ συνόντος αὐτῷ λόγου μονογενοῦς, σοφίας ὄντος, ἢ προσέχαιρεν· ὅτου γὰρ οὐδὲ ἀεὶ χαίρων νοηθείη· i. e. *Sed fas non est, neque periculô caret, propter imbecillitatem nostram spoliare, quantum in nobis est, Deum unigenitô suô semper secum existente Verbô, spoliare item suâ sapientiâ, in qua lætabatur: inde enim colligeretur, eum non semper lætatum fuisse.*

§. 2. Quid autem ad hæc loca disertissima respondet iniquissimus Origenis accusator pariter & judex, Petavius? *Hæc*, inquit, *planè mirifica sunt: ac, si quis alius, quàm Athanasius, fidem faceret, talia ab Origene esse scripta, profectò à Catholicis quibusdam intexta fuisse libris Origenis, haud absurda foret suspicio.* Hujus autem dicti verè mirifici rationem mox subdit: *His enim*, inquit, *prorsus argumentis utitur, quibus Arii dogma, & illam ejus impiam vocem,* ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν *refellere solent antiqui Patres.* Sed hæc ratio levis momenti est, ac Virô in Veterum monumentis versatô, qualis Petavius fuit, vix digna. Jam enim suprà probavi, Arii blasphemiam, quâ dixit, fuisse quando λόγος, seu Filius Dei, non esset, primùm à Gnosticis proditam fuisse, qui ipsam Apostolicam Ecclesiam infestârunt, quorumque soboles ad Origenis ætatem & diu pòst permansit. Deinde cum Origenis sæculô Noeti hæresis (quæ postea Sabellii fuit,) vim suam maximè cœperit exerere; omnino verisimile est, multos tum temporis, extrema vitare nescientes, dum Charybdim effugere conarentur, in Scyllam incidisse; ac ne Filium eandem esse cum Patre personam, juxtà cum Hæreticis istis, fateri cogerentur, hæresin è diametro oppositam amplexos lubenter fuisse, Filium ita à Patre distinguentes, ut dicerent,
De Trin. l. 1. c. 4. §. 6.

ipſum eſſe à Paterna ſubſtantia alienum & meram creaturam, quæ initium exiſtentiæ ſuæ ἀξ ὃν ἔντων à Deo Patre aliquando acceperit. Hinc & alii Patres Catholici, qui Origenis coætanei fuerunt, in Scriptis ſuis indubitatis, idem Arianorum effatum in terminis, ut dici ſolet, referentes, argumentis iiſdem, quibus uſus eſt Origenes, refellerunt. Dionyſios nomino Romanum & Alexandrinum, quorum teſtimonia ſuis locis proferemus. Denique Tertullianus Origene antiquior idem quod Arius, ſi verba ſpectes, tradidit lib. adv. Hermogenem, ubi ait, *fuiſſe tempus, cum Filius non fuit.* Quem lo-

Hujus Sect. cap. 4. n. 2. & 4.

cum infrà expendemus. Interea ad Origenem revertor, qui permultis aliis in locis fidem ſuam, de coæterna Filii cum Patre exiſtentiâ, diſertè profitetur. Sufficiat autem ſuperioribus addidiſſe ejuſdem ea de re illuſtre teſtimonium, quod extat Tom. 1. in

Edition. Huet. p. 31.

Joannem; ubi locum Davidis explicans Pſal. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* ita diſſerit: λέγεται πρὸς αὐτὸν νῦν τῷ Θεῷ, ᾧ ἀεί ἐςι τὸ σήμερον· ὃν ἕνι γὰρ ἑσπέρα Θεῦ, ἐγὼ δὲ ἡγοῦμαι ὅτι οὐδὲ πρωία, ἀλλ' ὁ συμπαρεκτείνων τῇ ἀχρόνῳ & ἀϊδίῳ αὐτοῦ ζωῇ, ἵν', ἵνα οὕτως εἴπω, χρόνῳ, ἡμέρα ἐςὶν αὐτῷ σήμερον, ἐν ᾗ γεγόνηται ὁ υἱός· ἀρχῆς χρόνου αὐτοῦ ὅτως οὐχ εὑρισκομένης, ὡς οὐδὲ τ' ἡμέρας· i. e. *Dicitur ad illum à Deo, cui ſemper eſt hodie; neque enim eſt veſpera Dei, neque mane, meô quidem judiciô; ſed tempus (ut ita dicam,) ſimul ſe extendens cum illa ipſius ingenita & ſempiterna vita, ipſi dies eſt hodie, in qua genitus eſt Filius: ſic non inventô originis ipſius principiô, ſicut neque diei.* Plura ex Origene de æternitate Filii qui volet, adeat Pamphili pro ipſo Apologiam. Id unum, tanquam obſervatu dignum, pro coronide adjiciam, Socratem, Virum integerrimum & in Origenis Scriptis verſatum ſatis, diſertè teſtari, auctorem illum πολύγραφον in ſuis elucubrationibus Filii τὸ σωναΐδιον conſtanter aſſeruiſſe. Nam lib. 7. cap. 6. Eccl. Hiſt. poſtquam mirari ſe dixerat, quomodo Timotheus ſtudioſiſſimus Origenis Lector in Ariana hæreſi perſiſtere potuerit, hanc admirationis ſuæ rationem ſubjicit: Ὠριγένης σωναΐδιον πανταχοῦ ὁμολογεῖ τὸν υἱὸν τῷ πατρί· i. e. *Origenes coæternum ubique fatetur Filium Patri.*

§. 3. Cæterum Petavius luculenta hæc pro æternitate Filii Origenis teſtimonia ita tandem enervare conatur: *Hæc,* inquit, *adverſus Arianos ac ſacrilegam Arii formulam valent, illam quidem, quæ fuiſſe dicebat aliquando, cum non eſſet Filius; ſed ad* ὁμοούσιον *affirmandum non ſufficiunt. Nam & creaturas ex æterno fuiſſe cum Deo cenſebat Origenes; quod alioqui neque creator, neque omnipotens, id eſt omnitenens, fuiſſet ex æterno Pater; ſed in tempore id illi accidiſſet: quod in primo Peri archôn hodieque ſignificatum ab eo legitur.* Hæc Petavius. Poteram autem cauſari, textum Origenis in libro 1. Peri archôn depravatum eſſe; vel Origenem, quod ibi de æternitate creaturarum conſcripſit, aut ex aliorum ſententia retuliſſe, aut velut meram ſui ipſius conjecturam (pro more ſcil. ſuo,) propoſuiſſe, non tanquam dogma aſſeverâſſe: quod ſane poſterius, quiſquis integrum expenderit ſermonis illius contextum, facilè crediderit. Poteram etiam multa loca adducere, in quibus verus Origenes apertè docet, ipſam primam rerum materiam ab aliquo initio, idque ex nihilo factam à Deo fuiſſe. Certè diſſertatio illa, quæ Philocaliæ capite 24. continetur, ex profeſſo inſtituitur adverſus eorum errorem, qui materiam Deo coæternam ſtatuerunt. Caput autem illud ex genuino aliquo Origenis dialogo contra Marcionitas revera deſcriptum eſſe, teſtantur duo fide digniſſimi auctores, Baſilius M. & Gregorius Nazianzenus; quibus potiùs, quàm Huetio, Viro licèt eruditiſſimo, par eſt aſſentiamur: præſertim cum is, maximos Viros erroris arguens, in manifeſtum ipſe errorem inciderit, ut alibi clarè oſtendimus. Quid? quod notiſſima fuerit Origenis doctrina, Filium Dei ante omnes res creatas ex Deo Patre genitum, adeoque ipſis antiquiorem eſſe. Sic (ut alia loca ſexcenta mittam,) in lib. 1. cont. Celſum: ὁ γὰρ (inquit,) τοῦ Θεοῦ υἱὸς, ὁ πρωτότοκος πάσης κτίσεως, εἰ καὶ νεωστὶ ἐνανθρωπικέναι ἔδοξεν, ἀλλ' ὅτι γε μετὰ τοῦτο νέος ἐςί. πρεσβύτερον γὰρ αὐτὸν πάντων τῶν δημιουργημάτων ἴσασι οἱ θεῖοι λόγοι· i. e. *Nam Dei Filius, primogenitus omnis creaturæ, etſi nuper homo factus eſſe videatur, non tamen ideo novus eſt: novit enim hunc ſacra Scriptura creaturis omnibus vetuſtiorem.* Jam quomodo hæc conſiſtere poſſunt cum ſententia, quæ ſtatuit, creaturam cum Deo ab æterno extitiſſe?

p. 257.

§. 4. Verùm ut Petavio demus, in loco allegato ex libro primo Peri archôn genuinam Origenis doctrinam tradi; certum tamen adhuc eſt, latiſſimum ibidem diſcrimen inter Dei Filium & creaturas ab ipſo ſtatui. Docet enim res creatas ab æterno cum Deo fuiſſe, tanquam ab ipſo factas; Filium verò cum Deo ex æterno extitiſſe, ut ex ipſo genitum, adeoque ipſius unigenitum. Docet ab æterno res creatas Deo ut Domino ſubjectas

Petav. de Trin. l. 1. c. 4. §. 7.

ctas fuiſſe; Filium autem ab æterno, ut unum cum Patre Deum, Dominum, Regem ac Principem, unâ eâdemque omnipotentiâ potentatum (ut loquitur Interpres,) in eaſdem exercuiſſe. Denique Filium Dei ibidem ab omni creata natura ita diſtinguit, ut hanc convertibilem & commutabilem, illum verò omnino inconvertibilem & incommutabilem; & illius quidem gloriam puriſſimam & limpidiſſimam eſſe, hujus nec puram nec ſinceram; ac demum in rebus creatis juſtitiam, ſapientiam cæteraſque virtutes mera eſſe accidentia, quæ in Filio Dei (ut etiam in Deo Patre,) ipſa ejus eſſentia ſint, diſertè doceat. En tibi, Lector, ipſa loci verba, ex quo hanc Origeni calumniam ſtruxit Petavius. In libro 1. Peri archôn cap. 2. verba explicans Auctoris libri, qui Sapientia Salomonis inſcribitur, de Dei Sapientia dicentis, quòd ſit *Vapor quidem virtutis DEI, & aporrhœa omnipotentis gloriæ puriſſima &c.* ita diſſerit: * " Quemadmodum Pater " non poteſt eſſe quis, ſi filius non ſit, neq; " Dominus quis eſſe poteſt ſine poſſeſſio- " ne; ita ne omnipotens quidem Deus dici " poteſt, ſi non ſint in quos exerceat pote- " ſtatem: & ideo ut omnipotens oſtendatur " Deus, omnia ſubſiſtere neceſſe eſt. Nam " ſi quis eſt qui velit, vel ſæcula aliqua, vel " ſpatia tranſiiſſe, vel quodcunque aliud no- " minare vult, cùm nondum facta eſſent, " quæ facta ſunt; ſine dubio hoc oſtendet, " quòd in illis ſeculis vel ſpatiis omnipotens " non erat Deus, & poſtmodum omnipotens " factus eſt, ex quo habere cœpit in quos a- " geret potentatum, & per hoc videbitur " perfectionem quandam accepiſſe, & ex in- " ferioribus ad meliora veniſſe. Siquidem " melius eſſe non dubitatur, eſſe eum omni- " potentem quàm non eſſe. Et quomodo " non videbitur abſurdum, ut, cum non " haberet aliquid ex his Deus quæ eum ha- " bere dignum erat, poſtmodum per profe- " ctum quendam in hoc venerit ut haberet? " Quod ſi factum nunquam eſt quando o- " mnipotens fuerit, neceſſariò ſubſiſtere " oportet etiam ea per quæ omnipotens di- " citur, & ſemper habuit in quibus exer- " cuerit potentatum, & quæ fuerint ab ipſo " vel Rege vel Principe moderata. —— " Sed quomodo gloriam dixit eſſe omnipo- " tentis, cujus gloriæ aporrhœa eſt ſapien- " tia? Hoc intelligi datur, quòd etiam in o- " mnipotentia gloriæ ſocietatem habeat ſa- " pientia, per quam Deus omnipotens dici- " tur. Per ſapientiam enim, quæ eſt Chri- " ſtus, tenet Deus omnipotentatum non ſo- " lùm dominantis auctoritate, verùm etiam " ſubjectorum ſpontaneô famulatu. UT " AUTEM UNAM ET EANDEM O- " MNIPOTENTIAM PATRIS AC FI- " LII ESSE COGNOSCAS, SICUT U- " NUS ATQUE IDEM EST CUM " PATRE DEUS ET DOMINUS, audi " hôc modô Joannem in Apocalypſi dicen- " tem: *Hæc dicit Dominus Deus qui eſt, & " qui erat; & qui venturus eſt, omnipotens.* " Qui enim venturus eſt omnipotens, quis " eſt alius niſi Chriſtus? Et ſicut nemo de- " bet offendi cum Deus ſit Pater, quòd etiam " Salvator eſt Deus: ita & cum omni- " potens Deus Pater, etiam nullus debet " offendi, quòd etiam Filius omnipotens di- " citur. Hôc namque modô verum erit il- " lud, quod ipſe dicit ad Patrem: *Quia o- " mnia mea tua ſunt, & omnia tua mea, & " glorificatus ſum in eis.* —— *Puriſſima* " verò ac *limpidiſſima* gloria ſapientiæ, ſatis " convenienter dictum eſt ad diſtinctionem " ejus gloriæ, quæ non purè, nec ſincerè " gloria dicitur. Omnis verò natura quæ " convertibilis eſt & commutabilis, etiamſi " glorificatur, glorificatur in operibus juſti- " tiæ vel ſapientiæ per Jeſum ipſum, quòd " accidentem habet juſtitiam, vel ſapientiam; " & quod accidit, etiam decidere poteſt; " gloria tamen ejus ſincera ac limpidiſſima " decidere non poteſt. Sapientia verò Dei, " quæ eſt unigenitus filius ejus, QUONIAM " IN OMNIBUS INCONVERTIBILIS " EST ET INCOMMUTABILIS, ET " SUBSTANTIALE IN EO OMNE " BONUM EST, † quod utique mutari " atque converti nunquam poteſt, idcirco " pura ejus ac ſincera gloria prædicatur." Hæc ideo, utut prolixa, recitâſſe operæ pretium duxi, ut Lector Petavii ingenium perſpectius haberet; cum alioquin Origenem Filii τὸ ὁμοούσιον agnoviſſe, ſuprà abunde evicerimus.

§. 5. Imò ipſa Origenis loca ab Athanaſio pro-

---

* Oper. Origenis Latin. Part. 1. pag. 673. Edition. Baſilienſ. 1571.

† Habere in ſe ſubſtantiale bonum, ab Origene alibi, in hoc ipſo primo libro Peri archôn, ponitur pro certa Nota characteriſtica veræ Divinitatis, quæ ſoli SS. Trinitati, Patri, Filio & Spiritui Sancto conveniat, nec ulli creaturæ competere poſſit. Sic enim ille cap. 5. (pag. 679.) *De bonis ſanctiſque Spiritibus cogimur confiteri, quia non ſubſtantiale ſit in ipſis bonum, quod utique in ſolo Chriſto & in Spiritu Sancto evidenter eſſe oſtendimus; ſine dubio utique & in Patre. Non enim Trinitatis natura habere aliquid compoſitionis oſtenſa eſt, ut hæc ei conſequenter videantur accidere.*

producta (quicquid dicat Petavius,) non modò ad Filii τὸ σεμαίδιον, ſed etiam ad ipſius τὸ δμοούσιον, ſi rem ipſam, non nudum vocabulum ſpectemus, affirmandum ſufficiunt. Nam in iis ſatis apertè docet Origenes, Filium eſſe id omne quod eſt Pater ; unde ex eo quod Pater inviſibilis ſit, infert, Filium quoque inviſibilem eſſe. Deinde Filium dicit abſolutè Patrem cognoſcere, quod certè nulli creatæ naturæ competit. Præterea ubi Filium appellat Paternæ lucis ſplendorem, eâ ſimilitudine communio naturæ, quæ inter Patrem & Filium intercedit, manifeſtè ſignificatur. Denique Filium Dei ipſam Patris ſapientiam & rationem, in ipſo ſubſiſtentem, eſſe affirmans, ſatis apertè ſignificat, illum Dei Filium neutiquam eſſe Deo Patri quiddam extraneum, ut ſunt res creatæ ; ſed aliquid ipſi intimum & coeſſentiale, quô non magis carere poſſit, quàm ipsâ ſuâ ſapientiâ, ratione, vitâ deſtitui. Certè quiſquis oculos ſuos aperiet, ſtatim is videbit, Origenem ibidem Filii τὸ σωσαίδιον ex ipſius τῷ δμοουσίῳ (quod pro conceſſo habet,) omnino colligere.

§. 6. Quod autem affirmat Huetius, * cenſuiſſe Origenem, *materiam è qua conflatus eſt mundus*, non modò ab æterno cum Deo extitiſſe, *ſed etiam à Dei ſubſtantia emanâſſe* ; (ita ſcil. ut nulla in re Filii Dei naturâ inferiorem ſtatuerit mundi materiam,) illud ſane à vero longiſſimè abeſt : neque ullum locum ex Origenis Scriptis, utcunque depravatis, proferre poterit Vir clariſſimus, qui tam deteſtandæ blaſphemiæ vel in ſpeciem patrocinetur. Imò contrarium diſertè docet Origenes tum in libro 1. Peri archôn, ubi mundi æternitatem aſſerere videtur, tum alibi paſſim. Sic in libro 6. cont. Celſ. (quem locum ſuprà † adduximus,) Filium Dei ab omni creata natura ita diſtinguit, ut illum ἀγέννητον, *non factum*, hanc γεννητὸν *factam* pronuntiet. Quomodo autem conſtabit hæc diſtinctio, ſi ut Filius Dei, ita prima rerum creatarum materia & ab æterno cum Deo extitit, & ex ipſa Dei ſubſtantia emanavit ? Sic in libri primi Peri archôn, unde hæc criminatio deſumpta eſt, ipſo proœmio, ea quæ omnibus creditu neceſſaria ſunt, enumerans, hæc duo primô in locô ponit : *primò, quia unus eſt Deus, qui omnia* pag. 665. *creavit atque compoſuit, quique ex nullis fecit eſſe univerſa*, &c. *tum deinde quia Jeſus Chriſtus ante omnem creaturam natus ex Patre eſt.* Animadvertis manifeſtam diſtinctionem, quâ Filius Dei ex ipſo Deo Patre, idque ante omnem creaturam, natus, creatura verò omnis ex nihilo facta ſtatuitur. Et centena loca his conſimilia in proclivi eſt adducere. Sed Origenis ſententiam de Filii æternitate jam ſatis, ut opinor, explicavimus. Nunc ad alios Scriptores Ante-Nicænos pergo, qui eandem doctrinam ſuô teſtimoniô confirmârunt.

---

* Origenian. lib. 2. pag. 44.

† Vide Section. 2. cap. 9. num. 9.

Oper. A
thanaſii
Tom. 1. p
276.

ANNOT.

CAP. IV.

Decretum Nicænorum Patrum de Filii coæterna cum Patre ſuo exiſtentia, diſertiſſimis Cypriani, Dionyſiorum Romani & Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, ſex Epiſcoporum qui ex Antiochena Synodo ad Paulum Samoſatenum ſcripſere, Theognoſti, Methodii, Pamphili Martyris, atque Arnobii teſtimoniis confirmatur.

§. 1. CYprianus in libro ſecundo Teſtimoniorum adverſus Judæos cap. 5. inter alia Scripturæ teſtimonia, quæ Chriſti ſummam Divinitatem confirment, citat & illud Apocalypſis cap. 21. v. 6, 7. *Ego ſum Alpha & Omega, initium & finis. Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vivæ gratis: qui vicerit, poſſidebit ea* * *& eorum hæreditatem, & ero ejus Deus, & ille erit mihi filius.* Quibus in verbis verum Deum, qui ex æterno in æternum idem exiſtit, apertiſſimè deſcribi omnes vident. Neque plura à Cypriano expectes: qui cum paſſim (ut ſuprà oſtendimus,) veram Filii Divinitatem, unde & ipſius æternitas per manifeſtiſſimam conſequentiam deducitur, prædicet; nullibi tamen (quantum meminerim,) de Filii τῷ σωτηρίῳ directè agit. Verùm ex eo quod ad Servatoris Divinitatem probandam locum alleget Apocalypſeos, in quo abſoluta ſummi Dei æternitas tam luculenter depingitur, ipſumque de Chriſto interpretetur, certò colligimus, ſanctum Martyrem à blaſphemo Arianorum de Filio Dei pronuntiato, ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν, omnino abhorruiſſe.

§. 2. Cypriano ſuccenturiandus eſt Dionyſius Papa Romanus, utpote qui vixit temporibus Cypriani. Ejus egregia eſt ſententia de Filii τῷ σωτηρίῳ, ab Athanaſio deſcripta in libro de Synodi Nicænæ decretis, ex Epiſtola quadam contra Sabellianos: Βλάσφημον (inquit,) δὲ τὸ τυχὸν, μέγιστον μὲν ὄν, χειροποίητον τρόπον τινὰ λέγειν τὸν Κύριον. εἰ γὰρ γέγονεν υἱὸς, ἦν ὅτε οὐκ ἦν· ἀεὶ δὲ ὢν. εἰ δὲ ἐν τῷ πατρὶ ἐστιν, ὡς αὐτός φησιν, ἥ τε λόγος καὶ σοφία καὶ δύναμις ὁ Χριστός· ταῦτα γὰρ εἰ) τὸν Χριστὸν αἱ θεῖαι λέγουσι γραφαὶ, ὥσπερ ἐπίσασθε· ταῦτα δὲ δυνάμεις ὄσαι τῷ Θεῷ τυγχάνουσιν· εἰ τοίνυν γέγονεν ὁ υἱὸς, ὢν ὅτε οὐκ ἦν ταῦτα. ὢν ἄρα καιρὸς, ὅτε χωρὶς τούτων ἦν ὁ Θεός· ἀτοπώτατον δὲ τοῦτο. i. e. *Blaſphemia igitur non vulgaris, ſed maxima habenda eſt, ſi Dominum dicas quodammodo manu factum. Si enim factus eſt Filius, erat igitur, quando ille non erat: atqui ille ſemper erat. Cum autem in Patre ſit, ut ipſe dicit, idemque Verbum, & ſapientia, & virtus, (hæc enim eſſe Chriſtum, divinæ Scripturæ, ut nôſtis, prædicant,) & hæc rurſus Dei potentiæ ſint; ſi igitur Filius factus eſt, erat quando iſta non erant, hoc eſt, fuit quando ſine iſtis Deus eſſet: id autem abſurdiſſimum eſt.* Ex hoc illuſtri teſtimonio apparet, Arii dictum de Filio Dei, *erat quando non erat*, diu ante Arium ab aliis heterodoxis vulgatum fuiſſe. Confer quæ capite præcedenti obſervavimus, de Origene agentes, n. 2. Hìc quoque vides, Dionyſium, totius orbis Chriſtiani primarium Antiſtitem, dictum illud pro maximè blaſphemo & abſurdiſſimo habuiſſe. Præterea & illud obſervandum, his verbis non unius modò Dionyſii, ſed & totius Cleri urbis Romanæ ſententiam contineri. Quippe ſcripſit Dionyſius Epiſtolam illam, pro more ſcil. ætatis quâ vixit, non ſine conſenſu Cleri ſui, legitimâ Synodo convocati. Denique non abs re erit illud obiter notâſſe, Dionyſium ſcil. hîc Filii Dei coæternam cum Patre ſuo exiſtentiam inde probare, quòd is ſit ὁ λόγος

Oper. Athanaſii Tom. 1. p. 276.

* In Græco vox παῖδα ſola reperitur, pro qua Cyprianus habet: *ea & eorum hæreditatem.*

λόγος in ipso Deo Patre existens. Nam ita argumentatur: Si Filius in ipso Deo Patre sit & existat, tanquam ipsius Verbum, sapientia, & virtus; tum sine maxima blasphemia & gravissima absurditate de eo dici non potest, *Erat quando non erat*; atqui Filius Dei in ipso Deo Patre est & existit, tanquam ipsius Verbum, &c. Ergo &c. Consequentiam majoris propositionis meritò pro concessa habuit Dionysius; quippe quæ hisce primis in Theologia principiis nitatur: *Quicquid in Deo est, Deus est*; deinde, *quicquid Deus est, æternum est.* Assumptionem probat ex Scripturis, præcipuè ex verbis ipsius Servatoris: *Ego sum in Patre.* Ita argumentantem paulò superiùs Origenem audivimus: atque eâdem ratiocinatione Patres Ante-Nicæni (ut de iis qui post Synodum Nicænam scripsere, nihil dicam,) communiter utuntur. Jam hæc argumentandi ratio Arianam hæresin prorsus jugulat. Ariani enim λόγον duplicem, ut & duplicem σοφίαν, statuebant; alterum in ipso Patre residentem λόγον, naturalem ipsius & proprium; per quem & universitatem rerum, & λόγον alium condidit: alterum à Patre & insito λόγῳ procreatum, qui λόγος nominetur abusivè; quippe qui nec genuinum ejus Verbum sit, nec ipsi coæternum, sed ὃς ἐκ οὐκ ὄντων à Deo hunc mundum condituro factus fuerit: & hunc posteriorem λόγον Filium Dei dicebant. Ita testatur Alexander Alexandriæ Præsul in Epistola sua ad Episcopos Ecclesiæ Catholicæ apud Socratem; ubi primigenia Arianorum dogmata recensens, sic scribit: ποῖα δὲ καὶ τὰς γραφὰς ἐφευρόντες λαλοῦσιν, ὅτι ταῦτα· οὐκ ἀεὶ ὁ Θεὸς, πατὴρ ἦν, ἀλλ' ἦν ὅτε ὁ Θεὸς, πατὴρ οὐκ ἦν. οὐκ ἀεὶ ἦν ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος, ἀλλ' ὃς ἐκ οὐκ ὄντων γέγονεν. ὁ γὰρ ὢν Θεὸς τὰ μὴ ὄντα ἐκ τοῦ μὴ ὄντος πεποίηκε. διὸ καὶ ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν· κτίσμα γάρ ἐστι καὶ ποίημα ὁ υἱός. ὅτε δὲ ὁμοίως κατ' οὐσίαν τοῦ πατρός ἐστιν, ὅτε ἀληθινὸς καὶ φύσει τοῦ πατρὸς λόγος ἐστίν, ὅτε ἀληθινὴ σοφία αὐτοῦ ἐστί· ἀλλ' εἷς μὲν τῶν ποιημάτων καὶ γενητῶν ἐστι· καταχρηστικῶς δὲ λόγος καὶ σοφία, γενόμενος καὶ αὐτὸς δὲ τοῦ ἰδίου τοῦ Θεοῦ λόγου καὶ ἐν τοῦ Θεοῦ σοφίᾳ, ἐν ᾗ καὶ τὰ πάντα καὶ αὐτὸν πεποίηκεν ὁ Θεὸς. διὸ καὶ τρεπτός ἐστι καὶ ἀλλοιωτὸς τὴν φύσιν, ὡς καὶ πάντα τὰ λογικά. ξένος τε καὶ ἀλλότριος, καὶ ἀπεχωρισμένος ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ οὐσίας· i.e. *Ea verò quæ sine ulla Scripturarum auctoritate commenti temere effutiunt, sunt hujusmodi: Deus non semper fuit Pater, sed tempus extitit cum Deus minimè esset Pater. Verbum Dei non semper fuit, sed ortum est ex nihilo; Deus enim qui est, illum qui non erat, ex eo quod non est, procreavit. Proinde tempus aliquando fuit cum non esset: quippe Filius creatura est opusque. Neque verò similis est Patri secundum substantiam, neque verum ac genuinum Dei Verbum, nec vera ejusdem sapientia: sed unus quidem est ex operibus & creaturis; abusivè autem Verbum dicitur & sapientia, quippe cum & ipse extiterit per proprium Dei Verbum, & per sapientiam quæ in Deo est, in qua Deus tum cætera omnia, tum eum ipsum fecit. Quamobrem suapte natura conversioni obnoxius est ac mutationi, perinde ac reliqua rationalia. Extraneum & alienum est Verbum, ac semotum à Dei substantia.* Ita quoque scribit Athanasius Oratione 1. & 3. & in libro de sententia Dionysii; Cyrillus item Alexandrinus libro 1. in Joannem, capite 4. aliique. Dices: Hinc quidem liquere, Dionysium Romanum reliquosque Patres, qui eodem modo ratiocinati sunt, Arianæ blasphemiæ Charybdim satis evitâsse: at quis ab hæresi Sabellianæ Scylla ipsos eripiat? Videtur enim Dionysius putâsse, rationem ipsam, hoc est λόγον quô Pater ipse λογικὸς est, quam velut formam in ipsius essentia cogitamus, Filium esse Dei. Respondeo: Neutiquam credibile est, Dionysium Sabellianissimum defendisse in illa ipsa Epistola, quam contra Sabellianos ex professo scripsit, quâque adeo Sabellium, quòd asseruerit Filium ipsum esse Patrem, & è converso Patrem esse Filium, blasphemiæ expressè arguit. * Quâ verò ratione Catholici veteres Filium ipsum Dei Patris λόγον dixerint, simulque eundem Dei Filium revera distinctam esse à Patre personam agnoverint, infrà † clarè ostendemus. Interim Filii æternitatem aliorum Patrum Ante-Nicænorum suffragiis confirmare pergo.

Hist. Eccles. lib. 1. cap. 6.

§. 3. Sequitur Dionysius Alexandrinus, qui cognominis sui etiam συίσχεσις fuit. Ex doctrinæ capitibus, de quibus ipsum coram Dionysio R. falsò accusarunt adversarii, hoc unum erat, referente Athanasio in Epistola de sententia Dionysii Alexandrini: οὐκ ἀεὶ ἦν ὁ Θεὸς πατὴρ· οὐκ ἀεὶ ἦν ὁ υἱὸς, ἀλλ' ὁ μὲν Θεὸς ἦν χωρὶς τοῦ λόγου· αὐτὸς δὲ ὁ υἱὸς οὐκ ἦν πρὶν γένηται, ἀλλ' ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν· ἐ γὰρ ἀΐδιός ἐστιν, ἀλλ' ὕστερον ἐπιγέγονε· i.e. *Deus non semper Pater fuit; Filius non semper fuit, sed Deus fuit sine Verbo; ipse autem Filius non* Tom. 1. pag. 559.

* Vide Dionysii testimonium suprà à nobis citatum Sect. 2. c. 11. n. 1.

† Hujus Sectionis cap. 5. n. 5. & 6.

non erat antequam naſceretur, verùm erat aliquando, quando non erat: neque enim æternus eſt, ſed poſtmodum extitit. Diſertè enim dicit Athanaſius de his Dionyſium ſe defendiſſe.* Jam ex hac ipſa accuſatione liquet, propoſitionem illam, quæ affirmat fuiſſe quando Filius non eſſet, à Catholicis Dionyſii ætate pro heterodoxa & abſurda habitam fuiſſe. Quomodo autem ſe defendit Dionyſius? An fatetur hæc ſe unquam vel ſcripſiſſe, vel ſenſiſſe? Nihil minùs. Filii τὸ συναΐδιον ſe ex animo agnoſcere, ſemperq; agnoviſſe profitetur. Nam in libro primo Elenchi & Apologiæ ait: ἐ γὰρ ἦν ὅτε Θεὸς οὐκ ἦν πατήρ· *Non enim fuit, quando Deus non eſſet Pater.* Et poſt aliqua de Filio Dei ſic ſcribit: ἀπαύγασμα δὲ ὢν φωτὸς ἀϊδίου, πάντως καὶ αὐτὸς ἀΐδιός ἐστιν. ὄντος γὰρ ἀεὶ τοῦ φωτὸς, δῆλον ὡς ἐστιν ἀεὶ τὸ ἀπαύγασμα· i. e. *Cum enim ſplendor ſit æternæ lucis, omnino & ipſe æternus eſt. Luce enim ſemper exiſtente, manifeſtum eſt ſplendorem ſemper exiſtere.* Et mox: ὁ δὲ γε Θεὸς αἰωνίου ἐστι φῶς, ὅτε ἄρξάμενον, ὅτε λῆξόν ποτε. οὐκοῦν αἰώνιον προσκεῖται καὶ συνέχειν αὐτῷ τὸ ἀπαύγασμα ἄναρχον καὶ ἀειγενές· i. e. *Deus autem æterna lux eſt, neque incipiens unquam, neque deſinens. Igitur coæternus coharet illi & coexiſtit ſplendor, qui initio caret & ſemper genitus eſt.* Et rurſus: μόνος δὲ ὁ υἱὸς ἀεὶ συνὼν τῷ πατρὶ, καὶ τοῦ ὄντος πληρέμνος, καὶ αὐτός ἐστιν ὢν ἐκ τοῦ πατρός· i. e. *Solus Filius ſemper coexiſtit Patri, plenuſque exiſtentis eſt, & ipſe ex Patre exiſtit.* His gemina habet idem Dionyſius in Epiſtola, quæ hodie extat, contra Paulum Samoſatenum ſcripta, & in reſponſione ad Pauli quæſtiones Epiſtolæ ſubjectas. In Epiſtola ſic de Chriſto ſcribit: εἷς ἐστιν ὁ Χριστὸς, ὁ ὢν ἐν τῷ πατρὶ, συναΐδιος λόγος· i. e. *Unus eſt Chriſtus qui eſt in Patre, coæternum Verbum.* In Reſponſionibus, Reſp. ad quæſt. 4. ſic Chriſtum ex Jeremia inducit loquentem: ἐγὼ ὁ ἐνυπόστατος ἀεὶ ὢν Χριστὸς, ὁ ἴσος τῷ πατρὶ κατὰ τὸ ἀπαράλλακτον τῆς ὑποστάσεως, ὢν συναΐδιος καὶ τῷ Κυρίῳ πνεύματι· i. e. *Ego Chriſtus perſona ſemper exiſtens, æqualis Patri, quòd ipſi in nullo ſim diſſimilis, coæternus etiam Domino Spiritui.*† Ubi integram coæqualem & coæternam perſonarum Trinitatem confitetur. Idem Reſponſ. ad quæſt. 5. reprehendit Paulum Samoſatenum, quòd noluerit Chriſtum dicere χαρακτῆρα συναΐδιον τῆς τοῦ Θεοῦ πατρὸς ὑποστάσεως, *figuram coæternam perſonæ Dei Patris.* In eadem quoque Reſponſione Filii æternitatem ſic declarat: ὥσπερ ἂν ἐννοοῦμεν, ὅτι εἰ ὄν τις τοῦ παρ' ἡμῖν ὑλικοῦ πυρὸς λάβῃ τις, καὶ πάθος ἢ τομὴν ἐ ποιεῖ, ἐν τῷ ἀναλάμψαι φῶς ἐκ φωτὸς, ἀλλὰ μένει τοῦτο· ἕτως ἀκαταλήπτως ἐξ ἀϊδίου γέννησις τοῦ Χριστοῦ ἐκ πατρός· i. e. *Sicut igitur intelligimus, quòd ſi quis ex igne corporeo, quô utimur, ſumat, neque paſſionem neque ſectionem infert ei, lumen ex lumine accendens, ſed idem manet: ad eundem modum fit incomprehenſibiliter ab æterno generatio Chriſti ex Patre.* Denique hanc fuiſſe conſtantem ipſius ſententiam, quam ſemper tenuit, & ubique prædicavit & profeſſus eſt, ipſe affirmat Reſponſ. ad quæſt. 10. his verbis: ἔγραψα, καὶ γράφω, καὶ ὁμολογῶ, καὶ πιστεύω, καὶ κηρύττω συναΐδιον τοῦ πατρὶ τὸν Χριστὸν, τὸν μονογενῆ υἱὸν καὶ λόγον τοῦ πατρός· i. e. *Scripſi, & ſcribo, & confiteor, ac credo, & prædico coæternum Patri Chriſtum, unigenitum Filium & Verbum Patris.* Perfricet jam frontem Sandius, & etiamnum glorietur, magnum Dionyſium Alexandrinum cum Ario ſenſiſſe.

Ubi ſuprà.

pag. 560.

Bibl. PP. Tom. 11. pag. 276.

pag. 284.

§. 4. Dionyſium Alexandrinum excipit Gregorius Thaumaturgus, qui amborum Dionyſiorum Romani & Alexandrini coætaneus fuit, & duobus iſtis luminibus conjunctus, fœlix illud ſæculum mirè illuſtravit. In ejus Confeſſione fidei (quam ſuprà deſcripſi, & ipſius genuinam eſſe evidenter ſatis probavi, ||) Chriſtus dicitur Dei Patris χαρακτὴρ ἀϊδίος *Character æternus*; & υἱὸς ἀϊδίου ἀϊδίου πατρός, *Filius æternus æterni Patris.* Quin & in eadem Confeſſione Pater, Filius, & Spiritus S. dicitur τριὰς τελεία δόξῃ, καὶ ἀϊδιότητι, καὶ βασιλείᾳ μὴ μεριζομένη, μηδὲ ἀπαλλοτριουμένη· *Trinitas perfecta, quæ gloriâ, & ÆTERNITATE, ac Regnô non dividitur, neque abalienatur.*

§. 5. Tempore hujus Gregorii ſex Epiſcopi celebriores, è Synodo Antiochena, contra Paulum Samoſatenum congregatâ, ſcripſere (dubiô procul ex communi cæterorum Epiſcoporum ſententia,) ad ipſum Paulum Epiſtolam, in qua de Filio Dei ſic loquuntur: τοῦτον πιστεύομεν σοὶ τῷ πατρὶ ἀεὶ ὄντα, συμπεπληρωκέναι τὸ παντελὲς βούλημα πρὸς τὴν κτίσιν τῶν ὅλων· i. e. *Hunc credimus, cum ſemper Patri coexiſteret, paternam im-*

Tom. I. pag. 559.

p. 287.

Bibl. PP. Tom. 11.

---

* Ἀπολογούμενος πρὸς ἐκείνους. Ibid.

† Nota obiter titulum τοῦ Κυρίου à Dionyſio, ante Conſtantinopolitanos Patres, Spiritui S. tributum.

|| Sectione 2. cap. 12. n. 1. 2. 3.

implêſſe voluntatem in rerum omnium creatione. Quibus in verbis diſertè docent, Filium Dei non modò ante rerum creationem fuiſſe, (utpote per quem univerſa condita fuerunt,) ſed & ſemper Patri coextitiſſe, hoc eſt ipſi coæternum eſſe. De his tamen etiam Epiſcopis ſcribit Sandius, eos *non obſcurè innuere, Filium, antequam à Patre in actum eſſet genitus, in potentia ſolùm fuiſſe.* Sed rogo ipſum, quibus Epiſtolæ verbis illud innuant? Nullus dubito, quin reſpexerit verba iſta, ubi dicunt Præſules ſanctiſſimi, *Patrem generâſſe Filium tanquam actum* (ἐνέργειαν) *viventem, & per ſe exiſtentem, omnia in omnibus operantem.* Quippe Scriptorem novi, cujus ſcrinia compilavit Sandius, qui ex his verbis idem collegerit. Verùm niſi ex aliorum fide, ut ſolet, de his Epiſcopis ſententiam tuliſſet Nugator iſte, ſi ſuis oculis ipſa inſpexiſſet Epiſtolæ verba, atque attentiùs cum antecedentibus & conſequentibus contuliſſet, agnoviſſet facilè, iſta ad quæſtionem de Filii æternitate nihil attinere. Scilicet Patres ibi perſtringunt hæreſin Pauli & Sabellii, qui in eo conſenſerunt, quòd τὸν λόγον ſeu Filium Dei, per quem omnia condita ſunt, eſſe Dei Patris ἐνέργειαν ἀνυπόσταλον, *virtutem minimè per ſe ſubſiſtentem* crediderint. Adverſus hos ſancti Viri docent, Deum Patrem genuiſſe filium ſuum, ὡς ἐνέργειαν ζῶσαν καὶ ὑφεστῶσαν, *tanquam virtutem viventem & ſubſiſtentem.* Quò etiam ſpectant eorundem ibidem de Filio Dei hæc verba: δι' οὗ ὁ πατὴρ πάντα πεποίηκεν, οὐχ ὡς δι' ὀργάνου, οὐδ' ὡς δι' ἐπιστήμης ἀνυποστάτου· *per quem omnia fecit Pater, non tanquam per inſtrumentum, neque tanquam per ſcientiam per ſe non ſubſiſtentem.* Eoſdem itidem Hæreticos reſpexit eodem tempore ſcribens Gregorius Thaumaturgus, dum Confeſſionem ſuam ſic exorſus eſt: εἷς Θεὸς πατὴρ λόγου ζῶντος, σοφίας ὑφεστώσης· *Unus Deus Pater Verbi viventis, ſapientiæ ſubſiſtentis.* Res certè manifeſta eſt. Pergo.

Enucl. Hiſt. Eccleſ. lib. 1. p. 124.

Vide Irenici Irenicorum p. 66.

§. 6. Theognoſtus Alexandrinus, Vir ſummus, in celebri illo Hypotypoſeon fragmento, quod nobis conſervavit Athanaſius, (quodque ſuprà integrè adduximus,) Filii τὸ συναΐδιον non obſcurè confirmat, dum de ipſo ſic ſcribit: οὐκ ἔξωθέν τίς ἐστιν ἐφευρεθεῖσα ἡ τοῦ υἱοῦ οὐσία, οὐδὲ ἐκ μὴ ὄντων ἐπεισήχθη· ἀλλ' ἐκ τῆς τοῦ πατρὸς οὐσίας ἦν, ὡς τὸ φωτὸς ἀπαύγασμα. i. e. *Non eſt extrinſecus quædam adinventa Filii ſubſtantia, neque ex non extantibus ſuperinducta; ſed ex Patris ſubſtantia ipſe progenitus eſt, ut à luce ſplendor.* Quibus in verbis primò negat, Filium eſſe Patri ſuperinductum, ac per conſequens coæternum fatetur. Nam ſi fuit aliquando quando Filius non eſſet, & poſtmodum ipſe Patri acceſſit; tum certè jure dicitur Filius Patri ſuperinductus. Deinde hoc idem ſignificat, dum Filium dicit ex paterna ſubſtantia progenitum, ut ex luce ſplendor emittitur: nam æternæ lucis ſplendor æternus ſit, neceſſe eſt. Atque hoc omnino voluiſſe Theognoſtum ideo certius eſt, quòd Origenis fuerit diſcipulus, qui eodem ſimili Filii æternitatem paſſim in Scriptis ſuis illuſtrat.

Vide Sectione 2. cap. 10. n. 7.

§. 7. Methodius, quem etiam inter Patres Ante-Nicænos cum Ario ſentientes numerat poſt Petavium Sandius, in Excerptis è libro de Caſtitate apud Photium, æternam Filii ex Patre generationem, verbis veluti Solis radiô deſcriptis, prædicat. Nam ad locum Pſalmiſtæ, *Filius meus es tu, ego hodie genui te,* hæc annotat: προσδιατηρητέον γὰρ ὅτι τὸ μὲν υἱόν αὐτὸν εἶναι ἀορίστως ἀπεφήναλο, καὶ ἀχρόνως· εἶ γὰρ υἱός, αὐτῷ ἔφη, καὶ ὃ, γέγονας· ἐμφαίνων, μήτε πρόσφαλον αὐτὸν τετυχηκέναι τῆς υἱοθεσίας, μήτε αὖ περιὼπόρξαλα τέλει ἐσχηκέναι· ἀλλ' εἶ ἀεὶ τὸν αὐτόν· i. e. *Obſervandum hîc, illud, Filium ſuum eſſe, indefinitè & ſine tempore dictum. Es enim Filius, ipſi dixit, & non, factus es; declarans neque novam ſeu recentem ipſum adeptum eſſe filiationem, neque finem habuiſſe eum, qui priùs extiterit; ſed eundem ſemper eſſe.*

Cod. 237. p. 959.

§. 8. Pamphilum Martyrem Filii omnimodam æternitatem credidiſſe, inde certiſſimè conſtat, quòd ipſe Origenem, tanquam eo in articulo Catholicum, ſtrenuè defenderit. Nam in Apologia pro Origene, contra ipſius accuſatores, probare nititur, ſolidéque probat, Adamantium in Scriptis ſuis hæc dogmata paſſim aſſeruiſſe, *quòd non ſit Pater antequam Filius, ſed coæternus ſit Filius Patri, & extra ullum initium ſit generatio Filii Dei.* Conſule omnino ipſam Apologiam. Ex Pamphili autem doctrina conjectare licet de Pierii, ipſius Magiſtri, ſententia, nempe & ipſum in hoc articulo Catholicum fuiſſe. Quod & inde ampliùs confirmatur, quòd etiam Pierius ille fuerit Origenis ſtudioſiſſimus ſectator, qui (ut abunde evicimus) Filii cum Patre coæternam exiſtentiam in Scriptis ſuis conſtantiſſimè aſſeruerit. Quibus porro & illud addas, quòd ipſe Photius (ut ſuprà oſtendimus,) de celeberrimo Pierio illud ſignanter referat, ipſum de Deo Patre ac Filio piè credidiſſe.

Sect. 2. c. 13. n. 2.

§. 9. Denique Arnobius, idem qui verè divinam

vinam in Christo naturam (si quisquam alius Veterum,) agnovit, & Filium Dei maximè propriè, & sine ulla vocis ambiguitate, verissimum Deum esse, sæpius atque apertissimis verbis (ut suprà * ostendimus,) professus est; idem, inquam, Arnobius verbis haud minùs disertis passim affirmat, omnem verè divinam naturam omnino (hoc est, tam à parte antè, ut loquuntur, quàm à parte pòst, æternam esse. Plurimis illud Arnobii locis confirmare possum: sed uno & altero testimonio contentus ero. In libro tertio ita ex communi Christianorum sententia, de naturis divinis clarissimus Rhetor disserit: *Nostra de hoc sententia talis est: naturam omnem divinam, quæ nec esse cœperit aliquando, neque vitalem ad terminum sit aliquando ventura, lineamentis carere corporeis*, &c. In libro septimo haud procul ab initio, Gentiles de Diis ipsorum sic alloquitur: *Ex vobis audire consuevimus, Deos esse quamplurimos, & nominum in serie computari: qui si sunt, ut dicitis, uspiam, verique, ut Terentius † credit, eos esse consequitur sui consimiles nominis, id est tales, quales eos universi debere esse conspicimus, & nominis hujus appellatione dicendos, quin imò, ut breviter finiam, qualis Dominus rerum est, atque omnipotens ipse, quem dicere nos omnes Deum scimus atque intelligimus verum, cum ad ejus nominis accessimus mentionem. Deus enim ab altero, in eo quo Deus est, nullâ in re differt: nec quod unum est genere, suis esse in partibus minus aut plus potest, qualitatis propriæ uniformitate servatâ. Quod cum dubium non sit, sequitur, ut geniti nunquam, perpetuique ut debeant esse.* Hinc ex Arnobii sententia hoc argumentum conficitur: Quisquis Deus verus est, is Deo Patri & omnium Domino in nullo dissimilis, ac proinde ingenitus, hoc est, non factus, atque æternus esse debet: Atqui Christus Filius Dei est Deus verissimus: Ergo Christus Filius Dei Deo Patri & omnium Domino in nullo dissimilis, ac proinde ingenitus, sive non factus, & æternus est. Major propositio ab Arnobio in verbis citatis disertè traditur. Minorem, ut modò dictum est, expressissimis itidem Arnobii locis suprà probavimus. Cæterum ego nullus dubito, quin Arnobius in verbis illis, *Deus enim ab altero, in eo quo Deus est, nullâ in re differt; nec quod unum est genere, suis esse in partibus minus aut plus potest, qualitatis propriæ uniformitate servata*; ad augustissimum Trinitatis mysterium, à Christianis creditum, cogitationem suam direxerit. Quippe in sacrosancta illa Triade altera persona ab altera in eo quod Deus est, hoc est juxta naturam divinam unicuiq; communem, nullâ in re differt, neque in una persona plus minusve est quàm in altera; sed qualitatis Deo propriæ, sive proprietatum Divinarum uniformitas in singulis servatur. Unde cum Deus Pater, quem Dominum rerum appellat Arnobius, increatus atque æternus sit; sequitur Filium quoque Dei, utpote quem etiam verissimum esse Deum, ut dictum est, omnino credidit Arnobius, increatum & æternum esse. In eo quidem impropriè locutus est Arnobius, quòd personas divinas *partes* dixerit. Sed illud facilè condonandum homini Christianæ disciplinæ adhuc rudiori, & nondum sacro baptismate regenerato, ac demum ad homines Gentiles & prorsus profanos orationem habenti: præsertim cum ibidem, & eodem quasi spiritu, totam Divinitatem in qualibet Divinitatis parte inesse debere, disertè dicat.

§. 10. Atque hactenus de Catholicis Scriptoribus Ante-Nicænis, qui Filii τὸ συναΐδιον apertè, clarè, ac perspicuè, absque ulla ἐναντιοφανείᾳ, docuerunt ac professi sunt. Ex quibus omnibus liquet, apertè falsum esse, quod scripsit Petavius Jesuita lib. 1. de Trinitate cap. 5. §. 7. ubi (ut jam initiô hujus operis notavimus,) Veterum, qui Synodum Nicænam antecesserunt, de Filio Dei sententiam explicans, ita scribit: *Tum autem à supremo Deo ac Patre productum esse (Filium,) dixerunt, cum hanc rerum universitatem moliri statuit, ut illum velut administrum haberet. Quam sententiam alii clariùs, obscuriùs alii significant. Sed isti fere, Athenagoras, Tatianus, Theophilus, Tertullianus, & Lactantius. Tam ii verò, quàm reliqui, quos commemoravi,* (commemoraverat autem Patres fere omnes Ante-Nicænos,) *ut Origenes, ÆVO, dignitate ac potentiâ superiorem Verbô Patrem arbitrati sunt: ac tametsi de Patris esse substantia sive natura Filium esse assererent, quâ unâ re à cæteris, quæ creaturæ propriè vocantur, illius conditionem diversam faciebant, non minùs tamen quàm creaturas initium habuisse, hoc est minimè ex æterno distinctam hypostasin fuisse putârunt.* Nam tot veteres Scriptores Ante-Nicæni, quorum

* Sectione 2. cap. 14. n. 1. & 2.

† Nempe Terentius Varro, de quo paulò antè locutus fuerat Arnobius.

quorum ſententiam in ſuperioribus ſigillatim & accuratè explicavi, ii omnes ævô ſuperiorem eſſe Filiô Patrem, & Filium initium habuiſſe, diſertè negârunt. Origenem verò, quem maximè illius blaſphemiæ arguit Petavius, Filii τὸ σωαΐδιον ſtrenuè defendiſſe, abunde evicimus. Sed & hinc Theſis noſtræ primæ veritas clarè elucet, quæ hæc fuit: *Doctorum, qui Concilium Nicænum anteceſſerunt, potior & major pars Filii* τὸ σωαΐδιον, *id eſt, coæternam cum Deo Patre exiſtentiam, ſine ambagibus, apertè, clarè, ac perſpicuè docuerunt & profeſſi ſunt.* Quippe Ignatius, Juſtinus Martyr, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyprianus, Dionyſius Papa Romanus, Dionyſius Alexandrinus, Gregorius Thaumaturgus, ſex Epiſcopi celebres, qui ex Antiochena Synodo ad Paulum Samoſatenum ſcripſerunt, Theognoſtus, Methodius, Pierius, Pamphilus Martyr, Arnobius, (qui certè longè majorem ac potiorem Scriptorum Ante-Nicænorum partem conſtituunt,) ii, inquam, omnes, Filii τὸ σωαΐδιον apertiſſimè confeſſi ſunt. Quibus addas (quem in hac Sectione ſuô locô commemorare prætermiſi) Cajum Presbyterum, Virum celebrem, & Scriptorem perantiquum, qui à Photio (Cod. 48.) dicitur in opere de Univerſo, Filii τὴν ὡς παλαιὸς ἄφραστον γέννησιν ἀμέμπτως ἀναγράφειν, *inenarrabilem ex Patre generationem citra reprehenſionem deſcribere.* Quod certè Photius de ipſo non dixiſſet, niſi generationem illam æternam agnoviſſet. Demum hinc patet, ſententiam, quæ ſtatuit Filium Dei Deo Patri coæternum eſſe, non modò Doctoribus pleriſque Ante-Nicænis placuiſſe, ſed & receptam, approbatam, ac ratam primævæ Eccleſiæ fidem ac ſententiam fuiſſe. Nam Ignatius Scriptor Apoſtolicus Gnoſticos Cerinthianos ideo reprehendit, quòd contra Eccleſiæ Apoſtolicæ fidem τῷ λόγῳ initium tribuerint: & idem ſæpius facit Irenæus, Polycarpi diſcipulus. Ex Dionyſii Alexandrini hiſtoria apparet, qui Filii æternitatem tum temporis negarent, pro heterodoxis ab Eccleſiæ præſulibus habitos fuiſſe. Dionyſius Papa Romanus non ſuam tantùm, ſed & totius Cleri Romani fidem ac ſententiam tradens, dictum illud Arii de Filio Dei, *Erat quando non erat*, tanquam maximam blaſphemiam damnavit. Denique ſex illi Epiſcopi, quos ſuprà recenſui, auctoritate totius Synodi Antiochenæ (quæ plurimis conſtitit Epiſcopis, cujuſque judicium Catholica Eccleſia, quæ ſub cœlo erat, univerſa comprobavit, teſte Euſebio E. H. l. 7. cap. 29.) ad Paulum Samoſatenum ſcripſere Epiſtolam, in qua Filii Dei omnimodam æternitatem clarè aſſeruerunt.

C A P.

CAP. V.

Proponitur Theſis ſecunda de Patribus illis, qui Filii æternitatem, cum negâſſe videantur, revera tamen confeſſi ſunt. Athenagoræ ſententia de Filii τῷ συναϊδίῳ accuratè explicatur.

§. 1. AD eos nunc Doctores progredior, qui Filii Dei cum Deo Patre coæternam exiſtentiam cum negâſſe videantur, revera tamen confeſſi ſunt. De quibus hæc eſto Theſis noſtra ſecunda:

THESIS II.

Nonnulli ſunt Scriptores Catholici Synodo Nicænâ antiquiores, qui videntur Filio Dei, etiam quà Deus eſt, nativitatem tribuiſſe quandam, quæ aliquando cœperit, & mundi creationem proximè anteceſſerit. Sed & iſti longiùs ab Arii ſententiâ abhorruerunt. Nam ſi dicta eorum accuratiùs expendantur, apparebit de nativitate ipſos locutos non verâ & propriè dicta, quâ nempe Filius ὑποστάσεως & ſubſiſtentiæ ſuæ initium acceperit; ſed de figurata & Metaphorica: hoc eſt, illud tantùm voluiſſe, τὸν λόγον, qui ante omnia ſæcula (cum nihil præter Deum eſſet,) in & cum Deo Patre extitit, ut æternæ ipſius mentis coæterna progenies, ex ipſo Deo Patre, tum cum mundum conditurus eſſet, κατ' ἐνέργειαν prodiiſſe, & progreſſum eſſe ad conſtituendum univerſa, ſeque Patremque ſuum creaturis manifeſtandum: atque ob hanc προέλευσιν & manifeſtationem, Dei Filium & primogenitum in Scripturis dici.

Qui ita ſacroſanctum dogma expliçârunt, iſti fere ſunt: Athenagoras, Tatianus, Theophilus Antiochenus, Hippolytus, & Novatianus, ſive Auctor libri de Trinitate, qui inter opera Tertulliani, & ſub ejus nomine editus eſt: de quibus ordine agemus.

§. 2. Ac primus in medium prodeat Athenagoras. Hunc Petavius, ut paulo ſuperiùs notavimus*, inter eos Patres Ante-Nicænos numerat, qui Arii blaſphemam ſententiam, quæ affirmat Filium tum primùm à ſupremo Deo productum fuiſſe, cum hanc rerum univerſitatem moliri ſtatuiſſet, Filiumque non minùs quàm cæteras creaturas initium habuiſſe, clariùs ſignificârunt, & apertiùs tradiderunt. Petavii autem auctoritati, ut ſolet, nimium tribuens Cl. Huetius, Athenagoram eorum Scriptorum claſſi adſcribit, qui *de Trinitate falſa & abſurda commenti ſunt*. Sed non admodum difficilis erit Athenagoræ defenſio, ſi modò locus, unde hujus calumniæ anſam arripuerunt Viri eruditi, integrè producatur, & accuratè expendatur. Igitur Athenagoras in Apologia vel Legatione pro Chriſtianis ad M. Aurelium Antoninum, & L. Aurelium Commodum Imperatores, Chriſtianorum de ſanctiſſima Trinitate profeſſionem exponens, poſtquam de Deo Patre egerat, ad ſecundam perſonam venit, Deum habere Filium aſſerens. Ne verò illud ridiculum videretur Philoſophis, quos alloquitur, quaſi ſcil. Chriſtiani conſimilia Poeticis fabulis figmenta, de Jovis nempe filiis, filiabus & nepotibus, ſomniâſſent; oſtendit, quæ de Filio Dei philoſophantur Chriſtiani, longè aliter, ſenſu ſcil. ſpirituali Deoque dignô modô prorſus exponenda eſſe: ita ut Filius Dei intelligatur ὁ λόγος τοῦ πατρὸς, *Verbum Patris*, quod nempe ſe habeat ad Patrem, ut ad mentem humanam verbum ejus interius, quod & ſpiritale eſt, miniméque per ſe cadit ſub ſenſus, & in mente, unde procedit, manet, nec ab ea ſejungitur; unde hominis ἔννοια ipſa ejus mens ſæpe dicitur. Nam ita prorſus & Dei Patris τὸν λόγον eſſe ipſius paternæ mentis progeniem, ex ipſa natam, in eâque ipſâ manentem, tam intimè ipſi unitam, ut planè ὁ νοῦς ipſa *mens* Patris appellari poſſit, Paterque adeo & Filius unum dici mereantur. Addit verò Filium Dei eſſe ipſius λόγον ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ, quatenus nempe ipſe eſt & exemplar, & ars divina, ut ita dicam, juxta quam Deus Pater, cum voluit, cuncta molitus eſt; & ab

* Vide hujus Sectionis cap. 4. n. 10.

Origenian. l. 2. c. 3. n. 6. p. 187.

ab ipso & per ipsum universa condita sunt. En ipsa Athenagoræ verba: καὶ μή μοι γε-
Athenag. Apol. p. 10. λοῖόν τις νομίσῃ, τὸ ὑὸν εἶναι τῷ Θεῷ. ὃ γὰρ, ὡς ποιηταὶ μυθοποιοῦσιν, ἐδὲν βελτίους τ̃ ἀνθρώπων δεικνύντες τοὺς Θεούς, ἢ περὶ τοῦ Θεοῦ ϗ πατρὸς, ἢ περὶ τοῦ ὑοῦ πεφρονήκαμεν· ἀλλ' ἔστιν ὁ ὑὸς τοῦ Θεοῦ λόγῳ τοῦ πατρὸς ἐν ἰδέᾳ καὶ ἐνεργείᾳ· πρὸς αὐτοῦ γὰρ καὶ δι' αὐτοῦ πάντα ἐγένετο, ἑνὸς ὄντος τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ ὑοῦ. ὄντος δὲ τοῦ ὑοῦ ἐν πατρὶ, καὶ πατρὸς ἐν ὑῷ, ἑνότητι ϗ δυνάμει πνεύματος, νοῦς καὶ λόγος τοῦ πατρὸς, ὁ ὑὸς τοῦ Θεοῦ· i. e. *Nec est quòd quis ridiculum putet, Deo filium à me attribui. Non enim, ut Poetæ fabulantur, qui nihilò meliores hominibus suos Deos faciunt, vel de Deo Patre, vel de Filio sentimus. Sed Filius Dei est Verbum Patris in idea & operatione; ab ipso enim & per ipsum facta sunt omnia, quum Pater & Filius ita unum sint, ut Filius sit in Patre & Pater in Filio, per unionem & potentiam Spiritûs. Mens & Verbum Patris, Filius Dei est.* Quod verò de Filio sive Verbo Dei in idea & operatione dixerat, clariùs explicat his verbis continuò sequentibus: εἰ δὲ δι' ὑπερβολὴν συνέσεως σκοπεῖν ὑμῖν ἔπεισιν, ὁ παῖς τί βέλεται, ἐρῶ δι' βραχέων· πρῶτον γέννημα εἶναι τοῦ πατρὶ, οὐχ ὡς γενόμενον (ἐξ ἀρχῆς γὰρ ὁ Θεὸς, νοῦς ἀΐδιος ὤν, εἶχεν αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ τ̃ λόγον, ἀϊδίως λογικὸς ὤν,) ἀλλ' ὡς τ̃ ὑλικῶν ξυμπάντων, ἀποίου φύσεως, καὶ γῆς, ὀχείας ὑποκειμένων δίκην, μεμιγμένων τ̃ παχυμερεστέρων πρὸς τὰ κουφότερα, ἐπ' αὐτοῖς ἰδέα καὶ ἐνέργεια εἶναι προελθών· i. e. *Quod si vobis qui intellectûs subtilitate excellitis, altiùs repetendum videtur, quidnam sibi velit hic Dei Filius, paucis dicam: primogeniam illum esse Patris progeniem, non quasi factum quiddam sit, (à principio enim Deus qui est æterna mens, habuit ipse in seipso λόγον, cum æternùm sit λογικὸς,) sed ita, ut cum materiâ concreta omnia, informisque natura, atque terra instar vehiculi subjicerentur, in iisque crassioribus leviora admista essent, ad hoc ut idea & actus illorum esset, prodierit* *. Dico hanc Athenagoræ explicationem ab Arii blasphemiis longissimè distare, adeoque, si ipsam dogmatis de Filio Dei substantiam spectemus, planè Catholicam esse. Fatetur quidem Philosophus Christianus, τ̃ λόγον Dei Patris πρῶτον ejus γέννημα à Christianis dici ob προβολὴν quandam, quâ ex ipso Deo Patre, tum cum mundum conditurus esset, processit, idque ut per ipsum mundus conderetur, qua de re in sequentibus sæpius dicturi sumus. Nihilominus istam προβολὴν ita explicat, ut satis manifestum mihi videatur, nihil ipsum sensisse de τῷ λόγῳ & Filio Dei, quod incommutabili ejus Divinitate atque æterna Majestate indignum sit. Nam

§. 3. Primo, τ̃ λόγον, sive Filium Dei, expressè eximit è censu τ̃ γενομένων, *eorum quæ facta sunt.* Hunc, inquit, *primigeniam Patris progeniem* dicimus, οὐχ ὡς γενόμενον, *non quasi factum quiddam sit.* Verè sollicitus erat Vir optimus, ne cuiquam tam impia cogitatio obreperet. Quid verò contra Arii blasphemiam apertius dici poterat? Miror igitur, quid Petavio in mentem venerit, cum in suspicionem Athenagoram vocârit, quasi προβολὴν τοῦ λόγου, de qua locutus est, ejusdem productionem fuisse credidisset. Certè enim huic calumniæ Pater doctissimus non potuit verbis expressioribus occurrere, quàm quibus usus est. Secundò, æternitatem τοῦ λόγου, sive Filii Dei, non minùs expressè asserit Athenagoras. Imò Filium Dei non esse γενόμενον, *factum quiddam*, inde probat, quòd in & cum Deo Patre ipse ex æterno extiterit. Verba ejus diserta sunt: *Non quasi factum quiddam sit; à principio enim Deus, qui est æterna mens, habuit ipse in seipso λόγον, cum æternùm sit λογικός.* Scilicet postmodum in eadem Apologia illud pro indubitato axiomate ponit Athenagoras: ἢ ἀγένητόν τι, ϗ ἔστιν ἀΐδιον, ἢ γενητὸν, φθαρτόν ἐστι· *Res omnis vel non facta, atque æterna est; vel facta, proinde corruptibilis.* Quid verò sit τὸ φθαρτὸν, *corruptibile*, mox explicat his Platonis verbis: τὸ ἀρχόμενον εἶναι, καὶ παυόμενον, *quod & inceperit esse, & desiturum sit.* Cæterum ibi τὸ γενητὸν idem significat, quod τὸ γενόμενον *factum*; unde pauculis interjectis, illam per hanc vocem exponit ipse Athenagoras: ἀδιώατον δέ ἐστι (inquit,) ἐπὶ ταυτοῦ μεῖναι τ̃ κόσμον γενόμενον· *In eodem statu permanere mundus non potest, quia factus est.* Et mox: πῶς ἢ τούτων σύγκασις, ὃ φύσει ὄντων, ἀλλὰ γενομένων; *Quomodo horum* (Deorum nempe Gentilium,) *constitutio permanebit, cum non naturâ existant, sed facti sint.* Itaque explodendus est Sophista Sandius, qui ex loco illo & aliis consimilibus collegerit, sensisse Athenagoram, etiam Filium Dei cœpisse aliquando existere, quia scilicet & ipse Filius aliquo sensu γενητὸς, i. e. *genitus* sit. Nam ubi ait Athenagoras omne τὸ γενητὸν cœpisse aliquando

p. 18.

Sand. Nucl. Histor. Eccl. l. 1. p. 88.

* Vide Conradi Gesneri annotat. ad locum.

aliquando exiſtere, manifeſtum eſt τὸ γενητὸν idem prorſus apud ipſum ſignificare quod τὸ γενόμενον, *factum*. Atqui ὁ λόγος ſive Filium Dei eſſe γενόμενον, *factum*, in loco, quo de agimus, diſertè negat Athenagoras; quin & ibidem ex æterno ipſum unà cum Deo Patre extitiſſe, expreſsè affirmat. Progrediamur cum Athenagora noſtro.

§. 4. Tertiò, manifeſtum eſt ſenſiſſe Athenagoram, τὸν λόγον ita cum Deo Patre ex æterno extitiſſe, ut haud minùs diſtincta ab ipſo hypoſtaſis ex æterno fuerit, quàm poſt προβολεύσιν fuit. Illud hac ratione certò colligitur: Dicit Athenagoras, ὁ λόγος cum ex Deo Patre progreſſus eſt, non fuiſſe γενόμενον, *factum* aut productum, ſive non tum demum initium ſubſiſtentiæ ſuæ accepiſſe. Hinc autem ita argumentamur: ὁ λόγος, juxta Athenagoram, fuit diſtincta à Deo Patre hypoſtaſis vel ante προβολεύσιν, adeoque ex æterno, vel nunquam. Ratio manifeſta eſt. Quippe ſi ſenſit Athenagoras ὁ λόγος ſive Filium Dei ante προβολεύσιν quidem non fuiſſe diſtinctam à Deo Patre hypoſtaſin, neque per ſe & actu ſubſtitiſſe, ſed δυνάμει tantùm fuiſſe in Patris eſſentia contentum; per προβολεύσιν verò iſtam demum in actum eductum & ſubſiſtentiâ donatum fuiſſe: tum ſane ſenſit, ὁ λόγος, ſive Filium Dei per iſtam προβολεύσιν fuiſſe γενόμενον, *factum* & productum; quod tamen ipſe diſertè negat. Res clara eſt. Si enim quod è potentia in actum educitur, quod cum priùs per ſe non ſubſtiterit, actuali dein & diſtinctâ ſubſiſtentiâ donatur, non ſit hôc ipſo γενόμενον dicendum; rogo te, quid γενόμενον dici poſſit? Atque hinc Petavius Sabellianiſmi tandem Athenagoram noſtrum reum peragit, quaſi ſenſiſſet Patris & Filii non niſi unicam eſſe, ſemperque fuiſſe perſonam. Hoc, inquam, facit idem ille Petavius, qui tum eo ipſo in loco quô id facit, tum alibi paſſim, eundem Athenagoram, ut Arianum traducit: ita doctiſſimo Patri duas hæreſes, ſibi invicem ex diametro repugnantes, affingens. Sed obteſtor Lectorem (quiſquis veritatem amat, atque optimi ſæculi optimi Scriptoris reverentiâ aliquali tenetur,) ut ſuis ipſe oculis uſurpet verba Athenagoræ, quæ mox poſt ea, quæ jam produximus, ſequuntur. Sic autem pauculis interjectis, pergit Philoſophus Chriſtianus: τίς οὐκ ἂν ἀπορήσαι, λέγοντας Θεὸν πατέρα καὶ υἱὸν Θεὸν καὶ πνεῦμα ἅγιον, δεικνύντας αὐτῶν τὴν ἐν τῇ ἑνώσει δύναμιν, καὶ τὴν ἐν τῇ τάξει διαίρεσιν, ἀκούσας ἀθέους καλουμένους; i. e. *Quis non miretur, nos, qui Deum Patrem prædicamus & Deum Filium & Spiritum ſanctum, ita ut tum unionis eorum vim, tum ordinis diſtinctionem exponamus, Atheos vocari?* Liceat & mihi hìc exclamare: Qqis non miretur, Athenagoram, qui hanc de tribus perſonis in una divina natura ſubſiſtentibus tam diſertam confeſſionem edidit, à quoquam cui vel mica candoris reliqua eſt, ut Sabellianum traduci potuiſſe? Sed & alibi, multis in locis ejuſdem Apologiæ, Deum Patrem à Filio Dei ita diſtinguit Athenagoras, ut manifeſtiſſimum ſit, ipſum cum Sabellio neutiquam ſenſiſſe. Unicum locum attuliſſe ſufficiat. Ad Imperatores, Marcum Aurelium Antoninum, & Lucium Aurelium Commodum ejus filium & in imperii conſortium adſcitum, propiùs ſermonem ſuum dirigens, & Chriſtianorum religionem, cultum unius Dei profitentium, ſimulque unà cum ſummo omnium parente ὁ λόγος ſive Filium ejus adorantium, defendere volens, ait, imaginem Regni cœleſtis in ipſorum terreſtri imperio quaſi adumbrari: ita ſcilicet ut, cum Monarchicum ſit utrumque regimen, duæ tamen ſint in utroque regimine perſonæ regnantes; quarum cum alteri altera auctoritatem ſuam acceptam referat, & utræque conjunctis animis Regnum adminiſtrent, Monarchia ſarta tecta conſervatur. Verba ſunt: ὡς γὰρ ὑμῖν πατρὶ καὶ υἱῷ πάντα πεχείρωται, ἄνωθεν τὴν βασιλείαν εἰληφόσι, (βασιλέως γὰρ ψυχὴ ἐν χειρὶ Θεοῦ, φησὶ τὸ προφητικὸν πνεῦμα,) ὅτως ἐνὶ τῷ Θεῷ καὶ τῷ παρ' αὐτοῦ λόγῳ υἱῷ νοουμένῳ ἀμερίστῳ πάντα ὑποτέτακται· i. e. *Ut vobis enim Patri & Filio in poteſtate ſunt omnia, Regnô divinitus in vos collatô, (Regis enim anima, inquit Spiritus propheticus, in manu Dei eſt,) ſic uni Deo & Verbo quod ab ipſo eſt, hoc eſt Filio inſeparabili, ſubjecta ſunt omnia.* Quis verò è Sabellii ſchola ita argumentaretur? Certè longè aliter Chriſtianorum cultum defendiſſet Sabellianus quiſpiam: nempe apertè dicendo, unam omnino ab ipſis in divinis perſonam, Patrem ſcil. agnoſci; Filium verò pro ἐνεργείᾳ tantùm divina haberi. Imò hac ipſa ſimilitudine, quâ utitur Athenagoras, Catholici ſolebant Monarchianis occurrere. Sic enim (ut alios præteream,) Tertullianus lib. adv. Prax. c. 3. μοναρχίαν (*inquiunt,*) *tenemus, Et ita ſonum ipſum vocaliter exprimunt etiam Latini, etiam opici, ut putes illos tam bene intelligere* μοναρχίαν, *quàm enuntiant. Sed* μοναρχίαν *ſonare ſtudent Latini; οἰκονομίαν intelligere nolunt Græci. At ego ſi quid utriuſque linguæ præcerpſi,* μοναρχίαν *nihil aliud ſignificare ſcio, quàm ſingulare & unicum imperium; non tamen præſcribere Monarchiam ideo, quia unius ſit ejus cujus ſit, aut Filium non habere, aut ipſum ſe ſibi Filium, feciſſe, aut Monarchiam ſuam non per quos velit adminiſtrare.*

p. 17.

p. 11.

Atquin nullam dico dominationem ita unius sui esse, ita singularem, ita Monarchiam, ut non etiam per alias proximas personas administretur, quas ipsa prospexit officiales sibi. Si verò & filius fuerit ei, cui Monarchia sit, non statim dividi eam, & Monarchiam esse desinere, si particeps ejus adsumatur & filius: se proinde illius esse principaliter, à quo communicatur in filium: & dum illius est, proinde Monarchiam esse, quæ à duobus tam unicis continetur. Post aliqua verò c. 4. addit: *Hoc mihi & in tertium gradum dictum sit*; significans parem esse Spiritûs S. rationem, adeoque veram atque integram Trinitatem, salvâ Monarchiâ divinâ, defendi posse. Neque id latuit Athenagoram, ut ex loco paulò antè à nobis allato, aliisque locis, quæ, si opus esset, promptè adducere potuissemus, perspicuum est.

§. 5. Cæterum videamus, quid moverit Petavium, ut venerando Scriptori hanc Sabellianismi dicam impingeret. *Videtur* (inquit) *putâsse, rationem ipsam, hoc est* λόγον, *quô Pater ipse* λογικὸς *est, quam veluti formam in illius essentia cogitamus, Filium esse Dei.* Sed unde hoc *videtur*, hoc phantasma, quô Jesuita tam turpiter illusus est, ut crederet Virum, omnium doctorum confessione doctissimum, ita desipuisse, ita mente adeoque communi sensu planè caruisse, ut putârit, ipsam Dei Patris mentem, sive ipsam rationem, quæ est velut forma Dei Patris, & quà ipse λογικὸς est, paulò ante mundum conditum ex ipso progressam esse, sive processisse, ut mundum conderet? Nimirum ex verbis illis oritur: *A principio Deus, cum sit mens æterna, ipse in seipso habuit* λόγον, *cum sit ex æterno* λογικὸς, hoc est *rationalis.* Ubi quidem coæternam existentiam τῷ λόγῳ cum Deo Patre hôc argumentô probat: Deus Pater est æterna mens, & ex æterno λογικός· ergo ex æterno in & cum ipso extitit ὁ λόγος. Verùm quis hinc collegerit putâsse Athenagoram, τὸν λόγον esse ipsam Patris mentem, sive rationem? Imò quis hinc non contrarium collegerit? Nam si illud sensisset Athenagoras, planè ineptiisset, idem per idem probando hunc ad modum: Deus est æterna mens; ergo ex æterno habuit in se mentem. Sane quanquam Athenagoras Filium Dei mentem Patris paulò superiùs dixerit; sensu nempe, quem ibi explicavimus;) hîc tamen (ubi magis propriè & strictè loquitur,) τὸν λόγον sive Filium Dei ab ipsa mente divina apertè distinguit, illiusque hanc esse causam non obscurè docet. Verùm ut ex hoc labyrintho Lector extricetur, notandum, Athenagoram cum Veteribus plerisque omnibus sensisse, divinam illam personam, quam τὸν λόγον & Filium Dei appellamus, modô ineffabili ac prorsus ἀκαταλήπτῳ à mente & cogitatione Dei Patris ex æterno natum esse. Et multa sunt, quæ suadent, hoc mysterium ab ipsis Apostolis traditum fuisse. And. Rivetus id certum ex Scripturis affirmat, in cap. 1. Genes. Exerc. 3. prope finem: *Esse autem*, inquit, *inter Patrem & Filium, ordinem, qualis inter loquentem internè, & λόγον seu sermonem internum loquentis, ex Scripturis certum habemus.* Verùm utut illud sit, ita prorsus sensisse Veteres pleroque constat. Quippe statuebant illi Dei Patris τὸν λόγον ita appellari, comparatione imprimis habita non ad externam hominis loquelam, sed ad interiorem humani animi ἔννοιαν & notionem, quæ à Philosophis *verbum mentis* nominatur: proinde quemadmodum ex mente hominis verbum illud interius necessariò profluit, ac simul cum ipsa existit; ita ex Deo Patre, qui est æterna mens, ipsius τὸν λόγον necessariò gigni, ipsique coæternum esse: ac denique, sicut homo, Dei imago, dum cogitat, quasi alteram in se personam experitur secum colloquentem; ita in Deo (qui est εἰκὼν ἀρχέτυπος, cujus quicquid in homine obscuriùs adumbratur, in ipso perfectissimè conspicitur,) revera alium esse ab ipso τὸν λόγον ipsius, & omnino distinctam personam. Ita hoc mysterium eleganter explicat Tertullianus in libro adverſ. Praxeam cap. 5. his verbis: *Vide cum tacitus tecum ipse congrederis ratione, hoc ipsum agi intra te, occurrente eâ tibi cum sermone ad omnem cogitatûs tui motum, & ad omnem sensûs tui pulsum. Quodcunq; cogitaveris, sermo est: quodcunq; senseris, ratio est. Loquaris illud in animo, necesse est: & dum loqueris, conlocutorem pateris sermonem, in quo ineſt hæc ipsa ratio, quâ cum eo cogitans loquaris, per quem loquens cogitas. Ita secundus quodammodo in te est sermo, per quem loqueris cogitando, & per quem cogitas loquendo; ipse sermo alius est. Quantò ergo plenius hoc agitur in Deo, cujus tu quoque imago & similitudo censeris, quòd habeat in se etiam tacendo rationem, & in ratione sermonem?* Jam ex hac hypothesi argumentum Athenagoræ rectè procedere, nemo est qui non videat. Mentem vero Athenagoræ clariùs expressit ejus æqualis Tatianus, de Patris & Filii coæterna existentia locutus his verbis: σὺν αὐτῷ διὰ λογικῆς δυνάμεως ὁ λόγος, ὃς ἦν ἐν αὐτῷ, ὑπέστησε· i. e. *Cum illo per rationalem virtutem* ὁ λόγος *qui in ipso erat, substitit.* Et paulò pòst: λόγος ἐκ τῆς λογικῆς δυνάμεως· *Verbum ex rationali virtute.* Ubi vide τὸν λόγον à Dei Patris λογικῇ δυνάμει apertè distingui, & hanc illius causam manifestè statui: quod mox fusiùs demonstrabitur, cum ad Tatianum veniemus. Orat. cont. Græcos p. 145. 146.

§. 6

§. 6. Sane si hâc Athenagoræ ratiocinatione ad probandum Filii coæternam cum Patre existentiam qui utuntur, pro Sabellianis habendi sunt, Sabelliana fuit universa penè Antiquitas, quæ Concilium Nicænum antecessit: imò Catholici, qui tempore Concilii Nicæni & post illud vixerunt, Sabelliani etiam censendi sunt, utpote qui eôdem argumentô pugnârunt. Multos hîc testes possum adducere; sed instar omnium erit maximus ille Athanasius, qui in Oratione secunda contra Arianos ita argumentatur: ὧν ἐστιν ἀϊδίως ὁ Θεός· ἔνι δὲ ἐν ἀεὶ τὸ πατρὸς, ὢν ἐστὶ καὶ ἀϊδίως καὶ τὸ τοῦτο ἀπαύγασμα, ὅπερ ἐστὶν ὁ λόγος αὐτοῦ. καὶ πάλιν ὁ ὢν Θεὸς, ἐξ αὐτοῦ καὶ ὄντα τὸν λόγον ἔχει· καὶ ὅτε ὁ λόγος ἐπιγέγονεν, ἐκ τοῦ πρότερον· ὅτε ὁ πατὴρ ἄλογος ἦν ποτε· i. e. *Deus ex æterno est; ex æterno igitur quoq; existente Patre, ex æterno quoq; existet ejus splendor, quod ipsum est Verbum. Ac rursum Deus existens, ex se existens Verbum habet: neque Verbum supervenit, cum priùs non esset, neque Pater unquam sine ratione fuit.* Sed quid multis opus est? Hoc argumenti genus ipse alibi Petavius sanum ac solidum esse iudicat, ipsumque egregiè explicat: *Quod ad Veteres illos* (inquit,) *attinet, qui sic disputant: ideo συναΐδιον esse Patri Filium, quia nunquam Pater sine sapientia virtuteque sua extitit; neque lux sine splendore suo, & hujus generis alia; rectè ab illis usurpantur ista, si non formali, ut appellant, sensu, sed causali, vel illativo capiantur. Quamvis enim Filius quà Filius est, non sit illa ipsa sapientia, quâ Pater est sapiens; necessariò tamen cum illa conjungitur, ab eaque oritur. Quippe sapientia vel intelligentia, quæ est in Patre, imò quæ est Pater, actus est simplex, non habitus aut facultas. Porro actus omnis sapiendi intelligendique, expressam notionem sive sapientiam, hoc est Verbum, necessariò complectitur, neque sine illo potest vel animô concipi. Meritò itaque Patres æternitatem Filii, ex Patris æternitate concludunt. Nunquam enim mens erit sine verbo* (ait Cyrillus,) *nec Verbum nisi mentem in se formatam habeat, intelligi potest. Quod & in libro quinto Thesauri uberiùs explicat. Atque ut sapientiam illam, quâ formaliter sapiens est Pater, ex æterno in Patre fuisse, rectè inde concludimus, quia nunquam sine sapientia Pater extitit: sic etiam natam ex ea, expressamque sapientiam ex omni æternitate fuisse non minùs necessariò probamus, quòd actu ipso sapiens esse, id est intelligere, sine expressa notione ac Verbo non potuit: præsertim cum Patrem esse sapientem, eo ipso, quô Pater est, hoc est secundum proprietatem & hypostasin suam, nihil sit aliud, quàm esse dicentem; quod ne intelligi quidem potest sine expressa notione ac Verbo, tanquam termino: adeo ut Verbum sic tanquam extrinseca quædam forma dici possit, à qua Pater habet, ut sit dicens vel intelligens actu. —— Sic illa verissima sunt, quæ Antiqui de Filii æternitate disputando conficiunt, non fuisse ἄλογον vel ἄσοφον Patrem. Nam revera expers fuisset rationis aut sermonis ac sapientiæ, nisi actu ipso intellexisset ab æterno; quod sine Verbo nequit fieri.* Hæc eruditè & acutè, pro more suo, Petavius. In explicando Athenagoræ loco illustrissimo jam pergamus.

Tom. 1. p. 331.

Petav. de Trin. l. 6. c. 9. §. 11.

Cyr. 4. in Joan. p. 413.

§. 7. Quartò, clarè docet Athenagoras, τὸν λόγον per istam, qua de loquitur, προέλευσιν à Deo Patre neutiquam separari, neque extra ipsum existere; sed ut ante προέλευσιν & ex æterno in Deo Patre fuit, ita postmodum adeoque in æternum in Patre manere. Nam ita unum esse etiam nunc Patrem & Filium asserit, ut Filius sit in Patre, & Pater in Filio. Itaque juxta Athenagoram, προέλευσις ista τῷ λόγῳ fuit tantùm ἐνεργητική· quod etiam apertè significat, cum ait, progressum fuisse illum ἐνέργειαν εἶναι, *ut energia foret* rerum creandarum. Ut verbô dicam: Ex mente Athenagoræ ὁ λόγος ante προέλευσιν in eo tantùm differt à τῷ λόγῳ, qualis post προέλευσιν fuit; quòd ante προέλευσιν λόγος erat apud Patrem velut *quiescens*; postmodum verò fuit λόγος ἐν ἐνεργείᾳ, *Verbum operans*: ut idem prorsus sit in utroque statu ὁ λόγος, in eodemque Deo Patre semper manens.

§. 8. Quintò denique, ex his omnibus consequens est, Athenagoram, etiamsi τὸν λόγον ob προέλευσιν Dei Patris πρῶτον γέννημα dici censuerit; nequaquam voluisse tamen, istam προέλευσιν fuisse ipsius τοῦ λόγου veram & propriè dictam generationem. Etenim vera & propria rei vel personæ cujuspiam generatio ea sola dicenda est, quâ illa γίνεται *fit*, sive producitur: atqui τὸν λόγον & Filium Dei per προέλευσιν, quâ de loquitur, γίνεσθαι *fieri*, sive *produci*, disertè negat Athenagoras. Cæterum ut res tum esse vel fieri sæpe dicitur, quando apparet; ita ὁ λόγος & Filius Dei, qui sine omni initio à Deo Patre & cum ipso extitit, ut æternæ mentis coæterna progenies, tum veluti natus dicitur, quando in rerum creatione τοῖς γενητοῖς manifestatus fuit, & ipse, & Deus Pater per ipsum. Repete quæ ex Justino observavimus hujus Sectionis cap. 2. n. 2. prope finem. Hinc, uti postea videbimus, Veteres nonnulli istam τοῦ λόγου προέλευσιν Filii Dei *revelationem*, atque *ostensionem* appellârunt, ipsumque exinde mundo veluti *visibilem* factum fuisse dixerunt; ut ma-

Orat. cont. Græcos p. 145. ip. 146.

manifestum sit, intellexisse ipsos generationem figuratam & μεταφορικῶς sic dictam. Rem totam paucis complectar. Vera & propria Filii generatio ea sola est, quâ ex Deo Patre, ut mentis ipsius æternæ productio, ex æterno extitit. Ob hanc, inquam, æternam à Patre originem & existentiam Filius Dei verè dicitur: quatenus nempe, ut loquitur Tertullianus, *omnis origo parens est, omne quod ex origine profertur, progenies est.* Tertulliano suffragatur Athanasius in Oratione 5. contra Arianos: εἰ μὲν γὰρ (inquit,) ἔκ ἐστιν ἐκ τοῦ Θεοῦ ὁ λόγος, εἰκότως ἂν ἀρνοῖντο εἶναι υἱόν· εἰ δὲ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐστι, διὰ τί μὴ συνορῶσιν, ὅτι τὸ ἐκ τινος ὑπάρχον, υἱός ἐστιν ἐκείνου, ἐξ οὗ καί ἐστιν; i. e. *Si enim ex Deo non est Verbum, meritò negârint, ipsum esse Filium; sin verò ex Deo est, cur non vident, quicquid ex aliquo, ejus Filium esse, unde est?* Idem postmodum in eadem Oratione: ἔστιν ἄρα ὁ λόγος υἱός, ἐκ ἄρτι γεγονὼς, ἢ ὀνομασθεὶς υἱός, ἀλλ' ἀεὶ υἱός· εἰ γὰρ μὴ υἱός, οὐδὲ λόγος· καὶ εἰ μὴ λόγος, οὐδὲ υἱός. τὸ γὰρ ἐκ τοῦ πατρὸς υἱός ἐστι· τί δέ ἐστιν ἐκ τοῦ πατρὸς, εἰ μὴ ὁ λόγος, ὁ ἐκ καρδίας προελθὼν, καὶ ἐκ γαστρὸς γεννηθείς; i. e. *Est igitur Verbum, filius, non nuper factus, aut nominatus filius; sed semper filius. Nam nisi sit filius, Verbum non fuerit; & si non sit Verbum, neque filius fuerit. Quod enim ex Patre est, filius est. Quid autem ex Patre est, nisi Verbum ex corde progressum, & ex utero genitum?* An hoc nescivit Athenagoras? Minimè certè. Nam æternam τοῦ λόγου ex mente divina productionem agnovisse illum, suprà susè ostendimus. Itaque omnibus ritè expensis, illud unum in hac Athenagoræ explicatione culpari posse videtur, quòd ob προέλευσιν, de qua loquitur, τοῦ λόγου primam Patris progeniem dicat. Sed hanc litem quisquis Athenagoræ intenderit, inutilis & vanæ λογομαχίας ipse manifestus erit. Quorsum enim de verbis & loquendi modis rixemur, ubi de re ipsâ convenit? Deinde Filium Dei, πρωτότοκον, *primogenitum* (quod certè idem est, quod Athenagoræ πρῶτον γέννημα,) dici ob progressionem ejus ex Deo Patre ad condendum universa statuerunt, progressionemque adeo illam, Filii quandam quasi generationem conceperunt Patres Catholici, qui post exortam controversiam Arianam vixere, interque eos ipse Athanasius, quemadmodum infrà liquidò probabimus. Lectorem autem veri amantem & studiosum rogatum velim, ut hanc doctissimi Athenagoræ explicationem (in qua se de Christiano dogmate ἀκριβολογεῖσθαι ipse mox profitetur, firmiter memoriâ suâ teneat: quod si fecerit, spondere ausim, reliquorum Veterum mentem, qui idem voluerunt quod Athenagoras, licet obscuriùs fere locuti sint, ipsum feliciùs assecuturum. Ac de Athenagora hactenus.

Tertul. adv. Prax c. 8.

Oper. Athan. Tom. 1. p. 530.

Ubi supra p. 539.

p. 11.

p. 14

CAP.

CAP. VI.

Tatiani doctrina de Filii æternitate fusè declaratur.

§. 1. SEquitur Athenagoræ æqualis, Tatianus. Qui etiam à Petavio, & ab Irenici auctore, & Sandio, iis Patribus annumeratur, qui cum Ario Filii æternitatem negârunt. Poteram autem causari, Tatianum istum, post magistri sui Justini mortem, in hæresin lapsum fuisse; proinde nullam ejus esse auctoritatem. Sed hac responsione opus non habemus. Verba Tatiani, unde istam ejus hæresin collegit Petavius, & post illum reliqui, quos commemoravimus, attentô tantùm & candidô interprete indigere mihi videntur. Sic igitur Tatianus
p. 145. in Oratione ad Græcos: φανερώτερον δὲ (inquit,) ἐκθήσομαι τὰ ἡμέτερα· Θεὸς ἦν ἐν ἀρχῇ· ἡ δὲ ἀρχὴν λόγος δυνάμιν παρειλήφαμεν. ὁ γὰρ δεσπότης τῶν ὅλων αὐτὸς ὑπάρχων τῶν πάντων ἡ ὑπόστασις, κατὰ μὲν τὸ μηδέπω γεγενημένοις ποίησιν μόνος ἦν· κατὰ δὲ πᾶσα δυνάμις ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων αὐτὸς ὑπόστασις ἦν, σὺν αὐτῷ τὰ πάντα. σὺν αὐτῷ γὰρ διὰ λογικῆς δυνάμεως αὐτὸς καὶ ὁ λόγος, ὃς ἦν ἐν αὐτῷ, ὑπέστησε. βουλήματι δὲ ἁπλότητος αὐτοῦ προπηδᾷ λόγος· ὁ δὲ λόγος οὐ κατὰ κενὸν χωρήσας, ἔργον πρωτότοκον τοῦ πνεύματος γίνεται. τοῦτον ἴσμεν τοῦ κόσμου τὴν ἀρχήν· i. e. "Nunc manifestiùs religionis nostræ arcana "pandam: Deus erat in principio; principium autem esse Verbi potentiam accepimus. Etenim Dominus omnium cum ipse "totius esset universi substantia, quatenus "nulla adhuc erat facta creatura, solus extabat: quatenus verò tota vis & potentia, "ac tam eorum quæ videri possunt, quàm "quæ videri nequeunt, substantia erat ipse, "cum eo erant omnia. Nam cum ipso per "rationalem vim & ipse, & Verbum quod "in ipso erat, substitit. Voluntate autem "simplicitatis ipsius Verbum prosiliit: quod "quidem non in vacuum progrediens, pri"mogenitum opus Spiritûs fuit. Hunc sci"mus esse mundi principium." Hujus loci ἐξήγησιν quandam æquo Lectori proponam; quâ intellectâ, spero fore, ut ab hæresi, saltem in hoc articulo, Tatianum is suô judiciô facilè absoluturus, ipsiusque consensum cum Patribus Nicænis in summa rei, qua de agitur, clarè perspecturus sit.

§. 2. Primò expendenda occurrunt verba: Θεὸς ἦν ἐν ἀρχῇ· ἡ δὲ ἀρχὴν λόγος δύναμιν παρειλήφαμεν. Ubi plurimum interest, ut rectè intelligamus, quid Tatiano sit λόγος δύναμις. Censuit Petavius per λόγος δύναμιν Petav. de
idem significari, quod mox Tatianus dicit Trin. l. 1.
λογικὴν δύναμιν, quâ rursus nihil aliud intel- c. 3. n. 5.
ligendum existimat, quàm *vim rationis ac potentiam, secundum quam Deus omnia producere potest.* Ego verò planè persuasum habeo, per λόγος δύναμιν omnino hîc intelligi debere Verbi potentiam, hoc est, ipsum Dei Verbum, quod & Filius Dei appellatur. Quod his evidentissimis, nî fallor, rationibus confirmo. Primò λόγος δύναμις alibi apud Tatianum in hac significatione constanter reperitur. Sic bis usurpatur paginâ proximè p. 146.
sequenti; ubi postquam Tatianus dixerat τὸν λόγον *Verbum*, sive Filium Dei, post Angelos condidisse hominem; deinde differit de ejusdem τοῦ λόγος providentia circa hominem jam conditum his verbis: ἡδὲ τοῦ λόγος δυνάμις, ἔχουσα παρ' ἑαυτῇ προγνωστικὸν τὸ μέλλον ἀποβαίνειν, οὐ καθ' εἱμαρμένην, τῇ δὲ τῶν αἱρουμένων αὐτεξουσίων γνώμῃ, τὸ μελλόντων πρόλεγε τὰς ἀποβάσεις. καὶ τῆς μὲν πονηρίας κωλυτὴς ἐγένετο δι' ἀπαγορεύσεων, τῶν δὲ μελλόντων ἀγαθῶν ἐπαινετὴς. καὶ ἐπιδή τινι φρονιμωτέρῳ ὡδὲ τοὺς λοιποὺς ὄντι διὰ τὸ πρωτόγονον συνεξηκολούθησαν, καὶ Θεὸν ἀνέδειξαν οἱ ἄνθρωποι, καὶ τὸ ἐπανισάμενον τῷ νόμῳ τοῦ Θεοῦ, τότε ἡ τοῦ λόγου δύναμις, τόν τε ἄρξαντα τῆς ἀπονοίας, καὶ τοὺς συνακολουθήσαντας τούτῳ, τῆς σὺν αὐτῷ διαίτης παρεπήσατο· i. e. "Verbi autem po"tentia cum secum prænosceret, quid even"turum esset, non ex fato, sed ex libero e"ligentium proposito, rerum futurarum "exitus prædicebat: & malitiam interdictis "vetabat; eorum verò, qui boni futuri es"sent, remuneratorem se demonstrabat. "Postquam verò homines callidiorem quen-

" dam præ cæteris, utpote provectiorem æ-
" tate, secuti sunt, & divinæ Legi se op-
" ponentem pro Deo habuerunt ; tum Ver-
" bi potentia & hujus dementiæ authorem,
" & eos qui ipsi obsecuti sunt, commerciô
" suo privavit." Hîc omnes vident τὴν δύναμιν τοῦ λόγου omnino esse ipsum τὸν λόγον, *Verbum*, sive Filium Dei. Unde & in posteriori sententiæ parte nominativus ἡ δύναμις, cum sit generis fœminini, habet tamen relativum masculinum αὐτῷ, quia scilicet ἡ δύναμις τοῦ λόγου sensu est ipse ὁ λόγος. Et hinc Tatianus δύναμιν τοῦ λόγου continuò exprimit verbis, quæ personam divinam clariùs designant : καὶ ὁ μὲν (inquit,) κατ' εἰκόνα τοῦ Θεοῦ γεγονὼς, χωρισθέντος ἀπ' αὐτοῦ τοῦ πνεύματος τοῦ δυνατωτέρου, θνητὸς γίνεται· i.e. " Et
" qui ad imaginem Dei factus erat, recedente ab ipso potentiori Spiritu, mortalis fit."
Ubi (ut obiter id notem,) ex more Veterum Scriptorum est, quod τὸν λόγον appellat πνεῦμα Tatianus, quod & suprà fecit : λόγος γὰρ ὁ ἐπουράνιος πνεῦμα γεγονὼς ἀπὸ τοῦ πατρός· *Verbum enim illud cœleste, Spiritus à Patre genitus.* Unicus, si bene memini, superest Tatiani locus, ubi λόγου δύναμις occurrit eodem planè sensu ; ubi nempe in ea-
p. 157. dem oratione Christianus homo dicitur λόγου δυνάμει καλακολουθεῖν, *Verbi potentiam* (hoc est, ut ex contextu apparet, ipsum Verbum sive Filium Dei,) *sequi.*

§. 3. Sed & hâc altera ratione interpretatio nostra stabilitur. Tatiano eadem est manifeste λόγου δύναμις & ἡ ἀρχή· at τὴν ἀρχὴν mox ipse τὸν λόγον *Verbum*, sive Filium Dei, interpretatur. Si verba Tatiani, quæ initiô perioches à nobis recitatæ habentur, cum verbis, quæ eandem periochen claudunt, conferas, clariùs illud perspexeris. Ibi est, ἀρχὴν, *principium esse Verbi potentiam accepimus* : hîc, τοῦτον (nempe τὸν λόγον sive Filium Dei, de quo antè locutus fuerat,) ἀρχὴν *principium mundi esse scimus.* Quis dubitet, quin de eadem ἀρχῇ utrobique locutus sit Tatianus ? Nec suum hîc commentum nobis tradit Doctor Assyrius, sed communiorem Christianorum sententiam : quod & verbis illis παρειλήφαμεν & ἴσμεν non obscurè indicat. Nimirum Veteres plerique τὸν λόγον sive Filium Dei dixerunt τὴν ἀρχὴν, *principium*, nempe illud in quo Deus erat ante conditum mundum, adeoque ex æterno quoque mundum Deus condidit. Sic Theophilus Antiochenus, Tatiani suppar, libro primo ad Autolycum Dei nomina recensens, εἰ λόγον (inquit,) εἴπω, ἀρχὴν αὐτοῦ λέγω· p. 71.
Si λόγον dixero, principium ipsius dico. Idem Theophilus libro 2. ad Autolycum de Filio Dei : ἔστι (inquit,) λέγεσθαι ἀρχή· *Hic prin-* p. 88.
cipium dicitur. Et mox ibidem : ἔστι οὖν πνεῦμα Θεοῦ, καὶ ἀρχὴ, καὶ σοφία, καὶ δύναμις ὑψίστου· *Hic igitur existens spiritus Dei, principium & sapientia, Altissimique virtus & potentia.* Sic Clemens Alexandrinus Strom. 7. Filium Dei dicit & τὸν ἄναρχον, & ἀρχὴν, *illum principio carentem, & principium.* Sic porro Origenes Homil. 1. in Genesin, in ipso initio, ad verba illa Geneseos, *In principio creavit Deus cœlum & terram*, hæc annotat : *Quod est omnium principium, nisi Dominus noster & Salvator ominum, Jesus Christus, primogenitus omnis creaturæ ? In hoc ergo principio, hoc est in Verbo suo, Deus cœlum & terram fecit.* Sic denique (ut alios Patres Ante-Nicænos præteream,) Methodius in Excerptis ex libro περὶ τῶν γεννητῶν, apud Photium Cod. 235. ad eundem Geneseos lo- p. 939.
cum scribens, ait : ἀρχὴν δὲ αὐτὴν τὴν σοφίαν λέγων τις, οὐκ ἂν ἁμάρτοι· *Is qui principium ipsam dixerit sapientiam*, (hoc est Filium Dei,) *non aberrabit.* Neque aliter philosophati sunt Patres Catholici, qui post exortam controversiam Arianam scripserunt. Nam Gregorius Nazianzenus Orat. 32. quam dixit in Synodo Oecumenica secunda Episcoporum CL. Divinitatis tres personas ita distinguit : p. 519.
ἄναρχον, καὶ ἀρχὴ, καὶ τὸ μετὰ τῆς ἀρχῆς, εἷς Θεός. i. e. *Quod principii expers est, & principium, & id quod cum principio est, unus est Deus.* Ex mox : ὄνομα δὲ τῷ μὲν ἀνάρχῳ πατήρ· τῇ δὲ ἀρχῇ υἱός· τῷ δὲ μετὰ τὴν ἀρ- p. 520.
χῆς, πνεῦμα ἅγιον· φύσις δὲ τοῖς τρισὶ μία, Θεός· *Nomen autem principii experti, Pater ; principio, Filius ; ei autem, quod cum principio est, Spiritus Sanctus : natura verò tribus una est, nempe Deus.* Sed & Mosis verba, *In principio creavit Deus*, &c. Augustinus *, Hieronymus aliique complures ita declarant, ut *principium* Filium Dei interpretentur. Hisce autem argumentis satis demonstratum arbitror, Tatianum per λόγου δύναμιν omnino ipsum τὸν λόγον, sive Filium Dei intellexisse. At quorsum, inquies, dixit Tatianus, Deum Patrem ante conditum mundum, adeoque ex æterno, in τῷ λόγῳ, ut in τῇ ἀρχῇ, fuisse ? Respondeo : Dixerat de Deo verbis proximè præcedentibus Tatianus : ὁ πάντων ἀνενδεὴς ὑπὸ ἡμῶν, ὡς ἐνδεὴς· *Qui nullius rei indigus est, non tanquam egenus à nobis traduci debet.* Hoc autem in verbis continuò sequentibus, à nobis hucusque expositis,

* August. 11. Conf. c. 9. & l. 12. c. 19, 20, 28. Hieron. Quæst. in Genes.

sitis, ulteriùs declarat, dicens, Deum ex æterno ante omnes res creatas, & absque illis, sibi αὐτάρκη fuisse: non locô aut domiciliô aliquo caruisse, in quo habitaret: neq; ipsi defuisse quocum sese communicaret, aut in quo seipsum quasi oblectaret; siquidem ex æterno in τῷ λόγῳ suo erat, & cum ipso versabatur. Itaque hîc coæterna τοῦ λόγου cum Deo Patre suo existentia clarè docetur. Sed & hoc voluit significare Tatianus, Deo ante conditum mundum, etiam ipsum quodammodo mundum præsentem fuisse; cum ipsi revera præsens fuerit ὁ λόγος mundi principium, qui & idea est & exemplar, sive ars divina, qua Pater universa, cum voluit, molitus est; quemadmodum vocem *Principium* rectè, & juxta mentem Veterum, alicubi explicavit ipse Petavius. Hoc omnino sensisse Tatianum in verbis allatis clariùs adhuc patebit ex iis, quæ apud ipsum sequuntur, ad quæ nunc progredior.

§. 4. Sic autem pergit Tatianus: *Etenim Dominus omnium, cum ipse totius esset universi substantia, quatenus nulla adhuc erat facta creatura, solus extabat: quatenus verò tota vis & potentia, ac tam visibilium quàm invisibilium substantia erat ipse, cum eo erant omnia. Nam cum ipso per rationalem vim ipse, & ὁ λόγος, qui in ipso erat, substitit.* Sensus Tatiani manifestus hic est: Mundus, & quæcunque in eo sunt, cum Deo erant δυνάμει, *in potentia*, ut Schola loquitur, ex æterno. Quomodo verò id probat? Hâc scilicet ratione, quia ex æterno subsistit non modò Deus Pater, sed & cum ipso λόγος ejus, qui est mundi principium, cujus virtute, postquam is ex Deo quasi prosiliisset & progressus esset, condita fuerunt universa. Hoc, inquam, voluit Tatianus: Mundus ex æterno cum Deo erat in principio suo, nempe τῷ λόγῳ, qui unà cum Deo Patre ex æterno subsistit. Quod ut luculentiùs appareat, accuratiùs expendenda sunt verba illa: σὺν αὐτῷ γὰρ ἀπὸ λογικῆς δυνάμεως αὐτὸς ἦν ὁ λόγος, ὃς ἦν ἐν αὐτῷ, ὑπέστησε. Dico, his verbis τοῦ λόγου cum Deo Patre, idque ut distinctæ ab eo hypostasis, coæternam & actualem existentiam, ejusque existentiæ causam æternam, satis apertè declarari. Nam primùm, quod ad æternam τοῦ λόγου cum Deo Patre existentiam attinet, clarè & disertè dicit Tatianus, τὸν λόγον ante conditum mundum, & cum Deus adhuc solus esset, (hoc est, nulla adhuc facta esset creatura,) in Deo fuisse, & cum Deo extitisse, quamdiu scilicet ipse Deus fuisset. Secundò, actualem fuisse illam τοῦ λόγου existentiam eô significat, quòd eundem modum existendi tum Deo Patri, tum ipsius τῷ λόγῳ tribuat, utriusque existentiam eodem verbo exprimens: *Et ipse*, (inquit,) nempe Deus Pater, & λόγος ipsius ὑπέστησε, *substitit*. Sed illud mox contra Petavium manifestiùs demonstrabitur. Tertiò, τὸν λόγον unà cum Deo Patre extitisse ex æterno, ut hypostasin ab eo distinctam, non uno modô nos docet Tatianus. Nam & extitisse illum cum Deo Patre dicit, quod non nisi de duobus propriè dicitur: & de Deo Patre & ipsius τῷ λόγῳ locutus, ait: *Cum ipse, tum* ὁ λόγος, *qui in ipso erat*: satis apertè innuens, τὸν λόγον non fuisse ipsum Deum Patrem. Denique ne quis suspicaretur, τὸν λόγον hîc planè idem esse ac Dei Patris λογικὴν δύναμιν, hoc est mentem & rationem; apertè τὸν λόγον à λογικῇ δυνάμει distinguit. Ultimo in locô, quod æternam causam coæternæ cum Deo Patre existentiæ τοῦ λόγου attinet, docet Tatianus, λόγον ex æterno cum Deo Patre subsistitisse ἀπὸ λογικῆς δυνάμεως, *per rationalem vim* sive *potentiam*: hoc est, à Patris mente ex æterno natum fuisse, æternæ mentis coæternam progeniem; quod superiùs ad Athenagoram explicavimus. Atqui, inquies, quomodo igitur etiam Deum Patrem dicit subsistitisse per rationalem vim? Responsio est facilis. Deus Pater, juxta Tatianum, subsistitit per rationalem vim, veluti per formam suam, hoc est, ipse erat ratio & mens æterna: Deus verò Filius, sive ὁ λόγος, unà cum Deo Patre subsistitit per rationalem vim, tanquam per causam efficientem, hoc est, ex omni æternitate à Patris mente natus est, æternæ mentis, ut sæpiùs diximus, coæterna progenies. Illud quidem absurdum videtur, quòd Tatianus dicat, ante conditum mundum cum Deo Patre subsistitisse non modò λόγον ipsius, sed & ipsum. Verùm in vulgari sermone, quali nonnunquam utitur Tatianus, trita est loquendi forma, quâ quis dicatur secum ipso esse. Ita scilicet vulgò dicimus: *nemo mecum erat præter meipsum.*

§. 5. Sed Petavio jam occurrendum est. *Tatianus*, inquit ille, *videtur existimâsse, Verbum à Patre productum, ex æterno non actu, sed tantummodo in* λογικῇ δυνάμει *ac potestate fuisse: quemadmodum in eâdem erant creata deinceps omnia.* Atqui, inquam ego, nemini Tatianus ita existimâsse videri potest, qui verba ipsius paulò attentiùs consideraverit. Si enim Tatiano ἀπὸ λογικῆς δυνάμεως existere, fit, non actu, sed potestate existere; dicendum est Tatianum existimâsse, ipsum quoque Deum Patrem ex æterno potestate tantùm, non actu extitisse: siquidem de Deo Patre

Patre & ejus τῷ λόγῳ pariter dicit, ipsos ex æterno ἀφ' λογικῆς δυνάμεως subsstitisse. Sed vide hîc Petavii ingenium: ut quod voluit efficeret, textum Tatiani satis manifestum depravavit, verba illa ἀφ' λογικῆς δυνάμεως αὐτὸς ἦν ὁ λόγος, ὃς ἦν ἐν αὐτῷ, ὑπέστησε, ita vertens: *per rationalem vim* λόγος *ipse qui in eo erat, extitit.* Verùm quis Græcis literis vel leviter imbutus, non cum Interprete censuerit verba potiùs reddenda: *per rationalem potentiam tum ipse tum* λόγος *qui in ipso erat, subsstitit?* Sed Petavii absurdam versionem si recipiamus, nihil ille proficiet. Rogo enim Jesuitam, quid cum verbis illis, ὁ λόγος ὃς ἦν ἐν αὐτῷ, faciendum sit? Dicat nobis, quomodo juxta Tatianum ὁ λόγος in Deo Patre ex æterno fuerit? In potentia rationis, non actu tum fuisse, necesse est ut dicat. Sed vide jam Solœcismum crassissimum, qui hinc in verbis Tatiani exurgat. Scilicet huc redibit ejus oratio: ὁ λόγος, qui in Deo Patre erat non actu, sed rationis potentiâ, per rationis potentiam tantummodo, non actu cum Deo Patre subsstitit: quô sermone quid absurdius? Deinde quis sanus persuadere sibi potest, ἀφ' λογικῆς δυνάμεως nihil aliud significare quàm ἐν δυνάμει, *in potentia*, quatenus scilicet locutio ista usurpatur à Philosophis de iis, quæ nondum actu exisstunt, sed ex certis quibusdam causis existere possunt? Certè λογικὴ δύναμις hîc omnino exprimit *rationalem vim*, sive, ut ita loquar, *facultatem:* & cum λόγος dicitur ante conditum mundum, adeoque ex æterno, cum Deo Patre subsstitisse ἀφ' λογικῆς ejus δυνάμεως, causa æternæ subsistentiæ τοῦ λόγου cum Deo Patre clarè significatur. Ut sensus Tatiani manifestus sit: quemadmodum in homine ex rationali ipsius potentia necessariò profluit verbum ejus internum, & simul cum ipsa existit; ita per rationalem Dei vim, quæ æternùm in ipso fuit, cum ipso ex æterno subsstitit ὁ λόγος. Prætereà suprà dixit Tatianus, ut vidimus, Deum ex æterno in λόγῳ suo fuisse. Quid verò? An Deus in illo fuit, qui nondum ipse fuit, nisi potestate tantùm? Deum etiam in τῷ λόγῳ ante conditum mundum ita fuisse asserit, ut propterea non defuerit ipsi, quocum sese communicaret. Nunquid hoc de τῷ λόγῳ, qui nondum actu extitit, affirmare potuit? Denique respiciendus est omnino Athenagoræ locus, in superiori capite à nobis allegatus, & cum Tatiani verbis conferendus: siquidem hi duo Scriptores mutuam sibi invicem lucem porrigunt. Negat Athenagoras, τὸν λόγον sive Filium Dei esse γενόμενον, *factum*; addita hac ratione, quòd Deus Pater, cum sit æterna mens, & ex æterno λογικὸς, hoc est, λογικῇ δυνάμει, ut Tatianus loquitur, pollens, ex æterno habuerit in se ipso τὸν λόγον, necesse sit. Quomodo autem, juxta Athenagoram, Deus Pater in se ex æterno habuit τὸν λόγον; an potestate tantùm? Nugæ. Nam sic in rerum natura nihil esse γενόμενον, pari jure affirmare potuisset doctissimus Scriptor; cum res cunctæ in potestate divinâ ex æterno extiterint. Intellexit igitur omnino actualem τοῦ λόγου exisstentiam Athenagoras, & eandem Tatianus. Ac sane quis non videt exactam utriusque de æternitate τοῦ λόγου sermonis convenientiam? Argumentatur Athenagoras, Deum Patrem ex æterno habuisse in se λόγον, quia æternùm λογικὸς fuerit: ait itidem Tatianus, τὸν λόγον ante conditum mundum, adeoque ex æterno, unà cum Deo Patre subsstitisse; quomodo? ἀφ' λογικῆς δυνάμεως. Res certè manifesta est. In explicando Tatiani textu progrediamur.

§. 6. Sequuntur apud Tatianum hæc verba: *Voluntate autem simplicitatis ipsius* προπηδᾷ, *prosiliit* ὁ λόγος, ἐν ὁ λόγος *non frustra progressus,* ἔργον πρωτότοκον, *primogenitum opus Spiritûs fuit. Hunc scimus esse mundi principium.* Hîc Tatiano τοῦ λόγου προπήδησις idem planè est, quod Athenagoræ ejusdem προβολή. Manifestè autem significat Tatianus, eundem illum τὸν λόγον, qui ex æterno in Deo Patre & unâ cum ipso subsstitit, cum Deus voluit mundum condere, ex Deo prosiliisse. Quomodo autem prosiliit? Scilicet ἐν ἐνεργείᾳ, sive ut rerum creandarum ἐνέργεια esset, quemadmodum rem explicavit Athenagoras: vel, ut mox ipse Tatianus, ut esset ἀρχὴ τοῦ κόσμου, *principium mundi.* Tatiani πρωτότοκον ἔργον planè idem est, (phrasi licet duriusculâ expressum,) quod Athenagoræ πρῶτον γέννημα. Uterque alluisit ad verba Apostoli Col. 1, 15. πρωτότοκος πάσης κτίσεως. Cæterum ἔργον dicit Tatianus τὸν λόγον, non in se spectatum, (utpote quem ex æterno subsstitisse paulò antè dixerat,) sed cum respectu ad προπήδησιν. Ut sensus ejus sit: cum Deus voluit mundum condere, hoc primùm fecit, ut ex se prosiliret ὁ λόγος ipsius: sive primum ejus opus fuit emissio τοῦ λόγου, ut per ipsum deinceps hoc universum constitueretur. Sane ἔργον, *opus*, hoc est, creaturam aut factum quiddam esse Dei τὸν λόγον, non sensisse Tatianum, certissimum est. Quippe hæc manifesta fuit ejus doctrina, inter materiam, & materiæ conditorem Deum, nihil esse medium: proinde omnem prorsus creaturam (ne ipsa quidem demptâ

demptâ naturâ Angelicâ) è materia conſtare: materiæ illud proprium eſſe, ut initium habeat: denique materiæ opificem unum eſſe Deum. Qui autem hæc docuit, idem τὸν λόγον à materia prorſus diſtinguit, illumque hujus opificem eſſe manifeſtè ſtatuit. Hoc ex collatione quorundam locorum Tatiani clariſſimè patebit. * ἔχει δὲ (inquit,) οὕτω· πᾶσαν ἐστὶν ἰδεῖν τοῦ κόσμου τὴν καταπλοκὴν, σύμπασάν τε τὴν ποίησιν, καὶ γεγονυῖαν ἐξ ὕλης, καὶ τὴν ὕλην δὲ τὴν αὐτὴν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ προσεδεήθη. *Sic autem res habet: univerſam mundi machinam, & prorſus omne quicquid factum eſt, è materia conſtitutum; ipſam verò materiam à Deo productam eſſe patet.* Mox ibidem conſequenter ſtatuit, ipſos τοὺς δαίμονας, quos vocârunt Ethnici, nempe Angelos, σύμπηξιν ἐξ ὕλης accepiſſe, hoc eſt, ex materia compactos eſſe. Idem verò paulò infra locum à nobis hucuſque examinatum, & τὸν λόγον Dei ab omni materia diſtinguit, & materiæ fabricatorem ipſum eſſe diſertè pronuntiat. Quippe ibi † à Tatiano ὁ λόγος dicitur αὐτὸς ἑαυτῷ τὴν ὕλην δημιουργήσας· *ipſe ſibi materiam fabricâſſe.* Pauculis autem interjectis, ſequuntur hæc verba: ὅτε γὰρ ἄναρχος ἡ ὕλη, καθάπερ ὁ Θεὸς, οὐδὲ διὰ τὸ ἄναρχον ἰσοδύναμος τῷ Θεῷ· γεγονὸς δὲ καὶ οὐ παρὰ τοῦ ἄλλου γεγονυῖα, μόνου δὲ παρὰ τοῦ πάντων δημιουργοῦ προσεδεήθη. *Non enim initii expers eſt materia, quemadmodum Deus, neque ipſa, ut initii expers, parem Deo potentiam habet; ſed facta eſt: neq; ab alio facta; ſed ab uno omnium fabricatore producta.* Hinc cum ſacroſanctum Dei nomen caſtè & religioſiſſimè ubique uſurpaverit Tatianus, illud nuſpiam alii tribuens præterquam vero Deo; Deum tamen τὸν λόγον diſertè dicere non eſt veritus. || ἐγὼ γὰρ (inquit,) μωραίνομαι, ἄνδρες Ἕλληνες, οὐδὲ λήρους ἀπαγγέλλομεν, Θεὸν ἐν ἀνθρώπου μορφῇ γεγονέναι καταγγέλλοντες· *Non deſipimus, ô Græci, neque nugas vobis proferimus, DEUM ſub hominis formâ natum nuntiantes.* Atque ad eundem modum alibi loquitur ſæpius. Similia autem, quæ poſt ea, quæ hucuſque explicavimus, adhibet Tatianus ad myſterium ſive æternæ productionis, ſive τῆς προπαθήσεως τοῦ λόγου, utcunque illuſtrandum, nolo omnino præſtare. Similitudines paucæ admodum, ſi ullæ, præſertim quæ ad res divinas explicandas accommodantur, (utpote de quibus non poſſumus niſi balbutire,) quatuor, ut dici ſolet, currunt pedibus. Ac Tatiani doctrinam de Filii τῷ συναϊδίῳ, jam ſatis, ut opinor, explicavimus.

* Pag. 151. † Pag. 145. || Pag. 159.

CAP. VII.

Theophili Antiocheni sententia ac fides de Filii æternitate, in summa rei, sana, Catholica, & Nicænæ fidei consona fuisse perspicue ostenditur.

§. 1. SEquitur Theophilus, sextus post Apostolos Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus. Quem itidem Petavius * in Catalago posuit Patrum Ante-Nicænorum, qui blasphemum Arii de Filio Dei pronunciatum, *erat quando non erat*, suo calculo comprobârunt. Prodeat igitur in arenam pro sua ὀρθοδοξίᾳ strenuè dimicaturus ipse Theophilus: sed prodeat integer, suaq; armaturâ plenè instructus & munitus, non armis spoliatus ac mutilatus, qualis à Petavio introducitur. In secundo libro ad Autolycum, postquam dixerat, Prophetas consonantia locutos esse de præteritis, & de præsentibus, quæ nunc fiunt; ut nulla ratio dubitandi sit de futuris, quin sint ea quoque eventura omnia suo tempore; sic pergit:

pag. 88. ἡ πρῶτον μὲν συμφώνως ἐδίδαξαν ἡμᾶς, ὅτι ὐξ ὐκ ὄντων τὰ πάντα ἐποίησεν. ὐ γάρ τι τῷ Θεῷ συνήκμασεν· ἀλλ' αὐτὸς ἑαυτῷ τόπος ὢν, ἡ ἀνενδεὴς ὢν, ἡ ὑπερέχων πρὸ τῶν αἰώνων, ἠθέλησεν ἄνθρωπον ποιῆσαι ᾧ γνωθῇ· τούτῳ ὃν προητοίμασε τὸν κόσμον. ὁ μὲν γὰρ ἀγγέλοις ἐστὶ προσδεής· ὁ δὲ ἀγγέλοις, ὐδενὸς προσδεῖται. ἔχων ὃν ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ λόγον ἐνδιάθετον ἐν τοῖς ἰδίοις σπλάγχνοις, ἐγέννησεν αὐτὸν μετὰ τῆς ἑαυτοῦ σοφίας ἐξερεύξαμενος πρὸ τῶν ὅλων. τοῦτον τὸν λόγον εἶχεν ὑπουργὸν τῶν ὑπ' αὐτοῦ γενομένων, ἡ δι' αὐτοῦ τὰ πάντα πεποίηκεν. ὅτε λέγεται ἀρχὴ, ὅτι ἄρχει ἡ κυριεύει πάντων τῶν δι' αὐτοῦ δεδημιουργημένων. ὅτε ὃν ὢν πνεῦμα Θεοῦ, ἡ ἀρχὴ, ἡ σοφία, ἡ δύναμις ὑψίστου, κατήρχετο εἰς τοὺς προφήτας, ἡ δι' αὐτῶν ἐλάλει τὰ περὶ τῆς ποιήσεως τοῦ κόσμου ἡ τῶν λοιπῶν ἁπάντων· ὐ γὰρ ἦσαν οἱ προφῆται ὅτε ὁ κόσμος ἐγίνετο, ἀλλὰ ἡ σοφία ἡ ἐν αὐτῷ ὖσα ἡ τοῦ Θεοῦ, καὶ ὁ λόγος ὁ ἅγιος αὐτοῦ, ὁ ἀεὶ συμπαρὼν αὐτῷ· i. e. *Jam primùm omnium uno consensu nos docuerant, [Deum] ex nihilo omnia creâsse. Nihil enim cum Deo floruit, sed cum ipse sibi locus esset, nullius indigens, & ante sæcula subsistens, voluit hominem, à quo cognosceretur, condere: huic igitur præparavit mundum. Hic factus, ac proinde egens est; ille verò infectus, nullius rei eget. Deus igitur in suis visceribus τὸν λόγον habens, ipsum unà cum Sapientia † sua proferendo (* ad verbum, eructando,) genuit ante hæc universa. Hunc λόγον administrum habuit operum suorum, & omnia quæ condidit, per ipsum fecit. Hic principium dicitur, quia dominium habet in omnia, quæ per ipsum facta sunt. Hic igitur existens Spiritus Dei, principium, & Sapientia, Altissimiq; potentia, descendit in Prophetas, per quos tam de mundi creatione, quàm de reliquis omnibus locutus est. Non enim erant Prophetæ, cum mundus crearetur; sed Sapientia Dei, quæ in ipso est, & λόγῳ ejus sanctus, qui* IPSI SEMPER UNA ADFUIT.

Huic adjungendus est locus alter ejusdem Theophili in eodem libro: ubi τὸν λόγον Dei Filium postquam dixerat, ne absurdum quiddam de Filio Dei conciperent Ethnici, explicationem mysterii (Athenagoram, ut videtur, imitatus,) cautè subjicit his verbis:

pag. 100. οὐχ ὡς οἱ ποιηταὶ ἡ μυθογράφοι λέγουσιν υἱὸς Θεοῦ ἐκ συνουσίας γενομένους, ἀλλ' ὡς ἀληθεια διηγεῖται, τὸν λόγον πάντος ἐνδιάθετον ἐν καρδίᾳ Θεοῦ. πρὸ γάρ τι γίνεσθαι, τοῦτον εἶχε σύμβουλον, ἑαυτοῦ νοῦν ἡ φρόνησιν ὄντα. ὁπότε δὲ ἠθέλησεν ὁ Θεὸς ποιῆσαι ὅσα ἐβουλεύσατο, τοῦτον τὸν λόγον ἐγέννησε προφορικὸν, πρωτότοκον πάσης κτίσεως· ὐ κενωθεὶς αὐτὸς τοῦ λόγου, ἀλλὰ λόγον γεννήσας, ἡ τῷ λόγῳ αὐτοῦ πάντοτε ὁμιλῶν. ὅθεν διδάσκουσιν ἡμᾶς αἱ ἁγίαι γραφαὶ, ἡ πάντες οἱ πνευματοφόροι,

Lib. 4. c. 17.

* Petavius de Trinitate lib. 1. cap. 3. §. 6.

† i. e. Spiritu S. Vide Sect. 2. cap. 4. n. 9.

τορόφοι, ὃς ἂν Ιωάννης λέγει· Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, καὶ ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν· δείκνυς ὅτι ἐν πρώτοις μόνῳ ἦν ὁ Θεὸς, καὶ ἐν αὐτῷ ὁ λόγος. ἑπέρα λέγει· Καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος· πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν· i. e. *Nec arbitreris, ut Poetæ & fabularum Scriptores perhibent, Deorum filios ex concubitu esse natos; sed intellige, ut veritas docet, τὸν λόγον æternùm existentem atque insitum in corde Dei. Antequam enim quicquam factum esset, hunc consiliarium habuit, ut qui mens & prudentia ejus sit. Cum verò jam condere quæcunque deliberaverat, instituisset, hunc λόγον genuit prolatum, primogenitum omnis creaturæ; non quasi Verbo ipse exinanitus fuerit, sed Verbum gignens, cum Verbo suo æternùm conversatus est. Hæc nos docent sacræ literæ, & omnes sancto Spiritu afflati, quorum de numero est Joannes, ad hunc modum differens:* In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum; *significans in principio solum fuisse Deum, & in eo Verbum. Postea infert:* Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil.

§. 2. In his locis, fateor, τῷ λόγῳ & Filio Dei generationem quandam à Theophilo tribui, quæ creationem mundi paulò antecessit. At qualem generationem voluit? Neutiquam certè personæ priùs non actu existentis; sed, cum Athenagora, γέννησιν τοῦ μὴ ᾠομένου, *generationem ejus qui factus non est*, qui apud Deum Patrem ex æterno fuit; adeoque generationem non veram ac propriam, (qualis nempe ea est, quâ res vel persona quæpiam fit, sive producitur,) sed figuratè & metaphoricωs sic dictam. Genuit (inquit,) aliquando Deus Pater illum ipsum τὸν λόγον, quem consiliarium in se ex æterno habuerat, atque etiamnum habet, atque in æternum habiturus sit, utpote in corde ipsius διαπαντὸς ἐνδιάθετον, *perpetuo insitum*. Quomodo autem genuit? Nempe ἐξερεύξαμένῳ, dum illum *eructaret*, ut in priori loco dicitur; vel ut in posteriori loco, προφέρων, dum ipsum *proferret* in principio creationis. Quid quæso, hoc aliud significare potest, quàm προφορὰν illam ἐνεργητικὴν Athenagoræ, de qua suprà diximus? Eôdem modô & sapientiam suam, hoc est, Spiritum sanctum eructâsse sive protulisse dicit Deum Patrem, cum mundum conditurus esset. Nimirum Filius & Spiritus sanctus, *copiosum illud & inenarrabile ministerium* est (ut loquitur Irenæus, Theophili suppar,) quod Deo Patri semper præsto fuit, non indigente ipso Angelis, aliove *ministerio ad fabricationem eorum quæ facta sunt*: hos igitur, quando voluit, emisit ἐν ἐνεργείᾳ ad constitutionem universi. Sed Theophili verba in utroque loco à nobis allato accuratiùs examinemus, ut ex iisdem veluti synthesin quandam ejus doctrinæ de τῷ λόγῳ & Filio Dei construentes, omnibus tandem manifestum faciamus, venerandum Patriarcham in ipso dogmatis capite planè Catholicum fuisse. Primò, clarè docet Theophilus, τὸν λόγον ex omni æternitate Deo Patri coextitisse. Diserta sunt prioris loci verba: ὁ λόγος ὁ ἅγιος αὐτοῦ, ὁ ἀεὶ συμπαρὼν αὐτῷ. *Logos ejus sanctus, qui semper ipsi unà adfuit.* Et in posteriori loco dicit Theophilus, τὸν λόγον ante prolationem, qua de loquitur, adeoque ex æterno, Deo Patri σύμβουλον adfuisse. Quid? quòd ibidem expressè cavet (juxtà scilicet cum Athenagora,) ne quis Ethnicus Dei Filio, tanquam alicui Jovis soboli, initium tribuat, ipsumve aliter concipiat, quàm τὸν λόγον in corde Dei Patris ὄντα διαπαντὸς ἐνδιάθετον, *æternùm insitum, & existentem.*

§. 3. Secundò, manifestum est sensisse Theophilum, τὸν λόγον, quatenus ex æterno in Deo Patre & cum ipso fuit, λόγον fuisse ζῶντα καὶ ὑφεστῶτα *viventem ac subsistentem*, hoc est personam, eamque à Deo Patre distinctam. Cum enim in posteriori loco dicit, τὸν λόγον ante prolationem, qua de loquitur, adeoque ex æterno, Dei Patris σύμβουλον *consiliarium* fuisse, ipsa vox σύμβουλος non rem in Deo (si ita loqui fas sit,) sed personam clarè designat. Jam verò qui alicujus consiliarius est, alterum ab eo esse, cujus est consiliarius, perspicuum est. Deinde quid clarius verbis illis, quibus à Theophilo in priori loco dicitur ὁ λόγος cum Spiritu sancto, Deo Patri ἀεὶ συμπαρὼν, *semper unà adfuisse?* Quippe vera est Athanasii * regula: τὸ γὰρ συνυπάρχον, οὐχ ἑαυτῷ, ἀλλ' ἑτέρῳ συνυπάρχει· i. e. *Omne coexistens, non sibi ipsi, sed alteri coexistit.* Denique eódem spectat, quod itidem in posteriori loco Deus Pater dicitur τῷ λόγῳ διαπαντὸς ὁμιλεῖν· *cum Verbo sempiternùm* (hoc est, tam ante, quàm post ipsius prolationem,) *conversari*: nam conversatio omnis saltem duorum est. Equidem non possum non mirari Petavii lævam mentem, ac planè infælix ingenium, qui putaverit, Theophilum credidisse τὸν λόγον, quem ex æterno in Deo fuisse dicit, idem fuisse

Lib. 4. c. 17.

* Athanasius contra Arianos Oratione 2. Tom. 1. pag. 338.

fuiſſe cum Deo Patre, hoc eſt, ipſam Patris eſſentiam, ſive mentem ipſius atque intelligentiam, unde habet, ut λογικὸς nominetur. Huic ſomnio refellendo ſufficiunt, quæ ſuprà ad Athenagoram & Tatianum annotavimus. Cæterum τὸν λόγον, juxta Theophilum, non fuiſſe ante prolationem diſtinctam à Patre perſonam, ſed ipſam ejus mentem, inde colligit Jeſuita, quòd λόγον tum ἐνδιάθετον, hoc eſt, inſitum & incluſum in Dei viſceribus fuiſſe dicat. Frivolum ſane argumentum, ac tantô Virô prorſus indignum. Et hoc tamen Sophiſma Petavio perpetuum eſt, qui ſi in Veteri quopiam legit, τὸν λόγον ante conſtitutionem univerſi in Deo, in Dei corde, pectore, viſceribus fuiſſe, confeſtim inde colligit, ex ſententia illius Scriptoris λόγον tum planè eundem fuiſſe ac Deum Patrem, hoc eſt, ipſam illius mentem, ſive rationem, unde habet, ut λογικὸς nominetur. Sed ad Theophilum quod attinet, nullo is negotio ab hac ſuſpicione liberatur. Dixerat ille in priori loco, Deum ante conſtitutionem univerſi, cum nihil eorum, quæ facta ſunt, adhuc extitiſſet, ſibi ipſi fuiſſe locum: cujus conſequens eſt, ut quicquid tum Deo coextitit, in Deo ac veluti in Dei corde ac viſceribus fuiſſe atq; extitiſſe dicendum ſit. Hinc mox coæternam τοῦ λόγου cum Deo Patre exiſtentiam deſcribens, ait, Deum ante conditum mundum, adeoque ex æterno, habuiſſe τὸν λόγον in viſceribus ſuis: quod in poſteriori loco exprimit per τὸν λόγον perpetuò exiſtentem, atque inſitum in corde Dei. Quanquam haud negaverim, reſpexiſſe etiam Theophilum ad comparationem Verbi divini ad humanum, quod in corde priùs conceptum & incluſum, deinceps per loquelam exteriùs profertur: quæ comparatio, ut in aliquibus quadrat, ita in pluribus deficit. Præcipuè verò hac locutione id ſignificare voluit Theophilus, quod ejus in Cathedra Antiochena anteceſſor Ignatius, * cum dixit Filium ante ſæcula fuiſſe παρὰ πατρὶ, *apud Patrem:* idemque adeo quod ipſe Joannes Apoſtolus, qui τοῦ λόγου cum Deo Patre exiſtentiam ante conditum mundum his verbis exprimit: *In principio erat Verbum; & Verbum erat* πρὸς τὸν Θεὸν, *apud Deum.* Imò ipſe Theophilus iſta Evangeliſtæ verba expreſsè citat, ut inde probet quod dixerat, nempe τὸν λόγον ex æterno fuiſſe in corde DEI inſitum atque exiſtentem. Jam verò qui τὸν λόγον in corde Dei Patris inſitum dicit, hôc ipſo τὸν λόγον à corde, hoc eſt mente, Dei Patris ſatis diſtinguit; ut vel hinc colligere ſit, Theophilum neutiquam ſenſiſſe, τὸν λόγον eſſe ipſam Dei Patris mentem, unde λογικὸς nominatur, ut ſomniavit Petavius; ſed λόγον ex mente divina promanantem, neque unquam tamen ab ipſa diſjunctum aut ſeparatum: quæ ſane ipſiſſima eſt hodiernorum Catholicorum doctrina. Sed quid multis opus eſt in re manifeſta? Petavius, qui in ſuſpicionem vocavit Theophilum, ac ſi is τὸν λόγον ante prolationem, diſtinctam à Deo Patre hypoſtaſin neutiquam fuiſſe exiſtimâſſet, ob hanc ſcilicet rationem, quòd in Dei corde & viſceribus *tum* extitiſſe ipſum dixerit: idem, inquam, Petavius venerandum Patriarcham craſſiſſimi tandem Sabellianiſmi (quô nempe eandem ſemper fuiſſe, atque etiamnum eſſe, Patris ac Filii perſonam ſtatuitur,) pari jure eademque prorſus ratione inſimulâſſet. Nimirum Theophilus Filium Dei expreſsè dicit τὸν λόγον in Dei corde διαπαντὸς exiſtentem atque inſitum: vox autem iſta διαπαντὸς valet διὰ παντὸς χρόνου, proinde omne tempus, tum præteritum, tum præſens, tum denique futurum ſuo ambitu complectitur. Itaque juxta Theophilum ὁ λόγος, qui Filius Dei dicitur, ut ex æterno fuit, ita etiamnum eſt, atque in æternum erit in Dei corde inſitus. Atqui Sabellianum non fuiſſe Theophilum, apertiſſimè conſtat. Imò paſſim τὸν λόγον à Deo Patre adeo manifeſtè diſtinxit, ut inde Petavius anſam arripuerit Arianiſmi ipſum accuſandi; quaſi ſcilicet inter Deum Patrem & ipſius τὸν λόγον nimiùm multam diſtantiam ſtatuiſſet. Hæc autem clariùs adhuc eluceſcent ex iis, quæ porro è propoſitis Theophili locis obſervaturi ſumus.

§. 4. Tertiò, igitur diligenter animadvertendum eſt, Theophilum apertè docere, eundem omnino eſſe τὸν λόγον, qui cum Deo Patre & in ipſo ex æterno fuit, & τὸν λόγον, quem Pater, mundum conditurus, ex ſeipſo protulit. Hôc cardine defenſio noſtra pro Theophilo contra Petavium præcipuè vertitur. Scilicet juxtà cum Catholicis fatebantur Ariani, λόγον ex omni æternitate in Deo Patre fuiſſe: hoc erat inter partes controverſiæ τὸ κεκινημένον utrum ὁ λόγος, qui Filius Dei nuncupatur, qui propter noſtram ſalutem incarnatus eſt, idem ſit λόγος, qui in Deo ex æterno

Joan. 1, 1.

* Ignatius Epiſt. ad Magneſ. pag. 33. Edit. Voſſii.

no fuit, an verò alius sit λόγος, ab æterno illo λόγῳ (sicut res cæteræ,) procreatus & factus; illud statuebant Catholici; hoc Ariomanitæ, ut suprà observavimus. * Itaque si λόγον ἐνδιάθετον & προφορικὸν duos diversos λόγους putavit Theophilus, partium fuit Arianarum; sin utrumque eundem esse λόγον existimavit, noster fuit. Atque ait quidem Petavius, Theophilum *duplicem* λόγον *statuere videri, alterum* ἐνδιάθετον, *Patri ipsimet insitum, qui cum ipso & in ipso ex æterno fuerit, & est ipsa essentia sive mens illius, & intelligentia; unde habet ut* λογικὸς *nominetur: alterum* προφορικὸν, *prolatum, quem Deus Pater protulit ministrum operum suorum.* Sed hoc merum est Jesuitæ somnium, cujus nec vola, nec vestigium apud Theophilum reperitur: imò hoc commentum disertissimis ejusdem verbis manifestè repugnat. Nam in posteriori loco, postquam dixerat, Deum Patrem ex æterno habuisse in se τὸν λόγον, ipsius consiliarium, continuò subjungit: τοῦτον τὸν λόγον *genuit prolatum*; ubi pronomen demonstrativum τοῦτον manifestè respicit illum ipsum λόγον, de quo antè locutus fuerat, nempe τὸν λόγον, quem Deus Pater in sese ex æterno consiliarium habuit. Deinde quando ibidem expressè monet Theophilus, Filium Dei omnino intelligendum τὸν λόγον perpetuò ἐνδιάθετον, insitum in corde Dei; quomodo hoc consistere potest cum sententia illa, quam Theophilo affingit Petavius, nempe, τὸν λόγον, qui Filius Dei appellatur, planè alium esse à Dei τῷ λόγῳ ἐνδιαθέτῳ; Sane inter Theophilum hic ejusque interpretem Petavium manifesta est ἀντιλογία. Ait Petavius Theophilum existimâsse, τὸν λόγον sive Filium Dei, per quem Deus universa condidit, alium esse à τῷ λόγῳ, qui ex æterno in Deo ἐνδιάθετος fuit: at ipse Theophilus expressè dicit, Filium illum Dei esse ipsum τὸν λόγον in Deo æternum ἐνδιάθετον, insitum atque existentem. Denique in priori loco Theophilus, postquam dixerat τὸν λόγον descendisse in Prophetas, perque ipsos de mundi creatione aliisque locutum fuisse; hæc ἀμέσως subjicit: *Non enim erant Prophetæ, cum mundus crearetur; sed sapientia Dei, quæ in ipso est,* ἡ ὁ λόγος ὁ ἅγιος αὐτοῦ, ὁ ἀεὶ συμπαρὼν αὐτῷ, *& Verbum ejus sanctum semper unà ipsi adfuit.* Itaque juxta Theophilum ὁ λόγος, qui in Prophetas descendit, qui procul dubiò Filius Dei erat, idem erat λόγος, qui ex æterno Deo Patri unà adfuit. Petavius autem ad suum figmentum utcunque confirmandum, observat Theophilum illa Joannis, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,* de ἐνδιαθέτῳ λόγῳ capere; hæc autem, *& Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt,* de προφορικῷ interpretari. Sed frustra hinc infert Petavius, Theophilo λόγον προφορικὸν alium esse ab ἐνδιαθέτῳ. Nam ut Joannes in utroque orationis suæ membro de eodem τῷ λόγῳ manifestè agit; ita etiam Theophilus utrumque membrum de eodem λόγῳ interpretatur, cum hoc solo discrimine, quòd verba illa, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,* intelligat de τῷ λόγῳ ex æterno apud Patrem existente, & in Patre veluti *quiescente*; illa verò, *Deus erat Verbum, omnia per ipsum facta sunt,* de eodem τῷ λόγῳ è Patre quasi progrediente ad rerum creationem; vel, ut loquitur Athenagoras, de τῷ λόγῳ ἐν ἐνεργείᾳ, *de Verbo in operatione,* sive *operante.* Recole, quæ suprà diximus ad Athenagoram.

§. 5. Quartò, denique clarè docet Theophilus, per istam, de qua loquitur, prolationem, τὸν λόγον neutiquam à Deo Patre divisum aut separatum fuisse; quasi ante prolationem in ipso, postmodum verò extra ipsum extiterit; sed in Patre æternùm subsistere. Nam in posteriori loco ait, Deum Patrem postquam τὸν λόγον suum protulisset, nequaquam fuisse τοῦ λόγου κενωθέντα, *verbo illo exinanitum*; sed τῷ λόγῳ αὐτοῦ διαπαντὸς ὁμιλεῖν, *cum Verbo illo suo* (quod ex æterno fecit,) *perpetuò conversari.* Et in priori loco disertè dicit, Filium Dei esse Verbum in corde Dei διαπαντὸς ἐνδιάθετον, *perpetuò insitum.* Ex his autem omnino efficitur, Verbi prolationem, sive generationem, haud aliam hôc in locô intellexisse Theophilum, quàm ἐνεργητικὴν, quâ nempe Deus Pater τοῦ λόγου, in se ab æterno & in æternum subsistentis, vim omnipotentem exeruit, ad res cunctas ex nihilo εἰς τὸ εἶναι producendum, easdemque in suo *esse* conservandum. Nam ἐνέργεια illa Filii sive τοῦ λόγου, quæ primitus, cum Deus Pater voluit, ad extra, ut Schola loquitur, progressa est, etiamnum perseverat, neque unquam desinet. Quam τοῦ λόγου egressionem ex Patre pulchrè explicat Athanasius in Oratione contra Gentes his verbis: ὁ Θεὸς (inquit,) ὢν ἐστι, καὶ ὁ σύνεστιν. διὸ καὶ ὁ τότε λόγος ὢν ἐστι, καὶ ὁ σύνεστι, ἀλλ' εἷς ὢν μονογενὴς Θεὸς, ὁ καὶ ὢν παλαιὸς, οἷα πηγῆς ἁλατὸς προελθὼν, τὰ πάντα διακοσμεῖ καὶ συνέχει. ἡ δὲ αἰτία δι' ἣν ὁ λόγος ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος, τοῖς χρωμένοις ἐπιδέδωκεν, ἔστιν ἀληθῶς θαυμαστὴ

Vide Heb. 1. v. 2, 3.

Tom. 1. pag. 45.

* Vide quæ diximus hujus Sectionis cap. 4. n. 2.

μασὶ καὶ γνωρίζουσα, ὅτι ὑπ' ἄλλως ἔσχετπεν, ἢ οὕτω γίνεσθαι ὥσπερ καὶ ὄφι. τὸ μὲν γὰ γενητῶν ἐστιν ἡ φύσις, ἅτε δὴ ὄντων ἐκτισμένα, βέβυσή τις, καὶ ἀόλεννὶς, καὶ ἄνητὶ, καθ' ἑαυτὴν συνεκρινόμένη τυγχάνει. ὁ δὲ τῶν ὅλων Θεὸς ἀγαθὸς ὑπερκαλλῶς τὴν φύσιν ἐστί· διὸ καὶ φιλάνθρωπός ἐστιν. ἀγαθῷ γὰρ περὶ οὐδενὸς ἂν γένοιτο φθόνος· ὅθεν οὐδὲ τὸ εἶναι τινι φθονεῖ, ἀλλὰ πάντας εἶναι βέλεται, ἵνα καὶ φιλανθρωπεύσασθαι δύνηται. ὁρῶν οὖν τὴν γενητὴν πᾶσαν φύσιν, ὅσον καὶ τὰς ἰδίας αὐτῆς λόγους, βύσσην ὄσαν καὶ διαλυομένην, ἵνα μὴ τοῦτο πάθῃ, καὶ πάλιν εἰς τὸ μὴ εἶναι ἀναλυθῇ τὸ ὅλον, τότε ἕνεκεν τοῦ ἑαυτοῦ καὶ ἀϊδίου λόγου ποιήσας τὰ πάντα, καὶ ὑποστήσας τὴν κτίσιν, ὑπ' ἀφῆκεν αὐτὴν τῇ ἑαυτῆς φύσει φέρεσθαι καὶ χειμάζεσθαι, ἵνα μὴ κινδυνεύσῃ πάλιν εἰς τὸ μὴ εἶναι· ἀλλ' ὡς ἀγαθὸς τῷ ἑαυτοῦ λόγῳ καὶ αὐτῷ ὄντι Θεῷ, τὴν σύμπασαν διακυβερνᾷ καὶ καθίστησιν· ἵνα τῇ τοῦ λόγου ἡγεμονίᾳ καὶ προνοίᾳ καὶ διακοσμήσει φωτιζομένη ἡ κτίσις, βεβαίως διαμένειν δυνηθῇ· i. e. *Deus autem uniformiter existit, neque compositus est. Quapropter & hujus* λόγου *uniformiter existit, neque compositus est; sed unus est unigenitusque Deus, qui etiam ex Patre, tanquam bonus ex bono fonte* PROGRESSUS, *cuncta exornat & continet. Causa verò ob quam* ὁ λόγος, *Dei inquam* λόγος, *res creatas invasit, profecto admirabilis est, & de se indicium præbet, non aliter quàm decet, rem actam esse. Creatarum enim rerum natura, quia ex nihilo constat, fluxa & imbecillis & interitui obnoxia est, per se spectata. Deus autem hujus universitatis bonus est, adeoque excellenter bonus, ac proinde humanus. Liber enim bonus est ab invidentia, & quia liber, ideo nulli suum esse invidet, sed omnes vult existere, ut etiam humanitatem suam exercere possit. Quoniam igitur animadverteret, genita cuncta, quantum pro ipsorum ratione conditioneque, caduca esse, & dissolutu facilia; ideo ne hoc ipsum pateretur, & in nihilum rursus dissolveretur rerum universitas, postquam suo eoque æternò Verbo omnia fecisset, & creaturas in substantiam perduxisset, non permisit ipsas, pro naturæ ipsarum, ferri ac veluti tempestatibus jactari, ne rursus in periculum non existendi devenirent; sed ut bonus suo ipsius Verbo (quod & ipsum Deus est,) universa gubernat & constituit; ut Verbi ductu & providentiâ & dispositione illustratæ creaturæ, firmiter perseverare possent.* Hic habes ipsum vocabulum προελθὼν, quo usus est de eadem re locutus Athenagoras. Eundem verò sensum expressit Theophilus vocibus ἐρεύγων & προφέρων, quæ ad Deum Patrem relatæ, significant ipsius emissionem τοῦ λόγου ad condendum universa. Eructavit quasi & protulit τὸν λόγον Deus Pater; ipse verò ὁ λόγος ex Patre progressus est ad rerum creationem. Quomodo autem dixit Theophilus, τὸν λόγον, non obstante prolatione ista, perpetuò manere in corde Dei ἐνδιάθετον, *insitum*; ad eundem planè modum Athanasius de sua Verbi ex Patre progressione philosophatur. Nam post aliqua, hæc ibidem habet: αὐτὸς μὲν ἀκίνητος μένων καθὸ τῷ πατρὶ, πάντα δὲ κινῶν τῇ ἑαυτοῦ ζωτικῇ, ὡς ἂν ἔκρινεν τῷ ἑαυτοῦ πατρὶ δοκῇ· i. e. *Ipse quidem immobilis perseverans apud Patrem, omnia tamen movet constitutione sua, ut unumquodque moveri vult ipsius Pater.* pag. 46. Demum, ut Verbi prolationem, ejus generationem appellavit Theophilus; ita eâdem de causa τὸν λόγον dici προφορικὸν ab Athanasio aliisque Patribus Catholicis, qui post Concilium Nicænum scripserunt, suprà promisi me ostensurum: nec dubito, quin, Deo volente, fidem meam tandem liberaturus sim. Interim hæc ad Theophili sententiam de Filii τῷ σωματικῷ explicandam sufficiant.

CAP.

CAP. VIII.

S. Hippolyti Martyris, & Novatiani, sive Auctoris libri de Trinitate, inter opera Tertulliani, doctrina de Filii τῷ συναΐδιῳ *declaratur.*

§. 1. VEnit nunc S. Hippolyti Martyris sententia paucis à nobis explicanda. Affirmat Sandius, docuisse ipsum, Filium paulò ante mundum conditum existere cœpisse. Locus autem, quem respexisse Sandium existimo, habetur in Homilia de Deo trino & uno, & de mysterio incarnationis, contra hæresin Noeti; ubi ita quidem disserit Hippolytus: *Deus solus cum esset, nihilque sibi coævum haberet, voluit mundum efficere, & mundum cogitans, ac volens, & dicens effecit; continuóque extitit ei factus, sicut voluit, &, sicut voluit, perfecit. —— Satis igitur nobis est scire solùm, nihil esse Deo coævum. Nihil erat præter ipsum; ipse solus multus erat. Nec enim erat sine ratione, (τῷ λόγῳ,) sine sapientia, sine consilio. Omnia erant in eo, ipse erat omnia. Quando voluit, & quomodo voluit, ostendit Verbum suum temporibus apud eum definitis, per quem omnia fecit. Qui cum vult facit; quando cogitat, perficit; quando loquitur, ostendit; quando format, sapientiam edit. Fecit igitur sicut voluit: Deus enim erat. Eorum autem quæ facta sunt, ducem, consiliarium, & operarium generabat Verbum: quod Verbum cum in se haberet, essetque mundo creato inaspectabile, fecit aspectabile, emittens priorem vocem, & lumen ex lumine generans, deprompsit ipsi creaturæ Dominum, sensum suum, & qui priùs ipsi tantùm erat visibilis, mundo autem invisibilis, hunc visibilem facit, ut mundus, cum eum, qui apparuit, videret, salvus fieri posset. Atque ita assistit ei alius. Cum alium dico, non duos Deos dico, sed tanquam lumen ex lumine & aquam ex fonte, aut radium à Sole. Una enim virtus ex toto; totum verò Pater, ex quo virtus, Verbum: hoc verò mens, sive sensus, qui prodiens in mundum, ostensus est puer Dei. Omnia igitur per eum facta sunt, ipse solus ex Patre genitus.*

Sand. Enucl. H. E. l. 1. p. 98.

Bibl. PP. Tom. 15. p. 622.

§. 2. Agnosco quidem, hîc ab Hippolyto generationem quandam Verbo sive Filio Dei tribui, quæ mundi creationem proximè anteceserit. Sed omnino nego de generatione loqui Hippolytum propriè dictâ, quæ scil. Verbi fuerit productio, quâve Verbum ipsum, cum priùs non existeret, existere cœperit. Huic commento totus Hippolyti sermo repugnat. Nam Deum ex æterno ita *solum* fuisse docet, ut interim *multum* fuisse affirmet. Quomodo? Quia scilicet Deus Pater nunquam erat sine ratione (τῷ λόγῳ) & sapientia, hoc est, sine Filio & Spiritu sancto; proinde non sine consilio, cum utrumque sibi consiliarium habuerit. Nullus dubito, quin hic sit sensus genuinus istorum Hippolyti verborum: *Nihil erat præter ipsum; ipse solus multus erat. Nec enim erat sine ratione* (procul dubiô Græcè scripserat Hippolytus τῷ λόγῳ,) *sine sapientia, sine consilio.* Quippe Deum agnovisse Hippolytum unum & multum, hoc est trinum; unum essentiâ, trinum personis, ipse hujus Homiliæ titulus declarat. Tertiam autem Divinitatis hypostasin *Sapientiæ* nomine appellavit Hippolytus, Irenæi, cujus auditor fuisse perhibetur, exemplô, & ex more illorum temporum. Deinde ait Hippolytus, Deum generâsse Verbum, quod ab æterno in se habuerat. Quomodo? *Ipsum*, inquit, *temporibus apud se definitis ostendit: ipsum creaturæ, ut Dominum, deprompsit: ipsum denique sibimet soli priùs notum, mundo visibilem fecit.* Itaque generatio, qua de loquitur Hippolytus, non est Verbi productio; sed ipsius, ex æterno Patri coexistentis, ostensio, depromptio, & manifestatio, quæ res creatas respexerit. Ut idem prorsus voluerit beatissimus Martyr, quod Athenagoram docuisse suprà ostendimus *.

Vid. Sect. 2. c. 4. n. 10. & c. 5. n. 7.

§. 3.

* Confer quoq; Justini Martyris verba, suprà Cap. 2. hujus Sectionis §. 2. sub finem citata.

§. 3. Atqui in hunc ſenſum ut Hippolytum interpretemur, ſuadent quidem ipſa loci allati verba; ſed eò planè nos cogunt alia ejus Scripta, in quibus coæternam Filii cum Patre exiſtentiam verbis veluti Solis radiô deſcriptis declarat. Sic in opuſculis contra Beronem & Helicem (quæ à Sandii & aliorum cavillis ſuprà vindicavimus,) apud Anaſtaſium Bibliothecarium in Collectaneis Fragm. 60. Filio eandem prorſus naturam divinam addicit, quæ in Patre eſt, eaſdemque proprietates: nempe ἀναρχίαν, ἀγεννησίαν, ἀπειρίαν, ἀϊδιότητα, ἀκαταληψίαν· *Inprincipalitatem, infactionem, infinitatem, ſempiternitatem, incomprehenſibilitatem*; ut verè, licet barbarè, vertit Anaſtaſius. Senſit itaque Hippolytus Filium eſſe, perinde ac Patrem, ἄναρχον καὶ ἀΐδιον, *initii expertem & æternum.* p. 228.

§. 4. Porro extat hodieque ſub Hippolyti nomine libellus de Conſummatione mundi, Antichriſto, & ſecundo Chriſti adventu: qui, ſi genuinus ſit, manifeſtè oſtendat ejus in hoc articulo ὀρθοδοξίαν. Ac ſane ſcripſiſſe Hippolytum de Antichriſto & Reſurrectione, diſertè teſtatur Hieronymus cap. 61. Catalogi. Eidem operi teſtimonium quoque ſuum præbuit Photius Biblioth. Cod. CCII. ubi poſtquam interpretationem Danielis ab Hippolyto editam commemoraverat, ipſamque ſuo transfixerat obelu criticô; hæc ſubjungit: συναναγνώσθη αὐτῷ καὶ ἕτερος λόγος περὶ Χριστοῦ καὶ ἀντιχείστου· ἐν ᾧ ἥπτε αὐτὴ τῶν λόγων ἰδέα διαπρέπει, καὶ τὸ τῶν νοημάτων ἁπλούστερόν τε καὶ ἀρχαιότροπον· i. e. *Legimus unà ejuſdem Tractatum de Chriſto & Antichriſto: in quo eadem dicendi forma ſervata, & ſenſuum ſimplicitas major eſt ac vetuſtas.* Sunt tamen Viri quidam docti inter Neotericos, qui hoc Hippolyto opus abjudicant ſatis fidenter; ſed rationibus inducti, meô quidem judiciô, leviſſimis; imò quæ, ſi accuratiùs expendantur, contra ipſos militent. Primò ipſis diſplicet Græcæ dictionis genus, quódque liber incipiat ab ἐπειδὴ γάρ. Quam objectionem meritò ita irriſit Philippus Labbeus: *Novum crimen ſuperi atque inauditum!* Sane præterquam quòd eruditi in hoc literarum genere probè nôrunt, ab omnibus Græcis Scriptoribus Eccleſiaſticis perpolitum Græcæ dictionis genus fruſtra requiri; Photius, qui indubitata Hippolyti Scripta legerat, de ejus phraſi expreſsè monuit (Cod. 121,) quod πρὸς τὸ Ἀττικὸν οὐκ ἐπιστρέφεται λόγον, *ad ſermonem Atticum non tendat.* Et alibi (nempe Cod. 202,) rurſus de Hippolyti dicendi genere locutus, ait: τὰς Ἀττικὰς ὅτι μάλα θεσμὰς δυσωπεῖται· *Atticas revera leges valde repudiat.* Præterea id offendit hos Cenſores, quòd in eo opere multæ reperiantur de natalibus & vita Antichriſti inanes conjecturæ; v, g. Antichriſtum non hominem, ſed Dæmonem fore humanâ figurâ præditum. Sed quis neſcit, illorum temporum Scriptores multa perabſurda de Antichriſto, ut de re obſcura, tradidiſſe? Ac de Hippolyto diſertè teſtatur Photius Codice proximè citatô, quòd in interpretatione Danielis, ubi de Antichriſto etiam agit, πολλὰ ἀρχαιοτρόπως, καὶ ἐκ εἰς τὸ ὕστερον διακριβωθέν, καταλέγει· *multa veteri more, non, ut poſtea fuere accuratiùs excuſſa, recenſeat.* Quin & de hoc ipſo Hippolyti opere, quod de Antichriſto inſcribitur, ibidem, ut audivimus, monet, in ipſo eſſe τὸ ἧττον νοημάτων ἁπλούστερόν τε καὶ ἀρχαιότροπον, *ſenſuum ſimplicitatem majorem* (ubi τὸ ἁπλοῦν, quod Græcis fieri ſolet, τῷ ἀκριβεῖ opponitur,) & *vetuſtatem.* Antichriſtum verò malo ſpiritu conceptum fore, receptior fuit Doctorum in veteri Eccleſia opinio. Hinc id ipſum pro indubio & rato tradidit ille verè θαυμάσιος Martinus, apud Severum Sulpicium Dialog. 2. cap. 16. Et Auctor Tractatûs de Antichriſto apud Auguſtinum, de Antichriſti conceptione ſic ſcribit: *Diabolus ſimul in matris ejus uterum intrabit, & ipſam replebit, circumdabit, obumbrabit, interiùs exteriúſque poſſidebit.* Quid? quod ipſe Irenæus (cujus auditor, ut dictum eſt, Hippolytus fuiſſe perhibetur,) eandem ſententiam tradidit. Nam de Antichriſto hæc refert lib. 5. cap. 25: *Ille enim omnem ſuſcipiens Diaboli virtutem, veniet non quaſi Rex juſtus, nec quaſi in ſubjectione Dei legitimus; ſed impius, & injuſtus, & ſine lege, quaſi apoſtata, & iniquus, & homicida, quaſi latro, diabolicam apoſtaſiam in ſe recapitulans.* Hæc itaque librum iſtum Hippolyti genuinum eſſe non parum confirmant. Denique objiciunt, Scriptorem illum affirmare, animas hominum à ſæculis fuiſſe; quod fuit Origenis figmentum. Sed hinc etiam non leve argumentum arripio, quô probem, Hippolytum eſſe revera libri auctorem. Quippe Origenem aliquando Hippolyti auditorem fuiſſe, conſtat ex Hieronymo, qui ait ipſum Hippolytum in Homilia quadam, *præſente Origene ſe loqui in Eccleſia, ſignificare.* Nihil itaque mirum, ſi dogmata nonnulla Hippolyto cum Origene fuere communia. Sed & magno conſenſu tradiderunt Scriptores Eccleſiaſtici veteres, Hippolytum fuiſſe Clementis Alexandrini diſcipulum. Clemens autem ille decreto Platonis, de animæ præexiſtentia, faviſſe deprehenditur Strom. lib. 1. & clariùs lib. 3. uti etiam ab Huetio obſervatum eſt. Ab

P. Labb. de Script. Eccleſ. Tom. 1. p. 471.

Hieron. Catal. c. 72.

hoc

hoc itaque Clemente & Hippolytus, & Origenes, uterq; ejus discipulus (quanquam Hippolytus in ea Schola senior fuit,) dogma illud hauserunt. Ut verbô igitur dicam : omnia in libro de Antichristo ita Hippolyto convenerunt, ut, etiamsi titulus non moneret, facilè per se nasutiores possent odorari, ipsum ab Hippolyto revera profectum esse.

§. 5. Nunc audiamus ex hoc libro disertissimum de Filii τῷ συναϊδίῳ testimonium. In eo igitur Hippolytus sanctos in extremo judicio introducit Christum Dominum ita alloquentes : φοβερὲ, πότε σὲ ἴδομεν γυμνὸν, καὶ περιελάβομεν ; ἀθάνατε, πότε σε ἴδομεν ξένον, καὶ συνηγάγομεν ; φιλάνθρωπε, πότε σε ἴδομεν ἀσθενῆ ἢ ἐν φυλακῇ, καὶ ἤλθομεν πρός σε ; σὺ εἶ ὁ ἀεὶ ὤν· σὺ εἶ ὁ συνάναρχος τῷ πατρὶ καὶ συναϊδίῳ τῷ πνεύματι· σὺ εἶ ὁ ἐκ μὴ ὄντων τὰ πάντα ποιήσας. i. e. *Stupende, quando te vidimus nudum, & operuimus ? Immortalis, quando te vidimus peregrinum, & collegimus ? Amator hominum, quando te vidimus infirmum aut in carcere, & venimus ad te ? Tu es ille semper existens : Tu unà cum Patre initii expers es, & coæternus Spiritui : Tu is es, qui ex nihilo omnia creasti.* Ubi vides, ab Hippolyto τὴν ἀναρχίαν, eandem quam Pater habet, Filio etiam expressè tribui ; planè quemadmodum in Fragmentis apud Anastasium, & quemadmodum ab Hippolyti magistro, Clemente Alexandrino, Dominus Christus ἀνάρχως γνώμῃ dicitur. Quin & descriptam ibidem animadvertas integram & perfectam Trinitatem, nempe tres personas, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, ab æterno coexistentes. Manifestum est igitur Hippolytum, utcunque aliàs deliraverit, ab Arii tamen deliriis prorsus alienum fuisse.

Bibl. PP. Tom. 12. p. 605.

§. 6. Jam ex Scriptoribus Ante-Nicænis, quos nominavimus, tanquam qui Filii æternitatem negâsse videantur, cum revera non negârint, unicus supereſt Novatianus, sive Auctor libri de Trinitate, inter opera Tertulliani editi. Qui Auctor cum non magnæ in Ecclesia auctoritatis sit, non est, quod de ipso multùm laboremus. Audiamus tamen quid ille hâc de re scripserit lib. de Trinitate cap. 31. Ibi igitur, postquam de Deo Patre dixerat, hæc de Filio Dei subjungit : *Ex quo*, (Deo Patre,) *quando ipse voluit, Sermo Filius natus est, qui non in sono percussi aeris, aut tono coactæ de visceribus vocis accipitur, sed in substantia prolatæ à Deo virtutis agnoscitur. Cujus sacræ & divinæ nativitatis arcana nec Apostolus didicit, nec Prophetes comperit, nec Angelus scivit, nec creatura cognovit : Filio soli nota sunt, qui Patris secreta cognovit. Hic ergo cum sit genitus à Patre, semper est in Patre. Semper autem sic dico; ut non innatum, sed natum probem. Sed qui ante omne tempus est, semper in Patre fuisse dicendus est. Nec enim tempus illi assignari potest, qui ante tempus est. Semper enim in Patre, ne Pater non semper sit Pater. Quia & Pater illum etiam præcedit, quòd necesse est prior sit, quà Pater sit. Quoniam antecedat necesse est eum qui habet originem, ille qui originem nescit.* Pauculis interjectis, ista sequuntur : *Hic ergo, quando Pater voluit, processit ex Patre : & qui in Patre fuit, processit ex Patre : & qui in Patre fuit, quia ex Patre fuit, cum Patre postmodum fuit, quia ex Patre processit : substantia scil. illa divina, cujus nomen est Verbum, per quod facta sunt omnia, & sine quo factum est nihil.* Auctor hic, quisquis fuerit, valde perplexè quidem loquitur ; sed ea tamen non obscurè dicit, quæ ostendant, eandem illius & Scriptorum, quos proximè commemoravimus, sententiam fuisse.

Hieron. Catal. c. 72.

§. 7. Ab aliquo initio natum quodammodo Filium dicit. Sed primò nativitatem illam processionem (ut Athenagoras προέλευσιν) appellat, & processionem ejus, qui erat in Patre, antequam ex Patre procederet ; quin & processionem ejus, qui ita semper in Patre fuit, ut propterea Pater semper fuisse Pater dicendus omnino sit, ac proinde ipse semper Filius. Verba clara sunt : *Hic ergo cum sit genitus à Patre, semper est in Patre* ; et : *semper enim in Patre, ne Pater non semper sit Pater* ; et : *qui in Patre fuit, processit ex Patre.* Non obstat itaque processio, qua de loquitur Auctor, quin semper, adeoque ante processionem illam, Pater fuerit Pater, ac proinde Filius semper Filius : Pater autem & Filius duas personas necessariò efficiunt. Deinde *ante omne tempus Filium fuisse* expressè dicit ; quemadmodum & paulo pòst in eodem capite : *Qui ex eo*, inquit, *qui originem non habet, principium nativitatis ante omne tempus accepit.* Per tempus autem neutiquam intellexit Auctor illam momentorum successionem, quæ à motu luminarium cœlestium incipit & mensuratur ; neque adeo illud tantùm voluit, Filium fuisse ante omne tempus, quia ex Patre processerit ante omnem creaturam, ac proinde ante Solem & Lunam, cæterasque faces æthereas : sed cum Filium dicit ante omne tempus fuisse, durationem ipsi addicit, quæ neque initium neque finem habet. Nam Filium hôc sensu ante omne tempus fuisse manifestè asserit, quòd etiam ante ipsam processionem suam ex Patre, & semper in Patre fuit : id-

que ita ut Pater etiam tum, & ſemper, Pater fuerit, & proinde ipſe Filius, ut modò obſervatum eſt. Unde non dicit (N. B.) Filium ante omne tempus proceſſiſſe ex Patre, ſed fuiſſe, ſcilicet in Patre. Quippe Filii proceſſionem, qua de loquitur, in tempore; ejuſdem verò exiſtentiam ante omne tempus collocat. Atqui, inquies, dicit tamen Filium ante omne tempus ex Patre principium nativitatis accepiſſe: proceſſionem autem Filii, ejus nativitatem vocat. Reſpondeo, Auctorem hunc videri cum Tertulliano, quem ubique fere æmulatur, duplicem Filii, quà Deus eſt, nativitatem ſtatuere; alteram, quâ ex æterno in Deo Patre, & ex ipſo extitit, ut æternæ mentis coæterna progenies; alteram verò, quâ ex Deo Patre, quando ipſe voluit, progreſſus eſt ad rerum creationem, quam ejus progreſſionem, *proceſſionem* poſt Tertullianum vocat Auctor. Nam ut propter proceſſionem, natum quodammodo Filium dicit; ita nativitatem Filii aliam illâ priorem, veram & propriè dictam, adeoque æternam agnovit. Hoc ex verbis illis colligo: *Hic ergo cum ſit genitus à Patre, ſemper eſt in Patre. Semper autem ſic dico, ut non innatum, ſed natum probem.* Et mox: *Semper enim in Patre, ne Pater non ſemper ſit Pater.* Filium autem ſemper in Patre fuiſſe, hôc ſenſu, uti jam obſervatum eſt, dicit, quòd in Patre fuit ante proceſſionem; quod ex verbis mox ſequentibus liquet: *Qui in Patre fuit, proceſſit ex Patre.* Ex quibus infero, Filium, juxta Auctorem noſtrum, etiam quatenus ante proceſſionem & ſemper in Patre fuit, ex Patre natum fuiſſe, ejuſque filium fuiſſe. Nam cum ait, Filium in Patre fuiſſe ſemper, etiam ante proceſſionem non ut innatum, ſed ut natum; natum fuiſſe Filium etiam ante proceſſionem oſtendit. Et cum probat, Filium fuiſſe ſemper, etiam ante proceſſionem, in Patre, hac ratione, quòd alioqui Pater non ſemper fuiſſet Pater; manifeſtè ſignificat, Patrem ſemper, etiam ante proceſſionem Filii, Patrem fuiſſe; quod ſane non potuit eſſe ſine filio ex ipſo nato. Id ipſum quoque docere Auctor videtur paulò pòſt in eodem capite, ubi ita ſcribit: *Quicquid eſt Filius, non ex ſe eſt, quia nec innatus eſt, ſed ex Patre eſt, quia genitus eſt: ſive dum Verbum eſt, ſive dum virtus eſt, ſive dum ſapientia eſt, ſive dum lux eſt, ſive dum Filius eſt.* Senſus eſt: Filius Dei, quamcunque ejus notionem conceperis, ex Deo Patre eſt, & ex ipſo genitus: proinde genitus ex Patre eſt, non modò quà Dei Verbum eſt, nempe cum voce prolatum in rerum exordio; (quemadmodum ſe alibi Auctor interpretatur, ut mox videbimus,) ſed etiam quà Dei Sapientia eſt, qualis æternùm fuit. Jam prioris nativitatis principium Filium ex Patre accepiſſe dicit ante omne tempus; poſterioris non item. Conſule omnino, quæ infrà à nobis ad Tertullianum dicta ſunt. His autem contradicere videntur verba illa: *Quia & Pater illum etiam præcedit.* Sed præcedentiam ibi intelligit Auctor non temporis, ſed originis. Quod & ipſe ſatis apertè ſignificat, dum ſubjungit: *Quod neceſſe eſt prior ſit, quà Pater ſit: quoniam antecedat neceſſe eſt eum, qui habet originem, ille qui originem neſcit.* Ad quæ verba hæc rectè annotat Pamelius: *Ex quo conſtat, quum dicit, Patrem præcedere, priorem eſſe, & antecedere, id ſolùm ſe intelligere, uti ſubjungit,* QUA PATER SIT. Atque ita Novatianum interpretatur ipſe Petavius de Trinit. lib. 2. cap. 2. §. 17. & lib. 6. cap. 11. §. 11.

§. 8. Cæterum ingenuè fateor, poſſe hunc Auctoris locum aliter exponi, nempe ita, ut etiam *proceſſio*, qua de loquitur, de æterna Filii ex Patre nativitate intelligatur: quam expoſitionem Pamelius aliique ſeqvuntur. Juxta hanc autem interpretationem, cum Filius dicitur ex Patre, quando ipſe voluit, naſci, *velle* illud Patris æternum fuiſſe intelligendum. Deinde verba illa: *Hic ergo cum ſit genitus à Patre, ſemper in Patre eſt. Semper autem ſic dico, ut non innatum, ſed natum probem: quia & Pater illum etiam præcedit,* &c. ſic exponenda ſunt: quanquam à Patre genitus ſit, Patri tamen coæternus eſt: neque ita tamen Patri coæternus eſt, ut innatus ſit, ſicut Pater; ſed ex Patre originem trahit: quo reſpectu Pater illum præcedit, ipſoque prior eſt, ſiquidem is qui gignit, ratione & conceptu noſtro, illo prior eſt, quem ipſe genuit. Denique verba illa, *Qui in Patre fuit, ex Patre proceſſit,* ita explicanda; Qui ex Patre proceſſit, ratione priùs in Patre fuiſſe concipiendus eſt, quàm ex Patre proceſſerit: quanquam ut æternùm in Patre fuit, ita ab æterno ex Patre proceſſerit. Sed prior expoſitio mihi præferenda videtur tum ob alias rationes, tum imprimis quòd Tertulliani ſenſibus, quos ubique fere expreſſit Auctor, magis ſit conformis. Quomodocunque autem *proceſſionem* exponas, cum expreſsè doceat Auctor, Filium ſemper ante omne tempus, quod aſſignari ſive concipi poteſt, in Patre fuiſſe, idque ita ut Pater ſemper fuerit Pater; & Patrem non ſemper fuiſſe Patrem, pro manifeſta abſurditate habeat: certiſſimum eſt, ab Ariana ipſum de Filio Dei blaſphemia, ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν, omnino abhoruiſſe.

§. 9.

§. 9. Quod ut clariùs adhuc eluceſcat, apprime obſervandum eſt, quòd Auctor diſertè dicat, Filium ita ex Patre proceſſiſſe, ut tam ante, quàm poſt proceſſionem iſtam pariter in Patre fuerit. En verba ejus diſerta: *Hic ergo, quando Pater voluit, proceſſit ex Patre: & qui in Patre fuit, proceſſit ex Patre: & qui in Patre fuit, quia ex Patre fuit, cum Patre poſtmodum fuit, quia ex Patre proceſſit: Subſtantia ſcil. illa divina, cujus nomen eſt Verbum, per quod facta ſunt omnia.* Ubi notanda imprimis ratio, quâ probat Auctor, Filium tam ante, quàm poſt proceſſionem, qua de loquitur, in Patre fuiſſe, adeoque æternum eſſe. *In Patre*, inquit, *fuit, quia ex Patre fuit*; &, *Cum Patre poſtmodum fuit, quia ex Patre proceſſit.* Scilicet ita ratiocinatur: Quicquid ex ipſo Deo eſt, ipſi Deo coæternum eſt; ut in Deo ex æterno fuit, ita in ipſo æternùm manebit: quippe ſemper eadem atque immutabilis eſt eſſentia ac natura divina. Unde & ſuprà cap. 23. inde probat, Filium non factum eſſe, atque apud Deum æternùm eſſe, quia ex Deo proceſſit: *Si homo*, inquit, *tantummodo Chriſtus, quomodo dicit*: Ego ex Deo prodii & veni; *cum conſtet hominem à Deo factum eſſe, non ex Deo proceſſiſſe? Ex Deo autem homo quomodo non proceſſit, ſic Dei Verbum proceſſit, de quo dictum eſt*: Eructavit cor meum Verbum bonum. *Quod quoniam ex Deo eſt, meritò & apud Deum eſt: quodque quia non otiosè prolatum eſt, meritò omnia facit.* Hic τὸ *procedere ex Deo*, quod Verbo tribuit, manifeſtè opponit τῷ *factum eſſe*, quod hominibus cæteriſque omnibus creaturis competit. Factum autem id dicitur, quod cum priùs non fuerit, ab alio accepit, ut eſſet & exiſteret. Verbum igitur, quod ex Patre proceſſit, & quia ex Patre proceſſit, juxta Auctorem, nunquam non fuit. Eâdem ratione probat, Verbum æternùm apud Deum, hoc eſt, in Deo eſſe & manere, quia ſcilicet, *ex Deo eſt. Quoniam ex Deo eſt*, inquit, *meritò & apud Deum eſt.* In ſummâ hic eſt ſenſus Auctoris: Quod ex Deo eſt & proceſſit, factum eſſe non poteſt, ſed in Deo ſemper fuit; & quod ex Deo proceſſit, apud Deum ſemper eſt, eritque: ſive, Quicquid ex ipſo Deo eſt & proceſſit, in ipſo Deo fuit; quicquid verò in ipſo Deo fuit, in ipſo ſemper fuit, eritque ſemper. Cujus ratiocinationis fundamentum eſt, ut dixi, divinæ naturæ æternitas atque immutabilitas. Hæreat autem mecum pauliſper velim Lector in verbis illis: *Quodque* (Verbum,) *quia non otiosè prolatum eſt, meritò omnia facit.* Ubi hoc voluiſſe videtur Auctor, Verbum, quod in Deo ſemper fuit, aliquando ex Deo prolatum fuiſſe, fere ad inſtar verbi humani, quod in corde priùs conceptum, deinceps per linguam profertur. Quorſum verò prolatum fuit Dei Verbum? Non otiosè, inquit, non fruſtra; ſed ut omnia faceret. Itaque ſubſtantia illa divina, cujus nomen eſt Verbum, ut cum Auctore noſtro loquar, ſemper fuit apud Deum; ſed Verbum, ſive Sermo Dei non fuit, juxta Auctorem, antequam ex Deo prolata fuerit cum voce illa omnipotenti, FIAT, quâ conditum fuit hoc univerſum. Neque tamen ita tum ex Deo prolata fuit, quin apud Deum & in Deo ſemper maneat. Hæc meliùs intellexeris, cum ad Tertullianum, cujus veluti ſimius fuit Auctor noſter, deveniemus. Interim ad alia progrediamur.

CAP.

CAP. IX.

Proponitur de Filii τῷ συναϊδίῳ Theſis tertia, qua Sententia Patrum Ante-Nicænorum, de quibus in quatuor proxime præcedentibus capitibus actum eſt, teſtimoniis Catholicorum Doctorum, qui poſt exortam controverſiam Arianam vixere, amplius illuſtratur.

§. 1. IN quatuor capitibus proximè præcedentibus quorundam Patrum Ante-Nicænorum ſententias explicavimus, quæ probatæ & receptæ in primæva Eccleſia de Filii τῷ συναϊδίῳ doctrinæ cum repugnare videantur, revera tamen minimè repugnant. In hoc capite, quò lux clarior iis quæ diximus accedat, hanc Theſin demonſtrandam proponimus:

THESIS III.

Patrum primævorum, quos proximè commemoravimus, ſententiam, ſeu potiùs modum, quô ſententiam ſuam explicârunt, Catholici quidam Doctores, qui poſt exortam controverſiam Arianam vixerunt, ſeque Ariomanitarum hæreſi fortiter oppoſuerunt, non refugere. Nam & ipſi illam τοῦ λόγου, ſemper apud Deum Patrem exiſtentis, ex Patre progreſſionem (quam & συγκατάβασιν, hoc eſt condeſcenſionem, eorum nonnulli appellârunt,) ad condendum hæc univerſa, agnovere: atque ejus etiam progreſſionis reſpectu ipſum τὸν λόγον à Deo Patre quaſi natum fuiſſe, & omnis creaturæ primogenitum in Scripturis dici confeſſi ſunt.

§. 2. Hæc Theſis non obſcurè confirmatur ex anathematiſmo ipſius Symboli Nicæni, in quo ſancti Patres Arianos damnant, de Filio Dei ita docentes: Ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν, ἢ πρὶν γεννηθῆναι, οὐκ ἦν· *Erat quando non erat, & priuſquam naſceretur, non erat.* Sæpe olim (ut verum ingenuè fatear,) animum meum ſubiit admiratio, quid effato iſto, *Filius priuſquam naſceretur, non erat*, ſibi voluerint Ariani. De nativitate Chriſti ex beatiſſima Virgine dictum non eſſe exponendum conſtat. Nam Filium Dei ante Mariam fuiſſe nunquam negârunt Ariani; imò ante conditum mundum extitiſſe, ultro ſemper fatebantur. Itaque de nativitate Filii loquuntur, quæ hujus univerſi creationem anteceſſit. Quis verò, inquam, ſenſus dicti hujus: *Filius non erat, ſive non exiſtebat, priuſquam naſceretur ex Patre ante conditum mundum?* Ego ſane jam nullus dubito, quin hoc pronuntiatum Arianorum oppoſitum fuerit Catholicorum iſtorum ſententiæ, qui docerent, Filium quidem paulo ante conditum mundum inexplicabili quodam modô ex Patre progreſſum fuiſſe ad conſtituendum univerſa; atque hujus etiam προελεύσεως reſpectu Filium Dei & primogenitum in Scripturis dici: verùm non tum primùm eſſe cœpiſſe, ſed ſemper apud Patrem extitiſſe, ut λόγον ejus, adeoque paternæ mentis coæternam progeniem. Hanc dogmatis explicationem cum multi ex Patribus, qui Synodo Nicænæ interfuerunt, avidè amplexi fuiſſent, cæteri verò Catholicum ipſi ineſſe ſenſum probè nôſſent, Arianos damnantes uno ore damnârunt omnes.

§. 3. Euſebius quidem in Epiſtola ad Eccleſiam ſuam apud Theodoritum, ſub finem, & illam quam rejeci, tanquam ſuam, & aliam Conſtantini interpretationem affert: Ἔτι μὴν (inquit,) τὸ ἀναθεματίζεσθαι τὸ, πρὸ τοῦ γεννηθῆναι, ἐκ ἦν, ἐκ ἄτοπον ἐνομίσθη, τῷ δοκεῖ πᾶσι μὲν ὁμολογεῖσθαι, εἶναι αὐτὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ καὶ πρὸ τῆς κατὰ σάρκα γεννήσεως. ἤδη δὲ θεοφιλέστατος ἡμῶν βασιλεὺς τῷ λόγῳ κατεσκεύαζε, καὶ κατὰ τὴν ἔνδεον αὐτοῦ γνώμην τὸ πρὸ πάντων αἰώνων εἶναι αὐτόν· ἐπεὶ καὶ πρὸν ἐνεργείᾳ Theodorit. E. H. l. 1. c. 12.

ἐνεργείᾳ γεννηθῆναι, δυνάμει ἦν ἐν τῷ πατρὶ ἀγεννήτως, ὄντος τοῦ πατρὸς ἀεὶ πατρὸς, ὡς καὶ βασιλέως ἀεὶ ὢν σωτῆρος, καὶ δυνάμει πάντα ὄντος, ἀεί τε καὶ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχοντος· i. e. *Quin & iſtud, priuſquam gigneretur, non erat, anathemate damnare haud incongruum duximus, eò quòd apud omnes in confeſſo ſit, illum eſſe Filium Dei etiam ante corporalem nativitatem. Jam verò Imperator noſter Deo chariſſimus ratiocinando adſtruebat, etiam ſecundum divinam ipſius generationem illum eſſe ante omnia ſecula: nam priuſquam actu gigneretur, potentiâ erat in Patre, ingenitâ quadam ratione; cum Pater ſemper ſit Pater, Rex item ſemper atque Servator, & omnia ſit potentiâ, ſemperque eodem modo ac ſimiliter ſe habeat.* Sed videntur hæc ὑποδολιμαῖα eſſe, atque ab impoſtore aliquo (ut videtur, Ariano,) Epiſtolæ Euſebii inſerta. Nam primò tota hæc perioche deeſt apud Socratem optimæ fidei Hiſtoriographum & Theodoritô antiquiorem; nec in Epiphanio Scholaſtico reperitur. Deinde cum duplex hîc interpretatio verborum Symboli Nicæni tradatur, utraque planè abſurda & inepta eſt, ac doctiſſimô Euſebiô indigna. Poſterius verò gloſſema (quod ut Conſtantini tradit, qui hæc ſcripſit, non ſine tacita approbatione,) nempe Filium fuiſſe in Patre potentiâ, priuſquam actu exiſteret ex Patre, non modò ineptum eſt, ſed etiam hæreticum, ac Filii æternitatem penitus evertit. Nam & creaturæ omnes, antequam actu producerentur, potentiâ erant in Deo: nec tamen idcirco æternæ eſſe dicuntur. At Filii Dei actualem, ut loquuntur, ab æterno ſubſiſtentiam ſemper agnoviſſe Euſebium, utpote Origenianæ doctrinæ tenaciſſimum, ex Scriptis ejus omnibus abunde liquet. Unde de Euſebii accuſatoribus ſic fidenter loquitur Socrates: ὅτε γὰρ ἔχουσι δεῖξαι, ὅτι Εὐσέβιος ἀρχὴν τοῦ ὑπάρξεως διδόασι τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ, κἂν ταῖς τῆς οἰκονομίας λέξεσιν ἐν τοῖς βιβλίοις εὑρίσκουσιν αὐτὸν καταχρώμενον· i. e. *Neque enim probare poſſunt, Euſebium Filio Dei initium ſubſiſtentiæ tribuiſſe, tametſi diſpenſationis vocabulis in libris ſuis uſum fuiſſe ipſum inveniant.* Quibus in verbis etiam (ut obiter id notem,) cauſarum non minimam indicat Socrates, ob quam Euſebius, qui alioquin in Scriptis ſuis paſſim veram & æternam Filii Divinitatem agnoſcit, pro Ariano à pleriſque habitus fuerit. Nimirum idem in libris ſuis ea quæ ad Filii οἰκονομίαν (addo ego & ad ejuſdem ſubordinationem ad Patrem, tanquam ſui auctorem ac principium,) pertinent, ita contra Sabellianos, quorum hoſtis fuit acerrimus, urget, ac penè ad nauſeam & faſtidium uſque repetit & inculcat, ut videatur in Arianam ex adverſo impietatem dilapſus, à qua tamen revera ſemper alienus fuit. Ac veriſſimum quidem illud eſſe fatebitur, quiſquis Euſebii Scripta accuratè & ſepoſitô partium ſtudiô evolverit: qui & hôc obſervatô, ad ea loca omnia, quæ Petavius lib. 1. de Trinit. c. 11. magnô acervô congeſſit, ut probaret Arianum fuiſſe Euſebium, facilè reſpondere poterit. Unde ipſe Euſebius in libro Apologetico, quem ad orthodoxos omnes Epiſcopos miſit, palam profeſſus eſt, ſi quæpiam ipſe protuliſſet unquam aut ſcripſiſſet, Arii dogma tantillùm ſubolentia, ea ſe protuliſſe aut ſcripſiſſe ἃ μὴν κατὰ τὴν ἀσεβῆ ἐκείνου ἔννοιαν, ἀλλ' ἐξ ἀπερειέρεις ἁπλότητος, *non ex impio illius ſenſu, ſed ex minùs curioſa parumque ſollicita* (nempe dum Sabellianæ hæreſi impugnandæ totus intentus fuit,) *ſimplicitate*, referente Gelaſio Cyziceno lib. 2. de Syn. Nicæn. c. 1. Sed eò revertor, unde ſum pauliſper digreſſus. Præterea quis ſanus credat, Conſtantinum Imperatorem interpretamentum iſtud palam in Synodo Nicæna ratiocinando aſtruxiſſe, ac proinde voluiſſe ut iſto ſenſu anathematis verba acciperentur? Certè Synodus Nicæna anathemate ſuo nihil contra Arianos effeciſſet, ſi verba ejus ita intelligi & ſubſcribi paſſa fuiſſet. Imò apertè tranſiiſſent Patres in caſtra Arianorum, ſi hunc ſenſum admiſiſſent, Filium Dei non actu, ſed potentiâ tantùm ab æterno extitiſſe *. Neque enim quicquam Catholicæ cauſæ profeciſſet τὸ δμοούσιον, à Patribus ſancitum; ſiquidem vera Filii Divinitas ſine ejuſdem æternitate ſtare non poteſt. Dixerit fortaſſe aliquis, Conſtantinum quidem pro iſto ſenſu argumentis pugnâſſe, in gratiam Epiſcoporum Arianorum, qui Synodo interfuerunt, ipſoſque adeo anathemati ita explicato ſubſcripſiſſe; ſed longè majorem Concilii partem reclamâſſe, & verum Catholicumque ſenſum conſtanter defendiſſe. Verùm hoc commentum repugnat diſertò ipſius Euſebii teſtimonio in opere indubitato de Vita Conſtantini lib. 3. c. 13. ubi dicit Epiſcopos Synodi, Conſtantini operâ effectos tandem fuiſſe ὁμογνώμονας καὶ ὁμοδόξους ἐπὶ τοῖς ἀμφισβητουμένοις ἅπασι, *ejuſdem opinionis & ſententiæ in omnibus, quæ in dubium vocata fuerant:*

Socrat. E.H. l. 2. c. 21. ſub finem.

Theodorit. E. H. l. 1. c. 12.

* Scil. hanc ipſam interpretationem amplexus fuit Theognis, recoctus Arianus, teſte Philoſtorgio Hiſt. Eccl. l. 2. c. 15.

hoc est eundem sensum in omnibus, saltem professione tenus, amplexos fuisse. Denique quisquis antecedentia in Epistola Eusebii attentè legerit, facilè is perspiciet, periochen illam malè cum ipsis cohærere. Ibi enim manifestè videtur Eusebius de toto Anathematismo quicquid dicendum habuit, dixisse; adeoque explicationem Symboli Nicæni suam penitus absolvisse. Quæ igitur de eodem rursus Anathematismo subjiciuntur usque ad Epistolæ Epilogum, alienâ manu videntur assuta. Nihilominus tamen Epistolam Eusebii, priorem perioches illius partem etiam Athanasii ætate habuisse, non obscurè colligitur ex ipsius verbis de Eusebio & illâ ejus Epistola in libro de Syn. Nic. decretis; ubi
p. 251. postquam dixerat, Eusebium per Epistolam ad Cæsareenses, consensum suum de τῷ ὁμοουσίῳ declarâsse, itaque se suosque errâsse priùs, apertè confessum fuisse; subjungit: καὶ πέπονθέ τι δεινόν· ὡς γὰρ ἀπολογούμενος κατηγόρησε λοιπὸν τῶν Ἀρειανῶν, ὅτι γράψαντες, ἐκ ἦν ὁ υἱὸς πρὶν γεννηθῆναι, ἐκ ἤθελον αὐτὸν εἶναι ἀδὲ πρὸ τῆς κατὰ σάρκα γεννέσεως· i. e. *Atque infœlix in eo fuit: ut enim seipsum purgaret, accusavit deinceps Arianos, quòd cum dicerent Filium Dei non extitisse antequam gigneretur, hôc pactô negarent eum extitisse ante carnis nativitatem.* Quibus in verbis cuivis perspicuum est, Athanasium perstringere ac tanquam absurdam notare interpretationem Eusebii quæ in ipso perioches initio habetur. Quod idem quoque facit in libro
p. 882. de Synodis Arimin. & Seleuc. Sed nihil in eo erit, si dicamus, ipsum Athanasium decipi potuisse ab adulterato aliquo Eusebianæ Epistolæ exemplari: cujusmodi & Theodoritus postmodum secutus fuit. Quanquam Athanasius in neutro loco citato, ut neque alibi uspiam, quantum meminerim, posterius illud glossema hæreticum attingit: quod utique silentio neutiquam prætermissurus videtur, si in Epistola Eusebii ipsum legisset. Sed de his doctiorum esto judicium. Illud certissimum est, sive ipse Eusebius, sive alius quispiam periochen illam scripserit, utramque in ipsa expositionem à mente tum Arianorum de Filio Dei dicentium, *priusquam nasceretur, non erat*, tum etiam Nicænorum Patrum, Arianos istud dicentes anathemate damnantium, prorsus alienam esse.

§. 4. Genuinam verò esse interpretationem nostram, liquet ex Epistola Presbyterorum & Diaconorum Arianorum ad Alexandrinum Episcopum, ante Synodum Nicænam scriptâ, quæ apud Athanasium & Hilarium extat. In qua Ariani isti eos inter Heterodoxos numerant, qui de Filio dicerent, τὸ ὄντα πρότερον, ὕστερον γεννηθέντα εἰς υἱόν· i.e. *Eum qui priùs esset, postmodum natum fuisse in Filium.* Deinde sententiam suam isti assertioni oppositam sic explicant: ὁ μὲν Θεὸς αἴτιος τῶν πάντων τυγχάνων, ἔστιν ἀναρχος μονώτατος· ὁ δὲ υἱὸς ἀχρόνως γεννηθεὶς ὑπὸ τοῦ πατρὸς, καὶ πρὸ αἰώνων κτισθεὶς καὶ θεμελιωθεὶς, ἐκ ἦν πρὸ τοῦ γεννηθῆναι, ἀλλ' ἀχρόνως πρὸ πάντων γεννηθεὶς, μόνος ὑπὸ τοῦ πατρὸς ὑπάρξη. οὐδὲ γὰρ ἔστιν ἀΐδιος, ἢ συναΐδιος, ἢ συναγέννητος τῷ πατρί· οὐδὲ ἅμα τῷ πατρὶ τὸ εἶναι ἔχει, ὥς τινες λέγουσι τὰ πρός τι, δύο ἀρχὰς εἰσηγούμενοι ἀγεννήτους· ἀλλ' ὡς μονὰς καὶ ἀρχὴ πάντων, οὕτως ὁ Θεὸς πρὸ πάντων ἐστί· διὸ καὶ πρὸ τοῦ υἱοῦ ἔστιν· i. e. *Deus qui est author omnium, omninò solus principiô caret: Filius verò sine tempore à Deo genitus, & ante secula creatus & fundatus,* NON ERAT, PRIUSQUAM NASCERETUR; *sed intemporaliter ante omnia genitus, solus per Patrem subsistit. Non enim æternus est, aut coæternus, aut coingenitus cum Patre, neque simul cum Patre esse suum habet, ut quidam dicunt relata esse* [Patrem & Filium, quorum nempe uno posito, necessariò ponitur & alterum] *duo principia ingenita introducentes: sed ut Deus unitas principiumque est omnium, ita ante omna existit, ac proinde etiam Filiô suô prior est.* Hîc vides pronuntiatum illud de Filio Dei, quod damnârunt Patres Nicæni, *non erat, antequam nasceretur*, disertis verbis traditum atque assertum ab Arianis, iisdem qui Filium Dei ante sæcula genitum & creatum, eodem spiritu faterentur: idque contra eos, qui docerent, *eum qui priùs esset, postmodum natum fuisse in Filium*; hoc est, qui cùm Filio Dei tribuerent nativitatem quandam, quæ mundi creationem proximè antecesserit, tamen tum primùm esse cœpisse Filium negabant, quin & ipsum ab æterno fuisse atque extitisse apud Patrem suum, strenuè contendebant. Vide & Epistolam Arii ad Eusebium Nicomediensem, apud Theodorit. E. H. l. 1, c. 5. & Athanas. Orat. cont. Arian. 2. p. 329. Athan. de Synod. Arim. & Seleuc. p. 585. Hilar. de Trin. l. 4. p. 36.

§. 5. Extant in magna Bibliotheca Patrum Sermones quidam Zenonis Episcopi Veronensis inscripti, qui sub Gallieno Imperatore Martyrium passus fuisse vulgò perhibetur circa annum Christi 260. Sed ipsos fere consentiunt hodie eruditi, & res ipsa indicat, scriptos fuisse post Synodum Nicænam. Quo tempore & ipsum Zenonem floruisse, Viri quidam docti affirmârunt non sine gravissimis rationibus, quas legere est apud P. Labbeum de Scriptoribus Ecclesiasticis

sticis Tom. 2. in Zenone. Martyrem autem ideo dictum censent illi, quòd inter procellas persecutionis sub Constantio ab Arianis excitatæ multa viriliter pertulerit. Inter Sermones istos tres sunt de æterna Filii generatione inscripti. In tertio autem illorum ita scribit ejus Auctor: *Principium, Fratres, Dominus noster incontanter est Christus: quem ante omnia sæcula Pater adhuc utcunque in semetipso Deus beatæ perpetuitatis, indiscretâ Spiritûs plenitudine, nescio quâ suâ conscientiâ velatum, Filii non sine affectu, sed sine discrimine amplectebatur. Sed excogitatarum ut ordinem instrueret rerum, ineffabilis virtus incomprehensibilisque sapientia è regione cordis eructat Verbum; omnipotentia se propagat. De Deo nascitur Deus, totum Patris habens, nihil derogans Patri, &c. Quomodo autem generatus sit, qui processit, dementis est opinari. Namque temperat se propter rerum naturam Filius, ne æternæ Majestatis Dominum non possit mundi istius mediocritas sustinere.* His gemina legas in Sermone primo, ubi de Filio Dei sic loquitur: *Quem ante omnia sæcula Pater in profundo suæ sacræ mentis arcano insuspicabili, ac solâ sibi notâ conscientiâ, Filii non sine affectu, sed sine revelamine amplectebatur. Igitur ineffabilis illa incomprehensibilisque sapientia sapientiam, omnipotentia omnipotentiam propagat. De Deo nascitur Deus: de ingenito unigenitus: de solo solus: de toto totus: de vero verus: de perfecto perfectus: totum Patris habens, nihil derogans Patri. Procedit in nativitatem, qui erat antequam nasceretur in Patre.* Denique idem dicit Sermone secundo his verbis: *Cujus ex ore, ut rerum natura, quæ non erat, fingeretur, prodivit unigenitus filius, cordis ejus nobilis inquilinus: exinde visibilis effectus, quia humanum genus visitaturus erat, &c.*

§. 6. Arianum non fuisse Auctorem verba citata per se indicant. Nam Filium nasci ait Deum de Deo, totum de toto, de vero verum, de perfecto perfectum, totum Patris habentem, &c. quæ de Filio Dei quis Arianus serio affirmare sustinuerit? Jam verò hisce in locis Auctor Filio quidem generationem & nativitatem quandam apertè tribuit, quæ tum fuit, cum Deus Pater res omnes procreare voluerit; sed nec minùs apertè eundem Filium ex æterno apud Patrem extitisse, idque ut Filium, agnoscit. Nam primò ait Christum esse *incontanter*, hoc est, sine dubio *principium*; quô scilicet nihil prius, aut antiquius fuit. Deinde clarè docet, Patrem ante omnia sæcula Filium in se habuisse, adeoque ut filium amplexum fuisse, quanquam solâ conscientiâ suâ velatum. Præterea Filium dicit ex æterno cordis paterni nobilem inquilinum, & quà talis fuit, Filium unigenitum appellat. Porro disertè affirmat Filium fuisse, antequam eô, quem describit, modô nasceretur: *Erat*, inquit, *antequam nasceretur*. Ubi habes illam ipsam sententiam, quam Ariani negârunt, & negantes anathemate à Patribus Nicænis percussi fuerunt. Ad hæc, tantum abest ut Auctor somniaverit, Filium per nativitatem, qua de loquitur, primùm existere cœpisse, ut doceat nihil inde quicquam Filio accessisse; quin & Filium, dum eô modô genitus fuit & ex Patre processit, *se temperâsse propter rerum naturam, ne æternæ Majestatis Dominum non possit mundi istius mediocritas sustinere*. De qua Filii demissione mox ipsum Athanasium loquentem audiemus. Denique ipse Sermonum titulus, qui de æterna Filii generatione inscribuntur, mentem Auctoris satis declarat, nempe sensisse ipsum, Christum ex æterno fuisse Patris filium, ex ipso genitum. Quomodo enim de æterna Filii generatione scripsisset, qui nullam Filii generationem æternam crediderit? Atqui, inquies, ubi, quo in loco horum Sermonum de æterna Filii generatione mentionem fecit Auctor? In locis, inquam, modò à nobis allatis; ubi Patrem dicit ex æterno in se Filium habuisse, atque ut Filium amplexum fuisse, &c. Insistit quidem magis Auctor in nativitate illa, quâ Filius ex Patre processit ad condendum universa; quòd hæc nativitas fuit primæ & æternæ illius declaratio & manifestatio, ita ut nobis creaturis tum primùm natus Filius meritò dicatur. Si quis autem reprehenderit verba illa: *sine discrimine amplectebatur*; quasi scilicet ipsis voluisset Auctor, Filium, quatenus ex æterno apud Patrem extitit, fuisse personâ à Patre indiscretum: (quod ipsi suggessit malè suspicax Petavii animus,) meminerit is, Auctorem quod in primo loco à nobis citato dixerat, *sine discrimine amplectebatur*; in altero explicâsse his verbis: *sine revelamine amplectebatur*. Itaque generatio, quam his in locis describit Auctor, nihil aliud est, ut dixi, quàm Filii, quem Pater apud se & sibi soli, ut ita dicam, ex æterno amplectebatur, revelatio, sive ejus ex Patre egressio & processio (scilicet κατ' ἐνέργειαν,) ad res, quæ non erant, procreandum, seque rebus creatis, Angelis nempe & hominibus, manifestandum.

§. 7. Cæterum hunc, quisquis fuerit, Auctorem agnovisse, Christum in potiori ipsius natura æterni Patris coæternum filium esse,

esse, neque fuisse aliquando, quando Filius non esset, & aliunde certò cognoscimus. Nam in primo Sermonum de Genesi (quorum, & illorum de æterna Filii generatione Sermonum, eundem fuisse Auctorem, nasutior quivis vel ex ipso stylo facilè deprehenderit,) toti SS. Trinitati, Patri, Filio, & Spiritui sancto eandem originalem æternitatem disertè addicit: *Hic est*, inquit, *Deus noster, qui se digessit in Deum. Hic Pater, qui suo manente integro statu, totum se reciprocavit in illum*, (filium) *ne quid sibimet derogaret. Denique alter in altero exultat, cum Spiritus sancti plenitudine, UNA ORIGINALI ÆTERNITATE renitens.* Quis verò non animadvertit phrasium & verborum in hoc loco, & in locis ex Sermonibus de æterna Filii generatione suprà citatis, consonantiam? Ibi est: *De Deo nascitur Deus*; hîc: *Deus se digessit in Deum.* Ibi: *Totum Patris habens, nihil derogans Patri*; hîc: *Pater totum se reciprocavit in illum, ne quid sibimet derogaret.* Denique ibi *Spiritûs plenitudinis* mentio fit; atque hîc itidem. Idem in Sermone de eo, quod scriptum est, *Cum tradidisset Regnum Deo & Patri*, ait, Patri cum Filio *Originalis perpetuique Regni unam possessionem, coæternitatis omnipotentiæque unam substantiam esse.* Ubi rursus quis non videt, *Originalis perpetuique Regni unam possessionem* idem significare penè iisdem verbis, quod in priori loco Sermonis 1 de Genesi, *una originalis æternitas?* Nescio autem cur non & eundem Auctorem loqui credamus in Sermone primo de nativitate Christi. Ubi erroneas de Filio Dei sententias commemorans, hanc secundô locô ponit: *Alia*, inquit, *modestiùs, sed mordaciùs nocens, dicit quidem Dei Filium Deum, sed non ex Patre nobilitatis perpetuitate progenitum: fuisseque tempus, quando non fuit.* Ubi vides tritum illud Arianorum de Filio Dei effatum, *erat quando non erat*, ab Auctore expressis verbis damnatum. Ac de hoc Auctore satis.

Bibl. PP. Tom. 2. p. 367.

p. 424.

p. 426.

§. 8. Constantinus Magnus in Epistola ad Nicomedienses contra Eusebium & Theognim, quam post Synodum Nicænam scripsit, quâque in Arianos vehementiùs & acriùs invehitur, de Deo Patre & Filio ita differit: πατέρα φημὶ ἄναρχον, ἄνευ τέλους γονέα τῶν αἰώνων αὐτῶν· υἱὸν δὲ, τουτέστι τὴν τοῦ πατρὸς βούλησιν, ἥτις ὅτε δὲ ἐνθυμήσεώς τινος ἀνείληπται, ὅτε πρὸς τὴν τῶν ἔργων αὐτοῦ τελεσιουργίαν διά τινος ἐξεζητημένης οὐσίας κατελήφθη. ὃς γὰρ τοῦτο καὶ νοεῖ, καὶ νοήσει, ὅτος ἔξει πρὸς ἅπαν τιμωρίας χρῶς ἀκάματον ὑπομονήν. ἀλλὰ γὰρ ὁ τοῦ Θεοῦ υἱὸς χρηστὸς, ὁ τῶν ἁπάντων δημιουργὸς, καὶ τῆς ἀθανασίας αὐτῆς χορηγὸς, ἐγγυήσῃ ὅσον πρὸς τὴν πίστιν ἀνῆκεν, ἣ πεπιστεύκαμεν ἐγγυηθῆναι, μᾶλλον δὲ προῆλθεν αὐτὸς, καὶ πάντοτε ἐν τῷ πατρὶ ὢν, ἐπὶ τὴν τῶν ἐπ' αὐτοῦ γεγενημένων διακόσμησιν· i. e. *Patrem dico sine principio, sine fine parentem sæculi ipsius: Filium verò, hoc est Patris voluntatem; quæ quidem neque per cogitationem est aliquam assumpta, neque ad operum suorum perfectionem per exquisitam aliquam substantiam accepta. Qui enim hoc intelligit, intelligetque, hic habebit ad omne supplicii genus indefessam tolerantiam. Sed Dei Filius Christus omnium opifex, & ipsius immortalitatis largitor, genitus est, quantum ad fidem pertinet, cui credidimus: genitus est, imò potiùs processit ipse, cum semper in Patre esset, ad ea ordinanda, quæ ab ipso facta sunt.* Ubi quis non animadvertit Patrum illorum Ante-Nicænorum sententiam, de quibus suprà egimus, (quam scil. Ariani, ut verisimile est, in suæ hæresis patrocinium traxerunt,) à Constantino Catholicè atque optimè explicatam? Hanc tamen de Christianismo optimè meriti Imperatoris explicationem (quam dubiô procul non inconsultis Episcopis Catholicis, qui ipsius lateri adhæserunt, edidit,) Petavius protervè satis, pro more, *jejunam & enectam notionem* appellat. Scilicet illi jejuna & enecta sunt, quæcunque Scholasticæ Theologiæ, in plerisque verè jejunæ & enectæ, ad amussum non exiguntur. Adeone verò maximus orbis Imperator Christianus sub ferulam hesterni Jesuitæ vocandus fuit, quòd cum Scholasticis planè non locutus sit, dum interim nullius καινοφωνίας reus fuit, eundemque planè sensum expressit, quem Catholici omnes agnoscunt? Quis non indignetur hanc Scholæ tyrannidem? Rogo Petavium, quid in his Constantini verbis meritò culpet? Nunquid hoc ipsi displicet, quòd optimus Imperator processionem illam Filii ex Patre ad constituendum universa *generationem* appellet? Verùm ipse apertè significat, de generatione se loqui non propriè dictâ, sed figuratâ & metaphoricâ. Nam postquam dixerat, *genitus est*; mox se corrigit his verbis additis, *seu potiùs processit ipse*; & expressè fatetur, Filium in Patre & apud Patrem suum nunquam non extitisse. Quin & in Epistola ad Arium apud eundem Gelasium, circa idem tempus, ut videtur, scriptâ, disertis verbis docet, Deum Patrem ex se genuisse Filium ἀϊδίως καὶ ἀνάρχως, *ab æterno & absque principio.* Observandum autem est, hanc Constantini explicationem Athenagoræ ἐξηγήσει, quam suprà adduximus, exactè respondere. Dixerat Athenagoras Filium πρῶτον γέννημα, *primam progeniem* Patris, hoc est primò ante creaturas omnes pau-

Petav. de Trin. lib. 1 c. 5. n. 10 p. 31.

Apud Gelasium de Actis Nicæn. Concil. part. 3.

Part. 3.

lò

lò antè conditum mundum editum; ſed mox ſe corrigit his verbis: οὐχ ὡς γενόμενον, *non ut* tum primùm *factum*; ſiquidem ὁ λόγος ſemper apud Patrem extitit: ſed ut ex Patre progredientem, ut idea & ἐνέργεια foret rerum creandarum. Et ad eundem planè modum ſe explicat Conſtantinus. Ego autem nullus dubito, quin hæc ipſa fuerit expoſitio, quam in Synodo Nicænâ adſtruxiſſe Conſtantinus dicitur in perioche Epiſtolæ Euſebianæ, quâ de ſuprà fusè egi: quanquam illa peſſimè ibidem repæſentetur.

§. 9. Cæterum quid ſi ipſum Athanaſium jejunam & enectam iſtam Conſtantini notionem calculô ſuô comprobâſſe evicerimus? Numquid adverſus magnum illum Catholicæ fidei contra Arianos vindicem & defenſorem mutire audebit Petavius? Minimè, ut opinor. Nam Athanaſio *præ cæteris Patribus exquiſitam & liquidam Catholici de Trinitate dogmatis intelligentiam conceſſam fuiſſe divinitus*, ſe opinari profitetur. Audiamus igitur (quem & ipſe omni laude majorem fateor,) Athanaſium. Is in Oratione tertia contra Arianos ad locum Apoſtoli, in quo Chriſtus appellatur *primogenitus omnis creaturæ*, quem ad evertendum Filii τὸ ὁμοούσιον & συναΐδιον allegabant Hæretici, ſic reſpondet: εἰ δὲ πρωτότοκος τῆς κτίσεως λέγεται, ἀλλ' οὐχ ὡς ἐξισούμενος τοῖς κτίσμασι, ὧν πρῶτος αὐτῶν κατὰ χρόνον, πρωτότοκος λέγεται· πῶς γὰρ, ὅπερ μονογενής ἐστιν αὐτός; ἀλλὰ διὰ τὴν πρὸς τὰ κτίσματα συγκατάβασιν τοῦ λόγου. i. e. *Quod autem Primogenitus creaturarum appellatur, id non ideo fit, quaſi ipſe cæteris creaturis coexæquetur, aut quòd prima illarum ſit ratione temporis: quî enim id fieri poteſt, cum unigenitus ſit Dei? ſed ob Verbi ad creaturas condeſcenſionem, id nomen illi inditur.* Idem paulò pòſt: δύναται γὰρ αὐτὸς μονογενής τε ὢν πρωτότοκος εἶναι, εἰ μὴ ἄρα πρὸς ἄλλο καὶ ἄλλο· ἵνα μονογενὴς μὲν, διὰ τὴν ἐκ πατρὸς γέννησιν, ὥσπερ εἴρηται· πρωτότοκος δὲ, διὰ τὴν εἰς τὴν κτίσιν συγκατάβασιν, καὶ τὴν τῶν πολλῶν ἀδελφοποίησιν. ἀμέλει τῶν δύο τούτων ῥητῶν ἀντικειμένων ἀλλήλοις, κρατεῖν ἄν τις εἴποι δικαίως ἐπὶ τοῦ λόγου τὸ τοῦ μονογενοῦς μᾶλλον ἴδίωμα· διὰ τὸ μὴ εἶναι ἕτερον λόγον ἢ ἄλλην σοφίαν, ἀλλὰ τοῦτον μόνον ἀληθινὸν υἱὸν τοῦ πατρὸς εἶναι. καὶ γὰρ ὥσπερ ἔμπροσθεν εἴρηται, ὁ μετά τινος συμπεπλεγμένης αἰτίας, ἀλλὰ ἀπολελυμένως εἴρηται ἐπ' αὐτοῦ τοῦ ὁ μονογενὴς υἱὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός. τὸ δὲ πρωτότοκος, συμπεπλεγμένην ἔχει πάλιν τὴν τῆς κτίσεως αἰτίαν· ἣν ἐπάγων ὁ παῦλος λέγων· ὅτι ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα. εἰ δὲ πάντα τὰ κτίσματα ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη, ἄλλος ἐστὶ τῶν κτισμάτων, καὶ κτίσμα μὲν ὄκ ἐστι, κτίσης δὲ τῶν κτισμάτων. ὃ διὰ τὸ ἐκ πατρὸς ἄρα πρωτότοκος ἐκλήθη, ἀλλὰ διὰ τὸ ἐν αὐτῷ γεγενῆσθαι τὴν κτίσιν. καὶ ὥσπερ πρὸ τῆς κτίσεως ἦν αὐτὸς ὁ υἱὸς, δι' ὃν γέγονεν ἡ κτίσις· οὕτως καὶ πρὸ τοῦ κληθῆναι πρωτότοκος πάσης κτίσεως, ἦν ὁδὲν ἧττον αὐτὸς ὁ λόγος πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος· i. e. *Non idem poteſt eſſe unigenitus & primogenitus, niſi diverſo reſpectu; ut unigenitus quidem habeatur ob generationem ex Patre, ut dictum eſt; primogenitus verò ob condeſcenſionem ad creaturas, quódque multos ſibi fratres fecerit. Certè cum hæc duo dicta ſibi invicem oppoſita ſint, meritò quis dicat obtinere potiſſimùm in Verbo proprietatem unigeniti, eò quòd non ſit aliud Verbum, aut alia ſapientia, ſed ipſe ſolus ſit verus Patris ſui filius. Etenim, ut antè dictum eſt, non cum cauſa aliqua annexa, ſed ſimpliciter dicitur ibi,* (nempe Joan. 1. quem locum paulò antè attulerat,) Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris. *Hoc verò quòd primogenitus dicitur, connexam habet rurſus creationis cauſam, quam ſubintulit Paulus, dicens*: Quoniam per ipſum creata ſunt omnia. *Quod ſi omnes creaturæ per ipſum creatæ ſint, alius ipſe à creaturis & neutiquam creatura eſt, ſed creaturarum omnium conditor. Neque igitur quia ex Patre eſt, primogenitus appellatur, ſed quia per ipſum facta eſt creatura. Et quemadmodum ante creaturam Filius ipſe fuit, per quem facta eſt creatura; ita quoq; antequam vocaretur primogenitus omnis creatura, nihilo minùs ipſe erat Verbum apud Deum, & Deus erat Verbum.* Hîc apertè docet Athanaſius, Filium fuiſſe Verbum apud Deum, & Deum Verbum ab æterno, atque antequam primogenitus omnis Creaturæ fieret: primogenitum verò omnis creaturæ dici ob condeſcenſum ad creaturas, quòd nempe ad ipſas condendas ex Patre deſcenderit, ipſaſq; jam conditas rationales creaturas in adoptionem filiorum Dei evexerit. Quis verò, niſi paulò obtuſior ſit, non intelligat Athanaſii, hîc Theologiam cum Veterum illorum, quos ſuprà commemoravi, doctrinâ omnino conſpirare? Sed hæc ſi minùs diſerta cuiquam videantur, poſt aliquammulta ſic ſe clariùs explicat Athanaſius: πᾶσι γὰρ ἐστι δῆλον, ὅτι οὐδὲ δι' ἑαυτὸν, ὡς κτίσμα ὤν, ὅτε διὰ τὸ συγγενειάν τινα κατ' οὐσίαν πρὸς πᾶσαν τὴν κτίσιν ἔχειν, πρωτότοκος αὐτὸς ἐκλήθη· ἀλλ' ὅτι καὶ κατ' ἀρχὴν μὲν δημιουργῶν ὁ λόγος τὰ κτίσματα, συγκαταβέβηκε τοῖς γενητοῖς, ἵνα γενέσθαι ταῦτα δυνηθῇ· οὐκ ἂν γὰρ ἤνεγκεν αὐτοῦ τὴν φύσιν, ἄκρατον καὶ πατρικὴν οὖσαν λαμπρότητα, εἰ μὴ φιλανθρωπία πατρικὴ συγκαταβὰς ἀντελάβετο, καὶ κρατήσας αὐτὰ εἰς οὐσίαν ἤνεγκε· καὶ δεύτερον δὲ πάλιν, ὅτι συγκαταβάντος τοῦ λόγου, ὑποπίπτει καὶ αὐτὴ ἡ κτίσις δι' αὐτοῦ· ἵνα καὶ αὐτῆς, καθὰ πρόειρται, πρωτότοκος κατὰ πάντα

p. 435

Petavius Præfat. in Tom. 2. Theolog. Dogm. c. 3. n. 5.

Athan. Tom. 1. p. 432.

p. 433.

πάντα γεγενῆται, ἔν τε τῷ κλίζειν, καὶ ἐν τῷ εἰσάγεσθαι ὥσπερ πάντων εἰς τὴν οἰκουμένην· i. e. *Omnibus enim liquet, illum non propter se, quasi & ipse creatum quiddam esset, neque quia cognatam essentiam habeat cum rebus creatis, nomine Primogeniti vocatum esse; sed quia* ὁ λόγος, *cum primùm conderet creaturas, condescendit rebus creatis, ut illæ ad essentiam pervenire possent. Neque enim ipsæ tulissent ejus naturam, indilutum scilicet & Patrium splendorem, nisi pro Patris in homines amore se demittens, eas arripuisset, & ad existendi facultatem protraxisset. Altera deinde causa est hujus nominis, quòd postquam ita se demiserat* ὁ λόγος, *ipsa etiam creatura in jus filiorum adoptata per ipsum sit: ut ita, quemadmodum antè dictum est, in omnibus primogenitus ipsius* [*creaturæ*] *fieret, tum in creando scilicet, tum in inferendo seipsum pro omnibus in mundum.*

§. 10. Dico hisce in locis Athanasii contineri exquisitam & liquidam explicationem eorum, quæ Athenagoras & alii Patres, quos suprà allegavi, de nativitate τοῦ λόγου paulò ante conditum mundum philosophati sunt. Quoniam verò ex omnibus Patribus Ante-Nicænis Athenagoras rem istam maximâ perspicuitate & accuratissimè tractavit; ideo ejus imprimis dicta cum Athanasianis conferre visum est. Primò, τὸν λόγον dixerat Athenagoras *primam Patris progeniem*, cautè subjungens, id non ita intelligendum esse, quasi ὁ λόγος esset γενόμενόν τι, *factum quiddam*; quippe qui ab æterno apud Deum Patrem extiterit. Sic Athanasius expressè monet, cum in Scripturis ὁ λόγος dicitur *Primogenitus omnis creaturæ*, id nequaquam sic exponendum esse, quasi ipse esset inter creaturas prima, aut cognatam cum rebus creatis essentiam haberet: siquidem is Verbum fuit apud Deum, & Deus Verbum, antequam Primogenitus omnis creaturæ fieret, adeoque æternùm. Secundò, primam Patris progeniem τὸν λόγον dixit Athenagoras, ob προέλευσιν illam, quâ ex Patre progressus est, ut idea & energia foret rerum creandarum. Sic Athanasius intellexit ipsum τὸν λόγον primogenitum dici διὰ τὴν εἰς τὴν κλίσιν συγκατάβασιν, *propter condescensum ad creaturas*. Ubi sane idem valet Athenagoræ προέλευσις, quod Athanasii συγκατάβασις, nisi quòd hæc rei causam, quæ utraque voce significatur, clariùs exprimat, Cæterum in loco, quem superiùs allegavi, ipso vocabulo προελθὼν, juxtà cum Athenagora, usus est in hoc negotio Athanasius. Denique Patres illi Ante-Nicæni, quorum sententiam in quatuor proximè præcedentibus hujus Sectionis Capitibus explicavi, communiter locum Apostoli, in quo Christus dicitur *Primogenitus omnis creaturæ*, de τῷ λόγῳ ex Patre quasi progressione ad condendum universa exponunt. Atque idem facit Athanasius. Quam interpretationem secutus etiam videtur vetus Interpres Latinus, qui verba Sapientiæ de se, Ecclesiastici cap. 24. v. 3. *Ego ex ore Altissimi prodivi, & sicut nebula obtexi terram*, ita παρεφράζει· *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam: Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens.* Paraphrasticam dico hanc interpretationem, quòd in textu Græco, ut & in versione Syriaca & Arabica, desiderentur hæc: *primogenita ante omnem creaturam: Ego feci in cœlis ut oriretur lumen indeficiens.* Ex hac autem Paraphrasi Auctoris, (cujus versionem & nos perantiquam agnoscimus, & Romanæ Ecclesiæ Doctores pro authentica habent,) liquet, Interpretem sensisse, per Sapientiam ibi intelligi τὸν λόγον sive Filium Dei, & τὸν λόγον ideo primogenitum ante omnem creaturam dici, quòd in principio veluti ex ore Dei Patris prodierit ad constitutionem universi cum voce illa omnipotenti, *fiat:* quâ & Deus in luce primigenia procreanda usus legitur. Neque metuendum est, si in loco illo Ecclesiastici intelligatur Sapientia, quem veteres omnes intellexerunt, Dei Filius, ne Filii Dei τὸ σωματῖδιον periclitetur; eò quòd Sapientia sæpius in eodem Capite dicatur creari & condi. Nam, ut rectè Grotius, liquet ibi vocem κλίζεσθαι significare *in lucem produci, per opera scilicet.* Sed istud ὡς ἐν παρόδῳ· cum Athanasio progrediamur.

§. 11. Is in locis allatis, τοῦ λόγου illam ex Patre processionem ad condendum universa, ob quam omnis creaturæ primogenitus in Scripturis dicitur, quandam ipsius συγκατάβασιν fuisse, apertè dicit. Cujus condescensionis & hanc causam assignat, quòd alioqui, & nisi ita se demisisset ὁ λόγος, naturam ejus, atque indilutum & Patrium splendorem (hoc est, gloriam illam, quam ex æterno apud Patrem habuit, paternæ æqualem,) ferre ac sustinere neutiquam potuissent creaturæ. Idem prorsus dixit, ut modò vidimus, Auctor Sermonum, qui Zenoni Veronensi tribuuntur, de nativitate illa Filii, quam mox subsecuta est mundi creatio, ita differens: *Quomodo autem*, inquit, *generatus sit, qui processit, dementis est opinari. Namque temperat se propter rerum naturam Filius, ne æternæ Majestatis Dominum non possit mundi istius mediocritas sustinere.* Neque aliud voluisse mihi videtur doctissimus Euse-

Vide hujus Sectionis c. 7. n. 5.

bius

bius Pamphili, cum in Oratione de laudibus Conſtantini cap. 11. hæc ſcripſit:

p. 635, 636. Ed. Valeſ. τὸ ἀφανῆ καὶ ἀόρατον λόγον, τὸ δὴ τοῦ παντὸς εἰδοποιόν τε καὶ κοσμήτορα, ὑπερεκπλητέον, ὄντα τοῦ Θεοῦ μονογλυῆ· ὃν ὁ τῶν ὅλων ποιητὴς, ὁ πάσης ἐπέκεινα καὶ ἀνωτάτω ὑσίας, αὐτὸς ἐξ ἑαυτοῦ γεννήσας, ἡγεμόνα καὶ κυβερνήτην τοῦδε τοῦ παντὸς κατεςήσατο. ἐπεὶ γὰρ μὴ οἷόντε ἦν, τὴν ῥευςὴν τῶν σωμάτων ὑσίαν, τήν τε τῶν ἄρτι γενομένων λογικῶν φύσιν τῷ παντηγεμόνι Θεῷ πελάζειν, διὰ ὑπερβολὴν τῆς ἀπὸ τοῦ κρείττονος ἐλλείψεως· ὁ μὲν γὰρ ἦν ἀγλυνητος, ἀνωτάτω τε καὶ ἐπέκεινα τῶν ὅλων, ἄῤῥητος, ἀνέφικτος, ἀπερισπάςως, φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον, ᾗ φασιν οἱ ἱέρειοι λόγοι· ἡ δὲ ἐξ οὐκ ὄντων προβεβλημένη, πορῤῥωτάτω δὲ διεςῶσα, καὶ μακρὰν τῆς ἀγεννήτου φύσεως ἀπεχοινισμένη· εἰκότως ὁ πανάγαθος καὶ Θεὸς τῶν ὅλων, μέσαν τινὰ παρεμβάλλει τὴν τοῦ μονογενοῦς αὐτοῦ λόγου θείαν καὶ παναλκῆ δυνάμιν· ἀκριβέςατα μὲν ἴσω τε αὐτοῦ τῶν ἀπορῤῥήτων ἀπολαύουσαν, ὡς ὅτι μάλιςα καὶ ἑνούτατα τῷ πατρὶ προσομιλοῦσαν· πρωτότατά γε συνκατιοῦσαν, καὶ ἀμωσγέπως συχνηματιζομένην τοῖς τῆς ἄκρας ἀπολιμπανομένοις. ἄλλως γὰρ ἐτ' εὐαγὲς, οὐδ' ὅσιον, τὸ τῶν ὅλων ἐπέκεινα καὶ ἀνωτάτω, ὕλῃ φθαρτῇ καὶ σώματι συμπλέκειν· i. e. *Inviſibilem illum Sermonem ſummè admirari debemus, qui hoc univerſum formavit atque exornavit; qui eſt unigenitus Dei Filius; quem ille omnium rerum conditor, qui omnem ſubſtantiam tranſcendit, ex ſeipſo genitum, Principem ac Rectorem hujus Univerſi conſtituit. Nam quoniam fieri non poterat, ut fluxa corporum ſubſtantia, & rationalium jam editorum animalium natura ad ſummum omnium Rectorem Deum accederet, eò quòd infinitis ſpatiis ab illo ſuperantur; (quippe hic quidem ingenitus eſt, ſupra & ultra omnia poſitus; inexplicabilis, inacceſſus, ad quem perveniri non poteſt, lucem habitans inacceſſibilem, ut ſacra loquuntur oracula; illa verò ex nihilo producta, longiſſimô intervallô diſſita ac ſeparata ab ingenita illa natura) non ſine cauſa Deus Opt. Max. velut mediam interjicit divinam ac præpotentem unigeniti Sermonis ſui virtutem. Quæ quidem cum perfectiſſimè & proximè cum Patre converſetur, intraque ipſum manens, ineffabilis ejus arcanis perfruatur: nihilominus tamen benignè condeſcendit, ſeque ipſum quodammodo attemperat coaptatque iis qui à ſummo vertice longiùs abſunt. Aliter enim nefas eſſet, eum qui ſupra ultraque omnia poſitus eſt, cum corruptibili materia & corpore connectere.* Hîc Verbum συνκατιέναι, quô utitur Euſebius, idem prorſus valet, quod συνκαταβαίνειν, apud Athanaſium; nempe *condeſcendere*: & ejus condeſcenſionis τοῦ λόγου cauſa & ratio eadem planè ab utroque aſſignatur. Mediam autem inter Deum & creaturas manifeſtè dicit Euſebius Verbi virtutem, non in ſe ſpectatam; ſed propter illam, qua de loquitur, condeſcenſionem. Imò diſertè hîc docet, Verbi virtutem, etiam dum ita ſe demittit, perfectiſſimè & proximè cum Deo Patre converſari, intraque ipſum manentem, ineffabilis ejus arcanis perfrui: planè quemadmodum Athanaſius dicit, ipſum τὸν λόγον non ita condeſcendere, quin ſemper maneat indilutus ac Patrius ſplendor. Quod igitur ad hunc locum obſervat Valeſius, (idem qui Euſebium ab Arianiſmi calumnia meritò defendit,) hæc Euſebii optimè ab Athanaſio refutari in Oratione tertia contra Arianos; in eo (quod pace ejus dictum ſit,) omnino fallitur Vir præſtantiſſimus. Error, quem ibi refutat Athanaſius, fuit Arianorum, ſeu potiùs Semi-Arianorum, qui docebant ipſam Filii naturam in ſe mediam eſſe inter Deum & creaturas, hoc eſt, à ſumma Dei natura diſtare, & cæteris tamen rebus creatis omnino diſſimilem eſſe. Ab hoc errore abhorruiſſe Euſebium ſatis oſtendit hic locus, ad quem iſta adnotavit Valeſius. Sed illud extra omnem controverſiæ aleam ponunt verba Euſebii in hac ipſa Oratione de laudibus Conſtantini cap. 7. ubi de numero ternario ſubtiliùs philoſophatus, ait, eô ſignificari ſacroſanctam Trinitatem, Patrem nempe, Filium, & Spiritum ſanctum, quorum natura æqualis ſit, & pariter increata, ortûſque omnis expers. Verba ſunt: τριὰς δὲ τελὰς δικαιοσυνὴν ἀνέδειξεν, ἰσότητος καθηγησαμένη· ὡς ἂν ἀρχὴν καὶ μεσότητα καὶ τελευτὴν ἴσην ἀπολαβοῦσα· εἰκὼν δὲ ταῦτα μυσικῆς καὶ παναγίας καὶ βασιλικῆς τριάδος· ἡ τῆς ἀνάρχου καὶ ἀγεννήτου φύσεως ἠρτημένη, τῆς τῶν γεννητῶν ἁπάντων ὑσίας τὰ σπέρματα καὶ τοὺς λόγους καὶ τὰς αἰτίας ἀπείληφε· *Numerus autem ternarius juſtitiam primus hominibus oſtendit, æqualitatem docens: quippe qui principium, medium, ac finem habeat æqualia. Atque hæc myſticæ ſacroſanctæ ac regiæ Trinitatis imaginem referunt; quæ cum in natura ortûs ac principii experte conſiſtat, omnium quæ ortum habent ſubſtantiarum ſemina, rationes, cauſaſque in ſe continet.* Quid, quæſo, contra Arium cæteroſque Anti-Trinitarios his efficacius aut diſertius ab ullo Catholicorum unquam dictum fuit? In eâdem verò Oratione cap. 2. in ipſo initio, Filio Dei ſpeciatim coæternum prorſus cum Deo Patre divinum imperium expreſsè tribuit: ὁ μέν γε, inquit, τοῦ Θεοῦ μονογλυὴς λόγος, τῷ αὐτοῦ πατρὶ συμβασιλεύων ἐξ ἀνάρχων αἰώνων εἰς ἀπείρους καὶ ἀτελευτήτους αἰῶνας· i. e. *Et ille quidem unigenitus Dei ſermo, à ſæculis principiô carentibus*

p. 396. & ſeqq.

p. 318. Edit. Valeſ.

p. 607.

tibus ad infinita usque & interminata sæcula regnat cum Patre. Cæterum Dei Filium, qui cum Patre suo ex æterno, utpote ejusdem cum ipso increatæ & principii expertis naturæ, extitit, cum Deus Pater voluit, ex ipso quasi exivisse ad condendum & gubernandum universa, seque demisisse, ac virtutem suam veluti attemperâsse; hanc, inquam, sententiam adeo non refutavit uspiam Athanasius, ut ipsam disertissimis verbis, quæ recitavimus, ipse tradiderit, suôque calculô comprobaverit. Quæ si intellexisset, qui nihil non in Patrum Scriptis intellexisse videri voluit, Petavius, nunquam certè doctissimum & de Ecclesia Catholica optimè meritum Eusebium, propterea quòd Filium Dei dixerit μεσίτην inter Deum & res creatas, & ob dicta similia, tanquam recoctum Arianum, nedum, cum Hieronymo, (quem ipsum eo nomine ausus est acriter reprehendere præcellentissimus Valesius,) ut Arianæ factionis signiferum sugillâsset, quod in Scriptis suis passim facit. Quid? quòd ipse Alexander Episcopus Alexandrinus, qui primus vexillum contra impiam Arii hæresin erexit, prorsus idem, quod Eusebius, dixit; idque in illa ipsa Epistola quam ad Alexandrum Constantinopolitanum scripsit, quâque Arii blasphemias accerimè impugnat: ἀγνοοῦντες, inquit, οἱ ἀνάσκητοι, ὡς μακρὸν ἂν εἴη μεταξὺ πατρὸς ἀγεννήτου, καὶ τῶν γενητῶν· ὧν μεσιτεύουσα φύσις μονογενὴς, δι' ἧς τὰ ὅλα ἐξ οὐκ ὄντων ἐποίησεν ὁ πατὴρ, τοῦ Θεοῦ λόγος, ἢ ἐξ αὐτοῦ τοῦ ὄντος παλαιὸς γεγόνηται. i. e. *Nec intelligunt rudes atque ignari, multum interesse inter Patrem ingenitum & res ab illo creatas ex nihilo, tam rationales, quàm rationis expertes: inter quæ duo media interveniens unigenita natura * Dei Verbi, per quam Pater universa condidit ex nihilo, ex ipso vero Patre progenita est.* Ubi dubio procul idem voluit Alexander, quod ejus successor in Cathedra Alexandrina Athanasius. Nam ibidem mox, pauculis interjectis, ita scribit: οὐδεὶς οἶδε τίς ἐστιν ὁ πατὴρ, εἰ μὴ ὁ υἱός· καὶ οὐδεὶς οἶδε τίς ἐστιν ὁ υἱὸς, εἰ μὴ ὁ πατήρ. ἄτρεπτον τοῦτον καὶ ἀναλλοίωτον, ὡς τὸν πατέρα, ἀπρόσδεη, καὶ τέλειον υἱὸν, ἐμφερῆ τοῦ πατρὶ μεμαθήκαμεν, μόνῳ τῷ ἀγεννήτῳ λειπόμενον ἐκεῖνος. εἰκὼν γάρ ἐστιν ἀπεκριβωμένη καὶ ἀπαράλλακτος τοῦ πατρός· i. e. *Nemo novit Patrem nisi Filius, & nemo novit quis sit Filius nisi Pater. Hunc conversionis ac mutationis expertem, perinde ac Patrem, nullius egentem, & perfectum Filium, Patrisque similem esse didicimus, hôc solo inferiorem Patre, quòd ingenitus non est. Est enim imago Patris exactissima & in nullo discrepans.* Hæc certè tam clara sunt & expressa, ut nullo commentatore indigeant. Qui hæc scripsit, non potuit ea mente, quâ Arius, dicere, Filium Dei inter Deum & creaturas μεσιτεύειν.

DeVit.& Scriptis Eusebii, prope finem.

Apud Theodor. Eccl.Hist. l. 1. c. 4. p. 16, 17. Ed.Vales.

§. 12. Interrogabis fortasse à me, qualisnam fuerit illa τοῦ λόγου ad condendum universa συγκατάβασις, de qua sancti Patres loquuntur? Quid verò si simpliciter respondeam, me nescire? Haud propterea licet mihi hanc venerandorum Patrum notionem, (quorum ea fuit modestia, & sacrosancti mysterii reverentia, ut è suo cerebello ipsam effinxisse neutiquam existimandi sint,) tanquam inanem subtilitatem despicere & contemnere. Dic tu, qualis fuerit τοῦ λόγου & Filii Dei κένωσις & συγκατάβασις, quâ propter nos homines & nostram salutem à Patre exivit, è cælis descendit, & incarnatus fuit; & ego tibi alteram illam συγκατάβασιν explicare conabor: ut scilicet insaniamus ambo, in Dei mysteria oculos injicientes: idque qui tandem? nempe ii, qui neque ea quæ ante pedes sunt, scire possumus, ut scitè olim dixit Gregorius Nazianzenus. Equidem non ausim ego hoc arcanum scrutari; (quanquam videre mihi videar quod de ipso non inscitè dici posset;) itaque ad Athanasium revertor, qui triplicem Filio nativitatem manifestè tribuit. Prima est, quâ ut ὁ λόγος ab æterno ex Patre, & apud Patrem extitit, utpote æternæ mentis Paternæ coæterna progenies. Hæc sola est τοῦ λόγου, quâ Dei λόγος & Deus est, vera ac propriè dicta nativitas. Ob hanc nativitatem τὸν μονογενῆ in Scripturis dici ipsum censuit Athanasius: qui & eô solo nomine existimavit Filium esse ἐκ πατρὸς, hoc est, ex Patre initium & originem subsistentiæ suæ traxisse. Altera nativitas consistit in illa συγκαλάσει, quâ ὁ λόγος ex Deo Patre exivit ad creationem universi. Hujus respectu dici illum in Scripturis omnis creaturæ primogenitum, statuit Athanasius. Ex hac nativitate nihil accessit divinæ personæ τοῦ λόγου· utpote quæ, ut dicit, fuit potiùs ipsius demissio & condescensio. Tertia demum ejus nativitas tum fuit, cum eadem divina persona è sinu & gloria paterna exivit, seque intulit in uterum sacratissimæ Virginis; itaque ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, *Verbum caro factum est*, sive natus est ho-

Orat. 37.

* Naturam sumit pro persona. Intelligit enim φύσιν ἐν ὑποστάσει, ut paulò antè locutus est. *Vales.* in loc.

homo, ut nos homines per ipsum adoptionem filiorum acciperemus. Recole quæ diximus Sect. 2. cap. 8. n. 5. de Hippolyto. Cave autem, hanc magni Athanasii interpretationem contemnas; quippe quæ aptissimam tibi clavem porrigat ad aperiendum Veterum quorundam mentem ac sententiam, quorum dicta Ariani olim imperitè admodum in hæresis suæ patrocinium traxerunt, & neoterici quidam Theologi haud minùs imperitè (ausim id dicere, quanquam illi præ aliis omnibus sapere sibi videantur,) Arianismi incusârunt.

§. 13. Ut Caput hoc tandem claudam, ex his omnibus liquet, Petavium frustra fugil-
De Trin. l. 1, c. 5. §. 9. lâsse optimum & (si ætatem, quâ vixit, spectes,) doctissimum Scriptorem, Rupertum Tuitiensem Abbatem, quòd in primo Commentariorum in Genesin cap. 10. hæc scripserit: *Quid ergo, quid in eo, quod dictum est*, dixit Deus, *nisi generationem Verbi æterni, Verbi Deo consubstantialis, de cujus effectu & nos & Angeli rationales sumus, significatum intelligere debemus? Verè enim & sine voce natum, & omnia potentialiter continens Verbum tunc Pater actualiter generavit, quando cœlum & terram creavit, quando lucem & cætera fecit.* Quibus in verbis cum Verbi sive Filii Dei & τὸ ὁμοούσιον & τὸ συναΐδιον, ipsumque verè & sine voce natum fuisse ab æterno apertè confiteatur; (quod & alibi centenis in locis facit;) generationem tamen quandam ipsi tribuit, quæ mundi constitutionem proximè antecesserit, cujus respectu is *actualiter* à Patre natus diceretur; quòd nempe tum ex Patre progressus fuerit, ut ἐνέργεια foret rerum creandarum, atque actu produceret ea omnia quæ potentialiter in se ab æterno habuerat. Cur verò per Petavium Ruperto non licuit cum Patribus Catholicis tam Ante-Nicænis, quàm qui post Synodum Nicænam scripsere, seque Arianæ hæresi strenuè opposuerunt, impune loqui? Scilicet Scriptor ille (utpote in primævæ Ecclesiæ monumentis versatissimus,) cùm in multis antiquam & Catholicam fidem contra novitia degenerantis Ecclesiæ Romanæ placita liberè asseruit; tum imprimis magnum illud Pontificiorum idolum, Transubstantiationis dogma (quod eo tempore, stupentibus Viris eruditis ac piis, passim obtinere ac tantum non pro Catholico obtrudi cœperat,) palam oppugnare ausus fuit. Hinc in Rupertum illud Romanensium odium: imò hanc ob causam æternis tenebris damnata fuissent eximii Scriptoris monumenta; nisi Viri quidam docti è Reformatis Theologis ea, invitis Pontificiis, in lucem edidissent. Quod & ipse Bellarminus ingenuè fatetur his verbis: *Atque hæc*, inquit, *videtur esse causa*, (nempe quòd in ipsis dogma de conversione panis Eucharistici in corpus Christi passim refutetur,) *ut opera Ruperti Tuitiensis, alioqui nec mala, nec indocta, jacuerint sine luce & honore in tenebris oblivionis, annis circiter quadringentis: nam nostro primùm tempore cœperunt lucem aspicere.* Sed de his satis.
Bellarm. de Script. Eccl. in Ruperto Tuitiensi.

CAP. X.

Examinatur Tertulliani, nec non Lactantii de Filii æternitate doctrina. Sectio tertia concluditur.

§. 1. EX Scriptoribus illis Ante-Nicænis, qui à Viris quibusdam doctis insimulantur negatæ Filii Dei cum Deo Patre coæternæ existentiæ, duos hactenus omisimus; Tertullianum dico & Lactantium. De quibus, cum peculiaris ipsorum videatur ratio, seorsim & distincta Thesi agendum duximus. Thesis hæc esto:

THESIS IV.

Tertullianus quidem alicubi ausus est disertè scribere, fuisse tempus, quando Filius Dei non esset. Sed primò constat, Scriptorem illum, cæteroquin ingenii magni & paris eruditionis, ab Ecclesia Catholica ad hæresin defeciſſe: & valde incertum est, quos Catholicus, quos in hæresin inclinans, quos demum planè Hæreticus libros conscripserit. Deinde videtur Tertullianus protulisse istud effatum ἀγωνιστικῶς & in certamine cum adversario, ludens in vocabulo Filii: *ita ut cum Filii æternitatem absolutè negâsse videatur, revera tamen nihil aliud voluerit, quàm quod voluerunt Patres, quos in capitibus* 5, 6, 7, 8, *hujus Sectionis commemoravimus; nempe personam illam divinam, qui Filius Dei appellatur, quanquam nunquam non extiterit apud Patrem, Filium tamen tum primùm declaratum fuisse, quando ex Patre processerit ad constituendum universa. Certè idem Tertullianus alibi multis in locis planè Catholicè, si dogmatis τὸ ὑπερέχον spectemus, de Filii τῷ συναϊδίῳ philosophatus fuit. Ad Lactantium quod attinet, qui etiam alicubi Filio Dei non obscurè imitium existentiæ tribuit, levis est ejus in Ecclesia Dei existimatio & auctoritas; siquidem sacrarum literarum & doctrinæ Christianæ penè rudis fuit. Deinde necessariò statuendum, aut loca illa Scriptorum Lactantii, quæ contra Filii æternitatem facere videntur, ab Hæretico aliquo Manichæo depravata; aut certè ipsum Lactantium Manetis hæresi infectum fuisse. Demum & ipse tamen alibi saniorem de æternitate τῦ λόγ. sententiam tradidit.*

§. 2. Ut à Tertulliano initium faciam, locus, in quo ille absurdam istam sententiam profert, extat in libro contra Hermogenem cap. 3. ubi sic scribit: "Quia & Pater Deus "est, & judex Deus est; non tamen ideo "Pater & judex semper, quia Deus semper. "Nam nec Pater esse potuit ante Filium, "nec judex ante delictum. Fuit autem "tempus, cum & delictum & Filius non "fuit, quod judicem, & qui Patrem Domi-"num faceret." Respondet hîc pro Tertulliano Bellarminus* (quem secutus est nuper Vir quidam Reverendus è nostratibus,) hunc in modum: "Ille, *inquit*, Filius, de quo di-"cit Tertullianus in libro contra Hermoge-"nem, quòd non semper fuit, non est Ver-"bum Dei, sed Filius per adoptionem, id "est, quivis alius sanctus homo, vel Ange-"lus. Non enim hîc de Christo agitur, "sed de creatura rationis participe, quæ ex-"trinsecus accessit, & Deum ex tempore Pa-"trem denominavit." Sed nihil certius est, quàm hanc responsionem à mente Tertulliani prorsus alienam esse. Nam præterquam quòd in loco allato de Filio Dei absolutè & sine limitatione aliquâ loquatur, & Deum fuisse

* Bellarmin. Controv. Tom. 1. de Christo lib. 1. cap. 10.

fuisse semper Patrem simpliciter neget; alibi quoque in hoc ipso libro seipsum clarè interpretatur. Nam cap. 18. sic de Filio Dei, sub nomine Sophiæ, scribit: "Si enim, *inquit*, intra Dominum quod ex ipso & in ipso fuit, sine initio non fuit; Sophia scilicet ipsius, exinde nata & condita, ex quo in sensu Dei ad opera mundi disponenda cœpit agitari: multò magis non capit sine initio quicquam fuisse, quod extra Dominum fuerit." Hinc, inquam, manifestum est, Tertullianum, dum ista scriberet, de filiis Dei adoptivis, sanctis nempe Angelis & hominibus, neutiquam cogitâsse; sed de Filio illo Dei, qui & Sophia dicitur, per quem Deus hæc universa condidit, locutum fuisse.

§. 3. Alii igitur ingenuè & rotundè respondent, Tertullianum hîc, ut in aliis multis, magno suo ingenio nimis fidentem, à Catholicæ veritatis semita manifestè deviâsse: nec multùm morandum, quid ille docuerit, cujus hæresis *Scriptis probabilibus detraxerit auctoritatem*, ut Hilarius * loquitur. Sane Patres Ante-Nicænos, tam qui ante, quàm qui post Tertullianum scripserunt, communiter τὸ συναΐδιον Filii agnovisse, suprà abunde probavimus. Itaque si Tertullianus revera Filii æternitatem negavit, heterodoxus fuit. His addas, postquam Tertullianus absurdum illud effatum, *fuisse tempus, quando Filius Dei non esset*, Scriptis suis evulgâsset, mox Patres Catholicos, qui ipsius ætatem secuti sunt, veluti agmine facto, blasphemiam istam palam oppugnâsse, atque in Scriptis suis disertis verbis refutandam proposuisse. Hoc ab Origene, duobus Dionysiis, Romano & Alexandrino, Gregorio Thaumaturgo, & Pamphilo Martyre factum, in superioribus ostendimus. Quin & Auctor libri de Trinitate inter Opera Tertulliani, cum alioquin ubiq; fere Tertullianum imitetur, ejusque sententiam sequatur; (unde ipsi Tertulliano opus illud adscriptum fuit;) hîc tamen ab ipso apertè discedit. Cum enim Tertullianus disertè docuerit, Patrem non semper fuisse Patrem; ille contrà palam affirmat cap. ult. statuendum esse, Filium semper in Patre fuisse, *ne Pater non semper sit Pater*. Atque hæc quidem responsio sufficere potest, ad obstruendum Arianorum ora, qui Tertulliani patrociniô gloriantur. Certè Hieronymus adverſ. Helvid. cap. 9. Tertulliani auctoritate pressus, sic uno verbo respondet: *De Tertulliano quidem nihil amplius dico, quàm Ecclesiæ hominem non fuisse.*

§. 4. Interim hîc aliter respondendum mihi videtur. Quippe censeo, Tertullianum ista, quæ ex libro adversus Hermogenem adduximus, haud bonâ fide & ex animo protulisse, sed ἐριστικῶς, & contentiosè, ut quocunq; modô suum adversarium constringeret. Nôrunt omnes, in Tertulliani Scriptis vel mediocriter versati, solenne ipsi esse, ad hypothesin suam stabiliendam argumenta undecunque arripere; eaque non rarò ejusmodi, quæ parum valida esse neque ipse ignoraret. Id illi usu hîc venisse persuasum habeo. Hermogenes materiam ab æterno atque absque initio extitisse hôc argumento contendebat, quòd alioqui ab æterno Deus non fuisset Dominus; siquidem nihil habuisset, quod ipsi pareret. Cui respondet Tertullianus, Deum etiam in Scripturis Patrem dici, qui tamen non semper Pater fuit, sed ab aliquo initio sibi filium genuit. Filium autem ab aliquo initio genitum fuisse, inde collegisse videtur, quòd is non ab æterno, sed demum post infinita sæcula, cum Pater voluit, ex Patre progressus fuerit ad operationem universi: quam ejus progressionem illius ævi Doctores aliqui generationis nomine appellârunt. Cum autem non ignoraret Tertullianus, progressionem illam neutiquam fuisse propriè dictam Filii generationem, sive productionem; (siquidem is ab æterno apud Patrem extitit;) id tamen dissimulandum duxit, ut hypothesi suæ inserviret. Haud absimili fallaciâ de Creatore omnium dicere aliquis possit: *Fuit tempus, cum Creator non fuit*; subintelligens scilicet, quà Creator dicitur. Quippe Deus omnium Creator, tum demum Creator denominatus & quasi factus fuit, cum ex nihilo res condidit. Fuit autem tempus, quando nulla res condita & creata existeret, à qua Deus Creator denominaretur. Interim qui ita argumentatur, neutiquam existimandus est negâsse, Deum, cui aliquando Creatoris nomen accessit, prorsus æternum esse. Ita fere, inquam, hîc argumentatur de τῷ λόγῳ, qui & Filius Dei dicitur, Tertullianus: *Fuit*, inquit, *tempus, cum Filius non fuit*: subintelligens scilicet, quà Filius dicitur. Quippe Tertullianus existimavit, τὸν λόγον in hôc imprimis Filium Dei declaratum fuisse, quòd cum Deus Pater voluit, ex ipso processerit, & tanquam ex utero paternæ mentis prodierit, & quasi natus fuerit, ad condendas creaturas. Fuit autem tempus, quando ὁ λόγος nondum ita ex Deo processerat. Interim aliunde constat, probè nôsse Tertullianum, τὸν λόγον, qui Filius Dei dicitur, nunquam non fuisse & extitisse apud Deum. Lucu-

* Can. 5. in Matthæum.

Luculentiùs autem Tertulliani dolus, hôc argumentô pugnantis, apparet ex loco illo altero dicti libri cap. 18. quem paulò antè allegavimus. Ait ibi, illam Dei Sophiam, quæ intra ipsum Deum est, quæ ex ipso Deo est, quæque adeo in ipso Deo antea fuit, initium aliquando habuisse. Papæ! Quis Oedipus hoc ænigma nobis exponat? Sane quod ex ipso Deo, & intra ipsum Deum est, Deus est. Nihil autem Dei est, quod non æternum est, ut ipse Tertullianus alibi fatetur. Quomodo autem, te obsecro, quod in ipso Deo etiam antè fuit, postmodum initium habere potuit? Si quis dicat Tertullianum sensisse, Sophiam, quæ & Filius Dei dicitur, ante initium, quo de loquitur, in Deo fuisse *in potentia* tantùm, planè nugatur. Nam sic & res omnes creatæ in Deo ab æterno fuerunt, quas tamen ita distinguit Tertullianus à Dei Sophia, ut hanc in ipso Deo æternùm substitisse, illas extra Deum esse semperque fuisse, clarè doceat. Quid? quod paulò antè in eo ipso capite expressè dixerat, locô materiæ, quam æternam statuebat Hermogenes, Deo adfuisse ipsius Sophiam, idque tanquam Spiritum in ipso subsistentem, qui solus ipsius sensum cognovit, ipsique consiliarius fuit; (quæ Dei Patris & Sophiæ ipsius distinctam personalitatem manifestè significant,) tanquam itidem ipsi æqualem, ejusdemque cum ipso statûs sive naturæ: *Si necessaria est*, inquit, *Deo materia ad opera mundi, ut Hermogenes existimavit; habuit Deus materiam longè digniorem & idoniorem, non apud Philosophos æstimandam, sed apud Prophetas intelligendam, Sophiam suam scilicet. Hæc denique sola cognovit sensum Domini: Quis enim scit quæ sunt Dei, & quæ in ipso, nisi Spiritus qui in ipso? Sophia autem Spiritus: hæc illi consiliarius fuit, via intelligentiæ & scientiæ ipsa est. —— Quis non hanc potiùs omnium fontem & originem commendet, materiam verò materiarum, non sibi subditam, non statu diversam, &c.* Dei igitur Sophiam, quæ in Deo *actu* semper fuit, tum quasi natam & conditam dicit Tertullianus, *quando in sensu Dei ad opera mundi disponenda cœpit agitari*; hoc est, quando volente Patre, ἐνέργειαν & vim suam cœpit quasi excitare, exercere & exerere in rerum creatione; sive, ut Athenagoras, cum increatus & æternus ille λόγος (idem qui & Dei Sophia dicitur, ipso, ut mox videbimus, Tertulliano fatente,) ex Deo progressus est, ut idea & energia foret rerum creandarum. Crassè quidem, & penè impiè, si verba spectes, mysterium explicat Tertullianus; quasi scilicet progressa esset Dei Sophia, ad condendum universa, non sine agitatione aliqua & veluti commotione divinæ essentiæ antecedenti. Sed Tertulliano solenne est, Deo corporales affectiones intrepidè adscribere. Unde Viri quidam docti existimârunt, revera sensisse Tertullianum, corporeæ esse naturæ Deum: à quibus tamen ego quidem dissentio. Mirum autem nemini videri debet, de Sophia Dei tam contumeliosè hîc loqui Tertullianum, quasi agitata fuisset intra Deum, priusquam exiret ad condendas creaturas; siquidem ipse alibi in hoc ipso libro, etiam Deo Patri nisum quendam, conatum & laborem in rerum molitione tribuit. Nam Hermogeni dicenti cap. 44. Deum solummodo *adparentem & adpropinquantem materiæ* mundum hunc fecisse, Tertullianus (quasi parum curâsset, quid de Deo diceret, modò suo adversario contradiceret,) ita respondet cap. 45. *Noli ita*, inquit, *Deo adulari, ut velis illum solo visu & solo accessu tot ac tantas substantias protulisse, & non propriis viribus instituisse. Sic enim & Hieremias commendat:* Deus faciens terram in valentia sua, parans orbem in intelligentia sua, & suo sensu extendit cœlos. *Hæ sunt vires ejus, quibus enixus, totum hoc condidit. Major est gloria ejus, si laboravit. Denique septima die requievit ab operibus. Utrumque more suo.* Itane verò? Viribus suis enixus est Deus, ut totum hoc conderet? An revera major erit Dei gloria, si in rerum creatione laborâsse dicatur? Ecquid Deo difficile? Sed vide hominis astutiam. Voluit quidem ut hæc contra adversarium valerent, quantum valere poterant, sibi interim Catholici sensûs quasi refugium cautè reservans. Deus, inquit, laboravit in mundo creando, requievit post conditum mundum: *utrumque more suo.* Quem morem si candidè & ingenuè explicâsset, scivit, vim ratiocinationis suæ penè omnem perituram fuisse; ideoque ab istiusmodi explicatione hîc abstinuit. Alibi autem verè Catholicam de Deo sententiam clarè explicat, nempe in lib. adversus Prax. cap. 10. *Planè*, inquit, *nihil Deo difficile.* Et ibidem postea: *Dei posse, velle est; & non posse, nolle.* Sic cum ait, in Deo mundum condituro agitatam fuisse ipsius Sophiam, procul dubiô intellexit, *more suo.* Quippe revera nisus & labor ille Dei ad constituendum hanc rerum universitatem, de quo altero in loco Tertullianus loquitur, planè idem est quod divinæ Sophiæ agitatio ad opera mundi disponenda, quâ de agit in loco altero.

§. 5. Verissimam esse hanc responsionem nostram manifestè porro comprobabo ex aliis quibusdam locis Tertulliani, in quibus docet, ipsam hypostasin sive personam τοῦ λόγου, *Rationis,*

tionis, Sermonis, Sophiæ, & Filii Dei (nam eidem perſonæ nomina iſta omnia attribuit,) ab æterno extitiſſe cum Deo Patre, & apud ipſum : itemque divinam illam perſonam, quando Pater voluit, ex ipſo proceſſiſſe ad creationem univerſi ; ac propter proceſſionem iſtam *Sermonem* & *Filium* Dei dictam eſſe. Quæ loca antequam proferam, Lectorem præmonendum duxi, ut ne in ipſis expectet purè omnino, ſincere, & ſine reprehenſione traditam à Tertulliano orthodoxam doctrinam. Imò ibidem inveniet aureas quaſi venas Catholicæ traditionis, aliquâ ſcoriâ admiſtas. Tenet ipſum dogmatis fundamentum Tertullianus ; ſuper ipſo interim ligna, fœnum, ſtipulam, more ſuo, ædificans. Hôc præmiſſô, loca ipſa aggredior. In libro adverſ. Prax. cap. 5. Patrem à Filio perſonâ eſſe diſtinctum, ex quorundam ratione confirmat, qui Geneſis initiô ſic in Hebraico ſcriptum eſſe dicebant : *In principio Deus fecit ſibi Filium.* Sed ut id minimè firmum ſit, alia argumenta ſuppetere ait ex ea diſpoſitione Dei, quæ Filii generationem, ſive proceſſionem ex Patre anteceſſit. " Ante omnia " enim, *inquit*, Deus erat ſolus, ipſe ſibi & " mundus, & locus, & omnia ; ſolus autem, " quia nihil aliud extrinſecus præter illum. " Cæterum ne tunc quidem ſolus ; habebat " enim ſecum, quam habebat in ſemetipſo, " Rationem ſuam ſcilicet. Rationalis enim " Deus, & Ratio in ipſo priùs, & ita ab ipſo " omnia : quæ Ratio ſenſus ipſius eſt. Hanc " Græci λόγον dicunt ; quô vocabulo etiam " Sermonem appellamus. Ideoque jam in " uſu eſt noſtrorum, per ſimplicitatem in- " terpretationis, Sermonem dicere in pri- " mordio apud Deum fuiſſe, cum magis Ra- " tionem competat antiquiorem haberi: quia " non ſermonalis à principio, ſed rationalis " Deus etiam ante principium : & quia ipſe " quoque Sermo Ratione conſiſtens, priorem " eam, ut ſubſtantiam ſuam, oſtendat. Ta- " men & ſic nihil intereſt. Nam etſi Deus " nondum Sermonem ſuum miſerat, proin- " de eum cum ipſa & in ipſa Ratione intra " ſemetipſum habebat, tacitè cogitando & " diſponendo ſecum, quæ per Sermonem " mox erat dicturus. Cum Ratione enim " ſuâ cogitans ac diſponens Sermonem, eam " efficiebat, quam Sermone tractabat. Idque " quò facilius intelligas ex teipſo, à me re- " cognoſce, ut ex imagine & ſimilitudine " Dei, quod habeas & tu in temetipſo ra- " tionem, qui es animal rationale, à rationa- " li ſcilicet artifice non tantùm factus, ſed " etiam ex ſubſtantia ipſius animatus. Vide " cum tacitus tecum ipſe congrederis ratio- " ne, hoc ipſum agi intra te, occurrente ea " tibi cum Sermone ad omnem cogitatûs tui " motum, & ad omnem ſenſus tui pulſum. " Quodcunque cogitaveris, Sermo eſt : quod- " cunque ſenſeris, ratio eſt. Loquaris il- " lud in animo, neceſſe eſt : & dum loque- " ris, conlocutorem pateris Sermonem, in " quo ineſt hæc ipſa Ratio, qua cum eo co- " gitans loquaris, per quem loquens cogitas. " Ita ſecundus quodammodo in te eſt Ser- " mo, per quem loqueris cogitando, & per " quem cogitas loquendo ; ipſe Sermo alius " eſt. Quanto ergo pleniùs hoc agitur in " Deo, cujus tu quoque imago & ſimilitudo " cenſeris, quòd habeat in ſe etiam tacendo " Rationem, & in Ratione Sermonem ? Poſ- " ſum itaque non temere præſtruxiſſe, & " tunc Deum ante univerſitatis conſtitutio- " nem ſolum non fuiſſe, &c. " Paucis interjectis de agitatione Rationis ſive Sophiæ Dei, quam paulò ſuperiùs explicavi, & de ejuſdem, quam vocat, ſeparatione, ſic porro pergit cap. 6. " Ut primùm Deus voluit ea quæ " cum Sophiæ ratione & Sermone diſpoſue- " rat intra ſe, in ſubſtantias & ſpecies ſuas " edere, ipſum primùm protulit Sermonem, " habentem in ſe individuas ſuas rationes " Sophiam, ut per ipſum fierent univerſa, " per quem cogitata atque diſpoſita, imò & " facta jam, quantum in Dei ſenſu. Hoc " enim eis deerat, ut coràm quoque in ſuis " ſpeciebus atque ſubſtantiis cognoſcerentur " & tenerentur. Tunc igitur etiam ipſe " Sermo ſpeciem & ornatum ſuum ſumit, " ſonum & vocem, cum dicit Deus : *Fiat* " *lux.* Hæc eſt nativitas perfecta Sermonis, " dum ex Deo procedit, &c.

Vide Section. 2. c. 9. n. 21.

§. 6. In his Tertulliani verbis plurima obſervanda ſunt. Primò docet Tertullianus, Deum in illa diſpoſitione, ut loqui amat, in qua fuit ante mundi conſtitutionem aduſque Filii generationem, illam ſcilicet, quâ de infrà agit, ſolum fuiſſe hôc tantùm ſenſu, *quia nihil aliud erat extrinſecus præter illum* ; hoc eſt, nondum ulla res creata exiſtebat. Alioquin affirmat, Deum ne tum quidem ſolum fuiſſe ; ſiquidem habuit ſecum, ſed in ſemetipſo, alium quicum verſaretur, qui nempe ipſius Ratio, Græcè λόγος nuncupatur. Secundò, hinc clarè ſequitur, cum dicit Tertullianus, Deum ex æterno habuiſſe ſecum & in ſe Rationem, ſive λόγον, minimè intellexiſſe ipſum λόγον, à quo Deus Pater λογικὸς nominatur, ſive ipſam rationem, quam in Deo, qui eſt æterna mens, velut formam cogitamus, hoc eſt, ipſam mentem Paternam : quod tamen ubique in hujuſmodi Veterum dictis intelligi voluit Petavius. Etenim quàm frivola, quàm inepta, quàm prorſus nulla eſt

hæc probatio : Deus ante constitutionem mundi solus non erat ; quia etiam tum rationalis fuit ? Itaque Tertullianus cum Patribus illis, quorum sententiam suprà explicavi, omnino hîc intellexit τὸν λόγον, qui in & cum Deo Patre æternùm extitit διὰ λογικῆς δυνάμεως, *per rationalem ejus potentiam* ; proinde non ipsa ejus rationalis potentia fuit. Quod etiam ipse non obscurè significat in verbis illis : *Rationalis enim Deus, & Ratio in ipso priùs :* quæ planè gemina sunt istis Athenagoræ, de Deo Patre ante conditum mundum : εἶχεν αὐτὸς ἐν ἑαυτῷ τὸν λόγον, ἀϊδίως λογικὸς ὤν. Utriusque dicta sine manifesta ταυτολογία haud aliter exponi possunt, quàm ad hunc modum : Deus ante constitutionem mundi, adeoque æternùm, rationali potentiâ pollebat ; proinde æternùm in ipso & cum ipso fuit ὁ λόγος, utpote ex rationali illa Dei potentia necessariò profluens. Quò spectat etiam, quod apud Tertullianum mox sequitur : *Quæ ratio, sensus ipsius est.* Nam *sensus* ibi Græcis, quos imitatur ubiq; Tertullianus, est ἔννοια, quæ ab ipsa mente distinguitur. Ita postmodum, in comparatione illa hominis ad Deum, ait : *Quodcunque senseris, ratio est.* Ἔννοιαν autem intelligit ἐνυπόςατον, ut mox videbimus. Tertiò, notat Tertullianus τὸν λόγον, quod Filio Dei nomen est, & *Rationem* & *Sermonem* significare, & utramque significationem Filio Dei competere : quippe qui & Dei Ratio sit, nempe ex rationali Dei potentiâ æternùm orta & progenita ; & Dei Sermo, utpote ex ipso aliquando voce prolatus ad creationem universi : & in priori sensu rectè dici concedit, τὸν λόγον in principio fuisse apud Deum ; in posteriori non item. Interim dum hæc observat, fatetur ipse Tertullianus, *in usu esse nostrorum* (hoc est, Christianorum,) *per simplicitatem interpretationis, Sermonem dicere in primordio* (id est ab æterno,) *apud Deum fuisse.* Vulgus itaque Christianorum, Tertulliani ætate, Sermonem apud Deum æternùm extitisse simpliciter & dixerunt, & crediderunt. Utinam verò Vir magnus non hîc supra vulgus Christianorum sapuisset ! Utinam simplicitate illa interpretationis contentus fuisset ! Interim in re ipsa consentit cum Christianorum vulgô, supra vulgus sapiens Tertullianus ; proinde salva res est. Nam quartò, quanquam ita quidem distinguit inter Rationem & Sermonem, ut Rationem Sermone priorem, & Deum non sermonalem à principio, sed rationalem statuat ; continuò tamen se quasi corrigit, & tantum non fatetur, distinctionem istam inanem esse subtilitatem & meram λογομαχίαν : siquidem nihil interesse ait, sive quis dicat Sermonem fuisse in primordio apud Deum, sive Rationem. Addit verò hujus dicti hanc causam, quòd revera ipse Sermo, nempe interior, in primordio apud Deum fuit, quanquam tum demum à Deo missus fuerit, cum ex ipso exiret ad creationem universi. Itaq; generatio illa, mundi constitutionem proximè antecedens, quam tribuit Sermoni sive Filio Dei Tertullianus, non erat ejus priùs non existentis productio ; sed tantùm ipsius missio, sive emissio ex Deo ad producendas creaturas.

§. 7. Quintò, expressè dicit Tertullianus Sermonem *ex Ratione consistere*, & Sermonis *substantiam* esse *Rationem*, nempe illam, quæ, ut dixi, ex rationali Dei potentia æternùm progenita est. Per substantiam autem Sermonis intellexisse Tertullianum ipsam Sermonis hypostasin sive personam, infrà evidentissimè demonstrabimus. Erat ergo Sermo Dei, substantia sive hypostasis, ab æterno in Deo subsistens. Atqui, inquies, quomodo igitur dicit Tertullianus, Rationem, ut Sermonis substantiam, ipso priorem fuisse ? An persona fuit Sermo, priusquam Sermo fuerit? Imò certè, ex mente Tertulliani ; hoc ipsum Tertullianus omnino voluit : erat Sermo in substantia sive hypostasi sua, priusquam Sermo factus fuerit, hoc est, antequam cum voce & sono ex Deo processerit ad constituendum hanc rerum universitatem. Sextò, haud minùs clarè docet Tertullianus, Sermonem, etiam ante missionem illam suam & processionem ex Deo Patre, extitisse apud Patrem, ut distinctam ab ipso personam. Illud quidem sequitur ex observatione nostra prima & secunda. Cum enim hac ratione probat Tertullianus, Deum Patrem ante constitutionem mundi solum non fuisse, quia etiam tum secum habuit τὸν λόγον· manifestè significat, λόγον illum etiam tum alium fuisse, etsi non aliud, à Deo Patre, cujus λόγος erat. Nam is tantùm propriè solus non esse dicitur, cui adsit alius. Et si per omnem illam æternitatem, ut ita dicam, quæ rerum creationem antecessit, Deus erat μονοπρόσωπος, neque in divina essentia alius atq; alius fuit ; sane solus dicendus est tum fuisse Deus omnino, non modò extrinsecus, quia aliud non erat extra ipsum, quod concedit Tertullianus ; sed etiam intrinsecus, quia alius non erat in ipso, quod idem Tertullianus districtè negat. Sed non opus est ut consequentiis agamus. Nam mox Tertullianus expressè docet, Sermonem ante mundi constitutionem, adeoque ante missionem suam, alium fuisse à Deo Patre, cujus Sermo erat. Quod explicat similitudine ductâ ab homine,

Dei

Dei imagine : qui dum cogitat, antequam ſermonem ſuum efferat & producat, eum intus habet in animo veluti conlocutorem ; idque ita ut ſermo ille videatur ab ipſo homine quodammodo alius & ſecundus. *Secundus*, inquit, *quodammodo in te eſt ſermo, per quem loqueris cogitando, & per quem cogitas loquendo ; ipſe ſermo alius eſt.* Continuò verò ſubjungit : *Quantò ergo plenius hoc agitur in Deo, cujus tu quoque imago & ſimilitudo cenſeris ?* * q. d. Id cujus umbra quædam in te homine conſpicitur, reipſa in Deo reperitur : ſermo hominis interior quaſi alius eſt ab ipſo homine ; at ſermo Dei planè prorſus & revera alius eſt à Deo Patre, cujus eſt ſermo. Quæ autem hucuſque de Sermone Dei differuerat, ea omnia ad ipſum Sermonem pertinere, quatenus is in Deo ante conditum mundum & æternùm extitit, apertè declarat Tertullianus verbis ſequentibus : *Poſſum itaque*, inquit, *non temere præſtruxiſſe, & tunc Deum ante univerſitatis conſtitutionem ſolum non fuiſſe.* His, inquam, verbis ſignificat, quæ antè dicta fuerant ab ipſo, omnia eò ſpectare, ut oſtendat, Deum in ſtatu illo, ſi ita loqui fas ſit, quô fuit aduſque Sermonis ex ipſo proceſſionem ad condendas creaturas, ſolitarium non fuiſſe ; utpote qui ſecum ex æterno habuit illum ipſum Sermonem, in ſe exiſtentem, quocum converſaretur, & quaſi colloqueretur.

§. 8. Septimò, denique perſpicuè ſignificat Tertullianus, Sermonem, qui ex æterno in nomine Rationis apud Deum extitit, & Sermonem, qui ex Deo, quando ipſe voluit, miſſus ſive emiſſus fuit, ſive proceſſit ad creationem univerſi, unum prorſus κατ' οὐσίαν eſſe & eundem Dei Sermonem : quæ hypotheſis, ut ſæpius monui, Arianæ hæreſis jugulum ipſum petit. Nam ait, quemadmodum paulò antè obſervavi, Sermonem ex *Ratione conſiſtere*, illâ ſcilicet, quæ ex rationali Dei virtute, ſive ex mente divina æternùm profluxit ; eamq; ipſam Rationem *Sermonis*, nempe illius qui aliquando cum voce ex Deo proceſſit ad conſtitutionem mundi, *ſubſtantiam* eſſe. Per ſubſtantiam verò Sermonis (quod & corpus vocat,) ſignificâſſe Tertullianum ipſam ſermonis hypoſtaſin ſive perſonam, rurſus ſpondeo, me ſuô locô clarè oſtenſurum. Sed illud ipſum, nempe Sermonem & Rationem Dei eandem eſſe perſonam, apertiſſimè dicit Tertullianus poſt ea, quæ ex capite 7. citavimus, his verbis : *Filius ex ſua perſona profitetur Patrem in nomine Sophiæ :* Dominus condidit me initium viarum in opera ſua ; ante omnes autem colles generavit me. *Nam ſi hîc quidem Sophia videtur dicere conditam ſe à Domino in opera & vias ejus ; alibi autem per Sermonem oſtenditur omnia facta eſſe, & ſine illo nihil factum ; ſicut & rurſum :* Sermone ejus cœli confirmati ſunt, & Spiritu ejus omnes vires eorum, *utique eo Spiritu qui ſermoni inerat : apparet unam eandemque vim eſſe nunc in nomine Sophiæ, nunc in appellatione Sermonis, quæ initium accepit viarum in Dei opera, & quæ cœlum confirmavit, per quam omnia facta ſunt, & ſine qua nihil factum eſt. Nec diutiùs de iſto : quaſi non de ipſo ſit ſermo, & in Sophiæ, & in Rationis, & in omni divini animi & Spiritûs nomine*, &c. Hîc, inquam, clarè docet, iis in locis Scripturæ, ubi mentio fit ſive Sophiæ, ſive Rationis, ſive Sermonis, (nam voce τῆς λόγου & *Rationem* ſignificari & *Sermonem* apud Joannem Evangeliſtam cap. 1. v. 1. antè dixerat,) ſermonem eſſe de ipſo, nempe Filio Dei : & omnibus iſtis nominibus eundem divinum animum & Spiritum Dei deſignari. Quibus gemina ſunt, quæ legas lib. de Oratione in ipſo initio : *Dei Spiritus*, inquit, *& Dei Sermo, & Dei Ratio, Sermo Rationis & Ratio Sermonis & Spiritus, utrumque Jeſus Chriſtus Dominus noſter, &c.* Ubi verba, *Sermo Rationis, & Ratio & Spiritus Sermonis*, ſignificant, Sermonem eſſe *operationem* Rationis & Spiritûs ; Rationem verò & Spiritum eſſe ipſam *ſubſtantiam* & *hypoſtaſin* illius, qui Sermo dicitur, quemadmodum infrà videbimus. Utrâque verò appellatione, nempe *Rationis* ſive *Spiritûs* Dei, & Dei *Sermonis*, eundem Dominum noſtrum deſignari diſertè affirmat. De nomine autem *Spiritûs Dei*, pro Deitate ſive ipſa divina perſona Filii Dei à Veteribus uſurpato, vide quæ diximus Sect. 1. cap. 2. n. 5.

§. 9. Atque in hiſce omnibus catholicè & orthodoxè diſſeruit Tertullianus. Idem tamen, tum in perioche ſuperiùs recitatâ, tum aliis

* Voluit Deus in honore conſpici veſtigia ſua, & ſi hominis natura retinuiſſet primam lucem, ſpeculum eſſet divinæ naturæ minùs obſcurum. Nunc in hac caligine tamen aliqua notari veſtigia poſſunt. Mens humana cogitando mox pingit imaginem rei cogitatæ ; ſed nos non transfundimus noſtram eſſentiam in illas imagines, ſuntque cogitationes illæ ſubitæ & evaneſcentes actiones. At Pater æternus ſeſe intuens, gignit cogitationem ſui, quæ eſt imago ipſius, non evaneſcens, ſed ſubſiſtens, communicatâ ipſi eſſentiâ. *Melanchth. Loc. Theol. de Filio.*

aliis in locis libri adversus Praxeam, nonnulla sparsit, quæ observationibus istis nostris repugnare omnino videantur, de quibus nunc agendum nobis est. Primò disertè docet cap. 6. Dei Sophiam, *secundam personam* tum conditam fuisse, cum agitari in Deo cœperit, deinde ex Deo cum voce processerit ad condendum universa. Respondeo : ὁ λόγος dicitur à Tertulliano per processionem secundus a Patre factus, non quasi non antea, adeoque ab æterno, distincta in divina essentia à Patre hypostasis substiterit ; (nam huic commento reclamant, quæcunque hactenus disseruimus,) sed quia à processione ista distincta ejus, ut ita dicam, *personalitas* manifestata fuerit. Quippe verissima sunt, quæ ad locum Geneseos, *Dixit Deus, fiat lux*, adnotavit doctissimus Andreas Rivetus Exercitatione tertia in Genesin, prope finem : *Quemadmodum enim*, inquit, *missio visibilis Filii in tempore, arguit missionem ab æterno factam per generationem : sic locutio Patris in tempore, id est, manifestatio per effectum, arguit Verbum ab æterno genitum. Illud ergo* dicere *in tempore, non est Filium generare, sed per Filium à Patre genitum ab æterno, res non existentes producere, secundum declarationem Scripturæ, quæ Sapientiæ increatæ & æterno Verbo tribuit omnium quæ facta sunt productionem, Prov. 8. v. 22. & 23. Joan. 1. v. 1. quibus in locis Verbi illius asseritur æternitas. Ergo Filius Dei ab æterno fuit Verbum, non quòd ab æterno per illud loquutus sit Deus, sed quia semper aptum fuit ut per illud Pater loqueretur, & quæ vellet fieri juberet.* Ita sane se alibi explicat Tertullianus in hoc ipso libro cap. 12. *Sed*, inquit, *in antecedentibus operibus mundi quomodo scriptum est ? Primùm quidem nondum Filio apparente, & dixit Deus*, Fiat lux, *& facta est, ipse statim Sermo lux vera, quæ illuminat hominem venientem in hunc mundum, & per illum mundialis quoque lux. Exinde autem in Sermone Christo assistente & administrante Deus voluit fieri, & Deus fecit.* Ubi (N. B.) non dicit Filio *nondum existente*, sed *nondum apparente*. Cum verò ibidem ait, ipsum Sermonem tum factum fuisse, cum dixit Deus, *fiat lux*, intellige, quà Sermo fuit, hoc est, quatenus ex Patre cum voce, ut arbitratus est Tertullianus, processit. Nisi enim ita Tertullianum interpreteris, nimis absurdam illi sententiam, & alibi ab ipso dictis omnino repugnantem affinxeris. Non enim dixit Deus, *fiat lux*, antequam rudem illam rerum & indigestam molem condidisset. Primò fecit primam omnium materiam ; deinde dixit: *Fiat lux.* Itaque si Sermo tum demum revera factus fuit, hoc est, in substantia & hypostasi sua existere cœpit, cum Deus dixit : *Fiat lux* ; fuit primâ illâ materiâ junior ac posterior : quod tamen ubique, etiam in ipso contra Hermogenem libro, districtè negavit Tertullianus. Res notior est, quàm ut ipsa loca allegem. Atqui, inquies, quomodo tum demum Filium Dei apparuisse ait Tertullianus, cum dixit Deus : *Fiat lux ?* Respondeo : Quanquam difficile admodum sit omnia obscuri hujus & verè (quod Heracliti olim cognomentum fuit,) σκοτεινοῦ Auctoris liquidò explicare ; libet tamen hîc conjecturam aliquam nostram Lectori proponere. Filius Dei, quatenus est æterna Dei ratio & æterna Sophia, tunc imprimis apparere cœpit, quando materiem adhuc inconditam, & in mole confusa jacentem, sapienter & cum ratione disponere, ordinare, atque exornare aggressus fuit. Ex miscellanea ista rerum congerie, quæ Chaos dicitur, nondum eluxerat Dei Sophia & Sapientia ; quæ deinceps primigeniâ luce (tanquam imagine quadam Filii Dei, qui est æternæ lucis splendor,) materiam illustrante, & postmodum singulis rebus specie & quasi ornatu suo vestitis, clarissimè emicuit. Ita sane ipsum Geneseos locum interpretatur Rivetus ille, quem paulò antè commemoravi, in ipso fine dictæ Exercitationis. Nam ad quæstionem, cur tum primùm, cum de luce agit, Deum inducat loquentem Moses, quamvis in massa illa creanda Verbum æternum cum Patre sit operatum ? respondet: *De Verbo Mosen tum mentionem fecisse, quia in rerum distinctione maximè conspicua sit ejus sapientia.* Hinc Veterum nonnulli, ut suprà declaravimus, Deo Patri materiæ ex nihilo creationem ; Filio ejusdem exornationem propriè addixerunt : fatentes interim Patrem per Filium ipsam primam materiam condidisse, & cum Filio materiam ordinâsse & exornâsse. Hinc etiam ab Athenagora περίλυσις τοῦ λόγου, ob quam Dei πρῶτον γέννημα appellatur, materiæ productione posterior statuitur : utpote ob cujus exornationem ὁ λόγος ex Deo περιλθεῖν dicitur. Idem tamen Athenagoras & materiam à Deo factam, & facta esse omnia διὰ τοῦ λόγου confitetur. Vide hujus Sectionis cap. 5. n. 2. Utut verò hæc sint, constat Tertullianum sensisse, τὸν λόγον in essentia substitisse divina, ut distinctam à Patre hypostasin, atque à Patre alium, etiam ante processionem ex Patre suam ad creaturas producendas, adeoque ab æterno : constat illud, inquam, non modò ex observationibus, quas suprà Lectori exhibuimus, sed & disertissimo ipsius Tertulliani testimonio, quod legere est ejusdem libri cap. 13. *Ipsum*, inquit, *plus est, quod in Evangelio totidem invenies :*

Vide Sectionem 2. cap. 13. n. 10.

venies : In principio erat Sermo, & Sermo erat apud Deum, & Deus erat Sermo. *Unus, qui erat, & alius, apud quem erat.* Certô certius est, Tertullianum verba illa Joannis, *In principio erat Sermo, & Sermo erat apud Deum*, accepisse, ut debuit, de statu illo Sermonis, in quo fuit ante suam ex Deo processionem, adeoque ab æterno. Ita scilicet se explicantem Tertullianum suprà audivimus. Clariùs verò adhuc, si fieri id potest, sententiam suam de illo Joannis loco aperit cap. 8. *Sermo ergo*, inquit, *& in Patre semper, sicut dicit :* Ego in Patre ; *& apud Deum semper, sicut scriptum est :* Et Sermo erat apud Deum. Jam ex horum locorum collatione manifestum est, Tertullianum credidisse, Sermonem, quatenus apud Patrem semper fuit, alium à Patre fuisse. *Apud Deum*, inquit, *semper erat Sermo : unus* autem, inquit idem, *qui erat ; alius, apud quem erat :* unus verò & alius, inquam ego, duos efficiunt : unde secundum à Patre fuisse, ex mente Tertulliani, ἢ λόγον semper & ab æterno, efficitur. Ad eundem planè modum Novatianus, sive Auctor libri de Trinitate inter Tertulliani opera, Tertulliani certè æmulus, exponendus est. Apertè docet ille cap. 31. Verbum in Patre ita semper fuisse, ut Pater semper fuerit Pater, & contrariam assertionem pro grandi absurditate habet. Unde sequitur necessariò, Filium semper fuisse Filium, siquidem uno relatorum posito, ponitur & alterum. Filium autem & Patrem certum est duas personas constituere. Idem tamen mox in eodem Capite de processione Filii ad condendum universa locutus, hæc subjicit : *Deus utique procedens ex Deo, secundam personam efficiens.* Equidem post ea, quæ de Tertulliano diximus, Oedipô non opus est interprete, ut hæc Novatiani rectè intelligamus. Sed istud obiter. Ad reliqua Tertulliani paradoxa explicandum pergo.

§. 10. Illud deinde in Tertulliano reprehendi posse videtur, quòd processionem illam τοῦ λόγου ex Patre, ejusdem fuisse separationem quandam à Patre statuat. Nam cap. 6. libri adv. Prax. postquam de agitatione illa Sophiæ intra ipsum Deum, de qua superiùs dixi, egerat, illi applicans verba Sapientiæ apud Solomonem : *Dominus creavit me initium viarum in opera sua* ; mox hæc subjungit : *Et hinc adsistentem eam ipsa separatione cognosce :* Cum pararet, *inquit*, cœlum, aderam illi simul, &c. Concepisse mente suâ videtur Tertullianus Filii, priùs in Patre & intra ipsum veluti inclusi, secretionem quandam & separationem à Patre, qualis est fœtus ab utero materno. Sed antiquum hîc obtinet. Cum Praxea agit, qui Filium à Patre personâ distinctum esse negabat : adversus quem, ut personarum distinctionem assereret, separationem earundem inducere videtur. Num verò credidit Tertullianus, Filium à Patre unquam revera separatum fuisse? Minimè gentium. Plurimis in locis hujus libri contrarium disertè docet. Sic, ut alia omittam, cap. 8. contra Valentinianos differens : *Filius*, inquit, *in Patre semper, & nunquam separatus à Patre.* Et mox ibidem : *Hæc erit probola veritatis, quâ prolatum dicimus Filium à Patre, non separatum.* Ut verbô dicam, Filius Dei, juxta Tertullianum, in substantia & hypostasi sua æternùm fuit, est, eritque in Deo Patre suo : idem tamen, quando Pater voluit, ex ipso quasi exivit & egressus est, scilicet κατ' ἐνέργειαν· (quam ejus egressionem tanquam separationem quandam imaginatus est Tertullianus :) hoc est, vim & virtutem suam omni potentem ad extra, ut Schola loquitur, exeruit in rerum creatione. Ita alibi se explicat Tertullianus, ubi ait, Spiritum illum Dei, qui in Deo æternùm est, *substantiam* esse Sermonis ; ipsum verò Sermonem, nempe quà Sermo est, tantummodo *operationem* esse illius Spiritûs : quem locum infrà commodiori locô adducemus.

§. 11. Verùm, inquies, quid faciendum cum verbis illis Tertulliani, quibus disertè docet, Sermonem tum, cum ex Deo processerit ad condendas creaturas, *speciem & ornatum suum sumpsisse ?* Respondeo, Tertullianum ibi quidem absurdè satis locutum fuisse ; attamen, si mentem & sententiam ejus attendas, absque hæresis suspicione. Nam continuò declarat, se per speciem & ornatum Sermonis nihil aliud intellexisse, quàm sonum & vocem. *Tunc igitur*, inquit, *etiam ipse Sermo speciem & ornatum suum sumit*, SONUM & VOCEM, *cum dicit Deus : Fiat lux.* Egregiam verò Sermonis speciem, ornatum egregium ! Sed ita nimirum visum est Viro magno, in augustissimo omnium mysterio quasi ludere, & nugas sectari. Interim non dicit, ut de rebus creatis, Sermonem tum substantiam suam sumpsisse ; utpote qui nomine Sermonis non ipsam substantiam sive hypostasin Filii Dei, sed tantummodo ipsius operationem designari, omnino sensit, quemadmodum infrà ostendetur. Neque potuit quidem credere Tertullianus, ut paulò antè notavimus, Filium Dei tum substantiam & hypostasin suam sumpsisse, cum dixit Deus, *Fiat lux :* siquidem non dixit Deus, *Fiat lux*, antequam primam rerum materiam condidisset ;

ſet ; & notiſſima eſt Tertulliani ſententia, hypoſtaſin ſermonis, ſive Filii Dei, ipsâ primâ materiâ antiquiorem eſſe, adeoque materiam per Filium fuiſſe conditam. Similiter quando proceſſionem illam Sermonis dicit Tertullianus ejus *perfectam nativitatem*, intellige, quà Sermo fuit. Perfectus Dei Spiritus, perfecta Dei Ratio fuit ab æterno : ſed tum demum perfectus Dei Sermo factus eſt, quando, ut ſenſit Tertullianus, cum voce & ſono ex Patre proceſſit ad conſtitutionem univerſi. Equidem potuitne æternæ Dei Rationi quicquam veræ & intrinſecæ, ut ita dicam, perfectionis accedere ? Minimè certè. Nam, ut inquit Tertullianus cap. 6. in ipſo initio, *Quid ſapientius Ratione Dei ?* Dixerim ego quoque : Quid Dei æterna Ratione perfectius eſſe poteſt ?

§. 12. Ad verba illa Tertulliani quod attinet : *de quo procedendo Filius factus eſt* ; ad eundem prorſus modum exponenda ſunt, quô dicta ipſius de Filii diſtincta perſonalitate paulò antè explicavimus. Scilicet proceſſio illa ἀπὸ τοῦ λόγου ex Deo Patre cum voce *Fiat* ad condendas creaturas, manifeſtatio fuit æternæ ipſius filiationis & proceſſionis ex mente divina. Quà is æterna Dei Ratio fuit, ex Deo fuit, & æternæ mentis coæterna progenies : & cum per hanc proceſſionem ex mente divina, fatente Tertulliano, ſubſtantiam ſuam acceperit ; ſequitur æternam illam ejus proceſſionem propriè dictam fuiſſe ipſius generationem, ſive productionem : alteram verò proceſſionem tantummodo prioris, ut dixi, manifeſtationem fuiſſe. Non hîc longè quæſitas & coactas interpretationes, ſed ipſos Tertulliani ſenſus genuinos proferimus. Quippe ipſius Tertulliani eſt axioma illud, quod alibi adduximus : *Omnis origo parens eſt, & omne quod ex origine profertur, filius eſt.* Certum autem eſt, ex mente Tertulliani, Sermonem, quatenus æterna Dei Ratio eſt, originem ſuam ſecundum ſubſtantiam ex Deo habuiſſe : fuit ergo, quà eſt Dei Ratio, progenies Dei, ut & parens ipſius Deus. Hinc idem Tertullianus cap. 15. ejuſdem libri dicit, *Deum ex Deo* fuiſſe Sermonem, quatenus in primordio apud Deum (hoc eſt, ſemper, ipſo Tertulliano, ut vidimus, alibi interprete,) fuit : *Sermo*, inquit, *vitæ caro factus, qui ante carnem Sermo tantùm. In primordio apud Deum Patrem, non Pater apud Sermonem. Nam etſi Deus Sermo, ſed apud Deum, quia ex Deo Deus, quia cum Patre apud Patrem.* Ubi etiam Sermonem, quatenus ſemper apud Deum fuit, Deum ex Deo fuiſſe inde colligit, quòd dicitur à Joanne Sermo apud Deum Patrem fuiſſe, non Pater apud Sermonem. Et optimè quidem argumentatur ; ſiquidem verba illa, *& Sermo erat apud Deum*, non obſcurè indicant, Sermonem ſemper & cum Deo & in Deo Patre, ut auctore ipſius ac principio, ſubſtitiſſe. Idem rurſus cap. 21. ejuſdem libri ad eadem Joannis verba ita differit : *Nam ſi hæc non aliter accipi licet, quàm quomodo ſcripta ſunt, indubitanter alius oſtenditur, qui fuerit à principio, alius apud quem fuit ; alium Sermonem Dei, alium Dominum :* (puto legendum *Deum :*) *licet & Deus Sermo, ſed quà Dei Filius, non quà Pater.* Hìc Sermonem Dei in principio apud Deum, & Deum fuiſſe, à Joanne dici manifeſtè oſtendit, quà ipſe, ut Filius, à Patre diſtinguitur. At verba illa Joannis, *Sermo erat apud Deum, & Deus erat Sermo*, de ſtatu illo Sermonis, in quo fuit ab æterno aduſque ſuam ex Patre proceſſionem ad conſtituendum rerum univerſitatem, intelligenda eſſe, ipſe Tertullianus, ut ſuprà oſtendimus, apertè confeſſus eſt. Hinc in eodem capite, paucis interjectis, diſertis verbis dicit, Sermonem, Dei Filium, ſemper fuiſſe : *Certè*, inquit, *Filius Dei ſemper ; ſed non ipſe cujus eſt filius.*

§. 13. Ut hæc omnia clariùs eluceſcant, diligentiſſimè obſervandum eſt, duo in Filio ſive Sermone Dei conſiderâſſe Tertullianum ; nempe ipſam ejus ſubſtantiam ſive hypoſtaſin, quam & corpus vocat ; & ipſius quaſi τὸ accidentale. Ipſam ſubſtantiam ſive hypoſtaſin Sermonis & Filii Dei ſtatuit *Dei Rationem* & *Dei Spiritum* ; ejuſdem verò tanquam accidens quiddam imaginatur externam illam prolationem, quâ cum voce & ſono ex Patre progreſſus fuerit ad exornandum univerſa, & propter quam Sermo Dei maximè propriè dictus eſt. Ac ſubſtantiam quidem & hypoſtaſin Sermonis, quà eſt Dei Ratio & Spiritus, æternam eſſe ultro fatetur ; quanquam Dei Sermonem ab aliquo initio factum fuiſſe ipſum affirmet. Verba ejus clara ſunt in capite 8. ubi citato loco Scripturæ, *Quis enim ſcit quæ ſunt in Deo, niſi Spiritus qui in ipſo eſt ?* hæc continuò ſubjungit : *Sermo autem Spiritu ſtructus eſt, &, ut ita dicam, Sermonis corpus eſt Spiritus. Sermo ergo & in Patre ſemper, ſicut dicit : Ego in Patre ; & apud Deum ſemper, ſicut ſcriptum eſt : Et Sermo erat apud Deum.* Ubi ex his duabus hypotheſibus, nempe Sermonis corpus eſſe Spiritum Dei, qui in Deo eſt, & Spiritum illum Dei in Deo ſemper & æternùm fuiſſe, (quarum poſteriorem licet non exprimat, manifeſtè tamen intelligit,) infert, Sermonem ſemper apud Deum fuiſſe : idque contra Valentinianos, uti mox videbimus, qui

Vide hujus Sect. c. 5. n. 8.

qui æternitatem Sermonis negabant. Spiritum autem Dei, quem hîc *corpus* Sermonis dicit, alibi *ſubſtantiam* Sermonis appellat, nempe in Apologet. cap. 21. *Nos*, inquit, *Sermoni atque Rationi, itemque Virtuti, per quem omnia molitum Deum edidimus, propriam ſubſtantiam Spiritum inſcribimus.* Per corpus verò & ſubſtantiam Sermonis intellexiſſe Tertullianum ipſam Sermonis hypoſtaſin ſive perſonam, evidentiſſimum ex expreſſis ejus verbis, locum allatum paulò antecedentibus l. adv. Prax. cap. 7. in ipſo fine: *Quis enim*, inquit, *negabit Deum corpus eſſe, etſi Deus Spiritus eſt? Spiritus enim corpus ſui generis in ſua effigie. Sed & viſibilia illa, quæcunque ſunt, habent apud Deum & ſuam formam, per quæ ſoli Deo viſibilia ſunt. Quanto magis quod ex ipſius ſubſtantia miſſum eſt, ſine ſubſtantia non erit? Quæcunque ergo ſubſtantia Sermonis fuit,* ILLAM DICO PERSONAM, *& illi nomen Filii vindico; & dum Filium agnoſco, ſecundum à Patre defendo.* Hîc per *corpus* intelligit Tertullianus ſubſtantiam ſolidam & per ſe ſubſiſtentem, ut ab iis accidentibus maximè differat, quæ fugacia ſunt, & continuô fluxu & ſucceſſione tranſeunt, quemadmodum rectè obſervavit ipſe Petavius. Sic in libro contra Hermog. cap. 25. non concedit Tertullianus eſſe aliquid incorporale; *cum ipſa ſubſtantia corpus ſit rei cujuſque.* Ex his verò certò cognoſcas, quô ſenſu Tertullianus Dei Rationem, quæ ſemper apud Deum fuit, utpote ex mente divina æternùm nata, ſuprà dixerit Sermonis *ſubſtantiam*. Scilicet per ſubſtantiam Sermonis, omnino intellexit Tertullianus (ipſo ſeſe interpretante,) Sermonis hypoſtaſin ſive perſonam. Itaque apertiſſimè falſum eſt, quod Petavius fidenter affirmat, nempe Tertullianum ſenſiſſe, Deum Patrem *tum ex ſeſe protuliſſe ac veluti corporâſſe Sermonem, hoc eſt, propriam illi ſubſtantiam ac perſonam attribuiſſe, quando res omnes creatas è nihilo fabricatus eſt, ad idque Sermone eſt uſus.* Miror, quibus perſpicillis in Tertulliano legendo uſus ſit Jeſuita. Sane prorſus contrarium diſertè docet Tertullianus, nempe corpus, ſubſtantiam & hypoſtaſin ipſam Sermonis eſſe æternam illam Dei Rationem, æternum Dei ſpiritum; cui aliquando Sermonis appellatio acceſſerit: nempe tum, quando divina ipſa hypoſtaſis cum voce proceſſit ex Deo ad conſtitutionem univerſi.

p. 36.

De Trinitate l. 1. c. 5. n. 3.

§. 14. Cæterum ut in loco citato ex libro adv. Prax. cap. 8. illum Dei Spiritum, qui eſt corpus & hypoſtaſis Sermonis, æternùm apud Deum fuiſſe aſſerit Tertullianus; ita alibi ipſum Dei Spiritum diſtinctam eſſe hypoſtaſin à Deo, cujus eſt Spiritus, idque quatenus eſt Dei Spiritus, idem docet apertiſſimè, nempe cap. 26. ejuſdem libri, ubi monet, unam & eandem Filii perſonam ſub duplici conſideratione ſpectari poſſe; quatenus Dei Spiritus eſt, ſive perſona divina ex Deo, qui eſt Spiritus, ab æterno habens originem, & in Deo ſubſiſtens; & quatenus Sermo eſt: & Sermonem nihil aliud eſſe quàm operationem illius Spiritûs; Spiritum verò ipſum, ſubſtantiam & hypoſtaſin Sermonis eſſe diſertè dicit. Nam locum Lucæ cap. 1. ubi mentio ſit Spiritûs Dei in beatiſſimam Virginem ſupervenientis, de Filio Dei (poſt Juſtinum & Veteres alios,) exponens, ita ſcribit: *Hic Spiritus Dei idem erit Sermo. Sicut enim, Joanne dicente, Sermo caro factus eſt, Spiritum quoque intelligimus in nomine Sermonis; ita & hîc Sermonem quoque agnoſcimus in nomine Spiritûs. Nam & Spiritus ſubſtantia eſt Sermonis, & Sermo operatio Spiritûs, & duo unum ſunt.* Ubi cum dicit Spiritum eſſe ſubſtantiam Sermonis, & Sermonem eſſe operationem Spiritus, & ambo unum, ſenſus manifeſtus eſt ex prædictis, Sermonem nihil aliud eſſe quàm æternum illum Spiritum Dei, quatenus ſpectatur ut ex Deo progrediens cum ſono ac voce ad lucem primigeniam & cætera mundi opera faciendum: hoc eſt, eandem perſonam & in Spiritûs & in Sermonis nomine intelligi, cum hoc tantùm diſcrimine, quòd Spiritus Dei dicatur, quatenus divina *perſona* eſt, in Deo Spiritu & ex ipſo æternùm ſubſiſtens; Sermo verò, quatenus eſt Spiritus *operans*, ſive quatenus ex Deo, quando ipſe voluit, cum voce & ſono (ita nempe ſenſit Tertullianus,) prodiit ad conſtituendum hanc rerum univerſitatem. Sermonem autem Dei, quatenus eſt Dei Spiritus, perſonam eſſe à Deo, cujus eſt Spiritus, diſtinctam, diſertè affirmat ibidem mox poſt verba à nobis allata: *Sicut ergo*, inquit, *Sermo Dei non eſt ipſe, cujus eſt, ita nec Spiritus, etſi Deus dictus eſt, non tamen ipſe eſt, cujus eſt dictus. Nulla res alicujus, ipſa eſt, cujus eſt. Planè cum quid ex ipſo eſt, & ſic ejus eſt dum ex ipſo ſit, poteſt tale quid eſſe, quale & ipſe ex quo eſt, & cujus eſt. Et ideo Spiritus Deus, & Sermo Deus, quia ex Deo, non tamen ipſe ex quo eſt. Quod Deus Dei tanquam ſubſtantiva res, non erit ipſe Deus; ſed hactenus Deus, quia ex ipſius Dei ſubſtantia, quæ & ſubſtantiva res eſt, & ut portio aliqua totius.* Hîc, inquam, clarè docet Tertullianus, Spiritum Dei eſſe *rem ſubſtantivam*, hoc eſt τὸ ὑφιστάμενον· quin & Spiritum Dei, cum talis ſit, qualis eſt Deus Pater, cujus Spiritus eſt, id eſt, ejuſdem cum ipſo ſubſtantiæ, perſonâ tamen à Patre

Patre distinctum esse. Notanda autem est distinctio in verbis illis : *Sicut ergo Sermo Dei non est ipse, cujus est, ita nec Spiritus.* Nam hoc tantundem est, ac si dixisset Tertullianus : Is qui Filius Dei dicitur, alius est à Deo Patre, non modò quà Sermo, sed & quà Spiritus Dei est, qualis fuit, antequam Sermo factus est, adeoque ab æterno. Quo autem sensu dixerit Tertullianus Dei Filium, Spiritum, & Sermonem *portionem totius*, nempe essentiæ divinæ, suprà explicavimus ad Sectionem secundam cap. 7. n. 5. Cæterum quæ de duplici consideratione Filii Dei, nempe quà *Spiritus* & *Ratio* Dei est, & quà Dei *Sermo* est, disseruit Tertullianus, ita attendat Lector, ut genuinam obscuri illius Doctoris mentem ac sententiam cupit liquidò cognoscere. Nam ex hac distinctione sedulò observatâ facilè percipiet sensum dictorum Tertulliani plurimorum, quæ alioqui certam ipsi crucem allatura sint.

§. 15. Ut quod res est dicam, cum Valentinianis hîc & reliquo Gnosticorum grege aliquatenus locutus est Tertullianus ; in re ipsa tamen cum Catholicis omnino sensit. Non mihi hoc credat Lector, sed ipsi Tertulliano, qui cap. 8. libri adv. Prax. & Valentinianorum de τῷ λόγῳ deliria repudiat, & orthodoxam doctrinam adserit his verbis disertis : " Hôc si qui, *inquit*, putaverit me προ-
" βολὴν aliquam introducere, id est prola-
" tionem rei alterius ex altera, quod fecit
" Valentinus, alium atque alium Æonem de
" Æone producens ; primò quidem dicam
" tibi : non ideo non utatur & veritas voca-
" bulo isto, & re ac censu ejus, quia & hæ-
" resis utitur ? imò hæresis potiùs ex veri-
" tate accepit, quod ad mendacium suum
" strueret. Prolatus est Sermo Dei, annon?
" Hîc mecum gradum fige. Si prolatus est,
" cognosce probolen veritatis ; & viderit hæ-
" resis, si quid de veritate imitata est. Jam
" nunc quæritur, quis quomodo utatur ali-
" qua re, & vocabulô ejus. Valentinus
" probolas suas discernit & separat ab au-
" ctore, & ita longè ab eo ponit, ut Æon Pa-
" trem nesciat : denique desiderat nôsse,
" nec potest : imò & penè devoratur & dis-
" solvitur in reliquam substantiam. Apud
" nos autem solus Filius Patrem novit, &
" & sinum Patris ipse exposuit, & omnia a-
" pud Patrem audivit & vidit, & quæ man-
" datus est à Patre, ea & loquitur. Nec
" suam, sed Patris perfecit voluntatem,
" quam de proximo, imò de initio noverat.
" Quis enim scit quæ sint in Deo, nisi Spi-
" ritus qui in ipso est ? Sermo autem Spiri-
" tu structus est, & ut ita dixerim, Sermo-
" nis corpus est Spiritus. Sermo ergo &
" in Patre semper, sicut dicit : Ego in Pa-
" tre ; & apud Deum semper, sicut scriptum
" est : Et Sermo erat apud Deum. Et nun-
" quam separatus à Patre, aut alius à Patre ;
" quia, Ego & Pater unum sumus. " Senserat homo cautus, quæ in superioribus disseruerat, de vocali prolatione τῷ λόγῳ, haud communem fuisse Catholicorum sententiam ; quin & hoc ipsum, ut dictum est, ibidem penè confessus est ipse. Præviderat fore, qui istam ipsius disputationem, tanquam heterodoxam & à Valentinianorum fabulis non abludentem, repudiaturi essent ; ideoque hac defensione utitur. Ac sane vix ovum ovo similius videtur, quàm dictum Tertulliani, *Deus Sermonalis non fuit à principio*, simile est Valentini deliramento asserentis, Sigen sive silentium in principio fuisse apud Deum ; postmodum verò quasi erupisse τὸν λόγον, sonum & vocem Dei. Unde Irenæus, omnium (ipso Tertulliano fatente,) doctrinarum curiosissimus explorator, Verbi Dei prolationem similem esse prolationi verbi humani per linguam factæ, tanquam meram Valentini fabulam, omnino rejicit, lib. 2. cap. 48. Sed nimirum error Valentinianorum, de prolatione Verbi Dei vocali & sonante, eam habuit veri speciem, (utpote cui tum ipsa vocis τῦ λόγυ, in Scripturis Filio Dei tributæ, proprietas, tum imprimis locus ille Geneseos cap. 1. v. 3. favere videretur,) ut permirum non sit, quosdam ipsum Valentinianis facilè concessisse, adeoque amplexos fuisse ipsos ; qui interim in substantia dogmatis de Filio Dei, à Catholicæ traditionis semita abduci se ab ipsis, haud ita facilè paterentur. Horum ex numero planè censeo Tertullianum fuisse.

§. 16. Nam is certè in loco citato palam profitetur, se in summâ rei à Valentini hæreticis figmentis toto animo abhorruisse. Hoc ut ostendat, Valentinianorum sententiam exponit, suamque ipsi opponit. Valentiniani longiùs ponebant ac separabant plerosque suos Æonas, ac speciatim τὸν λόγον, à summo omnium Parente, tum naturâ, tum cognitione, tum denique ævô. Primò, naturâ. Nam ex omnibus Æonibus à Bytho & Sige progenitis, solum Nun Æonem esse perfectum statuebant. Dicebant enim, teste Irenæo lib. 1. cap. 1. prope initium, Sigen susceptо semine prægnantem effectam, peperisse Nun ὅμοιόν τε καὶ ἴσον τῷ προβάλλοντι, καὶ μόνον χωροῦντα τὸ μέγεθος τοῦ πατρός· *Parenti suo similem & æqualem, & solum capientem magnitudinem Patris.* Ad τὸν λόγον verò quod attinet, quem Nu posteriorem, & tertium

tertium ordinem, ut Irenæus loquitur, generationis faciebant, Æonem ipsum imperfectum, quin & cœcum esse disertè affirmabant. Hoc enim idem Irenæus testatur lib. 2. cap. 24. *A recta ratione*, inquit, *cœcutientes circa veritatem, in tantum uti eum qui est à Nû Propatoris ipsorum emissus Sermo, in deminorationem eum emissum dicant. Nun enim perfectum, à perfecto Bytho progeneratum, jam non potuisse eam, quæ ex eo est, emissionem facere perfectam, sed obcœcatam circa agnitionem & magnitudinem Patris; & Salvatorem symbolum mysterii hujus ostendisse in eo qui à nativitate cœcus fuit.* Et mox ibidem: *Quemadmodum, ô vanissimi Sophistæ, Nus Patris, imò etiam ipse Pater, cum sit Nus & perfectus in omnibus, imperfectum & cœcum Æonem emisit suum Logon, cum possit statim & agnitionem Patris cum eo emittere?* Secundò, & cognitione etiam consequenter plerosque suos Æonas à summo omnium Parente distare asserebant Valentiniani. Quippe docebant, unumquemque Æonem tantummodo immediatum Parentem suum noviisse, ac proinde summum omnium Parentem solum Nun, utpote solum ex ipso immediatè progenitum, cognitione assequi posse. Ita enim Irenæus citato capite: *Dicunt*, inquit, *quoniam emissi sunt unusquisque illorum [Æonum]: & illum tantùm cognovisse, qui se emisit, ignorans autem eum qui ante illum est.* De ignorantia autem τοῦ λόγου speciatim quid docuerint Hæretici, jam ostendimus. Tertiò, denique penè omnes suos Æonas & ævô separabant a summo Deo Valentiniani. Quippe primam solam Syzygiam, Bythi nempe & Siges, æternam statuebant. Ipsi Nu sive Monogeni, quem τοῦ λόγου Patrem dixerunt, initium tribuerunt, in hôc secuti progenitores suos, Nicolaitas nempe & Cerinthianos, ut ex Irenæo suprà ostendimus. Jam hæc omnia, cum Irenæo & Catholicis omnibus, tanquam hæretica rejicit Tertullianus quoque, & in singulis capitibus doctrinam suam de prolatione τοῦ λόγου Valentinianorum figmentis planè contrariam esse ostendit. Nos, inquit, asserimus, 1. Sermonem sive Filium Dei naturâ & substantiâ non alium esse a Patre, sed unum cum ipso: 2. quod ad cognitionem attinet, Filium in sinu Patris esse, ac proinde solum de proximo noviisse Patrem, sinumque ejus exposuisse: 3. denique, quod ævum spectat, Sermonem illum in hypostasi sua semper apud Deum Patrem fuisse; siquidem corpus, substantia & hypostasis ipsa Sermonis est Spiritus ille Dei, qui in Deo & ab ipso æternùm subsistit; qui aliquando ex Deo processit cum voce *fiat* ad condendas creaturas, proptereaque Sermo Dei dictus est. Nimirum Valentiniani statuebant, τὸν λόγον voce & sono ita prolatum fuisse, ut ante prolationem istam κατ' ἐκφώνησιν, si quando ἐκφώνησις unquam fuit, omnino non fuerit. Contrà docet Tertullianus, Sermonem habere suum corpus sive substantiam & hypostasin, eamque æternam: nempe Spiritum illum Dei, qui in Deo est, semperque fuit. Quis verò per se non animadvertat, has Tertulliani propositiones veluti totidem antitheses, Arii blasphemiis perinde atque Valentini oppositas? Hæc tria scilicet, τὸν λόγον sive Filium Dei à Patris natura & substantia alienum esse; proinde Patrem non posse perfectè cognoscere; denique apud Patrem non semper fuisse ac substitisse; hæc, inquam, primaria sunt hæresis Arianæ capita: quæ omnia cum Ecclesia Catholica Tertullianus expressè hîc in Valentinianis damnavit. Itaq; desinant in posterum Ariomanitæ de Tertulliano, ut de patrono suo, gloriari.

§. 17. Porro allatis testimoniis, sanè luculentissimis duo præterea adjiciemus, quibus & huic disceptationi (prolixæ quidem, sed perquam necessariæ) de Tertulliani fide ac sententia, finem tandem imposituri sumus. Alterum extat ejusdem libri adv. Prax. cap. 27. *Cæterum*, inquit, *Deum immutabilem & informabilem credi necesse est, ut æternum. Transfiguratio autem interemptio est pristini. Omne enim quodcunque transfiguratur in aliud, desinit esse quod fuerat, & incipit esse quod non erat. Deus autem neque desinit esse, neq; aliud potest esse. Sermo autem Deus.* Expressè hîc docet Tertullianus, Sermonem Dei, quà ipse Deus est, prorsus immutabilem esse & æternum, qui neque desiit esse quod erat, neque unquam incepit esse quod non erat. Sane autem si Filius Dei ex prærogativa (ut phrasi utar Tertullianica,) immutabilitatis atque æternitatis suæ, qua Deus est, nunquam incipere potuit esse quod non erat; multò minùs potuit incipere esse *simpliciter*, cum priùs omnino non fuisset. Præterea si quis vim hujus testimonii eludere conetur dicendo, ejusmodi æternitatem hìc intelligi, quâ res existentiæ initium cum habeat, fine tamen caret, facilè hinc refelli potest. De ejusmodi æternitate disertè loquitur Tertullianus, quæ necessarium est attributum naturæ divinæ, quà talis, sive quæ Deo, ut Deo, necessariò tribuenda est: & hanc æternitatem Sermoni, quia ipse Deus est, addicit. *Deum*, inquit, *immutabilem credi necesse est, ut æternum* ——— *Sermo autem Deus.* At Dei æternitas omnimoda est & absoluta, qualem describit Tertullianus

nus lib. adv. Hermog. cap. 4. *Quis enim*, inquit, *alius Dei census, quam æternitas? Quis alius æternitatis status quam semper fuisse & futurum esse, ex prærogativa nullius initii & nullius finis?* Denique argumentatio Tertulliani in loco citato manifestissimè nititur hac generali hypothesi, attributa omnia Divinitatis essentialia, omnia quæ Deo Patri, ut Deo, conveniunt, neque relationem ullatenus connotant Patris ad Filium,& vice versa, Patri & Filio communia esse. At nunquam non fuisse, nunquam non futurum esse, essentiæ divinæ, absolutè spectatæ, attributum esse prorsus necessarium, fatentur omnes. Deum verò immortalem! quàm hæc omnia rursus Arianorum placitis, in quæ consensisse dicitur à quibusdam Tertullianus, veluti ex diametro repugnant! Cæterum hinc quoque certò cognoscimus, cum dixit Tertullianus, æternam illam Dei Rationem, æternam Sophiam & Spiritum æternum, agitari cœpisse in Deo ad opera mundi, (sicut & ipsum Deum Patrem dixit viribus enixum fuisse & laborâsse in rerum creatione,) ex Deo cum voce & sono processisse & similia: hinc, inquam, constat, ista omnia ab ipso dicta fuisse sensu, qui divinæ personæ, quam illis nominibus designavit, æternæ immutabilitati minimè repugnet: hoc est, ita ut neutiquam censenda sit Ratio, Sophia & Spiritus Dei, vel desiisse esse quod fuerat, vel incepisse esse quod non fuerat,vel quicquam internæ, ut ita dicam, perfectionis aut amisisse, aut accepisse. In rerum exordio accessit quidem divinæ personæ Filii Dei Sermonis nomen, juxta Tertullianum; quin & Filius Dei tum declaratus fuit: accessit quoq; & Deo Patri Creatoris titulus. Operatus est Filius exteriùs, ut quæ non erant, esse inciperent: & cum Filio ac per ipsum Pater quoque operatus est. Nihil hinc alterutri intrinsecus sive additum, sive demptum fuit; siquidem uterque idem Deus est æternus atque immutabilis.

§. 19. Alterum testimonium legere est in Carminum libris adversus Marcionem. Quos libros,Pamelio judice *,Tertulliani esse certò constat: neque quicquam, quod alicujus momenti sit, contra Pamelii sententiam ab aliis objectum vidi. Consule argumentum ejusdem Pamelii in librum primum. Sane quisquis judiciô valet, neque in cæteris Tertulliani Scriptis planè hospes est, facilè per se poterit in Carminibus illis, Tertulliani & sensus & verba ubique deprehendere. Sic autem Auctor Carminum in libro 5. cap. 9. de Filio Dei loquitur in ipso initio: Pag. 639. Edit. Pamel.

Hic Deus, hic & homo verus, verumque locutus,
De Patre principium, genitum de lumine lumen,
Spiritus & Verbum, Patris sub imagine virtus,
Cum Patre semper erat, unitus gloriâ & ævô.

Hìc, ut in libro adversus Praxeam, expresè dicit, Dei Spiritum & Verbum, sive Sermonem, semper cum Patre fuisse; addens, ipsum & gloriâ & ævô Patri unitum esse. Hoc autem testimonium, à Reverendo Gardinero nostro allatum quoque, Sandius † in Epistola ad ipsum (quam vocat,) responsoriâ ita conatur eludere: *Hæc*, inquit, *videntur post Concilium Nicænum fuisse scripta, quia dicit Auctor genitum de lumine lumen.* Num verò persuadere nobis voluit Sophista, neminem ante Patres Nicænos dixisse Filium ex Patre, ut lumen de lumine, genitum? Atqui nemo fere est Veterum Scriptorum Catholicorum, qui Synodum Nicænam antecesserunt, apud quem similitudo illa non occurrat, ut ex iis, quæ ad secundam & hanc tertiam Sectionem attulimus, liquet: neque hoc ignorare potuit Sandius. Tertulliano verò imprimis ea loquendi forma familiaris est. Ut alia loca omittam, sic ille in Apologet. cap. 21. *Nos etiam*, inquit, *Sermoni atque Rationi, item virtuti, per quæ omnia molitum Deum ediximus, propriam substantiam, Spiritum inscribimus.* Mox ibidem addit: *Ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus, ut lumen de lumine accensum.* Sane vel ex horum locorum collatione facilè deprehendas eundem Apologetici & Carminum illorum Auctorem. In Apologetico Dei Filius dicitur & Deus, & Sermo sive Verbum, & lumen, & virtus,& Spiritus, eademque nomina omnia (quæ ita in eandem Filii personam simul congesta apud alium Auctorem haud facilè reperias,) in loco illo Carminum concurrunt. In Apologetico legis, *lumen de lumine accensum*: in Carminibus, *genitum de lumine lumen.* Itaque tandem sententiam Tertulliani, de Filii æternitate, fusè &, quantum passa est Auctoris obscuritas, luculenter, uti spero, explicavimus. Ex quibus omnibus liquet, quàm temere, ut solet, pronuntiaverit

* Præfat. in Oper. Tertulliani Tom. 4.

† Sandius in Appendice ad Nucl. Hist. Eccles. pag. 100.

De Trin. l. 1. c. 5. n. 4.

nuntiaverit Petavius, *Quod ad æternitatem attinet Verbi, palam esse, Tertullianum minimè illam agnovisse.* Mihi sane, atque, ut arbitror, post tot apertissima testimonia à me adducta, Lectori etiam meo prorsus contrarium constat; nisi verò (quod non credo,) luserit Petavius in vocabulo *Verbi.* Nam Filium Dei, docet quidem Tertullianus, Verbum sive Sermonem factum ac denominatum fuisse ab aliquo initio; nempe tum, quando ex Deo Patre exivit cum voce, *Fiat lux*, ad exornandum universa. Atqui ipsam illam hypostasin, quæ Sermo sive Verbum, & Filius Dei dicitur, æternam credidisse Tertullianum, puto me abunde demonstrâsse.

§. 20. Unus restat de hac quæstione consulendus Lactantius. Cujus sententia cum haud magni facienda sit, ut jam in Thesi & alibi monuimus; pauciora de eo dicenda à nobis sunt. Rhetor erat ille, non Theologus, neque inter Ecclesiæ Doctores locum unquam obtinuit. Quin etiam, si ex ejus Scriptis, qualia ad nos seros nepotes devenerunt, judicium ferre licet, Sacrarum literarum & doctrinæ Ecclesiasticæ valde imperitus fuit. Unde non modò in hac quæstione, sed & in aliis religionis nostræ primariis capitibus, in gravissimos & absurdissimos errores, Catechumeno vix condonandos, prolapsus fuit: quorum Catalogum hic recensere longum sit. Nihil itaque mirum est, si ipse metaphoricam illam Filii generationem, quâ ex Patre progressus, & quasi natus fuit, ad constituendum hanc rerum universitatem, (de qua scilicet nonnihil apud Christianos Authores legerat,) pro vera ejusdem productione & procreatione perperam acceperit. Præterea dicendum mihi videtur, aut loca illa Lactantii de Filii generatione lib. 2. cap. 9. & lib. 4. c. 8. quæ imprimis tanquam absurda & impia Petavius & alii Viri eruditi meritò reprehenderunt, ab Hæreticis adulterata esse: aut certè ipsum Lactantium ab Hæretico aliquo deceptum fuisse. Sane in loco posteriori Lactantium in falsarii cujusdam manus incidisse suspicatus quoque est Xystus Betuleius in suis ad Caput illud annotatis in ipso fine. Saltem illud certum est, nonnulla in Capite illo hodie legi, quæ cum doctrina Capitis proximè sequentis, quin & cum iis quæ ex Lactantio alibi adduximus, omnnino pugnant, quemadmodum infrà ostendemus. In libro verò 2. cap. 9. Deus bone! quàm repugnantia scripsit Lactantius, si modò Lactantius sit, qui ista scripsit. In Betuleii, Genevensi & aliis Editionibus prope initium Capitis ista leguntur: *Sicut mater sine exemplo genuit Auctorem suum; sic ineffabiliter Pater genuisse credendus est coæternum. De Matre natus est, qui antè jam fuit: de Patre, qui aliquando non fuit. Hoc fides credat, intelligentia non requirat; ne aut non inventum putet incredibile, aut repertum non credat singulare.* Ubi monet Betuleius, in Romana editione, quæ ante annos 70. cum ista scriberet, lucem aspexerat, quamque satis castè editam dicit, pro *aliquando non fuit* legi, *aliquando non defuit.* Hæc autem cum iis quæ sequuntur, conciliet qui potest. Deest quidem pericope illa in Codicibus quibusdam MSS. Sed non absimili modô & alibi quasi ludit in hoc mysterio Lactantius, nempe lib. 4. cap. 13. ubi nulla est interpolationis suspicio: *Ipse enim*, inquit, *Pater Deus, & origo & principium rerum, quoniam parentibus caret,* ἀπάτωρ *atque* ἀμήτωρ *à Trismegisto verissimè nominatur, quòd ex nullo sit procreatus. Idcirco etiam Filium bis nasci oportuit, ut ipse fieret* ἀπάτωρ *atque* ἀμήτωρ. *In prima enim nativitate spirituali* ἀμήτωρ *fuit, quia sine officio matris à solo Deo Patre progeneratus est. In secunda verò carnali* ἀπάτωρ *fuit, quoniam sine Patris officio, virginali uterô procreatus est.*

Hoc est an. 1475.

§. 21. Sequitur in Capite illo nono libri secundi longa disputatio de duobus principiis, altero boni, mali altero, quæ Manichæismum manifestè sapit. Dicit enim illic, "Deum in principio fecisse bonum & " malum: fabricâsse mundum, qui constaret in rebus inter se contrariis & discordi- " bus: ideoque fecisse ante omnia duos fon- " tes rerum sibi adversantium, inter seque " pugnantium, videlicet duos Spiritus, rectum & pravum, quorum alter est Deo " tanquam dexter, alter tanquam sinister: " constituisse Diabolum malorum inventorem, cumque ipsum faceret, dedisse illi ad " mala excogitanda ingenium & astutiam, ut " in eo esset & voluntas prava, & perfecta " nequitia; & ab eo contraria virtutibus " suis voluisse oriri, eumque secum contendere, utrum ipse plus bonorum daret, an " ille plus malorum: denique bonorum " suorum potestatem Diabolo ultro assignâsse." Hæc, inquam, si non ipsum Manetis dogma continent, Manichæismum tamen manifestè sapiunt. Certus sum non didicisse hæc Auctorem, quisquis fuerit, à Catholicæ Ecclesiæ Doctore aliquo; nam istiusmodi blasphemias Catholica Ecclesia semper damnavit; sed ab hæresi desumpta hæc esse. Dic verò mihi, à qua hæresi nisi Manichæorum? Desunt quidem & hæc in quibusdam MSS. Codicibus: sed in omnibus Codicibus ea hîc reperiuntur, quæ à Manichæismo haud ita longè,

longè, à Catholicæ verò Eccleſiæ doctrinâ quàm longiſſimè recedunt. Nam poſtquam dixerat Auctor, ſe cauſam & caput malorum expoſiturum, hæc (conſentientibus Codicibus) ſequuntur: " Cum eſſet Deus ad ex-" cogitandum prudentiſſimus, ad faciendum " ſolertiſſimus, antequam ordiretur hoc opus " mundi, quoniam pleni & conſummati bo-" ni fons in ipſo erat, ſicut eſt ſemper, ut ab " eo bono tanquam rivus oriretur, longéque " proflueret, produxit ſimilem ſui Spiritum, " qui eſſet viribus Dei Patris præditus.—— " Deinde fecit alterum, in quo indoles di-" vinæ ſtirpis non permanſit. Itaque ſua-" pte invidiâ tanquam venenô infectus eſt, " & ex bono ad malum tranſcendit, ſuôque " arbitriô, quod à Deo illi liberum datum " fuerat, contrarium ſibi nomen aſcivit. In-" vidit enim illi anteceſſori ſuo, qui Deo " Patri perſeverando tum probatus, tum " etiam charus eſt. Hunc ergo ex bono per " ſe malum effectum Græci Διάβολον ap-" pellant, nos Criminatorem vocamus; quod " crimina, in quæ ipſe illicit, ad Deum de-" ferat." Deinde, omiſſis illis, quæ quibuſdam Codicibus abeſſe diximus, ſubjiciuntur iſta: *Exorſus igitur Deus fabricam mundi, illum primum & maximum Filium præfecit operi univerſo*, &c. Hîc primò docet, Filium Dei & Spiritum illum, qui mox à creatione ſua malus evaſit, pariter à Deo productos fuiſſe, antequam Deus hoc mundi opus ordiretur: quanquam Filium Dei malo illo Spiritu tam dignitate quàm ævô priorem fatcatur. Deinde non obſcurè ſignificat, magnum illum Angelum, qui Diabolus dictus eſt, è cenſu rerum per Filium conditarum exemptum eſſe: utrumque ſcilicet, & Filium Dei, & Diabolum à Deo ſolo productum fuiſſe, neutrum ab altero vel per alterum: Diabolum ſui anteceſſorem quidem habuiſſe Dei Filium, non verò Creatorem. Quis verò ex Catholicis Doctoribus ante ipſum ita docuit? Denique cum cauſam boni & mali expoſiturus dicit, primum illum Spiritum à Deo, ad cogitandum prudentiſſimo & ad faciendum ſolertiſſimo, productum fuiſſe eô conſiliô, ut à boni fonte tanquam rivus oriretur, longéque deflueret, ſcil ad Creaturas; deinde alterum Spiritum feciſſe Deum, qui Diabolus dicitur; innuere mihi videtur, alterum illum Spiritum à Deo factum fuiſſe contrariô planè conſiliô, nempe ut mali quoque rivus ab ipſo Spiritu tanquam fonte proflueret: quem ſcilicet, quanquam liberum ei arbitrium dederit, novit tamen ad malum à bono deflexurum. Quid, quæſo, hæc aliud ſunt, quàm Manichæiſmus, ut ita dicam, ceruſſatus & infucatus? Cæterum etiam ex impiis illis, quæ in MSS. quibuſdam defiderari monuimus, nonnulla alibi apud Lactantium, ubi nulla eſt Codicum diſſenſio, reperiuntur. Inter iſta hæc legimus: *Facturus* [*Deus*] *hominem, cui virtutem ad vivendum proponeret, per quam immortalitatem aſſequeretur, bonum & malum fecit, ut poſſet eſſe virtus.* His verò planè gemina ſunt, quæ habemus lib. de opificio Dei cap. 20. " Noluit enim Deus hominem ad immor-" talem illam beatitudinem delicatô itinere " pervenire. Daturus ergo virtutem, dedit " hoſtem priùs, qui animis hominum cu-" piditates & vitia immitteret, qui eſſet " auctor errorum, malorumque omnium " machinator: ut quoniam Deus homines " ad vitam vocat, ille contrà, ut rapiat & " traducat ad mortem." Inter iſta quoq; hæc reperiuntur: " Quoniam Deo ſummo repu-" gnari non poteſt, bonorum ſuorum pote-" ſtatem illi [Diabolo] ultro aſſignavit." Idem verò dicitur Inſt. lib. 2. cap. 15. in ipſo initio, Deum nempe Diabolo *ab initio terræ dediſſe poteſtatem.* Et mox ibidem appellatur Diabolus *Dominator ille terræ fallaciſſimus.*

§. 22. In Capite autem octavo libri quarti, quàm inſulſa, quàm ridicula, quàm impia leguntur? " Sanctæ, *inquit*, literæ docent, " illum Dei Filium Dei eſſe Sermonem, " itemque cæteros Angelos DeiSpiritus eſſe. " Nam Sermo eſt ſpiritus cum voce aliquid " ſignificante prolatus. Sed tamen quoni-" am ſpiritus & ſermo diverſis partibus " proferuntur, ſiquidem ſpiritus naribus, " ore ſermo procedit; magna inter hunc " Dei Filium, & cæteros Angelos differen-" tia eſt. Illi enim ex Deo taciti Spiritus " exierunt, qui non ad doctrinam Dei tra-" dendam, ſed ad miniſterium creabantur. " Ille verò cum ſit & ipſe Spiritus, tamen " cum voce ac ſono ex Dei ore proceſſit." Hîc ſcilicet eandem docet naturam Filii & cæterorum Angelorum, nempe & illum & hos Dei ſpiritus eſſe, ex ipſa ſubſtantia Dei emiſſos, cum hoc diſcrimine, quòd ille ex ore, hic ex naribus Dei; ille cum voce & ſono, hi taciti exierint. Et hæc rurſus Manichæiſmum redolent. Nam Manichæi aſſerebant, non modò Angelos, ſed etiam animas hominum, ſaltem bonorum, ex Dei ſubſtantia manâſſe, ut teſtatur Auguſtinus de Hæreſibus cap. 46. Ecquis verò Catholicorum Doctorum ante Lactantium ita philoſophatus eſt? Certè nemo. Imò ab ipſo Tertulliano, quem legerat, ſaniorem ſententiam ediſcere potuiſſet Lactantius. Sic enim ille lib. adv. Prax. cap. 3. *Si*, inquit, *Monarchia*

narchia divina per tot legiones & exercitus Angelorum administratur, sicut scriptum est: Millies centies centena millia adsistebant ei, & millies centena millia apparebant ei; *nec ideo unius esse desiit, ut desinat Monarchia esse, quia per tanta millia virtutum procuratur: quale est ut Deus divisionem & dispersionem pati videatur in Filio & in Spiritu sancto, secundum & tertium sortitis locum, tam consortibus substantiæ Patris, quas non patitur in tot Angelorum numero, & quidem tam alienorum à substantia Patris?* Docet Filium quidem & Spiritum sanctum substantiæ Dei Patris consortes esse; Angelos verò, quanticunque sint, à divina substantia esse prorsus alienos. Quare omnino, ut dixi, statuendum est, aut loca ista in Lactantii Scriptis ab Hæretico aliquo corrupta esse, aut hæresi infectum fuisse ipsum Lactantium. Si prius illud statueris, immeritò ista Lactantio tribuuntur; sin posterius, meritò rejiciendum est ejus testimonium.

§. 23. Interim vestigia aliqua sanæ & Catholicæ de Filii æternitate doctrinæ cernere licet apud Lactantium, ubi conspirantibus Codicibus & impressis & MSS. omnibus, ipse loquitur, nempe lib. 4. cap. 9. Ibi enim in ipso Capitis initio, postquam in fine præcedentis textum S. Joannis Evangelii c. 1. v. 1. 2. juxta Latinam, ut verisimile est, versionem ea ætate vulgatam, citaverat, ita porro scribit: *Sed melius Græci λόγον dicunt, quàm nos Verbum sive Sermonem. λόγος enim & Sermonem significat & Rationem, quia ille est Vox & Sapientia Dei.* Hîc Lactantius verba & sensus Tertulliani, in cujus Scriptis, ut constat, hospes non fuit, manifestè æmulatur. Notaverat antè Tertullianus, uti vidimus, duplicem illam τοῦ λόγου significationem, quam hîc observat Lactantius. Dixerat Tertullianus, in loco illo Joannis, ubi scriptum est: *In principio erat ὁ λόγος, & ὁ λόγος erat apud Deum*; Græcam vocem λόγος rectiùs Latinè verti *Ratio*, quàm *Sermo*: & id ipsum dicit Lactantius. Τὸν λόγον, ut est Dei Ratio, in principio adeoque ab æterno fuisse apud Deum Patrem, fatetur Tertullianus. Quis verò non facilè crediderit, idem, eâdem usum distinctione, voluisse Lactantium? Est, inquit, ille Filius Dei, & Dei Sermo, & Dei Ratio, & Vox, & Sapientia Dei: & meliùs dicitur in loco Joannis, Rationem & Sapientiam, quàm Sermonem & Vocem, in principio fuisse, & apud Deum fuisse. Scilicet Vox & Sermo non erat Filius, antequam ex Patre cum voce processerit ad constituendum universa: sed Ratio & Sapientia Dei æternùm erat. Pugnant autem hæc manifestè cum iis, quæ in præcedenti Capite disputaverat, sive alius quispiam, sive ipse Lactantius. Si enim meliùs exprimit Filii nomen vox Græca λόγος, quàm Latina *Verbum* sive *Sermo*, quia λόγος & *Sermonem* & *Rationem* significat: si Filius Dei sit non modò Sermo Dei, sed & Ratio Dei, non tantùm Dei Vox, verùm etiam Dei Sapientia; quin & potiùs definiendus sit Dei Ratio & Sapientia, quàm Vox, aut Sermo, aut Verbum; tum sane concidit tota illa dissertatio præcedens, in qua Filius Dei describitur, ut merus Dei Spiritus vocalis, tum cum proferretur, in hypostasin figuratus. Denique si ipsa Dei Patris Ratio & Sapientia sit Filius, tum æternus est, si modò ipse Deus Pater æternus dicendus sit; quia Deus Pater nunquam sine Ratione & Sapientiâ suâ fuit: quæ argumentatio quatenus firma & valida sit, suprà ostendimus. Haud frustra autem dixi: *Si modò Deus Pater æternus sit*; siquidem de ipsius Dei Patris æternitate periculosè, si non impiè, locutus videtur Lactantius Instit. lib. 1. cap. 7. Ubi docet, principium existentiæ Dei, omnium Parentis, à nobis quidem comprehendi non posse; principium tamen habuisse ipsum Deum, omnino statuendum esse: *Cujus* [Dei Patris] inquit, *nec virtus æstimari potest, nec magnitudo perspici, nec principium comprehendi: cum ad illum mentis humanæ intentio, & acumen, & memoria pervenerit, quasi consumptis & subductis omnibus viis, subsistit, hæret, deficit; nec est aliquid ulterius, quò progredi possit. Verùm quia fieri non potest, quin id quod sit, aliquando esse cœperit; consequens est, ut quando nihil ante illum fuit, ipse ante omnia ex seipso sit procreatus.* Quis sanam prorsus de Filii æternitate sententiam ab homine expectet, qui de ipsius Dei Patris æternitate tam insulsè scripserit? Hæc igitur de Lactantii doctrina dixisse plusquam sufficiat.

§. 24. Itaque tandem Scriptorum, qui Concilium Nicænum antecesserunt, de Filii τῷ σωτῆρι sententiam non indiligenter investigavimus: adeoque singulas Theses, in hac tertia Sectione propositas, (nisi nos vehementer fallit judicium nostrum,) abunde demonstravimus. Ex quibus omnibus tandem liquet, verissimum esse, quod de Ecclesiæ

* Vide hujus Sectionis cap. 5. n. 5, 6.

Doctoribus, qui ante dissidium in Ecclesia, hoc est, ante exortam controversiam Arianam floruerunt, pronuntiavit olim doctissimus Sisinnius apud Socratem E. H. lib. 5. cap. 10. nempe ὡς οἱ παλαιοὶ ἀρχὴν ὑπάρξεως τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ δῦναι ἀπέφυγον· κατειλήφεισαν γὰρ αὐτὸν τὸν συναίδιον τῷ πατρί· i. e. *Veteres studiosè caviſſe, ne principium exiſtentiæ Filio Dei tribuerent; quippe qui cenſerent illum Patri coæternum eſſe.* Quippe supra viginti Catholicos & probatos Doctores trium primorum sæculorum adduximus, qui omnes Filii τὸ συναίδιον clarè & apertè agnoverunt. Quin & à Synodo Episcoporum, in causa Dionysii Alex. Romæ congregatorum, adversum dogma damnatum fuisse ostendimus. Demptô Lactantiô, (cujus judicium hac in quæstione nihili faciendum esse probavimus,) reliqui Scriptores Ante-Nicæni sunt omnino hi sex: Athenagoras, Tatianus, Theophilus Antiochenus, Hippolytus, Novatianus, sive Auctor libri de Trinitate inter opera Tertulliani, & Tertullianus ipse. Ex quibus quinque priores, etiamsi progressionem Filii ex Patre ad creationem universi, ipsius quasi generationem quandam imaginati fuerint, studiosè tamen & ipsi cavere, ne initium subsistentiæ Filio Dei tribuerent: omnesque τὸν λόγον æternum apud Deum Patrem fuisse palam professi sunt. Denique Tertullianus ab Ecclesia ad hæresin defecit; proinde jure merito Hæreticis potiùs, quàm Ecclesiæ Doctoribus accensendus est. Et ipse tamen, post longas ambages variasque ac planè ineptas subtilitates, tandem in vulgi sententia, quam vocat, hoc est Catholicâ, consedit & acquievit: & Sermonem semper apud Deum Patrem fuisse & subsistitisse, contra Valentinianos Arii præcursores, disertè adfirmavit. Sisinnius autem ille (utpote quem præter Sacrarum Scripturarum scientiam, multiplicem etiam habuisse notitiam τῶν ἱστορημένων καὶ τῶν παρ' Ἕλλησι καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ φιλοσοφησάντων, *Eorum quæ tum ab Ethnicis, tum ab ab Eccleſiaſticis Auctoribus ſcripta erant*, testatur Sozomenus Hist. Eccl. lib. 7. cap. 12,) procul dubiô plura alia viderat & legerat priscorum Doctorum monumenta, Quadrati nempe, Aristidis, Miltiadis, Melitonis &c. quæ hodie interciderunt. Qui verò tam multiplici Veterum lectione instructus fuit, idem contra Arianos fidenter asseruit, quod & probare paratus fuit, Veteres illos communiter docuisse, Filium Dei Patri suo coæternum esse. Ac de his hactenus. Ad reliqua nunc, æterno Dei Verbo ac Filio adjuvante, progrediamur.

---

* Testimoniis Patrum Ante-Nicænorum pro Filii τῷ συναϊδίῳ adductis, adde verba, quæ ex Malchionis Disputatione contra Paulum Samosatenum citavit Leontius lib. III. contra Nestorium & Eutychem prope finem, sic sonantia: *Nonne ante dicebam, quod non concedas, Filium unigenitum, qui eſt ex æternitate ante omnem creaturam, in toto Salvatore* ἑνοῦσθαι, *id eſt unitum eſſe ſecundum ſubſtantiam.*

SECTIO

SECTIO IV.

De ſubordinatione Filii ad Patrem, ut ad ſui originem ac principium.

CAP. I.

Proponitur Theſis prima, de ſubordinatione Filii ad Patrem, ut ad ſui originem ac principium. Quæ & unanimi Veterum conſenſu confirmatur. Oſtenditur, locutionem illam quorundam Neotericorum, qua Filium dicunt αὐτόθεον, *hoc eſt, a ſeipſo Deum, ſententiæ Synodi ipſius Nicænæ, adeoque Catholicorum Doctorum omnium, tum qui ante, tum qui poſt iſtam ſcripſere Synodum, prorſus repugnare.*

§. 1. DE ſubordinatione Filii ad Patrem, ut ad ſui originem ac principium, non pauca quidem obiter & aliud agentes diximus ad Sectiones præcedentes: ſed non indignum eſt argumentum, quod ſeorſim & ſeparata Sectione accuratiùs explicetur: præſertim cum ipſum in operis noſtri initio, tanquam diſtinctum caput doctrinæ in Symbolo Nicæno traditum, & Veterum teſtimoniis à nobis confirmandum propoſuerimus. De illa igitur ſubordinatione hæc eſto Theſis prima:

THESIS PRIMA.

Decretum illud Synodi Nicænæ, quô ſtatuitur, Filium Dei eſſe Θεὸν ἐκ Θεοῦ, *Deum de Deo, ſuô calculô comprobârunt Doctores Catholici, tum qui ante, tum qui poſt Synodum illam ſcripſere. Nam illi omnes uno ore docuerunt, naturam perfectioneſq; divinas Patri Filioque competere non collateraliter aut coordinatè, ſed ſubordinatè: hoc eſt, Filium eandem quidem naturam divinam cum Patre communem habere, ſed à Patre communicatam; ita ſcilicet ut Pater ſolus naturam illam divinam à ſe habeat, ſive à nullo alio, Filius autem à Patre; proinde Pater Divinitatis, quæ in Filio eſt, fons, origo ac principium ſit.*

§. 2.

§. 2. Ad partem Theſis noſtræ probandum, quæ Doctores ſpectat, qui Synodum Nicænam anteceſſere, non eſt quòd multum operæ impendamus ; quippe quæ pleriſque teſtimoniis, quæ de generatione Filii ad Sectionem ſecundam & tertiam ex ipſis adduximus, jam ſatis confirmetur. Quid ? quòd voces ipſæ *Filii* & *Generationis*, quibus iidem utuntur paſſim, primô ſuô conceptu manifeſtè innuant ſubordinationem Filii ad Patrem generantem. Certè communem Veterum illorum ſententiam expreſſit Novatianus, ſive Auctor libri de Trinitate inter Opera Tertulliani, in loco ſuprà non ſemel à nobis citato ex cap. 31. " Quicquid, *inquit*, " eſt Filius, non ex ſe eſt, quia nec innatus " eſt ; ſed ex Patre eſt, quia genitus eſt : " ſive dum Verbum eſt, ſive dum virtus eſt, " ſive dum ſapientia eſt, ſive dum lux eſt, " ſive dum Filius eſt, & quicquid horum " eſt, non aliunde eſt quàm ex Patre, Patri " ſuo originem ſuam debens. " Juſtinus
p. 358. Martyr in Dialogo cum Tryphone expreſsè dicit Patrem eſſe Filio αἴτιον τοῦ εἶναι, *cauſam ut ſit*. Hinc eidem Juſtino & cæteris Scriptoribus Ante-Nicænis ſolenne eſt, Deum Patrem διακεκριμένως appellare nunc Deum abſolutè, nunc unum illum Deum, nunc Deum & Patrem omnium ; (juxta Scripturas 1 Cor. 8. 4. Eph. 4. 6. Joan. 17. 3.) quia ſcilicet ſolus Pater à ſe Deus eſt, Filius autem Deus de Deo. Quam etiam ob cauſam Scriptores iſti, quoties Patrem & Filium ſimul nominant, nomen Dei Patri fere attribuunt ; alteram perſonam titulô vel Filii Dei, vel Servatoris, vel Domini, vel aliâ ſimili appellatione deſignantes. Quâ de re præclarè Tertullianus adv. Prax. cap. 13. " Apoſtolum, *inquit*, ſequar, ut ſi pariter " nominandi fuerint Pater & Filius, Deum " Patrem appellem, & Jeſum Chriſtum Do- " minum nominem. Solum autem Chriſtum " potero Deum dicere, ſicut idem Apoſto- " lus : *Ex quibus Chriſtus, qui eſt* (inquit) " *Deus ſuper omnia benedictus in ævum omne.* " Nam & radium Solis ſeorſum Solem vo- " cabo ; Solem autem nominans, cujus eſt " radius, non ſtatim & radium Solem ap- " pellabo. "

§. 3. Cæterum, ut dixi, ad Doctores quod attinet, qui Conciliô Nicænô anteriores fuere, nemini dubium eſſe poteſt, quin ipſi ſubordinationem, quâ de loquimur, agnoverint. Reſtat ut oſtendam, eandem doctrinam tradidiſſe Patres, qui poſt Synodum Nicænam ſcripſere, fideique in ipſa definitæ & ſtatutæ propugnatores fuere conſtantiſſimi ; ne quis ſcilicet exiſtimet, nos verba Symboli Nicæni perperam accepiſſe. Illi igitur intrepidè quoque Patrem dicunt *principium*, *cauſam*, *auctorem* Filii, ipſumque adeo Patrem *unum* illum Deum appellant. Primò ἀρχὴν Filii Patrem dicunt ; nempe quatenus vox iſta ſignificat principium, à quo aliquid oritur, quôcunque id modô fiat, hoc eſt, ſive in tempore, ſive ab æterno ; non verò quatenus principium denotat initium exiſtendi, quando res, quæ antea non erat, eſſe jam incipit. Athanaſius Orat. 5. contra Arianos, haud longè ab initio, illa Joannis, *In principio erat Verbum*, ſic enarrat, tanquam ſcripſerit Evangeliſta : *In Patre erat Filius :* κατὰ γὰρ (inquit) τὸν Ἰωάννην, ἐν ταύτῃ τῇ ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, ἧς ὁ λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν· Θεὸς γάρ ἐστιν ἡ ἀρχὴ, ἧς ἐπειδὴν ἐξ αὐτῆς ἐστι, διὰ τοῦτο ἧς Θεὸς ἦν ὁ λόγος· i. e. " Nam ſecundum Joannem in hôc principio " erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. " Deus enim principium eſt ; & quoniam ex " principio Verbum eſt, ideo quoque Ver- " bum erat Deus. " Notionem verò vocis *Principii*, & quomodo ἀρχὴν habeat Patrem Filius, quomodo verò ἀναρχος idem ſit, accuratè explicat Gregorius Nyſſenus libro primo contra Eunomium : Ἀλλ' ἐπειδὴ (inquit) πολύσημος ὁ τῆς ἀρχῆς λόγος, ἧς εἰς πολλὰ ταῖς ἐπινοίαις φερόμενος, ἔστιν ἐν οἷς φαμὲν ἧς τῷ μονογενεῖ ὑμῶν μὴ ἀπεμφαίνειν τὸ τοῦ ἀνάρχου προσηγορίαν. ὅταν μὲν γὰρ τὸ μὴ ἐξ αἰτίας τινὸς ὑφεστάσιν ἔχειν ἐκ τῆς φωνῆς τοῦ ἀνάρχου νοῶμεν, τοῦτο μόνον τῷ παντὸς ἴδιον ὁμολογοῦμεν. ὅταν δὲ κατὰ τὰ λοιπὰ τῶν ἐπὶ τῆς ἀρχῆς σημαινομένων ἡ ἐξέτασις ᾖ, ἐπειδὴ ἧς κλίσεως τινὸς ἐπινοεῖται ἀρχὴ, ἧς χρόνου, ἧς τάξεως, κἂν τούτοις ἅπασι τῷ μονογενεῖ προσμαρτυροῦμεν, τὸ ὑψηλότερον ἀρχῆς εἶναι· ὡς ὑπὲρ πᾶσαν κλίσεως ἀρχὴν, καὶ χρόνου ἔννοιαν, καὶ τάξεως ἀκολουθίαν εἶναι πιστεύειν τὸν δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο· ὥστε τῷ λόγῳ τῆς ὑποστάσεως μὴ ἄναρχον, ἐν τοῖς ἄλλοις πᾶσιν ὁμολογούμενον ἔχειν τὸ ἄναρχον· καὶ τὸν μὲν πατέρα καὶ ἄναρχον, καὶ ἀγέννητον· τὸν δὲ υἱὸν ἄναρχον μὲν κατὰ εἰρημένον τρόπον, ὃ μὴν καὶ ἀγέννητον· i. e. " Cum vox ἀρχῆς in magno ſit " ſignificationum ambitu, interdum τῷ ἀνάρ- " χῳ appellationem non abhorrere ab uni- " genito Filio dicimus. Nam quando in voce " ἀνάρχῳ nihil intelligitur aliud, niſi quod " ex nullo penitus principio habet ut exi- " ſtat, hoc ipſum ſolius eſſe Patris proprium " confitemur. Cum autem de reliquis Prin- " cipii ſignificatis inquiſitio ſit ; quoniam & " creationis principium eſt, & temporis, & " ordinis ; etiam in iis unigenitum Filium " omni principio ſuperiorem eſſe teſtamur : " ut ſupra omne creationis principium, & " temporis notionem, & ordinis confecutio- " nem illum eſſe credamus, per quem omnia

Edit. Gretſ. p. 118.

p. 590.

" facta

" facta ſunt. Itaque quem ratione ſubſiſten-
" tiæ non expertem eſſe principii putamus,
" in reliquis omnibus carere principiô fate-
" mur: & Patrem quidem principiô caren-
" tem, & ingenitum; Filium verò princi-
" piô quidem eô, quem diximus, modô
" carentem, non tamen ingenitum eſſe dici-
" mus." Sic etiam Gregorius Nazianze-
nus in Oratione 35. quæ prima de Filio di-
citur, quatenus tres perſonæ divinæ omnes
pariter ἄναρχοι ſint; quatenus verò ſolus
p. 562. Pater ſit ἄναρχος, his verbis explicat: πῶς
ἓν ἃ συναίναρχα, εἰ συναίδια; ὅτι ἐκεῖθεν, εἰ
μὴ μετ' ἐκεῖνον. τὸ μὲν ἄναρχον, καὶ ἀΐδιον·
τὸ δ' ἀΐδιον ἃ πάντως ἄναρχον, ἕως ἂν εἰς ἀρχὴν
ἀναφέρηται τ πατέρα. ὅτι ἀναρχα ἓν τῷ αἰτίῳ·
i. e. " Quomodo igitur non ſunt (*Filius &*
" *Spiritus S.*) ſimul cum Patre principii ex-
" pertes, ſiquidem æterni ſunt? Quia inde
" procedunt, etſi non poſt illum ſunt. Equi-
" dem quod principiô caret, etiam æternum
" eſt: quod autem æternum eſt, non pro-
" tinus omni caret principio; quamdiu ad
" Patrem, velut ad principium refertur.
" Ergo illi quantum ad cauſam, non carent
p. 590. " principiô." Et Oratione 36. ἴδιον δ' (in-
quit) τῷ μὲν ἀνάρχῳ, πατήρ· τ δ' ἀνάρχως
γεννηθέντος, υἱός· i. e. " Proprium ejus, qui
" principiô caret, nomen eſt Pater: ejus
" autem, qui citra ullum principium geni-
" tus eſt, Filius." Denique Cyrillus Ale-
xandrinus, ſub initium libri primi Commen-
tariorum in Joannem, docet Patrem eſſe Filii
principium κατὰ μόνον τὸ ἐξ ἧς λέγεται, *ſolùm*
quatenus eſt id, ex quo.

§. 4. *Principii* voci affinis eſt vox αἴτιος,
vel αἰτία, quam Latini *cauſam* appellant.
Juſtinum Martyrem dixiſſe, cauſam eſſe Fi-
lii Patrem, paulò antè obſervavimus. Simi-
liter autem loquuntur Auctores Catholici,
qui poſt exortam controverſiam Arianam
ſcripſere. Nam & illi unam in Trinitate per-
ſonam, Deum ſcilicet Patrem, cauſam eſſe
dicunt; duo verò cauſata, Filium nempe &
Spiritum ſanctum. Sic Conſtantinus Magnus
in Oratione ad Sanctorum cœtum apud Eu-
ſebium *: αἰτία μὲν (inquit) υἱοῦ ὁ πατήρ· αἰ-
τιατὸν δ' ὁ υἱός· i. e. *Pater quidem Filii cauſa*
eſt; Filius verò eſt cauſatum. Sic Athanaſius
(ſive quiſpiam alius, certè in hoc dogmate
Catholicus) in quæſtionibus ſecundis cap. 11.
& 12. ὁ δ' υἱὸς οὐκ ἔστιν αἴτιος, ἀλλ' αἰτιατός· i.e.
Filius verò non eſt cauſa, ſed cauſatum. Baſi-
lius † in libro primo contra Eunomium: ἡμεῖς
δ' (inquit) κατὰ μὲν τ τῶν αἰτίων πρὸς τὰ ἐξ
αὐτῶν σχέσιν, προτετάχθαι τ υἱὸν τ πατέρα
φαμέν· i. e. *Nos autem ſecundum cauſarum*
habitudinem ad ea, quæ ex illis oriuntur, Pa-
trem collocari ante Filium aſſerimus. Et in p. 724
eodem libro: τὸ δ' πατὴρ (ait,) τί ἄλλο ση-
μαίνει, ἢ ἐκεῖνο, αἰτία εἶναι καὶ ἀρχὴ τ ἐξ αὐτοῦ
γεννηθέντος· i. e. *Vox ipſa Patris quid aliud*
ſignificat, niſi hoc, quòd cauſa eſt & princi-
pium ejus, qui ex ipſo genitus eſt? Itidem
Gregorius Nazianzenus in Oratione 29.
quæ eſt de Dogmate, non ſemel Patrem
cauſam eſſe Filii & Spiritus ſancti aſſerit:
μικρῶν γὰρ (inquit) ἂν εἴη καὶ ἀναξίων ἀρχὴ, Tom. 1.
μὴ θεότητος ὧν αἰτίος τ ἐν υἱῷ καὶ πνεύματι p. 490.
θεωρουμένης· i. e. *Parvorum enim ipſoque in-*
dignorum principium fuerit, (Pater) niſi Dei-
tatis ejus, quæ in Filio & Spiritu ſancto con-
ſideratur, cauſa ſit. Et mox ibidem: εἷς
μὲν θεὸς, εἷς ἓν αἴτιον καὶ υἱὸς & πνεῦμα ἅγιον
ἀναφερομένων· i. e. *Unus quidem eſt Deus,*
ſiquidem Filius & Spiritus ſanctus ad unam
cauſam referuntur. Et paucis interjectis ait,
Deum Patrem ἀρχὴν *principium* eſſe, ὡς
αἴτιον, καὶ ὡς πηγὴν, καὶ ὡς ἀΐδιον φῶς· *ut cau-*
ſam, & ut fontem, lumenque ſempiternum. ||
Damaſcenus quoque lib. 3. de Orthod. fide
cap. 5. ſic ſcribit: διαφορὰν τ ὑποστάσεων
ἐν μόναις ταῖς τρισὶν ἰδιότησι, τῇ ἀναιτίῳ
καὶ παλικῇ, καὶ αἰτιατῇ καὶ υἱικῇ, καὶ τῇ
αἰτιατῇ καὶ ἐκπορευτῇ ἐπιγινώσκομεν· i. e.
Hypoſtaſeon differentiam in his ſolis tribus
proprietatibus agnoſcimus, cauſæ experte &
paterna; cauſata & filiali; cauſata & pro-
ceſſiva. Idem in libro 1. de Imaginibus non
procul ab initio: " Imago, *inquit*, Dei in-
" viſibilis eſt ipſe Filius, qui in ſeipſo Pa-
" trem gerit, & in omnibus idem cum illo
" eſt, præter unum id quod ab eo tanquam
" à cauſa eſt. Naturalis enim cauſa eſt Pa-
" ter, ex quo Filius proficiſcitur." Ex La-
tinis verò Marius Victorinus in libro primo
adverſus Arium perinde locutus eſt: *Sed*
major, inquit, *Pater; quòd ipſe dedit Filio*
omnia, & cauſa eſt ipſi Filio ut ſit, & iſto
modô ſit. Suprà autem idem Victorinus
dixerat, Filium quidem cauſam eſſe princi-
palem omnium rerum, ſed Patrem præcau-
ſam eſſe, eò quòd Filii cauſa ſit. Hilarius
de Trin. lib. 11. *cauſam nativitatis* Filii
Patrem appellat. Et in 12. de æterna Filii
generatione verba faciens: " Et ex cauſa,
" *inquit*, licet perfectâ atque indemutabili
" naſcens, neceſſe eſt ex cauſa in cauſæ
" ipſius proprietate naſcatur." Denique

* P. 581. Edit. Valeſii. † Baſil. Tom. 1. p. 720.
|| Confer eundem Orat. 24. pag. 429. A & Orat. 37. p. 501. B.

ad eundem modum loquitur Auguſtinus quoque lib. 73. Quæſtionum, Quæſt. 16. " Deus, *inquit*, omnium quæ ſunt cauſa " eſt. Quod autem omnium cauſa eſt, " etiam ſapientiæ ſuæ cauſa eſt; nec un- " quam Deus ſine ſua ſapientia. Igitur " ſempiternæ ſuæ ſapientiæ cauſa eſt ſem- " piterna: nec tempore prior eſt, quàm " ſua ſapientia.

§. 5. Ejuſdem ſignificationis eſt *Auctoris* nomen, quod etiam Doctores Latini Deo Patri frequenter tribuunt, quatenus ad Filium refertur. Hilarius in nono de Trinitate ad locum Joannis cap. 5. v. 19. ita ſcribit: " Si paternæ in ſe naturæ aucto- " ritate quod gerit, gerente Patre agit, qui " uſque modò operatur in Sabbato; extra " crimen operis eſt Filius, in quo paternæ " operationis præfertur auctoritas. Non " enim ad infirmitatem retulit, *non poteſt*; " ſed ad auctoritatem." Atque in eodem libro: " Cum enim innaſcibilis Deus ad " perfectam divinæ beatitudinis nativita- " tem unigenito Deo auctor ſit, auctorem " nativitatis eſſe, ſacramentum paternum " eſt. Cæterum non habet contumeliam, " qui ſe auctoris ſui eſſe imaginem genuina " nativitate conſummat." Quin idem alibi paſſim *Auctoris* nomen adhibet, ut in quarto libro, iſta de Pſal. 44. explicans, *Propterea unxit te Deus, Deus tuus: Tuus*, inquit, *relatum eſt ad auctorem: te verò ad ejus, qui ex auctore eſt, ſignificationem. Eſt enim Deus ex Deo.* Item in ſeptimo: *Ita*, inquit, *imago eſt, ut non differat genere, ſed ſignificet auctorem.* Sic in libro de Synodis, quem locum jam alibi adduximus: *Patri ſubjectus eſt, ut auctori.* Et argutè, pro more ſuo, Auguſtinus Serm. 11. de Verb. Domini ſecund. Matth. *Inſinuatur nobis in Patre auctoritas, in Filio nativitas, in Spiritu ſancto Patris Filiique communitas, in tribus æqualitas.* Eandem vim habent vocabula, *Radix, Fons, Caput*; quæ itidem Deo Patri, quatenus ad Filium & Spiritum ſanctum refertur, veteres Catholici attribuunt. Ita Baſilius Homil. 27. cont. Sabell. Tom. 1. p. 606. ἔστι μὲν γὰρ ὁ πατὴρ τέλειον ἔχων τὸ εἶναι, καὶ ἀνενδεὲς, ῥίζα καὶ πηγὴ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος· i. e. *Eſt quidem Pater perfectum habens eſſe, & nullius egens, radix & fons Filii & ſancti Spiritus.* Similiter Ambroſius libro 10. in Lucam: *Dominus*, inquit, *Pater, quia radix eſt Filii.* Et in quarto de Fide, capite 5. *Fons Pater Filii eſt; radix Pater Filii eſt. Caput* verò Filii Patrem vocat Ruffinus in Symbolum: *Et cum ipſe ſit omnium caput*, inquit, *ipſius tamen caput eſt Pater.*

§. 6. Denique Veteres Deum Patrem, eo quòd principium, cauſa, auctor & fons Filii ſit, unum illum & ſolum Deum appellare non ſunt veriti. Sic enim ipſi Patres Nicæni exordiuntur ſuum Symbolum: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem*, &c. Deinde ſubjungunt: *Et in unum Jeſum Chriſtum — Deum de Deo.* Et magnus Athanaſius, quô nemo meliùs intellexit Synodi Nicænæ mentem ac ſententiam, in Oratione contra Sabellii gregales haud longè ab initio, concedit Patrem jure dici μόνον Θεὸν, *ſolum Deum*, ὅτι μόνου ἀγεννήτου καὶ μόνου πηγὴ θεότητος· *Quòd ſolus ingenitus ſit, & ſolus fons Deitatis.* Cui, prætermiſſis aliis, quos citare poteram, unum Hilarium adjungam. Qui libro 3. de Trinitate locum Joannis Evangeliſtæ cap. 17. v. 3. enarrans, ubi Pater dicitur *ſolus verus Deus*, ita ſcribit: " Debitus Patri à Filio honor red- " ditur, cum dicit: *Te ſolum verum Deum.* " Non tamen Filius à Dei veritate ſe ſecer- " nit, cum adjungit: *Et quem miſiſti Jeſum* " *Chriſtum.* Non habet intervallum con- " feſſio credentium, quia in utroque ſpes " vitæ eſt. Nec Deus verus ab eo defe- " cit, qui in conjunctione ſuccedit. Cum " ergo dicitur, *ut cognoſcant te ſolum verum* " *Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*; " ſub hac ſignificatione, id eſt, mittentis " & miſſi, non Patris & Filii veritas & " Divinitas ſub aliqua aut ſignificationis " aut dilationis diverſitate diſcernitur; ſed " ad gignentis & geniti confeſſionem fides " religionis inſtruitur." His verò omnibus teſtimoniis illud coronidis locô adjiciam: unicum eſſe in Trinitate principium, principii expers, nempe Patrem, dogma fuiſſe in primæva Eccleſia tam fixum, ratum ac ſtabilitum, ut in quadrageſimo nono Canonum, qui dicuntur Apoſtolorum, damnetur, quiſquis baptizaverit εἰς τρεῖς ἀνάρχους, *in tres principii expertes.* Ad quem Canonem hæc adnotavit Zonaras: ἕνα γὰρ ἄναρχον ἡ ἐκκλησία σέβειν παρέλαβε, τὸν πατέρα, διὰ τὸ ἀναίτιον· καὶ ἕνα υἱὸν, διὰ τὴν ἄῤῥητον γέννησιν· καὶ ἕνα παράκλητον, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· i. e. " Unum quidem principii expertem " Eccleſia accepit adorandum, nempe Pa- " trem, propterea quòd cauſam non habeat: " & unum Filium, propter ineffabilem ge- " nerationem: & unum Paracletum, Spiri- " tum ſanctum."

§. 7. Hæc autem Theſis notatu imprimis digna eſt propter Neotericos quoſdam, qui Filium propriè dici poſſe αὐτόθεον, h. e. *à ſeipſo Deum*, pertinaci ſtudiô contendunt. Hæc ſententia tum ipſorum Hypotheſibus, qui

qui illam defendunt, tum Catholico consensui repugnat. Aiunt scilicet illi, Filium à Deo Patre esse, quà Filius est, non quà Deus est; personam, non essentiam sive naturam divinam, à Patre accepisse. Atqui hoc sibi ipsi contrarium est. Nam, ut rectè Petavius *, non potest Filius à Patre gigni, nisi ab eo naturam ac Deitatem accipit. Quid enim aliud est generari, quàm nasci ex altero in similitudinem naturæ? Ita naturam ab illo communicatam habeat necesse est ille qui gignitur, ut in ea gignenti sit similis. Si verò Christus, quà Filius est Dei, Deus non est, aut sine Deitate, solam à Patre relationem accipit. Addo ego, personam hîc sine essentia concipi non posse; nisi statueris personam in divinis nihil aliud esse, quàm merum τρόπον ὑπάρξεως, quod planè Sabellianum est. Hinc idem Petavius † alibi errorem illorum, qui Filium à seipso Deum esse statuunt, meritò pronuntiat, non verbi solum & locutionis, ut Bellarmino placuit, sed prorsus rei esse, & quidem gravissimum. Rationem hanc subjungit, quòd id in Trinitate funditus delet & evertit, quod alioquin apertè profiteri videatur: generari à Patre Filium. Neque enim, inquit, generatio sine alicujus rei communicatione potest animô concipi; rei porro non alterius, quàm naturæ, essentiæ, substantiæ: cum sit οὐσιώδης, id est, *substantialis* productio; in eoque ab reliquis propagationibus, quæ secundum qualitatem & quantitatem fiunt, generatio discrepet. Cæterum si generatione communicatur essentia Filio, utique hic à Patre essentiam habet, non à se. Alioquin aut non gigneretur, aut non ab alio gigneretur. Hinc rectè Damascenus de Orthod. Fide l. 1. c. 10. πάντα ἓν, inquit, ὅσα ἔχει ὁ υἱὸς καὶ τὸ πνεῦμα, ἐκ τοῦ πατρὸς ἔχει, καὶ αὐτὸ τὸ εἶναι· i. e. "Omnia, quæ-"cunque habet Filius & Spiritus sanctus, "à Patre habet, etiam ipsum esse.

§. 8. Quomodo autem ista sententia Catholico consensui repugnet, paulò superiùs ostendi. Certè ipsa Synodus Nicæna decrevit, Filium esse Deum de Deo: qui verò Deus de Deo est, dici non potest à seipso Deus sine manifesta contradictione. Sed quorsum ego Nicænæ Synodi auctoritate constringere eos annitar, qui Synodi illius auctoritatem ne flocci quidem facere videntur? Nam primipilus & antesignanus eorum, qui istam sententiam propugnârunt non veritus est sanctissimos & venerandos Nicæni Concilii Patres *fanaticos* appellare, & formulam confessionis illorum, *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, duram* vocare, in qua manifesta sit βατλολογία, quin & carmen potiùs cantillando aptum, quàm confessionis formulam. Horresco hæc referens, adeoque piam ac studiosam juventutem seriò hortor, ut à spiritu sibi caveat, ex quo talia profecta fuerint. Multum quidem debemus Viro illi, ob operam egregiam in purganda Ecclesia Christi à Papisticis superstitionibus navatam. Absit tamen, ut pro Magistro illum habeamus, aut in verba ejus juremus, aut denique errores ejus manifestos, & novitia placita, à Catholico consensu abeuntia, liberè, ubi res postulaverit, notare reformidemus. Quisquis, quantuscunque alioqui sit, veteris Ecclesiæ Catholicæ auctoritatem contempserit, eatenus nullam ipse apud nos fidem aut auctoritatem merebitur.(*) Certè carmen illud, quod tantopere risit Vir magnus, cantillârunt Episcoporum circiter trecentorum & innumerorum Presbyterorum ac Diaconorum sacer Chorus, in primô & augustissimo Conciliorum Oecumenicorum congregatus. Eandem cantilenam mirâ harmoniâ cecinerunt Doctores Catholici, qui Synodum istam antecessere, ut ex iis, quæ ad Sectionem secundam & tertiam attulimus, manifestum est. Ut verbò dicam, Filium Dei Deum esse de Deo, vox & cantio est (si qua alia) totius Ecclesiæ Christi Catholicæ, Dei ipsius voci in sacris oraculis consonans, cui nemo citra ingens sui periculum occinuerit.

§. 9. Unum illud præterea ex Petavio || adjiciam, illam sententiam primorum etiam Reformatorum, Lutheri nempe & Melanchthonis, doctrinæ manifestè contrariam esse. Nam Lutherus libro de captivit. Babylon. inter alia multa perperam ab Ecclesia corruptâ determinata, istud Lateranensis Synodi decretum enumerat: *Essentiam divinam nec generari, nec generare.* Quis igitur dubitet, quin idem pro manifesto errore habuisset illorum sententiam, qui apertè negant Deum de Deo nasci, docentque Filium non à Patre, sed à seipso Deum esse? Philippus Melanchthon in Enarratione Symboli Nicæni verè dici putat *nasci essentiam, quæ*

Tom. 2. op. fol. 70.

* De Trinit. l. 3. c. 3. n. 3. † De Trinit. l. 6. c. 11. n. 10. || De Trinit. l. 6. c. 12. n. 1.

(*) Similiter Saravia in Prologo Defensionis contra Bezam: *Hoc libere dico: quisquis Patribus omnem authoritatem adimit, ipse sibi nullam relinquit.*

quæ Filius est; sicut in Symbolo dicitur, Deus de Deo, lumen de lumine. Tum huic argumento, quod opponitur: Idem seipsum non gignere, quare cum essentia sit eadem, non posse essentiam gignere essentiam; respondet: " Idem quatenus est incommunica-
" bile, non gignere se; sed idem quod est
" communicabile, communicari genito. Est
" autem essentia communicabilis, ideo com-
" municatur genito." Interim perridiculè ibidem Petavius de conflictu inter se Hæreticorum, quos vocat, sibi adblanditur. Quasi scilicet nullus esset inter Theologos Romanæ Ecclesiæ conflictus. Imò in hoc ipso negotio inter Sententiarum Magistrum & Richardum Victorinum (ut de Joachimo Abbate nihil dicam) manifesta est ἀντιλογία· hôc dicente, (cum Augustino cæterisque Patribus) *substantiam gignere substantiam, & sapientiam sapientiam*; illo contrà asserente, *essentiam non gignere essentiam.* Frustra enim in capite isto Petavius prorsus repugnantes sententias componere adnititur. Fatetur ipse, " plerosque omnes
" Scholasticos & Theologos sentire, adver-
" sus Richardi doctrinam pro Magistri do-
" gmate Lateranensem præjudicâsse Syno-
" dum." Ignoscat verò nobis Jesuita, si plerisque omnibus Scholasticis & Theologis potiùs, quam uni Petavio assentiamur. Dicam amplius: iisdem argutiis, quibus Magistri & Lateranensis Concilii sententiam dealbare nititur Petavius, potuisse ipsum Calvini etiam errorem, in quem tam acriter invehitur, excusare; quod cuivis rem pressiùs consideranti facilè patebit. Utinam verò hîc tandem utrinque, ex augustissimi mysterii reverentia, à tricis Scholasticis prorsus abstineretur, atque Ecclesiæ Catholicæ sententiam, quæ statuit, Filium Deum esse de Deo, Deum verum de Deo vero, sancta fidei simplicitate amplecteremur omnes.

§. 10. Cæterum quod nonnemo, obtendit* Filium ab Origene contra Celsum lib. 3. dici αὐτοσοφίαν, αὐτοαλήθειαν, αὐτοδικαιοσύνην, (quem locum suprà (†) citavimus) id prorsus nullius est momenti. Certum est enim, in istis vocibus pronomen αὐτὸ significare tantùm ipsissimam rei veritatem, non causam aut originem: ut nihil aliud voluerit Origenes, quàm Filium esse ipsissimam, hoc est, perfectissimam sapientiam, veritatem ac justitiam, qualis est ipse Pater; haud interea negans, Filium hasce omnes naturæ divinæ perfectiones aliunde, hoc est, à Patre suo, accepisse. Nempe sic alibi idem Origenes Christum appellat non modò αὐτοσοφίαν, sed & αὐτολογὸν, Comment. in Joannem Tom. 32. † Ubi manifestum est, αὐτολογὸν dici non qui à seipso filius; (quid enim ista locutione magis absurdum esse possit?) sed qui ipsissimus, hoc est, verus, genuinus ac germanus Dei Filius sit. Quo sensu etiam Athanasius voces easdem Filio Dei addicit locô suprà itidem à nobis recitatô. Atque isto sensu Filium αὐτοθεὸν, hoc est, verum atque ipsissimum Deum dici posse ac debere, inficias iverit Catholicorum nemo. Hinc ipse Eusebius, qui subordinationem Filii ad Patrem, ut ad sui originem ac principium (si quisquam alius) agnovit, non dubitavit tamen dicere, || Servatorem οἷα τὴν καθόλου Θεοῦ παῖδα γνήσιον καὶ αὐτοθεὸν προσκυνεῖσθαι, καὶ εἰκότως· *tanquam summi Dei genuinum Filium & αὐτοθεὸν adorari, atque id jure merito.* Ubi voce αὐτοθεὸς non eum, qui à seipso Deus, sed qui verè Deus est, denotari constat, tum ex eo quòd hîc αὐτοθεὸς vocetur *Filius Dei*; tum hinc quod eodem spiritu Pater dicatur *summus Deus*; tum inde etiam quod vox αὐτοθεὸς sit manifestè exegetica ejus quod præcesserat, *genuinus filius*; tum denique ex iis, quæ in eadem Oratione sequuntur. Nam paulò pòst Eusebius de Regno & summo imperio Servatoris nostri locutus, ait: τί γὰρ καὶ ἐμελλε τοῦ παμβασιλέως, καὶ παντηγεμόνος, καὶ αὐτοῦ Θεοῦ λόγου ἐνστήσεσθαι τῷ νεύματι. i. e. *Quid enim obsistere poterat nutui ac voluntati Verbi, omnium Regis ac Principis, & Dei ipsissimi?* Scilicet Filius ab Eusebio dicitur αὐτοθεὸς, quia sit αὐτὸς Θεὸς, verè Deus seu Deus ipse. Fortasse autem operæ pretium fuerit obiter recitare, quæ ad locum adnotavit præstantissimus Valesius (*): " No-
" tandus est, *inquit*, in primis hic locus,
" in quo Eusebius Christum vocat αὐτοθεὸν,
" id est, per se ac verè Deum. Hic enim
" unicus locus, meô quidem judiciô, suf-
" ficit ad repellendas omnes calumnias
" eorum, qui Eusebium nostrum Ariani
" dogmatis labe aspersum fuisse credide-
" runt."

---

* Chamier. corp. Theolog. l. 3. c. 19. p. 106.

(†) Sect. 2. Cap. 9. §. 6. † P. 416. Edit. Huetii.

|| Orat. habita in dedicat. Ecclesiæ Tyri, inserta Hist. Eccles. l. 10. cap. 4. Edit. Vales. p. 375.

(*) In Notis ad Euseb. p. 191.

" runt." Abunde igitur purgatur Pater doctiſſimus ab Arianiſmi criminatione, illuſtrioribus illis teſtimoniis; quæ ſuprà * ex ipſo adduximus. Sed ad Origenem redeo. Is Patrem ſolum αὐτόθεον, hoc eſt, *à ſeipſo Deum* dici poſſe ac debere diſertis verbis affirmat Commentar. in Joan. Tom. 2. † ubi iis, qui ne unum Deum negâſſe viderentur, vel Patrem & Filium eandem eſſe perſonam, vel alienum à Patris eſſentia Filium eſſe ſtatuerunt, ſic occurrit: λεκτέον δὲ αὐτοῖς, ὅτι τότε μὲν αὐτόθεός ἐστιν ὁ Θεός ἐστι· διόπερ καὶ ὁ σωτὴρ φησιν ἐν τῇ πρὸς τὸν πατέρα εὐχῇ· ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεόν. πᾶν δὲ τὸ θεὸν δὲ τὸ αὐτόθεος μετοχῇ τοῦ ἐκείνου θεότητος θεοποιούμενον· i. e. " Dicendum eſt illis, quòd αὐτόθεος quidem [hoc eſt à ſe Deus] Deus ille eſt " cùm articulo: propter quod & Servator in precatione ad Patrem inquit: *Ut* " *cognoſcant te illum ſolum verum Deum.* " Quicquid verò eſt præter hunc, qui αὐτόθεος dicitur, participatione & communione Divinitatis illius deificatum eſt." Interim eo ipſo in loco diſertè damnat Origenes ἀρνουμένους τοῦ θεότητα τοῦ υἱοῦ, πίστεως αὐτοῦ τοῦ ἰδιότητα καὶ τοῦ οὐσίαν κατὰ περιγραφὴν τυγχάνουσαν ἑτέραν τοῦ πατρός· " Eos qui " negant Filii Divinitatem, ponentes ipſius " proprietatem & ſubſtantiam per deſcri- " ptionem exiſtere aliam à Patre." Confeſſus eſt igitur Adamantius, Patrem & Filium ejuſdem eſſe ſubſtantiæ, proinde Filium verum Deum eſſe perinde ac Patrem: hoc, inquam, confeſſus eſt eodem ſpiritu, quô Patrem ſolum αὐτόθεον, *à ſeipſo Deum* dici poſſe pronuntiavit: ut fruſtra hanc Origenis ſententiam carpſerit Petavius. Vide ſis Huetium in locum: nos ad alia progrediamur.

---

* Vide Sect. 3 c. 9. n. 10.

† P. 47. Edit. Huetii.

ANNOTAT.

Ad §. 10.

LOcis Origenis, Athanaſii & Euſebii, allegatis pro phraſi, quâ Filius DEI αὐτόθεος dicitur, addi poteſt auctoritas Epiphanii Hæreſ. LXXVII. ὁ θεὸς λόγος ὢν ἑαυτῷ ἔχων τὸ πᾶσαν τελειότητα, αὐτοτέλειος ὢν, αὐτόθεος ὢν, αὐτοδύναμις, αὐτονοῦς, αὐτοφῶς. *Deus Verbum in ſe ipſo omnem habens perfectionem, per ſe perfectus exiſtens, per ſe DEUS exiſtens, per ſe potentia, per ſe mens, per ſe Lux.* Quô ſenſu autem hæc ab illis dicta, & à nobis accipienda ſint, optimè declaratur verbis Athanaſii prope finem Protreptici pag. 51. Tom. 1. Edit. Paris 1627. Οὐ κατὰ μετοχὴν ταῦτα ὢν, οὐδὲ ἔξωθεν ἐπιγινομένων τούτων αὐτῷ, κατὰ τὸς αὐτοῦ μετέχοντας καὶ σοφιζομένους δι' αὐτοῦ, καὶ δυνατοὺς, καὶ λογικοὺς ἐν αὐτῷ γινομένους, ἀλλ' αὐτοσοφία, αὐτολόγος, αὐτοδύναμις ἰδία τοῦ πατρός ἐστιν. *Non participatione talis exiſtens, aut quòd talia extrinſecus ei accidant, ſicuti res ſe habet in iis, qui illius participes ſunt, & per ipſum ſapientes, ac in ipſo potentes, atque rationales efficiuntur; ſed quòd ipſa ſit ſapientia, ipſa ratio, ipſa potentia propria Patris ſit.* Nimirum αὐτὸ nominibus præfixum plerumque ſignificat, rem nomine ſignificatam propriè, eſſentialiter, & vi naturæ ſuæ talem eſſe; ſicuti Suidas docet in Lexico his verbis: Αὐτὸ ἔλεγον οἱ φιλόσοφοι τὸ κυρίως λεγόμενον καὶ τῇ ἰδέαν διὰ τοῦ αὐτὸ ἐδήλουν, αὐτοάνθρωπος λέγοντες· καὶ αὐτοδοξαστὸν τὸ κυρίως καὶ μᾶλλον δοξαστόν. *Vocem* αὐτὸ *Philoſophi uſurpant de eo quod propriè dicitur: & per hoc* αὐτὸ *ideam rerum deſignabant, dicentes* αὐτοάνθρωπος (*Ipſe homo*, ſive *idea hominis:*) *Et* αὐτοδοξαστὸν *appellant, quod præcipuè & magis eſt opinabile.* Atq; hac ratione Chriſtum αὐτόθεον dici, nemo Catholicus negaverit, ut Clariſſ. Auctor noſter rectè obſervat; nec minùs rectè negat αὐτόθεον appellandum, quatenus præfixum αὐτὸ denotat, hoc vel illud à ſe ipſo tale eſſe, non verò ab alio derivatam habere ſubſtantiam vel qualitatem. Certum enim eſt, Chriſtum Deitatem & attributa divina à Patre accepiſſe.

CAP. II.

Proponitur & confirmatur Thesis secunda, qua ostenditur, Veteres uno ore docuisse, tum Deum Patrem, eo quod origo & principium ipsius sit, Filio majorem esse, tum κατὰ φύσιν *æqualem esse Patri Filium.*

§. 1. SUbordinationem Filii ad Patrem, ut ad sui originem ac principium, communiter agnoviisse Veteres, in superiori Capite satis luculenter, ut opinor, demonstravimus. Nunc quid consequenter iidem statuerint, ostensuri, hanc Thesin illustrandam & confirmandam proponimus:

THESIS SECUNDA.

Catholici Doctores, tum qui Synodo Nicæna anteriores fuere, tum qui postmodum vixerunt, unanimi consensu Deum Patrem etiam secundum Divinitatem Filiô majorem esse statuerunt: nempe, non naturâ quidem, aut perfectione aliqua essentiali, quæ in Patre sit, & non in Filio; sed auctoritate solâ, hoc est origine; quoniam à Patre est Filius, non à Filio Pater.

Duo in hac Thesi asserimus, primò statuisse priscos, Deum Patrem etiam secundum Divinitatem Filiô majorem esse: deinde docuisse ipsos nihilominus, Patrem sola origine Filiô majorem esse; secundum naturam verò ambos esse æquales. Hoc utrumque consentiente suffragiô tradidisse Veteres, ostendemus, ab iis Patribus, qui ante Arianam controversiam scripserunt, initium facientes.

§. 2. Ex quibus Justinus, omnium penè antiquissimus, ordinem quendam, & dignitatis quasi gradus in SS. Trinitate manifestè statuit. Nam in Apologia, quæ in vulgatis editionibus secunda dicitur, ait Christianos Filium Dei ἐν δευτέρᾳ χώρᾳ ἔχοντας,
p. 60. *in secundo loco habentes, cum ratione venerari.* Et continuò ibidem iterum dicit, Christianos jure merito Jesu Christo δευτέραν χώραν μετὰ τὸ ἄτρεπτον καὶ ἀεὶ ὄντα Θεὸν καὶ ποιητὴν τῶν ἁπάντων διδόναι· *Secundas post incommutabilem & sempiternum Deum ac parentem omnium deferre.* Idem in eadem Apologia:
p. 74. ἡ δὲ πρώτη δύναμις μετὰ τὸν πατέρα πάντων καὶ δεσπότην Θεὸν, καὶ υἱὸς, ὁ λόγος, ἐστίν. i. e. *Prima autem potestas post Parentem & Dominum universorum Deum, & Filius, Verbum est.* Cui geminum est quod in eadem rursus Apologia Filium ap-
p. 93. pellat τὴν μετὰ τὸ πρῶτον Θεὸν δύναμιν, *proximam post primum illum Deum potestatem.* Denique in Dialogo cum Tryphone Filium nuncupat Θεὸν λειτουργὸν ὄντα τοῦ ποιη-
p. 279. τοῦ τῶν ὅλων Θεοῦ, *Deum, qui administer est Dei universorum creatoris.* Idem tamen Justinus alibi, nempe in Epistola ad Diognetum, Filium Dei λειτουργὸν esse disertè negat, ipsum opificem & creatorem omnium illum appellans. Locum illustrissimum integrè citatum reperies suprà Sect. 2. c. 4. n. 6. Pag. 358. Quomodo autem, inquies, componi hæc possint? Facilè, inquam ego. Cum Filius dicitur proximus & secundus post Patrem, & minister Patris, hæc personarum subordinationem, quatenus altera ex altera originem habet, non differentiam aut inæqualitatem naturæ in personis divinis significant. Pater, ut Pater, in sacrosancta Triade primus est; Filius post Patrem secundus. In operationibus divinis omnibus minister est Patris Filius, quatenus hic à Deo Patre, qui est fons & origo ut essentiæ, ita operationum divinarum omnium, operatur, & Deus Pater per ipsum; non ab ipso Deus Pater, aut per Patrem ipse. Unde Clemens Alexandrinus, quô nemo magis Catholicè de hoc articulo sensit, non dubitavit tamen ita de Filio Dei scribere:

Strom. 7. p. 703. ſcribere: πᾶσα δὲ τοῦ κυρίου ἐνέργεια ἐπὶ τὸν παντοκράτορα τὴν ἀναφορὰν ἔχει, ἣ ἔστιν, ὡς εἰπεῖν, πατρική τις ἐνέργεια ὁ υἱός· i. e. *Omnis autem Domini operatio relationem habet ad Omnipotentem: & eſt Filius paterna quædam, ut ita dicam, operatio.* Interim Juſtinus pleriſque in locis, ubi Filium Patris miniſtrum vocat, οἰκονομίαν illam reſpicit, quam ipſe Filius non ab incarnatione ſua primùm, ſed ab ipſo lapſu humani generis ſponte ſuſcepit, ob hominum ſalutem procurandam, ut poſtmodum docebo. Cæterum miniſter Dei Patris eſſe meritò negatur Filius, reſpectu divinæ ejuſdem naturæ, quam cum Patre communem, etſi à Patre communicatam, habet: hoc eſt, quatenus ex creaturis Dei neutiquam eſt, quæ propriè ſupremo Deo miniſtrare & ſervire dicuntur, ſed Deus verus, perinde ac Pater. Meritò quoque ipſe opifex & creator omnium dicitur Filius, perinde ac Pater, quatenus cum à Patre naturam atque omnipotentiam divinam acceperit, non alienâ tamen, ſed ſuâ, hoc eſt ſibi inſitâ & naturali virtute & omnipotentiâ univerſa condidit. Sane Veteres nonnulli dixerunt etiam, Patrem per Filium, ut *inſtrumentum*, hunc mundum condidiſſe; intelligentes nimirum inſtrumentum non *extraneum*, ſed *connaturale*, ut bene alicubi monuit Grotius. Hinc Irenæus miniſtrare dixit Patri Filium, etiam in ipſa rerum creatione: qui tamen, ſi quiſquam alius, ἰσότητα Patris & Filii, κατὰ φύσιν ſpectatorum agnovit; quemadmodum jam ſuprà luculenter oſtendi, & paulò inferiùs adhuc clariùs oſtenſurus ſum. Rem totam plenè & accuratè complexus eſt paucis verbis ipſe
Pag. 358. alibi Juſtinus, nempe in Dialogo cum Tryphone; ubi ad locum Geneſeos, *Pluit Dominus ignem à Domino de cœlo*, hæc annotat: δύο ὄντας ἀριθμῷ μηνύει ὁ λόγος ὁ προφητικός· τὸν μὲν ἐπὶ γῆς ὄντα, ὃς φησι καταβεβηκέναι ἰδεῖν τὴν κραυγὴν Σοδόμων· τὸν δὲ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ὑπάρχοντα, ὃς καὶ τοῦ ἐπὶ γῆς κυρίου ἐστὶν, ὡς πατὴρ καὶ Θεὸς, αἴτιός τε αὐτῷ τοῦ εἶναι, καὶ δυνατῷ, καὶ κυρίῳ, καὶ Θεῷ· i. e. *Duos propheticus ſermo numerô eſſe indicat: alterum in terris, quem deſcendiſſe ait ad clamorem Sodomorum inſpiciendum: alterum in cœlis, qui etiam Dominus eſt Domini in terra apparentis, nempe quatenus ejus Pater & Deus eſt, atque auctor ipſi ut ſit, & quidem præpotens, & Dominus, & Deus ut ſit.* Dico, ex hac una brevi ſententia clavim nobis porrigi, ad ſenſum Juſtini aperiendum iis in locis, ubi minùs honorificè de Filio Dei loqui videatur. Docet hîc, Deum Patrem eſſe Deum ac Dominum Filii ſui: quomodo? quatenus eſt fons Divinitatis, & cauſa Filio, ut ſit. Idem tamen eodem ſpiritu haud minùs apertè docet, Filium eſſe Deum ac Dominum, perinde ac Patrem; ſive Patrem dediſſe Filio ut ſit, quod ipſe eſt, nempe Deus ac Dominus. Patre igitur minor eſt Filius κατ' αἰτίαν· æqualis verò eſt Patri Filius κατὰ φύσιν. Deus ac Dominus eſt Filius æquè ac Pater; & in hôc ſolo diſcrepat à Patre Filius, quòd Deus & Dominus ſit à Patre Deo ac Domino: hoc eſt, Deus licet de Deo ſit, de vero tamen Deo Deus verus eſt, ut definivit Synodus ipſa Nicæna. Atque hanc ipſam Juſtini mentem eſſe (ſiquid forte in verbis tam diſertis obſcurum videri cuiquam poſſit,) hinc certiùs colligimus, quòd in proximè præcedentibus generationem Filii ex Patris eſſentia deſcribens dixerat, Filium ex Patre genitum eſſe non per diſpertitionem paternæ eſſentiæ, ſed per ſimplicem communicationem, qualis eſt inter ignem accendentem, & ignem accenſum. Ignis accenſus naturâ planè idem eſt, quod ignis, à quo accenditur, ſicut alibi expreſsè monet ipſe Juſtinus: neque ulla in re ab ipſo differt, niſi communicatione illâ. Ita nimirum Filius verum lumen eſt divinum, perinde ac Pater: neque ipſo ulla ratione inferior eſt, niſi quòd ſit *lumen de lumine*, ut rurſus decrevit Synodus Nicæna. Ac ſane, ut ſemel illud Lectori ſuggeram, quiſquis Filium Patri ὁμοούσιον eſſe agnoſcit, (quod agnoverunt cum Juſtino primævi Patres ad unum omnes, ut in ſuperioribus oſtendi,) is eo ipſo conſequenter Filium Patri κατὰ φύσιν æqualem eſſe, neceſſariò confitetur. Quomodo enim, te obſecro, credere aliquis poteſt, eandem divinam naturam Filio cum Patre communem eſſe, qui putat, eſſentiali aliqua divinæ naturæ proprietate Filium carere, ac propterea Patre inferiorem eſſe? Si Chriſtus Dei Filius eſt, & quidem verus, nempe ex ipſa eſſentia paterna progenitus, neceſſe eſt æqualis genitori ſuo ſit, quod ad naturam ſpectat, hoc eſt, in iis, quæ Patri, quà eſt Deus, competunt. Id quod in animantium omnium, & hominum ſpeciatim, propagatione cernimus: quippe omnes homines naturâ pares & æquales ſunt, atque accidentibus tantùm differunt, quæ in naturam divinam nulla cadunt. Imò nulla ſubſtantia magis & minus admittit: quæ autem magis ac minus non recipiunt, nulla poteſt diſſimilitudinis, aut majoris ac minoris perfectionis inter illa fieri contentio. Sed illud obiter. Ab Juſtino ad alios Patres tranſeo.

Vid. Sect. 2. c. 4. n. 3.

§. 3. Irenæus Patrem Filiô majorem eſſe diſertè pronuntiat lib. 2. c. 49. *Solus*, inquit,

quit, *verax magister est Dominus, ut discamus per ipsum, super omnia esse Patrem. Etenim Pater, ait, major me est.* Sed ibi humanam imprimis Christi naturam respexisse sanctum Scriptorem, suprà ostendi. Verùm in lib. 3. c. 8. præcepisse ait Patrem Filio, ut mundum faceret ; & l. 4. c. 17. Filium ministrare Patri in omnibus dicit : quæ ἐξοχὴν quandam Patris supra Filium, etiam quà maximè propriè Dei Filius est, manifestè significant. Idem tamen Irenæus alibi (nempe lib. 4. c. 8.) dicit *immensum Patrem in Filio mensuratum, & mensuram Patris Filium esse, quoniam & capit eum.* Quô in loco Patris & Filii æqualitatem, quod ad naturam attinet, perspicuè declarari, in superioribus abunde demonstravimus. Itaque juxta Irenæum, idem Filius, qui suæ respectu ex Patre originis, & susceptæ οἰκονομίας, ipso minor est, ratione naturæ divinæ, quam cum Patre communem habet, ipsi æqualis est ; ita scil. ut ipsum immensum Patrem, quantus quantus sit, totum capiat comprehendatque. Itidem in celebri illo loco lib. 2. c. 43. ubi comparationem instituit inter Verbum & creaturas, hoc præcipuum discrimen expressè notat, quòd nulla creatura *æqualis sit factori*, hoc est Deo Patri : eô ipso manifestè significans, Verbum & Filium Dei Deo Patri prorsus æqualem esse. Locum Irenæi integrum videas adductum Sect. 2. c. 5. n. 5. Sed quid multis opus est ? Legat, quisquis hac de re dubitat, Irenæi lib. 2. c. 24. Ibi in eo totus est Vir sanctus, ut ostendat contra Valentinianos, non nisi perabsurdè, neque absque blasphemia statui posse, τὸ λόγον imperfectum à Patre perfecto emissum esse. Acriter ibidem reprehendit eosdem Hæreticos, qui cum Nun suum, perfectum Æonem & Parenti omnium prorsus æqualem statuerint, τὸ λόγον tamen, Nû progeniem, imperfectum, & in deminoratione, ut Interpres loquitur, positum esse crediderint. Ex multis quæ in capite illo eò spectant, hæc pauca recitabimus : *Non enim*, inquit, *ut compositum animal quiddam est omnium Pater, præter Nun, quemadmodum præostendimus ; sed Nus Pater, & Pater Nus. Necesse est itaque & eum qui ex eo est Logos, imò magis autem ipsum Nun, cum sit Logos, perfectum & impassibilem esse.* Et mox : *Non igitur jam Logos, quasi tertium ordinem generationis habens, ignoravit Patrem, quemadmodum docent hi. Hoc enim in hominum generatione fortasse putabitur verisimilius esse, eò quòd sæpe ignorant suos parentes ; in Logo autem Patris omnimodo impossibile est.* Postmodum ibidem fidenter pronuntiat, *à recta ratione cœcutientes esse, qui Sermonem in deminoratione emissum dicunt.* Certô itaque certius est, Irenæum Dei Patris & τῦ λόγυ seu Filii ipsius æqualitatèm, quod naturam utriusque spectat, agnovisse.

Vid. Sect. 2. c. 5. n. 4.

§. 4. Clemens Alexandrinus Filium Dei post Patrem suum proximam esse potestatem, visus est docuisse Strom. 7. quem locum adduximus Sect. 2. c. 6. n. 6. Sed idem Clemens Pædag. l. 1. c. 6. (cujus etiam loci verba suprà ibidem attuli,) Filium dicit esse *Verbum perfectum, ex perfecto Patre natum* : hoc est, Filium Patri suo, à quo progenitus est, nullo perfectionis genere inferiorem. Disertiùs verò loquitur in loco antea itidem à nobis citato ex Admonitione ad Gentes : ὁ θεῖος λόγος, φανερώτατος ὢν τῶν ὅλων θεὸς, ὁ τῷ δεσπότῃ τῶν ὅλων ἐξισωθεὶς· ὅτι ἦν υἱὸς αὐτῦ, καὶ ὁ λόγος ἦν ἐν τῷ θεῷ· i. e. *Verbum divinum, qui revera est Deus manifestissimus, & universorum Domino exæquatus : quoniam erat ejus Filius, & Verbum erat in Deo.* En ! Verbum seu Filium Dei, quem respectu originis Patri proximum & secundum alibi dixerat, hîc Patri exæquatum esse disertè pronuntiat : idque eo nomine, quòd ipsius Filius sit, hoc est, ex ipso natus, ejusdemque cum ipso naturæ & essentiæ ; quòdque in Deo sit Verbum, id est, in ipsa essentiâ divina, in qua nihil imperfectum est, subsistat. Apprime autem notandum est, Clementem eodem quasi spiritu, quô Filium Patri æqualem statuit, ἐξοχὴν tamen quandam & prærogativam Patris præ Filio agnoscere, dum Patrem appellat universorum Dominum. Scilicet Deus Pater διακριτικῶς dicitur Dominus universorum, quia causa est & origo non modò creaturarum omnium, sed & ipsius Filii sui, diversa licet ratione : hujus nempe causa est per æternam ex ipsa essentia sua generationem ; illarum per productionem ex nihilo, quæ in tempore facta est. Salvâ igitur hac Patris prærogativâ, quâ Pater est & origo τῦ ὄντος, *entis universi*, docet Clemens, Filium ipsi æqualem esse ; nempe quatenus eandem naturam divinam cum Patre communem habet. Mira verò sunt, quæ ad illustrem hunc Clementis locum respondet Sandius. *Appareret*, inquit, *corruptum esse.* Itane verò ? Proferat igitur Sandius vel unum Codicem, in quo locus aliter legatur ? Non potest. Sed nimirum antiquum hîc obtinet Sophista. Quotiescunque Veteris alicujus testimoniô premitur, cujus vim alia ratione nequit eludere, nodum, quem solvere non potest, secare solet ; impudenter asserens, reclamante licet omnium Codicum consensu, depravatum esse locum, Auctorem aliter sensisse & scripsisse.

Append. ad Nucl. H. E. p. 99, & 13

ſcripſiſſe. Quis autem nugatori jus illud dedit in veteres Scriptores, ut quiquid in iis ipſi diſplicet, tanquam ſpurium rejiceret? *Atqui*, inquit, *ex ratione producta apparet eſſe corruptum*; *immediatè enim ſubjungit Clemens*: Quoniam erat ejus Filius. *Ex qua ratione contrarium omnino Gentibus elicere promtum erat, quibus nunquam in mentem venerat, Filium ſtatuere Patri æqualem & coævum.* Sed quorſum hîc addidit Sandius vocem *coævum?* Nimirum in loco citato vocabulum illud non habetur, neque in eo directè agit Clemens de Filii τῷ συναϊδίῳ (illud aliis in locis aſſeruit, quæ alibi adduximus,) ſed de eo quod naturâ æqualis ſit Patri: quod rectiſſimè inde colligit, quòd Patris ſit verus & genuinus filius, ex ipſius ſubſtantia progenitus, atque in ipſo ſubſiſtens. Hæc, inquam, illatio omnium judiciô firma & ſolida eſt. Nam Pater homo & Filius homo, reſpectu ejuſdem humanæ naturæ utrique communis, pares & prorſus æquales ſunt, ut paulò antè dixi. Cæterum ſi Clemens Filium eſſe Patri etiam coævum, ex eadem ratione collegiſſet, à ſcopo non aberrâſſet. Filii τὸ συναΐδιον ex ejus τῷ ὁμοσίῳ neceſſariò ſequitur, quemadmodum alibi oſtendimus. Quanquam enim in hominum genere neceſſe ſit, Filius Patre ſuo tempore ſit poſterior; de Deo tamen prorſus aliter ſtatuendum eſſe, ipſa ratio ſuadet. Non poteſt perſona aliqua ex & in ipſa divina eſſentia incipere exiſtere, quæ priùs non fuit, ſalvâ naturæ divinæ immutabilitate. Atqui immutabilem eſſe Deum, eſt κοινὴ omnium hominum ἔννοια. Itaque ſi Filius ſit verus & genuinus Dei Patris Filius, hoc eſt, ex ſubſtantia Patris ortum habens, & in ipſo ſubſiſtens; neceſſe eſt, Patri ſuo ut naturâ æqualis, ita coævus & coæternus ſit. Reſponſionem ſuam ſic demum claudit Sandius: *Qua ratione*, inquit, *Clemens Filium æqualem ſtatuere potuerit, non video, qui eum patriæ voluntatis miniſtrum dicit.* Verùm ſi nondum, dum iſta ſcriberet, hoc vidit Sandius, videat illud tandem ex iis, quæ in hoc Capite diſſeruimus. Profectò, ut liberè dicam, quæ hîc & in ſequentibus diſputat Enucleator, hominem ſapiunt, qui non modò à fide Catholica alienus ſit, ſed & rectô judiciô deſtitutus. Det ipſi Deus mentem ſaniorem.

§. 5. Clementi ſubjungendus eſt Tertullianus. Qui multis in locis Patri præ Filio ὑπεροχὴν manifeſtè tribuit; quod per Petavium, Sandium & alios jam penè omnibus notum eſt: ut in locis ipſis citandis operam & oleum fruſtra impenderem. Sed idem Tertullianus, quod fere ſiluerunt iſti, ſæpe etiam, nec minùs apertè & expreſsè, Filium Patri naturâ æqualem eſſe ſtatuit. Docet enim lib. 4. cont. Marc. c. 25. Patrem *Filio ſe non minori tradidiſſe omnia, quæ per eum condita ſunt.* Quem ad locum quæ reſpondit Sandius, riſu potiùs quàm refutatione digna ſunt. Nodum ſcilicet in ſcirpo quærit. Idem Tertullianus diſertè dicit, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum *unius* non modò *ſubſtantiæ*, ſed & *poteſtatis* eſſe; omnia Patris *nomina* & *attributa* in Filium etiam *competere*; Filium *pariari*, ut loquitur, & *parem* eſſe Deo Patri; Deum Patrem & Filium *jungi & æquari.* Expreſſa loca, quæ nullum effugium patiantur, recitavimus ad Sect. 2. cap. 7. n. 4. Locis verò iſtis & hæc adjicias. Tertullianus libro de Pudicitia c. 21. agnoſcit, quod & ſuprà obſervavimus, *Trinitatem unius Divinitatis, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum.* Quibus verbis omnes tres perſonas Divinitatis naturâ prorſus æquales eſſe, ſignificare voluiſſe Tertullianum conſtat. Sic enim ipſe adverſus Hermogenem cap. 7. *Neque enim*, inquit, *proximi erimus opinionibus Nationum, quæ ſi quando coguntur Deum confiteri, tamen & alios infra illum volunt. Divinitas autem gradum non habet, utpote unica.* Et mox: *Minor ſe* [*Divinitas*] *nuſquam poterit eſſe.* Unde & idem in eodem libro c. 18. expreſsè docet, Deum ab æterno habuiſſe Sophiam ſuam ſibi coexiſtentem, tanquam *non ſibi ſubditam, non ſtatu diverſam.* Ubi Sophiam, ſive Filium Dei, æqualem, & parem eſſe Deo, cujus eſt Sophia, ex eo apertè colligit, quòd non ſtatu ab ipſo diverſa, hoc eſt, ipſi ὁμοσίῳ illa ſit. Quando igitur lib. adv. Prax. c. 2. Tertullianus dicit, Patrem, Filium & Spiritum S. tres eſſe *non ſtatu, ſed gradu*; omnino per *gradum* intelligit *ordinem*, non autem majorem, aut minorem Divinitatem. Quos enim gradu tres eſſe fatetur, hos ſtatu diverſos eſſe negat. Tertulliano autem, uti vidimus, aliquid ſtatu ab altero diverſum non eſſe, idem valet atque illud ipſi non eſſe ſubditum, ſed par & æquale. Unde ibidem mox expreſsè dicit Tertullianus, tres perſonas ſacræ Triados omnes eſſe *unius poteſtatis*: & conſequenter neutram alterâ potentiorem, aut præſtantiorem eſſe. Itaque Divinitas gradum non habet, hoc eſt, nuſquam ſe minor eſt, ut ſeipſum Tertullianus diſertè interpretatur: in Divinitate tamen gradus ſunt, hoc eſt, ordo quidam perſonarum eſt, quarum altera ab altera originem ſuam trahit: ita ut Pater ſit prima perſona, à ſeipſo exiſtens; Filius à Patre ſecundus; tertius verò Spiri-

tus ſanctus, qui à Patre per Filium, ſive à Patre & Filio procedit. Quare immeritò Viri quidam docti Tertulliano dicam impegerunt hæreſis Apollinaris, qui in divinis perſonis ſtatuebat βαθμὸς τῶν ἀξιωμάτων, ut Græci Theologi loquuntur ; & dicebat, referente Theodoreto, in Trinitate eſſe τὸ μέγα, μεῖζον, μέγιστον· ὡς μεγάλου μὲν ὄντος τοῦ πνεύματος, τοῦ δὲ υἱοῦ μείζονος, μεγίστου δὲ τοῦ πατρός· i. e. *Magnum, majus, maximum : tanquam magnus quidem foret Spiritus, Filius major, maximus Pater.* Sane deliramentum iſtud apertiſſimè rejecit Scriptor doctiſſimus. Cum Tertulliano autem concinit Novatianus, ſive Scriptor libri de Trinitate, Tertulliani Operibus inſerti. Nam & ille Filium Patre minorem eſſe dum ſtatuit, ita ſe explicat, ut minoritatem iſtam (ſi ita loqui liceat,) ad ſolum originis reſpectum referat. Verba ejus expreſſa ſunt cap. 31. *Neceſſe eſt*, inquit, *ut Filius Patre minor ſit, dum in illo eſſe ſe ſcit, habens originem, quia naſcitur.* Ad ipſam verò divinam naturam quod attinet, unum eſſe Patrem & Filium idem diſertè docet. Quippe cap. 23. prope finem illa Domini noſtri verba ad Judæos explicans : *Ego & Pater unum ſumus* ; ſic ſcribit : *Ita quod ad crimen blaſphemiæ pertinet, Filium ſe non Patrem dicit : quod autem ad Divinitatem ſpectat ipſius, Ego & Pater unum ſumus, dicendo, Filium ſe eſſe & Deum probavit. Deus eſt ergo : Deus autem ſic, ut Filius ſit, non Pater.* Senſus Auctoris manifeſtus eſt : Chriſtus in ſermone ſuo ad Judæos & Patris ἐξουσίαν ac prærogativam, & ſuam ſimul Divinitatem veram, paternæ æqualem, ſartam tectam conſervavit : illam eô, quòd Patrem agnoverit, ſe verò Filium confeſſus fuerit ; hanc, ſe & Patrem unum eſſe dicendo. Unde infert Auctor, verum Deum eſſe Filium, perinde ac Patrem, cum hoc ſolo diſcrimine, quòd hic Pater, ille Filius ſit.

Theodoret. con. Hæreſ. f. 107.

§. 6. Origenes Patris prærogativam, ad Filium comparati, ex profeſſo tuetur lib. 8. contra Celſum : Ἐγὼ δὲ, inquit, τινὰς ὡς ἐν πλήθει πιστευόντων, καὶ δεχομένων διαφωνίαν, διὰ τὴν περιπέτειαν ὑποτίθεσθαι, τὸν σωτῆρα εἶναι τὸν ἐπὶ πᾶσι Θεόν· ἀλλ' ὅτι γε ἡμεῖς τοιοῦτόν, οἱ πειθόμενοι αὐτῷ λέγοντι· ὁ πατὴρ, ὁ πέμψας με, μείζων μού ἐστί· i. e. *Eſto autem non deeſſe quoſdam in tam numeroſa credentium multitudine, qui diſcrepantes ab aliis temere affirment, quòd Servator ſit Deus ille univerſorum Dominus ; nos certè hoc non facimus, qui credimus ipſi dicenti :* Pater qui miſit me, major me eſt. Noetianos, ut ſuprà obſervavimus, perſtringit, qui dicebant Servatorem eſſe ipſum Deum Patrem, qui univerſorum Dominus appellatur. Adverſus quos oſtendit, ita alium à Patre Servatorem eſſe, ut hic quadam ratione illo etiam minor ſit. Et hanc profeſſionem ſuam, tanquam communem Eccleſiæ doctrinam tradit, eos qui aliter docerent, in heterodoxorum numero reponens. Paulò pòſt ibidem Celſo, hæreticum Marcionis dogma, qui docuit, Jeſum, qui eſt à Deo Patre, ſuper mundi fabricatorem Deum eſſe, (teſte Irenæo lib. 1. c. 29. & Juſtino Apol. 2. p. 76. & Tertul. adv. Marc. lib. 1, 14. & Theodoret. lib. 1. de Hær. Fab. in Marcione) Chriſtianis tanquam communem ipſorum ſententiam objicienti, ita reſpondet : σαφῶς γὰρ ἡμεῖς, οἱ λέγοντες τὸν πάντα κτίσαντα καὶ τὸν αἰσθητὸν κόσμον εἶναι, φαμὲν τὸν υἱὸν ἐκ ἰσχυρότερον τοῦ πατρὸς, ἀλλ' ὑποδεέστερον· καὶ τοῦτο λέγομεν, αὐτῷ πειθόμενοι εἰπόντι τὸ, ὁ πατὴρ, ὁ πέμψας με, μείζων μού ἐστί· i. e. *Manifeſtè enim nos, qui dicimus, etiam viſibilem hunc mundum ejus eſſe qui univerſa condidit, prædicamus* (ita enim Græca Origenis vertenda ſunt, non ut reddidit Gelenius, ſenſum loci minimè intelligens,) *Filium non eſſe fortiorem Patre, ſed inferiorem. Id quod ipſius auctoritate affirmamus dicentis* : Pater qui miſit me, major me eſt. Denique idem Origenes lib. 5. cont. Celſum, Filium appellat τὸν δεύτερον Θεὸν, *ſecundum illum Deum.* Verumtamen hic ipſe Origenes non uno in loco, Filium Patri æqualem & parem eſſe, manifeſtè docet. Quippe in libro 6. cont. Celſum, affingenti Epicureo Chriſtianis verba iſta : *Quoniam magnus eſt Deus & contemplatu difficilis, ideo proprio Spiritu immiſſo in corpus noſtro ſimile, demiſit eum huc, ut ex ipſo poſſemus audire atque diſcere* ; ita reſpondet : ὁ μὲν δὲ μέγας καθ' ἡμᾶς ἐστὶν ὁ τῶν ὅλων Θεὸς καὶ πατήρ· μετέδωκε γὰρ ἑαυτοῦ καὶ τῆς μεγαλειότητος τοῦ μονογενοῦς καὶ πρωτοτόκου πάσης κτίσεως· ἵν' εἰκὼν αὐτὸς τυγχάνων τοῦ ἀοράτου Θεοῦ, καὶ ἐν τῷ μεγέθει σώζῃ τὴν εἰκόνα τοῦ πατρός. ὁ γὰρ οἷόντε ἦν, εἶναι σύμμετρον, ἵν' ὅτως ὀνομάσω, καλὴν εἰκόνα τοῦ ἀοράτου Θεοῦ, μὴ καὶ τοῦ μεγέθους παρεισᾶσαν τὴν εἰκόνα· i. e. *Juxta noſtram autem doctrinam non ſolus univerſorum Deus & Pater magnus eſt : communicavit enim etiam ſuam magnitudinem cum unigenito & primogenito omnis creaturæ ; ut cum ipſe ſit inviſibilis Dei imago, magnitudinis quoque ratione ſervaret imaginem Patris. Neque enim potuit eſſe proportionata, ut ita dicam, & pulchra imago inviſibilis Dei, niſi etiam magnitudinis ejus exhiberet imaginem.* Ubi vides illum Origenem, qui alibi dicit, Filium eſſe Patre minorem, hîc

p. 258.

p. 327.

hîc diſertè affirmantem, Patrem cum Filio etiam magnitudinem ſuam communicâſſe, ita ut Filius Patri ſuo magnitudine prorſus reſpondeat. Quâ ratione hæc ſecum invicem concilies? Res manifeſta eſt: Filius Patre minor eſt, ſuæ reſpectu originis; Patris verò magnitudinem exæquat, quatenus ex ipſo natus, eandem divinam naturam cum ipſo communem habet. Tantus eſt Filius, quantus eſt Deus Pater: ſed hoc ipſum ut tantus ſit, Patri acceptum refert. Quin & idem Origenes locô paulò antè citatô ex libro 5. cont. Celſum, ita Filium prædicat δεύτερον Θεὸν, ut hanc cautionem expreſſam ſubjiciat, ne id de perfectione aliqua divina, quæ in Patre ſit & non in Filio, intelligatur. Verba ſunt: κᾂν δεύτερον ἓν λέγωμεν Θεὸν, ἴσασιν ὅτι τ δεύτερον Θεὸν ἐκ ἄλλο τι λέγομεν, ἢ τὴν πρεσβυτέρων πασῶν ἀρετῶν ἀρετήν· i. e. *Ergo etiamſi ſecundum Deum dicamus, ſciant, quòd ſecundum illum Deum nihil aliud dicimus, quàm virtutem in ſe univerſas virtutes complectentem.* Continuò ibidem Chriſti divinam perſonam vocat τ αὐτολόγον, καὶ τὴν αὐτοσοφίαν, καὶ τὴν αὐτοδικαιοσύνην· *ipſiſſimum illud Verbum, & ipſiſſimam illam Sapientiam, & ipſiſſimam illam Juſtitiam.* Significat igitur manifeſtiſſimè Origenes, ſe alioſque Chriſtianos Catholicos, Filium Dei ſecundum Deum dicentes, neutiquam voluiſſe imperfectam Divinitatem Filio aſcribere: ſed contrà agnoviſſe, Filium ita ſecundum Deum eſſe, ut ipſe Deus ſit ipſiſſimus, neque ullâ Divinitatis perfectione illo minor, qui ſummus Deus dicitur, nempe Deo Patre: proinde hâc tantùm ratione ſecundum Deum dici Filium, quòd Deus ſit de Deo, hoc eſt, à Deo Patre originem ſuam habeat. Verbô dicam: Origenes Filium non aliâ ratione ſecundum Deum appellavit, quàm eundem τάξει δεύτερον τ πατρὸς, *ordine ſecundum à Patre* dixit Baſilius locô, quem mox adducemus. Hæc autem dum apud Origenem lego, quàm piget me calumniatorum, qui doctiſſimo ſanctiſſimoque Patri hanc hæreſin tribuerunt, quòd docuerit, *Filium collatum cum Patre eſſe perparvum Deum!* Certè enim ex Patribus primævis vix quiſquam eſt, qui blaſphemiam iſtam apertiùs rejecerit.

§. 7. Dionyſius Alexandrinus in Reſponſionibus Epiſtolæ ad Paulum Samoſatenum ſubjectis, Reſp. ad quæſt. 4. ſic Chriſtum ex Jeremia inducit loquentem: *Ego Chriſtus perſona ſemper exiſtens, æqualis Patri, quòd ipſi in nullo ſim diſſimilis.* Locum integrum, Græcè quoque citatum, legas Sect. 3. c. 4. n. 3. Quid verò his verbis clarius? Filium Patri æqualem expreſsè dicit. Quod & hac ratione probat, quòd Filius in nullo ſit Patri diſſimilis, hoc eſt, eandem divinam naturam cum Patre communem habeat. Hoc ſcil. illud ipſum eſt, quod aſſerimus, veteres nempe Doctores, qui Concilium Nicænum anteceſſerunt, Filium Patri κατὰ φύσιν æqualem eſſe agnoviſſe. Idem Dionyſius in iiſdem Reſponſionibus: αὐτός ἐςιν, inquit, ᾧ ὑπετάγη τὰ πάντα παρὰ τ πατρὸς, ὃς ὢν ἐλάττων τ πατρὸς, ὑπερ ἡμῶν πρεσβεύσατο· i. e. *Ipſe eſt, cui omnia ſubjecta ſunt à Patre, qui cum non eſſet minor Patre, pro nobis precabatur.* Hîc diſerte negat, Filium Patre minorem eſſe. Denique idem in Apologia apud Athanaſium confitetur ἀμείωτον τὴν τριάδα, *indiminutam Trinitatem.* Quô nihil aliud ſignificare poteſt, quàm Divinitatem non eſſe in una SS. Trinitatis perſona imminutiorem aut minorem, quàm in altera; ſed unicuique hypoſtaſi integram, plenam ac perfectam Divinitatem ineſſe. Vide locum integrè citatum Sect. 2, c. 11, n. 5, in ipſo fine.* Gregorii itidem Thaumaturgi Symbolum ut coæternam, ita coæqualem quoque Trinitatem apertè prædicat. Nam clarè aſſerit *Trinitatem perfectam, quæ gloriâ, Regnô atque imperiô non dividitur neque abalienatur.* Speciatim verò ad Filium quod attinet, docet eadem Confeſſio, Deum Patrem eſſe *perfectum perfecti genitorem.* Deinde Spiritum ſanctum vocat *Imaginem Filii, perfecti perfectam.* Vide Sect. 2, c. 12, n. 1. Idem Gregorius in Panegyrica Oratione ad Origenem, quæ omnium confeſſione opus ejus genuinum eſt, ut Filium docet Patrem honorare ac laudare; (quod tum Patris ἕξιν, quà Pater eſt, tum ſuſceptam à Filio ὁμοίωσιν oſtendit,) ita Patrem quoque *honorâſſe Filium virtute ſuæ uſquequaque æquali*, ac Filiô infinitam ſuam Majeſtatem *circumſcripſiſſe* expreſsè dicit. Vide ejuſdem Sectionis & Capitis n. 4. His concinunt ſex Epiſcopi, qui nomine totius Synodi Antiochenæ ad Paulum Samoſatenum ſcripſere Epiſtolam. Quippe hæc ipſorum in Epiſtola illa de Filio Dei verba ſunt expreſſa: ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ ὑπὸ τὸν ὐρανὸν πάσῃ πεπίςευται Θεὸς μόνῳ, κενώσας ἑαυτὸν ἀπὸ τ εἶναι ἴσα Θεῷ, ἀνθρώπῳ δὲ καὶ ἐκ σπέρματος Δαβὶδ τὸ κατὰ σάρκα· i. e. *In univerſa Eccleſia, quæ ſub cœlo eſt, creditur Deus eſſe, qui ſeipſum exinanivit ab eo ſtatu, in quo Deo æqualis fuit; & homo ſimul, idque ex*

Bib. PP. Tom. II. p. 300.

Bib. PP. Tom. II. p. 300.

* Confer. Annotata ad dictum Caput.

ex ſemine Davidis, quod ad carnem attinet. Ubi Eccleſiæ Catholicæ conſenſum ſe tradidiſſe profitentur: & nobilem Pauli Apoſtoli locum Epiſt. ad Philipp. cap. 2, v. 6, planè quemadmodum hodierni Catholici, interpretantur. Porro ipſum Luciani Martyris Symbolum, quod tantopere venditârunt Ariani, expreſsè docet, Filium eſſe non modò Deum de Deo, ſed & *totum de toto, & perfectum de perfecto*: quæ verba partiariam & imperfectam Filii Divinitatem, qualem ſomniârunt Hæretici, omnino excludunt. Vide Sect. 2, c. 13, n. 5. Denique Arnobii ejuſdem, qui ſæpius Filium Dei verum atque ipſiſſimum Deum prædicat, expreſſa eſt ſententia, quam ſuprà citavimus: *Deus ab altero, in quo Deus eſt, nullâ in re differt: nec quod unum eſt genere, ſuis eſſe in partibus minus aut plus poteſt, qualitatis propriæ uniformitate ſervatâ.* Itaque juxta Arnobium Filius Dei, in eo quod Deus eſt, à Deo Patre nullâ in re differt; neque plus eſt in Patre, quàm in Filio; ſed in utraque divina perſona uniformis eſt Divinitas: hoc eſt, Deus Pater & Filius κατὰ φύσιν prorſus æquales ſunt. Nempe ſenſit cum Tertulliano Arnobius, *Divinitatem gradum non habere, neque uſquam ſe minorem eſſe poſſe.* Idem tamen Arnobius non uno in loco Deum Patrem *ſummum Deum* appellat, eâ ſcil. ratione, quam ſæpius explicavimus.

Sect. 3. c. 4. n. 9.

§. 8. Hactenus Veterum ſententiam, qui intra tria prima ſæcula floruerunt, expoſuimus. Cum his conſpirâſſe Doctores Catholicos, qui poſt exortam controverſiam Arianam ſcripſere, fideique à Nicænis Patribus ſancitæ propugnatores fuere conſtantiſſimi, oſtendendum eſt. Alexander Epiſcopus Alexandriæ, qui primus ſubnaſcentem Arii impietatem repreſſit, in Epiſtola, quam ad cognominem ſuum Conſtantinopolitanum Antiſtitem ſcripſit, Catholicam de Patris ἐξοχῇ ad Filium comparati doctrinam accuratè explicat his verbis: ἐκεῖν τῷ μὴ ἄγνήτῳ πατρὶ οἰκεῖον ἀξίωμα φυλακτέον, μηδένα τὸ εἶναι αὐτῷ τ' αἴτιον λέγοντας. τῷ δὲ ὑῷ τὴν ἁρμόζουσαν τιμὴν ἀπονεμητέον, τὴν ἄναρχον αὐτῷ ϖϱὸ τῦ παιρὸς γέννησιν ἀναπτέντας, κ) ὡς ἐφθάσαμεν, αὐτῷ σέβας ἀπονέμοντες, μόνον εὐσεβῶς κ) εὐφήμως τὸ ἦν, κ) τὸ ἀεὶ, κ) τὸ πρὸ αἰώνων λέγοντες ἐπ' αὐτῦ· τὴν μέντοι θεότητα αὐτῦ μὴ ϖϱοσαιτέμενοι, ἀλλὰ τῇ εἰκόνι κ) τῷ χαρακτῆρι τῦ παιρὸς ἀπηκριβωμένην ἐμφέρειαν κατὰ πάντα ἀναπτέντες· τὸ δὲ ἀγέννητον τῷ πατρὶ μόνον ἴδιωμα παρεῖναι δοξάζοντες, ὅτε δὴ κ) αὐτῦ φάσκοντος τῦ σωτῆρος· ὁ πατήρ μου μείζων μού ἐστί· i. e. *Itaque Patri quidem ingenito propriam dignitatem ſervare oportet, nullam eum habere exiſtentiæ ſuæ cauſam dicendo. Filio verò congruus honor tribuendus eſt, principiô carentem ex Patre generationem ei adſignando, cultumque ei, ſicut diximus, exhibendo: ita ut tantummodo* erat, *&* ſemper, *&* ante ſæcula, *piè & religiosè de illo prædicemus: Divinitatem quidem ejus nequaquam rejicientes, ſed imagini & exemplari Patris exactè reſpondentem in omnibus ſimilitudinem ei adſcribentes; ſolum verò ingenitum Patris proprium eſſe dicamus, cum & ipſe Servator dixerit:* Pater major me eſt. Verba commentariô non indigent. Alexandro autem concinit ejus ſucceſſor in ſede Alexandrina Athanaſius, qui verba Servatoris, *Pater major me eſt,* exponens in Oratione ſecunda contra Arianos ita ſcribit: ὁ υἱὸς οὐκ εἶπεν· ὁ πατήρ μου κρείτων ἐστίν, ἵνα μὴ ξένον τῆς ἐκείνου φύσεως αὐτὸν ὑπολάβοι· ἀλλὰ μείζων εἶπεν, οὐ μεγέθει τινί, οὐδὲ χρόνῳ, ἀλλὰ διὰ τὴν ἐξ αὐτοῦ πατέρα γέννησιν· i. e. *Non dixit Filius, Patrem ſe meliorem eſſe, ne quis ipſum extermum alienumque à Patris natura exiſtimaret:* ſed Pater, *inquit*, major eſt; *non quidem magnitudine aliqua, aut ætate, ſed propter generationem ex ipſo Patre.*

Oper. Athanaſii. Tom. 1. p. 85

§. 9. Baſilius M. in primo contra Eunomium rem luculenter explicat his verbis: ἐπειδὴ γὰρ ἀπὸ τ πατρὸς ἡ ἀρχὴ τῷ υἱῷ, κατὰ τῦτο μείζων ὁ πατὴρ, ὡς αἰτίᾳ τ ἀρχή. διὸ κ) ὁ Κύριος ἔτως εἶπεν· ὁ πατήρ μου μείζων μού ἐστι, καθὸ πατὴρ δηλονότι. τὸ δὲ, πατὴρ, τί ἄλλο σημαίνει, ἢ ἐχὶ τὸ αἰτία εἶναι, κ) ἀρχὴ τ ἐξ αὐτῦ γεννηθέντος; ὅλως δὲ ὐσία ὐσίας κ) κατὰ τὴν ὑμετέραν σοφίαν, μείζων κ) ἐλάττων ὐ λέγεται. i. e. *Quoniam enim à Patre principium eſt Filio, ideo major eſt Pater, ut cauſa & principium. Quapropter etiam Dominus ſic dixit:* Pater meus major me eſt; *quatenus videlicet eſt Pater. Vox autem iſta,* Pater, *quid aliud ſignificat, niſi quòd cauſa ſit & principium ejus qui à ſe genitus eſt? Prorſus autem ſubſtantia major ſubſtantiâ, vel minor, etiam ſecundum ſapientiam veſtram non dicitur.* Idem in libro tertio haud longè ab initio: ὁ υἱὸς, inquit, τάξει μὲν δεύτερος τ πατρὸς, ὅτι ἀπ' ἐκείνου κ) ἀξιώματι, ὅτι ἀρχὴ & αἰτία τ εἶναι αὐτῷ ὁ πατήρ· i. e. *Filius ordine quidem ſecundus eſt à Patre, quoniam eſt ab illo; & dignitate, quoniam principium & cauſa ut ſit ipſe, Pater eſt.* Similiter Gregorius Nazianzenus Orat. 36. τὸ μεῖζον μὲν, inquit, ἐκ τῆς αἰτίας· τὸ δὲ ἴσον, τῆς φύσεως· i. e. *Majoris ratio ad cauſam pertinet; æqualis ad naturam.* Et ibidem interpretationem eorum, qui majorem Filio homine Patrem dici volunt, refellit

Oper. Baſilii Tom. I. p. 724

p. 582.

Apud Theodor. H. H. l. 1. c. 4. p. 18. Edit. Valeſii.

n. 4.

fellit hac non contemnenda ratione : τὸ γὰρ δὴ λέγειν, ὅτι τῷ κατὰ τὸ ἄνθρωπον νοουμένῳ μείζων, ἀληθὲς μέν, οὐ μέγα δέ· τί γὰρ θαυμαστὸν, εἰ μείζων ἀνθρώπου Θεός· i. e. *Nam dicere, illud* major *ratione naturæ humanæ esse intelligendum, verum id quidem est, sed non magnum : quid enim mirum, si major est homine Deus?* Denique idem in Oratione qua-
p. 669. drageſima ſic ſcribit : οὐ γὰρ κατὰ τὴν φύσιν τὸ μεῖζον· τὴν αἰτίαν δέ. οὐδὲν γὰρ τῶν ὁμοουσίων τῇ οὐσίᾳ μεῖζον, ἢ ἔλαττον· *Majus enim non ad naturam refertur, ſed ad cauſam. Neque enim quidquam eorum, quæ eandem habent ſubſtantiam, ſubſtantiâ majus aut minus eſt.* Quem ad locum hæc annotat Nicetas : *Quoniam Filius à Patre cauſam habet, hac ratione Pater major eſt, utpote cauſa. Nullo autem modô eſſentia unius, eſſentiâ alterius major, aut minor eſt.* Chryſoſtomus Homil. 72. in Joan. εἰ δέ, inquit, λέγοι τις μείζονα εἶναι τὸν πατέρα, καθὸ αἴτιος τοῦ υἱοῦ, οὐδὲ τοῦτο ἀντερῶμεν· i. e. *Si quis dixerit, majorem eſſe Patrem, quà cauſa eſt Filii, neque in eo contradicimus.* Item Cyrillus Alexandrinus
p. 85. in Theſauris, lib. 11. majorem, quatenus cauſa eſt, appellari Patrem affirmat his verbis : ἴσθι τοιγαροῦν κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον ἰσάρχων ὁ υἱὸς τῷ πατρὶ, καὶ ὅμοιος κατὰ πάντα, μείζονα αὐτὸν φησιν, ὡς ἄναρχον, ἔχων ἀρχὴν κατὰ μόνον τὸ ἐξ οὗ, εἰ καὶ συνὸδρομον αὐτῷ τὴν ὕπαρξιν ἔχει· i. e. *Cum igitur ſecundum ſubſtantiæ rationem æqualis ſit Patri Filius, & per omnia ſimilis, majorem ipſum dicit, tanquam principiô carentem, cum habeat ipſe principium, eo ipſo duntaxat, quòd ex Patre eſt, tametſi concurrentem cum eo exiſtentiam habeat.* Denique Joannes Damaſcenus de Orthod. fide lib. 1. c. 6. εἰ δὲ, inquit, λέγομεν τὸν πατέρα ἀρχὴν εἶναι τοῦ υἱοῦ, καὶ μείζονα, οὐ περιτρέπειν αὐτὸν τοῦ υἱοῦ χρόνῳ, ἢ φύσει ὑποφαίνομεν· διὰ αὐτοῦ γὰρ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν· οὐδὲ ἕτερόν τι, εἰ μὴ κατὰ τὸ αἴτιον· τοῦτέστιν ὅτι ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ παιδὸς ἐγεννήθη, καὶ οὐχ' ὁ πατὴρ ἐκ τοῦ υἱοῦ· καὶ ὅτι ὁ πατὴρ αἴτιός ἐστι τοῦ υἱοῦ φυσικῶς· i. e. *Quòd ſi dicimus Patrem eſſe principium Filii, eôque majorem ; non priorem illum eſſe Filiô ſignificamus tempore, vel naturâ, (nam per ipſum fecit ſæcula,) aut alio quopiam, præterquam ratione cauſæ : nimirum quia Filius à Patre genitus eſt, non Pater à Filio ; et quia Pater naturaliter eſt cauſa Filii.*

§. 10. Latinorum paucos ex compluri-
p. 582. bus teſtes adducemus, Marii Victorini ad
n. 4. eandem ſententiam dicta ex libro primo contra Arium in præcedenti capite recitavimus. Hilarius in nono libro argutè locum Joannis, *Pater major me eſt*, enarrat his verbis : *Aut nunquid Pater major non eſt? Major utique Pater eſt, dum Pater eſt : ſed Filius, dum Filius eſt, minor non eſt. Nativitas Filii Patrem conſtituit majorem : minorem verò Filium eſſe, nativitatis natura non patitur.* Et paulò antè : *Major itaque Pater Filiô eſt, & planè major, cui tantum donat eſſe, quantus ipſe eſt : qui innaſcibilitatis eſſe imaginem ſacramento nativitatis impertit : quem ex ſe in ſua forma generat.* Idem libro undecimo : *In eo quòd in ſeſe ſunt, Dei ex Deo Divinitatem cognoſce. In eo verò quòd Pater major eſt, confeſſionem paternæ auctoritatis intellige.* Auctor Quæſtionum utriuſque Teſtamenti, quæ in calce Tomi quarti Operum Auguſtini poſitæ ſunt, Quæſt. 122. ſub finem : *Nihil planè differt* (inquit,) *in ſubſtantia, quia verus Filius eſt ; differt tamen cauſalitatis gradu, quia omnis potentia à Patre in Filio eſt : & in ſubſtantia minor non eſt Filius ; auctoritate tamen major eſt Pater.* Et Auguſtinus ipſe non modò propter humanam naturam à Filio aſſumptam, ſed etiam ob æternam generationem, majorem eô dici Patrem aſſerit in libro de Fide & Symbolo cap. 9. ubi illum Joannis locum, *partim propter adminiſtrationem ſuſcepti hominis* dici ait ; *partim propterea, quia Filius Patri debet quod eſt ; hoc etiam utique debens Patri, quòd eidem Patri æqualis aut par eſt ; Pater autem nulli debet quicquid eſt.* Sed quorſum ego Doctorum ſententias ſingillatim percenſeam? Concilium Catholicum Sardicenſe, ex Epiſcopis Orientalibus & Occidentalibus circiter ducentis (juxta Theodoritum ducentis & quinquaginta) conflatum, eandem doctrinam apertè tradidit in Epiſtola Synodica : οὐδέ τις (inquiunt Patres,) ἀρνεῖταί ποτε τὸν πατέρα τοῦ υἱοῦ μείζονα· οὐ διὰ ἄλλην ὑπόστασιν, οὐ διὰ ἄλλην διαφοράν· ἀλλ' ὅτι αὐτὸ τὸ ὄνομα τοῦ παιδὸς, μεῖζόν ἐστι τοῦ υἱοῦ· i. e. *Nec quiſquam negat Patrem Filio majorem eſſe, non propter aliam ſubſtantiam, aut aliam differentiam ; ſed quia ipſum Patris nomen majus eſt illo Filii.* Apud Theodor. E.H. l. 2. c. 8. p. 82. Edit. Valeſii.

§. 11. Itaque Antiquitatis Catholicæ hæc fuit conſtans ſententia : Deo quidem Patri, tanquam ſoli ingenito, οἰκεῖον ἀξίωμα, *propriam dignitatem* (ut Alexandrum Alexandrinum paulò ſuperiùs audivimus loquentem,) religiosè ſervandam eſſe ; ita tamen ut ne Filii vera Divinitas ullatenus labefactetur. Quippe etiam ad Dei Patris gloriam pertinet, ut de Filio ipſius dignè ſentiamus : & contrà injuriam & contumeliam revera Patri facit, qui Filium imperfectum genuiſſe ipſum imaginatur, aut in Dei natura quicquam diminutum ſtatuit. Prius illud egre-

giè explicat Hilarius de Trinitate lib. 4. his
p. 35. verbis: *Dicturi autem de absolutissima Majestate & de plenissima Divinitate unigeniti Dei Filii, non existimamus quenquam arbitraturum, omnem hunc sermonem, quô usuri erimus, ad Dei Patris contumeliam pertinere, quasi ex ejus dignitate decedat, si quid eorum referatur ad Filium: cum potius honor Filii dignitas est paterna; & glorioſus auctor sit, ex quo is, qui tali gloria sit dignus, extiterit. Nihil enim nisi natum habet Filius, & geniti honoris admiratio in honorem generantis est. Cessat ergo opinio contumeliæ, cum quicquid inesse Filio Majestatis docebitur, id ad amplificandum potestatem ejus, qui istiusmodi genuerit, redundabit.* Posterius haud minùs luculenter exponit Zeno Veronensis, seu quisquis Auctor fuit Sermoni de eo quod scriptum est, *Cum tradiderit Regnum Deo*
Bibl.P.P. Tom. 2. col. 424. *& Patri*, Zenoni inscripti: *Totum* (inquit,) *Pater; totum possidet Filius; unius est, quod amborum est; quod unus possidet, singulorum est, Domino ipso dicente*: Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt; *quia Pater in Filio, & Filius manet in Patre. Cui affectu, non conditione, charitate, non necessitate, decore subjicitur: per quem Pater semper honoratur. Denique inquit*: Ego & Pater unum sumus. *Unde non diminutivâ, sed religioſâ, ut dixi, subjectione est Filius Patri subjectus: cum originalis perpetuique Regni una possessio, coæternitatis omnipotentiæque una substantia, una æqualitas, una virtus Majestatis augustæ, unito in lumine una dignitas retinetur. Si quid enim Filio detraxeris, ad Patris, cujus habet totum, injuriam pertinebit; nec est in illo aliquid, quod sit inferius; quia sicut Pater, nec plus potest habere, nec minus: alter enim in alterius plenitudinem infusus est. Ut sit omnia in omnibus Deus benedictus, Pater in Filio, Filius in Patre cum Spiritu sancto, Amen.*

§. 12. Quæ Zenonis illustris sententia mihi in memoriam revocat Historiam non ignobilem, quæ apud Sozomenum legitur E. H. l. 7. c. 6. quâ hoc caput claudam. Imperante Theodosio Magno ac Constantinopolim visente, Episcopi, qui in illâ urbe erant, Palatium ingressi sunt, Imperatorem, ut solet, salutaturi. Inter quos senex quidam fuisse dicitur, obscuræ urbis Antistes: simplex quidem, nec in civilibus negotiis exercitatus; sed rerum divinarum intelligentia præditus. Ac cæteri quidem Episcopi candidè admodum ac piè Imperatorem salutârunt. Pari modo senex quoque Episcopus Imperatorem salutavit. Imperatoris autem Filium, qui unà cum Patre residebat, haud quaquam simili honore prosecutus, sed propiùs accèdens, velut ad puerum: *Salve*, inquit, *fili*: eumque digito demulcere cœpit. Tum verò Imperator commotus, & tanquam ob injuriam Filio factam indignatus, quòd non pari, quô ipse, honore affectus fuisset, senem contumeliosè expelli jussit. Qui dum exturbaretur, conversus dixit: Ὅτω δὴ νόμισον, ὦ βασιλεῦ, καὶ τὸν ἐφάνιον πατέρα ἀγανακτεῖν πρὸς τοὺς ἀνομοίως τοῦ υἱὸν τιμῶντας, καὶ ἥτλονα τολμῶντας ἀποκαλεῖν τὸν γεννήσαντα. i. e. *Pari modo, Imperator, cœlestem quoque Patrem succensere iis existima, qui Filium ipsius dispari cultu venerantur, & genitore suo minorem appellare audent.* Quô dictô Vir pius perstrinxit Arianos, qui cum adhuc multitudine abundarent ob Constantii ac Valentis Imperatorum patrocinium, liberiùs in unum convenientes, de Deo deque ejus substantia differebant: & fidei suæ fautoribus, quos in palatio habebant, suaserunt, ut Imperatoris animum tentarent, referente Sozomeno in ipso initio capitis citati. Dictum autem miratus Imperator, Sacerdotem revocavit, veniâque ab ipso petitâ, vera illum dixisse confessus est.

CAP.

CAP. III.

Objectioni adversus ea, quæ in præcedenti Capite disputata sunt, ex iis Veterum locis, in quibus Filii Dei immensitatem atque invisibilitatem negasse videantur, petitæ, late respondetur.

§. 1. DE Patris & Filii natura prorsus æquali, salvâ Patris ἀρχῇ quâ Pater est, clarissima quidem sunt, quæ in superiori Capite recitavimus, Veterum testimonia. Dicta autem priscorum, quæ istis repugnare videantur, pleraque omnia notavimus & explicavimus, dum ad Sectionem secundam de Filii consubstantialitate, & tertiam de ejusdem æternitate, doctrinam ipsorum singillatim exponeremus. Nodus, si bene memini, unicus jam restat expediendus, isque vindice dignissimus; cujus solutionem ideo hucusq; reservavimus, quòd is non in uno tantùm & altero Scriptore veteri occurrat, sed primævorum Patrum penè omnium monumenta percurrat. Fateor me ad istum lapidem olim offendisse, quem proinde ut ab aliis amovere adnitar, officii mei esse arbitror. Veteres igitur Catholici penè omnes, qui Arium præcessere, Filii Dei invisibilem atque immensam naturam ignorâsse videntur. Scilicet de Filio Dei ita aliquoties loquuntur, quasi is etiam secundum divinam ipsius naturam finitus esset, visibilis, & certo aliquo in loco inclusus, ac veluti cancellis quibusdam circumscriptus. Nam cum probare volunt, eum qui Patriarchis & Viris sanctis sub Vet. Test. olim apparuit ac locutus est, Jehovæ nomine insignitus, ipsum Dei Filium fuisse, hôc fere utuntur disjunctivô argumentô: quòd vel Dei Filius fuerit, qui conspectus est, vel Angelus creatus, vel Deus Pater. Creatum non fuisse Angelum inde colligunt, quòd Jehova ac Deus à Spiritu sancto dicatur. Patrem verò non fuisse ex eo probant, quòd is sit immensus, loca replens omnia, nullo inclusus; ac proinde ipsum certo aliquo in loco atque exiguo terræ angulo apparuisse, vel cogitatu nefas sit: quasi scilicet id ipsum de Filio Dei jure ac sine periculo dici posset. Pari ratione Filium Dei visibilem esse iidem docent.

§. 2. Ita sane Patrum fere antiquissimus Justinus Martyr in Dialogo cum Tryphone. Ubi Tryphoni neganti, Angelum, qui in rubo ardente Mosi apparuit, fuisse Deum ipsum, atque asserenti, Angelum quidem in ignis flamma apparuisse, Deum autem, Patrem scilicet, cum Mose collocutum esse, ita ut & Angelus & Deus, duo simul tum in visione extiterint, sic respondet Justinus: ἔστω, καὶ τοῦτο γέγονε τότε, κ. λ. i.e. *Esto, tametsi hoc tum factum sit, ô amici, ut & Angelus, & Deus simul in visione Mosi oblata fuerint, pro eo atque demonstratum vobis est per verba suprà scripta; tamen non Conditor universitatis hujus Deus is fuerit, qui Mosi dixit, se Deum esse Abrahæ, & Deum Isaaci, & Deum Jacobi; sed idem quem vobis priùs demonstravi Abrahamo & Jacobo conspectum fuisse: is nempe, qui Factoris rerum omnium voluntati ministrat, & in judicio Sodomorum consilio & voluntati ejus itidem ministraverit. Adeo ut quamvis sic, uti affirmatis, res habeat, duos scilicet fuisse Angelum & Deum; nemo tamen, cui vel minimum mentis sit, auctorem & Parentem universi supercœlestia omnia reliquisse, & in pusilla terræ parte se exhibuisse, dicere sit ausurus.* Quibus gemina legas apud eundem Justinum alibi in eodem Dialogo. Eâdem quoque ratiocinatione usus est Theophilus Antiochenus in libro 2. ad Autolycum. Et similiter argumentantur Irenæus, Origenes, & sex Episcopi, qui è Synodo Antiochena ad Paulum Samosatenum scripserunt Epistolam, locis, quæ infrà adducemus. p. 100.

§. 3. Ex Latinis verò eadem habet Tertullianus lib. adv. Prax. cap. 16. *Cæterum quale est*, inquit, *ut Deus omnipotens ille invisibilis, quem nemo videt hominum, nec videre potest, ille, qui inaccessibilem lucem habitat, ille, qui non habitat in manu factis, à cujus con-*

conspectu terra contremiscit, montes liquescunt ut cera, qui totum orbem manu comprehendit ut nidum, cui cœlum Thronus, & terra scabellum, in quo omnis locus, non ipse in loco, qui universitatis extrema linea est, ille Altissimus, in Paradiso ad vesperam ambulaverit, quærens Adam, & arcam post Noæ introitum clauserit, & apud Abraham sub quercu refrigeraverit, &c. Scilicet & hæc nec de Filio Dei credenda fuisse, si scripta non essent; fortasse non credenda de Patre, licet scripta: quem isti in vulvam Mariæ deducunt, & in Pilati tribunal imponunt, & in monumento Joseph reconcludunt. Hinc igitur apparet error illorum. Ignorantes enim à primordio omnem ordinem divinæ dispositionis per Filium decucurrisse, ipsum credunt Patrem & visum, & congressum, & operatum, &c. Hunc sequitur, ut solet, Novatianus, sive Auctor libri de Trinitate inter Opera Tertulliani cap. 25. sub finem: *Quod si idem Moses*, inquit, *ubique introducit Deum Patrem immensum atque sine fine, non qui loco claudatur, sed qui omnem locum claudat; nec eum, qui in loco sit, sed potiùs in quo omnis locus sit; omnia continentem & cuncta complexum, ut meritò nec ascendat, nec descendat, quoniam ipse omnia & continet & implet: & tamen nihilominus introducit Deum descendentem ad turrim, quam ædificabant filii hominum, considerare quærentem, & dicentem:* Venite & mox descendamus, *&c. Quem volunt hîc Deum descendisse ad turrim illam, & homines tunc illos visitare quærentem? Deum Patrem? Ergo jam locô clauditur; & quomodo omnia ipse complectitur? Aut nunquid Angelum cum Angelis dicit descendentem, & dicentem:* Venite &c. *Sed enim Deuteronomio animadvertimus, retulisse Deum hæc, &c. Neque ergo Pater descendit, ut res indicat; neque Angelus ista præcepit, ut res probat. Superest ergo, ut ille descenderit, de quo Apostolus Paulus:* Qui descendit, ipse est qui ascendit, *&c. hoc est, Dei Filius, Dei Verbum.*

§. 4. Ad mira ista Patrum dicta quis non planè obstupescat! Adeone hebetes sibique minimè constantes fuisse Scriptores istos, ut Dei Filium, quem Deum verum ex Deo vero ubique aliàs prædicant, unius atque exigui loci angustiis circumscriptum unquam fuisse, ipsâve suâ naturâ visibilem esse crederent? Absit, ut de Viris maximis id cogitemus. Quô igitur, inquies, σοφῷ φαρμάκῳ istiusmodi ipsorum dicta sanari possunt? Ego ita planè censeo, Veteres istos, qui duriùs hac de re locuti sunt, sententiam alioqui verissimam incommodè ac minùs rectè expressisse. Quippe ipsis certamen fuit cum adversariis, qui distingui à Patre Filii personam præfractè negarent: quibus contradicendi nimiô studiô abrepti, in parum cautas locutiones inciderunt. Sane hujus monetæ esse dicta Justini, Tertulliani, & Novatiani, quæ integrè recitavimus, cuivis ipsos Auctores inspicienti patebit. Tam hi verò quàm reliqui, quos commemoravi, istiusmodi locutionibus revera nihil aliud voluerunt, quàm Filium Dei, qui cum Patre quidem suo ubique adsit, & naturâ suâ perinde ac Pater invisibilis sit, καὶ οἰκονομίαν tamen certis quibusdam in locis visum fuisse, hoc est, per externa quædam suæ præsentiæ symbola sese hominibus conspiciendum præbuisse, jussa ad eos ac voluntatem ipsius Dei Patris referentem. Atqui, inquies, si, cum Patres isti affirmant, vel certè satis apertè innuunt, Filium Dei loci cujusdam angustiis conclusum aliquando fuisse atque hominibus visum, nihil aliud voluerunt, quàm ipsum certis quibusdam in locis sensibilia sua præsentiæ symbola ac signa exhibuisse; quorsum id ipsum à Deo Patre, tanquam summa ipsius Majestate indignum, tam sollicitè removerent? Videtur enim potuisse & Deus Pater eôdem prorsus modô, sine ulla Majestatis suæ demissione, sese hominibus manifestâsse. Respondeo, secus planè judicâsse primævos Doctores. Quippe, ex ipsorum sententia, Deus Pater à nemine unquam, ne per assumptas quidem species, visus est, aut videri potest. A nullo ille ortus principio, nulli subjectus est: neque magis ab alio missus, quàm ab alio natus dici potest. Contrà Filius Dei, quà ex Deo Patre natus, eô certè nomine Patri suam omnem auctoritatem acceptam refert: neque minùs ipsi honorificum à Patre mitti, quàm ex Patre nasci. Ex Patre est ipse, per ipsum Pater, in mundo quæ sunt, universa condidit; quin & per ipsum se deinceps mundo patefecit. In sacrosancta Triade, cùm nulla sit inter Patrem & Filium naturæ disparitas, ordo tamen certè quidam est, juxta quem Pater principium & caput est Filii. Qui ordo inverteretur, si à Filio per Patrem, non à Patre per Filium rerum administratio fieret. Ut propiùs ad propositam objectionem accedam: primævi Patres apparitiones illas Dei, quæ Viris sanctis olim factæ fuerunt, omnes ad οἰκονομίαν, sive dispensationem salutis humanæ referebant: quam dispensationem, non tum primùm, cum in carne veniret, sed ab ipso primi hominis lapsu, suscepisse Dei Filium existimârunt, ut suprà ostensum est: ipsam verò illam dispensationem à Deo Patre alienam esse, omnino censuerunt. Quippe qua ratione incarnationem, quam Filius subiit, Deum Patrem haud decuisse

Vide Sect. I. c. I. n. 12.

cuisse, contra Patri-passianos agnovit semper Catholica Christi Ecclesia; eâdem prisci illi non Patri, sed Filio convenisse ἐπιφανείας istas asserebant: utpote quæ incarnationis revera præludia fuerunt. Hanc fuisse ipsissimam Veterum illorum mentem ac sententiam, duo evincunt: primò quòd omnes alibi multis in locis fateantur, Filium perinde ac Patrem naturâ quidem suâ immensum esse atq; invisibilem: deinde, quòd eorum plerique de οἰκονομίᾳ, dicta illa sua disertè ipsi interpretentur. Responsionem autem nostram confirmabimus, dicta Veterum, quæ commemoravimus, singillatim examinando, & cum aliis ipsorum expressis sententiis conferendo.

§. 5. Justinus Martyr, qui in Dialogo ad Tryphonem, personam Mosi in rubo apparentem, Filium Dei fuisse contendit hôc argumentô, quòd dictu absurdum sit, Deum Patrem in exiguo terræ angulo apparuisse; quasi scilicet id ipsum de Filio Dei sine absurditate dici posset: idem, inquam, Justinus alibi de illa ipsa persona perquam honorificè loquitur. Nam in Paræneticâ Oratione ad
pag. 20. Græcos sic scribit: ἔδει γὰρ, οἶμαι, τὸν ἄρχοντα καὶ στρατηγὸν τῶν Ἑβραίων γένους ἔσεσθαι μέλλοντα, πρῶτον ἁπάντων τὸν ὄντα γινώσκειν Θεόν· διὸ καὶ τούτῳ πρώτῳ φανεὶς, ὡς ἦν δυνατὸν ἀνθρώπῳ φανῆναι Θεὸν, ἔφη πρὸς αὐτόν· Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. i. e. *Oportuit namque, ut opinor, Principem & Imperatorem Hebraicæ gentis futurum, primùm omnium cognoscere existentem ipsum Deum. Quam ob causam primò huic apparens*, QUATENUS QUIDEM POSSIBILE ERAT HOMINI DEUM APPARERE, *ad eum dixit: Ego sum existens ille.* Deus igitur, qui Mosen è rubo ardenti allocutus est, non aliter apparuit, quàm Deum decuit: hoc est, non de loco in locum transeundo, aut ita ut loci alicujus angustiis clauderetur; sed speciem visibilem atque audibilem vocem efformando, sese Prophetæ sancto manifestavit. Paulò pòst ibidem dicit, ut suprà notavimus, descriptionem illam, quâ persona in rubo apparens se Mosi designavit, *Ego sum ille existens*, τῷ ἀεὶ ὄντι Θεῷ προσήκειν, *semper existenti Deo convenire.* Deum verò semper existentem, naturâ suâ immensum atque invisibilem esse quin Justinus agnoverit, nemini dubium esse potest. Quæ igitur alibi dixit Justinus de persona illa divina Mosi conspecta, quòd apparuerit in exiguo terræ angulo veluti inclusus, ad οἰκονομίαν, quam dixi, à Filio susceptam referenda sunt. Clariùs autem rem explicat idem Justinus in Apologia pro Christianis, quæ inscribitur secunda; ubi pag. 95.
rursus contendit Servatorem nostrum fuisse, qui in specie ignis è rubo cum Mose collocutus est, dicens: *Solve calceamenta tua, & accedens audi.* Quin & paulò pòst ibidem Christum in sua persona dixisse verba illa, *Ego sum existens ille, Deus Abrahami* &c. clarè docet: τὸ δὲ εἰρημένον (inquit,) ὡς pag. 96.
βαλὼν τὰ σὰ μωσεῖ, ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, ὁ Θεὸς Ἀβραὰμ, καὶ ὁ Θεὸς Ἰσαὰκ, καὶ ὁ Θεὸς Ἰακὼβ, καὶ ὁ Θεὸς τῶν πατέρων σου, σημαντικὸν τοῦ καὶ ἀποθανόντας ἐκείνους μένειν, καὶ (ὅτι) αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ ἀναστάσεως· i. e. *Eô autem quod Mosi è rubo est dictum:* Ego sum existens ille, Deus Abrahami, & Deus Isaaci, & Deus Jacobi, & Deus Patrum tuorum, *significatum est, mortuos quoque illos extare, & ipsius Christi homines esse.* Quæ autem ἐπιφανείας ratio Dei Filio, cum sit semper existens ille, Deus Abrahami, &c. convenire potuit, quæ Deum Patrem dedeceret? Nodum solverat ibidem ipse Justinus. Scilicet Christus, cum sit, ut Dei genuinus filius, semper ille existens & Deus Abrahami, &c. perinde ac Pater; est tamen etiam Dei Patris Angelus & Apostolus, ut Justinus loquitur, ad hoc constitutus à Patre, ut ipsius voluntatem hominibus annuntiaret. * Quô officio dum defungitur, nihil se indignum facit: neque enim, ut suprà dixi, Filio minùs honorificum est à Patre mitti, quàm ex Patre nasci. Verba Justini sunt: ὁ λόγος δὲ τοῦ Θεοῦ ἐστιν ὁ υἱὸς αὐτοῦ, ὡς προέφα- pag. 95.
μεν· καὶ ἄγγελος δὲ καλεῖται, καὶ ἀπόστολος. αὐτὸς γὰρ ἀπαγγέλλει ὅσα δεῖ γνωσθῆναι, καὶ ἀποστέλλεται μηνύσων ὅσα ἀγγέλλεται· i. e. *Verbum autem Dei est Filius ejus, sicut antea diximus. Vocatur verò & Angelus, & Apostolus. Ipse enim quæcunque cognitu necessaria sunt, annuntiat: & mittitur, ut quæcunque annuntiantur, indicet.* Hæc autem omnia ad οἰκονομίαν illam pertinere, quàm à nascente Ecclesia susceptit Dei Filius, ac demum per suam ἀνάστασιν complevit, paulò pòst apertè significat Martyr beatissimus: ἀλλὰ (in- pag. 96.
quit,) εἰς ἀπόδειξιν γεγόνασιν οἵδε οἱ λόγοι, ὅτι υἱὸς Θεοῦ καὶ ἀπόστολος Ἰησοῦς ὁ Χριστός ἐστι, πρότερον λόγος ὢν, καὶ ἰδέᾳ πυρὸς ποτὲ φανείς, ποτὲ δὲ καὶ ἐν εἰκόνι ἀσωμάτων, νῦν δὲ ἀπὸ Δελήματος Θεοῦ ὑπὲρ τὸ ἀνθρωπείου γένους ἄνθρωπος γενόμενος· i. e. *Verba autem hæc fecimus, ut probaremus, Filium Dei & Apostolum esse Jesum istum Christum: qui priùs Verbum existens, cum aliquando in forma ignis, aliquando*

Vide Sect. 1. c. 1. n. 12

* Confer quæ ex Novatiano descripsimus, infra n. 8. & ex Hilario n. 14.

quando autem in imagine etiam incorporeorum apparuisset, nunc porro de voluntate Dei, humani generis causa, homo factus, &c. Quò etiam spectat quòd idem Justinus in Dialogo
Pag. 284. cum Tryphone, postquam nomina & appellationes, Servatori nostro in Scripturis tributas, nempe Gloriam Domini, Filium, Sapientiam, Angelum, Deum, Dominum ac Verbum enumeraverat, continuò subjungit : ἔχει γὰρ πάντα προστονομάζεσθαι ἔκ τε τῆ ὑπηρετεῖν τοῦ πατρικῷ βουλήματι, ℂ ὰκ τῆ ἀπὸ τῆς πατρὸς θελήσεως γεγενῆσθαι· i.e. *His enim nominibus omnibus appellari habet tum ex Paternæ voluntatis administratione, tum ex voluntaria Patris generatione.* Procul dubiô autem nomen Angeli ad Paternæ voluntatis administrationem, hoc est ad οἰκονομίαν, sicut appellationes Gloriæ Domini, Filii, Dei, Sapientiæ, Verbi, ad divinam ex Patre generationem retulit. Cæterum agnovisse Justinum Filii Dei omnipræsentiam, constat tum aliis ex locis, tum ex verbis ipsius expressis in Apologia, quæ dicitur prima : Λόγῳ (inquit,) ἦν καὶ ἔστιν ὁ ἐν παντὶ ὤν· i. e. *Verbum fuit & est in universitate rerum existens.* Ubi docet, τὸν λόγον, qui & Filius Dei dicitur, universum rerum creatarum ambitum quasi permeare ac pervadere, & in omnibus præsentem esse ; neque igitur loco aliquo, nedum exiguo terræ angulo circumscribi posse. Nimirum eodem sensu & ipse Deus Pater in Scripturis dicitur ὁ ἐπὶ πάντων, καὶ ἐν πᾶσιν Eph. 4. 6. Filium verò Dei, quà maximè propriè Dei Filius est, sensit idem Justinus adeo sub oculorum conspectum non cadere, ut neque mente quidem vel humanâ, vel An-
Sect. 2. c. gelicâ comprehendi possit. Nam in illustri
4. n. 7. loco, quem suprà ex Epistola ad Diognetum adduxi, ipsum Dei Filium dicit τὴν ἀλήθειαν καὶ τὸν λόγον τὸν ἅγιον καὶ ἀπερινόητον, *Veritatem, & Verbum sanctum illud atque comprehensibile.* Ac de Justino hactenus.

§. 6. Ex Irenæo res clariùs adhuc patebit.
Pag. 371. Is lib. 4. ca. 37. *Verbum*, inquit, *dispensator paternæ gratiæ factus est ad utilitatem hominum, propter quos fecit tantas dispositiones : homini quidem ostendens Deum, Deum* (lege *Deo*,) *autem exhibens hominem : & invisibilitatem Patris custodiens, ne quando homo fieret contemptor Dei, & ut semper haberet ad quod proficeret : visibilem autem rursus hominibus per multas dispositiones ostendens Deum, ne in totum deficiens à Deo homo, cessaret esse.* Quibus verbis docet nos, animadvertente ipso Petavio, Patrem quidem nunquam, ne specie quidem externâ dissimulatum, apparuisse ; Verbum autem non per se, ac secundum propriam substantiam, sed sub imagine aliqua Veteribus ostendisse se. Addo ego, Irenæum hîc diserte dicere, in omnibus Dei Patris manifestationibus per Verbum suum, Verbum factum fuisse dispensatorem paternæ gratiæ ad utilitatem hominum : hoc est ἐπιφανείας Filii Dei omnes ad οἰκονομίαν illam, ut dixi, pertinuisse, quam ab initio suscepit ipse ob hominum salutem. Quibus gemina sunt, quæ in capite eodem leguntur : " Igi- Pag. 372.
" tur, *inquit*, si neque Moses vidit Deum, " nec Elias, nec Ezechiel, qui multa de cœ- " lestibus viderunt ; quæ autem ab his vide- " bantur, erant similitudines claritatis Do- " mini, & prophetiæ futurorum ; manife- " stum est quoniam Pater quidem invisibi- " lis, de quo & Dominus dixit : Deum ne- " mo vidit unquam ; Verbum autem ejus, " quemadmodum volebat ipse, & ad utilita- " tem videntium, claritatem monstrabat Pa- " tris, & dispositiones exponebat ; quemad- " modum & Dominus dixit : Unigenitus " Deus, qui est in sinu Patris, ipse enarra- " vit. " Præludia verò & quasi specimina futuræ incarnationis fuisse omnes illas Filii Dei apparitiones sub Veteri Testamento, atq; ad humanæ salutis dispensationem à Filio susceptam spectâsse, ipse alibi Irenæus disertè monet, nempe ejusdem libri quarti cap. 26. *Ipse est*, inquit, *qui dicit Mosi* : Videns vidi vexationem populi mei qui est in Ægypto, & descendi ut eruam eos ; *ab initio assuetus Verbum Dei ascendere & descendere, propter salutem eorum qui malè haberent.* Cæterum Filium Dei naturâ suâ, perinde ac Patrem, invisibilem esse, idem Irenæus apertè Pag. 70
asserit ejusdem rursus libri cap. 41. Nam ibi ait per religionem Christianam doceri, *esse unum Deum, qui est super omnem principatum,* Pag. 379
& dominationem, & potestatem, & omne nomen quod nominatur : & hujus Verbum naturaliter quidem invisibile ; visibile, palpabile in hominibus factum, & usque ad mortem descendisse, mortem autem crucis. Ubi etiam Irenæus (quod obiter notâsse operæ fortasse pretium fuerit,) in verbis illis : *Verbum naturaliter quidem invisibile ; visibile, palpabile in hominibus factum, & usque ad mortem descendisse*, mihi respexisse omnino videtur insignem locum Ignatii in Epistola ad Polycarpum, Irenæi Magistrum : in quo Vir Apostolicus Christum Filium Dei dicit τὸν ἀόρατον, τὸν δι' ἡμᾶς ὁρατὸν, τὸν ἀψηλάφητον, τὸν ἀπαθῆ, τὸν δι' ἡμᾶς παθητόν· i. e. *Invisibilem propter nos visibilem ; impalpabilem, impassibilem, propter nos passibilem.* Ignatii locum integrum legas Sect. 3. c. 1. n. 3. Ego pergo. Dicti libri cap. 14. Irenæus rem totam clarè explicat, docens, Patrem quidem & Filium creaturis pariter esse incompre**hen**sibiles, sibi invicem

invicem perinde comprehenſibiles ; omnem tamen Patris manifeſtationem per Filium fieri ; proinde Patrem mittere, Filium mitti. Verba ſunt : " Sed quoniam ab uno Deo, qui " & hunc fecit mundum, & nos plaſmavit, " & omnia continet, & adminiſtrat, unige- " nitus Filius venit ad nos, ſuum plaſma in " ſemetipſum recapitulans, firma eſt mea ad " eum fides, & immobilis erga Patrem dile- " ctio, utraque Deo nobis præbente. Neque " enim Patrem cognoſcere quis poteſt, " niſi Verbô Dei, id eſt, niſi Filio revelan- " te ; neque Filium niſi Patris beneplacitô. " Bonum autem placitum Patris Filius per- " ficit : mittit enim Pater ; mittitur autem " & venit Filius. Et Patrem quidem in- " viſibilem & interminabilem, quantum ad " nos eſt, cognoſcit ſuum ipſius Verbum, & " cum ſit inenarrabilis, ipſe enarrat eum no- " bis. Rurſum autem Verbum ſuum ſolus " cognoſcit Pater. Utraq; autem hæc ſic ſe " habere manifeſtavit Dominus : & propter " hoc Filius revelat agnitionem Patris per " ſuam manifeſtationem : agnitio enim Pa- " tris eſt, Filii manifeſtatio : omnia enim " per Verbum manifeſtantur." Hæc ſane ſatis evincunt, ſenſum Irenæi ſanum prorſus & Catholicum fuiſſe.

§. 7. Omni verò luce clariora ſunt, quæ hac de re diſſeruit Clemens Alexandrinus. Namque is Filii Dei immenſitatem atque omnipræſentiam cum œconomia ab ipſo ſuſcepta clarè ſimul conjungit in illuſtriſſima ſen-
Pag. 702. tentia, quam legere eſt Strom. 7. ὁ γὰρ (inquit,) ἀξίσαλαί πολε τῆς αὐτῆ πεϱιωπῆς ὁ υἱὸς τ Θεῦ· ὁ μεϱιζόμεν Θ, ὁ ἀπολεμυόμενΘ, ὁ μεταβαίνων ἐκ τόπυ εἰς τόπον, πάντη δὲ ὢν πάντολε, καὶ μηδαμῆ πεϱιεχόμενΘ· ὅλος νῦς, ὅλος φῶς παλϱῶον, ὅλος ὀφθαλμὸς, πάντα ὁϱῶν, πάντα ἀκύων, εἰδὼς πάντα, δυνάμει τὰς δυνάμεις ἐξελιχθῶν. τότῳ πᾶσα ὑποτέτακται στϱατιὰ ἀγγέλων τε καὶ θεῶν, τῷ λόγῳ τῷ παϱικῷ τὴν ἁγίαν οἰκονομίαν ἀναδεδεγμένῳ Δ.Ν. τὸν ὑπολάξανλα· i. e. " Nunquam ex " ſua excedit ſpecula Dei Filius ; ut qui " non dividatur, non diſſecetur, non tranſ- " eat a loco ad locum ; ſit autem ſemper " ubique & contineatur nuſpiam : tota " mens, tota lux paterna, totus oculus, " qui omnia videt, omnia audit, poteſtate " ſcrutatur poteſtates. Ei ſubjecta eſt u- " niverſa militia Angelorum & Deorum ; " Verbo, inquam, paterno, quod ſanctam " ſuſcepit diſpenſationem propter eum, qui " ſubjecit." En ! Verbum, ſive Filium Dei, non dividi, non diſſecari, non tranſire à loco ad locum, ſemper ubique eſſe, nuſpiam contineri clarè docet. Nihilominus concedit, ſuſcepiſſe ipſum Dei Filium diſpenſationem ſanctam, a Patre ſibi impoſitam ; nempe tum ſub veteri Teſtamento, quando Prophetis Viriſque ſanctis, ſimulatâ ſpecie vel humanâ, vel corporeâ aliquâ aliâ apparebat ; tum imprimis ſub novo, cum, aſſumptô in unitatem perſonæ verô homine, in terris cum hominibus converſatus eſt. Certè his nihil diſertius. Perfrictæ autem frontis Scriptor Sandius, dum contra omnium Codicum fidem impudenter negat ſcripſiſſe hæc Clementem, * reſponſione ſane indignus eſt, ſibilô potiùs ab omnibus excipiendus.

§. 8. Tertullianus, quem audivimus in libro adverſus Praxeam ita diſſerentem, Filium fuiſſe, non Deum Patrem, qui olim ſanctis Viris apparuit, & in plenitudine temporis incarnatus eſt ; quòd hic inviſibilis ſit, neque loco includi poſſit : idem, inquam, Tertullianus poſtmodum ejuſdem libri capite 23. expreſsè monet, hoc haudquaquam intelligendum eſſe de diſpari Patris & Filii natura, cum ſint ab invicem inſeparabiles, & uterq; pariter immenſus, & omnipræſens ; ſed de œconomia, quam non Pater, ſed Filius ſuſcepit. Nam ad locum Matth. 17. ita ibidem ſcribit : " Habes Filium in terris, habes Pa- " trem in cœlis. Non eſt ſeparatio iſta, " ſed diſpoſitio divina. Cæterum ſcias, " Deum etiam intra abyſſos eſſe, & ubique " conſiſtere, ſed vi & poteſtate : Filium " quoque ut individuum cum ipſo ubique. " Tamen in ipſa οἰκονομίᾳ Pater voluit Filium " in terris haberi, ſe verò in cœlis ; quò " & ipſe Filius ſuſpiciens & orabat, & po- " ſtulabat a Patre quò & nos erectos doce- " bat orare : *Pater noſter, qui es in cœlis* ; " cum ſit & ubique." Par autem ratio eſt divinæ οἰκονομίας, quæ Filii incarnationem præceſſit, adeoque apparitionum Dei omnium, quæ ſub veteri Teſtamento factæ ſunt. Nam, ut ipſe Tertullianus optimè monuerat locô antè citatô ex ejuſdem libri capite 16. *à primordio omnis ordo divinæ diſpoſitionis per Filium decucurrit.* Similiter Novatianus, cum (ubi ſuprà,) probâſſet, Filium fuiſſe, qui deſcenderet ad turrim Babel, &c, hac ratione, quòd Deus Pater immenſus

* Vide Append. ad Nucl. Hiſtor. Eccleſ. pag. 99.

menſus ſit, neque loco claudatur; quaſi ſcilicet non pariter immenſus ſit & omnipræſens Filius: alibi tamen in eodem libro Dei Filio immenſitatem atque omnipræſentiam, quæ divinæ naturæ propria eſt, expreſsè tribuit. Nam cap. 14. ita veram Chriſti Divinitatem contra Hæreticos adſtruit: *Si homo*, inquit, *tantummodo Chriſtus, quomodo adeſt ubique invocatus? cum hæc hominis natura non ſit, ſed Dei, ut adeſſe omni loco poſſit.* Quomodo igitur apparitiones illæ Dei, Viris ſanctis olim factæ, Filio quidem convenire cenſendæ ſunt, Patri verò non item? Non obſcurè mihi hunc nodum ſolvere videtur ipſe Auctor capite 26. ubi de Angelo, qui Saræ apparuit ancillæ, ita diſſerit: *Quærant, quid in præſenti loco Hæretici tractent. Pater fuit iſte, qui ab Agar viſus eſt, annon? quia Deus poſitus eſt. Sed abſit Deum Patrem Angelum dicere, ne alteri ſubditus ſit, cujus eſt Angelus. Sed Angelum dicent fuiſſe. Quomodo ergo Deus, ſi Angelus fuit, cum non ſit hoc nomen Angelis unquam conceſſum? Niſi quoniam ex utroque latere nos veritas in iſtam concludit ſententiam, quia intelligere debeamus, Dei Filium fuiſſe: qui quoniam ex Deo eſt, meritò Deus, quia Dei Filius, dictus ſit: quoniam Patri ſubditus & annuntiator paternæ voluntatis eſt, magni conſilii Angelus pronuntiatus eſt.* Ubi Summa diſputationis huc redit: Is qui ab Agar viſus eſt, aut Angelus creatus fuit, aut Deus increatus. Angelum creatum non fuiſſe inde probat, quòd Deus & Jehova vocetur; quod nomen incommunicabile eſt, neque ulli creaturæ, ne ipſis quidem Angelis, rerum creatarum ſupremo ordini, conceſſum unquam fuit. Deum verum igitur fuiſſe, qui apparuit, conſtat. Quem verò, ut ita dicam, Deum? Patremne an Filium? Patrem non fuiſſe inde confirmat, quòd Angeli nomen miſſionem ab altero, ac proinde ſubjectionem quandam innuat; Deus verò Pater nulli ſit ſubditus, utpote à nullo ortus. Reſtat igitur, ut is qui apparuit, Filius Dei fuerit. Qui quòd à Deo Patre originem habet, eô certè nomine Patri ſubjectus eſt; neque Angeli, ſive annuntiatoris paternæ voluntatis, officium ipſum dedecet. Verbo: Angelus fieri non potuit Deus Pater, ſalvâ Patris prærogativâ: nam ab alio miſſus tum fuiſſet, qui nulli auctoritatem ſuam acceptam refert. Filio verò Dei & nomen Dei omnino convenit, utpote Deo veriſſimo; & Angeli appellatio, quippe qui ita ſit Deus verus, ut Deus ſit de Deo, ac proinde à Deo, ex quo ſit, miſſionem atque οἰκονομίαν ipſi commiſſam, ſalvâ perſonæ ſuæ dignitate, accipere ſuſcipereque potuerit. Quod ipſum dubiô procul voluerunt Patres, qui ex Antiochena Synodo ad Paulum Samoſatenum Epiſtolam Synodicam ſcripſerunt: qui Filium eſſe contendunt eum, qui in Veteri Teſtamento identidem Patribus in conſpectum ac colloquium venit; ποτὲ μὲν ὡς ἄγγελος, ποτὲ δὲ ὡς Κύριος, ποτὲ δὲ Θεὸς μαρτυρέμενος. τὸ μὲν γὰρ Θεὸν τῶν ὅλων ἀσεβὲς ἄγγελον νομίσαι καλεῖσθαι. ὁ δὲ ἄγγελος τοῦ πατρὸς ὁ υἱός ἐστιν, αὐτὸς Κύριος καὶ Θεὸς ὤν. γέγραπται γάρ· Μεγάλης βουλῆς ἄγγελος. i. e. *Qui aliàs Angelus, aliàs Dominus, aliàs Deus Scripturarum teſtimoniô declaratur. Nam Deum univerſorum impium ſit Angelum dici credere. Angelus verò Patris eſt Filius: qui & ipſe Dominus ac Deus eſt. Scriptum eſt enim:* Magni conſilii Angelus. Ubi clarè docent Præſules ſancti, Dei quidem ac Domini nomen Patri & Filio proinde competere: Angeli verò appellationem, utpote miſſionem ab altero ſignificantem, neutiquam Patri, qui ab altero non magis dici poteſt miſſus, quàm natus, convenire; Filio verò ex Patre genito rectè tribui poſſe: qui proinde in Scripturis, Magni conſilii Angelus vocatur. Eſaiæ 11. 6. juxta τοῖς ἑ.

§. 9. Ad eundem modum exponendus eſt Tertullianus, cum in eodem libro adverſus Praxeam cap. 14. Filium a Patre hâc notâ diſcernit, quòd Filius viſibilis, Pater inviſibilis ſit. Quem ſequitur, ut ſolet, Novatianus, ſive Auctor libri de Trinitate cap. 26. Quid enim? Quiſquamne eſt, qui ſuſpicetur, Tertullianum ejuſque æmulum (Viros ſane haud prorſus ſtupidos,) credidiſſe, Filium Dei, quà Deus eſt & ex inviſibili Deo natus, viſu eſſe perceptibilem? Viſibilem dubiô procul dixerunt Filium non ipsâ naturâ ſuâ divinâ, ſed κατ' οἰκονομίαν iſtam, quam explicavimus: quâ ſcilicet ipſe à primordio per externa quædam & viſibilia ſuæ præſentiæ ſymbola ſeſe hominibus identidem exhibuit. Si dubitas, audi iterum Tertullianum ipſum, idque eo ipſo in libro & capite (nempe libro adverſ. Prax. cap. 14.) ita ſeſe verbis diſertiſſimis explicantem: *Dicimus enim*, inquit, *& Filium ſuo nomine eatenus inviſibilem, quà Sermo & Spiritus Dei ex ſubſtantiæ conditione jam nunc, & quia Deus & Sermo & Spiritus: viſibilem autem fuiſſe ante carnem eô modô, quo dicit ad Aaron & Miriam:* Et ſi fuerit prophetes in vobis, in viſione cognoſcar illi, &c. Quid clarius? Itaque pudeat Sandium alioſque, Tertulliano abſurdam hanc ſententiam tam fidenter tribuiſſe, quòd Verbum & Filium Dei naturâ ſuâ divinâ finitum ac viſibilem crediderit. Nam ſi librum Tertulliani, unde illud collegerunt, attentè unquam perlegiſſent, neſcire non potuiſſent, iſtam ſententiam diſertis verbis rejeciſſe

ciſſe Scriptorem doctiſſimum. Quod ſi hoc ſciverint, & nihilominus Tertulliano iſtiuſmodi blaſphemiam affingere voluerint, pro egregiis Sophiſtis & prævaricatoribus meritò habendi ſunt. Sin nunquam librum perlegerunt, aut non niſi oſcitanter & perfunctoriè, certè ex eo de Tertulliani ſententia temere pronuntiârunt.

§. 10. Ad Origenem tandem venio. Is in libro 5. contra Celſum docet, Deum Patrem
pag. 239. ad homines condeſcendere non τοπικῶς, *localiter*, ſed προνοητικῶς, *per providentiam:* Filium verò etiam τοπικῶς *localiter* in terris verſatum fuiſſe, ut olim per ſimulatas ſpecies, ſic poſtremis temporibus in aſſumpto vero homine; verùm ita tamen, ut neque ipſe loco unquam includeretur, ſed perinde ac Pater ubique ſemper adfuerit, & adſit. Verba Origenis ſunt: Θεὸς ἓν κατὰ τὴν χρηστότητα αὐτοῦ ὁ τοπικῶς, ἀλλὰ προνοητικῶς συγκαταβαίνει τοῖς ἀνθρώποις· καὶ ὁ τοῦ Θεοῦ παῖς ὁ τότε μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀεὶ μετὰ τῶν ἰδίων μαθητῶν ὤν, πληρῶν τὸ Ἰδοὺ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. καὶ εἴπερ κλῆμα καρπὸν ὁ δυνάται φέρειν, ἐὰν μὴ ἐμμείνῃ τῇ ἀμπέλῳ, δῆλον ὅτι καὶ οἱ τοῦ λόγου μαθηταὶ, τὰ νοητὰ τῆς ἀληθινῆς ἀμπέλου τοῦ λόγου κλήματα, ὁ δυνανται φέρειν τοὺς καρποὺς τῆς ἀρετῆς, ἐὰν μὴ μένωσιν ἐν τῇ ἀληθινῇ ἀμπέλῳ, τῷ Χριστῷ τοῦ Θεοῦ, καὶ μεθ' ἡμῶν ὢν τοπικῶς κάτω ἐπὶ γῆς συγχαίνοντι· ὃς μετὰ τῶν πανταχοῦ προσπεφυκότων αὐτῷ ὢν, ἤδη δὲ καὶ μετὰ τοῦ ἐν εἰδότων αὐτὸν πανταχοῦ ἐστι. καὶ τοῦτο γε ὁ τὸ εὐαγγέλιον γεγράφας Ἰωάννης ἐν προσώπῳ τοῦ βαπτιστοῦ Ἰωάννου δηλοῖ, λέγοντος· Μέσος ὑμῶν ἕστηκεν, ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε, αὐτός ἐστιν ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος· i. e. *Deus igitur pro ſua bonitate non localiter, ſed per providentiam condeſcendit hominibus: & ejus Filius non ſolum tunc,* (nempe cum caro factus habitaret inter homines,) *ſed & ſemper cum ſuis eſt diſcipulis, juxta promiſſionem illam: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Et ſiquidem palmes non poteſt fructum ferre, niſi in vite maneat; liquet quòd etiam Verbi diſcipuli, intelligibiles veræ vitis, nempe Verbi, palmites, non poſſint proferre fructus virtutis, niſi maneant in vera vite, Chriſto Dei, etiam localiter nobiſcum infrà in terris verſante: qui cum adnatis ſibi ubique præſens eſt, quin & neſcientibus ipſum adeſt ubique. Atque hoc Joannes Evangeliſta ex perſona Joannis Baptiſtæ delarat dicentis: In medio veſtrûm ſtat, quem vos neſcitis: ipſe eſt, qui poſt me venit.* Hinc continuò ibidem infert Origenes, non Soli, Lunæ & aſtris, ſed Deo Patri & Filio, utpote ubique præſentibus, preces & vota facienda eſſe. Sic in libro 2. (quem locum ſuprà commemoravi- pag. 63.
mus,) iiſdem Scripturæ teſtimoniis probat, Filium Dei nequaquam circumſcriptum fuiſſe corpore, quod aſſumpſit; ſed φθάνουσα πανταχοῦ, *præſentem ubique* eſſe. Sed luculentiſſimè deſcenſus Filii Dei ad homines cum ipſius immenſitate & omnipræſentia conciliat in libro 4. cont. Celſum. ubi Celſo contra Dei Verbi incarnationem objicienti: quòd ſi Deus ad homines deſcendat, metuendum, ne ſolium ſuum deſerat; ita (non ſolùm ſuô, ſed Chriſtianorum omnium nomine,) reſpondet Origenes pag. 164. Οὐ γὰρ οἶδε δύναμιν Θεοῦ, καὶ ὅτι πνεῦμα Κυρίου πεπλήρωκε τὴν οἰκουμένην, καὶ τὸ συνέχον τὰ πάντα γνῶσιν ἔχει φωνῆς· οὐδὲ συνιέναι δύναται τό· Οὐχὶ τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν ἐγὼ πληρῶ, λέγει Κύριος; οὐδὲ βλέπει ὅτι κατὰ τὸν χριστιανῶν λόγον οἱ πάντες ἐν αὐτῷ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καὶ ἐσμεν· ὡς καὶ Παῦλος ἐν τῇ πρὸς Ἀθηναίους δημηγορίᾳ ἐδίδαξε. Κἂν ὁ Θεὸς τοίνυν τὸν ὅλων τῇ ἑαυτοῦ δυνάμει συγκαταβαίνει τῷ Ἰησοῦ εἰς τὸν ἀνθρώπων βίον, κἂν ὁ ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεὸν λόγος, Θεὸς ὢν αὐτὸς ὢν, ἔρχηται πρὸς ἡμᾶς, ὡς ἔξεδρος γίνεται, οὐδὲ καταλείπει τὴν ἑαυτοῦ ἕδραν· ὡς τινα μὲν τόπον κενὸν αὐτοῦ εἶναι), ἕτερον δὲ πλήρη, ὁ πρόεδρος αὐτὸν ἔχνλα. ἐπιδημεῖ δὲ δύναμις καὶ θεότης Θεοῦ ὅπου βούλεται, καὶ ἐν ᾧ ἐυρίσκει χώραν, ὡς ἀμείνονος τόπου, οὐδ' ἐκλείπουσα χώραν αὐτοῦ κενὴν, καὶ ἄλλου πληροῦσα· i. e. *Non enim novit Dei potentiam, quòd Spiritus Domini repleat orbem terrarum, & qui continet omnia, ſcientiam vocis habeat: nec illa verba intelligit:* Nonne cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus? *nec videt, quòd juxta ſententiam Chriſtianorum, omnes* in eo vivimus, movemur & ſumus, *ſicut Paulus docet in concione ad Athenienſes habita. Itaque ſive hujus univerſitatis Deus potentiâ ſuâ deſcendat cum Jeſu in vitam hominum, ſive Dei Verbum, quod erat in principio apud Deum, quodque ipſum Deus eſt, ad nos veniat; non carebit ſede, neque ipſam deſeret, ut alius locus eô ſit vacuus, plenus alius, qui antè vacaverat. Sed Dei potentia & Deitas proficiſcitur, quò vult, & apud quemcunque invenit locum, abſque migratione, nec relictô locô per abſentiam vacuô, repletôque aliô per præſentiam.* An dicet Sandius, quemadmodum de Clemente modò cavillatus eſt, ὑποβολιμαῖα hæc eſſe, neque ab ipſo Origene ſcripta? Dicat. Certè nemo ſanæ mentis temerarii homuncionis judicium vel flocci fecerit. Præſertim cum eandem doctrinam tradat Adamantius in illo ipſo libro quarto & alibi paſſim. Diſcat ve- Vide p.
rò tandem miſellus ex ipſo Origene, quem 168,169,
per errorem, ut Arii ὁμόδοξον, præ aliis o- 170,324,
325.

mnibus laudat atque admiratur, ſuam ipſius inſcitiam, palam profitentis, ſibi perſuaderi non poſſe, Filium Dei in terras deſcendiſſe abſque migratione à loco in locum, ita ut etiam tum, cum inter homines homo factus verſaretur, in cœlis, adeoque ubique præſens fuerit; quin & hoc ipſum dogma, ut impium ac blaſphemum damnantis. Nimirum Vir ſanctus ipſum in Celſo Epicureo divinæ potentiæ prorſus ignarum pronuntiat.

Append. ad Nucl. H.E. pag. 99.

§. 11. Illud mantiſſæ loco addam. Ex locutionibus Scriptorum Chriſtianorum, qui docuerunt apparitiones Dei, in Veteri Teſtamento commemoratas, haudquaquam de Patre intelligendas, ut qui à nemine videri poſſit, ſed ad Filium referri debere; & Filio, non Patri ἐνσάρκωσιν conveniſſe: ex his, inquam, locutionibus, perperam intellectis, veriſimillimum eſſe, anſam arripuiſſe Celſum objiciendi Chriſtianis, quòd docerent, Deum Patrem, cum ipſe eſſet μέγας καὶ δυσθεώρητος, Filium ſuum, tanquam contemplatu facilem, ad homines miſiſſe, quemadmodum in præcedenti Capite notavimus ex Origene cont. Celſ. lib. 6. ubi & Origenis reſponſum ex parte dedimus. Quæ apud eundem ſuperſunt, hîc ſunt appoſitiſſima. Sic enim ibidem pergit Origenes: ἔστω δὲ ὁ δυσθεώρητος ὁ Θεός· ἀλλ' ὁ μόνος δυσθεώρητός ἐστί τινι, ἀλλὰ καὶ ὁ μονογενὴς αὐτοῦ. δυσθεώρητος γὰρ ὁ Θεὸς λόγος, δυσθεώρητος δὲ ἔτι καὶ σοφία ἐστὶν, ἐν ᾗ τὰ πάντα πεποίηκεν ὁ Θεός. τίς γὰρ δύναται καθ' ἕκαστον τῶν πάντων τὴν σοφίαν, ἐν ᾗ ὁ Θεὸς καὶ ἕκαστον τῶν πάντων πεποίηκε, θεωρῆσαι; ὁ ἀφ' τὸ δυσθεώρητος ἦν ὁ Θεὸς τοῦτ' εἰ), ὡς εὐθεώρητον τὸν Θεὸν τὸν υἱὸν ἔπεμψεν· ἅτερ μὴ νοήσας ὁ Κέλσος εἶπεν ὡς ἐν προσώπῳ ἡμῶν. —— ἀλλ ὡς ἀποδεδώκαμεν, καὶ ὁ υἱὸς δυσθεώρητος ὢν, ἅτε λόγος Θεὸς, διὰ ἣν τὰ πάντα ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν· i. e. "Eſto etiam Deus contemplatu difficilis; verùm non ſolus, ſed & ejus unigenitus. Eſt enim difficilis contemplatu Deus Verbum, difficilis ſimiliter & Sapientia, in qua Deus creavit omnia. Quis enim eam per ſingula Creatoris opera conſiderare valeat? Ergo non ideo Deus contemplatu difficilis Deum Filium miſit, quaſi contemplatu facilem, prout Celſus parum intelligens ex noſtra perſona dixit: —— verùm, ut nos oſtendimus, etiam Filius, cum eſſet contemplatu difficilis, ut Verbum Deus per quod omnia facta ſunt, inter nos converſatus eſt." Quibus verbis rurſus Catholicorum Chriſtianorum omnium nomine profitetur Origenes, non ideo Patrem in mundum miſiſſe Filium, quòd hic ſe contemplatu facilior ſit; ſiquidem uterq; pariter incomprehenſibilis eſt, quemadmodum & alibi docuit. Cur igitur? Cauſam & rationem ſæpius in hoc Capite reddidimus; nempe quòd Deus Pater, utpote à nullo ortus, à nullo mitti potuerit; Filium verò Dei, ut genitum à Patre, mitti ab ipſo haud dedeceret. Obiter autem in gratiam Lectoris, qui in veterum Patrum Scriptis minùs verſatus ſit, notandum eſt, in verbis illis, *difficilis etiam contemplatu Sapientia*, per Sapientiam Spiritum ſanctum deſignari: quod & à Theophilo Antiocheno & Irenæo factum eſſe, ſuprà oſtendimus. De cauſis cur ita locuti ſint Veteres illi, ſic diſſerit Petavius: "Spiritus ſanctus, *inquit*, idcirco dici "ab illis Sapientia putandus eſt, quòd ab "illo ſapientiæ donum in Angelos hominesque diffunditur: perinde atque λόγος "ab nonnullis appellari propterea dicitur, "ut ſuperiore libro docuimus, quòd λογικὰς, id eſt rationales efficiat. Ita quoniam "eximium illud ac cœleſte ſapientiæ donum, quà donum eſt, & à Deo nobis cum "ſingulari bonitate & charitate communicatur, efficientiæ Spiritus ſancti proprium "eſt; ideo fons ipſe ſapientiæ, ut & donorum reliquorum, metonymicè eodem illo "vocabulo interdum afficitur. Poſſunt & "aliæ cauſæ ſuppetere appellationis iſtius, "velut quòd ſapientia, quæ donum Dei eſt, "& humanæ, qualis erat in Philoſophis "gentilibus, opponitur, cum amore Dei & "charitate conjungitur, uti S. Thomas exponit. Quare eodem jure Sapientia nominatur Spiritus ſanctus, quô amor & "charitas. Quod ſi naturam ipſam, proprietatemque ſapientiæ ſpectes, cum ad intellectum pertineat, & ſit cognitio quædam, peculiaris eſt ejus appellatio Dei Filio atque Verbo, Spiritui verò non niſi extrinſecè, &, ut ita dicam, cauſativè." Porro & illud fortaſſe obſervationem noſtram merebitur, illa Origenis verba, δυσθεώρητος ὁ Θεός· δυσθεώρητος ὁ λόγος· δυσθεώρητος ἔτι καὶ σοφία· planè gemina eſſe illis Symboli, vulgò dicti Athanaſiani: ἀκατάληπτος ὁ πατήρ· ἀκατάληπτος ὁ υἱός· ἀκατάληπτον καὶ τὸ πνεῦμα ἅγιον. Sed in orbitam redeo.

Vide Section. 2. c. 9. n. 9.

Vide Section. 2. c. 4. n. 10. c. 5. n. 7. Petav. de Trin. l. 7. c. 12. n. 17.

p. 323.

§. 12. Ex his omnibus manifeſtiſſimum eſt, Eccleſiæ Doctores, qui ante exortam Arii hæreſin ſcripſerunt, quoties ita ratiocinantur, Deum non Patrem, ſed Filium fuiſſe, qui ſub veteri Teſtamento apparuit, & in plenitudine temporis incarnatus fuit, quòd Pater immenſus ſit, neque loco includatur, & inviſibilis, qui à nemine conſpici poſſit; neutiquam negare voluiſſe, Filium Dei pariter ac Patrem naturâ ſuâ immenſum atque inviſibilem

lem esse: sed id tantùm significâsse, tum apparitiones illas Dei omnes, tum ipsam ἐνσαρκωσιν ad οἰκονομίαν spectâsse, quam suscepit Dei Filius: quæ œconomia Patri, quippe qui à nullo ortus sit principio, nullique auctoritatem suam acceptam referat, nequaquam conveniat. In hôc autem cum ipsis consensisse Patres plerosque Catholicos, qui post Concilium Nicænum vixerunt, nunc ostendemus. Catholicum fuisse Eusebium, atque ab Ariana hæresi alienum, luculentissimis ex ipso adductis testimoniis suprà probavimus.* Is autem Historiæ Ecclesiasticæ (quod opus post alias omnes ejus Elucubrationes, adeoque post Concilium Nicænum editum fuisse constat,) libro 1. cap. 2. Angelum, qui ab Abrahamo adorabatur ut Deus & omnium judex, non Patrem, sed Filium fuisse hac ratiocinatione probat: εἰ γὰρ μηδεὶς ἐπιλείποι λόγος, τὸ ἀχώριστον καὶ ἄτρεπτον οὐσίαν Θεοῦ τοῦ παντοκράτορος εἰς ἀνθρώπου εἶδος μεταβάλλειν, μηδ' ἂν ψυχαῖς μηδενὸς φαντασία τὰς τῶν ὁρώντων ὄψεις ἐξαπατᾷν, μηδὲ μὴν ψευδῶς τὰ τοιαῦτα πλάττεσθαι τὴν γραφήν· Θεὸς καὶ Κύριος ὁ κρίνων πᾶσαν τὴν γῆν, καὶ ποιῶν κρίσιν ἐν ἀνθρώπου ὁρωμένου σχήματι, τίς ἂν ἕτερος ἀναγορεύοιτο, εἰ μὴ φάναι θέμις τὸν πρῶτον τῶν ὅλων αἴτιον, ἢ μόνος ὁ πρὸ αὐτοῦ λόγος; i. e. *Nam cum ab omni ratione alienum sit, tum ut ingenita & immutabilis Dei omnipotentis natura in speciem hominis convertatur, & creatura alicujus phantasmate oculos intuentium fallat, tum ut sacra Scriptura quidquam hujusmodi falsò confingat; Deus ille & Dominus, qui judicat omnem terram, & facit judicium sub hominis specie apparens, quisnam alius appellari possit, (quandoquidem de primo omnium rerum auctore hæc accipere nefas est,) præter ipsum quod ante omnia substitit Dei Verbum?* Eâdem ratiocinatione usus fuerat Eusebius lib. 5. de Evangelica Demonstratione, pag. 147. Ob hæc autem & similia dicta Præsulem venerandum & de Ecclesia Christi summè meritum, impium ac profanum appellare non est veritus Jesuita Petavius.† Qui tamen nescire vix potuit, Eusebium neutiquam voluisse, quod verba ipsius primâ fronte præ se ferre videntur, Filium Dei, qui visibili specie olim apparuit, revera alienæ esse à Patre naturæ, hoc est, finitæ atque mutabilis, nedum per apparitiones illas actu mutatum fuisse. Nam centenis in locis (ex quibus unum adduxit ipse Petavius,) blasphemiam istam apertissimè rejecit Eusebius. Imò Verbum Dei etiam post assumptum in unitatem personæ verum hominem, eundem immutabilem, immensum, atq; ubique præsentem Deum mansisse, disertè docet in Oratione de laudibus Constantini, quæ ad calcem Hist. Eccles. addita est. Nam in Orationis illius cap. 14. sic scribit: ἐν ταῦτα ταῖς παλαιαῖς βουλαῖς διηκονεῖτο, μένων αὐτὸς πάλιν ἄϋλος, οὔτε δὲ πρὸ τούτου τοῦ παλαί ἦν· εἴ τι μεταβαλὼν τὴν ἰδίαν οὐσίαν· οὐδ' ἀφανισθείσης τῆς αὐτοῦ φύσεως· οὐδέ γε τοῖς τῆς σαρκὸς δεσμοῖς πεδηθείς· οὐδ' ὧδε μέν, ἔνθα ἦν ἀνθρώπου σκεῦος, τὰς ἀγγελικὰς ποιούμενος, ἐν ἑτέροις δὲ εἰ τοῦ παντὸς κενωλυμένος· ἀλλὰ γοῦν ἐν τοῦ τότε καιροῦ ὃν ἐν ἀνθρώποις ἐπολιτεύετο, τὰ πάντα ἐπλήρει, καὶ τοῦ παλαί συνῆν, ἐν αὐτοῦ γε ἦν καὶ τῶν πάντων ἀνθρώπων ἐν τοῦ τότε, τό τε κατ' οὐρανὸν καὶ ἐπὶ γῆς ἐπεμέλετο· ὁμοίως τῆς πανταχόσε παρουσίας ὁμοίως ἡμῖν ἀποκλειομένου. i. e. *Atque in his ille paternis consiliis ministravit, manens interim materiæ expers, qualis antea apud Patrem erat: non immutatâ substantiâ, nec amissâ naturâ; nec carnis vinculis constrictus; nec in eo quidem loco, in quo humanum ipsius vasculum versabatur, consistens, alibi verò adesse nequaquam valens; sed eo ipso tempore, quô inter homines versabatur, præsentiâ suâ universa complebat, eratque cum Patre, & in Patre inerat; & omnium simul tam quæ in cœlo, quàm quæ in terra sunt, curam gerebat: nec quidquam illi perinde ac nobis obstabat, quò minus præsens ubique adesset.* Et paulò pòst: οὐκ ἂν ἐμολύνετο πικτομένου σώματος· οὐδὲ τὴν οὐσίαν ἔπαθεν ὁ ἀπαθής, τοῦ ἄντου πάλιν αὐτοῦ διαιρουμένου· i. e. *Neque igitur contaminabatur creato corpore; neque in substantia passus est, utpote impatibilis, divulso rursus ab ipso, quod mortale erat.* Quid magis Catholicè unquam dictum fuit? Procul dubiô igitur in locis antè citatis nihil aliud voluit Eusebius, (nisi verò Virum doctissimum, cum Petavio hominem obtusum, quod absit, dicere velimus,) quàm quod ante ipsum voluerunt Patres, quorum sententiam modò explicavimus: nempe Deo Patri, ut ingenito, neutiquam convenisse οἰκονομίαν, aut ut tanquam ab alio missus, vel per simulatas species appareret; Filium verò Dei ex voluntate Patris, à quo natus est, suscepisse illam ipsam œconomiam, haud indecorum fuisse: eamque ob causam non Patrem, sed Filium se olim Patriarchis sub virili specie exhibuisse; quemadmodum & postremis temporibus non Pater, sed Filius verum hominem in unitatem personæ assumpsit. Sed ab Eusebio ad alios Patres, qui omnium confessione Catholici fuerunt, progrediamur.

Pag. 650. Edit. Valesii.

§. 13.

---

* Vide Sect. 3. c. 9. n. 11. & hujus Sectionis cap. 1. n. 10. † De Trinit. l. 8. c. 2. n. 6. p. 792.

§. 13. Cyrillus Hierosolymitanus in quartadecima Catechesi Filium esse existimat, quem Esaias sedentem super solium aspexit : Τὸν πατέρα μὲν γὰρ (inquit,) οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε· ὁ δὲ τῇ προφήτῃ τότε φανεὶς, υἱὸς ἦν· i. e. *Etenim Patrem nemo vidit unquam : qui autem Prophetæ tunc visus est, erat Filius.* Basilius in secundo adversus Eunomium,* Filium fuisse, qui Mosi in rubo apparuit, inde probat, quòd scriptum sit, Angelum Domini visum fuisse in rubo ; ac subinde illum ipsum Angelum dixisse : *Ego sum qui sum*, &c. Hinc enim ita argumentatur : τίς οὖν ὁ αὐτὸς ἄγγελος, καὶ Θεός ; ἆρα οὐχὶ περὶ οὗ μεμαθήκαμεν, ὅτι καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, μεγάλης βουλῆς ἄγγελος ; i. e. *Qui igitur est ille, qui idem Angelus est, & Deus ? Nonne is est, de quo sic accepimus, ejus nomen esse, magni consilii Angelus ?* Nimirum sensit Basilius cum priscis illis, quos suprà commemoravi, Dei quidem nomen Patri & Filio æquè convenire ; Angeli verò appellationem non item : quippe quæ Filii propria sit, qui singulis ætatibus à Patre missus, ejus voluntatem hominibus patefecit. Mox verò ibidem ita concludit Basilius : παντὶ δῆλον, ὅτι ἔνδοξα καὶ ἄγγελος, καὶ Θεὸς ὁ αὐτὸς προσηγόρευται, ὁ μονογενὴς ὅτι δηλέμενος, ἐμφανίζων ἑαυτὸν κατὰ γενεὰν τοῖς ἀνθρώποις, καὶ τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ ἀπαγγέλλων· i. e. *Ubicunq; igitur & Angelus, & Deus idem appellatus est, cuilibet manifestum est, unigenitum significari : qui seipsum per generationes hominibus manifestum facit, & voluntatem Patris sanctis suis denuntiat.* Theodoretus quoque in quinto adversus Hæreses, cap. 1. Patrem perinde *invisibilem* esse confirmat : ac neque visum esse, nec videri posse ostendit. Et in quæstione 5. in Exodum, Angelum, qui Mosi apparuit in rubo, & se Deum esse dixit, non Patrem, qui nullius esse potest nuntius, sed Filium fuisse contendit ; sed non ὑπουργὸν, id est *administrum*, vel *famulum*.

§. 14. Ex Patribus Latinis hos testes adducimus. Hilarius, Vir sanctissimus & Arianæ perfidiæ hostis acerrimus, passim & disertissimè eandem doctrinam tradit. Nam in libro 4. de Trinitate Angelum, qui Agari adstitit, Filium Dei fuisse inde probat, quòd idem tum Deus ac Dominus, tum Angelus Dei appelletur ; nulli autem utrumque istud nomen propriè tribui possit, præterquam Dei Filio : qui solus & naturâ suâ Deus verus est, & secundum officium & dispensationem Dei Angelus, hoc est, Paternæ voluntatis annuntiator : quæ functio dignitatem ejus haud dedecet, siquidem ex Patre ipse originem habet. Inter cætera enim sic ibidem scribit : *Qui Angelus Dei dictus est, idem Dominus & Deus est. Est autem secundum Prophetam, Filius Dei magni consilii Angelus. Ut personarum distinctio absoluta esset, Angelus Dei est nuncupatus : qui enim est Deus ex Deo, ipse est & Angelus Dei. Ut verò honor debitus redderetur, & Dominus, & Deus est prædicatus.* Hinc sub finem ejusdem libri Filium solum visum ab hominibus, Patrem invisibilem esse contendit. Nam ad locum quendam Jeremiæ ita illic scribit : " Habes ergo DEUM in " terra visum, & inter homines conver- " satum. Et requiro, quomodo intelli- " telligendum existimes : *Deum nemo vidit* " *unquam, nisi unigenitus Filius, qui est in* " *sinu Patris* ; cum Hieremias Deum præ- Pag. " dicet, qui & visus in terris est, & inter " homines conversatus est ? Pater certè non " nisi Filio visibilis est. Quis ergo iste est, " qui & visus est, & conversatus inter ho- " mines ? Deus certè noster est, & visibilis " in homine, & contrectabilis Deus. *Et* " *mox :* Super terram visus, est & inter ho- " mines conversatus est. Unus est enim " Mediator Dei & hominum, Deus & ho- " mo : & in legislatione, & in corporis as- " sumptione Mediator. ——— Unus est " enim hic in Deum ex Deo natus, per " quem creata sunt omnia in cœlo & in ter- " ra, per quem tempora & sæcula facta sunt. " Totum quicquid est, ex ejus operatione " subsistit. Hic ergo unus est, disponens ad " Abraham, loquens ad Mosen, testans ad " Israel, manens in Prophetis, per virginem " natus ex Spiritu sancto, &c. " Ubi & obiter notandum contra Bellarminum aliosque Pontificios, disertè affirmare Hilarium, (quod & communiter docuisse Veteres liquet,) Servatorem nostrum etiam in legislatione & ante ἐνσάρκωσιν Mediatorem fuisse ; proinde non humanæ tantùm naturæ, utpote quam nondum assumpserat, respectu Mediatorem esse : quod tamen isti acriter contenderunt. Cæterum idem Hilarius in libro 5. de Angelo, qui Agari visus est, rursus loquens : " Angelus Dei, *inquit*, ad Agar " loquitur, & idem Angelus Deus est. Sed " forte idcirco non Deus verus est, quia An- " gelus Dei est. Inferioris enim naturæ vi- " detur hoc nomen ; & ubi nuncupatio est " generis alieni, ibi existimatur veritas e- " jusdem

* Pag. 742. Editionis Parisiensis 1638.

" juſdem generis non ineſſe. Et quidem " ſuperior liber inanitatem hujus quæſtionis " oſtendit. In Angelo enim officii potiùs " quàm naturæ intelligentia eſt. *Et pau-* " *cis interjectis:* Volens igitur Lex, imò per " Legem Deus, perſonam paterni nominis " intimare, Dei Filium, Angelum Dei lo- " quuta eſt, id eſt, nuntium Dei. Signifi- " cationem enim officii teſtatur in nuntio: " naturæ autem veritatem confirmabit in " nomine, cum Deum dixit. Hic autem " nunc diſpenſationis eſt ordo, non gene- " ris. Non enim aliud quàm Patrem & " Filium prædicamus: & ita naturam no- " minum coæquamus, ut veritatem Dei " teneat ex innaſcibili Deo Dei unigeniti " nativitas. Miſſi autem & mittentis ſigni- " ficatio hîc non aliud quàm Patrem & " Filium docet: cæterum veritatem non " adimit naturæ, neque in Filio perimit
Pag. 58. " nativæ Divinitatis proprietatem." Denique idem in eodem libro de viſo Eſaiæ Deo ſic differit: *Eſaias enim Deum vidit, & cum ſcriptum ſit:* Deum nemo vidit unquam, niſi unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit; *Deum tamen Propheta vidit, & gloriam ejus uſque ad invidiam Prophetica dignitatis aſpexit. Nam in judicium mortis ob hanc cauſam à Judæis actus eſt. Deum itaque nemini viſum, unigenitus Filius, qui in ſinu Patris eſt, enarravit.* Et mox: *Propheta loquitur, Evangelium teſtatur, Eccleſia confitetur verum Deum eſſe, qui viſus ſit; cum tamen Deum Patrem viſum nemo fateatur.* Ubi dogma hoc, nemini unquam viſum eſſe Patrem, tam Catholicum ſua ætate fuiſſe aſſerit, ut nemo tunc Catholicus contrariam ſententiam defendere auſus fuerit. Ab Hilario ad alios Eccleſiæ Doctores tranſeo.

§. 15. Ipſe Auguſtinus in libro contra Adimantum capite 9. ex iſtis Joannis verbis, " Deum nemo vidit unquam; unigenitus " Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarra- " vit; colligit: Filium Dei qui eſt Verbum " Dei, non ſolùm noviſſimis temporibus, " cum in carne apparere dignatus eſt, ſed " etiam priùs à conſtitutione mundi, cui " voluit, de Patre annuntiâſſe, ſive loquen- " do, ſive apparendo, vel per Angelicam a- " liquam poteſtatem, vel per quamlibet " creaturam." Quæ collectio infirma eſt, niſi pro certo ſtatuatur, in Evangeliſtæ verbis ſignificari, nemini olim ipſum Deum Patrem ſe videndum exhibuiſſe. Itaque ſibi ipſi, ut ſæpe ſolet, contradicit Auguſtinus, & id dicit, quod Hilarius neminem Catholicum dicere auſurum exiſtimavit, cum alibi, nempe in 2. de Trinitate cap. 17. affirmat, *nimis temerarium eſſe dicere, Deum Patrem nunquam Patribus, aut Prophetis per aliquas viſibiles formas apparuiſſe.* Quod Auguſtini dictum, ut certum, temere approbat Petavius. Sub novo quidem Teſtamento ipſum Deum Patrem homines allocutum ſcimus; nempe in Chriſti Baptiſmo, & in ejuſdem transfiguratione, dicentem: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo bene complacui*; & rurſus in voce illâ: *Ego clarificavi, & iterum clarificabo.* Ex quibus Scripturæ locis probare volens Petavius Auguſtini aſſertionem, ipſum nempe Deum Patrem Prophetis aliquando viſum fuiſſe, ita ratiocinatur: *Non enim indignius eſt ſummâ illâ & præſtantiſſimâ Dei Majeſtate, utcunque in aures hominum incurrere ſenſibili aliqua ſonitûs ſpecie, quàm in oculos, uſurpatâ ad tempus imagine corporis.* Ubi pro verbis, quæ nobis repræſentavit Typographus: *non enim indignius eſt*; ſcripſit, ut opinor, Jeſuita, aut certè ſcribere debuit: *non enim dignius eſt*; alioquin enim peſſimè cohærebit ejus argumentatio. Atqui, inquam ego, non ita certum illud eſt, ut Petavius exiſtimavit. Nam ex Veterum ſententia, ut ſæpius dixi, apparitiones illæ Dei in imagine viſibili corporea, præludia & figuræ erant futuræ incarnationis, quæ in Patrem neutiquam competebat. Sed ut certum illud ſit, certè loca allata ad rem non pertinent: ſiquidem Auguſtinus, quem defendendum ſuſcepit Petavius, de ἐπιφανείαις Dei ſub Veteri Teſtamento, Patribus nempe & Prophetis olim factis, diſertè locutus eſt. Quin & extraordinarium fuit, & ad Filii, jam in terris ut meri hominis conſpecti, miſſionem à Patre confirmandam neceſſarium, quòd ipſe Deus Pater iſtas tum de Filio ſuo voces emiſerit. Sed hæc obiter. Porro cum apparitiones illæ Dei ſub veteri Teſtamento ad miſſionem alterius ab altero, ſive functionem alteri ab altero demandatam ſpectârint; unde & plerumque is qui apparuit, non modò Deus, ſed etiam Angelus, hoc eſt, miſſus dicitur: ipſe Auguſtinus apertè fatetur miſſionem Deo Patri nequaquam convenire. Nam in quarto de Trinitate cap. 20. ſic ſcribit: *Sicut ergo Pater genuit, Filius genitus eſt: ita Pater miſit, Filius miſſus eſt.* Item: *Sicut natum eſſe, eſt Filio, à Patre eſſe; ita mitti, eſt Filio, cognoſci quòd ab illo ſit.* Atque in fine libri ejuſdem quarti, *abſurdiſſimè aut à Filio, quem genuit, aut à Spiritu ſancto, qui de illo procedit, miſſum dici Patrem*, aſſerit; etſi *per ſubjectam creaturam viſibiliter apparere velit.* Clariſſimè verò idem in libro contra Arianorum Sermonem cap. 4. *Solus Pater*, inquit,

inquit, *non legitur missus, quoniam solus non habet auctorem à quo genitus sit, vel à quo procedat. Et ideo non propter naturæ diversitatem, quæ in Trinitate nulla est; sed propter ipsam auctoritatem solus Pater non dicitur missus. Non enim splendor, aut fervor ignem; sed ignis mittit sive splendorem, sive fervorem.* Quibus gemina legas in ejusdem libro 3. contra Maximinum Arianum, c.14. *Non enim*, inquit, *genitorem ab eo qui genuit; sed genitum à genitore mitti oportebat. Verùm hoc non est inæqualitas substantiæ, sed ordo naturæ: non quòd alter prior esset altero, sed quod alter esset ex altero.* Cæterum ad ἐπιφανείας sub veteri Testamento quod attinet, hactenus cum Augustino, quem sequitur Petavius, consentimus, non semper in Angelo præsentiâ singulari adfuisse Deum; sed multa per solos Angelos administrâsse: quin & modum excessisse in hac quæstione Veteres nonnullos, haud negamus. Præterea quando merus Angelus, quando autem Deus in Angelo apparuerit, sæpe difficilem esse conjecturam, ultro fatemur. Porro amplectimur cum eodem Petavio Alphonsi Tostati regulam, ut probabilem: nempe quædam in Scripturis gesta commemorari vel exigua, vel ad unum aliquem, paucosve pertinentia; alia verò præclara & insignia, vel ad usum populi totius spectantia. In prioribus administros fuisse solos Angelos: quos Scriptura sic expressit, ut nullam divinæ alicujus personæ significationem præbeat. Posterioris autem generis res à Deo tractatas esse, itaque declarari, ut appareat non solùm interveniisse Angelum, sed per ipsum egisse, quæ vellet, illum, aut dixisse. Certissimum verò divinæ præsentiæ indicium illud arbitramur, cum is, qui apparet & loquitur, se Deum, vel eum qui est, vel Deum Abrahami, &c. vel Deum Patrum palam profitetur; sibique cultum & adorationem divinam exhibendam postulat: quod ab eo, qui Mosen è rubo, & Israelitas in monte Sinai allocutus est, factum esse scimus. Interim ubicunque non merum Angelum, sed ipsum Deum apparuisse liquet, ibi non Patrem, sed Filium intelligendum esse, primævæ Antiquitatis consentiens judicium religiosè sequentes, constanter affirmamus. Sed è diverticulo in viam revertor.

§. 16. Præter allata testimonia, & alia nobis suppeditavit ipse Petavius. Prudentius in Apotheosi contra Patri-passianos uberrimè demonstrat, solum antiquis apparuisse Verbum, non in propria specie, sed sub corporum imagine, quòd à nemine Pater aspici queat. Sic autem canit inter cætera:

Passibilisne sui Deus, cujus species & imago
Nulli visa unquam? Nec enim comprehendier illa
Majestas facilis sensuve, oculisve, manuve.
Joannis magni celebris sententia præsto est;
Haud unquam testata Deum potuisse videri.

Item:

Quisquis hominum vidisse Deum memoratur, ab ipso
Infusum vidit gnatum: nam Filius hoc est
Quod de Patre micans se præstitit inspiciendum
Per species, quas posset homo comprendere visu.

Exinde ab Abrahamo & Mose solum Verbum sub corporea specie visum fuisse dicit; nullo verò modô Patrem:

Credite, nemo Deum vidit, mihi credite, nemo.
Visibilis de fonte Deus, non ipse Deus fons
Visibilis. Cerni potis est, qui nascitur: at non
Innatus cerni potis est, &c.

Cassianus in libro quarto de Incarnatione capite 9. *Hic ergo unus est*, inquit, *ad Patriarchas loquens, in Prophetis manens, ex Spiritu conceptus, natus ex Virgine Maria, &c.* Tum: *Nunquid enim Pater unquam, qui non nisi Filio tantùm visibilis esse legitur, aut in terris visus est, aut in carne editus, aut inter homines conversatus est? Non utique.* Denique Isidorus in libro de natura Domini cap. 1. *Ipse est enim Filius*, inquit, *qui semper à Patre missus, visibiliter apparebat hominibus. Ex ipsa ergo missione rectè Angelus appellatur.* Plura qui volet, consulat eundem Petavium, de Trinitate lib. 8. cap. 2.

§. 17. Ego illud unum adjiciam, tanquam notatu dignum; quòd antiquitus ipsa Symbola nonnullarum Ecclesiarum Deum Patrem Ἀγενήτως profiterentur invisibilem & impassibilem, nempe sensu quem explicavimus. Certè Ruffinus in explicatione Symboli, Apostolici dicti, disertè testatur, in articulo de Patre,

Patre, poſt *omnipotentem* Aquilegienſe Symbolum ſua ætate habuiſſe, *Inviſibilem & impaſſibilem.* Unde & in Epiſtola Auxentii Archiepiſcopi Mediolanenſis apud Hilarium primus Symboli articulus ſic hodieque legitur : *Credo in Deum Patrem omnipotentem, inviſibilem, impaſſibilem, immortalem.* Eraſmus verò in reſponſione ad cenſuram Theologorum Pariſienſium ait, etiam Orientales Eccleſias eandem additionem recepiſſe : quod & ipſe Voſſius * veriſimile cenſuit. Additamentum autem iſtud procul dubiô oppoſitum fuit hæreſi, quam priùs nonnulli, † quorum nomina periere, deinde Praxeas quidam, tum Beryllus ac Noetus, & poſtremò Sabellius propugnârunt : qui omnes docuerunt, non Filium Dei, ſed ipſum Deum Patrem ſub Veteri Teſtamento viſum hominibus, ac demum in plenitudine temporis incarnatum ac paſſum fuiſſe. Ac de his hactenus.

---

* De tribus Symbolis pag. 26.

† Vide Juſtini Apolog. 2. pag. 96. & Dialog. cum Tryphon. p. 358.

ANNOTAT.

Ad Cap. III. §. 5. & ſeqq.

IIs, quæ Reverendus Auctor de Juſtino M. §. 5. diſſeruit, iſtud ſolùm addo, quòd ſi adverſarii immenſitatem ac omnipræſentiam Filii DEI à Juſtino negatam fuiſſe, ex eo concludere velint, quia eum in exigua terræ parte, cœleſtibus quaſi relictis, apparuiſſe dixit; nos pariter colligere poſſe, Juſtinum M. DEI Patris quoque immenſitatem ac omnipræſentiam inficiatum eſſe, quia eum ſupernis quaſi locis alligare videtur. Quippe ad Tryphonem pag. 275. A. DEUM Patrem ait ἐν τοῖς ὑπερουρανίοις ἀεὶ μένοντα, *in ſupercœleſtibus ſemper manentem.* Et p. 357. A. *In regione ſua*, inquit, *quacunque ea tandem eſt, manet, acutùm cernens, acutùm audiens.* ἐν τῇ αὐτοῦ χώρᾳ ὅπου ποτὲ μένει, ὀξὺ ὁρῶν, καὶ ὀξὺ ἀκούων. Verumenimverò uti DEUS Pater in cœlis eſſe dicitur, quia *Angeli in cœlis vident faciem ejus* Matth. 18. 10. ita λόγος in terris fuiſſe dicitur, quia in terris Patriarchis aliiſque Viris ſanctis ſub viſibili ſpecie apparuit : cum tamen uterque cœlum pariter ac terram impleat, juxta Jerem. 23, 24. Cæterum iis, quæ §. 6. pro inviſibilitate & incomprehenſibilitate, ut ita dicam, Filii DEI ex Irenæo allata ſunt, accedit inſignis planè locus lib. III. cap. 18. pag. 241. col. 2. ita ſonans : *Et hominem ergo in ſemetipſum recapitulans eſt, inviſibilis viſibilis factus, & incomprehenſibilis factus comprehenſibilis, & impaſſibilis paſſibilis, & Verbum homo, univerſa in ſemetipſum recapitulans : uti ſicut in ſupercœleſtibus, & ſpiritualibus, & inviſibilibus princeps eſt Verbum Dei ; ſic & in viſibilibus, & corporalibus principatum habeat, in ſemetipſum primatum aſſumens, & apponens ſemetipſum caput Eccleſiæ, univerſa attrahat ad ſemetipſum apto in tempore.* Clementem Alex. lege lib. VII. Strom. p. 704. A. & 711. A. B. De reliquis Patribus brevitatis causâ nihil addo.

CAP.

CAP. IV.

Proponitur Thesis tertia, quâ usus doctrinæ de Subordinatione Filii explicatur.

§. 1. CUM in superioribus Veterum sententiam de subordinatione Filii ad Patrem tam prolixè explicaverimus; restat tamen adhuc, ut de egregio hujus doctrinæ usu, quem iidem Veteres obsérvârunt, nonnihil dicamus. Igitur hæc esto Thesis nostra tertia, atque hujus ultimæ Sectionis postrema:

THESIS TERTIA.

Doctrinam de subordinatione Filii ad Patrem, ut ad sui originem ac principium, ideo cognitu crediuque perutilem ac planè necessariam esse, antiqui Doctores existimârunt, quòd hâc imprimis ratione ita Filii Divinitas adseratur, ut nihilominus Dei unitas, & Monarchia divina, sarta tecta conservetur. Scilicet quamvis duobus, nempe Patri & Filio Dei, nomen & natura communis sit; tamen quoniam alter alterius est principium, à quo propagatur, idque interiori productione, non externâ; fit, ut Deus esse unicus meritò dicatur. Quam rationem pariter ad Spiritus sancti Divinitatem pertinere, prisci illi crediderunt.

§. 2. Ex Veterum sententia, cui ratio communis suffragatur, si duo in Divinitate essent ingenita, sive principia à se pendentia; consequens foret, ut non modò Pater suâ privaretur ἐξοχῇ, quâ Divinitatem à seipso, hoc est, à nullo alio habet; (qua de re superiùs fusè egimus,) verùm etiam ut duo Dii necessariò statuerentur. Contrà positâ subordinatione, quâ Pater solus à seipso Deus, Filius verò de Deo Patre Deus esse docetur, putârunt Doctores, tum illam Patris ἐξοχὴν, tum divinam Monarchiam in tuto iri collocatum. Quod idem & ad tertiam Divinitatis personam, Spiritum nempe sanctum, extendi voluerunt: quem, quòd à Patre per Filium ipse suam habeat originem, τελεότητα, sive tres Deos neutiquam inducere crediderunt. Multa sunt ac lectu dignissima, quæ hac de re apud Patres, præsertim qui de Trinitatis dogmate fusiùs scripserunt, reperias. Nos ex tanta copia delectum faciemus.

Vid. Sect. 2. c. 4. n. 9.

§. 3. Athenagoram suprà audivimus, unum esse Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum, inde inferentem, quòd unicus sit fons Divinitatis, nempe Pater, à quo tum Filius, tum Spiritus sanctus suam uterque trahant originem. Tertullianus verò copiosissimè rem explicat libro adversus Praxeam cap. 3. & 4. ubi contra Praxeanos, qui personarum distinctionem in divina essentia, sub prætextu unius Dei, negabant, ita eruditè differit: " Dandus est etiam, *inquit*, retra-
" ctatibus locus; vel ne videatur unaquæ-
" que perversitas non examinata, sed præju-
" dicata damnari; maximè hæc, quæ se
" existimat meram veritatem possidere, dum
" unicum Deum non aliàs putat credendum,
" quàm si ipsum eundemque & Patrem &
" Filium & Spiritum sanctum dicat. Quasi
" non sic quoque unus sit omnia, dum ex
" uno omnia, per subsstantiæ scilicet unita-
" tem: & nihilominus custodiatur οἰκονο-
" μίας Sacramentum, quæ unitatem in Tri-
" nitatem disponit." Deinde post nonnulla sic pergit: " Duos & tres jam jactitant à
" nobis prædicari; se verò unius Dei cul-
" tores præsumunt: quasi non & unitas ir-
" rationabiliter collecta hæresin faciat, &
" Tri-

" Trinitas rationaliter expensa veritatem " constituat. Μοναρχίαν, inquiunt, tenemus. " Et ita sonum ipsum vocaliter exprimunt " Latini, etiam Opici *, ut putes illos tam " bene intelligere μοναρχίαν quàm enuntiant. " Sed μοναρχίαν sonare student Latini; οἰ- " κονομίαν intelligere nolunt etiam Græci. " At ego si quid utriusque linguæ præcer- " psi, μοναρχίαν nihil aliud significare scio, " quàm singulare & unicum imperium; " non tamen præscribere Monarchiam, ideo " quia unius sit, ejus cujus sit, aut filium " non habere, aut ipsum se sibi filium fe- " cisse, aut Monarchiam suam non per quos " velit, administrare. Atquin dico, nullam " dominationem ita unius sui esse, ita sin- " gularem, ita Monarchiam, ut non etiam " per alias proximas personas administretur, " quas ipsa prospexerit officiales sibi. Si " verò & filius fuerit ei, cui Monarchia " sit, non statim dividi eam, & Monarchiam " esse desinere, si particeps ejus adsumatur " & filius: se proinde illius esse principali- " ter, à quo communicatur in filium: & " dum illius est, proinde Monarchiam esse, " quæ à duobus tam unicis continetur. Igi- " tur si & Monarchia divina per tot legio- " nes & exercitus Angelorum administra- " tur, sicut scriptum est: *Millies centies* " *centena millia adsistebant ei, & millies cen-* " *tena millia apparebant ei*; nec unius esse " desiit, ut desinat Monarchia esse, quia per " tanta millia virtutum procuratur: quale " est ut Deus divisionem & dispersionem " pati videatur in Filio & in Spiritu sancto, " secundum & tertium sortitis locum, tam " consortibus substantiæ Patris, quas non " patitur in tot Angelorum numero, & qui- " dem tam alienorum à substantia Patris? " Membra, & pignora, & instrumenta, & " ipsam vim, ac totum censum Monarchiæ, " eversionem deputas ejus: non rectè. Ma- " lo te ad sensum rei, quàm ad sonum vo- " cabuli exerceas. Eversio enim Monar- " chiæ illa est tibi intelligenda, cum alia " dominatio suæ conditionis ac proprii sta- " tus, ac per hoc æmula superducitur: cum " alius Deus infertur adversus Creatorem. " Tunc malè, cum plures, secundum Va- " lentinos & Prodicos: tunc in Monarchiæ " eversionem, cum in Creatoris destructio- " nem. Cæterum qui Filium non aliunde " deduco, sed de substantia Patris, nihil faci- " entem sine Patris voluntate, omnem à " Patre consecutum potestatem; quomodo " possum de fide destruere Monarchiam, " quam à Patre Filio traditam, in Filio " servo? Hoc mihi & in tertium gradum " dictum sit: quia Spiritum non aliunde " puto, quàm à Patre per Filium. Vide " ergo, ne tu potiùs Monarchiam destruas, " qui dispositionem & dispensationem ejus " evertis, in tot nominibus constitutam, in " quot Deus voluit." Hactenus doctissimè Tertullianus.

§. 4. Similia habet Novatianus lib. de Trinit. cap. 31. ubi de Deo Patre ac Filio hunc in modum scribit: " Deus utique pro- " cedens ex Deo, secundam personam effi- " ciens; sed non eripiens illud Patri, quòd " unus est Deus. Si enim natus non fuis- " set, innatus, comparatus cum eo qui esset " innatus, æquatione in utroque ostensa, " duos faceret innatos, & ideo duos faceret " Deos. Si genitus non esset, collatus cum " eo qui genitus non esset, & æquales in- " venti; duos Deos meritò reddidissent non " geniti, atque ideo duos Christus reddidis- " set Deos. Si sine origine esset, ut Pater, " inventus, & ipse principium omnium, ut " Pater; duo faciens principia, duos osten- " disset nobis consequenter & Deos." Deinde paucis interjectis hæc subdit: " Nunc " autem quicquid est, non ex se est, quia " nec innatus est; sed ex Patre est, quia " genitus est: sive dum Verbum est, sive " dum virtus est, sive dum sapientia est, sive " dum lux est, sive dum Filius est: & quic- " quid horum est, dum non aliunde est, " quàm, sicut diximus jam superiùs, ex Pa- " tre, Patri suo originem suam debens; " discordiam Divinitatis de numero duorum " Deorum facere non potuit, qui ex uno " Deo originem nascendo contraxit. Quô " genere dum & unigenitus est, & primo- " genitus ex illo est qui originem non ha- " bet, unus est omnium rerum & princi- " pium & caput." Denique prope finem libri ita differit: " Deus quidem ostenditur " Filius, cui Divinitas tradita & porrecta " conspicitur: & tamen nihilominus unus " Deus Pater probatur, dum gradatim reci- " proco meatu illa Majestas atque Divini- " tas ad Patrem, qui dederat eam, rursum " ab illo ipso Filio missa revertitur, & retor- " quetur."

§. 5. Hippolytum alibi adduximus, in libro contra Noetum sic differentem: " Cum " alium Sect. 2. c. 8. n. 5.

* Id est, agrestes, inculti, barbari, qui & barbare loquuntur. Vera significati ratio est, quod Opici (qui & Osci,) olim populi Campaniæ, rudes & inculti fuerint.

" alium dico, (*nempe Filium à Patre*) non " duos Deos dico ; sed tanquam lumen ex " lumine, & aquam ex fonte, aut radium à " Sole. Una enim virtus ex toto ; totum " verò Pater, ex quo virtus, Verbum." Ubi notavi, Patrem & Filium, personâ licet distinctos, unum tamen esse Deum, inde ab Hippolyto probari, quòd Filius non sit Deus à seipso, sed Deus de Deo, atque ex Patre, veluti lumen ex lumine, & aqua ex fonte, & radius à Sole prodeat. Denique (ut alios omittam quamplurimos, quos citare poteram) Origenes ad Epistolam ad Romanos cap. 9. v. 5. hæc annotat : " Ex ipsis ergo " est & Christus secundum carnem, qui est " super omnia benedictus Deus in sæcula. " Christum aliud secundum carnem esse, & " aliud secundum Spiritum, jam & in superioribus hujus Epistolæ partibus designavit, ubi dicit : *Qui factus est ex semine David secundum carnem ; qui prædestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis.* Et quomodo " secundum Spiritum Filius Dei sit, & secundum carnem Filius David, pleniùs pro viribus exposuimus, Quem ergo ibi secundum Spiritum Filium dixit, hîc procedente doctrinæ ordine, proficientibus utpote auditoribus, Deum, qui est super " omnia benedictus, ipsum pronuntiat. Et " miror quomodo quidam legentes, quod " idem Apostolus in aliis dicit : *Unus Deus Pater, ex quo omnia, & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia* ; negant Filium Dei, Deum debere profiteri, ne duos " Deos dicere videantur. Et quid de hoc " loco Apostoli facient, in quo apertè Christus super omnia Deus esse perscribitur ? " Sed non advertunt, qui hæc ita sentiunt, " quòd sicut Dominum Jesum Christum " non ita unum esse Dominum dixit, ut ex " hoc Deus Pater non Dominus dicatur ; " ita & Deum Patrem non dixit ita esse " unum Deum, ut Deus Filius non credatur. Vera est enim Scriptura, quæ dicit : *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus.* Unus autem uterque est Deus, " quia non est aliud Filio Divinitatis initium, quàm Pater ; sed ipsius unius paterni fontis, sicut Sapientia dicit, purissima est emanatio Filius." Haud me fugit obtendisse Erasmum, (ut scilicet absurdam suam illustris Paulini loci Rom. 9. v. 5. interpretationem meliùs tueretur) hanc paragraphen ab Hieronymo, aut si quis alius fuerit Interpres, fuisse correctam ; id ipsum verò hac ratione probare adnisum fuisse, nempe *mirum esse, quòd indicet hîc Origenes, id temporis fuisse, qui non audebant Christum appellare Deum, ne plures Deos facere viderentur.* Atqui, inquam ego, cur isthoc tam mirum sit ? Scilicet dogma hîc perstringitur Arianorum, (sic se mox explicat Erasmus) qui multis post Origenem annis damnati fuerunt. Verùm ecquis est, qui non miretur, magnum Erasmum vel nescivisse, vel non meminisse, plures fuisse non solùm Origenis tempore, sed & multis ante ipsum annis, qui veriti sunt Filium agnoscere pro divina persona à Patre distincta, ne duos Deos introducere viderentur ? Annon Praxeani ante Origenem, (teste Tertulliano in loco paulò antè citato) sub prætextu Monarchiæ, negabant Deum Patrem habere Filium, à se personâ distinctum, & ejusdem cum ipso naturæ ? Annon eandem hæresin defendebat Noetus, Origenis coætaneus ? Annon id ipsum docuit Beryllus, quôcum in Synodo Episcoporum palam congressus est ipse Origenes ? Fuere præterea & alii Origenis ætate & antè, qui Filii distinctam in divina essentia subsistentiam, adeoque ipsius Divinitatem καθόλου & simpliciter negârunt, ne scilicet duos facerent Deos. Nunquamne inaudiverat Vir doctissimus de Ebionæis, qui unius Dei Patris se cultores profitentes, Christum esse ψιλὸν ἄνθρωπον affirmârunt : quique ab ipso Origene in libris contra Celsum non uno in loco nominatim notantur ? Annon id ipsum diu ante Origenem docuit Theodotus Coriarius ? * Denique ne textum allatum ab Hieronymo, aliove Interprete interpolatum existimes, in Commentario Origenis in Joannem, prout Græcè ab Huetio editus est, eandem hæresin iisdem telis confossam videas, hujus Sectionis cap. 1. n. 10. sub finem. Porro idem Origenes libro 1. in Genesin, postquam Filium dixerat æternæ lucis splendorem æternum, subjungit : " Erat " autem, non sicut de æterna luce dixi- " mus, ne duo principia lucis videamur in- " ducere : sed sicut ingenitæ lucis splen- " dor, ipsam illam lucem initium habens " ac fontem." Demum in indubitato ipsius opere contra Celsum lib. 8. contendit, Christianos seditionis adversus Deum omnium parentem nequaquam reos esse, quanquam unà cum ipso & Filium ipsius divino cultu adorent : idq; hôc probat argumento, quòd

In notis ad Rom. 9. v. 5.

---

* De omnibus hactenus recensitis Hæreticis, Deitatem Christi negantibus, vide Judicium Ecclesiæ Cathol. cap. 2, & 3.

quòd omnis Filii honos in Deum Patrem, qui ipſum genuit, redundet. Verba ſunt: p. 386, 387. ἡ ἐδεμίαν ἡμῶν ἔχει δεῖξαι ϛάσιν περὶ τ̃ υἱὸν τ̃ Θεοῦ ὁ Κέλσος. ἡ σέβομαί γε τ̃ πατέρα, θαυμάζοντες αὐτοῦ τ̃ υἱὸν λόγον, & σοφίαν, & ἀλήθειαν, & δικαιοσύνην, & πάντα ἅπερ ἐστὶ μεμαθήκαμεν τ̃ υἱὸν τ̃ Θεοῦ, ὅτω ὢν & τ̃ γεννηθέντα ἀπὸ τ̃ τοιούτου πατρός· i. e. " Nec eſt " quòd Celſus nobis ſeditionem objiciat " propter Filium. Veneramur enim Pa- " trem, eò quod admiramur ejus Filium, " Verbum, & Sapientiam, & Veritatem, " & Juſtitiam, & quicquid didicimus eſſe " Dei Filium, è tali Patre progenitum."

§. 6. Ne quis autem periculoſis, quæ feruntur, primævorum Patrum dictis & hæc etiam annumeret; addo, eandem doctrinam tradidiſſe Patres, qui Nicænô Conciliô poſteriores fuerunt, quique à decretis ejuſdem Synodi ne latum quidem unguem recedere voluerunt. Hujus rei teſtis locupletiſſimus eſt M. Athanaſius, Nicænæ fidei hyperaſpiſtes acerrimus. Sic enim ille loquitur in p. 356. Oratione contra Sabellii gregales: ὅπου ἓν μία μὲν ἡ ἀρχὴ, ἓν ἓν τὸ ἐξ αὐτῆς γέννημα, εἰκὼν ἀκριβεστάτη καὶ φυσικὴ, διότι καὶ γεννητὴ ἐξ αὐτοῦ, εἷς Θεός· τελείας μὲν ἐν παρὰ τ̃ θεότητος νοουμένης, τελείας ἓν καὶ ἐν υἱῷ τ̃ παρὰ πατρικῆς θεότητος ὑπαρχούσης. Quæ verba, ut ſolet, nonnihil obſcuravit Interpres. Sic autem verti debuerunt: " Ubi unum qui- " dem principium, una autem & ex eo pro- " genies, imago abſolutiſſima & naturalis, " nimirum genita ex eo; ibi unus Deus: " perfecta Deitate in Patre intellecta, & " perfecta Paterna Deitate in Filio ſubſi- " ſtente." Sed pleniùs rem declarat in Oratione 5. contra Arianos ſub initium: ἐπειδὰν (inquit) ὁ ἐν Θεῷ Θεός ἐστι, καὶ τ̃ Θεοῦ λόγος, σοφία, υἱός, καὶ δύναμίς ἐστιν ὁ Χριστός· διὰ τοῦτο εἷς Θεὸς ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς καταγγέλλεται. Τοῦ ἑνὸς γὰρ Θεοῦ υἱὸς ὢν ὁ λόγος, εἰς αὐτὸν, ὅ καί ἐστιν, ἀναφέρεται· ὥστε δύο μὲν εἶναι πατέρα καὶ υἱὸν, μονάδα δὲ θεότητος ἀδιαίρετον καὶ ἄσχιστον. λεχθείη δ' ἂν καὶ ὅτως μία ἀρχὴ θεότητος, καὶ ὁ δύο ἀρχαί· ὅθεν κυρίως καὶ μοναρχία ἐστίν. ἐξ αὐτῆς δ' τ̃ ἀρχῆς ἐστι υἱὸς ὁ λόγος, οὐχ ὡς ἀρχὴ ἑτέρα καθ' ἑαυτὸν ὑφεῖσα, ἀλλ' ἔξωθεν ταύτης γεγονὼς, ἵνα μὴ τῇ ἑτερότητι δυαρχία καὶ πολυαρχία γένηται· ἀλλὰ τ̃ μίας ἀρχῆς υἱὸς ἴδιος, ἴδια σοφία, ἴδιος λόγος, ἐξ αὐτῆς ὑπάρχων· i.e. " Quoniam Chriſtus ex Deo Deus eſt, & " Ratio Dei, & Sapientia, & Potentia, & " Filius; ideo unus Deus in divinis Scri- " pturis renuntiatur. Verbum enim, cum " ſit unius Dei Filius, in eum refertur, cu- " jus eſt filius: ita ut duo quidem ſint Pa- " ter & Filius; ſed tamen unitas Deitatis " remaneat, eaque & indiviſa & minimè " diſciſſa. Poterit autem & ad iſtum mo- " dum dici, unum eſſe principium Deitatis, " non duo principia: unde & propriè Mo- " narchia, hoc eſt, unius dominatus ſit. " Ex ipſo autem principio per naturam ex- " iſtit Filius, qui eſt Verbum: non quaſi " alterum principium ſeorſim ſubſiſtens, " neque extra ipſum principium genitus; " ne ratione diverſitatis duo plureſve prin- " cipatus oriantur: ſed unius principii eſt " ſuus propriuſque Filius, propria Sapientia, " proprium Verbum ex ipſo principio ſub- " ſiſtens." Hæc ſane luculenta ſunt.

§. 7. Baſilius quoque eadem ratione Dei unitatem contra Sabellianos defendit Oratione 27. ἡ δύο θεοί· οὐδὲ γὰρ δύο πατέρες. ὁ μὲν ἀρχὰς εἰσάγων δύο, δύο κηρύττει Θεούς. i.e. " Non duo ſunt Dii: non enim Patres duo. " Qui duo quidem principia conſtituit, " duos prædicat Deos." Gregorius Nazi- p. 520. anzenus in Oratione 32. eleganter Patrem appellat ἕνωσιν *unionem*; propterea quòd (ut rectè obſervat Petavius,) unitatis in Trinitate cauſa eſt productio, & unius ex altera perſonæ proceſſio, ſive principii unitas. Φύσις ἓν (inquit) τοῖς τρισὶ μία, Θεός· ἕνωσις δὲ ὁ πατὴρ, ἐξ οὗ καὶ πρὸς ὃν ἀνάγεται τὰ ἑξῆς· " Natura eſt una tribus, Deus. Unio verò " Pater, ex quo, & ad quem quæ deinceps " ſunt, referuntur." Idem in Oratione 29. p. 490. τηρεῖτο δ' ἂν, ὡς ἐμὸς λόγος, εἷς μὲν Θεὸς, εἰς ἓν αἴτιον καὶ υἱὸς καὶ ἁγίου πνεύματος ἀναφερομένων· ἡ σωτιζομένων, ἡδὲ σωζαλειφομένων· i. e. " Hâc autem ratione, meâ qui- " dem ſententiâ, Deus unus retinebitur, ſi " Filius & Spiritus ſanctus ad unam cauſam " referantur; non autem componantur, aut " commiſceantur." Cæſarius in Dialogo primo ad Int. 4. Moſen ſcripſiſſe dicit, *Dominus Deus tuus, Dominus unus eſt*; ut ad μοναρχίαν & θεογνωσίαν, hoc eſt, *unici principii profeſſionem, Deique notitiam* nos eveheret. Quod quidem principium unicum Pater eſt, ex quo Filius & Spiritus ſanctus originem habent. Damaſcenus in libro 1. de Orthodoxa fide cap. 11. Διὸ (inquit) οὐδὲ τρεῖς Θεοὺς λέγομεν, τ̃ πατέρα, καὶ τ̃ υἱὸν, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα· ἕνα δὲ μᾶλλον Θεὸν τ̃ ἁγίαν τριάδα, εἰς ἓν αἴτιον υἱὸν καὶ πνεῦμα ἀναφερομένων· ἡ σωτιζομένων, οὐδὲ σωζαλειφομένων, κατὰ τ̃ Σαβελλίου σωζαίρεσιν· i. e. " Pro- " pterea neque tres Deos dicimus Patrem, " & Filium, & Spiritum ſanctum: ſed u- " num potiùs Deum ſanctam Trinitatem, " cum ad unam cauſam referantur Filius " atque Spiritus ſanctus; non autem com- " ponantur,

" ponantur, aut commiſceantur, ſecundum " Sabellii contractionem." Ubi ipſa Theologi, hoc eſt Gregorii Nazianzeni verba uſurpâſſe Damaſcenum, nemo eſt, qui non videat. Ex Latinis unum tantùm & alterum Scriptorem laudabimus. Hilarius in quarto de Trinitate: " Non enim Patri, " *inquit*, adimitur, quòd Deus unus eſt, quia " & Filius Deus ſit. Eſt enim Deus ex " Deo, unus ex uno: ob id unus Deus, " quia ex ſe Deus. Contra verò non mi- " nùs per id Filius Deus, quia Pater Deus " unus ſit. Eſt enim unigenitus Filius Dei, " non innaſcibilis, ut Patri adimat, quòd " Deus unus ſit; neque aliud ipſe quàm " Deus, quia ex Deo natus eſt." Similiter & Fulgentius in libro contra Objectiones Arianorum Reſp. ad Obj. 5. " In duobus " enim ingenitis, *inquit*, diverſa Divinitas " invenitur: in uno autem genito ex uno " ingenito naturalis unitas demonſtratur.

p. 37.

§. 8. Cæterum de hac veterum Catholicorum ratione, quâ Dei unitatem probant, duo apprimè obſervanda ſunt. Primò quòd ipſam verbotenus amplexi fuerint Ariani quoque. Nam Epiſcopi Arianæ factionis in Concilio Sirmienſi, cum in Confeſſionis ſuæ initio Filium Dei cum Nicænis Patribus, *Deum ex Deo*, *lumen ex lumine* profeſſi fuiſſent; ſub finem ita definiunt: εἴ τις ἀγέννητον & ἄναρχον λέγοι τὸν υἱὸν, ὡς δύο ἄναρχα καὶ δύο ἀγέννητα λέγων, καὶ δύο ποιῶν θεούς, ἀνάθεμα ἔςω. κεφαλὴ γάρ ἐςι καὶ ἀρχὴ πάντων ὁ υἱός· κεφαλὴ δέ ἐςι τοῦ Χριςοῦ ὁ Θεός. ὅτω γὰρ εἰς μίαν ἄναρχον τῶν ὅλων ἀρχὴν διὰ υἱοῦ εὐσεβῶς τὰ πάντα ἀναγόμεθα· i. e. " Si quis Filium ingenitum & principii expertem " dixerit, tanquam duo ingenita & duo " principii expertia dicens, ac duos faciens " Deos, anathema ſit. Caput enim & prin- " cipium omnium eſt Filius: Caput autem " Chriſti Deus. Ita enim ad unum omnium " principium, quod eſt ſine principio, per " Filium piè omnia referimus." Sed hæc ab illis haud bonâ fide, ſed ſophiſtico ſuo more ſcripta fuiſſe, certum eſt. Quippe Ariani credebant, Filium Dei ex Deo Patre, tanquam principio, productum fuiſſe per modum creationis, quemadmodum & cætera omnia: & hoc ſolùm inter Dei Filium cæteraſque creaturas diſcrimen ponebant, quòd Filius primò & immediatè à Patre ex nihilo productus ſit, deinde per Filium reliqua. Quod & ipſi Sirmienſes non obſcurè ſignificant in verbis illis: *Ad unum principium per Filium piè omnia referimus.* His enim ſatis oſtendunt, ſe pariter & Filium & alia omnia ad Deum Patrem, tanquam principium, referre: Filium quidem ἀμέσως· per Filium verò cætera. Fruſtra autem & perridiculè conetur aliquis, Patrem & Filium unum eſſe Deum, inde demonſtrare, quòd hic ex illo, tanquam principio ſuo exiſtat; niſi principium ὁμοούσιον & conſubſtantiale intelligat. Niſi enim, inquam, illud in argumento ſupponatur, res ſingulas creatas unum eſſe cum Patre Deum, quod abſurdiſſimum eſt, eâdem operâ probabitur: ſiquidem creaturæ omnes ex Deo Patre, tanquam principio originem ſuam utcunque habent. Egregius verò Arianorum *Deus ex Deo*, qui non aliter ex Deo ſit, quàm per modum creationis, quomodo ex Deo ſunt, quæ ſubſiſtunt, univerſa! Dices: hæc ad Semi-Arianos ſaltem minimè attinere; quippe qui Filium ex ipſo Deo Patre, non ἐξ ὄντων productum fuiſſe ſtatuerint; & tamen ex ſubſtantia Patris genitum fuiſſe ipſum, omnino negârint. Fateor fuiſſe, qui iſta olim docerent; quorum adeo ſententiam ſuprà explicavimus. Sed iſti mihi ſemper viſi ſunt omnium mortalium ineptiſſimi. Nam ante rerum creationem, ſicut nihil medium fuit inter Dei ſubſtantiam & nihil; ita nulla tum productio eſſe potuit media inter productionem ex Dei ſubſtantia, & productionem ex nihilo. Semi-Arianus igitur, & Semi-Deus, & Semi-creatura perinde monſtra & portenta ſunt, quæ ſani & pii omnes meritò exhorrent. Filius Dei aut verus omnino Deus, aut mera creatura ſtatuatur neceſſe eſt. Æternæ veritatis axioma eſt, inter Deum & creaturam, inter non factum & factum, medium eſſe nihil. Potiori igitur omnino jure iſto argumento uſi ſunt Patres Catholici; quippe qui omnes unanimi conſenſu Filii τὸ ὁμοούσιον agnoverunt.

Vide Socrat. H.E. l. 2. c. 30.

Vid. Sect. 2. c. 9. n. 11.

§. 9. Alterum, quod Lectori obſervandum propono, illud eſt: Rationem hanc ab unitate principii ſumptam, etiamſi quoque principium conſubſtantiale intelligatur, ſi abſolutè univerſéque ſpectetur, haud uſquequaque aptam atque accommodatam eſſe ad unitatem Dei Patris & Filii declarandum ac demonſtrandum. Habet enim, ut etiam rectè monuit Petavius, generalem concludendi vim in omnibus, præſertim in vita animaque præditis, in quibus propriè dicta generatio cernitur. Hæc autem ut ejuſdem naturæ ſint cum principio, ex quo oriuntur; plura tamen individua ſeorſim ac ſeparatim ſubſiſtentia conſtituunt. Ideo in Theſi conſultò addidi, Patrem eſſe principium Filii & Spiritus ſancti, & utrumque ab ipſo propagari *interiori productione*, *non externâ*: unde

unde fit, ut non modò ex Patre, ſed in ipſo ſint, & Pater in ipſis, neque in ſacra Triade altera perſona ab altera ſeparari poſſit; ſicut tres humanæ perſonæ, aut alterius alicujus ſpeciei ſuppoſita ab invicem diſterminantur. Qui enim hôc modò ſeparari tres Divinitatis hypoſtaſes exiſtimant, meritò Tritheitæ appellantur: de quorum craſſiſſimo errore ita eruditè ſcripſit Hieronymus Zanchius de tribus Elohim lib. 5. cap. 1. n. 2. " Iſtud " verò, *inquit*, commenti ſunt, qui etiam " ſomniârunt, Filium ita natum eſſe ex Pa- " tre, ut ſit extra eſſentiam Patris, quem- " admodum & noſtri liberi. Neque enim " percipiunt, quomodo aliquid poſſit ex alio " generari & ejus eſſe filius, ut tamen in " illo, à quo generatur, permaneat. Idque " propterea, quòd ſentiant omnem genera- " tionem fieri πρὸς ἔξω, *ad extra*, ut loquun- " tur Scholaſtici; nullam autem πρὸς ἔσω, " *ad intra*. Idem dico de proceſſione Spi- " ritus ſancti à Patre & Filio. Atque hæc " ideo fabricati ſunt animô, quia eſſentiam " divinam ſuâ finitâ mente comtemplantes, " non niſi finitam ante oculos ſibi propo- " nere potuerunt. Perſonas verò à ſe invi- " cem diſtinguere nequiverunt, niſi etiam " cujuſque eſſentiam ab alterius eſſentia ſe- " pararent." Atque hunc ipſum errorem Catholicis, qui Filium per ſe ſubſiſtere perinde ac Patrem dicebant, objicientibus olim Sabellianis, Epiſcopi Orientales Antiochiæ anno Chriſti 345. congregati, in ſua Confeſſione fidei, quæ μακρόστιχος dicta fuit, ita non minùs Catholicè, quàm eleganter * (auſim id dicere, quanquam Epiſcoporum illorum non pauci Arianæ perfidiæ faviſſe deprehendantur, & in ipſa Confeſſione vox ὁμοούσιος omittatur) reſpondent: † ἀλλ' οὐδὲ τὸν υἱὸν καθ' ἑαυτὸν εἶναι, ζῆν τε καὶ ὑπάρχειν ὁμοίως τῷ πατρὶ λέγοντες, διὰ τοῦτο χωρίζομεν αὐτὸν τοῦ πατρὸς, τόπους καὶ διαστήματά τινα μεταξὺ τῆς συναφείας αὐτῶν σωματικῶς ἐπινοοῦντες. πεπιστεύκαμεν γὰρ, ἀμεσιτεύτως αὐτοὺς καὶ ἀδιαστάτως ἑπεσυνῆφθαι, καὶ ἀχωρίστως ὑπάρχειν ἑαυτῶν· ὅλος μὲν τοῦ πατρὸς ἐνεστερνισμένος τὸν υἱὸν· ὅλος δὲ τοῦ υἱοῦ ἐζηρτημένος καὶ προσπεφυκότος τῷ πατρὶ, καὶ μόνος τοῖς πατρῴοις κόλποις ἀναπαυομένος διηνεκῶς· i.e. " Sed " neque tametſi dicamus Filium per ſeipſum " eſſe, ac vivere, & ſubſiſtere perinde ac Pa- " trem, illum idcirco à Patre ſeparamus, " ſpatia quædam locorum & intervalla in- " ter illorum conjunctionem corporali more " intelligentes. Credimus enim, eos abſq; " ullo medio atque interſtitio conjunctos " eſſe; nec à ſe invicem poſſe ullatenus ſe- " parari; quippe cum totus quidem Pater " Filium complectatur; totus verò Filius " quaſi appenſus adhæreſcat Patri, ſoluſque " in Patris gremio perpetuò conquieſcat." Mirum quidem eſſet ſubſcripſiſſe his Arianos, qui Concilio iſti interfuerunt, niſi & alia in eadem formula ſubſcriptione ſuâ confirmâſſent, quæ hæreſi Arianæ ex diametro contraria ſunt. Cujuſmodi eſt imprimis illud: Filium Dei Θεὸν κατὰ φύσιν τέλειον εἶναι καὶ ἀληθῆ· *Deum naturâ perfectum atque verum eſſe*. Scilicet tenebriones iſti parati erant, quamlibet fidei Confeſſionem ſuô ſuffragiô comprobare, quæ modò vocem ὁμοουσίος non haberet: etiamſi quoque in ea ponerentur verba alia, quæ apud ſanos omnes idem prorſus ſignificarent. Sed ad propoſitum revertor. Ita igitur unum ſunt Pater & Filius, ut in Patre ſit Filius, & in Filio Pater; neque alter ab altero ſeparari poſſit. Quem unionis modum Græci περιχώρησιν, Latini verò, qui de Schola ſunt, Theologi *circumince ſſionem*, alii *circumin ſeſſionem* appellant. Vocem ita explicat inter alios Genebrardus libro 2. de Trinitate: περιχώρησις " & circumince ſſio, *inquit*, illa dici poteſt " unio, quâ unum exiſtit in alio, non tan- " tùm per naturæ participationem, ſed etiam " per plenam & intimam præſentiam. Hoc " inexiſtentiæ, ut ſic dicam, genus noſtri " *circumince ſſionem* appellant; quia per il- " lud aliqua, quantumvis à ſe invicem abſq; " ſeparatione diſtinguantur, in ſe abſque " confuſione inſunt, ſeque veluti imme- " ant."

§. 10. Hujuſmodi unionem in divinis perſonis communiter agnoviſſe Veteres, nunc demonſtrabo, à Doctoribus qui Concilium Nicænum anteceſſerunt, initium faciens. Hîc verò redeat velim Lector ad teſtimoniorum theſaurum, quæ ad ſuperiores Sectiones congeſſimus. Ibi ex ſingulis Patribus loca citata reperiet, quæ docent, Filium Dei ſive in Deo ſubſiſtere, ſive in gremio & ſinu Patris manere, ſive in corde ipſius λόγου perpetuò inſitum eſſe; & viciſſim Patrem in Filio eſſe & exiſtere: quæ omnia unionem, quâ de agimus, non obſcurè ſignificant. Hæc autem notio ita luculenter in omnibus Veterum fere omnium Scriptis expreſſa eſt,

* Formulam illam Orientalium univerſam, doctiſſimam atque elegantiſſimam pronuntiavit Valeſius in Annot. ad H. E. Socrat. n. 24.

† Vide Socrat. Hiſt. Eccleſ. l. 2. c. 19. p. 100. Edit. Valeſii.

itaque Arianæ hypotheſi adverſa ; ut ſæpe miratus fuerim, potuiſſe Viros cordatos & Antiquitatis Eccleſiaſticæ peritos, Scriptores illos Arianiſmi ſeriò accuſare. Equidem majore veriſimilitudine Sabellianiſmi calumniam ipſis impegiſſent ; quanquam & illa quoque repulſu facilis ſit, ut alibi oſtendimus. Eòdem autem ſpectat, quod iidem Veteres uno itidem ore profiteantur, Filium ex Patris eſſentia generari abſque ſectione & diviſione ulla ; & ex Patre ita prolatum eſſe, ut à Patre minimè ſeparetur. Ita Juſtinus, ita Tatianus, ita Theophilus Antiochenus, ita Tertullianus, ita Novatianus, ita demum univerſi. Unde Tertullianus libro adv. Prax. c. 8. *Hic*, inquit, *cuſtos unitatis, quâ prolatum dicimus* (nempe Catholici in articulo de Trinitate omnes) *Filium à Patre, ſed non ſeparatum.* Quid verò clarius loco illo Athenagoræ, quem attuli ſecundæ Sectionis cap. 4. n. 8. in ipſo initio? Ibi enim Scriptor doctiſſimus, poſtquam dixerat unum eſſe Patrem & Filium, continuò modum unionis declarat his verbis : ὁ υἱὸς τοῦ πατρὸς ἐν πατρὶ, καὶ πατὴρ ἐν υἱῷ, ἑνότητι καὶ δυνάμει πνεύματος· *Quod ſit in Patre Filius, & in Filio Pater, unione & virtute Spiritûs.* Quibus planè gemina legas ex Clemente Alexandrino citata ejuſdem Sectionis cap. 6. n. 4. Nec minùs luculenter quàm ſuccinctè idem expreſſit Tertullianus libro adv. Prax. cap. 12. ubi Sacroſanctam Trinitatem dicit eſſe *unam ſubſtantiam in tribus cohærentibus :* neque igitur diverſas ſubſtantias in tribus ab invicem ſeparatis, & ſeorſim ſubſiſtentibus. Idem Tertullianus eodem libro cap. 25. *Connexus*, inquit, *Patris in Filio, & Filii in Paracleto tres efficit cohærentes, qui tres unum ſint, non unus.* Et rurſus c. 8. in fine : *Trinitas per conſertos & connexos gradus à Patre decurrens, Monarchiæ nihil obſtrepit.* Denique c. 2. in fine itidem ait, in Trinitate eſſe *numerum ſine diviſione.* Apertiſſimus quoque eſt Origenis locus, quem recitavimus ejuſdem rurſus Sectionis cap. 9. n. 19. in ipſo fine ; ubi ex profeſſo impugnat Adamantius eorum errorem, *qui divinam naturam in partes ſecant, & Deum Patrem, quantum in ſe eſt, dividunt.* " Nam hæc, *inquit*, " incorporeâ de natura vel leviter ſuſpicari, " non ſolùm extremæ impietatis eſt, verùm " ultimæ inſipientiæ : nec omnino vel ad " intelligentiam conſequens, ut incorporeæ " naturæ ſubſtantialis diviſio poſſit intelligi. " Magis autem ſicut voluntas procedit è " mente, & neque partem aliquam mentis " ſecat, neque ab ea ſeparatur, aut dividi- " tur : tali quadam ſpecie putandus eſt Pa- " ter Filium genuiſſe. " Idem Origenes, cum in opere ipſius indubitato contra Celſum paſſim docuerit, divinam naturam atque eſſentiam Filio cum Patre communem eſſe, ut ſuprà abunde oſtenſum eſt ; in libro tamen illius Syntagmatis quarto diſertè aſſerit, Dei naturam eſſe ἄφθαρτον, ἁπλῆν, καὶ ἀσώματον, καὶ ἀδιαίρετον, *incorruptibilem, ſimplicem, nec compoſitam, nec diviſibilem.* Ubi etiam continuò ſubjicit, Filium Dei in forma, ſive natura, Dei ſubſiſtere ; proinde ipſi eadem divinæ naturæ attributa competere. Sed & mox ibidem Dei Filium dicit τὸν ἐν αὐτῷ [παρὰ] λόγον Θεὸν, *Verbum Deum, qui in ipſo [Patre] eſt.* Certè quiſquis illuſtrem illum Origenis locum expenderit, videbit in eo apertè doceri, duas hypoſtaſes, Patrem & Filium, in eadem eſſentia divina minimè diviſas ſubſiſtere. Vide Sect. 2. c. 9. n. 14. Illuſtre ad eandem ſententiam Dionyſii Romani teſtimonium legas ſecundæ illius Sectionis cap. 11. n. 1. In quo eos acriter reprehendit Vir magnus, " qui dividunt, & " ſecant, & evertunt ſacroſanctum dogma " Eccleſiæ Dei, Monarchiam in tres quaſ- " dam virtutes partientes, & diviſas hypo- " ſtaſes, ac Deitates tres. " Quorum hæreſi Catholicam doctrinam mox opponit his verbis : " Etenim neceſſe eſt uniri omnium " Deo Dei Verbum, & in Deo manere & " habitare Spiritum ſanctum. Jam verò " divinam Trinitatem in unum, velut in " caput quoddam & ſummam, omnipoten- " tem Deum univerſorum dico, colligi & " & coaleſcere prorſus neceſſe eſt. " Quæ Dionyſii verba non parum confirmant περιχωρήσεως definitionem, quam amplexus eſt doctiſſimus Bellarminus *, dicens περιχώρησιν eſſe *illam intimam & perfectam inhabitationem unius perſonæ in alia.* Denique (ne nimius ſim in re manifeſta) in eodem capite n. 5. locum Dionyſii Alexandrini invenias citatum, in quo Scriptor celeberrimus eorum inſcitiam notat, qui " ignorant Patrem à " Filio alienari non poſſe, quatenus Pater " eſt ; quippe quod primarium ſit conjun- " ctionis vocabulum : neque Filium à Patre " procul remotum eſſe ; ſiquidem Patris " vocabulum communionem declarat : in " amborum verò manibus eſſe Spiritum " ſanctum, qui neque à mittente, neque à " ferente ſegregari poſſit. " Ejuſdem quoq; eſt dictum illud : *Indiviſibilem & indiminutam Trinitatem in unitatem colligi.*† Denique idem

* Bellarmin. de Chriſto lib. 2. cap. 5. † De quo vide Annotata ad cap. 11. ſuprà pag. 150. col. 1.

idem in reſponſione ad quæſtionem 4. Pauli Samoſateni, de tribus perſonis S. Trinitatis ſic loquitur: *αἱ δύο ὑποστάσεις ἀχώρεστοι, καὶ τὸ ἐνυπόστατον τοῦ παλεοὺς πνεῦμα, ὃ ἦν ἐν τῷ υἱῷ. Duæ hypoſtaſes* (Patris ſc. & Filii) *inſeparabiles ſunt, & ſubſiſtens Patris Spiritus, qui erat in Filio.*

§. 11. Cum his conſenſiſſe Patres, qui poſt exortam Arianam controverſiam ſcripſerunt, reſtat ut oſtendam. Atque innumeræ cum ſint Patrum illorum, quæ huc ſpectant, ſententiæ; nos pauca ex ipſis teſtimonia proferemus, quæ in cæterorum ſpecimen capere liceat. Alexander Alexandrinus in Epiſtola ad Alexandrum Conſtantinopolitanum ad locum illum Joannis Evangeliſtæ, *unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris*, ita ſcribit *: *περινοεμένου γὲ ὁ θεῖος διδάσκαλος, ἀλλήλων ἀχώριστα πράγματα δύο, τὸ πατέρα καὶ τὸν υἱὸν, ἕνα αὐτὸν ἐν τοῖς κόλποις τοῦ παλεοὺς ὠνόμασεν.* i. e. "Nam "cum divinus Magiſter oſtendere vellet, "duas res eſſe à ſe invicem inſeparabiles, "Patrem & Filium; hunc in ſinu Patris "eſſe dixit." Idem poſtea in eadem Epiſtola dictum Chriſti, *Ego & Pater unum ſumus*, dicit eſſe *τὸ φυσικὸν αὐτοῦ δόξης τε καὶ εὐγλωσσίας, καὶ ὡδὲ τῷ παλεὶ μονὴν σημαντικὸν λόγον.* i. e. "Sermonem, qui naturalem p. 15. "ipſius gloriam ac nobilitatem, & apud "Patrem manſionem deſignat." Similiter Athanaſius in Oratione 5. contra Arianos: *ἀλλ' ὥσπερ* (inquit) *ὁ λέγων πατέρα καὶ υἱὸν δύο, ἕνα Θεὸν λέγει· ὅτως ὁ λέγων ἕνα Θεὸν, δύο φρονεῖ, τὸν πατέρα καὶ υἱὸν ἐν ὄντα τῇ θεότητι, καὶ τῷ ἐξ αὐτοῦ ἀμέριστον, καὶ ἀδιαίρετον, καὶ ἀχώριστον εἶναι τὸν λόγον ἀπὸ τοῦ παλεός.* i. e. "Sed quemadmodum qui dicit Patrem & "Filium duo, unum dicit Deum; ita qui "dicit unum Deum, agnoſcit duo: pro eo "quòd Pater & Filius Divinitate ſint unum; quódque ex ipſo procedens Verbum impartibile & inſeparabile ſit à Pa"tre." Quatenus autem res divinæ corporeis rebus adumbrari poſſunt, egregiâ ſimilitudine (quæ Genebrardo mirificè placuit) mutuam in ſeipſis divinarum perſonarum ἐνύπαρξιν declarat Pſeudo-Dionyſius Areopagita libro de Divinis Nominibus cap. 2. his verbis: *ἡνωμένον μέν ἐστι καὶ κοινὸν ἡ ἐν ἀλλήλαις, εἰ ὕτω χρὴ φάναι, τῶν ἑναρχικῶν ὑποστάσεων μονὴ, καὶ ἴδρυσις ὁλικῶς ὑπερκειμένη, καθάπερ φῶτα λαμπτήρων, ἵνα αἰσθητοῖς καὶ οἰκείοις χρήσωμαι παραδείγμασιν, ἕνα ἐν οἴκῳ ἑνὶ, καὶ ὅλα ἐν ἀλλήλοις ὅλοις ἔστιν ἀκραιφνῆ, καὶ ἀκρίδη τὰ ἀπ' ἀλλήλων ἰδικῶς ὑφισαμένην ἔχει διάκρισιν, ἡνωμένα τῇ διακρίσει, καὶ τῇ ἑνώσει διακεκριμένα. καὶ γὰν ὁρῶμεν ἐν οἴκῳ πολλῶν ἐνόντων λαμπτήρων, πρὸς ἕν τι φῶς ἐκφέρονται τὰ πάντων φῶτα, καὶ μίαν ἄϋλην ἀδιάκριτον ἀναλάμπουσι. καὶ ὅτι ἄν τις, ὡς οἶμαι, διιὼν ἐκ τοῦδε τοῦ λαμπτῆρος τὸ φῶς ἀπὸ τῶν ἄλλων, οὐκ ἂν πάντα τὰ φῶτα περιέχοντος ἀέρος διακρῖναι, καὶ ἰδεῖν ἄνευ θατέρου θάτερον, ὅλων ἐν ὅλοις ἀμιγῶς συγκεκραμένων. ἀλλὰ καὶ ἕνα εἴ τὸν τις τῶν πυρσῶν ὑπεξαγάγοι τοῦ δωματίου, συνεξελθεῖν ἂν τὸ οἰκεῖον ἅπαν φῶς, οὐδέν τι τῶν ἑτέρων φώτων ἐν ἑαυτῷ συνεπισπώμενον, ἢ τῶν ἑαυτοῦ τοῖς ἑτέροις καταλεῖπον. ἦν γὰρ αὐτῶν, ὥσπερ ἔφην, ἡ ὅλων πρὸς ὅλα παντελὴς ἕνωσις ἀμιγὴς καθόλου, καὶ οὐδενὶ μέρει συμπεφυρμένη. ἂν ταῦτα ὄντως ἐν σώματι, τῷ ἀέρι, ἂν ἐξ ἐνύλου τοῦ πυρὸς ἠρτημένου τοῦ φωτὸς, ὅπου γε καὶ τὴν ὑπεριδρύσθαι φαμὲν ὑπερέχουσιν ἕνωσιν οὐ τῶν ἐν σώμασι μόνον, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐν ψυχαῖς, καὶ ἐν αὐτοῖς νόοις.* κ. λ. i. e. "Una eſt & communis mutua in "ſe invicem, ſi ſic loquendum eſt, uni"principalium hypoſtaſeon manſio, & ſta"bilitas, univerſè ſupra omnem modum u"nita, ac nullâ parte confuſa, quemadmo"dum facium lumina, (ut ſenſibilibus & "appoſitis utar exemplis) quæ in una "domo ſunt, ac tota in ſe totis invicem ſunt "pura, atque ſincera, & exactam à ſeipſis "peculiariter ſubſiſtentem habent diſtinctio"nem; unita diſtinctione, & unione diſtin"cta. Itaque videmus in domo, cum plu"res ſunt faces, in unum lumen conjuncta "eſſe omnium lumina, & uno ac minimè "diſtincto fulgore ſplendeſcere. Nemo au"tem, ut opinor, poſſet certæ cujuſpiam "facis lumen ab aliis ex aere omnia com"plectente lumina ſecernere, & alterum "intueri ſine altero; cum tota ſint in totis "ſine miſtione temperata. Quinetiam ſi "unam quiſpiam facem è cubiculo ſubtra"hat, proprium illius unà omne lumen exi"bit, ſic ut nullam aliorum luminum par"tem auferat ſecum, aut aliis relinquat è "ſuo. Erat enim, ut ſuprà memoravi, to"torum perfecta cum totis unio permiſtio"nis omnis expers, neque ullâ parte confu"ſa. Atque hæc revera in corpore contin"gunt, aere; ubi lumen ex concreto cum "materia igne dependet: cum tamen illam "ſubſtantialem unionem eminere dicimus "non modò ſupra uniones illas, quæ cer"nuntur in corporibus; ſed eas etiam, quæ "in animabus ipſis, & in ipſis mentibus "exiſtunt, &c." Qui hæc tam præclara ſcripſit, Dionyſium Areopagitam non fuiſſe, certô

* Apud Theodorit. E. H. l. 1. c. 4. p. 11. Edit. Valeſii.

certô quidem certius est : valde antiquum verò fuisse Scriptorem constat. Doctissimus & Reverendus admodum Pearsonus noster *, quocum libenter sentio, non longè ab initio quarti sæculi scripsisse illum existimat.

§. 12. Basilius rem multis in locis egregiè exponit, præsertim in Epistola 42. ubi de personis divinis ita differit : ὃ γάρ ἐστιν ἐπινοῆσαι τομὴν, ἢ διαίρεσιν, κατ' ὀδένα τρόπον· ὡς ἢ ἡμῖν χωρὶς παλαιὸς νοηθῆναι, ἢ τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ διαζευχθῆναι. ἀλλά τις ἄῤῥητος καὶ ἀκαλανόητος ἐν τούτοις καταλαμβάνεται καὶ ἡ κοινωνία καὶ ἡ διάκρισις· ὅτε μὲν τῆς ὑποστάσεων διαφορᾶς τὸ δὲ φύσεως συνεχὲς διασωζόμενον, ὅτε δὲ κατὰ τὴν οὐσίαν κοινότητα τὸ ἰδιάζον τῆς γνωρισμάτων ἀναχεόμενον· i. e. " Neque enim potest " aliqua ullo pacto excogitari vel sectio, vel " divisio : ut sive Filius absque Patre intel- " ligi, sive Spiritus à Filio sejungi queat. " Sed nescio quæ in istis animadvertitur, " quæ neque verbis explicari, neque mente " comprehendi potest, communio pariter ac " disjunctio : quâ neque per differentiam " ὑποστάσεων continuatio naturæ dissipatur ; " neque per eam, quæ est secundum οὐσίαν, " communionem proprietas notionum con- " funditur. " Plura lectu digna ibidem sequuntur apud Basilium. Cyrillus Alexandrinus in septimo Thesauri dicit Patrem Filio esse τόπον φυσικὸν, *naturalem locum*. Euthymius in Panoplia breviter quidem, sed accuratè totam περιχωρήσεως notionem explicat his verbis : ἐν ἀλλήλαις δὲ ταύτας φαμὲν, διά τε τὴν ἀλληλοχίαν αὐτῶν, καὶ τὸ περιχωρεῖν, καὶ διὰ τὸ ἀπερίγραπτον καὶ ἀχώρητον τόπῳ· ἔτι δὲ καὶ διὰ τὴν μίαν τούτων θεότητα· i. e. " In se " autem invicem inesse (*personas*) dici- " mus, tum ob eorum mutuam cohærenti- " am, & quòd invicem continent ; tum " quòd loco circumscribi capique neque- " ant ; tum denique quòd una sit illarum " Divinitas. " Damascenus non uno in loco hac de re differit, ipsamque præclarè explicat. In libro primo de Orthodoxa fide cap. 11. postquam dixerat supposita in rebus creatis in se invicem non esse, sed seorsum existere, proptereaque duos & tres homines dici, & multos ; mox ostendit personarum in sacrosancta Trinitate prorsus aliam esse rationem : ὅτε γὰρ (inquit) τοπικὴν διάστασιν, ὡς ἐφ' ἡμῶν, δυνάμεθα περὶ τὰ ἀπερίγραπτα λέγειν θεότητος. ἐν ἀλλήλαις γὰρ αἱ ὑποστάσεις εἰσὶν, οὐχ ὥστε συγχεῖσθαι, ἀλλ' ὥστε ἔχεσθαι, κατὰ τὸν τοῦ Κυρίου λόγον· ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί· i. e. " Non enim localem " distantiam, sicut in nobis, dicere licet in " incircumscripta Deitate. Etenim in se " invicem insunt hypostases ; non ut con- " fundantur, sed ut sibi hæreant, secundum " Domini sermonem, dicentis : Ego in Pa- " tre, & Pater in me. " Ac paulò pòst : ἀμέρισται γὰρ ἐν μεμερισμένοις, εἰ δεῖ σεμνόμας εἰπεῖν, ἡ Θεότης, ὡς οἷον ἐν ἡλίοις τρισὶν ἐχομένοις ἀλλήλων, καὶ ἀδιαστάτοις ὅσι, μία τοῦ φωτὸς σύγκρασίς τε καὶ σωμάφεια· i. e. " In- " divisa enim in divisis, ut uno verbo di- " cam, est Divinitas ; planè quemadmodum " in tribus ad invicem contiguis Solibus, & " indistanter se habentibus, una est luminis " commixtio & conjunctio. " Ubi similitudine fere eadem utitur, quam usurpâsse Pseudo-Dionysium modò ostendimus. Idem in lib. 3. c. 5. de personis divinis differens : ἀνεκφοιτήτως γὰρ αὗται (inquit) καὶ ἀδιαστάτως ἀλλήλων, καὶ ἡνωμένας, καὶ ἐν ἀλλήλαις ἀσυγχύτως περιχωρούσας ἐπισάμεθα· καὶ ἡνωμένας μὲν ἀσυγχύτως· τρεῖς γάρ εἰσιν, εἰ καὶ ἕνωνται· διαιρουμένας δὲ ἀδιαστάτως. εἰ γὰρ καὶ ἑκάστη καθ' ἑαυτὴν ὑφέστηκεν, ἦσαν τελεία ὄντως ὑποστάσεις, καὶ τὴν οἰκείαν ἰδιότητα, ἤτοι τὸν τῆς ὑπάρξεως τρόπον διάφορον κέκληται, ἀλλ' ἕνωνται τῇ τε οὐσίᾳ, καὶ ταῖς φυσικοῖς ἰδιώμασι, καὶ τῷ μὴ διίστασθαι, μηδὲ ἀφοιτᾶν τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως, καὶ εἷς Θεὸς εἰσί τε καὶ λέγονται· i. e. " Eadem au- " tem secedere à se invicem, ac separari " non posse, & unitas, & in se invicem sine " ulla confusione commeantes novimus ; ita " ut citra confusionem unita sint, (tres enim " sunt, etsi uniuntur) & sine separatione " discreta. Quamvis enim per se quæque " subsistat, hoc est, perfecta sit hypostasis, " & suam proprietatem, hoc est, existendi " modum diversum habeat ; tamen unitæ " sunt essentiâ & naturalibus proprietati- " bus, & eo ipso, quòd non separantur, " neque à Paterna hypostasi recedunt, unus " Deus & sunt, & esse dicuntur. " His Græcorum testimoniis, ad refocillandum Lectorem, carmen addam Synesii Episcopi Cyrenes, qui ineunte quinto sæculo maximè floruit. Is in Hymno tertio sic modulatur :

Basil. Tom. 3. p. 97.

p. 51.

Part. 1. Tit. 2.

Ὑμνῶ σε τριάς.	*Cano te Trinitas.*
Μονὰς εἶ, τριὰς ὤν·	*Unitas es, trinitas quum sis:*
Τριὰς εἶ, μονὰς ὤν.	*Trinitas es, unitas quum sis.*
Νοερὰ δὲ τομὰ	*Intellectualis autem sectio*
Ἄχιτον ἔτι	*Indivisum adhuc*
Τὸ μεριστὸν ἔχει.	*Quod divisum est, tenet.*

Eadem habet Hymnô quartô.

§. 13.

* Vindic. Epist. Ignat. Part. 1. p. 7. & c. 10. per tot.

§. 13. Ex Latinis Marius Victorinus initiô libri ſecundi adverſus Arium de Deo Patre & Filio ita loquitur: *Sed cum fatemur ſingulos duos, unum tamen Deum dicimus, & ambos unum Deum, quòd & Pater ſit in Filio, & Filius in Patre.* Similiter Ambroſius lib. 10. in Lucam ad cap. 20. *Et Pater*, inquit, *Dominus, & Filius Dominus:* Dixit Dominus Domino meo; *ſed non duo Domini, ſed unus Dominus: quia & Pater Deus, & Filius Deus, ſed unus Deus; quia Pater in Filio, & Filius in Patre.* Idem lib. 2. de Fide cap. 2. *Pater & Filius diſtinctionem habent, ut Pater & Filius; ſeparationem Divinitatis non habent.* Idem rurſus in libro de Dignitate conditionis humanæ cap. 11. & principii unitatem & περιχώρησιν brevi & argutâ oratione ſic complectitur: " Ideo autem " dicitur Deus Pater, quia ipſe eſt ex quo: " & ſapientia eſt, quâ ordinantur omnia: " & dilectio, quâ ſe volunt omnia ita ma- " nere, ut ordinata ſunt. Ex quo ergo, & " qui ex eo, & quô ſe diligunt ipſa duo, " tria ſunt, & illa tria ideo unum, quia ſic " ſunt ex uno illa duo, ut tamen ab eo non " ſint ſeparata; ſed ex ipſo ſunt, quia non " à ſe; & in ipſo, quia non ſeparata; & " ipſum ipſa, quod ipſe; & ipſum ipſe quod " ipſa; & non ipſum ipſa qui ipſe, & non " ipſa ipſe quæ ipſa." Hic, inquam, unitatem principii, & περιχώρησιν ſimul conjungit, oſtendens, Filium & Spiritum ſanctum non modò ex Patre eſſe, ſed in ipſo eſſe, neque ab ipſo ullatenus ſeparari; ideoque omnes tres unum Deum eſſe: unum & ipſum naturâ & eſſentiâ; tres verò ſubſiſtentiâ. Hilarius libro 8. de Trinitate: " Pater, *in-* " *quit*, in Filio eſt, & Filius in Patre, per " inſeparabilis naturæ unitatem; non con- " fuſam, ſed indiſcretam; neque permix- " tam, ſed indifferentem; neque cohæren- " tem, ſed exiſtentem; neque inconſumma- " tam, ſed perfectam. Nativitas eſt enim, " non diviſio: & Filius eſt, non adoptio: " & Deus eſt, non creatio, *&c.* Tenens " hanc itaque manentis in Patre Filii, & " Patris in Filio fidem, unum Deum Pa- " trem, & unum Dominum Chriſtum ſibi " eſſe Apoſtolus prædicat." Ubi cum negat Hilarius unionem Patris & Filii eſſe cohærentem, tantùm excludit cohæſionem, qualis eſt rerum ex materia concretarum. Nam alioqui cohærere ſibi invicem Patrem & Filium, Doctores Catholici, ut vidimus, dicere haud veriti ſunt. Hieronymus in cap. 3. Ezechielis: *Filius*, inquit, *eſt locus Patris, & Pater locus eſt Filii, dicente Domino Salvatore: Ego in Patre, & Pater in me.* Denique Fulgentius in libro 3. ad Monimum cap. 17. docet aliter hominem eſſe apud hominem alterum, à quo maxime diligitur, aliter Verbum apud Patrem, his verbis: " Homo enim apud hominem ſic " eſt, ut non ſolùm apud eum non eſſe poſ- " ſit, ſed etiam cum apud eum eſt, in ipſo " ſubſtantialiter eſſe non poſſit. Verè enim " qui ſic apud alium eſt, extra illum eſt; " quia cum eſt apud illum ſinceritate dile- " ctionis, locô diſcernitur, quantolibet af- " fectu ſibi uterque jungatur. Sed ſic eſt " Verbum apud Deum, ſicut in mente ver- " bum, ſicut in corde conſilium. Cum e- " nim mens apud ſe verbum habet, utique " cogitando habet, quia nihil aliud eſt apud " ſe dicere, quàm apud ſe cogitare. Cum " ergo mens cogitat, & cogitando verbum " intra ſe generat, de ſua ſubſtantia generat " verbum; & ſic illud verbum generat de " ſe, ut genitum habeat apud ſe. Nec mi- " nus aliquid habet verbum, quod ex mente " naſcitur, quàm eſt mens, de qua naſci- " tur: quia quanta eſt mens, quæ generat " verbum, tantum eſt etiam ipſum verbum. " Sicut enim de tota mente naſcitur ver- " bum; ſic intra totam permanſit natum. " Et quia cogitante mente, non eſt ejus " aliquid, ubi in ea verbum non ſit; ideo " verbum tantum eſt, quanta eſt mens ipſa, " de qua eſt; & cum apud illam eſt, in illâ " eſt, & quanta illa eſt, tantum etiam ver- " bum eſt, quia de tota, & in totâ eſt. " Tantumque eſt ipſum verbum, quanta ſi- " mul eſt & mens ipſa cum verbo. Neque " enim ſic de illa verbum naſcitur, ut ab ea " localiter ſecernatur."

§. 14. Cæterum de περιχωρήσει perſonarum in SS. Triade tria obſervamus. Primò, quando veteres nonnulli * περιχώρησιν etiam duabus in Chriſto naturis attribuunt, quas nempe εἰς ἀλλήλας περιχωρεῖν aſſerunt, minùs propriè ipſos loqui ſtatuendum. Cum enim περιχώρησις propriè ſit unio rerum ſeſe invicem uſquequaque (quod & præpoſitio περὶ ſubindicat,) immeantium, ad eam requiritur, ut rerum ita unitarum neutra extra alteram ſit; ſed ubicunque earum una eſt, ibi & altera exiſtat. Atqui in Chriſto natura quidem divina humanam uſquequaque immeat, non hæc viciſſim illam; ſiquidem hæc finita eſt & circumſcripta; illa infinita atq; immenſa: unde fieri non poteſt, ut hæc ſit, ubi-

* Gregor. Nazian. Orat. 51. p. 740. Damaſcen. de Orthod. fide, l. 3. c. 5.

ubicunque illa eſt. At in Trinitate maximè propria eſt & perfectiſſima περιχώρησις, ſiquidem perſonæ ſeſe mutuò continent, & omnes tres immenſum habent *ubi*, ut Scholaſtici loquuntur; ita ut ubicunque una perſona eſt, ibi reliquæ duæ exiſtant, hoc eſt, ubique omnes ſint. Unde Tertullianus lib. adv. Prax. c. 3. *Scias*, inquit, *Deum etiam intra abyſſos eſſe & ubique conſiſtere : Filium quoque ut individuum cum ipſo ubique.* Deinde & illud Lectorem monitum velim : doctrinam hanc de περιχωρήσει perſonarum in Trinitate, adeo Sabellianiſmum non inducere, ut ad perſonarum diverſitatem, & hæreſin illam convincendam (quod & Petavius obſervavit) valde utilis ſit. Nam ad mutuam illam ἐνύπαρξιν, quæ in Patre, Filio & Spiritu ſancto cernitur, prorſus neceſſarium eſt, ut ſit nonnulla copulatorum diſtinctio; hoc eſt, ut ea, quæ ini ſe invicem exiſtunt, reipſa, & non ſolâ cogitatione, diverſa ſint. Nam quod ſimpliciter unum eſt, in ſeipſo ineſſe, aut in ſe immeare non dicitur. Quod Cyrillus etiam Alexandrinus attigit in libro Theſauri 12. inquiens : ἵνα διὰ μὲν τοῦ, τοῦτον ἐν ἐκείνῳ, κἀκεῖνον ἐν τούτῳ φαίνεσθαι, τὴν ταυτότητα τῆς θεότητος, καὶ τῆς οὐσίας τὴν ἑνότητα δείξῃ· διὰ ἓν τὸ, ἕτερον ἐν ἑτέρῳ εἶναι, μὴ ἕν τι ὂν ἐν ἀριθμῷ νοεῖσθαι· i. e. " Ut eo ipſo, quod " ait Chriſtus, hunc in illo, & illum in hôc " videri, identitatem Deitatis, & unitatem " ſubſtantiæ monſtret. Cum autem alte- " rum in altero ineſſe aſſerit, excludi illud, " ne quis unum aliquid eſſe numerô putet." Reſpice etiam locum Pſeudo-Dionyſii, quem in hoc capite ſuperiùs adduximus. Denique illud imprimis conſiderandum eſt, hanc divinarum perſonarum περιχώρησιν revera maximum eſſe myſterium, quod religiosè adorare potiùs, quàm curioſiùs rimari debemus. Nulla ſimilitudo uſquequaque apta ad illam illuſtrandum excogitari poteſt; nulla ipſam oratio dignè ſatis explicare valet : ſiquidem unio eſt, quæ ſupra omnes alias uniones eminet, ut Scriptorem longè doctiſſimum, qui Dionyſius Areopagita vulgò dicitur, modò dicentem audivimus. In hac rerum caligine, de hoc aliiſque myſteriis divinis, tanquam pueri, & ſentimus & loquimur, imò balbutimus potiùs. Hîc dum ſumus, Deum noſtrum tanquam in ſpeculo & ænigmate contemplamur : adveniet verò tempus, imò omni tempore & ſæculo ulterior æternitas, quâ ipſum videbimus, facie ad faciem. Tenebras omnes tunc à mentibus noſtris fugabit beatifica Dei viſio : quâ ut nos tandem dignos efficiat divina miſericordia, ipſam noctes dieſq; obnixè & ſupplices oremus. Interea, dum viatores ſumus, cognoſcere optamus potiùs, quàm liquidò cognoſcimus,(ut doctiſſimi Athenagoræ * verbis utar,) τίς ἡ τοῦ παιδὸς πρὸς τὸν πατέρα ἑνότης· τίς ἡ τοῦ πατρὸς πρὸς τὸν υἱὸν κοινωνία· τί τὸ πνεῦμα· τίς ἡ τῶν τοσούτων ἕνωσις, καὶ διαίρεσις ἑνωμένων, τοῦ πνεύματος, τοῦ παιδὸς, τοῦ πατρός· i. e. " Quænam Filii ad Patrem ſit unio; " quæ Patris ad Filium communio; quid " ſit Spiritus : quæ horum tantorum ſit " unio, quæ diſcretio unitorum, Spiritûs " ſcilicet, Filii, & Patris."

Athenag. Legat. pro Chriſtianis p. 12.

EPI-

EPILOGUS
Operis Universi.

PER immensum priscorum Auctorum, ut ita dicam, Oceanum, adspirante Dei gratia, portum tandem fæliciter, uti spero, appellimus. Præstitisse enim me arbitror, quod hujus operis initiô promisi. Quippe multis, iisque perspicuis testimoniis ostendi, consentire cum Nicænis Patribus Antiquitatem primævam de his quatuor capitibus: primò, Christum Dominum in potiori sua natura, ante beatissimam Virginem Mariam, adeoque ante mundi creationem extitisse, perque ipsum condita fuisse universa: deinde, ipsum in eapse natura Deo Patri esse ὁμοούσιον, hoc est, non creatæ alicujus & mutabilis essentiæ, sed ejusdem prorsus cum Patre naturæ, ac proinde verum Deum: porro, quod est consequens, eundem Deo Patri συναΐδιον esse; id est, divinam hypostasin Patri ab æterno coexistentem: denique subordinatum tamen illum ipsum esse Deo Patri, tanquam sui Auctori ac principio. Primum quidem articulum leviter & strictim attigi, quòd ipsum Ariani ultro concesserint: quanquam illi hac ipsa concessione, Deum nempe Patrem per Filium cuncta ex nihilo condidisse, planè causam suam prodidisse mihi videantur. Nam creaturæ ex nihilo factæ, qualem Dei Filium somniârunt Ariani, potentiam alia ex nihilo producendi nullatenus communicari posse, omnino censeo cum sanioribus Scholasticis. Ex quibus Estius: *Non potest*, inquit, *creatura supernaturali virtute elevari ad hujusmodi actionem, quâ tanquam instrumentum Physicum cooperetur creationi; eò quòd ad propriam hujus generis instrumenti rationem pertineat, per aliquid sibi proprium operari dispositivè ad effectum causæ principalis. Quare nec divina virtute poterit assumi creatura ad creandum, tanquam instrumentum Physicum, salva manente propria ratione hujusmodi instrumenti.* Fundamentum hujus argumenti ibidem antè exposuerat: *Nihil*, inquit, *potest esse causa creandi, nisi virtutem habeat infinitam. Nam quantò forma producenda remotior est à potentia, tantò major requiritur virtus in agente; & proinde ad producendam formam ex nulla potentia, quod fit in creatione, requiritur virtus infinita: hanc autem impossibile est creaturæ communicari.* Unde ex opere creationis Filio cum Patre communi, communem utriusque Divinitatem collegerunt veteres Catholici, etiam qui ante Concilium Nicænum scripserunt. Imò ipse Origenes lib. 2. contra Celsum disertè docet, nihil præter ipsum Dei Verbum, hoc est, nihil extra ipsum Deum, potuisse universi hujus creationem perficere. Nam ad Gen. 1. v. 26. *Faciamus hominem*, &c. & locum Davidis Psal. 148. v. 5. *Ipse dixit, & facta sunt*, &c. ita ibidem differit: *Si enim mandavit Deus, & conditæ sunt creaturæ; quis juxta sententiam Prophetici Spiritûs posset esse tanti paterni mandati executor, quàm ille, ut sic loquar, animatus ejus Sermo & Veritas?* * Quin & Patres antiquissimi communiter hôc nomine Gnosticos acriter reprehenderunt, quòd docuerint, hunc mundum per Angelos, Deôque inferiores & ab ipso alienas potestates conditum fuisse. Disertissima imprimis sunt Irenæi loca, quæ adduximus Sect. 2. cap. 5. n. 7. *Solus unus Deus fabricator*, (inquit lib. 2. c. 55.) *hic est, qui super omnem principalitatem, dominationem & virtutem; hic Pater, hic Deus, hic conditor, hic factor: hic fecit ea per semet ipsum, hoc est, per Verbum & Sapientiam suam, cœlum & terram & mare & omnia quæ in eis sunt.* Idem rursus lib. 4. cap. 37. *Non ergo*, inquit, *Angeli fecerunt nos, nec nos plasmârunt; nec Angeli potuerunt imaginem facere Dei, nec alius quis præter Verbum Domini, nec virtus longè absistens à Patre universorum. Nec enim in-*

In lib. 2. Distinct. 1. §. 4.

* Vide locum Origenis Græcè citatum Sect. 2. c. 9. n. 5.

indigebat horum Deus ad faciendum, quæ ipſe apud ſe præfiniverat fieri, quaſi ipſe ſuas non haberet manus. Adeſt enim ei ſemper Verbum & Sapientia, Filius & Spiritus, per quos & in quibus omnia liberè & ſponte fecit; ad quos & loquitur, dicens: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram; *ipſe à ſemetipſo ſubſtantiam creaturarum, & exemplum factorum, & figuram in mundo ornamentorum accipiens.* Quibus locis clarè docet Irenæus, Deum Patrem per aliquid extra ſeipſum, neq; condidiſſe, neq; condere vel neceſſe habuiſſe, vel potuiſſe hoc univerſum: & ſimul haud minùs clarè docet, per Filium & Spiritum ſanctum cuncta ipſum creaviſſe.

Secundum articulum de Filii conſubſtantialitate copioſiſſimè demonſtravi, quòd in illo controverſiæ cardo manifeſtè vertatur. Si hîc à partibus noſtris ſtare primæva Antiquitas comperiatur, de cæteris, quæ Ariani in controverſiam vocârunt, facilis erit dijudicatio. Nam hâc hypotheſi conceſsâ, Filium nempe eſſe ejuſdem cum Deo Patre naturæ & eſſentiæ, funditus evertitur univerſa Arianæ impietatis ſtructura & compages. Ne unum autem Doctorum Ante-Nicænorum poterunt Ariani nominare, qui hoc ipſum non confeſſus fuerit. At tertium articulum quod attinet, evidenter monſtravi, maximam & potiorem partem primævorum Patrum Filii æternitatem apertè & ſine ullis ambagibus profeſſos fuiſſe: pauciores verò illos Eccleſiæ Doctores, qui generationem quandam ab initio aliquo incipientem Filio tribuerunt, utcunque verbis à prioribus diſcrepârint, reipſa tamen cum ipſis ſenſiſſe. Denique non aliam ſubordinationem Filii ad Patrem ſtatuiſſe Ante-Nicænos, quàm agnoverunt Catholici, qui poſt & contra Arii hæreſin ſcripſerunt, haud minùs perſpicuè probavi: quin & duriora in ſpeciem dicta ipſorum, Catholicum ſenſum non modò admittere, ſed poſtulare etiam, clarè oſtendi. Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, Petavium nimis liberaliter Arianis conceſſiſſe Patrum Ante-Nicænorum ſuffragia: ac falſos prorſus eſſe Sandium & alios, qui Jeſuitæ illius auctoritate freti, fidenter affirmârunt, Doctores trium primorum ſæculorum cum Ario ſenſiſſe.

Profectò longè alia Catholicorum Patrum, qui in arenam cum Arianis dimicaturi olim deſcenderunt, mens ac ſententia fuit. Nimirum illi adeo non reformidârunt primævorum Patrum tribunal, ut ad ipſum libenter provocârint. Sic Athanaſius lib. de Synodi Nic. decretis, poſtquam Veterum nonnullorum teſtimonia in defenſionem Fidei Nicænæ adduxerat, ſic demum Arianos affatur: ἰδὲ ἡμεῖς μὲν ἐκ πατέρων εἰς πατέρας διαδεδομένην τὴν τοιαύτην διάνοιαν ἀποδεικνύομεν· ὑμεῖς δὲ, ὦ νέοι Ἰουδαῖοι καὶ τοῦ Καϊάφα μαθηταὶ, τίνας ἄρα τῶν ῥημάτων ὑμῖν ἔχετε δεῖξαι πατέρας; ἀλλ' οὐδένα τῶν φρονίμων καὶ σοφῶν ἂν εἴποιτε· πάντες γὰρ ὑμᾶς ἀποστρέφονται, πλὴν μόνου τοῦ Διαβόλου· μόνῳ γὰρ ὑμῖν ἔστιν ἴδιον τοιαύτης ἀποστασίας πατὴρ γέγονεν· i. e. *Ecce nos demonſtramus, iſtiuſmodi ſententiam à Patribus ad Patres, quaſi per manus traditam eſſe. Vos autem, ô novi Judæi & diſcipuli Caiaphæ, quos demum aſſertionum veſtrarum Patres oſtendere valetis? Imò ne unum quidem ex prudentibus & cordatis nominare poſſitis: cuncti enim vos averſantur præter unum* Diabolum, *qui ſolus hujus defectionis auctor vobis fuit.* Multa veterum Patrum Scripta viderat Athanaſius, quæ nunc magno Eccleſiæ damno perierunt. Ex omnibus verò, quos legerat, fidenter aſſerit, idque non in concione ad populum, ſed in ſcripta diſputatione contra Arianos, ne unum quidem probatum Doctorem potuiſſe Hæreticos proferre, qui ipſorum blaſphemias defenderit. Ac ſane nos in hoc opere, nullum eſſe ex Patribus primævis Catholicis, quorum Scripta tanquam è naufragio divina nobis ſeris nepotibus conſervavit providentia, qui à partibus Nicænorum Antiſtitum non ſteterit, abunde evicimus. Imò ipſi Ariani, quanquam apud imperitam plebem ſe fidem à Patribus traditam tenuiſſe jactitârint, adeoque colorem aliquem obducere potuerint ſuæ hæreſi ex dictis quibuſdam Patrum nonnullorum perperam intellectis, ut in ſuperioribus oſtenſum eſt; diſputatione tamen preſſi, Veterum judicium atque auctoritatem prorſus declinârunt. Celebris eſt hiſtoria Siſinnii, quam refert Socrates H. E. l. 5. cap. 10. quamque ſuprà attigi. " Imperator Theodoſius, " accitô Nectariô Epiſcopô, ſollicita deli- " beratione cum eo tractavit, quônam mo- " dô Chriſtiana religio diſſenſionibus libera- " ri, & Eccleſia ad unitatem revocari poſſet. " Aiebatque diſcutiendam eſſe controverſi- " am quæ Eccleſias ſegregaret, ut amputatis " diſcordiarum cauſis, Eccleſiis concordia " reſtitueretur. His auditis, Nectarius anxius " & ſollicitus hærebat. Et accerſitô Agelliô, " tunc temporis Novatianorum Epiſcopô, " utpote qui cum ipſo in fide conſentiret, " Imperatoris conſilium ei aperit. Ille cum " Vir eſſet alioqui pius ac religioſus, ſed qui " de fidei doctrina cominus diſputare haud- " quaquam valeret, Siſinnium Lectorem ſu- " um, qui hoc differendi munus obiret, ele- " git. At Siſinnius, Vir imprimis diſertus & " magno rerum uſu præditus, & qui præ-

" ter

" ter ſacrarum literarum ſcientiam, Græco-
" rum quoque Philoſphiam egregiè callebat,
" cum probè nôſſet, ejuſmodi diſputationi-
" bus non modò diſſidia minimè ſanari, ve-
" rùm etiam hæreſes ad majorem contentio-
" nem accendi, hoc conſilium ſuggeſſit Ne-
" ctario. Quoniam compertum habebat, Ve-
" teres ſtudiosè caviſſe, ne principium exi-
" ſtentiæ Filio tribuerent, quippe qui cen-
" ſerent illum Patri coæternum eſſe; ſua-
" det ut Dialecticas quidem concertationes
" omittat, expoſitiones autem Veterum in
" teſtimonium adducat, utque Imperator
" ſingularum Sectarum principes interroget,
" utrum veterum Doctorum, qui ante diſſi-
" dium in Eccleſia docuiſſent, rationem ha-
" bendam eſſe cenſerent, an verò tanquam à
" Chriſtiana religione alienos, eos rejice-
" rent. Nam ſi illos rejiciunt, audeant igi-
" tur eos etiam anathemate damnare. Id
" verò ſi facere auſi fuerint, à multitudine
" vulgi protinus extrudentur. Atque hôc
" factô, manifeſta erit veritatis victoria.
" Quod ſi priſcos Doctores minimè repu-
" diabunt, noſtrum erit libros Veterum pro-
" ferre." Poſtea ibidem narrat Socrates, hoc Siſinnii conſilium communicâſſe Nectarium Imperatori, qui ipſum avidè amplexus eſt, & factô experimentô, tandem animadvertit, hæreticos fretos διαλέξει μόνῃ, καὶ οὐκ ἀρχαίων ἐκθέσει, *ſola diſputatione, non autem Veterum expoſitione*: ſiquidem omnes priſcorum Doctorum judicio ſtare recuſârunt. Eandem hiſtoriam tradit Sozomenus H. E. l. 7. c. 12. Quibus addi poteſt, quòd Alexander Alexandrinus teſtetur, primos Arianæ hæreſis propugnatores nullo in pretio habuiſſe priſcos Doctores, atque, adinſtar Fanaticorum & Enthuſiaſtarum noſtrorum, ſe per revelationem edoctos impudenter jactitâſſe. Sic enim ille in Epiſtola ad Alexandrum Conſtantinopolitanum apud Theodoritum: Theodor. H. E. l. 1. c. 4. p. 16. Edit. Valeſii. οὐδὲ τῶν ἀρχαίων τινὰς συλλέγειν ἑαυτοῖς ἀξιοῦσιν, οὐδὲ οἷς ἡμεῖς ἐκ παίδων ὡμιλήσαμεν διδασκάλοις, ἐξισοῦσθαι ἀνέχονται. ἀλλ' οὐδὲ τῷ νῦν πανταχοῦ συλλήτουργῶν τινὰ εἰς μέτρον σοφίας ἡγοῦνται· μόνοι σοφοὶ καὶ ἀκλήμονες καὶ δολμάτων εὑρέται λέγοντες εἶναι, καὶ αὐτοῖς ἀποκεκαλύφθαι μόνοις, ἅπερ οὐδενὶ τῶν πάντων ἄλλῳ πέφυκεν ἐλθεῖν εἰς ἔννοιαν· i. e. *Nullos ex antiquis ſibi comparari volunt, nec eos quibus nos ab ineunte ætate magiſtris uſi ſumus, exæquari ſibi patiuntur. Sed nec ullum ex omnibus, qui hodie ſunt Collegæ noſtri, ad mediocrem ſcientiam perveniſſe cenſent; ſolos ſapientes ac nihil poſſidentes, ſolos dogmatum inventores ſe eſſe jactantes, ſibique ſolis ea revelata eſſe, quæ nemini unquam mortalium in mentem venerint.* Quibus in verbis ſignificat quoque Alexander, Arianam ſententiam contrariam fuiſſe doctrinæ non modò priſcorum Doctorum, ſed etiam proximorum ipſius Anteceſſorum, quin & Epiſcoporum omnium, qui Eccleſiam regebant, quo tempore infælicem controverſiam Arius primùm ſuſcitavit.

Atqui, inquies, ſi tam prorſus heterodoxa fuit Arii opinio, quî potuit brevi tempore, poſtquam exorta fuit, in tantum prævalere, ut totus penè orbis Chriſtianus fieret Arianus, quemadmodum conqueſtus eſt Hieronymus? Reſpondeo, ſi Arianum fieri, ſit genuina Arii dogmata amplecti, verum non eſſe (quod pace Hieronymi dictum ſit,) maximam Chriſtianorum partem factam unquam fuiſſe Arianam. Conſtantii quidem temporibus & aliquantò pòſt quamplurimi, præſertim in Oriente, Arianos amplexi ſunt; ipſum verò Arianiſmum pauciſſimi, ad cæteros comparati. Quippe homines falſiſſimi, niſi ubi idoneos invenerunt auditores, impia dogmata celârunt, fidemque ſuam fere profeſſi ſunt verbis, quæ antiquam & Catholicam ſententiam præ ſe ferrent: indeque factum fuit, ut pro Catholicis penè ubique haberentur, atque agniti eſſent, etiam ab iis, qui alioqui ipſorum placita ex animo deteſtati ſunt. Hâc fraude, non modò plebis Chriſtianæ, ſed etiam Epiſcoporum multorum, qui nimiùm creduli eſſent, gratiam ſibi conciliârunt. Legas Confeſſiones Arianorum, quæ ab Athanaſio & aliis deſcribuntur; tam Catholicis verbis plerumque conceptæ ſunt, ut crederes homines planè Catholicos fuiſſe. Dicunt Chriſtum Deum, Deum verum, imò naturâ verum & perfectum Deum: Creaturam illum eſſe, tanquam dictu nefas abominantur: ante omnia ſæcula extitiſſe ipſum profitentur. Et quid non dicunt, quod Catholici dixerunt, præterquam quòd unam illam ὁμοουσίῳ vocem omittant? Hinc Hilarius, qui regnante Antichriſtianiſmo illo vixit, veritati gratulatus eſt, quòd populus Chriſti Catholicus manſerit ſub Epiſcopis Arianis, quibus adhærebat. Scilicet plebs innocua Antiſtites, quos ſibi Conſtantius præfecit, cum omni reverentia excepit, ignara impietatis, quam in ſinu illi fovebant: hoc eſt, Hæreticos admiſit; hæreſin verò ipſorum, utpote quam ipſorum eſſe hæreſin neſciit, nunquam amplexa eſt. Digna ſunt Hilarii verba, quæ hîc recitentur: *Verùm Antichriſtum arbitror minori invidia* (leg. *perfidia,*) *introducendum, miſeriſque credendum. Tribuunt Chriſto Dei nomen, quia hoc & hominibus ſit tributum. Fatentur Dei verè Filium, quia Sacramentô Baptiſmi verè Dei* Hilar. lib. cont. Arian. & Auxent. p. 215.

filius uniſquiſque perficitur. Ante tempora & ſæcula conſitentur, quod de Angelis atque Diabolo eſt non negandum. Ita Domino Chriſto ſola illa tribuuntur, quæ ſunt vel Angelorum propria, vel noſtra. Cæterum quod Deo Chriſto legitimum & verum eſt, Chriſtus Deus verus, id eſt, eadem eſſe Filii quæ Patris Divinitas, denegatur. Et hujus quidem uſque adhuc impietatis occaſio per fraudem perficitur; UT JAM SUB ANTICHRISTI SACERDOTIBUS CHRISTI POPULUS NON OCCIDAT, DUM HOC PUTANT ILLI FIDEI ESSE, QUOD VOCIS EST. *Audiunt Deum Chriſtum; putant eſſe quod dicitur. Audiunt Filium Dei; putant in Dei nativitate ineſſe Dei veritatem. Audiunt ante tempora; putant id ipſum ante tempora eſſe, quod ſemper eſt.* SANCTIORES AURES PLEBIS, QUAM CORDA SUNT SACERDOTUM. Hæc præclarè Hilarius. Alexander verò Alexandrinus in Epiſtola ad cognominem ſuum Byzantinum, quam paulò ſuperiùs commemoravi, teſtatur Arium primoſque ejus diſcipulos, poſtquam damnati fuiſſent ab Epiſcopis Ægypti in Concilio quodam Alexandrino, quod Synodum Nicænam præceſſit, ad alios Epiſcopos Catholicos, ſimulantes, literas commendatorias impetrâſſe; quibus ſubinde uſi ſunt ad miſeros homines, quos deceperant, in errore confirmandum. ἐπιχείρησαν δὲ, (inquit,) περιδρομαῖς χρώμενοι καθ' ἡμῶν, παρεκβαίνειν πρὸς τὰς ὁμόφρονας συλλειτουργούς, σχήματι μὲν εἰρήνης καὶ ἑνώσεως ἀξίωσιν ὑποκρινόμενοι· τὸ δὲ ἀληθὲς, σπαρπάσαι τινας αὐτῶν εἰς τὴν ἰδίαν νόσον διὰ χρησολογίας ἀποδάζοντες. καὶ σφυρηλάτους γράμματα παρ' αὐτῶν αἰτοῦντες, ἵνα καθαναγινώσκοντες αὐτὰ τοῖς ὑπ' αὐτὴν ἠπατημένοις, ἀμετανοήτως ἐφ' οἷς ἐσφάλησαν κατασκευάζωσιν, ἐπιτελουμένης εἰς ἀσέβειαν, ὡς ἂν συμψήφους αὐτοῖς καὶ ὁμόφρονας ἔχοντες ἐπισκόπους. οὐχ ἅπερ γὰρ παρ' ἡμῖν πονηρῶς ἐδίδαξάν τε καὶ διεπραξάντο, ὁμολογοῦσιν αὐτοῖς, διὸ καὶ καὶ ἐξώθησαν· ἀλλ' ἢ σιωπῇ ταῦτα παραδιδόασιν, ἢ πεπλασμένοις λόγοις καὶ ἐγγράφοις ἐπισπιάζοντες ἀπατῶσιν. πιθανωτέραις γὰρ καὶ βωμολόχοις ὁμιλίαις τὸ φθοροποιὸν αὐτῶν διδασκαλίαν ἐπικρύπλοντες, σπαραπάζουσιν τὸ εἰς ἀπάτην ἐκκείμενον, διὰ ἀπεχόμενοι τοῦ καθ' ἁπάσι συκοφαντεῖν τὸ δυσέβειαν· ὅθεν συμβαίνει τινὰς τοῖς γράμμασιν αὐτῶν ὑπογράφοντας, εἰς ἐκκλησίαν εἰσδέχεσθαι· i. e. *Ipſi verò contra nos huc & illuc diſcurrentes, ad Collegas noſtros idem nobiſcum ſentientes, proficiſci inſtituerunt: ſpecie quidem pacem & concordiam expetere ſe ſimulantes; reipſa verò quoſdam eorum blandis ſermonibus in errorem ſuum traducere conantes. A quibus etiam verboſiores Epiſtolas flagitant, ut eas le-*

Apud Theodor. E. H. l. 1. c. 4. p. 10. Edit. Valeſii.

gentes hominibus quos ipſi deceperunt, eos pertinaciter in errore perſeverare faciant abſque ullo pœnitentiæ ſenſu, in impietate obduratos; quaſi qui Epiſcopos idem ſecum ſentientes ac ſibi ſuffragantes habeant. Ea porro quæ apud nos perperam docuerunt & egerunt, & quorum causâ à nobis ſunt expulſi, nequaquam illis conſitentur: ſed vel ſilentio iſta tradunt, vel fictis ſermonibus & libellis conſcriptis velantes, fucum faciunt. Probabilibus itaque & ad aſſentationem compoſitis colloquiis peſtiferam ſuam doctrinam obtegentes, ſimpliciorem quemque & fraudi expoſitum circumveniunt: neque interim parcunt pietatem noſtram apud omnes calumniari. Unde fit, ut nonnulli literis eorum ſubſcribentes, in Eccleſiam eos recipiant. Si quis autem ex Arianorum grege de fide optimi Alexandri dubitat, audiat is Arii notiſſimos fautores, nempe Euſebium Nicomedienſem & Theognim. Qui in ſuo pœnitentiæ libello apud Socratem ſcribunt, ſe Fidei quidem Nicænæ ſubſcripſiſſe, anathematiſmo verò noluiſſe ſubſcribere; & cauſam continuò ſubjungunt: οὐχ ὡς τὴν πίστεως κατηγορῆντες, ἀλλ' ὡς ἀπιστῆντες τοιοῦτον εἶναι τὸν κατηγορηθέντα, ἐκ τῆς ἰδίας πρὸς ἡμᾶς παρ' αὐτοῦ διά τε ἐπιστολῶν, καὶ τῶν εἰς πρόσωπον διαλέξεων, πεπληροφορημένοι μὴ τοιοῦτον εἶναι· i. e. *Non quòd fidem reprehenderemus, ſed quòd minimè crederemus, illum qui accuſatus fuerat, ejuſmodi eſſe: cum partim ex iis quæ ad nos per literas ſcripſerat, partim ex ejus ſermonibus coràm habitis, compertum haberemus illum talem non eſſe.* Notatu autem dignum eſt, quod obſervavit Valeſius, Euſebium illum Nicomedienſem communionem cum Eccleſia Romana ad obitum uſque retinuiſſe. Unde alterum horum neceſſariò ſtatuendum, aut Euſebium revera Arianum non fuiſſe; ſed ex nimia tantùm credulitate, quâ Arianorum profeſſionibus fidem habuerat, ſe partibus iſtis adjunxiſſe: aut Arianus cum fuerit, Eccleſiam Romanam fefelliſſe iiſdem artibus, quibus uſi ſunt cæteri Ariani. Quod poſterius longè probabilius judicabit, quiſquis Arii ad Euſebium illum, & ipſius Euſebii ad Paulinum Tyri Epiſtolas apud Theodoritum attentè legerit. Quem verò horrore non percutit hiſtoria, quam de Ario ex authenticis Conſtantini literis refert Socrates E. H. l. 1. c. 38. ὁ βασιλεὺς δὲ (inquit,) ἀπόφραν Ἀρείου ποιήσασθαι βουληθεὶς, ἐπὶ τὰ βασίλεια αὐτὸν μεταπέμπεται, ἠρώτα τε, εἰ τοῖς ὅροις στοιχεῖ τὰ ἐν Νικαίᾳ συνόδου. ὁ δὲ ἑτοίμως μηδὲν μελήσας, ἔφη αὐτῶν ὑπογράφειν τὰ περὶ τῆς πίστεως δεδογμένα σοφιζόμενος. καὶ ὁ μὲν βασιλεὺς θαυμάσας, καὶ ὅρκον ἐπέφερεν· ὁ δὲ καὶ τοῦτο σοφιζόμενος ἐποίει. τίνα δὲ τρόπον ἐτεχνάζετο γράφων, ὡς ἤκουσα, ἐξ ἰ ταῦτα·

Theodor. H. E. l. 1. c. 5. & 6.

Oper. Athan. Tom. p. 887.

ταῦτα καταγράψας, φησὶν, ὁ Ἄρειος ἐν χάρτῃ ἣν εἶχε δόξαν, τοῦ μάλης ἔφερεν· ὤμνυέ τε ἀληθῆ οὕτω φρονεῖν, ὡς ἐγγεγραμμένος εἶη. τοῦτο μὲν οὖν οὕτω γεγενῆσθαι, ἀκοῇ γράψας ἔχω· ὅτι μέντοι καὶ ὅρκον ἐπέθηκε τοῖς γεγραμμένοις, οὐκ ἐν ἐπιστολῶν τοῦ βασιλέως ἀνελεξάμην· i. e. *Imperator verò cum Arii periculum facere vellet, eum in palatium accitum interrogavit, num decretis Nicænæ fidei consentiret. Ille nihil cunctatus, alacri animo coram Imperatore subscripsit, ea quæ de fide in Concilio statuta fuerant, callidè ludificatus. Cumque Imperator admiratione captus, jurejurando insuper eum adigeret, ille per fraudem ac simulationem istud etiam præstitit. Porro fraus ac simulatio, quâ usus est in subscribendo, sicut ipse accepi, hujusmodi fuit: Opinionem suam Arius in charta conscriptam gerens, sub ala occultabat. Juravit ergo, se ex animo ita sentire uti scripserat. Atque hæc quidem ita gesta fuisse, famâ tantùm & auditione accepi. Quod verò subscriptioni etiam jusjurandum adjecerit, id ex Imperatoris Epistolis didici.* Sane nemini mirum videri debet, quòd tam detestandum perjurium mox secuta sit ultio divina eximia, qualem ibidem commemorat Socrates. Quam historiam narrant etiam alii Scriptores Ecclesiastici, cum nonnulla licet circumstantiarum diversitate.

Athanasius in libro de Synodis Arimini & Seleuciæ testatur, Georgium Laodiceæ Episcopum primum Arianis auctorem fuisse, ut verbis iisdem, quibus Catholici uterentur, impietatem suam obtegerent. Nam hæc de Georgio illo refert: πρὸς δὲ τοὺς Ἀρειανοὺς ἔγραφε· τί μέμφεσθε Ἀλεξάνδρῳ τῷ πάπᾳ λέγοντι οὐκ ἐκ τοῦ πατρὸς τὸν υἱόν; οὐ γὰρ οὐ καὶ ὑμεῖς μὴ φοβηθῆτε εἰπεῖν, καὶ οὐκ ἐκ τοῦ Θεοῦ τὸν υἱόν. εἰ γὰρ ὁ ἀπόστολος ἔγραψε, τὰ δὲ πάντα ἐκ τοῦ Θεοῦ, καί ἐστι δῆλον, ὅτι οὐκ ὄντων πεποιῆσθαι τὰ πάντα· ἔστι δὲ καὶ ὁ υἱὸς κτίσμα, καὶ τῶν πεποιημένων εἷς· λεχθείη ἂν καὶ ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ Θεοῦ ὄντως, ὥσπερ καὶ τὰ πάντα λέγεται ἐκ τοῦ Θεοῦ. ὅτι ἐκεῖνος γὰρ ἔμαθον οἱ τὰ Ἀρείου φρονοῦντες ὑποκρίνεσθαι τὸ λέξιν, τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ, καὶ λέγειν μὲν τὸ λεξιν, μὴ φρονεῖν δὲ καλῶς· i. e. *Ad Arianos scripsit: Quid expostulatis cum Alexandro Papa dicente, ex Patre esse Filium? Imò ne vos quidem reformidare debetis, Filium dicere ex Deo esse. Nam si Apostolus scripsit cuncta ex Deo esse, & certum est, cuncta ex non entibus ad essentiam producta & facta esse, Filiumque creaturam esse & unum ex rebus conditis; rectè ad eum modum dici potest, Filium ex Deo esse, quemadmodum omnia ex Deo esse dicuntur. Ex hoc homine didicere Ariani simulanter agnoscere hoc dictum,* ex Deo esse, *& verba quidem pronunciare, sed tamen ut animô malè sentiant.*

Oper. Athan. Tom. 1. p. 887.

Cæterum ex voce ὁμοούσιος, à Nicænis Patribus sancitâ, maximè speciosam πρόφασιν sumpsisse videntur Ariani. Nimirum querebantur Sophistæ, se ob unius voculæ rejectionem, quæ nusquam in Scripturis inveniretur, quæque adeo periculosos sensus haberet, à Patribus Nicænis damnatos; cum alioquin in nulla re ab antiqua & Catholica fide recesserint. Cui ipsorum professioni facilè credentes multi non modò ex plebe, sed ex Episcopis Catholicis, dextram ipsis Christianæ societatis & communionis ultro porrexerunt: quin & eos Episcopos Catholicos, qui Arianæ perfidiæ gnari, τῷ ὁμουσίῳ mordicus adhæserunt, aversati sunt, sive tanquam homines contentiosos & λογομαχίαις deditos, quique pacem Ecclesiasticam levi de causa perturbarent; sive etiam tanquam heterodoxos, qui sub voce hæreticam sententiam occultarent. Quotcunque autem quâcunque de causa Homousii vocem reprobârunt, etiamsi quoque sensum vocabuli Catholicum, quem intenderunt Nicæni Antistites, ex animo agnoverint, (qui perplures fuere,) ii omnes vulgò Arianis partibus accensebantur. Hâc imprimis de causa pro Ariano habitum fuisse à plerisque Eusebium Cæsariensem arbitror: nempe quòd *Homousion* etsi nunquam simpliciter improbaverit, imò quo sensu vox à Patribus Nicænis usurpata fuit, probaverit semper, Eustathium tamen & alios magni nominis Catholicos, quos putavit ad Sabellianismi patrocinium vocabulum adhibuisse, palam oppugnaverit. Vide quæ è Socrate observavimus Sect. 2. cap. 1. n. 8. Quid? quòd ipsum Constantium Imperatorem, qui Homousii defensoribus infensissimus fuit, revera Catholicum semper fuisse, disertè testetur Theodoritus E. H. l. 3. c. 3. εἰ γὰρ (inquit,) καὶ τὸ ὁμοουσίῳ τὸ πρόσρημα βεβλημένος ὑπὸ τῶν ἀγόντων αὐτὸν ὁ Κωνσάντιος ἐβδελύττετο, τὴν γοῦν τούτου διάνοιαν ἀκραιφνῶς ὡμολόγει. γνήσιον γὰρ υἱὸν πρὸ τῶν αἰώνων ἐκ τοῦ πατρὸς γεγεννημένον τὸν Θεὸν λόγον ὠνόμαζε, καὶ τοὺς κτίσμα λέγειν τολμῶντας, ἀντικρὺς ἀπεκήρυττεν· i. e. *Etsi enim Constantinus, deceptus ab iis quibus se regendum permiserat,* consubstantialis *vocabulum non admisit, sensum tamen ejus sincerè confessus est. Deum enim Verbum, verum ac germanum Filium ante omnia sæcula ex Patre genitum appellavit, eosque qui creaturam illum vocabant, palam damnavit.* Theodoriti autem de Constantio testimonium non parum confirmant summa præconia, quibus eundem Imperatorem exornat Gregorius Nazianzenus in priori Invectiva adversus Julianum; ubi inter alia ipsum Theologus appellat θειότατον βασιλέων, καὶ φιλοχριστότατον, *Imperatorum divinissimum,* p. 63.

Theodor. H. E. l. 1. c. 5. & 6.

nissimum, Christique amantissimum. Quas laudes in Constantium nunquam certè congessisset Nazianzenus, utpote qui Vir fuit apprime Catholicus, & Arianorum hostis professus, si Arianam impietatem revera imbibisse ipsum putâsset. Accedit, quòd fidei Confessiones, quæ ab Arianis Conciliabulis sub Constantio congregatis editæ fuere, pleræque omnes eandem fidem verbo tenus profiteantur, quæ in Nicæna Synodo sancita fuerat, nisi quod *Homousii* vocem omittant. Nimirum probè nôrunt Sophistæ, pium & Catholicum Imperatoris animum impia ipsorum placita, si simpliciter & sine fuco proponerentur, nequaquam ferre potuisse. Itaque qui summus erat patronus Arianorum, semper genuina Arii placita ex animo detestatus est: qui verò rursus Catholicorum acerrimus persecutor fuit, Catholicam revera fidem ac sententiam semper ipse retinuit. Scilicet hoc tantum prodigium ut in orbe Christiano conspiceretur, effecit Arianorum fraudulentia, à Viris bonis nunquam satis detestanda. Fraudem partim exponit Elias Cretensis in Com-
p. 813. ment. in Greg. Naz. Orat. his verbis: *Imperator ab Hæreticis abstractus, impiis adversus pios licentiam dabat, atque adversus orthodoxam doctrinam leges statuebat. Nam cum Ariani subdolè ac malignè* consubstantialis *locô* æquisubstantiale, (sic Græcam vocem ὁμοιούσιον vertit Elias,) *inducerent, in eorum sententiam Imperator etiam ipse concedit, scribitque idem esse* æquisubstantiale, *quod* consubstantiale, *nec ad pietatem quicquam detrimenti afferre. Quod quidem certè à recta doctrina haudquaquam alienum est (neque enim quod simile est, idem est cum eo, cui simile est; verùm partim æquale, partim inæquale,) modò piè intelligeretur, nempe, ut unà cum eo vocabulo hæc verba intelligantur, sine ulla omnino diversitate. Hinc porro liberam potestatem consecuti Hæretici,* consubstantialis *vocem abdicant, &c.* Sed vafras artes, quibus in sua impietate propaganda usi sunt Ariani, si plenè explicare vellem, libri Epilogus in alium librum excresceret. Quare hîc finem facio. Ex iis quæ in hoc Opere disseruimus, perspicuum est, Fidem Nicænam esse τῇ ἅπαξ παραδοθείσαν τοῖς ἁγίοις πίστιν, *fidem quæ* Jud. v. 3. *semel tradita est sanctis*, adeoque in Ecclesia Christi Catholicâ semper religiosè conservata. Itaque pro hac fide, ut Viros decet zelô Dei accensos, fortiter decertemus; inque ipsâ ad extremum usque vitæ halitum constanter perseveremus. Quod faxit Deus.

Sanctissimæ atque individuæ Trinitati, Deo Patri, Filio, & Spiritui sancto, sit laus, gloria & honos omnis in Sæcula Sæculorum. Amen.

FINIS.

INDEX THESIUM
IN
HOC OPERE
Demonſtratarum.

Sect. 1. *De Filii* τῇ περιυπάρξει.

THESIS.

JEſum Chriſtum, hoc eſt, eum, qui poſtea Jeſus Chriſtus dictus eſt, ante ſuam ἐνανθρώπησιν, ſive ex beatiſſima Virgine ſecundum carnem nativitatem, in natura altera, humanâ longè excellentiori, extitiſſe; ſanctis Viris, velut in præludium incarnationis ſuæ, apparuiſſe; Eccleſiæ, quam olim ſanguine ſuo redempturus eſſet, ſemper præfuiſſe ac proſpexiſſe; adeoque à primordio omnem ordinem divinæ diſpoſitionis, ut loquitur Tertullianus, per ipſum decucurriſſe; quin & ante jacta mundi fundamenta Deo Patri ſuo adfuiſſe, perque ipſum condita fuiſſe hæc univerſa, Catholici Doctores trium primorum ſæculorum uno omnes ore docuerunt. p. 7.

Sect. 2. *De Filii* τῷ ὁμοουσίῳ.

THESIS.

Filium Dei Deo Patri ὁμοούσιον *ſive* Conſubſtantialem, *hoc eſt, non creatæ alicujus aut mutabilis eſſentiæ, ſed ejuſdem prorſus cum Patre ſuo naturæ divinæ & incommutabilis, proinde Deum verum de Deo vero eſſe, Catholicorum Doctorum, qui tribus primis ſæculis floruerunt, conſtans concorſque fuit ſententia.* p. 25.

Sect. 3. *De Filii* τῷ συναϊδίῳ.

THESIS PRIMA.

Doctorum, qui Concilium Nicænum anteceſſerunt, potior & major pars conſequenter Filii τὸ συναΐδιον, *id eſt, coæternam cum Deo Patre exiſtentiam, ſine ambagibus, apertè, clarè ac perſpicuè docuerunt & profeſſi ſunt.* p. 174.

THESIS SECUNDA.

Nonnulli ſunt Scriptores Catholici, Synodo Nicæna antiquiores, qui videntur Filio Dei, etiam quà Deus eſt, nativitatem tribuiſſe quandam, quæ aliquando cœperit, & mundi creationem proximè anteceſſerit. Sed & iſti longiùs ab Arii ſententia abhorruerunt. Nam ſi dicta eorum accuratiùs expendantur, apparebit de nativitate ipſos locutos non verâ & propriè dictâ, quâ nempe Filius ὑποστάσεως *& ſubſiſtentiæ ſuæ initium acceperit; ſed de figurata & metaphorica: hoc eſt, illud tantùm voluiſſe,* τὸν λόγον, *qui ante omnia ſæ-*

cula (cum nihil præter Deum esset,) in & cum Deo Patre extitit, ut æternæ ipsius mentis coæterna progenies, ex ipso Deo Patre, tum cum mundum conditurus esset, κατ' ἐνέργειαν prodiisse & progressum esse ad constituendum universa, seque Patremque suum creaturis manifestandum: atque ob hance προόλευσιν & manifestationem, Dei Filium & primogenitum in Scripturis dici. p. 203.

THESIS TERTIA.

Patrum primævorum, quos proximè commemoravimus, sententiam, seu potiùs modum, quô sententiam suam explicârunt, Catholici quidam Doctores, qui post exortam controversiam Arianam vixerunt, seque Ariomanitarum hæresi fortiter opposuerunt, non refugêre. Nam & ipsi illam τὸ λόγον, semper apud Deum Patrem existentis, ex Patre progressionem (quam & συγκατάβασιν, hoc est Condescensionem, *eorum nonnulli appellârunt,) ad condendum hæc universa agnovere, atque ejus etiam progressionis respectu ipsum τὸν λόγον à Deo Patre quasi natum fuisse, &* omnis creaturæ primogenitum *in Scripturis dici confessi sunt.* p. 224.

THESIS QUARTA.

Tertullianus quidem alicubi ausus est disertè scribere, fuisse tempus, quando Filius Dei non esset. Sed primò, constat Scriptorem illum, cæteroquin ingenii magni & paris eruditionis, ab Ecclesia Catholica ad hæresim defeciisse: & valde incertum est, quos Catholicus, quos in hæresim inclinans, quos demum planè hæreticus libros conscripserit. Deinde videtur Tertullianus protulisse istud effatum ἀγωνιστικῶς & in certamine cum adversario, ludens in vocabulo Filii: *ita ut, cum Filii æternitatem absolutè negâsse videatur, revera tamen nihil aliud voluerit, quàm quod voluerunt Patres, quos antea commemoravimus; nempe personam illam divinam, qui Filius Dei appellatur, quanquam nunquam non extiterit apud Patrem, Filium tamen tum primùm declaratum fuisse, quando ex Patre processerit ad constituendum universa. Certè idem Tertullianus alibi multis in locis planè Catholicè, si dogmatis τὸ ὑπερέχον spectemus, de Filii τῷ σωταϊδίῳ philosophatus fuit. Ad Lactantium quod attinet, qui etiam alicubi Filio Dei non obscurè initium existentiæ tribuit, levis est ejus in Ecclesia Dei existimatio & auctoritas; siquidem sacrarum literarum & doctrinæ Christianæ penè rudis fuit. Deinde necessariò statuendum, aut loca illa Scriptorum Lactantii, quæ contra Filii æternitatem facere videntur, ab Hæretico aliquo Manichæo depravata; aut certè ipsum Lactantium Manetis hæresi infectum fuisse. Demum & ipse tamen alibi saniorem de æternitate τὸ λόγε sententiam tradidit.* p. 234.

Sect. 4. *De Subordinatione Filii ad Patrem.*

THESIS PRIMA.

Decretum illud Synodi Nicænæ, quô statuitur, Filium Dei esse Θεὸν ἐκ Θεοῦ, Deum de Deo, *suô calculô comprobârunt Doctores Catholici, cum qui ante, tum qui post Synodum illam scripsere. Nam illi omnes uno ore docuerunt, naturam perfectioneque divinas Patri Filioque competere non collateraliter, aut coordinatè, sed subordinatè: hoc est, Filium eandem quidem naturam divinam cum Patre communem habere, sed à Patre communicatam; ita scil. ut Pater solus naturam illam divinam à se habeat, sive à nullo alio; Filius autem à Patre; proinde Pater Divinitatis, quæ in Filio est, fons, origo ac principium sit.* p. 251.

THESIS SECUNDA.

Catholici Doctores, tum qui Synodo Nicæna anteriores fuere, tum qui postmodum vixerunt, unanimi consensu Deum Patrem etiam secundum Divinitatem Filiô majorem esse statuerunt: nempe non naturâ quidem, aut perfectione aliqua essentiali, quæ in Patre sit, & non in Filio; sed auctoritate solâ, hoc est, origine; quoniam à Patre est Filius, non à Filio Pater. p. 258.

THESIS

INDEX.

THESIS TERTIA.

Doctrinam de Subordinatione Filii ad Patrem, ut ad ſui originem ac principium, ideo cognitu crediuque perutilem ac planè neceſſariam eſſe antiqui Doctores exiſtimârunt, quòd hac imprimis ratione ita Filii Divinitas adſeratur, ut nihilominus Dei unitas, & Monarchia divina ſarta tecta conſervetur. Scilicet quamvis duobus, nempe Patri & Filio, Dei nomen & natura communis ſit; tamen quoniam alter alterius eſt principium, à quo propagatur, idque interiori productione, non externâ; fit, ut Deus eſſe unicus meritò dicatur. Quam rationem pariter ad Spiritus ſancti Divinitatem pertinere, priſci illi crediderunt. p. 280.

ELENCHUS CAPITUM
cujuſque Sectionis.

PROOEMIUM,

In quo occaſio, inſtitutum, ac diſtributio univerſi operis proponitur. pag. 1.

Sect. 1. *De Filii* τῇ περιπάξξι,

SIVE,

Præ-exiſtentiâ ante B. Mariam, adeoque ante conditum mundum, & de creatione mundi per ipſum.

CAP. I.

Theſis proponitur, ejuſque pars prior, de Filii præ-exiſtentia ante B. Mariam, demonſtratur. p. 7.

CAP. II.

Confirmatur Theſis pars altera, de Filii præ-exiſtentia ante conditum mundum, & de omnium creatione per ipſum. p. 15.

ANNOTATA

Ad Cap. 2. §. 2. de S. Barnaba. p. 21.
Ad §. 5. de S. Herma. p. 24.

Sect. 2. *De Filii* τῷ ὁμοσίῳ,

SIVE

Conſubſtantialitate.

CAP. I.

Theſis proponitur. Vox ὁμοούσιος *fusè explicatur. Patres Nicæni in eo, quòd vocabulo iſto ad explicandam Filii veram Divinitatem uſi ſint, à* καινοφωνίας *ſuſpicione liberantur.* Αντιλογία *Synodorum Antiochenæ contra Paulum Samoſat. & Nicænæ contra Arium conciliatur. Ab Hæreticis* τὸ ὁμοούσιον *acceptum non fuiſſe oſtenditur. Capita argumentorum, quibus Ante-Nicæni Doctores* τὸ ὁμοούσιον *confirmârunt, breviter recenſentur.* p. 25.

CAP. II.

Doctrina Auctoris Epiſtolæ, quæ Barnabæ dicitur, Hermæ, ſive Paſtoris, & Ignatii Mar-

INDEX.

Martyris, de vera Filii Divinitate, explicatur. p. 37.

Annotata *ad Cap.* 2. §. 1. *de S. Barnaba.* p. 44.
Ad §. 2. *ſeqq. de S. Herma.* p. 46.
Ad §. 6. *de S. Ignatio.* p. 47.

CAP. III.

Clemens Romanus & Polycarpus ab Auctoris Irenici & Sandii calumniis obiter vindicantur. p. 48.

Annotata *ad Cap.* 3. §. 3. *ſeqq. de S. Clemente Romano.* p. 60.
Teſtimonia pro Deitate Chriſti adducta ex Teſtamentis XII. *Patriarcharum.* p. 64.

CAP. IV.

Exponitur ſententia Juſtini Martyris, Athenagoræ, Tatiani, Theophili Antiocheni. Atque obiter fides de S. Trinitate Chriſtianorum Luciani ætate, ex ipſo Luciano declaratur. p. 65.

Annotata *ad Cap.* 4. §. 1. ſeqq. *de S. Juſtino M.* p. 75.
Ad §. 10. *de Tatiano & Theophilo Antioch.* p. 76.

CAP. V.

Declaratur Irenæi doctrina de Filio Dei, Nicænam fidem apertiſſimè confirmans. p. 77.
Annotata *ad Cap.* V. *de S. Irenæo.* p. 84.
De Melitone p. 86.

CAP. VI.

S. Clementis Alexandrini luculentiſſima teſtimonia de vera ac ſumma Filii Divinitate, adeoque de integra SS. Trinitate ὁμοουσίῳ, proferuntur. p. 87.

Annotata *ad Cap.* VI. §. 2. *ſeqq. de Clemente Alexandrino.* p. 92.

CAP. VII.

Tertulliani ſententia de Filii τῷ ὁμοουσίῳ, cum Nicæna fide omnino conſpirans, explicatur. p. 93.

CAP. VIII.

Confirmatur Nicæna fides, de Filii τῷ ὁμοουσίῳ, teſtimoniis Caii Presbyteri, & S. Hippolyti celeberrimi Epiſcopi & Martyris. p. 98.

Annotata *ad Cap.* VIII. §. 1, & 2. *de* Cajo & S. Hippolyto. p. 102.

CAP. IX.

Origenis doctrinam, de Filii Dei vera Divinitate omnino Catholicam, & Nicæna fidei planè conſonam fuiſſe, præcipuè ex indubitato ejus, & maximè incorrupto, atque ab ipſo jam ſene accuratiori diligentia elucubrato opere contra Celſum, fusè & luculenter oſtenditur. p. 105.

CAP. X.

De Cypriani Martyris, Novatiani, ſive Auctoris libri de Trinitate inter opera Tertulliani, nec non Theognoſti fide ac ſententia. p. 131.

Annotata *ad Cap.* X. §. 1. *ſeqq. de S. Cypriano & Novatiano.* p. 137.

CAP. XI.

In quo conſenſus cum Patribus Nicænis Dionyſiorum, Romani & Alexandrini, declaratur. p. 141.

Annotata *ad §.* 5, & 6. *de Dionyſio Alexandrino.* p. 150.

CAP. XII.

De ſententia & fide Viri celeberrimi Gregorii Thaumaturgi, Neocæſareæ in Ponto Epiſcopi. p. 151.

Annotata *ad §.* 4. *de Gregorii Thaumaturgi Confeſſione fidei.* p. 157.

CAP. XIII.

Sententia de Filii τῷ ὁμοουσίῳ ſex Epiſcoporum Antiocheni Concilii, qui ad Paulum Samoſatenſem Epiſtolam ſcripſere, nec non Pierii, Pamphili, Luciani & Methodii Martyrum, Catholica, & Nicænæ fidei planè conſona fuiſſe oſtenditur. p. 158.

Annotata *de S. Luciano Martyre, & S. Methodio.* p. 167.

CAP. XIV.

Sententia ac fides, de vera Filii Divinitate, Arnobii Afri & Lactantii declaratur. Sectio Secunda de τῷ ὁμοουσίῳ brevi Epilogô concluditur. p. 168.

Annotata *de S. Petro, Epiſcopo Alexandrino & Martyre.* p. 172.

Sect. 3.

INDEX.

Sect. 3. *De Filii* τῷ συναϊδίῳ,

SIVE

Coæterna cum Deo Patre exiſtentia.

CAP. I.

Connexio Sectionis tertiæ cum præcedente. Proponitur de Filii æternitate Theſis prima. Quæ primùm diſertiſſimis Ignatii, Viri Apoſtolici, teſtimoniis confirmatur. Nobilis ejuſdem locus in Epiſtola ad Magneſios luculenta explicatione illuſtratur. Gnoſtici Arianorum Parentes. p. 173.

CAP. II.

Juſtini Martyris, Irenæi, & Clementis Alexandrini doctrina, de Filii æternitate, explicatur. p. 187.

Annotata *ad §. 1. ſeqq. de S. Juſtino Martyre.* p. 191.

Ad §. 4. de Irenæo. p. 192.

CAP. III.

Origenis de Filii τῷ συναϊδίῳ luculentiſſima ſuffragia adducuntur. p. 193.

CAP. IV.

Decretum Nicænorum Patrum de Filii coæterna cum Patre ſuo exiſtentia, diſertiſſimis Cypriani, Dionyſiorum Romani & Alexandrini, Gregorii Thaumaturgi, ſex Epiſcoporum, qui ex Antiochena Synodo ad Paulum Samoſatenum ſcripſere, Theognoſti, Methodii, Pamphili Martyris atque Arnobii teſtimoniis confirmatur. p. 197.

CAP. V.

Proponitur Theſis ſecunda de Patribus illis, qui Filii æternitatem, cum negâſſe videantur, revera tamen confeſſi ſunt. Athenagoræ ſententia de Filii τῷ συναϊδίῳ accuratè explicatur. p. 203.

CAP. VI.

Tatiani doctrina de Filii æternitate fusè declaratur. p. 209.

CAP. VII.

Theophili Antiocheni ſententia ac fides de Filii æternitate, in ſummâ rei, ſana, Catholica, & Nicænæ fidei conſona fuiſſe perſpicuè oſtenditur. p. 214.

CAP. VIII.

S. Hippolyti Martyris, & Novatiani, ſive Auctoris libri de Trinitate inter opera Tertulliani, doctrina de Filii τῷ συναϊδίῳ declaratur. p. 219.

CAP. IX.

Proponitur de Filii τῷ συναϊδίῳ Theſis tertia, quâ ſententia Patrum Ante-Nicænorum, de quibus in 4 proximè præcedentibus capitibus actum eſt, teſtimoniis Catholicorum Doctorum, qui poſt exortam controverſiam Arianam vixere, ampliùs illuſtratur. p. 224.

CAP. X.

Theſis quarta. Examinatur Tertulliani, nec non Lactantii de Filii æternitate doctrina. Sectio tertia concluditur. p. 234.

INDEX.

Sect. 4. *De Subordinatione Filii ad Patrem, ut ad ſui originem ac principium.*

CAP. I.

Proponitur Theſis prima, de Subordinatione Filii ad Patrem, ut ad ſui originem ac principium. Quæ & unanimi Veterum conſenſu confirmatur. Oſtenditur, locutionem illam quorundam Neotericorum, quâ Filium dicunt αὐτόθεον, hoc eſt, à ſeipſo Deum, ſententiæ Synodi ipſius Nicænæ, adeoque Catholicorum Doctorum omnium, tum qui ante, tum qui poſt iſtam ſcripſere Synodum, prorſus repugnare. p. 251.

Annotata *ad §.* 10. p. 257.

CAP. II.

Proponitur & confirmatur Theſis ſecunda, quâ oſtenditur, Veteres uno ore docuiſſe, tum Deum Patrem, eò quòd origo & principium ipſius ſit, Filiô majorem eſſe, tum κατὰ φύσιν æqualem eſſe Patri Filium. p. 258.

CAP. III.

Objectioni adverſus ea, quæ in præcedenti Capite diſputata ſunt, ex iis Veterum locis, in quibus Filii Dei immenſitatem atque inviſibilitatem negâſſe videantur, petitæ, latè reſpondetur. 267.

CAP. IV.

Proponitur Theſis tertia, quâ uſus Doctrinæ de Subordinatione Filii explicatur. p. 280.

Epilogus Operis Univerſi. p. 290.

FINIS.

ERRATA à benevolo Lectore corrigenda.

In Defensione Fidei Nicænæ.

PAG. 139. col. 1. l. ult. τὸν χειροποίητον p. 155. col. 2. lin. 48. *Basilii* p. 195. col. 1. l. 45. *quando non omnipotens*

In Harmonia Apostolica.

Pag. 4. col. 1. l. 53. lege *nonnulla exemplaria* p. 10. col. 1. l. 28. lege 4. 24. p. 11. col. 1. l. 46. dele *vel potius causam principalem.* ibid. col. 2. l. 11. lege *Spiritu sancto* p. 16. col. 2. l. 44. lege, *citato ad inferiorem oram paginæ* 89. *scripsitq; ibidem* per p. 19. col. 1. l. 28. *pleroſque, non* p. 37. col. 2. l. 10. *qui hôc noſtrô* ibid. l. 12, 13. *tamen hoc eò rapi* p. 38. col. 2. l. 41. *a Paulo* ibid l. 43 à *Jacobo*

In Examine Censuræ.

Pag. 13. col. 2. l. 22. *Reformatos* p. 56. col. 1. l. 36. *fiducia* ibid. l. 37. *fiduciâ* ibid. col. 2. l. 52, 53. *noſtro, noſmet* p. 105 col. 2. l. 46. *ſolam fidem,* ibid. l. 57. *quod*

Directions to the Bookbinder.

1ſt. *The General Title, Mr.* Grabe's *Præface, and the Subſcribers Names.*
2d. Defenſio Fidei Nicænæ.
3d. Judicium Eccleſiæ Catholicæ, *&c.*
4th. Primitiva et Apoſtolica Traditio, *&c.*
5th. Harmonia Apoſtolica, *&c.*
6th. Examen Cenſuræ.
7th. Apologia pro Harmonia, *&c.*
8th. Errata, *with Directions to the Bookbinder.*
9th. Index Textuum Scripturæ.
10th. Index Rerum.

Index Textuum S. Scripturæ, qui in hoc Volumine vel explicantur, vel illuſtrantur.

Confectus unà cum ſequenti, à *Samuele Graſcome*, Anglic. Eccl. Presbytero.

Cap.	Verſ.	pag.
	Geneſis	
1	1	166 D
	3	240 D
	26	107 D
18	17,18,19	92 H
19	24	259 D
22	16,17,18	92 H
	Exod.	
3	14	188,210D
23	20	11 D
24	5,6,7	18,19E
	Numer.	
25	11	12 H
	Deuteron.	
6	16	12 D
29	1	77 H
30	6	77 H
	Lib. Reg. I.	
14	18	53 H
	Lib. Reg. II.	
8	46	55 H
23	35	53 H
	Job	
22	12	101 H
25	4,5,6	20 H
	Pſalmi	
1	1,2,&c.	47 A
2	7	41J.188, 194,200 D
5	6	83 E
19	6,7	101,102E
31	1	15 H
	5	26 A
45	6	67 D
	10	131 D
73	13	5 H
102	26	42 J
106	31	12 H
143	2	20 H
148	5	107 D
	Proverbia Salomonis	
16	7	16 H
17	15	3 H
31	10	101H
	Sapientia.	
8	15	13 D
	Eccleſiaſticus	
18	22	5 H
24	3	230 D
	Iſaias	
1	16,17,18	8 H
37	4	131 D
47	14,15	131 D
53	11	5,43 H

Cap.	Verſ.	pag.
	Jeremias.	
3	1,2,7,12,&c.	85E
31	33	78 H
	Ezechiel.	
18	5	12 H
	19,20,22, 24,27	15H83E
33	14,15,16	8 H
	Daniel	
4	24	10 H
12	3	5 H
	Hoſeas.	
13	9	55 A
	Joel.	
2	12,13	22 A
	Michæas.	
3	4	49A
	Evangelium Matthæi.	
4	10	29 D
5	19	105 H
	20	18,49. 105 H
6	9	271 D
	14,15	26 A
11	28,29	9 H
12	37	3 H
19	16	15 H
22	37	10 E
	42,43,44,45	12 J.
	Marci	
1	4	18 A
	Lucæ.	
1	6	12 H
	35	37J.242D
7	43	26 A
11	41	26 A
17	10	19 H
18	12	104 H
	13,14	23 E
22	32	
24	47	19A.36A
	Johannis	
1	1	14 J. 164 178 D
	3	15 J
	10, 11	15 J
	14	15 J 36 J
	17	76 H 15 J
	18	90,178 D
	19	277 D
3	5	19 H
5	18	19 H
	22,23	37 P
	27	37 P
	39	75 H

Cap.	Verſ.	pag.
6	44	55 A
	53	19 H
	61,62	64 J
10	35,36	39,40 J
	37,38	40 J
13	17	16 H
14	21	8 H
	23	8 H
15	10	33 H
16	27	15 H
17	3	254D
	4, 5	42 P
	Acta Apoſt.	
2	38	9 H
3	19	9 H 19 A
8	22	19 A
9	14	35 P
10	34,35	9 H
	42	
13	28,29	58H88E
15	1	6 H
	11	6 H
17	23	26 J
	31	75 H
26	17,18	24 E
	Ep. ad Romanos.	
2	11,12	26 H
	13	41 H
3	7	26 A
	20	4,49 H
	21	13 H
	24	6 H
	25	71 E
	28	31 H
4	5	29 H
	6,7,8	23 E
	12,13	90 E
	25	5 H
5	28	13 E
	19	4 E
6	3	83 E
	4	14 H
	7	5 H
	13	13 H
	16	42 H
	18	13 H
	7	60,61 H
	5	9 E
	16	78 A
8	7	74 A
	33	3 H
9	5	283 D
	15	55 A
10	3	13 H
	5,6,7	44 H
	9,10	61 J
	11	43 H
	13	43H35 D
	14	43 H
	I. Ad Corinthios	
1	23,24	63 J
2	30	42 E
3	3	73 A

Cap.	Verſ.	pag.
4	4	25 H
6	9,10	82 E
	11	3,16 H
	20	36 E
7	19	40 H
8	6	112D61 J
10	9	11 D
13	13	11 H
15	34	63 J
	24	228 D
	45	38 J
	II. Ad Corinthios.	
1	6	9 E
3	3	76 H
4	12	9 E
5	15	39 E
	21	
	Ad Galatas.	
3	2	80
	10	50,53 H
	12	14 E
	12	71 H
	18	46 H
	21	13,71 H
4	8	30P.62. J
	24	101 E
5	6	40 H
	17	67,68
	19,20,21	82 E
6	2	19 H
	16	40 H
	Ad Epheſ.	
2	8	14,83 H
3	20	9 E
5	19	8 P
	Ad Philipp.	
2	6	38P37D
3	9	14,82 H
	Ad Coloſs.	
1	15	212 D
	16,17,18	45 J
	29	9 E
2	8	28 P
3	14	10 E
	I. Ad Theſſal.	
2	13	9 E
	II. Ad Theſſal.	
2	7	9 E
	I. Ad Timoth.	
3	16	188 D
	II. Ad Timoth.	
1	9	42 P
	Ad Titum.	
2	11,12,13	87 D
3	6,7	16,83H

Cap.	Verſ.	pag.
	Ad Hebræos.	
1	1,2,3	41 P 11D43J
6	13,14,15	92 H
9	14	19D
10	14	9H
11	3	42 J
	4	42 J
	7	6H
	8	33H
	Jacobi	
1	22	42 H
2	10	52H
	12	
	13	10H
	14	33H
	19	34H
	26	35H
4	8	71H
5	10	9E
	14,15	27A
	20	26A
	1ma Petri	
1	2	9H
	13,14	101H
2	24	5H
3	21	23A
4	8	26A
	2da Petri	
1	10	19H
	4	45H
3	18	82B
	1ma Johannis	
1	1,2,3,	16J
	7	9H
	8	56H
	10	56H
2	1,2	85B
	22	16J
	23	42P.15J
		84J
3	3	44H
	7	13H
	8	83E
	19,20,21	23H
4	2,3	17J
	15	18J
5	7	132D
	Apocalypſis	
1	9	131D
2	5	85E
	20,21,22	86
3	9	178D
5	9	40
	12	43
14	6,7	62
19	10	30.31
21	7	197
22	9	31
	11	4
	14	25

RERUM & VERBORUM

In hoc Volumine Contentorum

Index Generalis.

Quoniam verò Paginarum numeri continuâ ſerie ſive progreſſu per totum Volumen non excurrunt, ſed ab initio cujuſq; libri ſive Tractatûs rurſus incipiunt, obſervandum eſt, quod litera H. Harmoniam Apoſtolicam. E. Examen Cenſuræ. A. Apologiam pro Harmoniâ. P. Primitivam & Apoſtolicam Traditionem, &c. D. Defenſionem Fidei Nicænæ. J. Judicium Eccleſiæ Catholicæ, &c. denotet.

A

ABRAHAM quomodo juſtificatus, 86, 87. H. res, quæ Abrahamo in juſticiam imputata, fuit fides indeq; nata obedientia, 87. H. nulla illi gloriandi materia. ibid. Ante vocationem fuit Idololatra, 88. H. quam diverſo reſpectu Paulus & Jacobus eum conſiderent. 89. H.

Abſolutio Liturgica quâ conditione pronuncietur. 40. A.

Adami nobilitas ex genitura. 37. I.

Althæmeri blaſphemia. 2. H.

Ambiguitates & doli in diſputationibus Theologo indigni. 45. E.

Anabaptiſtæ negant ſemel juſtificatos poſſe amittere Spiritum Sanctum. 117. H.

ἀναμάρτησις in ſolam Dei naturam cadit. 124. D.

Angelis an cultus divinus exhibitus ſub V. T? 31, 32. P. Filius Dei, Angelus fœderis, per Angelos vel Angelicas repræſentationes ſæpius cum hominibus ſub V. T converſabatur, ibid. iſtæ apparitiones præludia incarnationis; unde incarnato Chriſto ceſſârunt, & cultus iſte ſub V. T exhibitus. ibid. in cultu Chriſto & Angelis exhibito triplicem differentiam agnoſcunt Adverſarii, 32, 33. P. cur Filius Dei ſub V. T. apparens Angeli nomine ſignificetur. 9, 10. D. Angelus Moſi in rubo apparens quis fuit, 10, 11. D. ratio, quâ adducti Patres crediderunt eſſe filium Dei, qui ſub V. T. Angelicâ repræſentatione apparuit. 10, 11. D. huic Sententiæ favet Scriptura Novi Teſtamenti. 11, 12. D. de re eadem Philonis ſententia. 12, 13. D. item Rabbinorum. 14. D. Angeli non adorandi. 70, 71. D. apparitiones ſub V. T. quando Angelis, quando Filio Dei tribuendæ. 278. D.

Anima humana non capax talis illuminationis ut omnia ſciat, 33. P. anima primi hominis unde. 126. D. de animæ humanæ origine diverſæ opiniones. ibid.

de Antichriſto conjecturæ inanes. 220. P.

Antinomi unde errorem ſuum hauſerunt. 18. H. eorum errores de juſtitia fidem antecedente. 38. E.

Antitheſis Pauli & Jacobi. 31. H. antitheſes Sacræ Scripturæ non rigidè urgendæ. 40. E.

Antitrinitarii quàm variè Scripturas Chriſtum Deum prædicantes impugnant & eludunt. 1. P. Johannem Evangeliſtam Platoniſmi incuſant. 28. P. Petavium ſuæ cauſæ Patronum vendicant. 4. D. Scripta ipſa Apoſtolica ſuſq; deq; habent. 41, 42. D. cur Filii divinitatem oppugnandam ſibi in primis ſelegerunt. 57. J.

Apologia Pamphili Martyris & Euſebii pro Origene genuina contra Hieronymum alioſq; probatur. 125, 126. D.

Apologiſtæ primævi neceſſe habuere Chriſtianos ab ἀνθρωπολατρείας crimine ipſis ab Ethinicis intentato vindicare. 3. P.

Arianorum evaſiones & ſubterfugia. 34. D. iidem vocabulo ὁμοούσιον, eò quòd ipſo ſtrictè tenentur, infenſiſſimi. 34, 35. D. phraſin μιθ' ὃ non ferunt, ſed in δι' ὃ immutant. 51. D. Arianorum duæ Claſſes. 115, D. Ariani hæreſin ſuam à Gnoſticis hauſerunt. 184, D. λόγον duplicem ſtatuunt. 198, D. Arii varia dogmata peſtifera. ibid. Semi-Arianorum dogma. 231, D. Arianæ hæreſeως capita primaria. 245, D. Arianorum artes, quibus ſuum venenum ſparſerunt. 293, 294, D. de Ario ejuſq; perfidia hiſtoria. 294, 295, D. Arianis Auctor primus fuit Georgius Laodiceæ Epiſcopus, ut Catholicorum verbis impietatem ſuam tegerent. 295, D. Arii propria dogmata in antiquiſſimis hæreticis ab Eccleſia olim damnata. 29, I. Ariani ἀυτηκατάκριτοι, fruſtráq; crepant ſe ab antiquo fidei Canone non receſſiſſe. 58, 59, I.

Ariſtotelis ſilentium de immortalitate Animæ. 74, H.

Articuli undecimi Eccleſiæ Anglicanæ explicatio. 104, 105, E. Articuli ſinguli Symboli Apoſtolici Apoſtolorum temporibus coævi, & Sacris Scripturis conſentanei probantur. 62. &c. I.

Aſtrologorum vanitas, & ex Aſtrologia periculum. 100, H.

Auguſtini dictum (*bona opera ſequuntur juſtificatum, non præcedunt juſtificandum*) quomodo intelligendum. 38, 39, H.

Author contra D. Tullii accuſationes ſe purgat. 7, 8, A. Authoris confeſſio viro Chriſtiano digniſſima. 12, 13, A. juventutem exprobranti reſpondet. 60, A.

Αὐτὸς ἐγὼ, quomodo phraſis iſta latinè vertenda. 82, A.

B

BAptiſmus, ubi haberi poteſt, neceſſariò præter fidem ad ſalutem requiritur. 23, A. ad Baptiſmi gratiam percipiendam quid requiritur. 41, A. Joviniani error de Baptizatis. 50, A. Baptizantes εἰς τρεῖς ἀνάρχους damnantur. 254, D. Baptiſmus Hæreticorum Trinitatem non credentium invalidus. 31. J. ante Baptiſmum duo à Competentibus requirebantur, ejúſq; rei ratio.

31, 32, J. Baptiſmi neceſſitas. 53. J. ad Eccleſiam accedentes veritatem erroribus Sectæ, quam deſerebant, oppoſitam ante baptiſmum ſuſceptum confitebantur. 61, J.
Barnabæ S. Apoſtoli Epiſtola ſummorum virorum judicio genuina. 15, D. Gnoſticorum deliriis refellendis egregiè inſervit. ib. ejus Tranſlatio Latina tantùm in quadam parte nunc habetur. ib.
Bellarminus Juſtini Martyris loco abutitur ad ſtabiliendum Angelorum cultum. 70, D.
Bonum approbare, de eóq; gaudere nonnunquam in malos cadit. 65, H. bonum ſubſtantiale in ſe habere certa divinitatis nota. 195, D.
Buceri moderatio laudatur. 37, H.

C

Cæremoniæ legis inſtitutæ, ut populum Judaicum ab Idololatria arcerent. 78, H.
Calumniæ Cenſoris diluuntur. 1, 2, E.
Calvini interpretatio loci St. Pauli Rom. 2. 13. rejicitur. 5, A. dogmata ejus placitis minùs congruentia in Eccleſia Anglicana retenta. 6, A. Calviniſtarum artes & rigor. 42, A. Gotheſcalri errori damnato patrocinatur. 51, A.
Cameronis error de fide ſalvifica. 21, H. ejus futilis Criticiſmus in verbo συνεργῶν. 27, H. reſpondetur argumentis ejus de fide juſtificante. 28, H. item de cooperatione operum cum fide. 36, H.
Cantica ſacra in primæva Eccleſia uſurpata. 189, D.
Carmina Sibyllina à Patribus primævis non conficta. 20, P. multa de Chriſto prædixerunt. 21, &c, P. Carmina Virgiliana illuſtrata. 21, P. à Poſterioribus quædam libris Sybillinis inſerta. 23, P. Carmina Orphica Simoniani non confinxerunt. 23, P.
Caro & mens, caro & Spiritus quomodo differunt. 67, 68, H. carnalis quis & quomodo dicitur. 73, 74, A. caro ſenſu latiore accepta Spiritui opponitur, homo interior membris corporeis. 80, A.
Catechiſmus Tridentinus pietati noxia docet. 68, A.
Cenſoris prolixa & perplexa ſententiæ ſuæ de fide ſalvifica explicatio. 49, 50, E. ejus definitio fidei manca. 51, E. ejuſdem contradictiones, 51, 52, E. ejus ſententia pluribus exagitata. 54, 55, &c. E. cavillatur potius quàm argumentatur. 60, E. ejus inſulſa παυτολογία. 70, E. ejus cumulus errorum de Juſtificatione per ſolam fidem. 105, 106, E.
Cerinthi Hæreſis abſurda & multiplex. 12, 13, P. Cerinthus Valentino in ſua hæreſi præivit. 178, D. Bythum & Sigen inter ſuos Æonas numerârunt Cerinthiani. 179, D.
Charitas fidei juſtificantis forma. 22, H. eam à vera fide ſeparari non poſſe. 41, H. quo ſenſu ſit fidei forma. 8, E. charitas & fides virtutes diſtinctæ. 8, E. nulla eſt virtus, quæ non per charitatem ita perficitur & formatur, ut Deo ſit accepta. 10, E. Charitas piorum ſpecialis virtus. 10, E. eſt virtus univerſalis. ibid. utrùm fidei an charitatis partes in juſtificatione ſunt potiores. 33, E. fides juſtifica à charitate non ſeparabilis. 63, A.
Chriſtus quomodo ſe & Deum & Hominem eſſe oſtendit. 103, D. Chriſtus Dominus noſter bifariam ſpectatur, vel quà Deus, vel quà Mediator. 120, D. quà Mediator, omnis cultus Deo exhibetur per Chriſtum Mediatorem; quà Deus etiam dupliciter conſideratur, vel abſolutè, unde idem cultus ipſi ac Patri debetur; vel relatè, ut Deus ex Deo, unde omnis cultus ipſi delatus ad Patrem redundat. 121, D. Chriſtus inter Deum & Homines Mediator utriuſq; naturæ reſpectu. ibid. Chriſti nomen à Patribus nonnullis Divinitati tribuitur. 187, D. Chriſti Divinitas ad ſalutem creditu prorſus neceſſaria. 6, &c. I. qui illam negant, è communione Eccleſiæ Catholicæ ejecti. ibid. Teſtimonia Patrum, doctrinam de Chriſto ἀνθρώπῳ reſpuentes à ſalute excludentium; viz. Ignatii. 6, 7, J. Irenæi. 7, 8, J. Tertulliani. 8, J. Novatiani. ibid. Origenis. 9, J. Dionyſii Romani. 9, 10, J. Controverſia de Chriſto Deo inter Judæos & primos Chriſtianos. 10, &c. J. quid Judæos excæcavit, ut Chriſti Divinitatem non agnoſcerent. 12, J. Chriſti Divinitas abunde probatur. ibid. Authoris Irenici Irenicorum de Chriſto impium commentum. 19, J. Sacra Oracula & Traditio Eccleſiaſtica huic commento reclamant. 19, 20. J. in quo Chriſtus primo Adamo ſecundum genituram Superior. 37, 38, J. Chriſtus ſe Deum probat. 39, 40, J. omnem de Chriſto Sermonem in duas partes diſtribuerunt Doctores antiqui, i.e. in Theologiam & Diſpenſationem. 45, J. in Liturgiis Eccleſiæ Catholicæ ab initio Chriſtus ut Deus adorabatur. 81, J.
Circumciſio tantùm Abrahami Poſteris impetrata. 17, E.
Circumminceſſio & περιχώρησις in Divinis quid ſignificant. 285, D. de περιχωρήσεως ſive Circumminceſſione tria obſervanda. 289, 290, D.
Clementis Epiſtola 2da. ut genuina vindicatur. 49, 50. D. Clementi Conſtitutiones falſò adſcriptæ, non tamen Arianizant. 50, 51, D. Clemens Romanus Chriſtum Deum apertè appellat. 60, D.
Cognoſcere Chriſtum quid. 83, H. Cognitionis ſive notitiæ verba ſæpe affectus connotare. ibid.
Conciliatores moderni in Articulo de coeſſentiali Dei Filio fidei ſunt injurioſi. 2, J.
Concilii Nicæni Authoritas. 1, D. Viri ſummi ex omnibus Eccleſiis illi interfuere. ibid. quid in illo agebatur. 1, 2, D. De hoc Concilio Socratis Sententia. 2, D. multi multa in iſtud Concilium malitioſè & imperitè debacchantur. 2, 3, D. omnia in illo accurate diſcuſſa. 3, D.
Conditio ſemper ad jus aliquod obtinendum refertur. 29, H. per Conditionem Evangelii nonnunquam intelligitur, non quicquid in Evangelio præcipitur, ſed quod ſub periculo animæ requiritur. 20, E.
Confeſſionis Auguſtanæ Dignitas. 35, A. Confeſſio Anglicana in Religionis Articulis Auguſtanam in multis imitatur. ibid. Confeſſio Auguſtana pœnitentiam ſtatuit ad Juſtificationem neceſſariam. 36, A. Pœnitentiam in partes inuſitatas ſubtiliùs diſtribuit. 36, 37, A. Confeſſiones omnes Reformatæ pœnitentiæ neceſſitatem ad Juſtificationem agnoſcunt, meritum negant. 38, A.
Confeſſio Gregorii Thaumaturgi multos ab Arianiſmo conſervavit, 152, &c. D.
Conſtantius Imperator ab Arianis deceptus Catholicos perſecutus eſt, & tamen Arianus non fuit. 295, 296, D.
Conſtitutiones dictæ Apoſtolicæ Concilio Nicæno antiquiores. 50, J. Conf. *Clementi.*
Contritionis Petri & Judæ differentia. 37, A.
Controverſiarum finiendarum ratio optima. 5, A. Controverſia in ipſa Apoſtolica ætate inter Catholicos & Gnoſticos fuit habita. 186, D. controverſiæ τὸ κεινόμενον inter Orthodoxos & Arianos. 216, 217, D.
Cornelius num Proſelytus Portæ, an Fœderis? 16, E. Deo fuit acceptus etiam ante Petri prædicationem, 17, E.
Corpus aliquo ſenſu animæ cooperatur. 36, H.
Creatura omnis Servi relationem habet ad Deum. 37, D. è creaturarum ordine filius Dei eximendus. 54, D. Creatura in δοξολογίαις cum Deo non conjungenda. 55, D. quo ſenſu filius omnis Creaturæ primogenitus dicitur. 224, D. 229, D. inter Deum & Creaturam nihil medium. 294, D. Creaturæ alia ex nihilo producendi potentia non communicabilis. 291, D.
Credere alicui & in aliquem eſt potiùs verborum quàm rerum diſcrimen. 57, E. aliter videtur ſenſiſſe Auguſtinus. 58, E. credere quid ſit apud Irenæum. 21, A.

D

Deus unus ita credendus, ut perſonarum Trinitatem agnoſcamus. 39, D. Deus nullius indigus. 68, D. Deus in S. Scripturis non abſolutè nominatur, niſi verus Deus, falſi dii cum additamento aliquo. 77, D. Deum videnti mundi corde non ſecundum magnitudinem ſeu mirabilem gloriam, ſed ſecundum dilectionem & humanitatem. 79, D. Deus cùm ſit naturâ inviſibilis, non per Viſibilitatis fragilitatem videtur, ſed per ſcientiæ virtutem noſcitur. 122, D. Deo nullum propriè nomen competit, ſed tantùm appellationes à beneficiis & operibus re-

titæ à nobis tribuuntur. 187, D. Deus Pater (juxta Tatianum) ſubſiſtit per rationalem vim, veluti per formam ſuam: Deus filius unà cum Patre ſubſiſtit per rationalem vim, tanquam per cauſam efficientem. 211, D. quomodo Deus Pater & Filius ſalvâ immenſitate & omnipræſentiâ repræſentatur quaſi certis locis alligatus, 279, D. non poteſt probari, Patrem & Filium unum eſſe Deum ex hoc, quod Filius ſit ex illo tanquam principio, niſi principium conſubſtantiale intelligatur, 284, D. nec hoc probat principium conſubſtantiale, niſi productio ſit interna non externa, ſic ut in Sacra Triade altera Perſona ab altera ſeparari non poſſit, aliter quàm fit in tribus humanis Perſonis, quæ à ſe invicem diſterminantur. 285, D. non poſſibile, ut Deus ſenſu Judæorum & Judaizantium hæreticorum unus concipiatur. 11, J. Dei dilectio erga genus humanum maximè elucet in miſſione filii, Dei ex Deo, 36, J. dilectionem Dei erga genus humanum profeſſam & declaratam ab hominibus ad Chriſtum incautè & otiosè tranſferunt Ariani & Sociniſtæ. ibid. Deus Abrahami, Iſaaci & Jacobi quis. 77, J. ad Dei cognitionem ſalutarem ſolà nativæ rationis ope nemo pervenit. 28, J.

Diaboli aſtutia. 23, P.

Dictum illud, *erat quando non erat*, diu ante Arium ab Heterodoxis vulgatum. 197, D.

Dignitatis vocabulum non probat meritum propriè dictum. 58, A.

Dionyſius Romanus dictis Scriptiſq; ita Orthodoxus, ut nec Petavius, nec ipſe Sandius aliquid in illo invenerint, quo Arianiſmi incuſarent. 141, D. ejuſdem de Trinitate in Unitate præclara & lucidiſſima Sententia. ibid. item de generatione Filii. 141, 142, D.

Dionyſius Alexandrinus Arianiſmi immeritò incuſatur à Sandio, Huetium Authorem ſuum præ ſe ferente. 142, D. idem contra Hæreſin Sabellianam ſcribens Perſonas Trinitatis accuratiùs diſtinxit. ibid. à Pentapolitanis læſæ Fidei reus factus apud Romanum Epiſcopum ſe purgat. 142, 143, D. ejus Controverſiæ Hiſtoria ſuccincta. ibid. ab Athanaſio defenditur. 143, &c. D. verba ejus non bonâ fide, ſed mutilata & truncata Adverſarii citabant. 143, D. variis ſimilibus utitur, aliis ad humanam, aliis ad Divinam Chriſti naturam accomodatis. 145, D. cur contra Sabellium diſputans Similibus iſtis utitur. ibid. Paulo ante mortem egregiam de Chriſti & Spiritûs Sancti Divitate ad Patres in causa P. Samoſateni Antiochiæ congregatos Epiſtolam ſcripſit. 148, D. particularia, de quibus ſe purgavit. 198, D.

Diſciplina Eccleſiaſtica antiqua ſæpius Lapſis remiſſionem non concedebat, ſed tales ad Pœnitentiam invitans Deo relinquebat. 18, D.

Divinitas Chriſti ex imperio Divino in homines per Humiliationem acquiſito probatur. 40, P. Divinitas Chriſti poſt Reſurrectionem in multis magis manifeſtata. 40, P. Divina Natura ſpectatur vel abſolutè vel relatè ſeu perſonaliter. 89, 90, D.

Doctrina, quæ Evangelium ſapit, cur ab exilio Babylonico Judæis clariùs prolata? 73, H. Doctrinæ de Juſtificatione ſumma. 61, A. Doctrina de Filio Patri ὁμοουσίῳ Dionyſii Alexandrini ætate per totum Chriſtianum Orbem pro certa et Catholica communiter recepta. 145, D. doctrina de Filii τῷ συναϊδίῳ ſequitur neceſſariò ex doctrina de τῷ ὁμοουσίῳ. 147, D. Doctrina de de Filio Patri coæterno in Eccleſia Primitiva & Apoſtolica fuit recepta & rata. 202, D.

Dordracena Synodi Canones in Anglia non recepti. 5, A.

E

EBion an nomen viri Hæreſiarchæ. 24, J, Ebionæorum ſic dictorum differentia. 25, J. Ebionæorum varii Errores. 74, 75, 76, J.

Eccleſia Anglicana Veterum conſenſum amplectitur. 6, 7, A. Juſtificationem per ſolam fidem ſimplicem virtutem non docet. 28, &c, A. cum ab operibus Juſtificandi officium adimit, non notat inſtrumentalitatem (ut nonnullis placet) ſed efficientiam meritoriam, quæ & fidei ipſi detrahenda eſt. 30, A. operum meritum damnat. 32, A. Pœnitentiam eſſe ad Juſtificationem conditionem neceſſariam docet. 40, 41, A. ejus Doctrina de ſatisfactione Chriſti. 52, &c. A. Eccleſia Hieroſolymitana omnium Eccleſiarum Mater. 8, P. ab initio recte ſtatuit de Chriſti Divinitate. ibid. alternatim cantandi in Eccleſia Antiquitas 8, P. Eccleſiæ Neocæſareenſis, ab Arianiſmo pura eo tempore, cùm mundus ferè totus Arianus fuit. 152, D. ratio ſeu methodus diſcendi, quid creditu neceſſarium habuit Antiqua Catholica Eccleſia. 5, J. 13. J. Eccleſiæ Palæſtinæ antiquiſſimæ, interq; eas prima Hieroſolymitana. 48, J. vox *Catholica* Eccleſiæ Chriſti adhæſit temporibus Apoſtolorum ætatem proximè contingentibus. 53, J. credere in unam Catholicam Eccleſiam quid ſit. 54, J.

Eleemoſynæ quantum valent. 10, 16, H. etiam exigebantur, in veteri Eccleſia ἀγαθοεργίας nomine præter cætera à Pœnitentibus. 10, 11, H.

Electio abſoluta, an ſpecialis illius miſericordiæ fundamentum, quam nonnulli faciunt fidei juſtificantis objectum? 53, E. Chriſtum mortuum eſſe pro ſolis Electis, error eſt Scripturæ contrarius, & a veteri Eccleſia Catholica damnatus. 52, A. Electionis cauſa miſericordia Dei in Chriſto. 54, &c. A.

Ἐνεργεῖσθαι in Scripturis ut plurimùm paſſivè ſumi. 9, E.

Epicurus vitam futuram deridet. 74, H.

Epiſcopii error de Filii ex Deo Patre ante ſæcula generatione. 1, J. in Scriptis Patrum fuit minùs verſatus, imò planè ea contempſit. 1, 2,, J. Multi fidem illi temerè habuerunt. 2, J. ejus de hac re ſententia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ repugnat. 13, J. ejus argumentis reſpondetur. 30, 31., &c. J. 79, 80, J. ſuam ipſius cauſam jugulat. 85, J. falsò aſſerit nudum Filii titulum in confeſſione fidei prolatum eſſe. 63, J.

Errores varii de futura vita, & reſurrectione, 74, 75, H. Interpretum error in verbo ἐνεργεῖσθαι. 9, E. error cujuſdam in nimis ſtricta acceptatione verbi *juſtificationis*. 25, E. Socini error de Satisfactione Chriſti, & diſcipulorum Calvini error periculoſior de eadem. 27, E. errores Noſtratium cur aliquando palam et liberè damnandæ. 34, 35, E. error nonnullorum Pontificiorum de lapſorum meritis. 83, E. Neotericorum quorundam errores de Chriſto ejuſq; paſſione. 13, A. Prædeſtinatianorum error, et quando incepit. 50, A.

Eſſeni qualem vitam futuram ſomniârunt. 75, H. Schiſmatici fuerunt. 98, H.

Evangelii & Legis diſcrimen primarium. 94, H. externus Legis cultus à juſtificatione ita rejicitur, ut ejus loco ſpiritualis Evangelii juſtitia ſubſtituatur 95, H. Evangelium nuſquam νόμον, nedum τὸν νόμον à Paulo appellari. 74, E. Evangelium nihil præcipit, quod per gratiam non poſſit impleri. 79, E. Evangelio ſive lege Evangelicâ omnes virtutis gradus per gratiam poſſibliles eſſe ſub præcepto, ſed non omnes ſub pœna mortis æternæ. 82, E. Evangelium Moſis. 102, E. Evangelii ſupra legem Excellentia. 11, D.

Εὐλογητὸς Epitheton à veteribus Judæis proprie uſurpatum in celebratione divini nominis, quos imitati ſunt N. T. Scriptores. 54, D.

Euſebius plurima ex Hegeſippo tranſcripſit. 14, P. illi teſtimonium eximium præbet. 14, 15, P. in rebus per Occidentem geſtis fuit negligentior. 147, D. Sabellianorum hoſtis acerrimus. 225. D. quibus de cauſis in ſuſpicionem Arianiſmi incidit. ibid. contra Petavium vindicatur. 232, D. in Concilio Nicæno fidem ſuam confitetur congruenter Symbolo Hieroſolymitano. 49, J.

F

FIdem inſtrumentum ſeu cauſam efficientem minùs principalem propriè dici non poſſe. 11, H. Actum ejus, quo Chriſtum amplectitur, à juſtificationis actu toto cœlo differre. ibid. eſſe tamen conditionem ſeu inſtrumentum morale, ſed non unicum. ibid. Fides, cui tot & tanta tribuit Scriptura, non eſt virtus ſimplex, ſed omnia Chriſtianæ pietatis opera comprehendit. ibid. prærogativa ejus, ut ſingularis virtutis, unde 11, 12. H. fideles juſtitia activâ juſti 20, H. fide ſolâ cæteriſq; virtutibus diſtinctâ neminem juſtificari. 21, H. actus Fidei quot vulgo ſtatuuntur. ibid. Et notitiam & aſſenſum ut actus fidei nudè conſideratos, reprobis poſſe competere. ibid. Fides in N. T. in aſſenſu mentis unicè ſtatuitur. Vid. Rom. 4. v. 20, 21, 24. Heb. 11. 1. 1 Joh. 5. 4, 5. Joh. 8. 24. quo ſenſu dicunt Eccle-

Ecclesiarum confessiones ex fide sola sine operibus hominem justificari. 26, H. privatorum Theologorum distinctiunculæ in hac re, & quantum exinde animabus periculum. 27, H. Fides an quæ viva, an quâ viva requiratur ad Justificationem? ibid. Error eorum, qui Jacobum de fide falsa & fucata, Paulum de vera & viva loqui volunt, examinatur. 34, 35, 36, H. in Diabolis fides vera, sed non proficua; in hominibus virtus, in illis non; in Diabolis necessaria, non sic in hominibus. 35, H. Fides quo sensu dicitur viva, vel mortua. 35, 36, 37, H. Sanitas distinctionis fidei in informem & formatam. 37, H. Fides sensu Pauli non virtus simplex, sed integra fœderis Evangelici conditio, h. e. tota nostra obedientia Evangelica. 40, 41, H. Fides initium & radix totius Evangelicæ justiciæ. 43, H. Fidei nomine utitur Paulus, ut & conditionis facilitatem exprimat, & meritum excludat. 44, 45, H. Fides meritum excludit triplici ratione, supponens 1mò. Revelationem & Vocationem à parte Dei. 2dò. promissa ad Obedientiam stimulantia. 3tiò. μισθαποδοσίαν ex sola Gratia Dei promittentis. 45, H. fides quomodo dicitur stabilire legem. 94, H. quo sensu dicimur fide solâ Justificari. 112, &c. H. Fidem non esse Justificationis ἐνέργειαν causalem. 15, E. Lex fidei per fidem simplicem virtutem non impletur. 47, E. Sanguis Christi cum fide nostra non connectitur ut speciale ejus objectum. 71, E. Verbum *fides* quo sensu accipitur apud Patres, cum docent nos solâ fide justificari. 20, A. quomodo fides & se & cæteras virtutes à justificandi officio excludit. 30, 31, A. fides dispositio & conditio ad justificationem requisita. 31, A.

Fiducia fidem sequitur. 22, H. est vel conditionata, vel absoluta; sed neutra justificat. ibid. errores eorum, qui fiduciam vel conditionatam vel absolutam fidei justificantis actum faciunt, excutiuntur. 22, 23, 24, H. non omnis fides in Deum est fiducia, sed ea tantum, quæ Deum ut promissorem respicit. 57, E. Fides & fiducia Christiana differunt ut generale & particulare. 58, E. an assensus intellectûs, & desiderium voluntatis ad fiduciam requiritur? 58, 59, E. talis fiducia potest in hominem cadere, qui non sit in statu gratiæ. ibid. quænam fiducia hominem in statu gratiæ ponit. ibid.

Filius Dei (ante incarnationem) Sanctis sub V. T. frequenter apparuit, 7, D. hujusmodi apparitiones (licèt nomen Angeli intervenerit) in quibus nomen Jehovæ & divini honores apparenti tribuuntur, de Deo Filio communiter exponunt Sancti Patres. ibid. Testimonia hanc rem confirmantia ex Justino Martyre, Irenæo, Theophilo Antiocheno, Clemente Alexandrino, Tertulliano, &c. 8, D. Filii præ-existentiam, ipsumq; ante jacta Mundi fundamenta à Patre genitum, & per ipsum universa fuisse condita docent Patres Ante-Nicæni, *viz.* Sanctus Barnabas Apostolus. 15, D. Hermas Pastor, 15, 16. D. Ignatius, Justinus, Tatianus &c. 20, D. Filium Patri esse ὁμοούσιον Catholicorum primævorum concors fuit sententia. 25, D. testimonia Patrum ὁμοούσιον prædicantium, viz. Sancti Barnabæ. 37, D. Hermæ Pastoris, 37, 38, 39, D. Sancti Ignatii. 40, 41, 42, D. Polycarpi 53, 54, &c. D. Justini Martyris. 65, &c. D. Athenagoræ, 71, D. Tatiani. 72, D. Irenæi. 77, &c. D. Melitonis. 86. D. Clementis Alexandrini, 87, &c. D. 92, D. Tertulliani. 93, &c. D. Caij Presbyteri & Hippolyti. 98, &c. D. Cypriani. 131, 132, &c. D. Vid. plura in verbo ὁμοούσιος. Filius ab omnibus supremi licet ordinis creaturis infinitis intervallis dissitus. 80, D. Filio triplicem nativitatem seu filiationem attribuerunt Veterels. 100, D. De Filio Dei longè aliter philosophantur Christiani, quàm Ethnici de suorum Deorum filiis & filiabus. 203, item 215, D. Filius quo sensu unigenitus, quo primogenitus dicitur. 229, 230, D. triplex nativitas ab Athanasio Filio tributa clavem porrigit ad aperiendum Veterum quorundam Sententiam, et ab Arianismo vindicandum. 232, 233, D. Filius quo sensu ἄναρχος 252, D. error eorum, qui Filium propriè dici ἀνάθεον affirmant, refutatur. 255, D. Filius dici potest ἀνάθεος, quia vere Deus, sed non quasi à se Deus. 256, D. Filius, cùm dicitur Patris instrumentum, intelligitur non extraneum, sed connaturale. 259, D. Filius cum ex Patris substantia ortum habat, necesse est (salvâ naturæ divinæ immutabilitate) ut sit Patri suo naturâ æqualis, coævus & coæternus. 261, D. de Filio indignè sentiens injuriam facit Patri. 265, 266, D. argumentum, quo probant Patres, eum, qui Patriarchis & Viris Sanctis sub V.T. apparuit, Jehovæ nomine insignitus, Dei filium fuisse. 267, D. quomodo intelligendi sunt Patres, cùm de Deo filio, quasi naturâ sit visibilis, aut loci angustiis circumscriptus, incommodè loquuntur. 268, D. cur Filio, non Patri convenire appariciones istas olim factas sentiebant Veteres. 268, 269, D. quomodo de Filio minùs commodè loquentes in aliis locis se explicant Patres, docetur ex Justino Martyre. 269, D. Irenæo. 270, D. Clemente Alexandrino. 271, D. Tertulliano, & Novatiano. 272, D. Origene. 273, D. Filius assumptione humanæ naturæ Deitati suæ nil derogat. 275, D. οἰκονομία, quam Filius suscepit, Patri non competit. ibid. Filius cur Angelus dictus. 276, D. Filium Dei ex ipso Deo Patre ante omnia sæcula esse natum dogma est fidei nostræ κυριώτατον, in quo Christianismi cardo vertitur. 1, &c. J. Patrem non ritè colit, nisi qui Filium amplexatur. 17, 84, J. modum filiationis Jesu Christi, quô ante omnia sæcula Dei filius &c. in primis Symbolis vel satis apertè contineri, vel ab ipsis primæ Ecclesiæ Doctoribus satis aperte contineri creditum fuisse. 30, J. hoc probatur testimoniis Patrum. 31, J. Christus Filius Dei respectu divinæ naturæ unigenitus sive μονογενὴς probatur ex proprietate vocis: 37, J. Christus non dicitur Filius *unigenitus* ratione conceptionis ex Spiritu Sancto. 37, 38, J. Filius dicitur primogenitus respectu resurrectionis, unigenitus respectu missionis. 41, J. Filius à Patre ita alius, ut non sit Pater, sed persona distincta, non tamen alius à Patre naturâ. 84, J.

Fœderis Mosaici defectus, scilicet, gratiæ tum condonantis, tum adjuvantis. 50, H. fœdus Mosaicum differt à fœdere cum Abrahamo inito, & postea cum Judæis renovato. 76, 77, H. fœdus cum Abrahamo initum fœdus Evangelicum obscuriùs revelatum. 77, 78, H. una eademq; est conditio propriè dicta fœderis & justificationis Evangelicæ. 20, E. nihil in fœdere Evangelico sub periculo animæ absolutè requiratur, quod non ad justificationem requiratur. 20, E. nec ex hypothesi, quod non etiam eatenus ad justificationem requiratur. 20, 21, E. fœdus vitæ cum Adamo initum in statu integro per ipsius peccatum irritum fuit et sibi, et Posteris ejus. 76, 77, E. nullum unquam æternæ vitæ fœdus cum Adami Posteris inivit Deus, quod non in Christo Servatore sancitum & confirmatum. 79, E. duo tantùm æternæ vitæ fœdera cum homine inita. 79. E.

Formula antiquissima in administratione Baptismi usitata (viz. Credo in Deum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum) non pro Symbolo pleno et perfecto, sed pro compendiosa primarii de SS. Trinitate Articuli confessione a baptizando facienda habita. 31, J. Filii (et Spiritûs sancti) Divinitas hâc formulâ apertè traditur. ibid.

Fratrum Smyrnæorum de Polycarpo &c. testimonium. 55, D.

G

Generatio Filii ea sola vera & propria est, quæ ex Patre ab æterno extitit; ejus verò progressionem ad mundum condendum (quâ nobis primùm innotuit) quasi generationem quandam describunt Patres. 208, D. *Generationis* & *Filii* voces Subordinationem Filii ad Patrem generantem innuunt. 252, D.

Gnostici omnes fere Religionis Articulos depravârunt. 7, P. Christum Deum Verbum & Hominem non agnoverunt. ibid. Mundum ab inferioribus Potestatibus præter summi Dei voluntatem factum fuisse docent. 80, 81, D. Christi mortem & passionem negabant. 176, D. Dum stetit aliqualis Judæorum potentia, cum illis judaizârunt, non ex animo, sed ut persecutiones ab illis excitatas effugerent. 177, D.

Gratiæ operationem non esse irresistibilem. 120, H. an possumus excidere à Gratiâ 42, &c. A. de hac re Ecclesiæ Anglicanæ judicium. 43, A. item Ecclesiarum Exterarum. 47, 48, &c. A. itemq; Veterum. 49, &c. A. tota Antiquitas Gratiæ indefectibilitati adversatur. ibid.

Grotij opinio de juſtificatione examinatur. 2, 3. H. Argumento ejus de ſignificatione verbi *Fides* reſpondetur 42, H. idem laudatur. 67, 68, 73, H. idem locorum Scripturæ Chriſti Divinitatem probantium interpres iniquior. 67, D.

H

Habitus fidei & aliarum virtutum an ſimul infunduntur? 14, 15, A. virtutes Chriſtianas eſſe habitus, neq; ſimpliciter infuſos, neq; ſimpliciter acquiſitos, ſed ex utriſq; mixtos. 15, A.
Hæres non eſt neceſſariò filius naturalis, nedum unigenitus ejus, cujus eſt filius. 42, J.
Hæreſis reputata eſt apud Antiquos, docere hominem aliter juſtificari, quam ſecundum opera juſta. 5, E. hæreſis Ebionæorum. 4, P. Docetarum. ibid. Cerinthianorum itemq; Nazaræorum. 5, P. 20, 21, &c. J. Agapij. 26, D. Pauli Samoſateni. 32, D. Sabellij. 33, D. Marcionis & Valentini. 102, 18, D. Noetianorum. 18, D. Hæreſis Docetarum, qui & φανταστὰι appellati, itemq; eorum, qui ècontra humanam tantùm in Chriſto naturam agnoverunt. 7, J. Hæreſis æquè vitanda ac idololatria & peccata maximè odioſa. 9, J. differentia inter hæreſin Ebionis & Cerinthi. 14, J. quare Hæretici nonnulli à cœna Domini omnino abſtinuerunt. 18, J. de Nazaræis non rectè ſenſit Theodoretus. 23, J. Nazaræorum cum Ebionæis familiaritas unde orta. 24, J. Hæreſis Theodoti Coriarij. 26, J. Artemonitarum hæreſis & commentum. 27, J. inſigniter refellitur. ibid. Beryllus Boſtrorum Epiſcopus in hæreſin lapſus, Origenis ope ad ſanam mentem reductus. 27, 28, J. quà re motus hæreſin ſuam propugnavit Paulus Samoſatenus. 28, J. de illo ejuſq; hæreſi judicium Patrum Antiochenorum. 29, J.
Hæretici Hæreſes ſuas ex Eccleſiæ Doctrina depravata effinxerunt. 10, 11, P. Hæreticorum fraudes, quibus Cyprianum ad ſuas partes trahere conati ſunt. 133, D. Hæretici complures Chriſti Divinitatem negantes. 282, D. Hæretici Chriſtum vel hominem negantes eorumq; ſequaces & auditores damnationi obnoxii. 6, &c. J. Hæreticorum primævorum duæ claſſes. 15, J. Hæretici priores damnati propter cauſam illis cum Arianis communem. 29, J. Hæretici dum idem cum Catholicis verbis profitentur aliud ſenſu ſuo intelligunt. 46, J.
Hegeſippus origine Hebræus, Orthodoxus fuit, non Ebionita. 12, 12, &c. J. illi teſtimonia illuſtria præbent Veteres. 14, 15, P. eandem doctrinam ab Apoſtolis ad ſuam ætatem in Eccleſiis manſiſſe teſtatur. 15, P.
Hermæ Paſtoris auctoritas quanta & qualis 15, 16, D. Purgatorium Pontificium ignoravit Hermas. 16, 17, D. eorum objectionibus reſpondetur, qui illum rejiciunt. 16, 17, 18, D.
Hieronymus Origenis operum Cenſor iniquus. 121, D. ejus objectiones adverſus Origenem & Ruffinum in cauſa filii Dei diluuntur. 122, 123, &c. D. Ruffino minùs æquus. 159, D.
Hiſtoria de ſene Epiſcopo Theodoſium M. ſalutante. 266, D.
Homiliarum libri authoritas qualis. 104, E.
Hominis interioris & novi differentiæ. 95, H. 80, A.
Hookeri triplex juſtitia. 29, 30, A.
Humiliationis Chriſti deſcriptio. 39, P.
Hymnos ab initio conſcriptos, Chriſtum Deum confitentes, ab Eccleſiis ſibi ſubjectis eliminare conatus eſt Paulus Samoſatenus. 81, J.

I

Jacobi locus. 2. ver. 24. à multis infeliciter explicatus 1. H. ejus Epiſtola à nonnullis immerito vel in dubium vocata, vel rejecta. ibid. illum idem loqui, quod cæteri Apoſtoli & Prophetæ. 8, H. cur maluit inſiſtere in Abrahami opere de ſacrificando Iſaaco, quàm ulla re alia. 32, H. de qua juſtificatione & de quibus operibus loquitur Jacobus. 4, E. ejus perſpicuitas. 3, 4, E. adverſarii contra quos diſputat. 68, 69. E.
Jeſus Chriſtus Servator noſter non tantùm homo ſed & verus Deus. 1, P. doctrinam de Deo Chriſto non ſibi peculiarem ſed omnium verè Chriſtianorum eſſe fidem communem, docet Juſtinus Martyr. 27, P. ejus regni mediatorii & æterni differentia. 33, P. Jeſum Chriſtum invocare tenemur 34, P. quæ probant Chriſtum eſſe idoneum invocationis objectum, eadem Deum eſſe probant. ibid. Jeſum Chriſtum in forma Dei ſubſtitiſſe, priuſquam formam ſervi aſſumpſerat. 38, P. quicquid humanæ Chriſti naturæ tam in exinanitione quam in exaltatione acceſſit, in Scripturis Filio etiam Dei tribuitur. 42, P. De Chriſto Deo præclara Clementis Alexandrini teſtimonia 92, D.
Jeſus Chriſtus Dei Patris Filius, etiam quatenus homo, quatuor modis κατ' ἐξοχὴν in Scripturis vocatur. 5, J.
Ignatius Apoſtolus conſtitutus Antiochiæ Epiſcopus. 20, D. ejus Epiſtolæ genuinæ ſeptem. ibid. & 42, 43, D.
Imputare quid in Scripturis ſignificat. 87, H. Chriſti juſtitiam nobis imputari, nunquam dicitur in Scripturis. 36, E. non juſtitia Chriſti ſed fides noſtra nobis imputatur in juſtitiam, idq; propter ſatisfactionem Chriſti, meritoriam ibid. juſtitia Chriſti non ita nobis imputàtur, ut ſit revera noſtra, noſq; inde perfectè juſti. 36, 37, E. talis imputatio evangelii fundamenta convellit. ibid. cum pœnitentia non conſiſtit, fidem ipſam tollit; propitiationem renuit, 38, 39, E. abſurditates plures, quæ talem imputationem premunt. 43, 44, E. alterius merita quomodo imputari poſſunt. 34, A.
Imperium divinum in cuncta quid ſit. 30, P. creaturæ non competit. ibid. Imperium divinum cultûs divini fundamentum. ibid. imperium divinum Chriſto Deo poſt reſurrectionem traditum triplici modo intelligi poteſt. 39, P. imperium divinum in homines unicuiq; ſanctæ Triadis Perſonæ titulo illi reſpondente convenire. 42, P.
Johannes Apoſtolus Evangelium ſuum contra hæreticos iſtius temporis conſcripſit ab Aſiæ Epiſcopis rogatus. 14, 15, J. conſenſus Evangelii & Epiſtolæ primæ Johannis. 16, J.
Iræneus Polycarpi Auditor diligentiſſimus ejuſq; doctrinæ tenaciſſimus. 59, D.
Judæis Chriſtianis Ceremoniarum Legis obſervantia pro tempore conceſſa. 21, J. Judæi Chriſtum (Meſſiam) hominem ex hominibus naſciturum erroneè expectabant. 71, J.
Judæorum opinio de inſtitutis Moſaicis. 6, H. eorum præjudicium contra Evangelium unde natum. 47, H. juſtitiæ legali aſſuerunt etiam ſuam. 48, H. turbæ, quas excitarunt in Eccleſia. 48, 49, H. cur per legem non potuiſſent ad veram juſtitiam adduci Judæi, qui futuræ vitæ ſpem ex lege concepiſſent, 75, H. Judæi arbitrium humanum nimiùm extollunt. 96, 97, H. eorum audax diverbium, 96, H. juſtitiam quandam civilem ſibi fingebant. 103, H. iſtum errorem ex inani de ſuis viribus fiducia natum. 103, H. in religione negativa acquieſcebant. 103, 104, H. delicta cordis parvi pendebant. 104, H. obedientiam partialem pluſquam ſufficere credebant, 105, H. ex præceptis Dei ea ſibi obſervanda ſumpſiſſe, quæ minora præſtituq; facilia carnique minus ingrata. 105, in frivolis quibuſdam traditionibus, juſtitiam ita ſtatuebant ut præcepta Dei illis poſthabuerint. 106, H. qualem Meſſiam ſibi ſomniârunt. 106, 107, H. omnes Iſraelitas etiam improbos (pauculis exceptis) vitæ æternæ fore participes ſtatuunt. 107, H. fuere Judæi Chriſtiani, qui Chriſtum ut verè Deum colebant, ſimulq; legem Moſis ritualem obſervabant, ſed ethnicis illam non imponebant. 6, P. multa a Judæis mutuati ſunt Ethnici Scriptores. 19, P.
Judicium futurum quid 24, H. judicium futuri ſæculi per omnia reſpondere juſtificationi divinæ in hac vita. 24, 25, H. 62, 63, E. non ſolùm declarare juſtum, ſed et adjudicare præmium. ibid. in ultimo judicio unuſquiſq; ad normam illius legis, ſub qua vixit, exigetur. 75, E. judicium cur Filio datum. 37, 38, P.
Juſtinus Martyr Vir ſapientiſſimus & pientiſſimus non mutavit doctrinam de Chriſto Deo, 2, P. idem teſtatur Chriſtianos ſui ævi (hæreticis exceptis) communiter credidiſſe Chriſtum Deum ante ſæcula præ-extitiſſe. ibid. Sanctus Barnabas, Hermas Paſtor, & Ignatius Martyr, Juſtino antiquiores eandem cum illo de Chriſto Deo doctrinam docent. 9, P. idem a Simonis M. hæreſi puriſſimus. 10, P, illi ritè tribuuntur oratio paræneticа ad Græcos & Epiſtola ad Diognetum. 69, D. Juſtini locus à pravis Epiſcopii & Remonſtrantium interpretationibus vindicatur. 69, 70, &c. J. rationes emendandi locum Juſtini ſubſtituendo ἐμέλεν pro ἡμετέρου. 73, J. Chriſti divinitatem negantes pro hæreticis habuit, 76, J. Juſtini de Socrate & Heraclito judicium. 81, 82, J.

Index Rerum

Jus omne fundatur in titulo. 20, E.

Justificare δικαιῶ vis verbi. 2, 3, H. Justificationis significatio forensis. 4, 5, H. aliquando sanctificationem denotat. ibid. justificatio in foro humano duplex. 6, H. quid sit ex operibus justificari. 7, H. quid sit ex fide & operibus justificari. ibid. justificatio est actus solius Dei, totaq; extra nos producitur. 11, H. quo sensu dicitur, hominem gratis justificari, & impium justificari. 14, 15, H. in justificatione tria consideranda, judex, reus (i. e. persona in jus vocata sive insons sive non) & lex 17, H. errores Lutheri aliorumq; Theologorum de justificatione. 17, 18, H. justificatio declarativa & constitutiva quomodo & differunt & conspirant. 24, H. error eorum, qui statuunt Paulum de justificatione coram Deo; Jacobum de justificatione coram hominibus agere, refutatur. 31, 32, 33, H. justificatio est actus, non instantaneus sed continuus, & adimpletâ conditione perfectus. 32, H. quid intelligunt Pontificii & Protestantes nonnulli per justificationem. 1mam. & 2m. 37, H. ista distinctio ut ab utrisq; accipitur, nullo nititur fundamento. 38. in materiâ justificationis Paulus ex Jacobo, non Jacobus ex Paulo interpretandus. 39, 40, H. inter justificationem. 1mam. & 2am. accuratè distinguendum. 115, H.

Justificationis Evangelicæ beneficio contineri & liberationem à crimine & acceptationem ad præmium, quamvis sint in se res distinctæ. 12, H. justificatio alia in foro humano alia in foro divino. ibid. justificatio vitæ quid significat. 13, E. justificatio ex fœdere evangelico includit jus ad omnia beneficia in illo fœdere contenta. 14, E. quicquid ad reconciliationem hominis cum Deo requiritur, ad justificationem ejus etiam requiritur. 21, E. justificatio quotuplex. 22, E. justificationis vocabulum proprie sumptum remissionem peccatorum per se non significat. 25, E. sensu Evangelico semper peccatorum remissionem includit. ibid. in justificatione triplex quæstio instituì potest. 1mo. an peccator? 2do. an condemnandus? 3tio. an conditiones præstiterit quæ liberare valent? & quomodo unicuiq; respondetur. 66, E. in lege Mosaicâ justificatio nulla ultra hanc vitam, 88, 89, &c. E. absq; fide & pœnitentia neminem justificationem comparare; absq; fidei & pœnitentiæ fructibus neminem retinere. 10, A. justificationis ratio formalis. 17, A. secundum Ecclesiæ Anglicanæ doctrinam plura ad justificationem requiruntur quàm fides sola. 28, &c. A quinq; genera operum à justificatione exclusa. 33, A. veteribus Protestantibus idem est fide solâ, quod solâ gratiâ, non operum merito justificari. 35, A. justificatio externa per legem, umbra veræ justificationis per Christum. 60, A.

Justitia imputata figmentum. 7, H. justititiam Dei Christus, Paulus & Jacobus eodem sensu accipiunt. 13, 14, H. argumentum probans fideles justitiâ activâ justos coram Deo declarari. 20, 24, H. justi sub lege non à lege justitiam suam acceperunt, sed gratiæ Evangelicæ debuerunt. 55, H. justitia inhærens non alia ratione nostra dicitur quàm quod per eam justi efficiamur. 42, E. semper legem aliquam respicit. ibid.

L

Lactantius sermone elegans sed disciplinæ Christianæ rudis, 170, D. in doctrina de Filii divinitate orthodoxus fuit. 170, 171, D. ejus auctoritas in Ecclesia levis. 234, D. ejus varia & insulsa dogmata. 247, &c, D,

Lapsu primi hominis vires nostras amissas esse non efficienter, sed meritorie. 51, H. lapsos revelatione divinâ destitutos, solâ naturæ lege obstrictos. 33, E. lapsos fœdere & favore, non Dominio divino excidisse. 77, E.

Latro in cruce pendens multa fecit bona opera externa. 16, E.

Lex quænam illa sit, cujus judicio Christianis standum est. 17, H. lex libertatis triplici nomine sic dicta. ibid. Lex libertatis & lex Regia eadem & quid significent. ibid. Christus legem moralem non tantùm exposuit, sed ut suam legem posuit. 18, 19, H. quo sensu lex Christi observatu possibilis et justi dicuntur peccare vel non. 19, 20, H. legem Mosaicam quomodo Christus perfecit implevitq; 47, H. an lex ad impossibilia obligat? 51, 52, 53, H. legem duplicem γένον habuisse. 51. H. multa in lege Mosaica fuisse permissa quæ nunc non. 52, H. Lex Mosaica non tantùm auxilium sufficiens non suppeditat, sed occasione ejus animus ad peccandum vititatior factus. 59, 60, &c. H. hominem sub lege constitutum repræsentari, cap. 70. ad Rom. 60. &c. H. legis defectus duplex, viz. vitæ æternæ promissionis, Spiritûs sancti doni. 69, H. Lex Mosis cur ad alienandum à vera pietate animum apta nata. 69, 70, H. legis promissa non ultra hanc vitam extendere. 70, 71, H. distinctio legis in scriptam & oralem unde primùm nata. 73, H. an ullum in lege Mosis Spiritus sancti promissum. 77, H. de lege morali Censoris absurditas. 35, E. duplicem Christi legem non esse in Evangelio propositam. 45, E. lex moralis à Christo firmata utrùm sub periculo animæ an solo gratitudinis vinculo obligat ibid legem operum legi fidei a Paulo oppositam male interpretatur quis de lege morali a Christo Discipulis tradita. 46, E. lex in controversia Paulina sine ulla alia adjectione posita constanter legem Mosis significat. 75, E. lex absolutissimam virtutem sub periculo animæ postulans, non est lex ad cujus normam omnes judicabuntur. 75, E. lex perfectæ obedientiæ quid. 76, E. eam non esse legem Mosaicam aut fœdus operum. ibid lex naturæ nec virtutem absolutissimam præscribit, nec ejus observationi debetur vita cœlestis. 77, E. lex Mosaica ab operum fœdere distinguitur. 93. E. rigor legis Mosaicæ consistit in ritualibus. 93, 94, E. lex Mosaica nonnunquam accipitur sensu spirituali. 94, E. cum legi Paulus detrahit, intelligit legem juxta literam; cum laudat, intelligit legem secundum spiritum. i. e. ut evangelium adumbratum. 94. E. Deo non imputandum quod lex Sinaitica servile ingenium ingenerat. 102, E. virtus promissi eatenus extendit se ad salutem, quatenus rigor legis ad condemnationem. 54, A. esse sine lege, Gentilium statum in Scriptis Apostoli significat. 76. A. qui Mosis legem ritualem observant, ab Ecclesia pro hæreticis habiti. 6, P. non est distinguendum, ubi lex non distinguit. 30, P.

Liberi arbitrii concursum cum gratia divina non impedire quo minus honos Deo in solidum debeatur. 82, H. libero arbitrio Judæi minus tribuunt. 96, H. de libero arbitrio et fato Pharisæorum & Saducæorum discordes sententiæ. 99, &c. H. gratiæ necessitas ita statuenda, ut liberum arbitrium non tollatur. 119, H. modum concursûs gratiæ divinæ cum voluntate humana exactè definire, res difficilis, si non investigabilis. 120, H.

Libri Testimoniorum ad Quirinum Cypriani genuini contra Erasmum probantur. 131, D. libellus de singularitate Clericorum non est Cypriani. 132, 133, D. Liber Quæstionum & Responsionum ad Græcos Justino falso tributus. 188, D. Liber de consummatione mundi, Antichristo, &c. recte Hyppolito tributus. 220, D.

Libertati Evangelicæ non repugnat, Christianum divino præcepto obstringi. 58, A.

Libertinorum error unde. 18, H.

Λόγος & λόγω Νοερῶς idem significant apud Tatianum. 210, D. λόγῳ qui cum Patre ab æterno fuit, & λόγος quem Pater mundum conditurus ex seipso protulit, idem est, 216, D. processionis sive condescensionis τῷ λόγῳ, ad condendum universa, ratio. 130, 131, D.

Luciani Martyris Symbolum. 161, D. adversus Sabellii hæresin dirigitur. 162, D. ab Arianismo vindicatur, 162, 163, D.

Lucianus Ethnicus Dialogista Marci Antonini temporibus floruit. 73, D. religionem Christianam ridet sed in persona Christiani ejus ætatis Christianorum de Trinitate sententiam aperte explicat ibid.

Lutherus Solifidianorum patronus. 15, H. ejus errores de justificatione. 17, H.

M

Maimonides sibi contradicit. 97, 98. H. ejus error de libero arbitrio, 96, 97, H. Astrologorum fatalem necessitatem rejicit, 98, H.

Mali odium quoddam etiam in pessimis reperiri. 64, H.

Manichæi liberum arbitrium tollunt. 119, H.

Marcion cum Valentino de Æonibus sensit. 180, 181, 182, D.

Materiam inter & Materiæ conditorem Deum nihil esse medium statuit Tatianus; per Materiam scilicet intelligens quicquid initium habet. 212, 213, D.

Mediator communi Patrum ſententia neceſſe omnino fuit, ut Deus & homo eſſet. 72, J.
Mellieri objectionibus reſpondetur. 21, ſeqq. D. 44, 45, 46, &c. D.
Mercedem imputari ex debito aliud, aliud ex gratia. 13, E.
Meritum ex condigno dogma perniciosiſſimum. 109, H. neq; fidem, neq; cæteras quaſcunq; virtutes eſſe juſtificationis noſtræ cauſam meritoriam. 111, H. meritum proprie dictum noſtræ obedientiæ aſſignant Pontificii. 71, E.
Millennium ſive Chriſti Regnum futurum terrenum, voluptatibus corporeis refertum, docuerunt Cerinthiani. 178, D. Millenium ab antiquis nonnullis creditum, ſed modò a Cerinthianis prorſus differenti. 55, 56, J.
Mundi opifex primarius Pater. 111, &c. D. mundum creavit Pater per Filium, ſed non tanquam per inſtrumentum ſibi extraneum atque ab ipſius eſſentiâ alienum. 112, D. in mundi creatione quas partes Patri, quas Filio aſſignant Patres. 240, D. mundus triplex. 42, J.
Myſteriis Religionis Chriſtianæ quæ reverentia debetur. 232, D.

N

Natalis Confeſſoris ad hæreticos tranſeuntis, & ad veritatem rurſus redeuntis, hiſtoria. 26, J.
Nativitates variè Filio Dei tributæ. 188, D.
Natura Chriſti humana honoris divini particeps, non per ſe, ſed ratione hypoſtaſis Verbi, ſic ut honos iſte proprie in perſonam terminetur, non in naturam, 57. D. aliam in Chriſto naturam, præter humanam, reſtrictio iſta τὸ κατὰ σάρκα plane indicat. 60, D. Divina natura æterna & immutabilis. 223, D.
Nicænæ Fidei Symbolum. 5, D. in quibus conveniunt Patres Nicæni & Ante-Nicæni in doctrina de Filio Dei, 6, D. Nicænæ & Antiochenæ Synodi conciliandæ ratio. 34, D. Antiochena Synodus ſexaginta annis antè quàm Nicæna, celebrata, Nicænis Patribus bene nota. 35, D. Patres ante concilium Nicænum phraſes ἀπ' αὐτοῦ, ἐξ αὐτοῦ & ἐν αὐτῷ promiſcuè, ſed ſano ſenſu uſurpârunt, poſtea propter Arianos cautiùs locuti ſunt. 51, D. Nicæna fides ea fides, quæ ſemel tradita eſt ſanctis. 296, D.
Novatiani negant poſt primam converſionem lapſos pœnitentiâ reſtaurari poſſe. 84, E. refutantur. 85, E. Scripturæ loci, quos urgent, loquuntur non de quibuſcunq; peccatis, etiam gravioribus, ſed de totalis Apoſtaſiæ reis, quibus ideo pœnitentia dicitur impoſſibilis quia difficillima 86, E. Novatiani articulum de remiſſione peccatorum agnoſcunt; peccata verò graviora poſt baptiſmum commiſſa in foro Eccleſiæ non remittenda contendunt. 50, J.
Novatianum, viz. Auctorem libri de Trinitate, tanquam abſurdè de Trinitate loquentem immerito culpat Petavius. 134, D. ejuſdem Auctoris perſpicua teſtimonia & ratiocinationes de Chriſto homine & Deo, itemq; de ſpiritu ſancto. 134, 135, D.
Novatus P R fidem abjurantes, poſt baptiſmum lapſos, & bigamos non ſuſcipiebat. 180, D.
Novatores quinam ſunt habendi. 7, A.

O

Obedientia Chriſti quomodo nos juvat. 27, E. obedientia noſtra in quibus exercenda. 48, A.
Ὁμοούσιος quid ſignificat. 26, D. de iſto verbo quantas tragœdias excitarunt Ariani. 25, D. Patres Nicæni & qui illos ſecuti ſunt vocabulo ὁμουσίου uſi ſunt ſenſu Arianorum blaſphemiis oppoſito. *i. e.* non creatæ aut alienæ à Patre, aut mutabilis eſſentiæ eſſe, ſed ejuſdem cum Patre naturæ divinæ & incommutabilis. 26, 27, 28, D. ὁμοιούσιος vocabulo uſi ſunt Patres Ante-Nicæni. 28, 29, D. quo ſenſu Patres Nicæni recipiunt; Antiocheni rejiciunt vocem ὁμοούσιος. 29, 30, &c. D. vocabulum ὁμοιούσιος ab hæreticis nec fabricatum, nec mutuò acceptum. 35, D. quibus modis & argumentis Filium Dei Patri ὁμοούσιον probant Patres primitivi. 36, D. de Filio Patri ὁμοουσίῳ teſtimonia Polycarpi. 53, 54, &c. D. Juſtini Martyris. 65, &c. D. Athenagoræ. 71, D. Tatiani, Theophili Antiocheni. 72, D. Irenæi. 73, &c. D. Melitonis. 86, D. Clementis Alexandrini. 87, &c. D. & 92, D. Tertulliani. 93, &c. Caii Preſbyteri, & Hippolyti. 98. &c. D. Origenis. 107, &c. D. Cypriani. 132, D. Novatiani. 134, D. Theognoſti Alexandrini. 135, D. Dionyſii Romani. 141, 142, D. Dionyſii Alexandrini, 143, &c. Gregorii Thaumaturgi 151, &c. D. Sex Patrum Antiochenorum. 158, D. Pierii. 159, D. Pamphili M. 159, 162, D. Luciani M. 160, D. Methodii. 164, D. Arnobii. 168, 169, D. Lactantii. 170, 171, D. Petri Alexandrini. 172, D. vocabulum ὁμοούσιος temporibus Dionyſii Alexandrini *i. e.* plurimis ante Concilium Nicænum annis apud Catholicos uſu receptum & approbatum. 146, D.
Opera bona conditio neceſſaria, ut quis à Deo juſtificetur. 8, 9, 25, H. fideles ex bonis operibus juſtos in Dei judicio declarari. 12, 13, H. bona opera non ſolum ante juſtificationem, ſed ad juſtificationem neceſſaria. 15, H. opera noſtra non eſſe vitæ æternæ meritoria, nec tamen eſſe nuda fidei ſigna. 25, H. ἐξ ἔργων pluſquam otioſam concomitantiam denotat. 27, H. opera de quibus loquitur Paulus non tantùm à juſtificandi actu removentur, ſed ut non neceſſaria in totum rejiciuntur. 29, H. conceſſo quòd bona opera ſint ad ſalutem neceſſaria, rectè infertur eſſe etiam ad juſtificationem neceſſaria. 29, H. opera, ut fidei juſtificationis forma conſiderantur non tantùm in externo effectu, ſed etiam interno effectu. 37, H. opera, contra quæ diſputat Paulus, eſſe vel legis Moſaicæ, vel naturalis. 47, 48. 49, H. opera legis moralis quomodo a juſtificatione excluduntur, quomodo non. 50, H. legis opera, & bona opera a Paulo diſtinguuntur. 81, H. opera, quæ gloriandi anſam præbent, vel ſine gratia Evangelii facta, à juſtificatione excluſa. 81, H. opera gratia præveniente facta vocationi divinæ non repugnant. 84, H. opera gratiæ Dei gratiam ſeu favorem non deſtruunt. 84, H. ἐξ ἔργων & κατὰ σάρκα idem apud Apoſtolum ſignificat. 86, H. ὁ ἐργαζόμενος quid ſignificat. 88, H. operum, quæ a juſtificatione excludit Paulus, ne præſentia quidem neceſſaria. 91, H. bona opera jus habere ad vitam æternam ſolummodo ex pacto, cujus fons mera Dei Patris per Jeſum filium miſericordia. 140, H. bonorum operum neceſſitas ita agnoſcatur, ut gratiæ adjutorium ſit prorſus neceſſarium. 118, H. quo ſenſu dicitur, propter vel non propter fidem, propter vel non propter opera hominem juſtificari. 32, E. opera noſtra nequaquam per ſe aut merito ſuo ad id valere, ut quis juſtificetur. 36, E. aliud eſt dicere, hominem juſtificari 2m. opera ut meritoria, aliud ut conditionem neceſſariam ad ſalutem obtinendam. 61, E. Deuſnon indiget operibus ſignis ut de fide certo judicare poſſit. 79, E. quæ Paulus opera ſecundum quid, quæ ſimpliciter à juſtificatione excludit. 96, 61. A, Diſcrepantia authoris a Bellarmino aliiſq; Pontificiis de juſtificatione & operum meritis, 64, 65, A.
Opiniones diverſæ tolerabiles, ubi nullum ſalutis periculum. 33. E. unicuiq; ſeculo ſuus opinionum torrens. 42, A.
Oracula ſibyllina & Orphei carmina unde nobis prodiere. 19, 20, P. ex oraculis ſibyllinis multa prolata de Rege Meſſia. 20, 21, P. Oracula ſibyllina duplicis generis. 21, P.
Oratio ſive Precatio ſumitur vel latiùs utpote cum gratiarum actione conjuncta, vel ſtrictiùs pro divini auxilii imploratione. 35, P.
Origenes, Vir doctiſſimus. 105, D. de illo in partes iverunt Patres, ſed pars maxima laudat. ibid. plurima ejus ſcripta etiam ipſo vivente, corrupta, & ſpuria ſub ejus nomine edita. 105, 106, D. an Origenes cum Origeniſtis damnatus? 106, 107, D. in Doctrina de Trinitate fuit Orthodoxus. 107, &c. 127, D. vocabulo ὑποστάσεως uſus eſt ſenſu nobis hodie communi. 116, 117, D. Origenem immerito reprehendit Huetius, cujus objectionibus occurrit author. 117, 118, &c. D. Origenis περὶ ἀρχῶν libri omnium ejus ſcriptorum maximè corrupti & interpolati. 122, D. ejus Character. 127, D. idem Hæreticorum malleus, 129, D. occaſio Origenem calumniandi, 130, D. τὸ σωζόμενον ex τῷ ὁμοουσίῳ, colligitur. 196, D.
Originale peccatum ſolum non excludit à promiſſo. 54, 55, A.

P

Pœnitentiam neceſſario requiri ad remiſſionem peccatorum ſeu juſtificationem. 9, H. pœnitentia opus non ſimplex, ſed complexum, & quot in ſe continet. 9, 10, H. eam eſſeæquè neceſſariam

am ac fidem ad juſtificationem. 10, H. pœnitentiæ definitio. 11, E. ejus comites. ibid. pœnitentia univerſalis, quid, 21, E. antecedit & diſponit hominem ad juſtificationis gratiam accipiendam. ibid. pœnitentia duplex, interna & externa. 29, E. pœnitentia de gravioribus peccatis debet eſſe accurata & perfectè practica. 84, E. periculoſa eorum conditio qui peccatis fræna laxantes, in clinica pœnitentiâ confidunt. 86, &c. E. pœnitentiæ partes quatuor. 40, A. pœnitentiam eſſe ad juſtificationem neceſſariam, communiter ſtatuunt probati Eccleſiæ Anglicanæ Theologi. 41, A. ſera pœnitentia incerta. 49, A.

Paracleti vox quid ſignificat. 51, J.

Paræi error de operibus & juſtificatione notatus & refutatus. 34, 35, H. reſpondetur ejus argumentis contra Authoris interpretationem. cap. 7. ad Rom. 62, 63, &c. H. & argumentis ejus quibus opera ex fide profecta à juſtificatione excludere nititur. 87, 88, 89, 90, H.

Paſtoris ignorantia gregi periculoſa. 10, E.

Pater hoc reſpectu ſummus Deus, quòd fons Deitatis & ſolus à ſeipſo Deus. 54, D. Filius ex ipſo Patre generatur ita ut ſit diſtincta perſona non per abſciſſionem ſive diſpertitionem, ſed per ſimplicem eſſentiæ communicationem. 66, 66, 67, D. ipſe Pater immenſus in Filio menſuratur. 78, D. Patris attributa (nempe abſoluta) ipſi cum Filio communia. 88, 89, D. cur preces pleræq; ad Patrem diriguntur? 121, D. Pater & Filius unum ſunt non ſolùm voluntatis conſenſu, ſed etiam ſubſtantiæ unitate. 134, D. Pater ſolus naturam divinam à ſe, i. e. a nullo alio habet, Filius autem a Patre, proinde Pater divinitatis fons; & Filio competit natura divina, non collateraliter aut coordinatè, ſed ſubordinatè. 251, *D.* Pater cum reſpectu ad Filium & Spiritum ſanctum Auctor, Radix, Fons, Caput dicitur. 254, *D.* *D*eus Pater eò quòd radix, fons, &c. *D*eus unus, & ſolus appellatur. ibid. Pater etiam ſecundùm divinitatem Filio major i. e. ſolâ origine, ſecundum verò naturam ambo æquales. 258, *D.* hanc doctrinam ſuis Scriptis confirmant tam Patres Ante-Nicæni, quam qui pòſt vixerunt. ibid. ad hoc probandum citatur Juſtinus. 258, 259. Irenæus. 260, *D.* Clemens Alexandrinus, 260, 261, *D.* Tertullianus & Novatianus. 262, *D.* Origenes. 262, 263, *D.* Dionyſius Alexandrinus & Gregorius Thaumaturgus. 263, 264, *D.* Alexander Alexandrinus, Athanaſius, Baſilius, M. Gregorius Nazianzenus, Chryſoſtomus, Cyrillus Alexandrinus, Marius Victorinus, Hilarius, Auguſtinus, Concilium Sardicenſe. 264, 265, D. cur Pater, qui per aliquas viſibiles formas ſub V. T. non apparuit, ſub N. T. homines allocutus eſt, ratio 277, D. Patrem cur ſymbola antiqua nonnulla διαφορικῶς inviſibilem & impaſſibilem pro fitentur. 278, 279, D.

Patres Ante-Nicæni pro majore parte coæternam Filii cum Deo Patre exiſtentiam aperte & perſpicuè docuerunt, 174. D. Patres Ante-Nicæni nonnulli nativitatem quandam Metaphoricam, mundi creationem proxime antecedentem, filio tribuentes, ejuſdem tamen æternitatem ſtatuerunt. 203. D. quinam illi fuerunt. ibid. in hac re contra Petavium vindicantur Athenagoras, 204, D. Tatianus, 209, D. Theophilus Antiochenus, 214, & D. Hippolytus Martyr. 219, &c. D. Novatianus, 221, D. Patres poſt exortam controverſiam Arianam prioribus ſuffragantur, λόγον apud Patrem ſemper exiſtentiam & tamen ejus ex Patre progreſſionem agnoſcentes, 224, D. Horum in numero ſunt Euſebius Cæſareenſis, 225, D. Zeno Ep. Veronenſis, 226, D. Conſtantinus Imperator, 228, D. Athanaſius, 229, D. Patres Nicæni ad Ante-Nicænos provocant, 292, D.

Patrum ſcripta diligenter legenda. 100, E. 20, A. Patres D. Tullio de juſtificatione per fidem ſimplicem virtutem non ſuffragantur. 21, &c. A. Patrum Hypotheſes. 57. A. Patrum ſententia de Chriſto Deo hæreticis oppoſita. 17, P. Patres ſimile illud Solis & radii, lucis & ſplendoris, uſurpantes quatuor ſignificare voluerunt. 120, D.

Paulus, quo ſenſu dixit ſe in judaiſmo inculpatum vixiſſe. 103, H. contra obedientiam uſquequaq; perfectam tanquam dogma inter Judæos receptum non diſputat. 107, H. cur juſtitiam legalem tam contemptuoſis verbis proſequitur. 108, H. Judæos non à vera ſed à falſa operum juſtitia arcet. 108, H. quænam ſunt opera quæ Paulus à juſtificatione excludit, & quomodo cum Jacobo conſentit. 109, H. 70, E. Pauli obſcuritas præſertim in Ep. ad Rom. 4. E. ejus rei rationes. 5, E. nullus Scriptor ſacer niſi unus Paulus, ipſeq; ἀγωνιστικῶς, hominem juſtificari ex fide ſine operibus docet. 30, E. quod Paulus juſtificationem, alii plerumq; remiſſionem peccatorum appellant. ibid. cur fidei tribuit quod alii pœnitentiæ. 31, E. ſtatûs controverſiæ in Paulo & Jacobo diverſitas. 67, E. tres adverſarios oppugnat Paulus, Ethnicos, Judæos & Chriſtianos judaizantes. 67, 68, E, Authoris interpretationem Ep. Paulinæ in cap. 7, ad Romanos confirmant Patres fere omnes Græci & Latini. 65, &c. A. ejuſdem loci interpretatio Auguſtini abſurda. 68, A. Paulus num Petrum reprehenderit ſeriò, an fictè? 21, J.

Peccatorum graviorum omnes tum Judæos tum gentes reos fuiſſe. 55, H. ſub peccato eſſe quid ſignificat. ibid. peccata graviora nonnunquam ab iis fuiſſe commiſſa quibus inculpata legis obſervatio tribuitur. ibid. ἁμαρτίαν ἔχειν & ἁμαρτίαν πρὸς θάνατον quomodo differunt. 56, H. nullam perfectam peccatorum remiſſionem ſeu ab æterna morte liberationem lege Moſaica promitti. ibid. cognitio peccati ſub lege naturæ imperfectior quàm ſub Moſaica. ibid. Peccatis nonnullis gravioribus a lege Moſaica veniam dari, ſed quæ hanc tantùm vitam ſpectant. 57, H. peccatorum remiſſionem ſpiritualem per Jeſum tantùm. 58, H. peccatores eſſe omnes iræq; divinæ obnoxios, ſed a condemnatione fœdere Evangelico liberari poſſe. 62, E. an datur peccatum aliquod naturâ ſuâ veniale. 83, E. ratio peccati derivatur a lege Dei, non præcisè & totaliter ex natura actûs, 83, E. an primi parentes in ſtatu innocentiæ peccare potuerint venialiter? 84, E. omne peccatum illi mortale, qui non ſeriò dat operam ut omne peccatum effugiat. 84, E. peccantes Deus non ſtatim deſerit. 44, A. peccata quotidianæ incurſionis Sp. S. non excutiunt. 47, A. peccatorum diſcrimen. 48, A. Deus non eſt cauſa peccati. 54, A. peccato venundatus quis dicitur. 73, 74, A.

Pelagii varii errores damnati. 99, 100, E.

Perſeverantia in gratia non certa & infallibilis. 49, A. eâ de re error Valentinianorum, 50, A.

Petavius fidei Nicænæ auctoritatem elevat. 4, D. Pontificiorum cauſæ ſubdolè conſulit, 4, 5, D. in Patres Ante-Nicænos idem nimiùm injurioſus. ibid. & 87. D, 134. D. Origenem falſo incuſat. 106, D. 111, 112, D. Teſtimonia Origenis de æternitate Filii in caſſum nititur enervare. 194, D.

Petri peccati explanatio. 79, A.

Phariſæi legis corruptores. 49, H. fato & aſtris omnia deferunt. 97, E.

Philoſophorum variæ de animæ immortalitate opiniones. 74, H. de libero Arbitrio & gratia Dei rectiùs ſenſerunt Philoſophi gentiles nonnulli quàm Judæi. 97, D. De Philoſophia judicium Patrum, 28, P. Philoſophorum Gentilium Deum unum ſpretis idolis colentium potior conditio quàm hæreticorum Chriſtianorum Chriſtum ſeu Deum negantium. 81, 82, J.

Photius aliorum Scriptorum Cenſor admodum ſeverus. 135, D. ejuſdem adverſus Origenem odium. ibid.

Pietas ad ſalutem neceſſaria nomine cognitionis in Scripturis ſæpe denotatur. 43, H. Pietas genuina in quibus præcipue conſiſtit. 101, E. quod de vera pietate aliorum homo certò non judicet, in cauſa eſt defectus regulæ. 17, A.

Plato quæcunq; de verbo Dei rectè ſcripſit, ab Eccleſia Dei accepit. 27. doctrina περὶ λογου & de Spiritu ſancto illi non prorſus ignota. ibid.

Plinii teſtimonium de Chriſtianis primavis Chriſtum Deum canticis celebrantibus. 189, D.

Pneumatomachi Spiritus S. perſonalitatem negantes refutantur. 57, 58, D.

Polycarpus in vivis fuit, cum ſcripſit Joſtinus. 3, P. Chriſti divinitatem agnovit. 52, 53, D. extat ejus epiſtola ad Philippenſes & fragmenta quædam, cætera periêre. ibid. precatio ejus martyrium ſubituri. 53. D.

Pontificiorum de juſtificatione ſententia 62, A. eorum blaſphema δοξολογία. 55, A.

Poſſibilitas implendæ legis, dogma patrum Primitivorum. 53, 54, H.

Precationem nunquam in Lege Moſaica univerſaliter præſcriptam. 70, H. Episcopii error hoc de re. ibid.

Index Rerum

De Prædeſtinatione quæſtiones curioſæ vitandæ. 56, A. ex prædeſtinationis conceptu vita non dirigenda. 57, A. è prædeſtinationis definitionibus nimiùm particularibus pullularunt peſſimi errores. ibid.

Principii ſignificatio quotuplex. 252, D.

Proprietates tribus Deitatis perſonis congruentes. 200, D.

R

Redemptio univerſalis propugnatur. 38, 39, E. ſub certa conditione oblata. ibid. non ipſam, ſed jus ad ipſam nobis dari. ibid. Redemptio univerſalis eſt Eccleſiæ Anglicanæ Doctrina. 52, 53, &c. A. Myſterii redemptionis humanæ deſcriptio. 69, D.

Reconciliatio ſancito cum hominibus fœdere oblata, actualem reconciliationem non includit. 41, E.

Reditionis ad Deum ſive reſipiſcentiæ noſtræ modus. 40, A.

Reformationis Anglicanæ authores Calvinum non ſunt ſecuti. 57. A. dogmata quædam particularia, in quibus ab eo diſſentiunt. ibid.

Remiſſio peccatorum & juſtificatio Evangelica ſubjectô non differunt. 25, E. remiſſionem peccatorum ibi eſſe poſſe, ubi juſtificationi ſtrictè ſumptæ non eſt locus, & vice versâ. ibid. remiſſio peccatorum nuda ſive ſimplex & legitima quomodo differunt. 26, E. remiſſionem peccatorum & juſtificationem diverſo reſpectu dici poſſe & actus gratiæ, & actus juſtitiæ. 26, E. ubi nulla culpa, ibi culpæ remiſſioni nullus locus. 27, E. remiſſionem peccatorum noſtrorum ſatisfactioni Chriſti bene convenire. 27, 28, E. remiſſionis & juſtificationis Evangeliæ conditio eadem. 28, E. remiſſio peccatorum non ſolùm fidei, ſed & aliis operibus, præſertim pœnitentiæ, in Scripturis tribuitur. 31, E. in Evangelio graviſſimorum peccatorum, etiam poſt acceptam gratiam commiſſorum, remiſſionem verè pœnitentibus promitti. 84, E. conditiones ſub quibus remiſſio peccatorum promittitur. 18, A. actus varii, per quos peccatorum remiſſionem obtinemus, ſecundum Origenem &c. 26, A. remiſſio peccatorum probat Chriſtum eſſe Deum. 85, D.

Reſtitutio, ubi facultas ſuppetit, neceſſaria, ut pœnitentia ſit vera. 10, H.

Reſurrectio Philoſophis ignota. 74, H.

Ruperti Tuitienſis laus. 233. contra Petavium vindicatur. ibid. Tranſubſtantiationis dogma oppugnat. ibid.

S

Sadducæos Prophetarum ſcripta non repudiâſſe. 74. eorum error de libero Arbitrio. 98, H. 93, E.

Sacrificia legalia proſuiſſe tantùm ad hanc vitam. 57, 58, H.

Salutis impetratio & applicatio quomodo differunt. 115, H. Salutis humanæ ordo. 18, E. ad Salutem neceſſaria quædam requiruntur abſolutè, quædam ex hypotheſi. 20, E. Salutis obtinendæ methodus ſecundum Auguſtinum. 24, 25, A. Salutem quomodo conſequuntur qui ante Legem Moſaicam, qui ſub lege Moſaica, & qui poſt Chriſti adventum vixerunt. 22. J.

Sanctificatio & Juſtificatio res diſtinctæ, ſed tamen inter ſe connexæ. 96, E.

Sandius quidvis comminiſcitur potiùs quàm verum agnoſcat. 73, D. ejus commentum de Tertulliani ſententia refellitur. 66, 97, D. ejuſdem audax de Hippolyti opuſculis cenſura refutatur. 98, 99, D. Fabulas & manifeſta mendacia, ut cauſæ Arianæ inſerviat, undiq; conquirit & congerit. 133, 134, D. Dionyſii Alexandrini calumniator fuit impudens. 146, &c. D. reſpondetur illi, fingenti Filium aliquando ſolùm in potentia fuiſſe. 200, D. nullâ nixus authoritate, codices corruptos pronuntiat. 260, D.

Satisfactio Chriſti neminem ipſo facto liberat, ſed pœnitentiæ locum fecit. 28, E. non obſtante ſatisfactione Chriſti, miſericordiæ Dei deputandum eſt, quòd pœnitentiæ copiam largitur. ibid. de ſatisfactione Chriſti doctrina Catholica. 9, A. non in Deo, ſed hominibus cauſa eſt, ſi ſatisfactionis beneficium non recipiunt. 52, A.

Saul & Judas an unquam fuere Sancti. 45, A.

Scripturæ Authoritas. 1, H. in ea ἐναργοφανεία qua occaſione. ibid. 34, A. Phraſes Scripturæ peculiares ex Scriptura, non ad uniuſcujuſq; arbitrium, exponendæ. 73, A. Juſtini ſententia de Scripturæ authoritate. 26, 27, P. particulæ excluſivæ in Scripturis nonnunquam ſimpliciter, nonnunquam ſecundum quid excludunt. 30, P.

De Scriptore in aliud intento non temerè judicandum. 48, D.

Simonis Magi de bonis operibus error. 13, 33, H. ejus Helenæq; ſimulacra à ſequacibus adorata. ibid. ab ejus hæreſi univerſi Eccleſiæ Doctores abhorruerunt. 9, P. quæ Deo Patri & Chriſto conveniunt, ſibi & Helenæ ſuæ attribuit. 11, P. Hæreticorum Princeps fuit. 184. D.

Siſinnii Hiſtoria & conſilium de controverſiis in Eccleſia finiendis. 292, 293, D.

Sociniſtæ meritum ex condigno rejiciunt. 71, E. Chriſtum naturâ merum eſſe hominem affirmant. 8, A. negant illum pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe. 9, A. juſtificationis cauſam meritoriam non agnoſcunt. 10, A. falſò affirmant, Juſtinum doctrinam de Chriſto Deo primum introduxiſſe. 1, P. Ebionem hæreticum ſequuntur. 12, P. Sociniſtæ, dum Pontificiorum ſomnium de invocatione Sanctorum in viſione in ſpeculo Trinitatis fundata meritò rident, ſeipſos condemnant. 33, P. Chriſtum invocare nos teneri negat Socinus. 34, 35, P. de adoratione Chriſti inter Sociniſtas diſcordia. 36, P. Sociniſtæ Ebionæis de Filio Dei pejùs ſentiunt quàm ipſi Ariani. 192, D.

Solifidianorum error Chriſti verba explicantium: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* 15, 16, H. adverſus illos & Antinomos argumentum invictum. 18, H. alterum. 95, H. eorum doctrinam à ſcopo Pauli eſſe alieniſſimam. 107, H. in eodem errore conſpirant cum illis Judæi & Gnoſtici. 108, H. bonorum operum neceſſitatem negantes, meritum inducunt. 115, H. Reformati à Solifidianiſmo purgantur. 41, A.

Spes quid ſit. 10, E. quomodo à fide differt. ibid. charitatem includit. ib. juſtificationem ſequitur. 56, E. actuum fidei, fiduciæ, & ſpei Chriſtianæ ordo. ibid.

Spiritus ſancti promiſſum, Evangelii privilegium. 76, 78, H. an Spiritus ſanctus V. T. temporibus datus? 79, H. Spiritum ſanctum legis tempore parcè, Evangelii tempore effuſiſſimè dari. 79, H. Spiritum ſanctum quidem ſub lege, ſed non ex lege dari. 79, H. quomodo & cur Spiritus Sanctus in N. T. ſæpius ponitur poſt fidem? 80, H. Spiritus Sancti appellatio quomodo omnibus S. S. Trinitatis perſonis tribuitur, & quomodo tertiæ Perſonæ propria. 18, 19, D. Spiritus Sanctus perſona à Patre & Filio diſtincta, eaque divina. 55, D. cur in δοξολογίαις non ſolùm *cum Spiritu Sancto*, & *Spiritui Sancto*, ſed & *in Spiritu Sancto*, dixerunt Veteres. 56, D. Spiritus Sanctus Filiô dicitur minor, non naturæ, ſed originis reſpectu. 58, D. Spiritum Sanctum non eſſe meram Patris ἐνέργειαν ἀνυπόστατον, ſed perſonam diſtinctam, ejuſdemq; cum Patre & Filio naturæ & eſſentiæ probatur ex Irenæo. 82, 83, D. cur Spiritus Sanctus *Sapientiæ* nomine deſignatur, cum hoc uſitatiùs Filio tribuatur. 274, D.

Studioſis Theologiæ datæ directiones. 6, A.

Subordinationem Filii ad Patrem aperte docuerunt Patres Ante-Nicæni. 252, D. in eadem doctrina conſentiunt Patres poſt Concilium Nicænum, quorum teſtimonia deinde producuntur. 252, viz. Athanaſii, Gregorii Nyſſeni, ibid. Baſilii, Gregorii Nazianzeni, Damaſceni, Marii Victorini. 253, D. Auguſtini. 254, D. Filius Patris miniſter dicitur ſecundum Perſonarum ſubordinationem, non inæqualitatem naturæ. 258. D. Subordinatio Filii (itemq; Spiritus ſancti) ad Patrem, ut ad ſui originem & principium cognitu credituq; neceſſaria, ut Filii Divinitas ita adſeratur, ut tamen Dei unitas conſervetur. 280, D. hæc fuit doctrina Patrum, ut appareret ex Teſtimoniis Tertulliani. 281. D. Novatiani. ibidem. Hippolyti & Origenis. 282, D. Athanaſii. 283. D. Baſilii M. Gregorii Nazianzeni, Cæſarii, Damaſceni. ibid.

Σωώδεσθαι τῷ νόμῳ quid ſignificat. 79, A.

Supererogationis operibus ſub Evangelio locum non dari. 82, E.

Symbolum apud Irenæum variè, ſed in eundem ſemper ſenſum, propoſitum exponitur, 32, &c. J. Symbolum apud Tertullianum vel obiter, vel pleniùs recitatum

tatum Episcopii assertionem evertit. 34, J. Symbolum dictum Apostolicum unde natum, & quando completum. 35, J. Ecclesia Romana breviori Symbolo usa, quàm Ecclesiæ Orientales, ejusq; rei ratio. 35, 36, J. Symbolum Romanum Christi divinitatem profiteri probatur. 36,37,J. Articuli de Christo in Symbolo dicto Apostolico quomodo intelligendi. 44, J. Symbola Ecclesiæ, Ecclesiæ non Hæreticorum sensu exponenda. 46, J. Ecclesiæ Orientales & Occidentales ante Concilium Nicænum sua Symbola habuere. 47, J. post Concilium Nicænum antiqua sua Symbola non abjecerunt. 47, 48, J. post Concilium Nicænum (quod ad omnes Ecclesias pertinet) antiquis suis Symbolis in baptismo usæ sunt Ecclesiæ. 48, J. Symbolum vetus Ecclesiæ Hierosolymitanæ. ibid. quæ subjiciuntur post illa, *in Spiritum Sanctum*, ex Symbolo Constantinopolitano non fuisse desumpta, sed in antiquissimis Orientis Symbolis posita fuisse probatur. 49, 50. quænam in Symbolo Hierosolymitano antiquo adversus Gnosticorum deliramenta sunt directa, 51, 52, &c. J. quænam in Symbolo negarûnt Gnostici, ejusdemq; farinæ hæretici. 54, 55, J. Articulus de Deo Patre & Filio in Symbolo Hierosolymitano aliisq; subsequentibus ita comparatus, ut varias Gnosticorum blasphemias manifestissime feriat. 55, J. Symbolum Hierosolymitanum, quod et vetus Symbolum Orientale, omnibus Symbolis Occidentalibus, etiam ipso Romano, antiquius. 56, J. quibus gradibus & quibus rationibus Symbola tam in Oriente quàm in Occidente aucta sunt, & verbalium inter ea differentiarum ratio. 56 57, J. Patres Nicæni necesse habuere clausulam de ὁμοουσίῳ veteri Symbolo addere. 59, J. nihil veteri Symbolo additum, quod non in ipso antea διωάμει continebatur. ibid. Ariani vetera Symbola perversè & contra sensum suum interpretantur. 60, J. Symbolum, quod dicitur Apostolicum, (demptis duobus articulis) ipsâ Apostolorum ætate, eorumq; autoritate vel permissione, ad hanc,quâ nunc utimur,formam & magnitudinem excrevit, 65, &c. J. probatur hoc ipsius Scripturæ testimoniis. 62, 63, &c. J. Symbolum Apostolicum Judæorum & Ethnicorum erroribus esse oppositum, & in usu fuisse Ecclesiæ ante primas sparsas hæreses. ibid. Symbolum Apostolicum per singulos articulos Apostolorum temporibus coævum, & sacris Scripturis consentaneum probatur. 62, &c. J.

Synodus Lateranensis, *Essentiam Divinam nec generari, nec generare*, perperam decrevit. 255, D.

T

Tertullianus Christum Deum Patri ὁμοούσιον apertissime testatur. 93, &c. D. Ignatii Græcum textum latinè vertit, quamvis nominatim non citet. 49, D. quomodo duriores ejus nonnullæ locutiones sunt exponendæ. 95, D. hæresin postea Eutychetis dictam impugnat. 99, 100, D. etiam cum hæreticus esset, de Trinitate rectè sensit. 132, D. absurda quædam de Filio Dei protulit, aliis verò in locis rectiùs loquitur. 234, D. nimiùm servit suæ hypothesi. 235, D. de Deo incautiùs loquitur. 236,D. ejus Doctrina de Filio Dei multis explicatur. 237, &c. D. quo sensu *corporis* vocabulo usus est. 243, D. quo sensu Filium Spiritum & rationem Dei, quô Sermonem appellat. 243, 244, D. Valentinianorum Æones impugnans, etiam Arianos jugulat. 245, D.

Testamentum vetus sumiter vel strictè pro fœdere in monte Sinai, vel latè, & sic comprehendit omnia, quæ in Mose, Prophetis, & Hagiographis continentur. 98, E.

Thomæ Tulli S. T. P. vanitas & insinceritas. 34, A. ejusdem malæ artes. 4, 5, A. idem Ecclesiæ Anglicanæ Presbyteros & Præsules falsò incusat. 5, A. ejus de Justificatione errores. 11, 12, A. ejusdem prævaricatio. 13, A. sibi contradicit. 14, A. statum quæstionis male explicat. 17, A. Homiliam Ecclesiæ Anglicanæ torquet & depravat. 32, A. Dogma de Ethnicorum salute nostratium nonnullis falsò affingit. 34, A. multa Ecclesiæ Anglicanæ Doctrinæ repugnantia docet. 39, &c. A. apertus est Solifidianus. 59, A. calumniæ ejus in Authorem directæ diluuntur. ibid. Authorem falsò citat. 61, A. Calvinismus Tullio curæ cordiq; 61, A. Tullii criminatio in ipsum rejecta. 62, A. Pontificiis pejùs errat. ibid. ejus egregiæ & non ferendæ in Authorem calumniæ. 63, 64, A. omnibus ejus futilibus argumentis adversus Authoris interpretationem Divi Pauli in cap. 7mo. ad Rom. plenè respondetur. 70, 71, &c. A.

Timor Mancipii & Filii quomodo differunt. 11, E. Timoris filialis effectus. ibid. timoris filialis & servilis discrimen. 37, A.

Tobiæ Crispi assertiones horrendæ de pœnitentiâ & Oratione. 37, E.

Tridentina conventio non generale Concilium. 5, D. Patres Tridentini eorumq; sequaces Pseudo Catholicam suam fidem super veræ fidei ruinas ædificant. ibid. additamenta sua veræ fidei regulæ assuunt. ibid.

Trinitatis opera extranea tribus personis communia, sed quædam huic vel illi personæ specialiter attribui solent. 136, 165, D. in Trinitate nihil creatum, nihil superinductitium vel adventitium, quasi priùs non existens, posteriùs verò adveniens. 151, D. in Trinitate una Persona, scilicet Pater, causa; duo verò causata, Filius nempe & Spiritus Sanctus. 253, D. unicum in Trinitate principium principii expers. 254, D.

U

Unigeniti sive unici Filii Dei titulus constanti Catholicorum doctrinâ divinam ejus ante omnia sæcula generationem significat. 56, J.

Unionis Deitatis & Humanitatis in Christi personâ ratio. 84, D. 108, D. unionem in divinis personis absque sectione, divisione, aut separatione (salva tamen personarum distinctione) docent Patres, tam qui ante, quàm qui post Concilium Nicænum floruerunt, 286, seq; D.

Ubiq; esse in solam divinitatem competit. 108, D.

Unitas Patris, Filii, & Spiritus Sancti quæ & qualis. 130, D.

Ὑποστάσεως & οὐσίας voces quàm variè ab antiquis acceptæ. 112,113,&c, D. ὑπόστασις proprie significat rem per se subsistentem, quæ in rebus intellectu præditis eadem est ac persona. 113, D. in Trinitate tres sunt hypostases distinctæ, sed non divisæ. 114,D. ὑπόστασιν & οὐσίαν in Symbolo Nicæno an rectè distinxit Basilius. M. 114,115, D. quo sensu Patres Sardicenses Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum μίαν ὑπόστασιν dixerunt. 116, D. vocabulô οὐσίας καὶ φύσεως pro hypostasi nonnunquam usi sunt Orientales. 159. D.

V

Veritas cælitus patefacta Philosophiæ gentilis amorem extinguit. 26, P.

Veterum Scripta à Theologiæ studioso præ cæteris legenda. 2, E.

Virtus in se amabilis, sed langueścit, si desit præmium sufficiens. 69. nuda potentia sine actu virtutis neminem salvat. 83, H. dogma de instantaneâ virtutum simul omnium infusione esse erroneum. 14, 15, A. ordo, quo per Spiritûs Sancti gratiam virtutes salutares nobis ingenerantur, explicatur. 15, 16, A.

Vita æterna Dei donum merè gratuitum. 51, H. an in V. T. ullum omnino extet vitæ æternæ promissum? 72, H. an fuerunt sub lege, qui vitam æternam sperârunt? 72, 73, H. quo sensu dicitur Christus vitam & immortalitatem in lucem produxisse. 73, 74, H. vitam æternam nulli, licet perfectissimè operanti, ex merito deberi. 88,H. 77, E. vitam æternam in V. T. strictè sumpto promissum esse, error Pelagii. 99, E.

Voluntas absoluta & constans necessariò secum trahit actionem. 77, A. volitionis & velleitatis differentia. ibid. *velle* & *perficere* apud Apostolum quomodo sibi opposita. 78, A.

Vulgi Christianorum sermo simplex ætate Tertulliani. 238, D.

Z

Zuickeri fabulosa & impia de Christo sententia. , P. idem Ebionita est, 12, P. ejus insulsum de Orphei Carminibus figmentum, 19, P. refutatur. 19, 20, 23, P. conjecturam ejus de Justini sententiâ, Christo naturam divinam adscribentis, falsam esse & ridiculam, probatur. 24, P. ipse sibi & suæ sententiæ diffidit. 24, 24, P. falsò asserit, Justinum jam Christianum Platonismo nimiùm addictum. 25, P. in Scriptis Justini aut non omnino, aut leviter admodum versatus. 29, P. conjecturæ suæ causas se mutuò destruentes assignat. 29, P.

FINIS.

JUDICIUM
Ecclesiæ Catholicæ

TRIUM PRIMORUM SECULORUM,

DE

NECESSITATE CREDENDI,

Quod Dominus noster Jesus Christus sit verus Deus,

ASSERTUM CONTRA

M. Simonem Episcopium, aliosque.

AUTHORE

GEORGIO BULLO, S.S.T.P.

Presbytero Anglicano.

Accessere in hac Editione Annotata quædam *I. E. GRABE.*

LONDINI,

Impensis *Richardi Smith*, ad Insigne Angeli & Bibliorum extra Temple-Bar. MDCCIII.

Imprimatur.

HENR. ALDRICH

VICE-CANC. *OXON.*

Jun. 4. 1694.

PRÆMONITIO
AD
LECTOREM.

DUM in evolvendis M. Simonis Epiſcopii Inſtitutionibus Theologicis olim verſarer, perlectô capite triceſimô quartô lib. 4. Sect. 2. De neceſſitate credendi modum Filiationis Divinæ Ieſu Chriſti ; *ad privatos uſus conſcripſi, ſeu potiùs velut primis lineis deſignavi, Reſponſionem ad argumenta, quibus ibidem Vir eruditus probare conatus eſt, articulum de Filii Dei Servatoris noſtri divina ex Deo patre ante ſæcula generatione, in primitivis Eccleſiis pro creditu ad ſalutem neceſſariô minimè habitum fuiſſe, adeoque Eccleſias illas communionem coluiſſe cum iis, qui articulum iſtum negarent, Chriſtumque purum putum eſſe hominem, qui ante B. Mariam non extiterit, crederent ac docerent. Brevem verò iſtam reſponſionem haud ita pridem ab amicis rogatus, latiùs deduxi, pluribuſque auxi ; additis quoque tribus integris capitibus, in quibus tum ex primævorum Patrum teſtimoniis, tum ex Hiſtoria Eccleſiaſtica, Epiſcopii ſententiam luculenter, nî fallor refutavimus.*

Quid autem me impulerit, ut hoc, quicquid eſt, operis in publicum aliquando exire permiſerim, dicam brevi. Prodiere in Anglia noſtra, intra paucos abhinc annos, Scripta non pauca hominum nefariorum, qui dogma fidei noſtræ κεφάλαιον, in quo certè Chriſtianiſmi cardo vertitur, (de Filio nempe Dei, ante omnia ſæcula ex ipſo Deo Patre nato, verô Deô de Deo vero, per quem omnia condita fuere, noſtræ ſalutis cauſâ incarnatô, homineque factô) labefactare atque evertere omni ope adniſi ſunt ; eorum aliis Arianam, aliis verò Samoſatenianam blaſphemiam impudenter propugnantibus. De quibus non injuriâ dicam, quod de Scriptis Lælii Socini, Franciſci Davidis, Blandratæ, aliorumque ejuſdem farinæ Hæreticorum ſui ſæculi, pronuntiavit Vir magnus, Hieronymus Zanchius : * Legi, quanquam magno cum ſtomacho, novorum Arianorum & Photinianorum inepta deliria. Atque hoc poſſum affirmare, in horum Scriptis nihil à me lectum fuiſſe, quod aliquid ſaltem habeat acuminis ; ſicut multa habuerunt veterum Hæreticorum libri. Omnia enim ſunt vel vetus κεφάλαιον centies repetita, vel novæ ineptiæ. *His tamen, (ne vani ſcil. homines triumphum agerent, infirmique ipſorum qualibuſcunque ſtrophis à Catholica veritate ſeducerentur) editis ex adverſo Scriptis, occurrerunt Viri quidam è Noſtratibus pii atque eruditi, qui eô certè nomine à bonis omnibus gratiam ac laudem meruerunt.*

*In Epiſt. Dedicat. libr. de tribus Elohim.

Inter hæc verò emerſere nonnulli, qui ſe Mediatores ſcilicet, paciſque ſequeſtros in hac controverſia interponere, parteſque inter ſe longè disjunctiſſimas, maximèque diverſas, Eccleſiam nempe Catholicam atque Hæreticos, hoc eſt, Chriſtum & Belial, conciliare & conjungere aggreſſi ſunt. Hi homines cum veritatem articuli de coeſſentiali Dei Filio cum Catholicis ſe tenere atque credere profiteantur ; (utinam ſincerè !) ejuſdem tamen neceſſitatem minimè agnoſcunt : rati ſcilicet, ad ſalutem ſufficere, ſi in Ieſum Chriſtum, Filium Dei, humani generis Salvatorem, quoquo modô credatur ; neque multum referre, merum ipſum hominem aut creaturam eſſe, gratiâ tantùm atque adoptione Deum factum atque ad Divinos honores evectum, an verò verum, hoc eſt, naturâ Deum exiſtimes. Atque hanc ſuam ſententiam tuentur iiſdem fere argumentis, quibus Epiſcopius utitur, quæque ille à Socino mutuatus eſt. Vociferantur, Patres Nicænos primùm τὸ ὁμοούσιον *Filii ſancivisſe, atque in diverſum ſentientes anathema temerè denuntiâſſe ; primitivam verò Eccleſiam longè mitiorem fuiſſe, atque, ut tenerrimam ſcil. matrem decuit, in gremio ſuo foviſſe etiam eos, qui Chriſtum Servatorem ſuum naturâ non niſi* ψιλὸν ἄνθρωπον *crediderunt : quod ex Symbolo, Apoſtolorum dicto, atque ex celebri loco Juſtini Martyris, in Dialogo cum Tryphone, probatum eunt. Hæc nimirum in eorum Scriptis utramq; fere paginam faciunt. Sed quàm fruſtra hæc ab ipſis afferantur, in ſequenti Tractatu clarè oſtenſum eſt.*

Cæterum aſſertio Epiſcopii, cui iſti, ut videtur, temerè fidem habuerunt, quamque nos refutandam ſuſcepimus, ejuſmodi eſt, ut qui ipſam affirmare auſus fuit, vel primævorum Patrum Scripta veteremque Hiſtoriam Eccleſiaſticam vix à limine ſalutâſſe, vel certè contra ſuam ipſius conſcientiam ſcripſiſſe, judicandus ſit. Poſterius illud de Epiſcopio credere vetat Charitas, longèque à me abeſt, ut ipſe credam. Anne igitur in veteris Eccleſiæ monumentis minùs verſatus fuit ? Ne ſic quidem magnæ temeritatis notam effugiet, qui de primitivæ Eccleſiæ ſententia, ſibi minùs explorata, præſertim in re tanti momenti, tam fidenter pronuntiaverit ; adeoque conſequenter optimorum ſæculorum Doctoribus, Epiſcopis, Confeſſoribus, Martyribus graviſſimam impoſuerit contumeliam ; quaſi ſcilicet in tutando capite religionis Chriſtianæ omnium maximo tepidi, imò prorſus frigidi fuiſſent. Verùm ita profectò res eſt. Vir ſane magni ingenii, atque in multis non vulgariter doctus, veterum Patrum ac Doctorum Scripta parum vel conſuluit, vel curavit, imò planè contempſit. Audi ipſum Wadingo Jeſuitæ, Patres & Concilia falſò crepanti, reſpondentem, ſenſumque mentis ſuæ liberè aperientem his verbis : * Dicam hîc ſemel quod ſentio. Nunquam me compinges in piſtrinum illud, mi Wadinge. Ego ex illo muſtaceo laureolam non quæro ; nec invideo multæ lectionis & capacis memoriæ gloriam iis, quibus lubet in iſto Conciliorum ac Patrum Oceano ſemper errare ac fluctuare, in eoque otium & induſtriam ſuam omnem occupare. Neque enim tanti facio, cujus me pœnitere aliquando poteſt. *Scilicet in laudabile ſtudium ſedulamq; lectionem veterum Patrum & Conciliorum incumbere, ipſi eſt,* in muſtaceo laureolam quærere ; *hoc eſt, (ut Eraſmus adagium exponit) ex frivolo negotio captare famam haud præclaram, neque magnificam ; illud ipſi nihil aliud eſt, quàm oleum atque operam perdere, atque id agere, cujus te aliquando pœniteat. Et mox ibidem, poſtquam Scriptis Sanctorum Patrum (quibus vel Patrum nomen ac titulum ipſis vulgò tributum ſibi diſplicuiſſe profitetur) authoritatem atque exiſtimationem pe-*

* Reſp. ad Epiſt. Wading. c. 1.

nè

nè omnem ratiunculis quibuſdam ſuis adimere conatus fuiſſet, ita demum concludit : Hæc cauſa eſt, cur in iis (*Patrum ſcil. Scriptis*) operam magnam non ponam.

Quàm vellem autem, Patres ſaltem ac Scriptores trium primorum ſæculorum hîc excepiſſet ! Iis certè legendis ſi plus temporis atque ſtudii impendiſſet, operam navâſſet, neque ſibi, neque Eccleſiæ Chriſti pœnitendam. Nunquam Arianorum ac Sociniſtarum patrocinium eatenus ſuſcepiſſet, ut ipſorum de perſona Servatoris noſtri doctrinam, ſub obtentu auctoritatis ac ſententiæ primævarum Eccleſiarum, ut erroneam fortaſſe quidem, ſed minimè hæreticam excuſaret , quam Eccleſiæ illæ omnes, ut hæreſin pernicioſiſſimam ac θανατηφόρον, *conſentiente calculô ac judiciô damnaverunt.*

Hoc ſatis, opinor, abundeque demonſtratum habes in ea, quam nunc tibi exhibemus, Diſſertatione : quæ quidem pro coronide ad Defenſionem Fidei Nicænæ, *ante aliquot annos à me editam, haberi poteſt. Sicuti enim eô in opere Symbolum ipſum Nicænum ab Hæreticorum calumniis vindicavimus, doctrinamque in eo traditam fidei Eccleſiæ Catholicæ trium primorum ſæculorum planè conſonam eſſe, fusè atque evidenter oſtendimus ; (nemine ex ſanctæ Synodi Adverſariis quicquam adhuc, quod ſciam, reponente ;) ſic in hoc opuſculo* ἀναθεματισμὸν, *Symbolo iſti annexum, tuemur ac defendimus. Hinc enim clarè elucet, Patres Nicænos convenienter ſententiæ primarum Eccleſiarum, quæ inde ab ipſis uſque Apoſtolorum temporibus fuerunt, ſuam fidei confeſſionem hôc anathemate ſancivisſe :* τὸς δὲ λέγοντας, ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὸ τοῦ γεννηθῆναι οὐκ ἦν, καὶ ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι, ἢ κτιστὸν, ἢ τρεπτὸν, ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τούτους ἀναθεματίζει ἡ καθολικὴ & ἀποστολικὴ ἐκκλησία. *i. e.* Eos autem qui dicunt, erat, quando non erat, priuſquam naſceretur non erat, aut ex non exiſtentibus factus eſt, vel ex alia hypoſtaſi ſive ſubſtantia, vel creatum, aut convertibilem, aut alterabilem dicentes Dei Filium, hos anathemate ferit Catholica & Apoſtolica Eccleſia. *Hoc judicium Eccleſiæ Chriſti univerſalis, omnium temporum, reverebuntur certè pii ac ſobrii omnes, adeoque ab* ἀρνησιθέῳ *Samoſatenianorum ſimul & Arianorum hæreſi cavebunt ſibi, totoque animo abhorrebunt. Quod ut tu quoque facias, Lector, (quiſquis es) te ſeriò hortor, ac valere jubeo.*

INTRO-

INTRODUCTIO.

VIR doctiſſimus, M. Simon Epiſcopius in Theologicis ſuis Inſtitutionibus, Lib. 4. Sect. 2. Cap. 33. poſtquam oſtendiſſet, " Deum Ieſu Chriſti " Patrem, & Ieſum Chriſtum Dei Patris " Filium, etiam quatenus homo eſt, quatuor modis κατ' ἐξοχὴν in Scripturis " vocari; nimirum ratione conceptionis ex " Spiritu Sancto, muneris Mediatorii, reſurrectionis à mortuis, ac denique exaltationis ad dextram Patris; deinde addit, " & ex locis quibuſdam S. Scripturæ & ex " rationibus Scripturâ nixis probat (quanquam ſane in tota illa diſputatione frigidum nimis tantæ veritatis vindicem ſe " oſtendat) ἐξοχὴν illam Filiationis, ſive " Filii Dei, Ieſu Chriſto competere aliâ inſuper ac magis peculiari ratione, quæ ad " aliquem iſtorum quatuor modorum, ac " proinde ad Ieſum Chriſtum, quatenus homo eſt, referri non poteſt; quia ſcil. de " Ieſu Chriſto, i. e. de eo, qui poſtea Ieſus Chriſtus dictus fuit, ſic non rarò loquatur Scriptura, ut dubitari vix poſſit, " quin is revera extiterit, tanquam vera atque unica Patris ſui proles, antequam ex " Maria matre ſua homo naſceretur; atque " adeo (ut poſtea ſe pleniùs explicat) ante rerum omnium creationem, idque ita, " ut per ipſum condita fuerint univerſa, ac " proinde Deus ipſe fuerit. "

Tandem verò Cap. 34. ejuſdem Libri, pro more ſuo, inquirit: *An quintus iſte modus Filiationis Ieſu Chriſti ad ſalutem ſcitu ac creditu neceſſarius ſit, iiſque, qui illum negant, anathema dicendum ſit?* Et partem Quæſtionis negantem it defenſum tribus argumentis: quorum duo priora aliis diſcutienda relinquemus; nos tertium ſolummodo (quod noſtræ quaſi ſortis id negotium videatur) ad examen hîc revocare conſtituimus.

Argumentum hujuſmodi eſt: " In primitivis Eccleſis, quæ ab ipſis uſque Apoſtolorum temporibus, ſaltem per tria integra ſæcula, fuerunt, Fides ac Profeſſio " ſpecialis hujusmodi Filiationis ad ſalutem " ſcitu ac creditu neceſſaria judicata non fuit; ergo, cur jam neceſſaria credatur, cauſa non eſt. Ratio conſequentiæ per ſe " manifeſta eſt ex regula Vincentii Lirinenſis: quod neceſſarium ſcitu & credi- " tu eſt ad ſalutem, id ubique, ab omnibus, " & ſemper pro tali habitum ac creditum " eſſe in Eccleſia Chriſti ut ſtatuatur, nec- " eſſe eſt. "

Conſequentiam ambabus (quod aiunt) ulnis amplexamur; ad Antecedens verò quod attinet, (ut ignoſcamus Epiſcopio Solœciſmum in verbis illis: *Fides ac profeſſio ſpecialis hujusmodi Filiationis ad ſalutem ſcitu ac creditu neceſſaria judicata non fuit*, cum dubio procul voluerit, Fidem iſtam ac profeſſionem ad ſalutem neceſſariam non fuiſſe judicatam) illud apertè falſum eſſe contendimus, atque hôc qualicunque opere noſtro abunde demonſtrabimus.

Hoc unum præmonemus, judicium primarum Eccleſiarum de neceſſitate hujus (alteriuſve alicujus noſtræ religionis) articuli, nobis ſeris nepotibus haud aliâ certiori ratione conſtare poſſe, quàm primò conſulendo Catholicorum Patrum & celebriorum in Eccleſiis illis Doctorum Scripta & monumenta, quæ extant, ut inde, quid illi hac de Quæſtione ſenſerint, cognoſcamus: deinde perſcrutando Hiſtoriam Eccleſiaſticam de iis, qui in primis ſæculis Ieſu Chriſti Domini noſtri Divinitatem negârunt; ut intelligamus, cujuſmodi in ipſos ſententiam tulerint illorum temporum Eccleſiæ; utrum in communione ſua eoſdem retinuerint, an rejecerint, ut à corpore Chriſti alienos. Eſt quidem & tertia ratio dignoſcendi, quæ dogmata primæva Eccleſia pro creditu neceſſariis habuerit, nempe ex Symbolis & Fidei confeſſionibus, quas ab iis, qui communione ſuâ frui vellent, exigebat. Neque hanc rationem declinamus ipſi, imò lubentes amplectimur, ut in ſequentibus liquebit. Verùm cum in hac temporum fæce quamplurimi vetera Eccleſiæ Symbola, ut & ipſa ſacra Eloquia, non ſecundum Eccleſiaſtici & Catholici ſenſûs normam, (quod monuit Vincentius) ſed pro libitu ſuo interpretentur; quin & ex Symbolo vulgari, quod Apoſtolorum dicitur, Epiſcopius aliique ipſum ſecuti, pro ſententia ſua argumentum depromſerint; ideo ſatius mihi viſum eſt, quæ de Symbolis dicenda habeo, in eum locum rejicere, ubi ad illorum argumenta reſpondetur.

Quibus præmissis assertionem Episcopii hâc methodô facilè refutabimus. Primò testimonia adducam Patrum primævorum, satis apertè docentium, dogma de Christi vera Divinitate ad salutem creditu prorsus necessarium esse. Deinde ex Historia Ecclesiasticâ ostendam, neminem unquam in primis sæculis Iesu Christi Domini nostri divinam ex Deo Patre ante omnia sæcula generationem negâsse, quin propterea Catholicæ Christi Ecclesiæ communione protinus ejiceretur, & pro Hæretico habitus fuerit. Denique ad argumenta, quibus Episcopius Antecedens suum probare nititur, fusissimè respondebo. Hic scopus, hic hujus Dissertationis nostræ terminus.

CAP. I.

Afferuntur primævorum Patrum testimonia, docentium, articulum de Servatoris nostri Divinitate ad salutem creditu planè necessarium esse.

§. 1. A Patrum primævorum testimoniis initium faciam. Ignatius, Apostolorum, saltem Johannis Apostoli, Symmysta, in genuinis suis Epistolis ab Isaaco Vossio editis, doctrinam de Christo ἀνθρώπῳ, verô Deo & verô homine, sæpiùs inculcat, tanquam creditu omnino necessariam, contra Hæreticos illius ævi, qui alterutram Christi naturam negârunt. Sic in Epist. ad Ephes. post recitatas ipsorum laudes, quas ab Onesimo illorum Episcopo accepisset, nempe quòd Orthodoxam & Apostolicam doctrinam adhuc mordicus retinuerint, atque ab omni Hæresi se puros conservârint; deinde monet ipsos, ut in Catholica Fide perseverent, sedulò sibi caventes ab Hæreticis, qui tunc temporis in agro Ecclesiæ Zizania sua subdolè ac latenter spargerent. Verba ejus sunt: εἰώθασι γάρ τινες δόλῳ πονηρῷ τὸ ὄνομα περιφέρειν, ἀλλά τινα πράσσοντες ἀνάξια Θεοῦ· οὓς δεῖ ὑμᾶς ὡς θηρία ἐκκλίνειν. εἰσὶν γὰρ κύνες λυσσῶντες, λαθροδήκται, οὓς δεῖ ὑμᾶς φυλάσσεσθαι ὄντας δυσθεραπεύτους. i. e. juxta versionem Usserianam, *Consueverunt enim quidam dolô malô nomen* (Christianorum scil.) *circumferre, sed quædam operantes indigna Deo; quos oportet vos ut bestias declinare. Sunt enim canes rabidi, latenter mordentes, quos oportet vos observare, existentes difficilè curabiles.* Continuò subjungitur πολυθρύλλητος ille locus de duabus in Christo naturis: εἷς ἰατρός ἐστιν σαρκικὸς καὶ πνευματικός, γενητὸς καὶ ἀγέννητος, ἐν σαρκὶ γενόμενος Θεός, ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινή, καὶ ἐκ Μαρίας, καὶ ἐκ Θεοῦ. i. e. *Unus est Medicus carnalis & spiritualis, factus & non factus, in carne Deus, in morte vita vera, & ex Maria, & ex Deo.* Immediatè verò sequitur: μὴ οὖν τις ὑμᾶς ἐξαπατάτω, i. e. *Ne igitur quis vos seducat,* scil. à veritate proximè expositâ de duplici Servatoris nostri natura. Itaque satis manifestum est, Hæreticos, quos ferit Ignatius, Apostolicam de Christo ἀνθρώπῳ doctrinam negâsse; eosque propterea Virum Apostolicum, tanquam canes rabidos, latenter mordentes, ac lethale dogmatis sui virus animis hominum ingerentes, fugiendos omnino ab omnibus, qui saluti suæ consultum vellent, censuisse.

p. 21.

Vide Defens. Fid. Nic. Sect. 2 Cap. 2. §. 6.

Cæterum & illud quoque observandum est, Virum Sanctum, postquam dixisset Hæreticos istos δυσθεραπεύτους, *difficilè sanabiles*, hoc est, summo in periculo atque æternæ salutis suæ discrimine fuisse, continuò dicti ejus hanc rationem subjicere: *Unus est Medicus carnalis, & spiritualis, factus & non factus* &c. Q. D. Nulla est hominibus salus, nisi per unicum animarum Medicum, Christum Deum & hominem, Deum inter hominesque Mediatorem: at isti hujusmodi Medicum & Mediatorem nullum agnoscunt, nullum volunt; itaque planè deplorata est ipsorum salus, nisi scil. ab Hæresi sua tandem seriò resipiscant, ac Deum Filium pro sua salute incarnatum atque hominem factum amplectantur, atque omni obsequiô venerentur.

Idem postea in eadem Epistola, rursus eosdem Hæreticos hominum perditissimis deteriores pronuntiat, ipsos cum eorum sectatoribus Gehennæ flammis addicit, ac denique dogma ipsorum Diabolicam doctrinam appellat. Verba ejus junt: Μὴ πλανᾶσθε ἀδελφοί μου. οἱ οἰκοφθόροι βασιλείαν Θεοῦ οὐ κληρονομήσουσιν. εἰ οὖν οἱ κατὰ σάρκα ταῦτα πράσσοντες ἀπέθανον, πόσῳ μᾶλλον ἐὰν πίστει

p. 26, 27.

1 Tim. 3. com. 15, 16.

ξιν * Θεὸς ἐν κακῇ διδασκαλίᾳ φθείρῃ, ὑπὲρ ἧς Ἰησοῦς Χριστὸς ἐσταυρώθη; ὁ τοιοῦτος ῥυπαρὸς γενόμενος εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον χωρήσει, ὁμοίως καὶ ἀκούων αὐτοῦ. i. e. *Ne erretis, Fratres mei; Domûs corruptores Regnum Dei non hæreditabunt. Si igitur qui ſecundum carnem hæc operantur, mortui ſunt; quantò magis, ſi quis Fidem Dei in mala doctrina corrumpat, pro qua Jeſus Chriſtus crucifixus eſt? Talis inquinatus factus, in ignem inextinguibilem ibit: ſimiliter & qui audit ipſum.* Et paulò poſt: μὴ ἀλείφεσθε δυσωδίαν τῆς διδασκαλίας τοῦ ἄρχοντος τοῦ αἰῶνος τούτου. i. e. *Ne ungamini fœtore doctrinæ Principis ſæculi hujus.* Mox verò Apoſtolicam fidem, malæ iſti & Diabolicæ doctrinæ oppoſitam, proponit his verbis: ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, ἐκυοφορήθη ὑπὸ Μαρίας κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ, ἐκ σπέρματος μὲν Δαβὶδ, πνεύματος δὲ ἁγίου· i. e. *Deus enim noſter Jeſus Chriſtus conceptus eſt ex Maria ſecundum diſpenſationem Dei, ex ſemine quidem David, Spiritu autem Sancto.* Ideo igitur in ſeductores & ſeductos iſtos intonat & ignem ipſis inextinguibilem minatur Vir alioqui mitiſſimus, quòd primam Religionis Chriſtianæ veritatem, cujus præcipuè
1 *Tim.* 3. *com.* 15, 16. στύλος καὶ ἑδραίωμα eſſe debet, monente Apoſtolô, omnis vera Chriſti Eccleſia, (ipſam ſcil. profitendo, ſuô teſtimoniô tuendo, atque Evangelii prædicatione conſervando) nempe magnum illud pietatis myſterium, Deum in carne manifeſtatum fuiſſe, convellere niterentur. Qui iſtam impietatem moliti ſunt, duo fuere, Ignatii ætate, Hæreticorum genera, ſibi invicem non minùs quàm veritati repugnantium. Alii divinam quandam Servatori noſtro naturam attribuentes, humanam prorſus ipſi detraxerunt; Chriſtum putativè tantùm inter homines ut hominem converſatum, paſſum ac mortuum fuiſſe affirmantes; quâ in Hæreſi fuere Simoniani, Menandriani, Saturniniani, aliique, quos propterea omnes Δοκητὰς & φαντασιαστὰς poſterior ætas appellavit. Alii contrà humanam tantùm in Domino Jeſu naturam agnoſcebant, ut Cerinthiani & Ebionæi. Utra Hæreſis pernicioſior fuerit, haud facile eſt dictu. Poſteriorem certè dignitati perſonæ Servatoris noſtri apertiorem contumeliam intuliſſe liquet. Utrumque autem Hæreticorum genus & in locis citatis, & alibi in Epiſtolis ſuis, reſpexiſſe Ignatium, conſentiunt eruditi, & per ſe manifeſtum eſt. Quæ Ignatii loca quiſquis legerit, ac ſine præjudicio & partium ſtudio expenderit, ſane is cum Epiſcopio nunquam ſentiet, aut credet, dogma de Jeſu Domini noſtri vera Divinitate in primitiva Eccleſia ad ſalutem creditu neceſſarium non fuiſſe judicatum, nedum Eccleſiam illam communionem coluiſſe cum iis, qui ipſum negârint; quod tamen Epiſcopius auſus eſt affirmare. Ac de Ignatio hactenus.

§. 2. Juſtini Martyris (utut ipſum pro ſua ſententia Epiſcopius & alii illum ſecuti, vel nimis imperitè, vel minùs candidè citaverint) de iis, qui Chriſtum Dominum noſtrum merum hominem aut creaturam dicerent, idem fuiſſe judicium, infrà commodiori locô liquidò oſtendam.

§. 3. Interea Ignatio ſuccedat Irenæus. Qui in adoleſcentia ſua Polycarpi Apoſtolorum diſcipuli aſſiduus adeo atque diligens auditor fuit, ut in ipſa ſenectute beatiſſimi illius Viri ſermones ac doctrinam firmiter in memoria retinuerit; (quemadmodum ipſe teſtatur in Epiſtola ad Florinum, apud Euſeb. Eccl. Hiſt. lib. 5. cap. 20.) aç proinde facilè ab ipſo ſcire potuit, quæ dogmata Apoſtolica Eccleſia pro Hæreticis habuerit. Ille autem paſſim in Scriptis ſuis, eos, qui Chriſtum ψιλὸν ἄνθρωπον, verum Deum & verum hominem, negabant, juxtà cum Ignatio tanquam Hæreticos repudiat, atque à ſalvifica Chriſti cognitione alienos pronuntiat. Sed verba ipſius de Cerinthianis & Ebionæis clariſſima ſunt lib. 3. cap. 21. in ipſo initio: " Rurſus autem qui nudè tantùm hominem eum " dicunt ex Joſeph generatum, perſeverantes in ſervitute priſtinæ inobedientiæ mo" riuntur, nondum commixti Verbo Dei " Patris, neque per Filium percipientes li" bertatem, quemadmodum ipſe ait: Si Fi" lius vos manumiſerit, verè liberi eritis. " Ignorantes autem eum, qui ex Virgine eſt " Emmanuel, privantur munere ejus, quod " eſt vita æterna: non recipientes autem " Verbum incorruptionis, perſeverant in " carne mortali; & ſunt debitores mortis, " antidotum vitæ non accipientes." Ubi duplicem errorem attribuit Hæreticis iſtis, quòd ſcil. docuerint, Chriſtum & hominem eſſe ex hominibus genitum, non ex pura Virgine natum; & merum hominem eſſe, nihilque præterea. Ob utrumque dogma ipſos à ſalute excludit, affirmans, eos *perſeverantes in ſervitute priſtinæ inobedientiæ mori, per Filium non percipere libertatem, privari munere Chriſti, quod eſt vita æterna, denique mortis eſſe debitores.* Sed ideo imprimis tremendam

* *Al.* ἐκκλησίαν. *Et ſic quidem meliùs ſervatur antitheſis inter humana habitacula & domum Dei.* Uſſer.

mendam hanc in eos fert sententiam, quòd Emmanuel, i. e. *Deum nobiscum*, ignorârint, quòd non receperint Verbum incorruptionis, seu incorruptibile, perseverantes in carne mortali, h. e. Divinam incorruptibilem atque immortalem Christi naturam non agnoverint.

His gemina sunt, quæ adversus Ebionæos nominatim disserit, lib. 5. cap. 1. " Vani " autem & Ebionæi, unitionem Dei & ho- " minis per fidem non recipientes in suam " animam." *Et paulò post*: " Reprobant ita- " que hi commixtionem vini cœlestis, & sola " aqua sæcularis volunt esse, *non recipientes* " *Deum* ad commixtionem suam. Perseve- " rant autem in eo qui victus est Adam, & " projectus est de Paradiso; non contem- " plantes, quoniam quemadmodum ab ini- " tio plasmationis nostræ in Adam, ea quæ " fuit à Deo inspiratio vitæ, unita plasmati, " animavit hominem, & animal rationale o- " stendit; sic in fine *VERBUM PATRIS* " *ET SPIRITUS DEI, ADUNITUS AN-* " *TIQUÆ SUBSTANTIÆ PLASMATIO-* " *NIS ADÆ*, viventem & perfectum effecit " hominem." Quibus addas locum Irenæi à Theodoreto citatum ex lib. 4. cap. 59. Ἀναχρινεῖ δὲ καὶ τὺς Ἐβιώνας. πῶς δυνάνται σωθῆναι, εἰ μὴ ὁ Θεὸς ᾖ, ὁ τὴν σωτηρίαν αὐτῶν ἐπὶ γῆς ἐργασάμενος; ἢ πῶς ἄνθρωπος χωρήσει εἰς Θεὸν, εἰ μὴ ὁ Θεὸς ἐχωρήθη εἰς ἄνθρωπον; i. e. *Judicabit autem* (scil. *homo spiritualis*) *& Ebionitas. Quomodo possunt salvari, nisi Deus sit, qui salutem illorum super terram operatus est? & quomodo homo transiet in Deum, si non Deus in hominem transiit?*

§. 4. Tertullianus (de Præscript. adv. Hæres. cap. 13.) articulum de Filii Dei ex ipso Deo Patre ante sæcula generatione ad regulam illam Fidei omnino pertinere affirmat, *quæ nullas habet apud Christianos quæstiones, nisi quas Hæreses inferunt, & quæ Hæreticos faciunt*: quem locum infrà, ubi de Symbolis agitur, integrum proferemus. Quin & mox in hoc capite illustre ex Tertulliano, pro necessitate illius articuli, testimonium citatum reperies.

§. 5. Tertulliano subjungendus est Novatianus, sive Auctor libri de Trinitate inter opera Tertulliani. Ille enim ejusdem libri cap. 11. doctrinam eorum, qui Christi Deitatem negant, & merum hominem aut creaturam ipsum dicunt, ut Hæresin periculosissimam, & in ipsum Deum Patrem contumelioſam, condemnat. Ita scil. ibidem differit: " Est enim periculum grande, Salvatorem " generis humani, totius Dominum & Prin- " cipem mundi, cui à suo Patre omnia tra- " dita sunt & cuncta concessa, per quem " instituta sunt universa, creata sunt tota, " digesta sunt cuncta, ævorum omnium & " Temporum Regem, Angelorum omnium " Principem, ante quem nihil præter Pa- " trem, * hominem tantummodo dicere, & " autoritatem illi Divinam in his abnegare. " Hæc enim contumelia Hæreticorum ad i- " psum quoque Deum Patrem redundabit, " si Deus Pater Filium Deum generare non " potuit. Sed enim veritati cæcitas Hære- " ticorum nulla præscribet." Idem ejusdem libri cap. 12. in ipso initio, salvari non posse, qui Christum Deum non agnoscit, disertè docet. En ipsius verba ipsissima: " Cur ergo " dubitemus dicere, quod Scriptura non du- " bitat exprimere? Cur hæsitabit Fidei ve- " ritas, in quo Scripturæ nunquam hæsita- " vit autoritas? Ecce enim Osee Propheta " ait ex persona Patris: Jam non salvabo eos " in arcu, neque in equitibus, sed salvabo eos " in † Domino Deo ipsorum. Si Deus salva- " re se dicit in Deo, non autem salvat nisi in " Christo Deus, cur ergo homo dubitet, Chri- " stum Deum dicere, quem Deum à Patre " animadvertit positum per Scripturas esse? " Imò si non salvat nisi in Deo Pater Deus, " salvari non poterit à Deo Patre quisquam, " nisi confessus fuerit Christum Deum, in " quo se & per quem se repromittit Pater " salutem daturum: ut meritò quisquis il- " lum agnoscit esse Deum, salutem inveniet " in Deo Christo; quisquis non recognoscit " esse Deum, salutem perdiderit, quam ali- " bi nisi in Christo Deo invenire non pote- " rit." Denique cap. 30. de utroque genere Hæreticorum, tum qui Filium Patrem dicunt, tum qui Deum illum esse negant, locutus, non minùs verè quàm scitè & eleganter addit: " Revera quasi inter duos latrones " crucifigitur Dominus, quomodo fixus ali- " quando est; & ita excipit Hæreticorum i- " storum ex utroque latere sacrilega convitia.

§. 6. Ad Origenem venio, qui, siquis alius Veterum, liberiorem Theologiam secutus est; ut ipsum, Patrem (si vocabulô nostratibus satis notô uti liceat) *Latitudinarium* jure meritô dixeris. Et ille ipse tamen Orige-

---

* *Quô sensu illud dixerit Novatianus, à nobis explicatum videas Def. Fid. Nic. Sect.* 3. *Cap.* 8. §. 7.

† *Targum Jonathan habet*, per Verbum Domini Dei sui. *Inde & Veteres Christiani Scriptores locum de Christo Verbo & Filio Dei communiter exponunt. Vid. Def. Fid. Nic. Sect.* 1. *Cap.* 1. §. 19.

Origenes de neceſſariis Chriſtianæ Fidei articulis ex profeſſo diſſerens lib. 1. περὶ ἀρχῶν, iis & hunc de Filii Divinitate, idque inter primos, diſertis verbis annumerat. Locus notatu dignus eſt, quem propterea, ut ut prolixum, deſcribere hîc non gravabor, ex Apologia Pamphili Martyris: " Cùm " multi ſint, qui ſe putant ſcire quæ Chri- " ſti ſunt, & nonnulli eorum diverſa prio- " ribus ſentiant; ſervetur verò Eccleſiaſti- " ca prædicatio per ſucceſſionis ordinem ab " Apoſtolis tradita, & uſque ad præſens in " Eccleſiis permanens; illa ſola credenda eſt " Veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica tra- " ditione diſcordat. Illud tamen ſcire opor- " tet, quoniam S. Apoſtoli, Fidem Chriſti " prædicantes, de quibuſdam quidem, quæ- " cunque neceſſaria crediderunt omnibus " credentibus, etiam his qui pigriores erga " inquiſitionem divinæ ſcientiæ videbantur, " manifeſtiſſimè tradiderunt; rationem ſci- " licet aſſertionis eorum relinquentes ab his " inquirendam, qui Spiritûs dona excellen- " tia, & præcipuè ſermonis ſapientiæ & " ſcientiæ per ipſum Spiritum S. percipere " merebantur. De aliis verò dixerunt qui- " dem quia ſint; quomodo autem & unde " ſint, ſiluerunt profectò: ut ſtudioſiores " quique ex poſteris ſuis amatores ſapien- " tiæ & ſcientiæ exercitium habere poſſent, " in quo ingenii ſui fructum oſtendere vale- " rent, hi videlicet, qui dignos ſe & capa- " ces ſapientiæ præpararent. Species verò " eorum quæ per prædicationem Apoſtoli- " cam manifeſtè traduntur, iſtæ ſunt: Pri- " mò quòd unus ſit Deus, qui omnia crea- " vit atque compoſuit, quique ex nihilo fe- " cit eſſe univerſa, &c. Et quòd hic Deus " in noviſſimis diebus, ſicut per Prophetas " ſuos antè promiſerat, miſit Dominum Ie- " ſum Chriſtum, &c. Tum deinde, quia " Ieſus Chriſtus, ipſe qui venit, ante o- " mnem creaturam natus ex Patre eſt. Qui " cùm in omnium conditione Patri mini- " ſtrâſſet, (per ipſum namque omnia facta " ſunt,) noviſſimis temporibus ſeipſum exin- " aniens, homo factus eſt: Incarnatus eſt, " cùm Deus eſſet; & homo factus, manſit " quod Deus erat." Quibus verbis Origenes doctrinam de Filii Deitate partem eſſe dicit Eccleſiaſticæ prædicationis ab Apoſtolis ipſis traditæ, & in Eccleſiis uſque conſervatæ; & cùm diverſi fuerint generis, quæ Apoſtoli docuerunt, hunc articulum reponit inter ea, quæ tanquam neceſſaria omnibus credentibus, etiam rudioribus, manifeſtiſſimè tradiderunt.

Inter opera Hieron. Tom. 9. p. 115, 116. Edition. Victor.

In eadem Apologia citatur Origenis liber in Epiſt. ad Titum, in quo ad locum illum Apoſtoli cap. 3. v. 10. *Hæreticum hominem poſt trinam correptionem devita*, hæc annotat: " Nomen Hæreſis, quantum ego deprehen- " dere potui, etiam in Epiſt. Pauli Apoſt. ad " Corinth. deſignatur hôc modô: *Oportet* " *enim Hæreſes eſſe, ut probati manifeſti fiant* " *inter Vos.* Et iterum ad Galatas, inter ope- " ra carnis Hæreſis quoque nomen aſcribi- " tur, ſicut ait: *Manifeſta autem ſunt opera* " *carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impu-* " *dicitia, idololatria, veneficia, inimicitiæ, con-* " *tentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſcordiæ,* " *Hæreſes*, &c. *quæ & prædixi vobis, quoniam* " *qui talia agunt, Regnum Dei non poſſide-* " *bunt.*" " Per quæ cognoſcimus, quoniam " ſicut hi qui fornicationibus & immundi- " tiis atque impudicitiis & Idolorum culti- " bus maculati ſunt, Regnum Dei non poſ- " ſidebunt; ita & hi qui in Hæreſin decli- " naverint. Propterea ergo ſecundùm ſen- " tentiam ipſius (Apoſtoli) oportet nos ſic- " ut reliqua mala quæ enumeraverat, ita " nomen Hæreſis devitare, neque cum tali- " bus orationis ſocietate miſceri." Deinde poſt pauca oſtendit Origenes, quinam pro Hæreticis habendi ſint, his verbis: " Quid " verò ſit Hæreticus homo, pro viribus no- " ſtris, ſecundùm quod ſentire poſſimus, de- " ſcribamus. Omnis qui ſe Chriſto crede- " re profitetur, & tamen alium Legis & " Prophetarum, alium Evangeliorum De- " um dicet, &c. Unum idemque ſentien- " dum eſt de eo, qui de Domino noſtro Ie- " ſu Chriſto falſi aliquid ſenſerit, ſive ſe- " cundum eos, qui dicunt eum ex Joſeph " & Maria natum, ſicut Ebionitæ & * Va- " lentiniani; ſive ſecundum eos, qui pri- " mogenitum eum negant & totius creatu- " ræ Deum, & Verbum, & Sapientiam, quæ " eſt initium viarum Dei, antequam ali- " quid fieret, ante ſæcula fundatam, atque " ante omnes colles generatam, ſed homi- " nem ſolùm eum dicentes." Certè his nihil clarius.

Lib. p. 117.

* *Vid. Huetii notas in Orig. Comment. p. 120.*

§. 7. Dionyſius Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus celeberrimus, qui non multò poſt Origenem floruit, in Epiſt. adverſus Sabellianos, citante Athanaſiô, * dogma de SS. Trinitate vocat τὸ σεμνότατον κήρυγμα τῆς Ἐκκλησίας τῆ Θεῆ, *auguſtiſſimam ſive religioſiſſimam prædicationem Eccleſiæ Dei*; quam ſcil. vel minimùm violare nefas ſit. Eos verò qui Filium Dei creaturam & factum quiddam eſſe audent affirmare, non modò Hæreſis, ſed & maximæ blaſphemiæ arguit. Βλάσφημον ἓν (inquit) ὃ τὸ τυχὸν, μέγιστον μᾶλλον ὄν, χαραπτὸν τρόπον τινὰ λέγειν τὸ κύριον. εἰ γὰρ γέγονεν υἱὸς, ἦν ὅτε οὐκ ἦν· ἀεὶ δὲ ἦν. i. e. *Blaſphemia igitur non vulgaris, ſed maxima habenda eſt, Dominum dicere quodammodo*

* *de Decret. Synod. Nic. Tom. 1. p. 275, 276.*

modo manuſactum. Si enim factus eſt Filius, erat igitur, quando ille non erat : atqui ille ſemper erat. Certum eſt igitur, Dionyſii ætate Eccleſiam Romanam, omnium Eccleſiarum tunc temporis meritò honoratiſſimam, articulum de æterna Filii Divinitate creditu omnino neceſſarium judicâſſe, ac minimè communionem coluiſſe cum iis, qui Chriſtum Deum non agnoſcerent, ſed creaturam illum eſſe dicerent.

§. 8. Infinitus ſim, ſi omnia omnium primævorum Patrum dicta huc ſpectantia, in medium proferrem. Quare teſtimoniis jam adductis ſolummodo hanc obſervationem generalem viſum eſt adjicere : nempe, in primis ſæculis inter Judæos & Chriſtianos controverſiam fuiſſe vehementer agitatam de perſona Meſſiæ ſive Chriſti, Deus ne & homo, juxta Prophetarum vaticinia, is futurus eſſet, an ψιλὸς ἄνθρωπος, *purus putus homo.* Poſterius adfirmabant Judæi & Judaizantes aliquot Chriſtiani ; (iis, qui Chriſti Divinitatem adſtruebant, Ethnicam πολυθεότητα objectantes ;) prius verò illud, tanquam caput Fidei ac ſalutis ſuæ, ſtrenuè propugnabant Chriſtiani omnes Catholici ; adeo ut eos etiam qui cætera Ieſu Chriſti Fidem profitentes, tamen illud negarent, pro alienis ab Eccleſia Chriſtiana atque ad Synagogam transfugis habuerint. Nimirum perinde fere ipſis videbatur, Ieſum pro Chriſto non agnoſcere, atque Deum eſſe ipſum negare.

§. 9. Juſtino Martyri in Dial. cum Tryphone oſtendere aggredienti, Meſſiam ſive Chriſtum à ſacris Vatibus prænunciatum & Deum futurum, & ex Virgine hominem naſciturum, ſic occurrit Trypho : Τὸ γὰρ λέγειν σε, προϋπάρχειν Θεὸν ὄντα πρὸ αἰώνων τοῦτον τὸν Χριστὸν, εἶτα κὴ γίνεσθαι ἄνθρωπον γενόμενον τολμᾶν, κὴ ὅτι οὐκ ἀνθρωπος ἐξ ἀνθρώπου, ὁ μόνον παράδοξον δοκεῖ μοι εἶ), ἀλλὰ κὴ μωρόν. i. e. *Nam quod ais, præextitiſſe hunc Chriſtum Deum ante ſæcula, ac deinde naſci etiam hominem factum ſuſtinuiſſe, nec tamen ex hominibus hominem natum, non modò paradoxum & incredibile mihi videtur, verùm etiam ſtultum.* Cui regerit Juſtinus : διὰ ὅτι παράδοξος ὁ λόγος δοκεῖ εἶ), καὶ μάλιστα τοῖς ἀπὸ τοῦ γένους ὑμῶν, οἵτινες τὰ τοῦ Θεοῦ ὅτε νοῆσαι, ὅτε ποιῆσαι ποτὲ βεβούλησθε, ἀλλὰ τὰ τοῦ διδασκάλων ὑμῶν, ὡς αὐτὸς ὁ Θεὸς βοᾷ. i. e. *Scio incredibilem videri ſermonem iſtum, maximè hominibus veſtræ gentis, qui ea quæ Dei ſunt, neque intelligere, neque facere unquam voluiſtis, prout ipſe Deus vociferatur.* Origenes lib. 1. contra Celſ. reprehendit Epicureum iſtum, quòd in Proſopopœia ſua, quâ Judæum inducit loquentem, decorum non ſervâſſet, verbis ſcil. Judæo ſuo affictis, quæ perſonæ ipſius minimè congruerent ; nempe his : *Meus verò Propheta Hieroſolymis olim cecinit, venturum Dei Filium, piorum Judicem, injuſtorum Punitorem.* Cauſam reprehenſionis mox hanc ſubdit : Ιουδαῖος δὲ οὐκ ἂν ὁμολογήσαι, ὅτι προφήτης τις εἶπεν, ἥξειν Θεοῦ υἱόν ὁ γὰρ λέγουσιν, ἐστὶν, ὅτι ἥξει ὁ Χριστὸς τοῦ Θεοῦ. Καὶ πολλάκις γε ζητοῦσι πρὸς ἡμᾶς εὐθέως περὶ τοῦ υἱοῦ Θεοῦ, ὡς ἀδένος ὄντος τοιούτου, οὐδὲ προφητευθέντος. i. e. " Cæterùm Judæus " nunquam fateretur, Prophetam aliquem " prædixiſſe, venturum Dei Filium ; quod " verò prædicant Judæi, hoc eſt, venturum " Chriſtum Dei. Et quoties nobiſcum diſ- " putant, ſtatim quærunt de Filio Dei, " quaſi nuſquam talis exiſtat, aut per Pro- " phetas ſit prædictus. " Idipſum rurſus exprobrat Celſo lib. 4. ἐκ ὅιδε μὲν τό γε, ὅτι ὑ πάνυ τι Ιουδαῖοι λέγουσι Θεὸν ὄντα τὸν Χριστὸν καταβήσεσθαι, ἢ Θεοῦ υἱόν. i. e. *Imò illud quoque ignorat, Judæos nequaquam dicere, deſcenſurum Chriſtum qui Deus ſit, aut Dei Filius.* p. 162.

§. 10. Sed magis appoſitè ad obſervationem noſtram ſcribit Tertullianus adv. Prax. ſub finem. " Cæterum Judaicæ Fidei iſta " res, ſic unum Deum credere, ut Filium " annumerare ei nolis, & poſt Filium, Spi- " ritum. Quid enim erit inter nos & illos " niſi differentia iſta ? Quid opus Evange- " lii, quæ eſt ſubſtantia Novi Teſt. ſtatu- " ens Legem & Prophetas uſque ad Johan- " nem, ſi non exinde Pater & Filius & " Spiritus tres crediti, unum Deum ſiſtunt ? " Sic Deus voluit novare Sacramentum, ut " novè unus crederetur per Filium & Spi- " ritum, ut coràm jam Deus in ſuis propri- " is nominibus & perſonis cognoſceretur, " qui & retro per Filium & Spiritum præ- " dicatus non intelligebatur. Viderint igi- " tur *Antichriſti*, qui negant Patrem & Fi- " lium, &c. " Appoſitiſſima autem ſunt, quæ habet Novatianus lib. de Trin. cap. 23. ubi ad locum Johannis cap. 8. com. 14, 15. *Etſi ego de me teſtificor, verum eſt teſtimonium meum ; quia ſcio unde venerim, & quò eam. Vos ignoratis unde venerim, & quò eam ; vos ſecundùm carnem judicatis ;* hæc annotat ſane egregia : " Ecce & hîc " illuc ſe dicit rediturum, unde ſe te- " ſtificatur antè veniſſe : miſſum ſcil. de " cælo. Deſcendit ergo unde venit, quo- " modo illuc vadit, unde deſcendit. Ex " quo, ſi homo tantummodo Chriſtus eſſet, " non inde veniſſet : veniendo autem unde " homo venire non poteſt, Deum ſe oſten- " dit veniſſe. Sed enim hujus ipſius deſcen- " ſionis

p. 38. edit. Cantabr.

" ſionis ignari & imperiti Judæi, hæredes " ſibi Hæreticos iſtos reddiderunt; qui- " bus dicitur: *Vos ignoratis unde veniam,* " *& quò eam: vos ſecundum carnem judica-* " *tis.* Tam iſti, quàm Judæi, carnalem " ſolùm eſſe Chriſti nativitatem tenentes, " nihil aliud Chriſtum eſſe quàm homi- " nem crediderunt; non conſiderantes illud, " quoniam cùm de cœlo homo non potue- " rit venire, ut meritò illuc poſſit redire, " Deum eſſe, qui inde deſcenderit, unde " homo venire non potuerit.

§. 11. Itaque Auctor Epiſtolæ ad Heronem Diaconum, Ignatio adſcriptæ (quiſquis ille fuerit) in hôc ſaltem audiri meruit, quòd hæreſin eorum, qui Chriſti Divinitatem negant, tanquam Judaicam impietatem ac blaſphemiam condemnet his verbis: εἴτις ἄνθρωπον ψιλὸν λέγει τ̃ Κύριον, Ιουδαῖος ἐστὶ Χριστοκτόνος, i. e. *Si quis hominem nudum dicit Dominum, Judæus eſt, Chriſti occiſor.* Conſimilia habet idem, ut videtur, Auctor in Epiſt. ad Antiochenos; ubi ipſos jubet, πᾶσαν Ιουδαϊκὴν καὶ Ἑλληνικὴν ἀποῤῥίψαι πλάνην καὶ μήτε πλῆθος Θεῶν εἰσάγειν, μήτε τ̃ Χριστὸν ἀρνεῖσθαι προφάσει τοῦ ἑνὸς Θεοῦ, i. e. *Omnem Judaicum & Gentilem errorem abjicere, & neque multitudinem Deorum introducere, neque Chriſtum prætextu unius Dei negare.* Et paucis interjectis addit: πᾶς οὖν ὅστις ἕνα καὶ μόνον παραγγέλλει Θεὸν ἐν ἀναιρέσει τ̃ τοῦ Χριστοῦ Θεότητος, ἐστὶ διάβολος καὶ ἐχθρὸς πάσης δικαιοσύνης. i. e. *Omnis igitur qui unum annuntiat Deum in interemptionem Divinitatis Chriſti, Filius eſt Diaboli & inimicus omnis juſtitiæ.*

§. 12. Denique ſenſum hîc primævæ Eccleſiæ Catholicæ optimè, pro more ſuo, expreſſit magnus Athanaſius in Orat. cont. Gregales Sabellii non procul ab initio: Πολλὰ καὶ μεγάλα (inquit) κατὰ τῶν εἰδωλολατρούντων ἔχουσι λέγειν οἱ Ιουδαῖοι, καὶ δίκαια λέγουσι, κατηγοροῦντες αὐτῶν τῇ κτίσει λατρευόντων παρὰ τ̃ κτίσαντα. ἀλλ' οὐχ ὅτι δυσσέβειαν ἐλέγχουσι, διὰ τοῦτο δύσεβεῖν ὁμολογηθήσονται, τ̃ ὑὸν τοῦ Θεοῦ, δι' οὗ τὰ πάντα γέγονεν, ἀρνούμενοι, καὶ τοῖς δι' αὐτοῦ τ̃ πατέρα σεβομένοις ἐγκαλοῦντες πολυθεότητα. διόπερ ἐξελαυνόμεθα ἐξ Ελλήνων καὶ ἀφορίζομεθα, πρὸς τὸ μὴ ταῖς ἀκαθάρτοις εἰδωλολατρείαις ἀναμίγνυσθαι· ἐξελαυνόμεθα δὲ καὶ ἐκ τ̃ τῶν Ιουδαίων βλασφημίας, τ̃ ὑὸν ὁμολογήσαντες τ̃ Θεοῦ, i. e. *Multa & magnifica habent Judæi, quæ contra Idololatras dicant, & juſta dicunt, cùm eos execrantur, quòd creaturæ potiùs quàm Creatori inſerviant. Sed tamen non ideo quia impietatem iſtam inceſſunt, pro piis ſunt habendi, dum Filium Dei, per quem omnia creata ſunt, inficiantur, iiſque qui per ipſum Patrem venerantur, pluralitatem Deorum objectant. Quapropter ab Ethnicis receſſimus & ſegregati ſumus, ne impuris idololatriis admiſceremur. Diſceſſimus quoque à Judæorum blaſphemia, dum Filium Dei agnoſcimus.* Deinde paucis interjectis addit: Χωριζόμεθα δὲ καὶ τῶν Ιουδαϊζόντων ἡμῶν τ̃ Χριστιανισμὸν ἐν Ιουδαϊσμῷ παραφθειρόντων, οἱ τ̃ ἐκ τοῦ Θεοῦ Θεὸν ἀρνούμενοι, Θεὸν ἕνα φάσκοντες πλησίως Ιουδαίοις λέγουσι· οὐχ ὅτι μόνος ἀγέννητος, καὶ μόνος πηγὴ θεότητος, διὰ τοῦτο φάσκοντες αὐτὸν εἶναι μόνον Θεὸν, ἀλλ' ὡς ἄγονον ὑὸν καὶ ἄκαρπον ζῶντος λόγου καὶ σοφίας ἀληθινῆς. i. e. *Disjungimur quoque à Judaizantibus, quiq; Chriſtianiſmum Judaiſmô corrumpunt, quique Deum ex Deo inficiantes, Deum unum itidem ut Judæi prædicant; non ideo dicentes ipſum ſolum eſſe Deum, quòd ſolus ſit ingenitus & fons Deitatis, ſed quaſi Filiô careret, & ſterilis ac vacuus eſſet vivô Verbô ac Sapientiâ verâ.* Quæ ſequuntur apud Athanaſium, lectu ſane digniſſima ſunt, utpote in quibus ex loco Johannis Evangeliſtæ cap. 1. com. 1. & ex ipſa ratione egregiè probat Vir propè divinus, impoſſibile eſſe, ut Deus unus rectè concipiatur ſenſu Judæorum & Judaizantium Hæreticorum, hoc eſt ita, unus ut ſit μονοπρόσωπος, cùm neceſſe ſit, ut Deus, qui eſt mens æterna, in & apud ſe habeat λόγον *Verbum* ſuum, idque non quale humanum eſt, ſed vivens ac ſubſiſtens; quod eo ipſo quòd verbum ſit vivens ac ſubſiſtens, perſona ſit; & quòd Verbum ex Deo Patre ſit, Divina Perſona ſit à Patre diſtincta: & tamen eò quòd Verbum ſit in Patre & Patris Verbum, unus ſit cum Patre Deus. Sed iſta non ſunt hujus loci.

§. 13. Cæterum ad Judæorum de Meſſia ſententiam quod attinet, priuſquam hoc caput claudam, non abs re fortaſſe erit, ὡς ἐν παρόδῳ notâſſe, ipſorum quidem Prophetas paſſim in Scriptis ſuis non obſcurè ſignificâſſe, Meſſiam ſive Chriſtum Deum ſimul & hominem futurum, prout inter veteres ab Juſtino Martyre in Dial. cum Tryph. Judæo pluribus oſtenſum eſt: neque hoc prorſus ignorâſſe perſpicaciores nonnullos ex Hebræorum Magiſtris, abunde demonſtravit nobiliſſimus & doctiſſimus Pleſſiaci Dominus in lib. de Ver. Rel. Chriſt. cap. 28. Nihilominus conſtat, Judæos etiam Chriſti temporibus maximam partem πλωχῶς καὶ ταπεινῶς, *humiliter admodum atque abjectè* de Meſſia ſuo ſenſiſſe, nihil aliud quàm hominem ipſum futurum exiſtimantes. Quippe legimus Math. 22. com. 42. ſanctiſſimum Jeſum noſtrum captioſos Phariſæos capere volentem, ita ipſos interrogâſſe: *Quid vobis videtur de Chriſto illo? cujus Filius eſt?* Reſpondiſſe

disse verò Pharisæos: *Davidis filius* ; (quippe Messiam expectabant, qui purus putus esset Davidis filius ; de Filio Dei ne somniârunt quidem) deinde Dominum ursisse ipsos hôc ænigmate com. 43, 44, 45. *Quomodo ergo David per Spiritum vocat eum Dominum, dicens : Dixit Dominus Domino meo, &c. Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est ?* Atqui huic quæstioni respondere potuisse è Pharisæis neminem, com. 46. At certè si Pharisæi de Messiæ Divinitate quicquam cogitâssent, hujus ænigmatis solutio in promptu iis fuisset : dicere enim potuissent, Christum Davidis quidem filium futurum, quod ad carnem attinet : ipsius verò Dominum, si natura ejus divina respiciatur.

Hæc autem Judæorum sententia dubiô procul originem habuit à crasso & carnali illo Messiæ conceptu, quem Gens carni terræque affixa in animo sibi formaverat. Expectabant enim pro Messia Regem quendam glorioſum, vi & opibus & armis præpollentem, qui sceptrum suum, adeoque Judaicam Gentem, super omnia orbis terrarum imperia eveheret, devictisque omnibus populi sui hostibus, Româque imprimis superbâ sede suâ dominatrice dejectâ, ejus locô Hierosolymas, velut totius mundi metropolin, constitueret. Messiæ autem, qui talis esset, quid opus erat Divinitate ? Ista certè omnia à Cyro, Alexandro, aut Cæsare aliquo, adspirante Dei providentiâ, præstari poterant. Quid quod mundanum hujusmodi imperium Deo prorsus indignum erat ? Nihil itaque mirum, si talia de Messia cogitantes Judæi, Divinam in ipso naturam nullam agnoverint.

§. 13. Verùm enimverò admirationem planè omnem excedit, inter Christianos, de Christo suo longè sanctiora ac sublimiora per Evangelium clarissimè edoctos, vel hodie reperiri, vel unquam repertos fuisse, qui nudum ipsum hominem aut meram esse creaturam suspicarentur. Ut enim taceam N. T. loca, quæ Θεολογίαν ejus immediatè respiciunt, in quibus scil. Dei Filius & Deus ante sæcula, per quem omnia facta sint, prædicatur ; (loca sane tot ac tam diserta, ut deditâ operâ cæcutiat necesse sit, qui eorum lucem non videat) etiam ea, quæ de οἰκονομίᾳ ejus dicuntur, quæque ad ipsius sive officium, sive honorem pertinent, quà Messias, Christus, & Mediator noster est, certè plusquam hominem aut creaturam sonant. Οἰκονομία, quæ ipsi tribuitur, Θεολογίαν necessariò (ut loquuntur) præsupponit, ipsamque omnino statuit. Quid enim ? Messiam sive Christum prædicant sacræ nostræ literæ, & credere nos profitemur omnes, qui sit animarum sospitator ; qui nobis sit *Sapientia, Justitia, Sanctificatio, ac redemptio*, hoc est, nos sapientes, justos, sanctos ac tandem perfectè beatos efficiat ; qui preces suorum, ubivis sacrosanctum ejus nomen invocantium, illico exaudiat, adeoque omnipræsens, omniscius, & καρδιογνώστης sit ; qui Ecclesiæ suæ, per universum terrarum orbem disseminatæ, semper præsto sit, ac vi suâ omnipotente ita eam tueatur ac protegat, ut contra ipsam nihil terræ potestates, nihil inferorum portæ quicquam valeant ; qui Deo Patri συνέδρος & in eadem sede collocatus sit, non modò ab hominibus nobis humi repentibus, sed ab ipsis Angelis atque Archangelis, atque universo orbe supercœlesti, Divinô cultu adorandus ; qui denique in exitu mundi, immensâ gloriâ ac Majestate refulgens, Angelis ministris stipatus, veniet orbem judicaturus, non modò facta omnia, sed & cordis secreta omnium, quotquot unquam fuere, hominum in lucem proditurus, inimicos suos ad Tartarum usque relegaturus, ipsius obsequentes, non opibus, non honoribus, non voluptatibus terrenis, sed cœlesti gloriâ vitâque ipsa æternâ donaturus. Hæccine omnia in purum hominem aut creaturam aliquam posse competere ? Fidenter dico, qui ita sentiat, non modò contra Fidem, sed & rationem ipsam insanire. Verùm hæc obiter ; è diverticulo in viam redeo.

Sat multis jam, ut arbitror, Veterum testimoniis † temerariam Episcopii assertionem obruimus ; ad alia igitur nunc progrediamur.

* *Apol.* 36.

† *Istis junge insignem S. Cypriani Martyris in Epist. ad Jubajanum locum in Defensione Fidei Nic. Sect. 2. cap. 10. §. 2. allegatum ; ut huc eum transcribere non sit necesse.*

CAP.

CAP. II.

De iis qui primô Chriſtianiſmi ſæculô doctrinam Evangelii de Chriſto θεανθρώπῳ *impugnàrunt.*

§. 1. AD Hiſtoriam Eccleſiaſticam accedimus, quam quiſquis conſuluerit, is mirabitur, nullus dubito, quâ fiduciâ Epiſcopius adfirmare potuerit, *in primitivis Eccleſiis, quæ ab ipſis uſque Apoſtolorum temporibus, ſaltem per tria integra ſæcula fuerunt, Fidem ac profeſſionem ſpecialis iſtius modi Filiationis Jeſu Chriſti* (quô nempe ante omnia ſæcula Filius Dei & Deus ſtatuitur) *ad ſalutem neceſſariam non fuiſſe judicatum.* Certè enim hæc ejus aſſertio fidei Hiſtoriæ omnis Eccleſiaſticæ repugnat. Quod ut manifeſtum fiat, repetendum eſt hîc, quod hujus Diſſertationis initiô præmonuimus, nempe primævam Eccleſiam haud aliâ certiori ratione declarare potuiſſe judicium ſuum de neceſſitate credendi articulum aliquem Religionis noſtræ, quàm eos qui ipſum negarent, à communione ſua prorſus rejiciendo. Nimirum Anathema Eccleſiæ à Chriſtianis olim habitum fuit pro *ſummo futuri Judicii præjudicio*, ut Tertullianus alicubi * loquitur, adeoque quos extra parietes ſuos Eccleſia penitus ejecerat, ii, uſque reſipiſcerent, ac pacem Eccleſiæ peterent, etiam extra ſtatum ſalutis fuiſſe judicabantur; juxta tritum illud: *Extra Eccleſiam nulla ſalus.* Ac profectò Epiſcopius ipſe, cum ſuam quæſtionem ita proponit: *An quintus iſte modus Filiationis Jeſu Chriſti ad ſalutem ſcitu ac creditu neceſſarius ſit, iiſque qui illum negant, Anathema dicendum ſit?* eô ipsô non obſcurè fatetur, Anathema alicui dicere ob dogmatis alicujus negationem tantundem eſſe, atque dogma illud ad ſalutem ſcitu & creditu neceſſarium judicare & pronuntiare. Si itaque primitivæ Eccleſiæ Anathema dixerunt iis, qui quintum iſtum modum Filiationis Jeſu Chriſti negarent; tum modum iſtum ad ſalutem ſcitu & creditu neceſſarium judicâſſe, omnino cenſendæ ſunt, ipſo Epiſcopio fatente. Ex Hiſtoria autem Eccleſiaſtica liquidò conſtat, neminem unquam per tria prima ſæcula negâſſe modum iſtum Filiationis Jeſu Chriſti, quô nempe ante omnia ſæcula ex ipſo Deo Patre genitus fuerit Deus ex Deo, quin ipſi propterea, niſi maturè palinodiam caneret, & ſuam ipſe Hæreſin damnaret, Anathema dixerit Eccleſia, hoc eſt, communione ſuâ omni interdixerit, tanquam extraneo atque à corpore Chriſti alieno: id quod in hôc & ſequenti capite demonſtrandum ſuſcipimus.

* *Apol. c.* 36.

§. 2. Impietatis illius, quæ Servatoris noſtri Divinitatem negat, principes & Architecti ſuere Cerinthus & Ebion, qui in ipſo ævo Apoſtolico Chriſti Eccleſiam vexârunt. Hoc ſolum Cerinthi inter & Ebionis ſententiam de Domino Jeſu diſcrimen erat, quòd ille Jeſum à Chriſto ſeparabat, & Jeſum quidem merum fuiſſe hominem, Joſephi & Mariæ filium, ſtatuebat, in quem Chriſtus ex ſuperioribus deſcenderit poſt Baptiſmum ejus, atque inſtante paſſione ab ipſo receſſerit, atque ad ſuum Pleroma reverſus fuerit; Ebion verò (quippe nomen id hominis fuiſſe, qui in Aſia imprimis Hæreſin ſuam ſparſit, quanquam aliter ſentiant Viri quidam eruditi, infrà oſtendemus) Jeſum eundem eſſe atque Chriſtum, & Jeſum Chriſtum, Joſephi & Mariæ filium, ab ipſo initio uſque ad vitæ exitum, nihil aliud quàm hominem fuiſſe affirmabat. Quod diſcrimen ex Irenæo diſcimus, qui librô 1. cap. 25. Cerinthi dogmata his verbis explicat: “ Cerinthus “ autem quidam in Aſia, non à primo Deo “ factum eſſe mundum docuit, ſed à virtute “ quadam valde ſeparatâ & diſtante ab ea “ Principalitate, quæ eſt ſuper univerſa, & “ ignorante eum, qui eſt ſuper omnia, Deum. Jeſum autem ſubjecit, non ex Virgine natum; (impoſſibile enim hoc ei viſum eſt) fuiſſe autem eum Joſephi & Mariæ filium, ſimiliter ut reliqui omnes homines, & plus potuiſſe juſtitiâ, & prudentiâ, & ſapientiâ præ * omnibus: & poſt Baptiſmum deſcendiſſe in eum Chriſtum, “ ab ea principalitate quæ eſt ſuper omnia, “ figurâ Columbæ; & tunc annuntiâſſe in-

* Al. *hominibus.*

" cognitum Patrem, & virtutes perfeciſſe ; " in fine autem revolâſſe iterum Chriſtum " de Jeſu : & Jeſum paſſum eſſe & reſur- " rexiſſe, Chriſtum autem impaſſibilem per- " ſeverâſſe, exiſtentem ſpiritualem. " Deinde capite proximè ſequenti in ipſo initio ſic de Ebionæis ſcribit : " Qui autem dicuntur " Ebionæi, conſentiunt quidem mundum à " Deo factum ; ea autem quæ ſunt erga Do- " minum, non ſimiliter ut Cerinthus & Car- " pocrates opinantur." Ubi ſi receptam lectionem ſequimur, duplicem differentiam manifeſtè ſtatuit Irenæus inter Cerinthi & Ebionæorum placita ; alteram de mundi creatione ſive de Deo Creatore, de Jeſu Domino noſtro alteram. Cerinthus voluit mundum non à primo Deo, ſed à poteſtate aliqua ipſo inferiore, factum fuiſſe ; Ebionæi verò ab ipſo primo Deo, ſummo omnium Principio, condita fuiſſe univerſa fatebantur. Rurſus Cerinthus docuit, Chriſtum, neſcio quem, à ſumma illa Principalitate, quæ eſt ſuper mundi Conditorem, in Jeſum poſt Baptiſmum ejus ad tempus deſcendiſſe ; at Ebionæi nullam ejuſmodi Principalitatem agnoverunt, proinde neque Chriſtum aliquem, qui ab illa Principalitate in Jeſum aliquando veniret. Quod ſi textum movendum velis, & cum Viro doctiſſimo † pro *non ſimiliter*, legendum *conſimiliter* ; tum etiam ſenſus Irenæi erit, Ebionæos hactenus quidem conſimiliter Cerintho ſenſiſſe, quòd Jeſum ex Joſepho & Maria nudum hominem natum fuiſſe docuerint, (quemadmodum quidem aliis locis ſuprà à nobis adductis ipſe Irenæus teſtatur) quanquam alterum de Domino Cerinthi figmentum reſpuerent. Ac ſane quomodo potuerunt commentum illud de Chriſto aliquo, à Principalitate quæ eſt ſuper mundi Conditorem in Jeſum deſcendente, recipere, qui mundum ab ipſo ſummo Deo conditum fuiſſe docerent ? Hoc autem docuiſſe Ebionem, præter Irenæum, Tertullianus etiam apertè teſtatur de Præſcript. adv. Hæreſ. cap. 48. his verbis : *Hujus (Cerinthi) ſucceſſor Hebion fuit, Cerintho non in omni parte conſentiens, quòd à Deo dicat mundum, non ab Angelis, factum.* Atque hæc de primis Ebionæis ſcripſerunt Irenæus & Tertullianus. Poſterior ætas duo vidit Ebionæorum genera, alios qui Domini noſtri tum *D*ivinitatem, tum ex Virgine nativitatem negabant ; alios, qui, cum Chriſtum Deum eſſe inficiarentur, tamen ex Maria Virgine per Spiritum S. conceptum ac natum fuiſſe, cum Catholicis fatebantur, de quibus infrà agemus.

§. 3. Cæterum ad commune dogma quod attinet Cerinthi & Ebionis, nempe Jeſum Servatorem noſtrum hominem eſſe nudum, non verum Dei Filium ante omnia ſæcula ex ipſo *D*eo Patre natum ; quàm execrabile illud viſum fuerit Apoſtolicæ eique proximæ Eccleſiæ, quàmque alieni ab Eccleſia Chriſti, adeoque à ſalute per Chriſtum, in primis ſæculis habiti fuerint, qui id ipſum docerent, jam ſuprà ex Ignatii & Irenæi Scriptis ſatis luculenter oſtendimus. Quibus & illud hîc addendum, quod Hieronymus ex Veterum monumentis refert : *Johannem Apoſtolum Evangelium ſcripſiſſe, rogatum ab Aſiæ Epiſcopis, adverſus Cerinthum, alioſque Hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui aſſerunt, Chriſtum ante Mariam non fuiſſe.* Ac de Cerintho quidem cum Hieronymo conſentit Irenæus lib. 3. cap. 11. ubi diſertè ſcribit, Johannem Apoſtolum *voluiſſe per Evangelii annuntiationem auferre eum, qui à Cerintho inſeminatus erat hominibus, errorem.* Unde colligere eſt, Epiſcopos Aſiæ (nempe earum partium in quibus Cerinthus & Ebion primùm docuerunt) ſimul atque Hæreticos iſtos in Eccleſias ſuas irrupiſſe, ſeu irrepſiſſe potiùs, intellexiſſent, mox indictâ Synodô, tanquam bonos paſtores ἐπὶ λυμεῶνας τῆς Χριστοῦ ποίμνης, *adverſus gregis Dominici vaſtatores* (ut de Concilio Antiocheno adverſus Paulum Samoſatenum congregatô loquitur Euſebius) ſimul omnes convenifie ; initiſque mutuis conſiliis, quô pactô Hæreſes indies gliſcentes maturè reprimerent, mox implorâſſe opem atque auxilium Johannis Apoſtoli tunc in vivis, qui hâc occaſione, * ſimulque ut priorum Evangeliſtarum τὰ ἀνδρεληπόμενα ſuppleret, Evangelium ſuum conſcripſit ; cujus initiô Cerinthi & Ebionis aliorumque ejus ſæculi Hereticorum deliramenta Apoſtolicâ ſuâ authoritate *circumſcripſit* (ut in loco proximè citato loquitur Irenæus) *& regulam veritatis deinceps in Eccleſia conſtituit.*

Catal. Scrip. Eccleſ. in Joanne.

H. E. l. 3. c. 27.

* Vide Hieronymum ubi ſuprà.

§. 4. Ac profectò quiſquis in primæ ætatis Hæreſiologia mediocriter verſatus, exordium Evangelii Johannis attentè legerit, is ſtatim perſpiciat neceſſe eſt, Apoſtolum ibi Hæreticos iſtos omnes quaſi digitô monſtrâſſe, impiaque ipſorum dogmata gladiô ſuô Apoſtolicô transfixiſſe. Divinam Servatoris noſtri naturam, adverſus Cerinthum & Ebionem adſtruit v. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Verbum erat Deus.* Erat Verbum in principio, nedum igitur ante Joſephum & Mariam, & Deus erat,

Vide & Novatianum de Trin. cap. 14.

† Pearſono *in Vindic. Ignatii Part* II. *Cap.* 2. *prope finem. Cujus locus mihi non occurrebat, cum notas ad Irenæum ſcriberem, licet eandem ibi conjecturam propoſuerim.*

erat, non itaque ψιλὸς ἄνθρωπος, *purus putus homo*. Dogma Cerinthi & aliorum ante ipſum Hæreticorum de Creatione mundi reſpicit Evangeliſta v. 3. *Omnia per ipſum* (Verbum) *facta ſunt*. Scilicet Hæretici iſti, ut paulo ſuperiùs in hoc capite obſervatum eſt, dicebant, hunc mundum ab inferioribus poteſtatibus, à ſummo Deo longè remotis ac prorſus alienis, idque ſummi Dei ingratiis, conditum fuiſſe. Contrà verò docet Evangeliſta, omnia per Verbum, quod apud Deum erat, & Deus ipſe erat, facta fuiſſe. In eodem coumate contra eoſdem Hæreticos addit: *Et abſque eo factum eſt nihil quod factum fuit*. Quæ verba, qui intentionem Aſtoli non attenderit, nihil aliud quàm inanem ταυτολογίαν continere ſuſpicetur. Sed nimirum Hæretici iſti (ut rectè Grotius) alium volebant opificem eorum quæ cernimus, ſive Mundi hujus aſpectabilis; alios rerum inviſibilium, & quæ ſuper hunc mundum ſunt, in ſuo quemque Pleromate; nihil igitur eorum quæ facta ſunt, ex operibus τῦ λόγυ excipit Johannes. Rurſus eoſdem Hæreticos manifeſtiſſimè ferit Evangeliſta v. 10, 11. *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit. In ſua venit* *, *& ſui ipſum non receperunt*. Scil. Cerinthi & aliorum omnium Hæreticorum, qui mundi hujus Conditorem à ſummo Deo ſeparabant, hæc fuit notiſſima ſententia, Chriſtum Servatorem noſtrum à ſumma omnium Principalitate in hunc mundum veniſſe, tanquam in alienum opus; idque ut homines à dominio ac ſervitute Conditoris univerſi in, neſcio quam, libertatem (licentiam rectiùs dixeris) vindicaret. Adverſus hos docet Apoſtolus, Dei Verbum & Filium Servatorem noſtrum à Patre ſuo veniſſe in hunc mundum, ut in domum & opus ſuum, ab ipſo ſcil. conditum & factum, idque, ſicut mox ſequitur v. 12, 13. ut eos qui ipſum reciperent, in veram libertatem & adoptionem filiorum Dei aſſereret; quanquam ingrati homines, maximam partem, hunc Creatorem ac Redemptorem ſuum non agnoverint. Hanc eſſe veram ac genuinam Apoſtoli in verbis illis mentem ac ſententiam, mihi perſuaſiſſimum eſt; atque adeo ita ea intellexit Irenæus lib. 3. cap. 11. ubi citatô locô hæc annotat: *Secundùm autem Marcionem & eos qui ſimiles ſunt ei*, (nempe Cerinthum alioſque Marcionis præcurſores, quos præcoquos & abortivos Marcionitas vocat Tertullianus adv. Marc. lib. 3. c. 8.) *neque mundus per eum factus eſt, neque in ſua venit, ſed in aliena*. Sic & lib. 5. cap. 18. ait, Johannem in Evangelii ſui initio *manifeſtè oſtendere audire volentibus, id eſt curas habentibus, quoniam unus Deus Pater ſuper omnes, & unum Verbum Dei, per quod omnes* *, *per quem omnia facta ſunt, & quoniam hic mundus proprius ipſius, & per ipſum factus eſt voluntate Patris, & non per Angelos, neque per Apoſtaſiam, & defectionem, & ignorantiam*, &c. Porro contra Simonianos, Saturninianos, alioſque Docetas docet Apoſtolus, Verbum ſive Filium Dei verè incarnatum atque hominem factum fuiſſe, v. 14. *Et Verbum caro factum eſt, & habitavit inter nos, & ſpectavimus gloriam ejus, tanquam unigeniti à Patre* &c. Quin & hâc unâ ſententiâ omnes ſui ſæculi Hæreticos concluſit Evangeliſta, ſiquidem *ſecundùm nullam ſententiam Hæreticorum Verbum Dei caro factum eſt*, ut verè dixit Irenæus locô jam ſæpiùs laudatô, nempe lib. 3. cap. 11. Nam Hæretici, quicunque de perſona Domini Jeſu tunc temporis falſi aliquid commenti ſunt, omnes (ut ſuprà alicubi notavimus) in duas claſſes diſpertiri poſſunt. Altera erat Phantaſiaſtarum, qui manifeſtam in Servatore noſtro Divinitatem agnoſcentes, humanam ipſi naturam abſtulerunt, conjunctionem Dei cum homine divinâ Majeſtate prorſus indignam exiſtimantes. De quibus præclarè ſcripſit Novatianus lib. de Trin. cap. 18. *Alii quoque Hæretici uſque adeo Chriſti manifeſtam amplexati ſunt Divinitatem, ut dixerint illum fuiſſe ſine carne, & totum illi ſuſceptum detraxerint hominem, ne decoquerent in illo Divini nominis poteſtatem, ſi humanam illi ſociâſſent, ut arbitrabantur, nativitatem. Quod tamen nos non probamus, ſed argumentum afferimus, uſque adeo Chriſtum eſſe Deum, ut quidam illum, ſubtractô homine, tantummodo putârint Deum* †. Altera claſſis Hæreticorum, ex contraria parte, naturam in Jeſu noſtro tantummodo humanam agnoſcebant, ut Cerinthiani & Ebionæi. Utrinque autem Verbum Dei carnem factum, h. e. Chriſtum Deum & hominem, negatum fuiſſe, nimis manifeſtum eſt. Denique Hæreſin, quæ Cerinthi & Ebionis communis fuit, de obſervatione Legis Moſaicæ tanquam ad ſalutem neceſſariâ, in tranſcurſu (ut notavit Grotius) confodit Apoſtolus v. 17. *Lex per Moſen data; gratia verò & veritas per Jeſum Chriſtum facta*.

§. 5.

Vide & Novatianum de Trin. cap. 14.

* Leg. *quod per omnes.*

* *Gr.* εἰς τὰ ἴδια. i. e. *tanquam in domum ſuam. Vide Joh.* 16. 32. *&* 19. 27. *Luc.* 2. 49. *& Nic. Fuller in Loc. miſc. S. lib.* 4. *c.* 17. *& Act.* 21. 6.

† *Tertullianus quoque notat Hæreticos iſtos negâſſe*, Chriſtum in carne veniſſe, quoniam incredibile præſumſerant, Deum carnem factum, *adverſ. Marc. lib.* 3. *c.* 8.

§. 5. Cæterum eoſdem Hæreticos in Epiſtola quoque prima manifeſtè ferit Sanctus Apoſtolus, eoſque omnes uno nomine *Antichriſtos* vocat, ut ab Irenæo, Tertulliano, aliiſque Veterum obſervatum fuit. Atque initium quidem Epiſtolæ omnino conforme eſt exordio Evangelii Johannis, ſiquidem in utroque ὁ θεόλογος magnum illud pietatis myſterium, de Deo in carne manifeſtato, pandit reſeratque, Servatoris noſtri tum θεολογίαν, tum οἰκονομίαν non exiguâ verborum pompâ explicans. De Evangelio conſtat; Epiſtola autem ſic incipit: *Quod erat à principio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod ſpectavimus, & manus noſtræ contrectârunt de Verbo illo Vitæ; (nam Vita illa conſpicua facta eſt, & illam vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis Vitam illam æternam, quæ erat apud Patrem, & conſpicua facta eſt nobis) Quod* (inquam) *vidimus & audivimus, id annuntiamus vobis, &c.* Ubi contra Docetas, qui negabant Servatorem noſtrum verum fuiſſe hominem, affirmat Johannes, ſe cæteroſque Apoſtolos τὸν λόγον τῆς ζωῆς, *Verbum vitæ* ſeu vivificum, & audiviſſe, & ipſiſſimis oculis ſuis vidiſſe, & manibus quoque contrectâſſe; ſenſus omnes idoneos in teſtimonium vocans veræ ejus ἐνσαρκώσεως. Adverſus eos autem, qui Dominum Jeſum affirmabant merum hominem, docet Apoſtolus τὸν λόγον fuiſſe ἀπ' ἀρχῆς, *ab initio* (ſcil. Creationis, ut Gen. 1. v. 1. & Joh. 1. v. 1.) proinde non tum exiſtere cœpiſſe, cum ex Maria natus fuit. Adverſus eoſdem itidem aſſerit, τῶν ζωῶν, τὴν ζωὴν αἰώνιον, *Vitam illam, Vitam æternam* (nempe τὸν λόγον rurſus, ut Jo. 1. 4. & 1. Joh. 5. 20.) fuiſſe priùs πρὸς τὸν πατέρα, *apud Patrem*, (idem quod πρὸς Θεὸν Joh. 1. 1.) poſtea verò, in aſſumpta ſcil. carne, conſpicuam fuiſſe factam hominibus. Eſt hic hujus loci ſenſus ſimplex & apertus, adeoque in veteri Eccleſia receptus, ut nos docet Tertullianus in libro adv. Praxean cap. 15. Novitia autem interpretatio eorum, qui τὸν λόγον τῆς ζωῆς per Evangelium ſive doctrinam de vita immortali exponunt, ſane perabſurda eſt. Ut enim alia taceam, quæ huic commento repugnant, qualis, quæſo, erit hic ſenſus, Apoſtolos Evangelium non modò audiviſſe, ſed & hiſce oculis ſuis vidiſſe, hiſce manibus contrectâſſe? Cæterum quàm ſibi mutuò conſonent exordium Evangelii Sancti Joannis & initium primæ ejuſdem Epiſtolæ, obſervatum eſt olim à Viro magno, Dionyſio Alexandrino, in libro ſecundo περὶ ἐπαγγελιῶν his verbis: * σωᾴδουσι μὲν γὰρ ἀλλήλοις τὸ εὐαγγέλιον ☾ ἡ ἐπιστολὴ, ὁμοίως τε ἄρχονται. τὸ μέν φησιν, ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος· ἡ δὲ, ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς· τὸ μὲν φησι, ☾ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν· καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός· ἡ δὲ τὰ αὐτὰ σμικρῷ παρηλλαγμένα· ὃ ἀκηκόαμεν, ὃ ἑωράκαμεν τοῖς ὀφθαλμοῖς ἡμῶν, ὃ ἐθεασάμεθα, καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν, περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς· καὶ ἡ ζωὴ ἐφανερώθη. ταῦτα γὰρ προαναγράφει, διατεινόμενος, ὡς ἐν τοῖς ἑξῆς ἐδήλωσε, πρὸς τοὺς ἐκ ἐν σαρκὶ φάσκοντας ἐληλυθέναι τὸν Κύριον. διὸ καὶ σωφρόνως ἐπιμελῶς· καὶ ὁ ἑωράκαμεν, μαρτυροῦμεν, καὶ ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον, ἥτις ἦν πρὸς τὸν πατέρα, καὶ ἐφανερώθη ἡμῖν· ὃ ἑωράκαμεν καὶ ἀκηκόαμεν, ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν. ἔχεται αὐτοῦ, καὶ τῶν προθέσεων ἐκ ἀφίσταται. i. e. "Nam Evangelium & Epiſtola ſibi mutuò "conſonant, & eodem ordiuntur modò. "Sic enim incipit Evangelium: *In principio erat Verbum.* Epiſtola verò: *Quod "fuit ab initio.* In illo dicitur: *Et Verbum "caro factum eſt, & habitavit in nobis: et "vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre.* Hæc verò eadem habet, "paululùm immutata: *Quod audivimus, "quod vidimus oculis noſtris, quod perſpexi"mus, & manus noſtræ contrectaverunt, de "Verbo vitæ: & vita manifeſtata eſt.* Hæc "enim ille veluti modulationis præludia "præmittit, adverſus eos qui Dominum in "carne adveniſſe negabant, ut in ſequenti"bus oſtendit. Quamobrem de induſtria "ſubjunxit: *Et quod vidimus teſtamur, & "annuntiamus vobis Vitam æternam, quæ erat "apud Patrem, & apparuit nobis. Quod "vidimus & audivimus, annuntiamus vobis.* "Adeo totus ex ſe ipſe pendet, & à pro"poſitionibus ſuis ne latum quidem un"guem diſcedit.

§. 6. In capite ſecundo ejuſdem Epiſtolæ, poſtquam fideles monuiſſet Apoſtolus, multos jam tum fuiſſe Antichriſtos, eoſque ex ipſo Apoſtolicæ Eccleſiæ gremio profectos v. 18,19. (Antichriſtos autem vocat Hæreticos, qui de perſona Jeſu Chriſti falſa atque impia docuerunt) deinde eorum aliquos ſuis propriis characteribus deſignat v. 22, 23. *Quis eſt mendax, niſi qui negat Jeſum eſſe Chriſtum? hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem & Filium; omnis qui negat Filium, nec Patrem habet.* Inter primi ſæculi Hæreticos, Chriſtianum nomen ementientes, fuere (quod mirum videatur) qui Jeſum eſſe Chriſtum negabant. Nimirum Cerinthiani, ut initiô hujus capitis ex Irenæo oſtendimus, Jeſum à Chriſto ſeparabant, alium eſſe Jeſum, alium Chriſtum docentes. Unde Epiphanius Hæreſ. 28. quæ eſt Cerinthianorum, diſertè teſtatur, docuiſſe ipſos, ἄλλον τὸν Ἰησοῦν εἶναι Χριστὸν, *Jeſum minime eſſe Chriſtum.* In hos Hæreticos directa fuiſſe hæc Johannis verba, *Quis*

* *Apud Euſeb. Eccl. Hiſt. lib. 7. cap. 25. p. 275. Edit. Valeſii.*

Quis eſt mendax, niſi qui negat Ieſum eſſe Chriſtum? ut & illa cap. 5. v. 1. *Omnis qui credit, quòd Ieſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt*, nos docet optimus Apoſtoli Interpres Irenæus lib. 3. cap. 18. Ac profectò alios, in quos loca iſta aptiùs quadrent, fruſtra quæſiveris. Nam de profeſſis Religionis noſtræ adverſariis, qui negarent Ieſum eſſe Chriſtum ſive Meſſiam à Prophetis prænuntiatum, aliumque Meſſiam expectandum docerent, non loqui Apoſtolum, ſed de Pſeudoprophetis, ſub Chriſtianæ profeſſionis larva fallentibus, ex contextu apertiſſimum eſt. Sequentia Apoſtoli verba: *Hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem & Filium*; *omnis qui negat Filium, nec Patrem habet*; commune Cerinthi & Ebionis dogma ſatis manifeſtè perſtringunt. Nam illi ambo Ieſum eſſe verum Dei Filium, ante Mariam, adeoque ante res omnes creatas, ex Deo Patre natum, omnino negabant; ac proinde, Apoſtolô judice, neque Deum Patrem revera confeſſi ſunt: ſiquidem à revelato Evangelio nemo poteſt Deum Patrem ritè colere aut credere, niſi qui Deum Filium ſimul amplectatur.

§. 7. Rurſus in quarto Epiſtolæ capite com. 1. contra Hæreticos ſui temporis Chriſtianos munit Chriſti Apoſtolus his verbis: *Dilecti, ne cuivis Spiritui credite, ſed probate Spiritus, an ex Deo ſint: nam multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum.* In ſequentibus verò duo κριτήρια proponit, quibus Pſeudoprophetæ iſti dignoſcerentur; quorum alterum ad Docetas manifeſtè pertinet, ad Cerinthianos & Ebionæos alterum. Docetæ indicantur v. 2, 3. *In hoc cognoſcite Dei Spiritum: omnis Spiritus qui confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt. Omnis verò Spiritus, qui non confitetur Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo non eſt; ſed hic eſt ille Spiritus Antichriſti, quem audiſtis venturum fuiſſe, & qui jam nunc in mundo eſt.* In quem Apoſtoli locum ἀξιόπιστον habemus Interpretem, nempe Polycarpum Johannis diſcipulum, qui in Epiſt. ad Philippenſes partem loci poſteriorem citat, eamque non de apertis Chriſtianiſmi hoſtibus, qui negarent Ieſum eſſe verum Meſſiam, eò ſcil. quòd in carne h. e. ſtatu humili veniſſet, (ut Apoſtolum perperam omnino intellexit Grotius) ſed de Hæreticis Chriſtianum nomen profeſſis diſertè exponit. Nam poſtquam ibi Philippenſes adhortatus fuiſſet Vir Apoſtolicus, ut Domino Ieſu cum timore & omni reverentia ſervirent, continuò ſubdit: ζηλωταὶ περὶ τὸ καλὸν, ἀπεχόμενοι σκανδάλων, καὶ τῶν ψευδαδέλφων, καὶ τῶν ἐν ὑποκρίσει φερόντων τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου, ὅιτινες ἀποπλανῶσι κενοὺς ἀνθρώπους. πᾶς γὰρ ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ Ἰησοῦν Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθέναι, ἀντίχριστός ἐστι· καὶ ὃς ἂν μὴ ὁμολογῇ τὸ μαρτύριον τοῦ σταυροῦ, ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστί· i. e. juxta veterem vulgatum Interpretem. " Zelantes bona, abſtinentes à " ſcandalis, & falſis fratribus, & qui in hy- " pocriſi portant nomen Domini, qui aber- " rare faciunt inanes homines. Omnis enim, " qui non confitetur Ieſum Chriſtum in carne " veniſſe, Antichriſtus eſt; & qui non confite- " tur Martyrium Crucis, ex Diabolo eſt. " Itaque falſi erant fratres, Chriſtianum nomen præ ſe ferentes, qui negabant Ieſum Chriſtum in carne veniſſe. Quod etiam ſatis manifeſtum eſt ex ſcopo Johannis Apoſtoli, notas & indicia tradentis, quibus Pſeudoprophetas iſtos ab Orthodoxis Doctoribus fideles diſcernerent. Quid enim notis opus erat, ad dignoſcendos apertos & profeſſos Religionis Chriſtianæ hoſtes? Quinam verò fuerint Hæretici iſti, Chriſtianiſmum profeſſi, qui negarent Ieſum Chriſtum in carne veniſſe, jam aliquoties monuimus. Scilicet Menander, Saturninus, aliique Docetæ primæ ætatis (quorum hæreſin renovavit Marcion, tum cum Polycarpus iſta ſcriberet) omnino negabant, Dominum noſtrum in vera carne humana veniſſe in hunc mundum, aut verè paſſum & crucifixum fuiſſe, adeoque, ut loquitur Polycarpus, Martyrium crucis nequaquam confeſſi ſunt.

§. 8. Quam hæreſin & alter quoque Johannis diſcipulus & familiaris, Ignatius paſſim transfigit in Epiſtolis ſuis, maximè verò in illa ad Smyrnæos, quæ fere tota in perniciosum illud dogma collimat. Τί γάρ με (inquit ibidem) ὀφελεῖ τις, εἰ ἐμὲ ἐπαινεῖ, τὸν δὲ κύριόν μου βλασφημεῖ, μὴ ὁμολογῶν αὐτὸν σαρκοφόρον; ὁ δὲ τοῦτο μὴ λέγων, τελείως αὐτὸν ἀπήρνηται, ὢν νεκροφόρος. i. e. ſecundum Interpretem Latinum Uſſerianum: " Quid e- " nim juvat me quis, ſi me laudat, Domi- " num autem meum blaſphemat, non confi- " tens ipſum carniferum? Qui autem hoc " non dicit, ipſum perfectè abnegavit, exi- " ſtens mortifer. " Ubi quis non videt hoc Ignatii, *non confiteri Dominum* σαρκοφόρον, *carniferum*, planè idem eſſe quod illud Johannis, *non confiteri Ieſum Chriſtum* ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα, *qui in carne venit*, ſeu *in carne veniſſe*? In eadem verò Epiſtola paulò ſuperiùs Docetarum hæreſin Catholicæ doctrinæ oppoſitam explicârat Ignatius his verbis: Ἐπαθεν, ὡς καὶ ἀληθῶς ἀνέστησεν ἑαυτὸν, οὐχ ὥσπερ ἄπιστοί τινες λέγουσιν, τὸ δοκεῖν αὐτὸν πεπονθέναι, αὐτοὶ τὸ δοκεῖν ὄντες. i. e. " Et " verè paſſus eſt (Dominus) ut & verè refuſ- " citavit ſeipſum. Non quemadmodum " infideles quidam dicunt, ſecundum vide-

Edit. Voſ. p. 4.

p. 2.

" deri ipsum passum esse, ipsi secundum vi-
" deri existentes." Sensus est: qui docent Dominum nostrum in phantasmate & specie tantùm hominem factum & passum fuisse, ipsi quidem in phantasmate & specie tantùm Christiani habendi sunt. Mox pauculis interjectis, Phantasiastas istos refellit ex illustri historia de Iesu post resurrectionem discipulis suis, ac Thomæ imprimis, corpus suum atque infixa ipsi vulnera contrectanda exhibente. Ad quam historiam hæc annotat: *καὶ εὐθὺς αὐτοῦ ἥψαντο, καὶ ἐπίστευσαν, κρατηθέντες τῇ σαρκὶ αὐτοῦ καὶ τῷ πνεύματι.* i. e. p. 3.
" Et confestim ipsum tetigerunt, & credi-
" derunt, victi carne ipsius & Spiritu: "
hoc est, eô experimentô victi, Dominum Iesum & verum hominem, & verum esse Deum crediderunt. Nam *πνεῦμα Spiritus* in Christo, præsertim ubi carni opponitur, ejus
Def. Fid. Nic. Sect. l. c. 2. §. 5. *τὴν θείαν φύσιν* apud primæ ætatis Scriptores significat, ut alibi ostendimus. Scilicet alludit manifestè Ignatius ad confessionem Thomæ post visa & contrectata Christi vulnera in has voces erumpentis: *ὁ κύριός μου καὶ ὁ Θεός μου, Mi Domine & mi Deus*, Joan. 20. v. 28. Mox Hæreticos istos Vir Sanctus vocat *τὰ θηρία ἀνθρωπόμορφα bestias Anthropomorphas*, significans, quòd contra manifestam veritatem docuerint, Dominum nostrum in phantasmate tantùm fuisse hominem, dignos fuisse, qui ipsi non pro hominibus ratione præditis, sed pro indutis formâ hominum belluis haberentur. Denique de iisdem notat, quòd à Cœna Domini prorsus abstinuerint, *διὰ τὸ μὴ ὁμολογεῖν τὴν εὐχαριστίαν σάρκα εἶναι τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὴν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν ἡμῶν παθοῦσαν,* p. 5.
" Quòd non confiterentur Eucharistiam
" carnem esse Salvatoris nostri Iesu Christi,
" pro peccatis nostris passam: " Hoc est, non crediderunt Dominum verum hominem factum, atque in cruce verè passum fuisse, (quod Polycarpo est *non confiteri Martyrium Crucis*) ac proinde Passionis Dominicæ memoriam celebrare noluerunt. Hæc duorum Johannis discipulorum luculentissima testimonia dubitare nos non sinunt, quin Pseudoprophetæ & Antichristi, quos negâsse dicit Apostolus, Christum in carne venisse, haud alii fuerint, quàm Menander, Saturninus, Basilides, cæterique primi sæculi Phantasiastæ. Atque hos sane in loco illo Apostolum significâsse, post Ignatium & Polycarpum notârunt Irenæus, Tertullianus, Vetereſque, qui Apostolicæ ætati viciniores fuere, penè omnes.

§. 9. Cum Apostolo nostro progrediamur, qui post aliqua in eodem capite, deinde alteram de persona Christi hæresin, Docetarum deliramento contrariam, suô etiam *χαρακτηρισμῷ* designat v. 15. *Quisquis confessus fuerit Iesum esse Filium Dei, Deus in eo habitat, & ipse in Deo.* Intelligendum relinquitur, quod in priori nota expressum est, membrum oppositum: *Quisquis verò confessus non fuerit, Iesum esse Filium Dei, Deus in eo non habitat, neque ipse in Deo.* Non est autem dubitandum, quin Apostolus his verbis confessionem exigat illius Filii Dei, quem ipse ex parte suprà in hac Epistola prædicaverat, & plenius in Evangelio suo declarat, nempe Filii Dei, qui sit Dei Patris *λόγος*, qui in principio erat, & apud Deum erat, & Deus ipse erat, per quem omnia facta sunt, &c. Quibus elogiis verum & proprium Dei Filium, ante omnem creaturam ex ipso Deo Patre natum significari, Adversarii, quibuscum nobis nunc controversia est, non diffitentur, atque omnibus, qui in meridiana luce non cæcutiunt, manifestissimum est. Hujusmodi verò Dei Filium Iesum nostrum esse, non confessus est Cerinthus, neque post ipsum Ebion, utroque docente, Iesum merum esse hominem, qui ante Mariam non extiterit; proinde utrique, Apostoli sententiâ, à Deo alieni erant. Et quia præ aliis maximè tunc crescceret Cerinthi hæresis, ideo Apostolus fidem illam, quâ creditur Iesum esse Dei Filium, passim in hac Epistola commendat, urget, atque inculcat. Vide præter loca jam allata etiam cap. 3. v. 23. & 5. v. 5. 10, 11, 12, 13, 20. Hæ autem notæ, nempe quæ in hoc quarto & in secundo hujus Epistolæ capite traduntur, fidelibus Apostolicæ ætatis omnino sufficiebant ad Hæreticos omnes, quicunque tunc temporis de persona Servatoris nostri falsa atque impia docuerunt, discernendos. Earum hæc est summa: omnem Doctorem, qui confessus fuerit unum Iesum Christum, verum Dei Filium, propter hominum salutem verè hominem factum, ex Deo esse; (nimirum eâ parte, quâ id confitetur ac docet, ut rectè Estius) contrà pro Pseudopropheta atque Antichristo habendum esse, quisquis hoc confessus non fuerit. Sed iis notis maximè insistit Apostolus, quæ Hæreticos designent, qui Servatorem nostrum vel verum hominem, vel verum esse Deum negarent; ut notavit Tertullianus de Præscript. adv. Hæres. c. 33. his verbis: " In Epistola eos
" maximè Antichristos vocat (*Johannes*)
" qui Christum negarent in carne venisse,
" & qui non putarent, Iesum esse Filium
" Dei: illud Marcion, (*& ante eum Me-*
" *nander, Saturninus, & alii*) hoc Hebion
" vindi-

" vindicavit." Hæc autem ideo fusiùs persecutus sum, quòd hinc non modò ex antiquissimorum Patrum monumentis, sed etiam ex Scriptis Apostolicis omnibus liqueat, fuisse in ipso Apostolorum ævo, qui Christi Domini nostri Divinitatem negarent, quique eô nomine pro Hæreticis, adeoque pro Antichristis, (tantum aberat, ut fratres & vera Ecclesiæ membra censerentur) ab Apostolis habiti fuerint. Præterea hinc quoque clarè elucet, doctrinam de Filii Dei ἐνσαρκώσει sive de Christo θεανθρώπῳ, vero Deo & vero homine, ut à nascente Evangelio variè à variis Hæreticis impugnata fuit, ita ab Ecclesiæ veris Pastoribus modis omnibus omnique studiô, tanquam Fidei Christianæ caput ac fundamentum ipsum, religiosissimè semper conservatam & custoditam fuisse.

§. 10. Ac de Hæreticis ἀρχαιοδόξοις primi sæculi, nempe Cerinthianis & Ebionæis, desinerem ulteriùs loqui, nisi Auctor impii libelli, *Irenicum Irenicorum* inscripti, prodigiosum quoddam de Ebionæis commentum prodidisset, quod à nobis neutiquam prætermitti debet. Si enim vera sunt, quæ Auctor ille ut probet, nervis omnibus contendit, non modò de necessitate Articuli de Servatoris nostri Divinitate, sed etiam de ipsa ejus veritate defendenda actum planè erit; atque Ebionæi, saltem minores, adeo Hæretici non fuerunt, ut hos solos Apostolicæ de Christo doctrinæ ac traditionis fideles fuisse custodes, statuendum sit. Quippe fidenter affirmat, Irenic. p. 73. & p. 111. & sequ. Ebionæos (eos scil. qui Christum ex Virgine natum confitebantur, sed Deum esse negabant) revera non alios fuisse, quàm Nazaræos, sive omnium primos & antiquissimos Christianos Hierosolymitanos, qui, post acceptam Christi Fidem, Legis observationem retinuerunt, quique doctrinam de Christo ψιλῷ ἀνθρώπῳ, quam scil. ab Apostolis edocti erant, religiosè conservârunt, atque ad posteros tradiderunt; durante ipsorum Ecclesiâ usque ad Adriani tempora, à quo patriâ expulsi fuere, atque exinde à cæteris Christianis Ebionæi per contemptum appellati, ac pro Hæreticis habiti. Atque de hoc suo commento mirificè sibi placet, ac multùm gloriatur homo vanissimus, tanquam de traditione, ut loquitur, omnibus Catholicorum pro Divinitate Filii traditionibus longè antiquiore ac certiore.

§. 11. Verùm enim verò putidissimam hanc esse atque impudentissimam Hæretici fabulam, ex iis quæ jam diximus, satis liquet. Ut enim sacra Oracula à nobis adducta sileam, quis Veterum, quis Apostolicorum Scriptorum, quos citavimus, de hac traditione vel fando inaudivit? Quis nobis contrariam traditionem suô testimoniô non confirmavit? Quin etiam hæc tantopere venditata traditio ex Historia Ecclesiastica quàm facillimè, quàm certissimè refelli potest. Namque Eusebius disertè testatur, se ex Veterum scriptis didicisse, omnes quindecim Episcopos, qui ex circumcisione erant, & Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuerunt usque ad Adriani tempora, puram ac sinceram Christi cognitionem amplexos fuisse. Sic enim de ipsis scribit Hist. Eccl. lib. 4. c. 5. " Eorum quidem Episcoporum tempora qui " Hierosolymis præfuerunt, nusquam repe- " rire potui. Omnes quippe brevi admo- " dum tempore sedisse perhibentur. Illud " autem ex veterum Scriptorum monumen- " tis didici, ad illam usque obsessionem Ju- " dæorum, quæ imperante Adrianô contigit, quindecim Episcopos continuâ succession illi Ecclesiæ præfuisse; ὡς πάν- " τας ἑβραίως φασὶν ὄντας ἀνενεχθέν, τὴν γνῶσιν " τῶν Χριστῶν γνησίως καταδέξασθαι, quos omnes, " cùm origine Hebræi fuerint, cognitionem " Christi genuinè susceptisse memorant." Hoc autem certè neutiquam de iis dixisset Eusebius, si ex Veteribus illis didicisset, sensisse ipsos de Christo idem quod Ebionæi, quippe quos propterea quòd Christum negarent esse Deum Verbum ante sæcula, impietatis condemnet, quin & à Diabolo in ditionem suam redactos pronuntiet. Ita enim de utroque genere Ebionæorum scribit Eccl. Hist. 3. c. 27. " Alios verò quos à Religi- " one Christiana malignus Dæmon prorsus " dimovere non potuerat, aliâ ex parte in- " firmos esse deprehendens, in ditionem su- " am redegit. Hi ab Antiquis cognominati " sunt Ebionæi; quippe qui humiliter ad- " modum atque abjectè de Christo sentirent. " Eum enim simplicem ac vulgarem, nec a- " liud quàm hominem esse censebant, qui " profectu virtutis justus factus fuisset, cæ- " terum ex viri cum Maria concubitu pro- " creatum. Porro Legis observationem sibi " omnino necessariam ducebant, quasi per " solam in Christum fidem, vitamque ex ea " fide traductam, salutem consequi non va- " lerent. Alii ab his, eôdem nomine nuncupati, absurdam priorum sententiam refu- " gientes, Christum quidem ex Virgine & " ex Spiritu Sancto genitum esse non ne- " gant: ὃ μὴν ἐὰν ὁμοίως ἢ, ὅτοι περιπάρ- " χειν αὐτὸν, θεὸν λόγον ὄντα ἢ σοφίαν, ὁμολο- " γοῦντες, τῇ δὲ τῶν προτέρων μετρέποντο δυσ- " σεβείᾳ· μάλιστα ὅτε ἢ τὴν σωματικὴν περὶ τὸν " νόμον λατρείαν ὁμοίως ἐκείνοις περιέπειν ἐ- " σπούδαζον. i.e. Sed & hi nihilominus, cùm " itidem

" itidem præextitisse ipsum, utpote Deum " Verbum ac Sapientiam, minimè fateantur, " EADEM CUM PRIORIBUS IMPIE- " TATE SUBVERSI SUNT : cùm præ- " sertim corporales Legis ceremonias, per- " inde atque illi, accuratè custodiant." Certè ex collatis his duobus Eusebii locis clarè liquet, Ebionæos illos posteriores (quos minores Ebionæos vocat Nicephorus Eccl. Hist. l. 13. c. 13.) à primis Hierosolymitanis Christianis dupliciter discrepâsse. 1 Ebionæi illi de Christo impiè senserunt, utpote Deum Verbum ac Sapientiam ante carnis nativitatem subsitisse ipsum, minimè confitentes ; at primi Hierosolymitani Christiani cognitionem Christi genuinè amplexi sunt. 2 Ebionæi illi ritus Mosaicos urgebant, tanquam omnino observatu necessarios, & fidem Christi absque eorum observatione ad salutem sufficere negabant. Hoc de prioribus sive majoribus Ebionæis disertè notat Eusebius, & minores quoque Ebionæos ὁμοίως ἐκείνοις, *perinde atque illos*, Legis Mosaicæ studiosos fuisse affirmat, adeoque in hôc impietatem ipsorum ex parte sitam fuisse, non obscurè significat. Quippe sensus Eusebii manifestus est, Ebionæos istos pernicioſum illud dogma, de absoluta necessitate Legem Mosaicam observandi, alteri illi impietati suæ, sane maximæ ac per se nimis exitiali, quâ nempe Christum Deum negarent, insuper adjecisse, adeoque non uno nomine impios atque à salute alienos fuisse. Atqui Hierosolymitanis suis Christianis, utut circumcisionem quoque & alia Mosis ritualia (pro more scil. ab ipsis Apostolis infirmitati ipsorum primitus concesso) observantibus, nullam impietatis dicam impingit Eusebius ; quòd scil. hi & de Christo rectè senserint, atque ab aliis ex Gentibus Christianis Legis ritualis observationem neutiquam exigerent. Equidem si hoc feciſſent, decretum Concilii Hierosolymitani, cui præfuit Jacobus, primus sedis illius Episcopus, palàm oppugnâssent. Non est quidem dubitandum, quin Eusebius existimaverit, culpabiles fuisse Christianos illos Hierosolymitanos, eos saltem qui post eversum à Tito Templum vixere, quòd non tandem viderint cultum ritualem, in Lege Mosaica præscriptum, prorsus abolitum fuisse. Propterea verò illos laudat, quòd interim legalia ista, quæ ipsi observarent, aliis Christianis non obtruserint, & alioqui Fidem Catholicam, & speciatim illam ejus partem quæ ad Christi Domini nostri personam spectat, sincerè amplexi fuerint.

§. 12. Cæterum Eusebii testimonio, de primitiva Ecclesia Hierosolymitana ejusque Episcopis, omnino consentit, lucemque adeo fœneratur gravissimus Historicus, Sulpicius Severus, Sac. Hist. l. 2. c. 45. ubi de iisdem sic scribit : " Quia Christiani ex Judæis po- " tissimùm putabantur (namque tum Hie- " rosolymæ, non nisi ex circumcisione, ha- " bebat Ecclesia Sacerdotem) militum co- " hortem custodias in perpetuum agitare " jussit (Adrianus), quæ Judæos omnes Hi- " erosolymæ aditu arceret. Quod quidem " Christianæ Fidei proficiebat : *quia tum* " *penè omnes Christum Deum, sub Legis ob-* " *servatione, credebant.* Nimirum id Do- " minô ordinante dispositum, ut Legis ser- " vitus à libertate Fidei atque Ecclesiæ tol- " leretur." Ubi *penè omnes* dixit, quoniam fuere etiam Hierosolymæ tunc temporis Fideles ex Gentibus, licet numerô pauciores, qui Christum Deum absque Legis observatione crederent. Cæterum quod de Hierosolymitanis illis ex circumcisione Christianis ex Veteribus refert Eusebius, ipsos scil. *cognitionem sive fidem Christi genuinè suscepisse* ; idem de iisdem (sed paulò clariùs) testatur hîc Sulpicius, affirmans, quòd *Christum Deum crederent.* His certè nihil manifestius. Quare si Nazaræi, qui dicebantur, Hierosolymitanorum ex circumcisione Christianorum posteri ac progenies fuere, (quod docti plerique omnes sentiunt) & revera, ut ait Irenici Auctor, Christum pro mero homine habuerunt ; desciviſse ipsos ab Antecessorum ac Patrum suorum fide, omnino statuendum est.

§. 13. Verùm sublimiùs de Christo Domino nostro Nazaræos quoque sensisse, magnis Auctoribus constat. Certè Philastrius nullam ipsis de Christi persona Hæresin ascribit. Augustinus verò in libro de Hæresibus, postquam cap. 8. de Cerinthianis egerat, qui docerent, *carne circumcidi oportere, atque alia hujusmodi Legis præcepta servari ; Jesum hominem tantummodo fuisse*, &c. deinde cap. 9, & 10. Nazaræorum & Ebionæorum dogmata sic explicat : *Nazaræi cum Dei Filium confiteantur esse Christum* (adeoque hactenus à Cerinthianis dissentiant, qui illum pro homine tantùm habent) *omnia tamen veteris Legis* (in hôc cum Cerinthianis consentientes) *observant, quæ Christiani per Apostolicam traditionem non observare carnaliter, sed spiritualiter intelligere didicerunt. Hebionæi Christum etiam* (scil. perinde atque Cerinthiani, de quibus paulò antè locutus fuerat) *tantummodo hominem dicunt. Mandata carnalia Legis observant*, &c. Hîc palam est (quicquid cavilletur Irenici Auctor) Augustinum Nazaræos tum à Cerinthianis, tum ab Ebionæis

næis in hôc diſtinguere voluiſſe, quòd Nazaræi Chriſtum *non hominem tantummodo*, ſicut Cerinthiani & Ebionæi, ſed *Filium Dei* adeoque Deum confiterentur. Præterea quid Auguſtino fuerit, *Chriſtum Filium Dei confiteri*, omnes nôrunt. Quippe non alium ille Filium Dei agnovit, quàm qui ante omnia ſæcula Deus ex Deo Patre genitus ſit.* Porro apertiſſimum eſt Hieronymi teſtimonium in Epiſtola 89 ad Auguſtinum, ubi de Cerintho, Ebione, & Nazaræis ſic ſcribit: "Si "hoc verum eſt, in Cerinthi & Ebionis "Hæreſin dilabimur, qui credentes in Chri-"ſto, propter hoc ſolum à Patribus anathe-"matizati ſunt, quòd Legis ceremonias "Chriſti Evangelio miſcuerunt, & ſic nova "confeſſi ſunt, ut vetera non amitterent. "Quid dicam de Hebionitis, qui Chriſtia-"nos eſſe ſe ſimulant? Uſque hodie per totas "Orientis Synagogas inter Judæos Hæreſis "eſt, quæ dicitur Mineorum, quos vulgò "Nazaræos nuncupant, qui credunt in Chri-"ſtum, Filium Dei, natum de Virgine Ma-"ria, & eum dicunt eſſe, qui ſub Pontio "Pilato paſſus eſt & reſurrexit, in quem & "nos credimus. Sed dum volunt & Judæi "eſſe, & Chriſtiani, nec Judæi ſunt, nec "Chriſtiani." Quibus verbis diſertè dicit Hieronymus, cum Auguſtino, credidiſſe Nazaræos in Chriſtum Filium Dei: & hôc non contentus ſe explicat, affirmans, credidiſſe ipſos in eum Dei Filium, in quem & nos (ſcil. Catholici) credimus; ut in hac de Filio Dei doctrina diſcrimen inter Catholicos & Nazaræos nullum prorſus agnoſcat. † Hanc fuiſſe Hieronymi mentem, clariùs adhuc liquebit è ſcopo ipſius in loco citato. Mota erat inter Hieronymum & Auguſtinum controverſia ſuper verbis Pauli de Petro Gal. 2. 11. κατὰ πρόσωπον αὐτῷ ἀντέστην· an ſcil. Paulus ſeriò & ex animo Petrum reprehenderit; an verò res tota fictè tantùm & per ſanctam quandam ſimulationem inter ipſos tranſacta fuerit? Prius illud rectè ſtatuebat Auguſtinus; poſterius contra manifeſtam veritatem (etſi conſentientibus quidem Græcis nonnullis Interpretibus) Hieronymus propugnabat, verba illa κατὰ πρόσωπον vertens non *coram*, ſed *ſecundum faciem*, hoc eſt fictè, non ex animo. Palmarium argumentum, quô ſuam defendebat ſententiam, (in quam caſu, dum lectis Græcis Commentariis, & in mente ſua plurima coacervans, accitô notariô, vel ſua vel aliena dictaret, nec ordinis, nec verborum interdum, nec ſenſuum memor, incidiſſe ſe ingenuè fatetur) hujuſmodi fuit; quòd Paulus ipſe aliquando Judaizavit, proinde jure non potuit ejus erroris Petrum arguere, in quo ipſe fuit. Cui argumento rectè reſpondet Auguſtinus, Petrum objurgatum fuiſſe à Paulo, non quia ſervabat conſuetudinem Judæorum in qua natus atque educatus erat, quanquam apud Gentes eam non ſervaret; ſed quòd Gentibus volebat eam imponere, ſuô ſcil. exemplô, quod Paulus nunquam fecerat. Quippe ceremoniæ Legis, etiamſi Gentibus imponi non debuerunt, Judæis tamen fidelibus ad tempus concedi poterant. Hæc autem intelligere nolens Hieronymus, more ſuo oratorio, in Auguſtinum invehitur, quaſi Summa ſententiæ ipſius eſſet, *quòd poſt Evangelium Chriſti, etiam nunc bene faciant Judæi credentes, ſi Legis mandata cuſtodiant, hoc eſt, ſacrificia offerant*, &c. Atque adverſus hanc ſententiam, quæ certe Auguſtini nunquam fuit, tanquam cum umbra ſua dimicans, ſic argumentatur: *Si hoc verum eſt, in Cerinthi & Ebionis Hæreſin dilabimur, qui credentes in Chriſto propter hoc ſolum à Patribus anathematizati ſunt, quòd Legis ceremonias Chriſti Evangelio miſcuerunt.* Quibus minimè voluit Hieronymus, Cerinthum & Ebionem nullam aliam Hæreſin foviſſe, ob quam à Patribus anathematizati fuerint; (quippe neſcire non poterat, Ebionem ab antiquis Hæreſis condemnatum fuiſſe, quòd Chriſti Divinitatem negaret; Cerinthum verò tum ob eandem Hæreſin, tum ob alia impia dogmata, ex albo Chriſtianorum eraſum fuiſſe) ſed ob eum ſolum errorem, ſi cætera orthodoxi fuiſſent, dignos fuiſſe à Patribus judicatos, qui anathemate percuterentur. Quia verò illud ab Adverſario, quem ſibi finxerat, in dubium vocari potuiſſe videret, ideo ab exemplo Cerinthi & Ebionis ultro ipſe recedit, aliô argumentô, à Nazaræis ſumptô, quod omnem cavillandi anſam præſcinderet, pugnaturus: *Quid dicam*, inquit, *de Ebionæis, qui Chriſtianos eſſe ſe ſimulant? Uſque hodie per totas Orientis Synagogas*, &c. Quaſi diceret de Ebionæis fortaſſe cauſaberis, neque ego diffiteor, ipſos de Chriſto Domino noſtro impiè ſentire, utpote hominem tantummodo illum eſſe docentes; proinde utut Chriſtianos ſe ſimulent, pro verè Chriſtianis tamen minimè habendos; at verò certè nihil habebis, quod reſpondeas de Nazaræis, qui cum per

* Hæc à cavillo Adverſarii vindicavit Reverendus Auctor in Tractatu nunc primùm edito, cui titulus: *Primitiva & Apoſtolica Traditio*, &c. Cap. 1. §. 7.

† Hæc quoq; carpenti Adverſario reſpondit Auctor Clariſſimus locô citatô §. 8.

omnia Catholici ſint, demptô quòd Legis obſervationem retineant, ab Eccleſia tamen pro Hæreticis ſunt habiti. Certè hoc voluiſſe Hieronymum, manifeſtiſſimum eſt. Nemini autem meliùs cognita eſſe potuit Nazaræorum ſententia, quàm Hieronymo, utpote qui eorum converſatione uſus fuerit, atque ab ipſis Hebraicum Matthæi Evangelium deſcribendi facultatem acceperit, ut ipſe diſertè teſtatur de Script. Eccl. de *Matthæo* agens.

§. 14. Cæterum teſtimoniis jam productis duo præterea adjiciam, quæ, licet in iis nulla quidem Nazaræorum mentio nominatim facta ſit, ad ipſos tamen omnino pertinere, eorumque ſententiam ſatis luculenter declarare mihi videntur. Prius erit Scriptoris, omnibus, quos hactenus citavimus, extra controverſiam longè antiquioris, nempe Juſtini Martyris in Dialogo cum Tryphone Judæo; ubi Trypho quæſtiones nonnullas, de obſervatione Legis Moſaicæ, Juſtino ſolvendas proponit; quarum prima ad eos pertinet, qui ſub Lege vixerunt ante Chriſti adventum, & eſt hujuſmodi: " Qui ex præſcripto ro-
" gatæ per Moſen Legis vixerunt, viventne
" pariter cum Enoch, Noe & Job in reſurre-
" ctione mortuorum, annon?" Ad quam quæ-
p. 263, & 264. ſtionem ſic reſpondet Juſtinus: " In Lege
" Moſis quæ naturâ pulchra ſunt, pia, &
" juſta, ſancita ſunt à morigeris facienda:
" nec minùs quæ propter induratum cor
" populi fieri præcepta ſunt, ſcripta inve-
" niuntur; quæ & præſtitere qui ſub Lege
" fuerunt. Quare qui ea fecerunt, quæ in
" univerſum & naturâ & perpetuò pul-
" chra ſunt, Deo complacuerunt; & per
" Chriſtum hunc in reſurrectione, perinde
" atque majores eorum homines juſti, E-
" noch, & Noe, & Job, & ſi qui alii exti-
" tere, σωθήσονται σὺν τοῖς ἐπιγνοῦσι τὸν Χρι-
" στὸν τοῦτον τοῦ Θεοῦ υἱὸν, ὃς ἦν πρὸ ἑωσφόρου
" καὶ σελήνης ἦν, καὶ διὰ τῆς παρθένου ταύτης τῆς
" ἀπὸ τοῦ γένους τοῦ Δαβὶδ γενηθῆναι σαρκο-
" ποιηθεὶς ἐπέμφνεν, ſalvabuntur unà cum
" iis qui agnoſcunt hunc Chriſtum Dei
" Filium, qui & ante Luciferum & Lu-
" nam fuit, & ex Virgine iſta generis Da-
" vidici caro factus, naſci ſuſtinuit: ut per
" hanc diſpenſationem is qui à principio
" malignè egit ſerpens, & aſſimilati ei An-
" geli debellarentur, & mors contemnere-
" tur, atque in ſecundo Chriſti ipſius ad-
" ventu ab iis qui ipſi credunt, & ex ſen-
" tentia ejus vivunt, penitus ceſſaret, neque
" deinceps exſtaret ampliùs: cum alii qui-
" dem in judicium & condemnationem ignis
" inceſſanter cruciandi mittentur; alii au-
" tem in perpeſſionis vacuitate & incor-
" ruptibilitate, & indolentia, & immorta-
" litate ſimul vivent." Cujus reſponſionis manifeſta hæc eſt ſententia: eos qui ſub Lege Moſaica viventes, cùm ritibus ſibi à Deo impoſitis, tum imprimis æternis juſtitiæ legibus fideliter obtemperârunt, ut & pios qui ante Legem iſtam fuere, per Chriſti gratiam ſalutem æternam conſecuturos unà nobiſcum Chriſtianis, quanquam explicitam illam, quæ à nobis nunc requiritur, de Chriſto fidem non habuerint: explicitam verò illam fidem, quæ à nobis ſub Evangelio ad ſalutem exigitur, eam omnino eſſe, quâ nempe agnoſcimus, Jeſum Chriſtum eſſe Dei Filium, qui ante ſæcula extiterit, & in plenitudine temporis incarnatus, atque ex Virgine homo factus fuerit, ut per iſtam œconomiam Diabolum ac mortem vinceret; quique tandem in exitu mundi iterum adveniet orbem judicaturus, atque impios quidem in æterni ignis ſupplicia addicturus, pios verò ad gloriæ & felicitatis æternæ Regnum evecturus. Ubi obiter notet Lector, regulam Fidei de Chriſto ad ſalutem neceſſariæ ab Juſtino traditam, ipſamque in opportunum tempus, cum uſui fuerit, memoriâ ſuâ reponat. Cæterum quærit deinde Trypho, an qui iſtam de Chriſto fidem nunc amplexus fuerit, & tamen cum fide illa Legis etiam Moſaicæ ritualis obſervationem retinuerit, ſalvus eſſe poſſit? " Quòd
" ſi qui, *inquit*, nunc quoque vivere velint
" in obſervatione eorum, quæ à Moſe ro-
" gata ſunt, & credunt in hunc crucifixum
" Jeſum, agnoſcentes ipſum eſſe Chriſtum
" illum Dei, (*nempe qualem, tu, Juſtine,*
" *modò deſcripſiſti*) eique datum eſſe uni-
" verſorum prorſus judicium, & Regnum
" ejus eſſe æternum, (*ut à Te quoque dictum*
" *eſt*) poſſuntne & hi quoque ſalutem con-
" ſequi?" Ad quam quæſtionem priuſquam reſpondet Juſtinus, nonnulla Tryphonem viciſſim interrogat, de iis ritibus Moſaicis, qui nunc, poſt dirutum Templum Hieroſolymitanum, ſervari aut non ſervari queant. Quibus abſolutis, repetit quæſtionem ſuam Trypho, & rurſus quærit, an qui ſuprà deſcriptam in Chriſtum fidem tenet, & tamen ea Moſis legalia obſervare velit, quæ nunc ſervari queant, ſalutem poſſit conſequi? Et reſpondet tandem Juſtinus his verbis: ὡς μὲν ἐμοὶ δοκεῖ, ὦ τρύφων, λέγω ὅτι σωθήσεται ὁ τοιοῦτος, ἐὰν μὴ τὰς ἄλλας ἀνθρώπους, λέγω ἢ ἀπὸ τῶν ἐθνῶν διὰ τοῦ Χριστοῦ ἀπὸ τῆς πλάνης μετανοήσας, οὐ πάντως πείθειν ἀγωνίζηται ταῦτα αὐτῷ φυλάσσειν, λέγων δὲ σωθήσεσθαι αὐτούς, ἐὰν μὴ ταῦτα φυλάξωσιν. " Ut mihi quidem videtur, ô Trypho, ſal-
" vatum

" vatum talem iri dico, ſi modò alios mor-
" tales (eos autem dico, qui ex Gentibus
" per Chriſtum ab errore circumciſi ſunt)
" eò adducere anniſus non fuerit, ut eadem
" ſecum obſervent, non aliter ſervatum eos
" iri affirmans. " Ex verbis autem illis Juſtini, *ut mihi quidem videtur*, novam quæſtionem movet Trypho: *An ſunt*, inquit, *qui dicunt, hujuſmodi homines ſalvatum non iri?* Scilicet mirum ipſi videbatur, à Chriſtiano aliquo ſalutem denegari iis, qui cætera eandem planè ſecum fidem amplectuntur, ob hoc ſolum, quòd Legis à Deo latæ obſervatio ipſis religio ſit. Sed reſpondet Juſtinus: εἰσὶν, ὦ Τρύφων, οἳ μηδὲ κοινωνεῖν ὁμιλίας ἢ ἑστίας τοῖς τοιούτοις τολμῶντες· ὃις ἐγὼ οὐ συναινός εἰμι. i. e. " Sunt, ô Trypho, &
" quidem cum talibus illi neque conſuetu-
" dinis neque hoſpitii communionem habe-
" re audent: quos ego non collaudo." Nimirum cenſebant iſti, poſt tam diu tamque clarè promulgatum Chriſti Evangelium, Legalia Moſis non modò mortua eſſe, ſed & mortifera. Neque id prorſus negat Juſtinus, utpote qui horum Judaizantium Chriſtianorum non quibuſcunque ſalutem concedit, ſed iis tantùm, qui διὰ τὸ ἀσθενὲς τῆς γνώμης, *propter judicii infirmitatem*, (ut ibidem mox loquitur) ritibus Moſaicis adhæreſcebant. Hinc autem clarè tandem elucet, fuiſſe ex Judæis, Juſtini ætate, qui Catholicam de Chriſto fidem, quâ nempe creditur, Jeſum Chriſtum eſſe Dei Filium, qui ante res omnes creatas extiterit, & definitô tempore propter hominum ſalutem incarnatus atque ex Virgine homo factus fuerit, &c. cum obſervatione Legis Moſaicæ ritualis miſcerent; neque tamen aliis ſcil. ex Gentibus Chriſtianis eam Legem obſervandi neceſſitatem imponerent. Quinam verò, te obſecro, fuerunt iſti? certè non alii quàm Nazaræi ſive Chriſtiani Hieroſolymitani, qui jam Juſtini temporibus haud ita pridem patriâ ſuâ per Adrianum expulſi fuerant. Atque hæc quidem de Nazaræis ſcripſit Juſtinus, qui poſt aliqua in eodem Dialogo Ebionæorum etiam dogma in tranſcurſu perſtringit, ut infrà cum ad argumenta Epiſcopii venerimus, oſtendetur.*

§. 15. Alterum teſtimonium ex libro petam *Conſtitutionum Apoſtolicarum* ſexto; cujus libri capite 10. dogmata recenſet Auctor Hæreticorum, qui ipſam Apoſtolicam Eccleſiam turbârunt; Cerinthianos verò & Ebionæos ſpeciatim perſtringit in fine capitis, ubi notat eos, qui docerent δεῖν περιτέμνεσθαι νομίμως· πιστεύειν τε εἰς Ἰησοῦν ὡς εἰς ὅσιον ἄνθρωπον καὶ προφήτην· i. e. " Circumci-
" dendum eſſe ſecundùm Legem, creden-
" dumque in Jeſum tanquam in Virum ſan-
" ctum & Prophetam." Deinde cap. 11. prædicationem Apoſtolicam exponit contra omnes Hæreticos, quorum deliramenta ſuprà commemoraverat. Sed itidem in fine capitis propriè adverſus Cerinthum & Ebionem Catholicam fidem exponit his verbis: τὸν Χριστὸν οὐ ψιλὸν ἄνθρωπον ὁμολογοῦμεν, ἀλλὰ Θεὸν λόγον καὶ ἄνθρωπον, μεσίτην Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἀρχιερέα τοῦ παντὸς· ὅτε μὲν μετ' Ἰουδαίων περιτεμνόμεθα· i. e. " Chri-
" ſtum confitemur eſſe non nudum homi-
" nem, ſed Deum Verbum & hominem,
" Mediatorem Dei & hominum, Pontificem
" Patris. Neque verò cum Judæis circum-
" cidimur, &c." Tum in capite ἀμέσως ſequente contra alios adhuc agit, qui ritualia Moſis ſibi obſervanda exiſtimarent. Titulus capitis eſt: πρὸς τοὺς ὁμολογοῦντας, Ἰουδαΐζειν δὲ θέλοντας, *contra confitentes, & Judaizare tamen volentes*; hoc eſt, contra eos, qui cum cætera Catholicam fidem in capite proximè præcedente expoſitam amplecterentur, & ſpeciatim illam ejus partem, quæ in extremo capite recenſetur, nempe Chriſtum eſſe Deum & hominem, confiterentur; tamen cum Judæis hactenus ſenſerunt, atque à cæteris Chriſtianis in diverſum abierunt, ut Legi Moſaicæ rituali etiamnum adhæreſcerent. Quis autem dubitet, quin hi *confitentes, & Judaizare tamen volentes*, ipſiſſimi fuerint Nazaræi? Scil. de Nazaræis penè iiſdem verbis Hieronymum ſuprà teſtantem audivimus, quòd eum Dei Filium confeſſi ſunt, in quem & nos credimus; ſed cum voluerunt & Judæi eſſe, & Chriſtiani, nec Judæi fuerunt, neq; Chriſtiani. Imò ſane alios à Nazaræis, in quos Pſeudo-Clementis deſcriptio illa quadret, fruſtra quæſiveris. †

§. 16. His tot tantiſque Veterum teſtimoniis impar eſt auctoritas unius Theodoreti, poſterioris ævi Scriptoris, affirmantis, Nazaræos Chriſtum tantummodo ut *hominem juſtum honorâſſe*. Ad Epiphanium enim quod attinet, cum is Hæreſ. 29. c. 1. Nazaræos Cerinthianis tanquam ὁμοδόξους adjungat, Hæretic. Fab. l. 2. c. 2.

* Hoc ex Juſtino allatum argumentum defendit doctiſſimus Auctor in antè laudato Tractatu Cap. 1. §. 9.
† Et hæc ibi vindicata lege §. 10.

jungat, in eâdem tamen Hæreſi cap. 1. ingenuè fatetur, ſe minimè compertum habuiſſe, quid de Chriſto Nazaræi ſenſerint; utrùm ſcil. Cerinthi impietatem, an verò Catholicam ſententiam ſecuti fuerint. Sic enim ibidem de ipſis ſcribit: Περὶ Χριστοῦ ὃ οὐκ οἶδα εἰπεῖν, εἰ καὶ αὐτοὶ τῇ τῶν προσῃμένων περὶ Κήρινθον καὶ Μήρινθον μοχθηρίᾳ ἀχθόμενοι, ψιλὸν ἄνθρωπον νομίζουσιν· ἢ, καθὼς ἡ ἀλήθεια ἔχει, διὰ πνεύματος ἁγίου γεγεννῆσθαι ἐκ Μαρίας διαβεβαιοῦνται. " De Chriſto " autem certò illud affirmare nequeo, u- " trum Cerinthi vel Merinthi impietate il- " lâ decepti, ſimplicem illum hominem aſ- " ſeverent, an, uti ſeſe res habet, per Spiri- " tum Sanctum de Maria Virgine genitum " eſſe fateantur. " Ut manifeſtum ſit, Epiphanio parum perſpecta fuiſſe Nazaræorum dogmata. Quod autem antea temerè dixerat, Cerinthianis & Nazaræis fuiſſe ὅμοια τὰ φρονήματα, *ſimiles opiniones*, id arripuiſſe videtur poſt ipſum ſcribens Theodoretus, indeque tradidiſſe, Nazaræos, perinde ac Cerinthianos, Chriſtum tantummodo ut hominem juſtum honorâſſe. Scribit quidem Epiphanius Hæreſ. 30. c. 2. Nazaræos & Ebionæos capita ſimul contuliſſe, ſuamque nequitiam invicem communicâſſe. Neque ſane à vero abſimile videtur, Nazaræos poſteriorum temporum, à cæteris fere Chriſtianis Catholicis diu rejectos ac contemptui habitos, cum Ebionæis, ob communem utriſque rituum Moſaicorum obſervationem, familiaritatem aliquam contraxiſſe; indeque tandem ex ipſis aliquos illorum impietate contaminatos fuiſſe. Atque horum fortaſſe degenerum Nazaræorum in numero fuere Ebionæi, qui dicebantur minores, quorum nemo, quantum meminerim, ante Origenem mentionem fecit. Cæterum diu poſt Judæorum ſub Adriano obſidionem, imò uſque ad Hieronymi & Auguſtini ſaltem tempora, extitiſſe Nazaræos, qui primorum Nazaræorum, ſive primitivæ Hieroſolymarum ex circumciſione Eccleſiæ Chriſtianæ fidem illibatam conſervârunt, hoc eſt, Chriſtum Deum ſub Legis obſervatione credidere, allata à nobis modò Veterum luculenta teſtimonia extra dubium ponunt.

§. 17. Ex his autem omnibus abunde tandem liquet, quàm in dealbando execrandam Ebionæorum Hæreſin, ipſamque pro dogmate venditando, ab ipſis Apoſtolis, primis Hieroſolymitanis Chriſtianis ſive Nazaræis traditô, Irenici Auctor ſe fruſtra omnino fatigaverit. Haud neceſſe eſt igitur, ut de nomine Ebionis ejuſque origine cum Sophiſta illo magnopere contendamus. Verumtamen cum videam, Viros quoſdam doctos & Catholicos hactenus cum ipſo ſentire, ut negent, extitiſſe unquam Hæreſiarcham aliquem, cui Ebioni proprium nomen fuerit; atque Ebionæorum cognomentum Judæo-Chriſtianis illis, qui de Chriſto abjectè atque humiliter ſentirent, per opprobrium tantùm primitus impoſitum fuiſſe; ideo de hac etiam quæſtione pauca dicemus. Fuiſſe aliquando homuncionem quendam, nomine Ebionem, qui Cerinthi hæreſin eatenus ſecutus fuit, ut Dominum Jeſum tantummodo hominem eſſe doceret, diſertè teſtatur Hæreſiologorum, quos nunc habemus, fere antiquiſſimus Tertullianus loco ſuprà à nobis in hoc capite laudato. Tertulliano conſentit Philaſtrius, Hieronymus adverſus Luciferianos cap. 8. Epiphanius Hæreſ. 30. Ruffinus in Symbolum prope finem, aliique. Neque his obſtat, quòd à pleriſque notatum, nomen *Ebion pauperem* ſive *inopem* Hebraicè ſignificare. Nihil enim aliud inde efficitur, quàm Ebionis de Chriſto ſententiam ac notionem, cum nomine ipſius optimè conveniſſe. Planè ut in ſacris literis de Nabale legimus 1 Sam. 25. 25. *Prout eſt nomen ejus, ita eſt ipſe: Nabal nomen ejus, & apud ipſum eſt ſtultitia.* Equidem ſimiles ad nomina Hæreſiarcharum alluſiones frequenter apud Eccleſiaſticos Scriptores occurrunt. Sic Euſebius de Manichæis Eccl. Hiſt. l. 7. c. 31. Ἐν τούτῳ δὴ ὁ μανεὶς τὰς φρένας, ἐπώνυμός τε τῆς δαιμονιώσης αἱρέσεως, τῷ τῆς λογισμῷ πλάνης περιὼν καθωπλίζετο· τῷ δαίμονι αὐτῷ δήπου τῷ πρωτομάχῳ Σατανᾷ ἐπὶ λύμῃ πολλῶν τὸν ἄνδρα προβεβλημένῳ. " Iiſ- " dem temporibus ille meritò dictus Manes, " id eſt furioſus, qui Dæmoniacam Hære- " ſin nominis ſui condidit, armatus inſa- " niâ, à Dei adverſario Satana ad multo- " rum hominum perniciem productus eſt. " Similiter Gregorius Nazianzenus de Ario Orat. 20. Ἄρειος ὁ τῆς μανίας ἐπώνυμος, τὸ πολὺ τῆς ἐκκλησίας διέσεισε καὶ διέφθειρεν. *Ille à furore nomen habens Arius magnam Eccleſiæ partem concuſſit & labefactavit.* In quem Nazianzeni locum Nicetas notat: *Arius ἀπὸ τοῦ ἄρεως, id eſt à Marte, dictus eſt, bellaciſſimo & furioſo Dæmone.* Hinc Arii ſectatores Ἀρειομανῖται, *Ariomanitæ* ab Athanaſio & aliis paſſim dicti. Atque plura hujus generis proferre potuiſſem, ſi id operæ pretium exiſtimarem. Cæterum ſententiam noſtram planè explicat & confirmat Epiphanius Hæreſ. 30. c. 17. de nomine Ebionis ita differens: Ἐβίων γὰρ ἔχει ἀπὸ ἑβραϊκῆς εἰς ἑλλάδα φωνὴν τὴν ἑρμηνείαν πτωχός· πτωχὸς γὰρ ὡς ἀληθῶς

δᾶς ϰ᾽ τῇ διανοίᾳ, ϰ᾽ τῇ ἐλπίδι, ϰ᾽ τῷ ἔργῳ, Χριϛὸν ἄνθρωπον ψιλὸν νομίσας, ϰ᾽ ὅτως ἐν πλωχείᾳ πίϛεως τὴν ἐλπίδα περὶ αὐτῦ ϰεϰτημένῳ. "Ebion enim Hebraica vox Græ- " câ linguâ pauperem ſignificat. Et fuit " quidem iſte revera pauper mente, ſpe, " factiſque, utpote qui Chriſtum merum " eſſe hominem exiſtimavit, adeoque ſpem " in ipſo cum quadam fidei paupertate col- " locavit." Pauculis interjectis addit : ἀλλὰ φύϛ τῷ ὄντι Ἐβίων ϰαλεῖτο, ϰατὰ πϱοφητείαν, ἶμαι, ὁ πλωχὸς ϰαὶ πάλας τὸ ὄνομα ἐϰ παλϱὸς αὐτῦ ϰαὶ μητϱὸς αὐτῦ ϰεϰληϱωμένῳ· " Sed revera Ebioni propri- " um hoc erat nomen ; non ſine vaticinio " tamen aliquo, ut opinor, quô pauper in- " felixque fore ſignificaretur, à Parentibus " id nominis ſortitus eſt.

§. 18. Itaque Ebionæi primitus dicebantur ii ſoli, qui Ebionis Hæreſiarchæ ſectatores fuere, ejuſque dogma utrumque tum de neceſſitate ritus Moſaicos obſervandi, tum de Chriſto ψιλῷ ἀνθϱώπῳ amplecterentur. Sed poſtmodum, circiter medium ſcil. tertii ſæculi, à quibuſdam Ebionæos dictos fuiſſe, quicunque ex Judæis Chriſtianiſmum unà cum Legis obſervatione profeſſi ſunt, ab uno Origene docemur : qui quidem libro 2. cont. Celſ. non longè ab initio ſic ſcribit : ὁι ἀπὸ Ιϖδαίων εἰϛ τ᾽ Ιηϖῦν πιϛϵύονλες, ϵ᾽ ϰαλαλελοίπασι τ᾽ πάλϱιον νόμον. βιῶσι γὰ ϰατ᾽ αὐτὸν, ἐπώνυμοι δ᾽ ϰατὰ τὴν ἐϰδοχὴν πλωχείας τῦ νόμυ γεγϱαμμένοι. Ἐβίων τε γὰ ὁ πλωχὸς παϱὰ Ιϖδαίοις ϰαλεῖται· ϰαὶ Ἐβιωναῖοι ϰϱηματίζϵσιν ὁι ἀπὸ Ιϖδαίων τ᾽ Ιηϖῦν, ὡς Χριϛὸν, ϰαθαϱὰ δεξάμϵνοι. "Judæi qui in Je- " ſum credunt, non deſciverunt à patriis " legibus : vivunt enim juxta eas, pauper- " tati ſuæ Legis cognomines. Nam Ebion " pauper Judaicâ linguâ vocatur : & Ebio- " næi dicuntur, qui ex Judæis Jeſum pro " Chriſto receperunt." Hoc, inquam, nemo, quod ſciam, vel, ante vel poſt Origenem tradidit. Interim ex hoc ipſo Origenis loco non malè obſervari poteſt, qui latiore illo ſenſu Ebionæi tunc nuncupati ſunt, non ideo ſic appellatos, quòd cum Ebionæis primò & propriè ſic dictis de Chriſto abjectè atque humiliter ſentirent ; (quippe non omnes ex Judæis in Jeſum credentes, & Legem adhuc obſervantes, de ipſo ita ſenſiſſe omnino evicimus) ſed *διὰ τὴν πλωχείαν τ᾽ νόμυ, ob paupertatem Legis*, cui omnes adhæreſcerent, ſive quòd Legis *τὰ ἀϑενῆ ϰαὶ πλωχὰ ϛοιχῖα, infirmata atque egena elementa* (ut S. Paulus loquitur) etiamnum in pretio haberent, & religiosè colerent. Alibi autem in Commentariis ad Matthæum, ubi loquitur Origenes de Ebionæis ſtrictiori ſenſu ſic dictis, qui ſcilicet *τὴν πεϱὶ Χϱιϛῦ Θεολογίαν* non agnoverunt, ipſos dicit *πλωχεύονλας πεϱὶ τὴν εἰϛ Ιηϖῦν πίϛιν, circa fidem, quæ eſt in Jeſum, inopes.* Atque hæc de Hæreticis, qui primô Chriſtianiſmi ſæculô Domini noſtri Divinitatem negârunt, fuſiùs quidem, prout res poſtulabat, diſſeruimus. Hiſtoriam eorum, qui duobus ſæculis ſequentibus eandem impietatem propugnârunt, paucioribus, & minori negotiô, Deo volente, expediemus.

Gal. 4. 9.

P. 427, 428. *Edit. Huet.*

CAP. III.

De iis qui secundô tertiôque sæculô Jesum Christum verum esse Deum negârunt.

§. 1. SUB Severo Imperatore circa annum Christi 190. Theodotus quidam, patriâ Byzantinus, ab arte, quam exercuit, ὁ σκυτεὺς, *Coriarius* cognominatus, Ebionitarum exitiale dogma palam defendere atque affirmare ausus fuit. Hunc quidem Caius Presbyter, sive alius antiquus Scriptor, apud Eusebium Eccl.Hist. l.5. c.28. appellat τὸν ἀρχηγὸν καὶ πατέρα τῆς ἀρνησιθέου ἀποστασίας, πρῶτον εἰπόντα ψιλὸν ἄνθρωπον τὸν Χριστὸν, *Defectionis illius Deum abnegantis architectum ac parentem, qui primus Christum nudum esse hominem asseruit.* Sed voluit, ut opinor, hunc primum inter merè Christianos, hoc est Christianos ex Gentibus, dogma illud asseruisse; cum priores istius blasphemiæ assertores fere sub Christiana professione Judaismum propugnârint, proinde Synagogæ potiùs quàm Ecclesiæ accensendi fuerint, ac pro Judæis magis quàm Christianis, vel certè pro mediis inter utrosque habendi. Hinc ab aliis quoque Veterum Ebionæi in Catalogum Hæresium Judaicarum rejecti fuere, atque ab Hæreticis, qui in Ecclesia Christiana exorti sunt, distinguebantur, ut infrà ostendemus. Cæterum de Theodoto illo ejusq; Hæresi Tertullianus de Præscript. adv. Hæres. c. 53. hæc refert: " Accedit his " Theodotus Bizantius, qui posteaquam pro " Christi nomine comprehensus negavit, in " Christum blasphemare non destitit. Do- " ctrinam enim introduxit, quâ Christum " hominem tantummodo diceret, Deum au- " tem illum negaret: ex Spiritu quidem " Sancto natum ex Virgine, sed hominem " solitarium atque nudum, nullâ aliâ præ " cæteris, nisi solâ justitiæ auctoritate. " Eadem de ipso tradunt Epiphanius Hæres. 54. Augustinus de Hæres. c. 33. cæterique Hæresiologi fere omnes. Anathemate autem perculsus est impius Dogmatista à Victore Episcopo Romano, testante Caio illo, apud Eusebium locô paulo superiùs indicatô.

§. 2. Ubi etiam idem Caius memorabilem Historiam narrat, quam, quòd ad institutum nostrum quàm maximè pertinet, hîc recitare non gravabor: " Facinus, *inquit*, nostrâ " ætate gestum, multis fratrum nostrorum " in memoriam revocabo. Quod quidem si " Sodomis admissum fuisset, ipsos, ut arbi- " tror, incolas ad pœnitentiam provocare " potuisset. Erat quidam, Natalis nomine, " Confessor, qui non ita pridem, sed nostrâ " ætate vixit. Hic forte in fraudem indu- " ctus est ab Asclepiodoto & altero quodam " Theodoto Argentario. Ambo autem isti " discipuli erant Theodoti illius Coriarii, " qui primus ob hanc sententiam seu potiùs " insaniam à Victore, ut dixi, tunc tempo- " ris Episcopo ab Ecclesiæ communione re- " motus est. Hi persuaserunt Natali, ut " acceptô salariô Hæresis illius Episcopus " crearetur, eâ scilicet conditione ut men- " struos centum quinquaginta denarios ab " illis acciperet. Sociatus igitur illorum " partibus, sæpe à Domino corripiebatur in " somnis. Clementissimus enim Deus ac " Dominus noster Jesus Christus, eum qui " passionum suarum testis extiterat, perire " extra Ecclesiam nolebat. Sed cum noctur- " nas ejusmodi visiones negligeret Natalis, " utpote honore primæ apud illos sedis, & " turpis lucri cupiditate (quæ multis mor- " talibus exitio est) inescatus, tandem à San- " ctis Angelis per totam noctem flagris cæ- " sus, & gravissimè verberatus est, adeo ut " primô diluculô consurgens, saccum in- " duerit, & cinere conspersus confestim cum " lacrymis ad pedes Zephyrini Episcopi se " abjecerit, non solùm Cleri, verùm etiam " Laicorum vestigiis advolutus; & Christi " misericordis Ecclesiam ipsam quoque mi- " sericordem fletibus suis commoverit atque " concusserit. Multisque precibus usus, o- " stensis etiam vibicibus plagarum, quas pro " Christi confessione pertulerat, vix tandem

" ad

" ad communionem admiſſus eſt. " Scilicet tantæ molis erat, Eccleſiæ pacem recuperare homini, de Chriſtianiſmo alioquin optimè merito, qui in nefandam illam Hæreſin aliquando prolapſus fuerat. Cæterum ad repetitas viſiones quod attinet, quibus ipſe Dominus Ieſus ſe exhibuiſſe divinæ ſuæ Majeſtatis vindicem, lapſique Confeſſoris inſaniam caſtigâſſe hîc dicitur ; nemo ipſas ut fictas facilè rejiciet, qui obſervaverit, hæc narrâſſe ipſum illum Confeſſorem, de turpiſſimo lapſu ſuo pœnitentiam in Eccleſia ſeriò agentem, coram multis teſtibus, quorum plerorumque tum ſuperſtitum fidem appellaverit graviſſimus hujus Hiſtoriæ Scriptor ; quique porro ſecum recoluerit, iſtiuſmodi viſionum exempla alia, apud tertii etiam ſæculi Scriptores, eoſque probatiſſimæ fidei, non pauca reperiri. Qua de re videſis doctiſſimi *Dodwelli* noſtri Diſſertationes Cyprianicas Diſſ. 4. ad Epiſt. 8.

§. 12. Non longè ab initio tertii ſæculi extitit Theodotianæ hæreſis inſtaurator Artemon, ſive Artemas quidam : contra quem ejuſque ſectatores Caius, ſive antiquus ille Scriptor, quem modò laudavimus, eruditum librum compoſuit, teſte Euſebio, dicto loco, nempe Eccl. Hiſt. l. 5. c. ult. Eo in libro Auctor, referente ibidem Euſebio, de Artemonitis iſtis hæc ad verbum ſcribit : " Affirmant, priſcos quidem omnes, & ipſos Apoſtolos ea quæ ab ipſis nunc dicuntur, & accepiſſe, & docuiſſe : ac prædicationis quidem veritatem eſſe cuſtoditam uſque ad Victoris tempora, qui tertius decimus à Petro Romanæ urbis Epiſcopus fuit : à Zephyrini autem temporibus, qui Victori ſucceſſit, adulteratam fuiſſe veritatem. Ac fortaſſe id quod dicunt, credibile videretur, niſi iis refragarentur primùm quidem divinæ Scripturæ, deinde fratrum quorundam Scripta, Victoris ætate antiquiora, quæ illi adverſus Gentes & contra ſui temporis Hæreticos pro veritatis defenſione ſcripſerunt. Juſtinum intelligo, & Miltiadem & Tatianum ac Clementem, alioſque quàm plurimos : in quorum omnium libris Chriſti Divinitas adſtruitur. Nam Irenæi quidem & Melitonis & reliquorum Scripta quis eſt qui ignoret, in quibus Chriſtum Deum ſimul atque hominem prædicaverunt ? Pſalmi quoque & Cantica fratrum * ab initio à fidelibus conſcripta, Chriſtum Verbum Dei concelebrant, Divinitatem ei tribuendo. Cum igitur tot abhinc annis Eccleſiaſtica doctrina prædicata ſit, quî fieri poteſt, ut omnes uſque ad Victoris tempora eam, quam iſti dicunt, doctrinam promulgaverint ? Quomodo eos non pudet hujuſmodi calumniam adverſus Victorem concinnare, cum certò ſciant, Theodotum Coriarium, qui defectionis illius Deum abnegantis parens & auctor fuit, primuſque Chriſtum nudum eſſe hominem aſſeruit, per Victorem à communione Eccleſiæ ejectum fuiſſe ? Nam ſi, ut aiunt, Victor eadem ſentiebat quæ illorum docet blaſphemia, cur Theodotum opinionis illius auctorem ab Eccleſia removit ? " Hoc inſigne eruditi Scriptoris fragmentum eò libentiùs ex Euſebio integrum tranſcripſi, ut omnes perſpiciant ſummam Auctoris Irenici impudentiam, Artemonitas appellantis, ut Apoſtolicæ traditionis teſtes fide digniſſimos. Certè enim ex his liquet, manifeſtiſſimi atque ab omni veritatis ſpecie alieni mendacii ipſos convictos fuiſſe. Quin & auſim dicere, hanc unam venerandi Auctoris paragraphen, ſi quis ipſam rectè expenderit, ad impia illa omnia figmenta, quæ in Irenico iſto coacervantur, refellendum ſufficere. Cæterum quod ad rem noſtram quàm maximè ſpectat, Artemonitas iſtos à cœtu fidelium eliminatos fuiſſe, nihilque quicquam cum Eccleſia Chriſti Catholica commune habuiſſe, perſpicuum eſt ex verbis Patrum Antiochenorum de Paulo Samoſateno ab Eccleſia jam pulſo, in Synodica ſua Epiſtola † ſic loquentium : *τῷ δὲ ἀρτεμᾶ ὅτῳ ἐπιτελλέτω, ἢ ὁι τὰ ἀρτεμᾶ φρονοῦντες πέτῳ κοινωνείτωσαν. Hic verò ad Artemam ſcribat, & qui cum Artema ſentiunt, cum illo communicent.*

† *Apud Euſeb. Eccleſ. Hiſt. l. 7. c. 30. prope finem.*

§. 4. Eodem ſæculô non multò pòſt Beryllus Boſtrorum in Arabia Epiſcopus (referente Euſebio Eccleſ. Hiſt. l. 6. c. 33.) *τὴν ἐκκλησιαστικὸν παρεκτρέπων κανόνα, ξένα τινὰ τῆς πίστεως παρεισφέρειν ἐπεχείρησε. τὸν σωτῆρα ἡμῶν λέγειν τολμᾶν μὴ προϋφεστάναι κατ' ἰδίαν οὐσίας περιγραφὴν πρὸ τῆς εἰς ἀνθρώπους ἐπιδημίας, μηδὲ μὴν θεότητα ἰδίαν ἔχειν, ἀλλ' ἐμπολιτευομένην αὐτῷ μόνην τὴν πατρικήν.* " Eccleſiaſticam pervertens regulam, nova " quædam & aliena à fide Catholica indu- " cere conatus eſt ; auſus aſſerere, Domi- " num

* *Vide Plinii Epiſt. l.* 10. *Epiſt.* 97. *ad Traj. & quæ ipſi ad hunc Caii locum annotavimus Def. Fid. Nic. Sect.* 3. *cap.* 2. §. 5.

" num ac Servatorem noſtrum, antequam " inter homines verſaretur, non ſubſtitiſſe " in propriæ perſonæ differentia ; nec pro- " priam, ſed paternam duntaxat Divinita- " tem in ſe reſidentem habere. " Ex quibus Euſebii verbis conjiciat quis, Beryllum iſtum ad hæreſin Noeti, quæ poſtea Sabellii fuit, alluſiſſe. Sed nihil hujuſmodi de ipſo tradidit Hieronymus, cujus verba mox adferam. Cæterum adverſus hunc plurimi Epiſcopi Synodô convenerunt, eô dubiô procul conſiliô, ut hominem hæreſis convictum ab Eccleſia removerent. Sed Origene, qui Synodo interfuit, errorem ejus coarguente, veritati victas dedit manus, atque ad priſtinam ſanamque ſententiam rediit, ut ibidem Euſebius teſtatur. De eodem Hieronymus lib. de Script. Eccl. cap. 71. " Beryllus Arabiæ " Boſtrenus Epiſcopus, cùm aliquantô tem- " pore gloriosè rexiſſet Eccleſiam, ad extre- " mum lapſus in hæreſin, quæ Chriſtum ante " incarnationem negat, ab Origene correctus, " ſcripſit varia opuſcula, & maxime Epiſto- " las, in quibus Origeni gratias agit, *&c.*

§. 5. Circiter annum Chriſti 260. famoſus ille Paulus, à patria Samoſatenus, ab Epiſcopali ſede Antiochenus nominatus, Artemonitarum hæreſin renovavit. Senſit enim (teſte Euſebio Eccl. Hiſt. l. 7. c. 27.) παῤῥησίᾳ ἐν χαμαιπετεῖ περὶ τοῦ Χριστοῦ φθεγγόμενος τὴν ἐκκλησιαστικὴν διδασκαλίαν, ὡς κοινὸς τῷ φύσιν ἀνθρώπου γεγονέναι, " Præter Eccleſiaſticam " doctrinam abjectè atque humiliter de " Chriſto, quaſi is nihil ſupra communem " hominum naturam habuiſſet. " De ipſo autem ſic ſcribit in libro de ſalutari adventu Athanaſius * : ὁ Σαμοσατεὺς Θεὸν ἐκ παρθένου ὁμολογεῖ, Θεὸν ἐκ Ναζαρὲτ τεχθέντα, κ) ἐντεῦθεν δ' ὑπάρξεως τῷ ἀρχῷ ἐφικνόμενον, & ἀρχὴν βασιλείας παῤῥληρῶν· λόγον δ' ἐνεργὸν ἐξ οὐρανοῦ & σοφίαν ἐν αὐτῷ ὁμολογεῖ, τῷ μὲν προαιωνίῳ περὶ αἰώνων ὄντα, τῇ δ' ὑπάρξει ἐκ Ναζαρὲτ ἀναδειχθέντα " Paulus Samoſatenus " Deum ex Virgine confitetur, Deum Na- " zareti in lucem editum, & inde exiſtendi " primordium Regnique conſecutum. Ver- " bum tamen efficax è Cœlo & Sapientiam " in eodem agnoſcit, ac prædeſtinatione " quidem fuiſſe ante ſæcula, ſed Nazareti " primùm extare cœpiſſe. " Ubi per λόγον, qui in Chriſto fuit, minimè intellexit Paulus perſonam τοῦ λόγου ſeu Filii Dei ; hujuſmodi enim λόγον nullum agnovit ; ſed vim ac virtutem quandam divinam, quâ in utero Virginis conceptus fuit, quæque deinceps in ipſo uſque operata eſt. Hâc tantùm ratione per Spiritum S. conceptum fuiſſe Chriſtum exiſtimavit, (ſiquidem neque Spiritum aliquem Sanctum, qui Divina perſona ſit, confeſſus eſt) atque hac de cauſa Deum in Scripturis dici ipſum credidit. De eodem Paulo ejuſque ſectatoribus Auguſtinus de Hæreſ. cap. 44. " Pauliani, à " Paulo Samoſateno, Chriſtum non ſemper " fuiſſe dicunt, ſed ejus initium, ex quo de " Maria natus eſt, aſſeverant : nec eum ali- " quid amplius quàm hominem putant. Iſta " Hæreſis aliquando cujuſdam Artemonii, " (*i. e.* Artemonis) fuit ; ſed cum defeciſ- " ſet, inſtaurata eſt à Paulo. " Sed audiamus ipſos Patres Antiocheni Concilii, qui certè Pauli ſententiam optimè omnium intellexerunt. Illi in Epiſtola ſua Synodica apud Euſebium dicti libri cap. 30. teſtantur, Paulum iſtum negâſſe τὸν Θεὸν τὸν ἑαυτοῦ καὶ κύριον, *Deum ac Dominum ſuum*, hoc eſt, Chriſti Domini ac Servatoris noſtri Divinitatem inficiatum fuiſſe. Et paulo pòſt in eadem Epiſtola aiunt, noluiſſe ipſum τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ συνομολογεῖν ἐξ οὐρανοῦ καταληλυθέναι, *cum Catholicis confiteri, Filium Dei è cœlo deſcendiſſe* ; ſed dixiſſe, Chriſtum κάτωθεν *è terra ortum fuiſſe*. Denique ibidem diſertè ipſum dicunt τὸν ἐξορχησάμενον τὸ μυστήριον, καὶ ἐμπομπεύοντα τῇ μιαρᾷ αἱρέσει τῇ Ἀρτεμᾶ, *hominem qui abjurato Fidei myſterio, ad ſceleſtam ſe Artemæ hæreſin contulit*. Senſit igitur Paulus de Chriſto idem quod Artemas.

§. 6. Tradunt autem Veteres nonnulli, Judaicam iſtam blaſphemiam propterea propugnaſſe Samoſatenum, ut Zenobiæ Judææ, quod affirmat Athanaſius *, certè Judæorum religioni addictæ fœminæ, atque in Oriente tunc temporis imperium obtinenti, gratificaretur. Ita Chryſoſtomus Homil. 8. in Johannem, & Theodoretus Hær. Fab. lib. 2. c. 8. Ut non multùm abſimili modô nuperi apud nos tum Samoſatenianæ, tum Arianæ ſectæ inſtauratores doctrinam de Chriſto coeſſentiali Dei Filio, adeoque de SS. Trinitate ὁμουσίῳ, in Eccleſia omnino ſupprimendam eſſe contendunt, ne ſcilicet Judæorum & Turcarum converſioni impedimento illa ulteriùs ſit : hoc eſt, volunt nos revera Chriſtianos eſſe deſinere, ut infideles iſti quôque modô Chriſtiani fiant.

§. 7. Cæterum adverſus impium illum Paulum duæ Epiſcoporum Synodi apud Antiochiam congregatæ fuere. Atque in priori quidem, quæ ſub Gallieno Imperatore, circa annum Regni ejus duodecimum, Chriſti 265. celebrata fuit, Sophiſta, deceptis per ſimulationem Epiſcopis, indemnis evaſit, ut colligere eſt ex Euſebio Eccl. Hiſt. l. 7. c. 28. In poſteriori verò numeroſiſſima Synodo, quæ

*pag. 635 edit Paris 1627.

*In Epiſt. ad Solit. p. 837.

quæ Aureliano imperante, circiter annum Domini 270. habita fuit, à Malchione quodam Presbytero, Viro in primis erudito, qui Synodo interfuit, hæreſi ipſius palam detectâ, non modò ab Epiſcopali throno deturbatus, ſed etiam Eccleſiæ Catholicæ communione prorſus omni interdictus fuit. Ita enim illius Synodi hiſtoriam paucis tradidit Euſebius dicti libri cap. 29. " Hujus " (Aureliani) temporibus Synodus innu- " merabilium fere Epiſcoporum congregata " eſt; in qua Auctor ille hæreſeos, apud " Antiochiam Paulus, convictus & ab omni- " bus manifeſtiſſimè deprehenſus falſi do- " gmatis reus, ὑπὸ τὸν οὐρανὸν καθολικῆς ἐκ- " κλησίας ἀποκηρύττεται, ab univerſa quæ " ſub cœlo eſt Eccleſia eliminatus eſt. Præ- " cipuè verò illum coarguit, & latere cupi- " entem confutavit Malchion quidam Vir " diſertiſſimus, &c. " Obſervatu autem dignum eſt, quàm vehementer quàm acerbè Sancti Patres in Epiſtola ſua Synodica tum in Hæreſiarcham ipſum, tum in hæreſin ejus invehantur: Ipſum dicunt hominem τὸν Θεὸν τὸν ἑαυτῶ ἀρνούμενον, *Deum ſuum abnegantem*; ἀποςάντα τῦ κανόνος, *à Fidei regula deficientem*, ſive *Apoſtatam à Fide*; quin & ἀντιπαρατασσόμενον τῷ Θεῷ, *Deo bellum indicentem*. Dogma ejus appellant τὴν θανατηφόρον διδασκαλίαν, *mortiferam doctrinam*, ἀρνησίθεον κακίαν, *Deum negantem malitiam*, μιαρὰν αἵρεσιν, *ſceleſtam hæreſin*. Ex quibus manifeſtum eſt, magnam & ſanctam hanc Synodum, adeoque Catholicam illius ſæculi Eccleſiam, dogma de vera Chriſti Divinitate ad ſalutem ſcitu & creditu neceſſarium omnino judicâſſe.

§. 8. Poſt Paulum illum Samoſatenum, nemo in Eccleſiaſtica hiſtoria tertii ſæculi, quantum meminerim, occurrit, qui Servatoris noſtri Θεολογίαν oppugnavit, præter unum Lucianum quendam; qui itidem propterea excommunicationis ſententiam paſſus fuit. De quo vide ſis quæ ſcripſimus Def. Fid. Nic. Sect. 2. cap. 13. §. 8.

§. 9. Cæterum ſi ex novorum Arianorum grege quiſpiam hîc objiciat, Hæreticos omnes, quos hactenus recenſuimus, Chriſti præexiſtentiam ante Mariam negâſſe, quam Ariani agnoſcunt, quin & extitiſſe ipſum ante ſæcula fatentur; proinde hæc omnia ut Socinianos tangant, ad Arianos tamen nihil attinere; is fruſtra omnino erit. Namque apertiſſimum eſt, commemoratos Hæreticos ab Eccleſia damnatos fuiſſe ob cauſam, quæ ipſis cum Arianis communis fuit, nempe quòd Servatorem noſtrum Deum eſſe negarent. Reſpice quæ in hoc capite de Theodoto, Artemone, & Paulo Samoſateno ex Veteribus obſervavimus, & videbis eorum omnium hæreſin in eo à S. Patribus conſtitutam fuiſſe; non quòd Chriſtum inferiorem quàm revera erat creaturam, ſed quòd meram creaturam omnino ſtatuerent, neque verum Deum agnoſcerent. Verbô, convicti ac damnati fuere iſti τὴν ἀρνησιθέα αἵρεσεως, *hæreſis Deum negantis*, ut de Theodoto & Artemone Caium, de Paulo Samoſatenſi Patres Antiochenos loquentes audivimus. Certè autem Arii hæreſis non minùs ἀρνησίθεος fuit, quàm illorum: neque tanta fuit diſtantia inter eorum & Arii ſententiam, ut hanc ferendam, illam verò anathemate dignam Eccleſia judicaret. Nam utrinque Chriſtus mera creatura ſtatuebatur; de tempore tantùm, in quo cœpit exiſtere, diverſa fuit ſententia.

§. 10. Nihilominus addendum hic eſt, quod alibi obſervavimus, etiam ipſas Arii κυρίας δόξας, nempe de productione τῦ λόγυ ante ſæcula quidem, ſed ab aliquo initio, deque eſſentiæ ejus à natura ſupremi Dei diſtantiâ, in Hæreticis antiquiſſimis, Gnoſticis ſcilicet, ab Eccleſia olim damnatas fuiſſe. Vide omnino quæ de hac re ſcripſimus Def. Fid. Nic. Sect. 2. cap. 1. §. 15. & Sect. 3. cap. 1. §. 15, 16. & cap. 10. §. 16. Porro recolenda eſt etiam celebris hiſtoria Dionyſii Alexandrini, qui à Sabellianis falsò accuſatus fuit apud Dionyſium Romanum eorundem planè dogmatum, quæ poſtmodum Arius aſſeruit; Romanô Dionyſiô eâ de cauſa Synodum mox convocante, in qua dogmata iſta ab omnibus tanquam impia rejecta fuere; & ipſe quoque Dionyſius, qui ea defendiſſe dicebatur, procul dubiô damnatus fuiſſet, niſi à fœdiſſima calumnia ſeſe per literas opportunè purgâſſet. Quam hiſtoriam fusè à nobis enucleatam videas Def. Fid. Nic. Sect. 2. cap. 11. §. 2. & ſeq;

Ex iis autem quæ in hoc & proximè præcedenti capite tam prolixè diſſeruimus, omnibus tandem, ut arbitror, manifeſtiſſimum eſt, ſententiam illam, quæ Servatorem noſtrum verum eſſe Deum negat, in Eccleſia Catholica trium primorum ſæculorum ſemper fuiſſe habitam pro hæreſi maximè exitiali, adeoque pro deteſtanda blaſphemia; eoſque qui ipſam aſſeruerunt, tanquam impios Dogmatiſtas, atque à vera & ſalvifica Chriſti fide planè alienos, prorſus rejectos fuiſſe: ut meritò quis miretur, quibus demum coloribus aut Sophiſmatis (nam ut adverſus tam aperta teſtimonia ſolidi aliquid adferat, impoſſibile eſt) ſuam Epiſcopius contrariam aſſertionem poſſit defendere. Ad ea tamen, cujuſmodicunque ſint, accuratiùs examinanda nunc progrediemur.

CAP. IV.

De Symbolis primævæ Eccleſiæ : ac primùm de primo atque antiquiſſimo Symbolo, ejuſque enarrationibus, quæ apud Irenæum & Tertullianum reperiuntur.

§. 1. AD probandum Antecedens ſuum, nempe in primitivis Eccleſiis, quæ ab ipſis uſque Apoſtolorum temporibus, ſaltem per tria integra ſæcula fuerunt, fidem ac profeſſionem ſpecialis illiuſmodi Filiationis Jeſu Chriſti, quô ſcil. ante omnia ſæcula Dei Filius, & Deus ex Deo ſtatuitur, ad ſalutem neceſſariam non fuiſſe judicatam ; duo omnino argumenta adfert Epiſcopius, quorum prius ſic habet : Id, inquit, probant " primùm Symbola Eccleſiarum, quibus olim tanquam notis ac teſſeris Chriſtiani ab infidelibus diſcernebantur, & qui ea ſe credere profitebantur, albo & matriculæ Chriſtianorum inſcribebantur & inſerebantur. In iis enim modi hujus peculiaris fides ac profeſſio nunquam & nuſpiam requiſita aut facta legitur. Antiquiſſimum, quodque in prima Baptiſmi adminiſtratione jam inde ab ipſis Apoſtolorum temporibus uſitabatur, hoc erat : Credo in Deum, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum ; nempe ad præſcriptam ab ipſo Jeſu formulam : *Ite, & docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritûs Sancti.* Symboli hujus Ἔκθεσις, quæ variè apud Scriptores veteres, puta Irenæum lib. 1. c. 2, & 3. apud Tertullianum lib. de Præſcript. adverſus Hæreticos, & de velandis Virginibus, *&c.* reperiuntur, earum nullæ modi hujus profeſſionem continent, nedum ut ejus profitendi neceſſitatem declarent. Et tamen de Symbolo ſuo Irenæus ipſe ait, id tam eſſe abſolutum, ut ei peritia Theologica nihil poſſit addere, imperitia nihil poſſit detrahere. De ſuo etiam Tertullianus : nihil ultrà ſcire, omnia ſcire eſt, *&c.* Symbolum ipſum Apoſtolicum ſic dictum, quod etſi quô tempore conditum ſit, non ſatis conſtat, paulatim tamen & ſucceſſivè, nunc his, nunc illis articulorum additamentis, ex variarum hæreſium occaſione auctum eſſe, indubium mihi eſt ; ad inſtar tamen præcedentium iſtorum Symbolorum compoſitum adeo accuratè eſt, ut à quibuſdam, Pontificiis ſcilicet, ab ipſis Apoſtolis, nempe à ſingulis ſingulos articulos per expreſſionem, & totum Symbolum à quolibet per approbationem conſarcinatum (licet perperam) eſſe credatur ; ab omnibus tamen Eccleſiis Chriſtianis, ſi non, quale nunc integrum legitur, primis tribus ſæculis, ſaltem ab ipſo ſæculo quarto ad hunc uſque diem, pro indubitata perfecta & Catholica Fidei Chriſtianæ regula habeatur ; hoc, inquam, Symbolum nullam prorſus modi hujus peculiaris Filiationis mentionem facit, ſed hac brevi formulâ contentum eſt : Credo & in Jeſum Chriſtum, Filium ejus unigenitum, Dominum noſtrum.

§. 2. Reſpondeo 1. hujuſmodi argumentum nihil hîc valere poſſe. Cum enim ex teſtimoniis ſuprà allatis & ipsâ luce clarioribus abunde probatum ſit, fidem ac profeſſionem peculiaris iſtiuſmodi Filiationis Jeſu Chriſti ad ſalutem neceſſariam fuiſſe à primævis Eccleſiis judicatam ; quis fidem habebit ei, qui contrarium ex eo velit probatum, quòd Symbola ab iis uſurpata fidem iſtam ac profeſſionem non ſatis apertè contineant ? Equidem potiùs contrariô planè modô concludendum eſſet : ſcil. cum aliunde ſatis conſtet, Fidem ac profeſſionem modi illius à primævis Eccleſiis ad ſalutem prorſus neceſſariam fuiſſe judicatam, omnino ſtatuendum eſſe, modum iſtum in Symbolis, ſive Fidei confeſſionibus quas ipſæ uſurparunt, ſatis apertè contineri, vel certè ſatis apertè contineri ab ipſis creditum fuiſſe. Ac profectò Doctores Catholicos, qui diu ante conditum Symbolum Nicænum vixere, exiſtimâſſe, dogma de vera Filii Divinitate in regula Fidei, ſive in Symbolis ſuâ ætate in Eccleſia receptis, contentum fuiſſe, certum eſt. Nam Irenæus & Tertul-

Tertullianus dogma illud ad regulam fidei omnino pertinere diſertè affirmant, ut infrà oſtendemus. Caius etiam apud Euſebium Eccl. Hiſt. lib. 5. cap. ult. de Artemonitis, qui Chriſtum eſſe Deum negarent, ait, quòd πίστεως ἀρχαίας κανόνα ἠθετήκασι, *Fidei antiquæ regulam irritam fecerint.* Patres itidem Antiocheni in Synodica ſua Epiſtola apud Euſebium Eccl. Hiſt. l. 7. c. 30. Paulum Samoſatenſem dicunt ἀποστάντα τοῦ κανόνος, hominem qui à *Canone ſive regula Fidei defecerit*, ut ſuprà obſervavimus. Itaque hoc Epiſcopii argumentum, ſi quicquam probat, illud tantùm probat, primævas Eccleſias articulum iſtum, quem neceſſarium judicabant, in Symbolis ſuis ſatis clarè non expreſſiſſe. Verùm 2. nihil cauſæ eſt, cur quis hanc ipſis dicam impingat. Quod ut manifeſtum fiat, Symbola, quæ memorat Epiſcopius, (ipſum κατὰ πόδας ſecuti) percurremus.

§. 3. " Antiquiſſimum, *inquit*, quodque " in prima Baptiſmi adminiſtratione, jam " inde ab ipſis Apoſtolorum temporibus uſi- " tabatur, hoc erat: Credo in Deum, Pa- " trem, Filium, & Spiritum Sanctum. " Reſp. 1. Illud nunquam pro Symbolo pleno & perfecto habitum fuiſſe, quod omnes Fidei articulos neceſſarios diſertis verbis comprehenderet; (haud ſatis ſanus eſt, qui univerſam Fidem Chriſtianam tam anguſtô angulô concluſam arbitretur) ſed pro brevicula tantùm & compendioſa primarii de SS. Trinitate articuli confeſſione à Baptizando faciendâ, ſenſum ejus priùs à Catechete pleniùs atque enucleatiùs edocto. 2. In hoc tamen qualicunque Symbolo vera certè Filii (ut & Spiritûs Sancti) divinitas tam apertè traditur, ut in tantulo verborum circuitu vix clariùs exprimi potuerit. Nam. 1. perſpicuum eſt, in hac formula, *Credo in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum*, vocem *Deum* ἀπὸ κοινοῦ ad omnes tres, nempe Patrem, Filium & Spiritum S. referri. Quod Græci adhuc clariùs exprimunt: πιστεύω εἰς τὸν Θεὸν, τὸν πατέρα, τὸν υἱὸν, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα. Ita ſane hanc brevem confeſſionem Veteres intellexere. Hinc Tertullianus adv. Prax. cap. 13. communem Chriſtianorum de Patre, Filio, & Spiritu S. Fidem exponens, ait: *Et Pater Deus, & Filius Deus, & Spiritus S. Deus, & Deus unuſquiſque.* Cyprianus itidem, in Epiſtola ad Jubajanum, contra Hæreticorum baptiſma ita argumentatur: *Si baptizari quis apud Hæreticos potuit, utique & remiſſam peccatorum conſequi potuit; ſi peccatorum remiſſam conſecutus eſt, & ſanctificatus eſt, & Templum Dei factus eſt. Quæro,* Cujus Dei? *ſi Creatoris; non potuit, qui in eum non credidit:* Si Chriſti; *nec hujus fieri poteſt Templum, qui negat* Deum Chriſtum: Si Spiritûs Sancti; *cum tres unum ſint, quomodo Spiritus S. placatus ei eſſe poteſt, qui aut Patris aut Filii inimicus eſt?* Ubi manifeſtè alludit ad formulam confeſſionis de SS. Trinitate, quæ à baptizandis exigi ſolebat, quâ nempe credere ſe profitebantur in Patrem Deum, in Filium Deum, & in Spiritum S. Deum, & hos tres unum Deum eſſe. Obiter quoque obſervabit attentus Lector, S. Cyprianum apertiſſimè hîc docere, articulum de Chriſti Domini noſtri vera Divinitate ad ſalutem creditu omnino neceſſarium eſſe: nam diſerte ait, *Templum Dei fieri non poſſe* (quod certè perinde eſt, ac ſi dixiſſet, ſalvari non poſſe) *qui Deum Chriſtum negat.* Sed in orbitam redeo. Mihi ſane videtur in his paucis verbis: *Credo in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum*, magnam illam veritatem, nempe Filium & Spiritum S. unum eſſe cum Patre Deum, aliquatenus clariùs exprimi, quàm in fuſioribus quibuſdam Symbolis, quæ ſubſecuta ſunt. Nam per additamenta illa poſt verba, *Credo in Deum Patrem*, & adjectiones poſt mentionem *Filii*, non repetitâ voce *Deum* in articulis de Filio & Spiritu Sancto, videri potuit, & nonnullis viſa eſt, *Dei* appellatio ad ſolum Patrem pertinere; planè contra mentem ac ſententiam eorum, qui latiora illa Symbola condiderunt. 2^do^ In hac formula Filius (ut etiam Spiritus S.) Patri adjungitur, tanquam conſors imperii, atque particeps illius fidei, honoris, cultûs, atque obedientiæ, quam profitetur, vovet, ſpondetque baptizandus: quod nudo homini, aut creaturæ cuiviſcunque competere poſſe qui ſentiat, næ hunc horrendum Idololatriæ crimen quid ſit, prorſus neſcire omnino ſtatuendum eſt. Hoc ut clariùs eluceſcat, apprimè obſervandum eſt, quòd in primitiva Eccleſia à Competentibus proximè ante Baptiſmum duo requirebantur, ἀπολαγὴ ſive ἀπόταξις τοῦ Σατανᾶ, *Abrenuntiatio Satanæ*, & συναγὴ vel συνάταξις πρὸς τὸν Χριστὸν *Aſcriptio ſive aggregatio ad Chriſtum.* Ἀπόλαξις facta fuit his aut ſimilibus verbis: *Renuntio Satanæ, & operibus ejus, & cultui ejus,* &c. Poſt abrenuntiationem ἀμέσως ſequebatur σύναξις in hæc *verba: Credo in Deum Patrem, Filium, & Spiritum S.* * Hæc formula tam ἀπολάξεως quàm συνάξεως in primis ſæculis ita per omnes Chriſti Eccleſias recepta fuit,

* *Vide Conſtit. Apoſt. l. 7. cap. 42. & Cyrilli Hieroſ. Catech. Myſt. 1.*

fuit, ut dubitandum non sit, quin ab ipsis Apostolis profecta fuerit. Quemadmodum autem per ἀπόταξιν illam ad Baptismum venientes cultum Diaboli, adeoque Idolorum, falsorumque Deorum omnium prorsus abdicârunt; ita per συνταξιν cultui solius veri Dei, nempe Patris, Filii, & Spiritûs Sancti sese penitus addixerunt. Quod etiam non obscurè colligitur ex Luciani, sive alterius cujuspiam, ejus certè coætanei, neque absimilis ingenii, Dialogo, qui *Philopatris* inscribitur. Ubi Auctor primæ Apostolorum διαδοχῆ coævus, profanus quidem, sed qui rem Christianam apprimè calluit, ludens inducit Triephonem quendam, Christiani Doctoris & Catechetæ personam sustinentem, & Catechumeno suo inter alia mysterium SS. Trinitatis tradentem. Nam roganti Catechumeno, *quemnam igitur tibi jurabo?* Respondet Triephon: ὑψιμέδοντα Θεὸν, μέγαν, ἄμβροτον, οὐρανίωνα, υἱὸν πατρὸς, πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον, ἓν ἐκ τριῶν, καὶ ἐξ ἑνὸς τρία· ταῦτα νόμιζε Ζῆνα, τὸν ἐμὸν ἠδὲ Θεόν. i. e. "Deum altè regnantem, magnum, immor-" talem, cœlestem, Filium Patris, Spiritum " ex Patre procedentem, unum ex tribus, " & ex uno tria: hæc tu Jovem puta, hunc " existima Deum." Hinc, inquam, colligere est, venientes tunc temporis ex Gentilismo ad Ecclesiam Christi, ad hoc omnino obstrictos fuisse, ut pro Jove aliisque vanis nominibus Numinibusque, quæ in Gentilismo suo coluerant, deinceps trinunius Dei, Patris, Filii, & Spiritus S. tanquam unici Dei sui, fidei, cultui & obsequio sese totos dederent & consecrarent. Locum autem hunc illustrem à nobis fusiùs explicatum, atque à Sandii cavillis abunde vindicatum leges Def. Fid. Nic. Sect. 2. cap. 4. §. 11. Ac de primo & antiquissimo, quod Episcopius appellat, Symbolo hæc dixisse sufficiat.

§. 5. Ad Symboli illius ἔκθεσις, sive expositiones, quæ apud Irenæum & Tertullianum reperiuntur, accedamus. *Earum nullæ*, inquit Episcopius, *modi hujus professionem continent*; h. e. in nulla earum expositionum quicquam continetur, quod Servatorem nostrum aliô modô Filium Dei esse declaret, quàm qui ipsi, ut mero tantùm homini, ante Mariam non existenti, competere possit. Verùm hoc, inquam ego, tam apertè falsum est, ut planè nesciam, quô judiciô, quâ fide, quâve conscientiâ Vir doctus illud tam fidenter affirmare potuerit. Ab Irenæo incipiam. Is in libri primi cap. 1. in transcursu commemorat, τὸν κανόνα τῆς πίστεως *canonem*, sive *regulam Fidei*, quam suâ ætate Christianus quisque διὰ τοῦ βαπτίσματος εἴληφε, *per Baptismum accepit*. Hanc Fidei regulam postmodum variis in locis, varièque, sed in eundem ubique sensum proponit exponitque. In iis autem omnibus expositionibus divinam Servatoris nostri Filiationem satis apertè, in quibusdam verò apertissimè declarari, talpâ cæcior est qui non videat. In libri primi cap. 2. regulam Fidei tradit his verbis: Ἡ μὲν γὰρ ἐκκλησία, καίπερ καθ' ὅλης τῆς ὑπ' οὐρανὸν οἰκουμένης ἕως περάτων τῆς γῆς διεσπαρμένη, παρὰ δὲ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν ἐκείνων μαθητῶν παραλαβοῦσα τὴν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, τὸν πεποιηκότα τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, καὶ τὴν θάλασσαν, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς, πίστιν· καὶ εἰς ἕνα Χριστὸν Ἰησοῦν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τὸν σαρκωθέντα ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας· καὶ εἰς πνεῦμα ἅγιον, τὸ διὰ τῶν προφητῶν κεκηρυχὸς τὰς οἰκονομίας Θεοῦ, καὶ τὰς ἐλεύσεις, καὶ τὴν ἐκ παρθένου γέννησιν, καὶ τὸ πάθος, καὶ τὴν ἔγερσιν ἐκ νεκρῶν, καὶ τὴν ἐνσαρκον εἰς τοὺς οὐρανοὺς ἀνάληψιν τοῦ ἠγαπημένου Χριστοῦ Ἰησοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν, καὶ τὴν ἐκ τῶν οὐρανῶν ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς παρουσίαν αὐτοῦ, ἐπὶ τὸ ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα, καὶ ἀναστῆσαι πᾶσαν σάρκα πάσης ἀνθρωπότητος, ἵνα Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, καὶ Θεῷ, καὶ σωτῆρι, καὶ βασιλεῖ, κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ πατρὸς τοῦ ἀοράτου, πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσηται αὐτῷ, καὶ κρίσιν δικαίαν ἐν τοῖς πᾶσι ποίησηται. i. e. "Ecclesia " enim, tametsi per universum orbem usque " ad fines terræ seminata, ab Apostolis & " à discipulis eorum accepit eam fidem, quæ " est in unum Deum Patrem omnipotentem, " qui fecit cœlum & terram, mare & o-" mnia quæ in iis sunt: & in unum Jesum " Christum Filium Dei, incarnatum pro no-" stra salute; & in Spiritum S. qui per Pro-" phetas prædicavit dispositiones Dei, & ad-" ventum*, & passionem, & resurrectionem à * L. advenmortuis, & in carne in cœlos ascensionem tum. " dilecti Jesu Christi Domini nostri, & de " cœlis in gloria Patris adventum ejus, ad " recapitulanda universa, & resuscitandam " omnem carnem humani generis, ut Chri-" sto Jesu Domino nostro, & Deo, & Sal-" vatori, & Regi, secundum placitum Pa-" tris invisibilis, omne genu curvetur, cœ-" lestium, terrestrium, & infernorum, & " omnis lingua confiteatur ei, & judicium " justum in omnibus faciat, &c." In hac veteris Symboli ἐκθέσει Ecclesia Catholica, per universum terrarum orbem dispersa, credere dicitur in Christum, ut *Filium Dei* τὸν ἐνσαρκωθέντα ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας, *qui nostræ salutis causâ incarnatus fuit*; quæ sunt ipsissima fere verba Symboli Constantinopolitani, & in antiquissimo Symbolo Orientali latiore habebantur, quemadmodum infrà ostendemus. In quibus verbis, omnibus

p. 40. Edit. Feuardentii.

qui

qui videre volunt, manifeſtè ſignificatur, Servatorem noſtrum, tum extitiſſe & Filium Dei fuiſſe in natura carnis experte, antequam homo fieret; tum carnem ſive humanam naturam aſſumpſiſſe ex ſua erga humanum genus benevolentia, hoc eſt, ut nobis hominibus ſalutem æternam procuraret. * Qualem autem Filii Dei incarnationem crediderit Irenæus, qui hanc nobis fidei expoſitionem tradidit, nemini dubium eſſe poteſt, qui Scripta ejus vel primoribus unquam labiis attigerit. Sufficiat ex multis vice commentarii, ſi opus ſit, unicum locum adduxiſſe ex libro 3. cap. 20. ubi recapitulationem quandam faciens eorum quæ in ſuperioribus diſputaverat, ſic ſcribit: " Oſtensô " manifeſtè, quod in principio Verbum exiſtens apud Deum, per quem omnia facta " ſunt, qui & ſemper aderat generi humano, hunc in noviſſimis temporibus ſecundum præfinitum tempus à Patre, unitum " ſuo plaſmati, paſſibilem hominem factum; " excluſa eſt omnis contradictio dicentium: " ſi ergo tunc natus eſt, non erat antè Chriſtus. Oſtendimus enim, quia non tunc " cœpit Filius Dei, exiſtens ſemper apud " Patrem, ſed quando *incarnatus* eſt, & homo factus, longam hominum expoſitionem " in ſeipſo recapitulavit, in compendio nobis ſalutem præſtans; ut quod perdideramus in Adam, id eſt, ſecundum imaginem & ſimilitudinem eſſe Dei, hoc in " Chriſto Jeſu reciperemus. Quia enim non " erat poſſibile, eum hominem, qui ſemel " victus fuerat & eliſus per inobedientiam, " replaſmari, & obtinere bravium victoriæ; " iterum autem impoſſibile erat, ut ſalutem " perciperet, qui ſub peccato ceciderat; utraque operatus eſt Filius, Verbum Dei " exiſtens, à Patre deſcendens, & diſpenſationem conſummans ſalutis noſtræ." Hinc meridianâ luce clarius eſt, quid Irenæo ſit *credere in Filium Dei, noſtræ ſalutis causâ incarnatum.* Porro in hac fidei expoſitione, quâ de agimus, Servator noſter non modò Filius Dei, ſed & *Deus* diſertè dicitur; quod nomen, Irenæô judice, nemini abſolutè attribui debet, aut in Scripturis, præſertim Novi Teſtamenti, attribuitur, niſi ei, qui Deus revera ſit. Vide omnino Irenæi lib. 3. cap. 6.

§. 6. Cæterum alibi etiam Fidei regulam tradit & exponit Irenæus, nempe lib. 1. cap. 19. ubi præ-exiſtentia Filii non modò ante Mariam, ſed etiam ante creaturas omnes, & creatio omnium per ipſum, idque tanquam per Verbum neutiquam Deo Patri ſuo extrinſecum, ut ſunt creaturæ omnes, etiam ipſi Angeli, ſed ipſi intimum & coeſſentiale, luculentiſſimè exprimitur. Videas, Lector, ipſa verba, & judex eſto: " Cum teneamus " autem nos *Regulam Veritatis*, i. e. quia ſit " unus Deus omnipotens, qui omnia con" didit per Verbum ſuum, & aptavit, & fecit " ex eo quod non erat, ad hoc ut ſint omnia, " quemadmodum Scriptura dicit: *Verbô e*" *nim Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu* " *oris ejus omnis virtus eorum*; & iterum: " *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo fa*" *ctum eſt nihil:* ex omnibus autem nihil " ſubſtractum eſt, ſed omnia per ipſum fe" cit Pater, ſive viſibilia, ſive inviſibilia, ſive " ſenſibilia, ſive intelligibilia, ſive tempora" lia propter quandam diſpoſitionem, ſive " ſempiterna; & ea omnia non per Angelos, " neque per virtutes aliquas abſciſſas ab ejus " ſententia; nihil enim indiget omnium " Deus; ſed per Verbum & Spiritum ſuum " omnia faciens, & diſponens, & gubernans, " & omnibus eſſe præſtans, *&c.* Hanc ergo " tenentes regulam, licet valde varia & mul" ta dicant, facilè eos deviâſſe à veritate ar" guimus." Conſule omnino loca Irenæi huic gemina, quæ adduximus Def. Fid. Nic. Sect. 2. cap. 5. §. 7.

§. 7. His porro addas, ſi lubet, tertiam primævi Symboli exegeſin, ab Irenæo traditam lib. 3. cap. 4. ubi oſtendere volens veritatis traditionem nequaquam in Hæreticorum conventiculis, ſed in Eccleſia Catholica quærendam eſſe, ita diſſerit: " Quid au" tem ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas " reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordi" nem ſequi traditionis, quam tradiderunt " iis quibus committebant Eccleſias? Cui " ordinationi aſſentiunt multæ Gentes Bar" barorum, eorum qui in Chriſtum credunt, " ſine charactere vel atramento ſcriptam ha" bentes per Spiritum in cordibus ſuis ſalu" tem, & veterem traditionem diligenter " cuſtodientes, in unum Deum credentes fa" bricatorem cœli & terræ & omnium quæ " in eis ſunt, per Chriſtum Jeſum Dei Fili" um; qui propter eminentiſſimam erga " figmentum ſuum dilectionem, eam quæ eſ" ſet ex Virgine generationem ſuſtinuit, ipſe " per ſe hominem adunans Deo, & paſſus " ſub Pontio Pilato, & reſurgens, & in cla" ritate receptus in gloria, venturus Salva" tor eorum qui ſalvantur, & Judex eorum " qui judicantur, & mittens in ignem æter" num transfiguratores veritatis, & contem" ptores

* ὁ Ιησοῦς Χριστὸς, ὁ κύριος ἡμῶν, ὁ σώσας ἡμᾶς, ὢν μὲν τὸ πρῶτον πνεῦμα, ἐγένετο σάρξ. Clemens Rom. Ep. 2.

" ptores Patris sui & adventûs ejus. Hanc " fidem qui sine literis crediderunt, quan- " tum ad sermonem nostrum, barbari sunt: " quantum autem ad sententiam, & consue- " tudinem, & conversationem, propter fi- " dem perquam sapientissimi sunt,& placent " Deo, conversantes in omni justitia & ca- " stitate & sapientia. Quibus si aliquis an- " nuntiaverit ea quæ ab Hæreticis adin- " venta sunt, proprio sermone eorum collo- " quens, statim concludentes aures, longô " longiùs fugient, ne audire quidem susti- " nentes blasphemum colloquium." In hac Fidei regula Christus dicitur Filius ille Dei, per quem condita & facta fuere cœlum & terra, mare & omnia quæ in iis sunt, qui ex summo in opus manuum suarum, hoc est, humanum genus, amore atque misericordia ex Virgine nasci hominem ipse sustinuit, adeoque hominem Deo copulavit. Hujus fidei traditionem affirmat Irenæus tam universalem & antiquam esse, ut ipsæ etiam barbaræ nationes, quæ S. Scripturas nondum habuerant in patriam suam linguam versas, ipsam tenuerint, ab Apostolis scilicet, aut eorum discipulis, unà cum ipso Evangelio, cujus quidem ipsa pars est maxima, primitus acceptam; tam sacram quoque ab omnibus Christianis Catholicis tunc temporis habitam fuisse, ut doctrinam omnem, quæ cum ipsa pugnaret, tanquam nefandam hæresin, adeoque blasphemiam, vel ipsi illi Barbari abominarentur.

§. 8. Tertullianicas ἐκθέσεις nunc expendamus. Atque in libro quidem *de Velandis Virginibus* non longè ab initio, Regula fidei à Tertulliano obiter indicatur potiùs quàm recitatur, adeoque manca & imperfecta traditur. Ibi enim Christus ne *Dominus* quidem noster, aut unigenitus Dei Filius, sed simpliciter Filius Dei dicitur. Quod tamen in transcursu de Christo dixisse satis erat Tertulliano, qui titulum Filii Dei Christo tributum cum veteribus omnibus Catholicis in sublimiori sensu constanter intellexit. Sed in illa regula nulla conceptionis Christi hominis per Spiritum S. nulla ipsius Spiritûs S. mentio facta est. Cæterum non diffitear me in ea esse sententia, ut existimem, Tertullianum ibi propriè respicere Symbolum in Africana Ecclesia suâ ætate usurpatum, quod idem fere erat ac Romanum; siquidem Romana cum Africanis Ecclesiis fidem suam *contesserârit*, ut loquitur ipse Tertullianus de Præscript. adv. Hæres. cap. 36. Romanum autem Symbolum, quanquam latius fuerit, quàm ut ibi à Tertulliano ὡς ἐν παραδόξῳ traditur, tamen ut in aliis, ita in articulo de Filio Dei, brevius erat Symbolis Orientalium Ecclesiarum, ob causas, quas mox infrà notabimus. Interim eadem semper fuit Romanæ & Orientalium Ecclesiarum fides: eâdem licet non verborum, sensûs tamen amplitudine articulum de Filio Dei omnes confessæ sunt. Neque illud sane ignoravit Tertullianus.

§. 9. Hinc in altero loco ab Episcopio indicato, nempe lib. de Præscript. adv. Hæres. cap. 13. ubi etiam Regulam fidei tradit, articulum de Filio Dei pleniorem atque explicatiorem exhibet, Filii existentiam non modò ante Beatam Virginem, sed & ante omnia sæcula, adeoque creationem omnium per ipsum, verbis Sole clarioribus describens. Ibi enim postquam dixisset, controverti debere id duntaxat, quod salvâ regulâ fidei potest in quæstionem devenire, mox regulam illam subjungit ad hunc modum: " Regula est au- " tem Fidei, ut jam hinc quid credamus " profiteamur, illa scil. quâ creditur, unum " omnino Deum esse, nec alium præter " Mundi Creatorem, qui universa de nihilo " produxit per Verbum suum primò omni- " um emissum: Id verbum Filium ejus ap- " pellatum, in nomine Dei variè visum Pa- " triarchis, in Prophetis semper auditum: " postremò delatum ex Spiritu Dei Patris & " virtute in Virginem Mariam, carnem fa- " ctum in utero ejus, & ex ea natum homi- " nem, & esse Jesum Christum, *&c.*" Finitô Symbolô, hæc verba subdit: " Hæc re- " gula à Christo, ut probabitur, instituta, " nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas " hæreses inferunt, & quæ Hæreticos faci- " unt." Quid contra Episcopii assertionem his efficacius aut expressius dici potuit? Eandem verò regulam Fidei à Tertulliano descriptam habes lib. adv. Prax. cap. 2. " Nos, " *inquit*, unicum quidem Deum credimus, " sub hac tamen dispensatione, quam οἰκονο- " μίαν dicimus, ut unici Dei sit & Filius ser- " mo ipsius, qui ex ipso processerit, per quem " omnia facta sunt,& sine quo factum est ni- " hil. Hunc missum à Patre in Virginem,& " ex ea natum, hominem & Deum, Filium " hominis & Filium Dei, & cognominatum " Jesum Christum, *&c.*" Mox addit: " Hanc regulam ab initio Evangelii decu- " curriisse, etiam ante priores quosque Hæ- " reticos, nedum ante Praxeam hesternum, " probabit tam ipsa posteritas omnium Hæ- " reticorum, quàm ipsa novellitas Praxeæ " hesterni."

Ex his verò tandem abunde liquet, quàm vel temerè, vel inverecundè, veteris Symboli ἐκθέσεις, quæ apud Irenæum & Tertullianum reperiuntur, Episcopius appellaverit.

CAP.

CAP. V.

De Symbolo Apoſtolorum dicto.

§. 1. AD Symbolum, quod vocatur, Apoſtolorum venio, de quo ſic Epiſcopius: " Symbolum ipſum Apoſtolicum ſic dictum, nullam " prorſus modi hujus Filiationis peculiaris " mentionem facit, ſed hâc brevi formulâ " contentum eſt: Credo in Jeſum Chriſtum, " Filium ejus unigenitum, Dominum noſtrum." Hoc Epiſcopii palmarium eſt argumentum, quod etiam poſt ipſum Irenici Auctor & Sandius vehementer urgent; idemque nuperi apud nos, quà Arianæ, quà Socinianæ dementiæ inſtauratores, in impiis æquè ac inſulſis ſuis Scriptiunculis paſſim venditant, atque hôc ſcil. veluti clypeô tectos ac munitos, ab hæreſis crimine, meritiſſimô ipſis jure à Catholicis intentatô, ſe tutos omnino exiſtimant.

§. 2. Quare ut argumento, quô vani homines tantopere fidunt ac gloriantur, cumulatè ſatisfaciam, has quatuor Theſes demonſtrandas propono: 1. Symbolum dictum Apoſtolicum, ut doctrinæ Apoſtolorum conforme ſit, minimè tamen totidem verbis, eâque formâ & methodô, quâ hodie conſpicitur, ab ipſis Apoſtolis dictatum aut compoſitum fuiſſe; ſed revera nihil aliud eſſe, quàm Symbolum Romanæ Eccleſiæ, quod demum poſt annum Chriſti quadringenteſimum in Eccleſia illa complementum ſuum accepit; Orientis Eccleſiis aliud interea Symbolum uſurpantibus. 2. Eccleſiam Romanam ſuccinctiori ac breviori Symbolo uti olim potuiſſe, adeoque uſam fuiſſe, quàm quod Orientis Eccleſiis neceſſarium fuit; quod hæ penè omne genus Hæreticis vexatæ fuerint, in Romana verò Eccleſia nulla hæreſis exorta ſit, quæ breviorem ipſius confeſſionem aliter quàm κατ' ὀρθὴν ἔννοιαν, *ſecundum rectam notionem*, ac genuinum Eccleſiæ ſenſum intelligendam doceret. 3. In Romano tamen Symbolo modi illius ſpecialis Filiationis Jeſu Chriſti profeſſionem revera contineri, nempe in verbis illis: *Credo & in Jeſum Chriſtum Filium ejus* (nempe Dei Patris) *unigenitum*. 4. Denique in Symbolo ſive regula fidei, quæ ante Synodum Nicænam in Orientis Eccleſiis antiquiſſimis obtinuit, modum iſtum ſpecialem Filiationis Jeſu Chriſti diſertis verbis traditum ac declaratum fuiſſe.

§. 3. Theſin primam abunde confirmavit Vir ſummus, Joannes Ger. Voſſius in Diſſertationibus *ſuis de tribus Symbolis*, Diſſert. 1ª. per totam. Ad quam Diſſertationem, ne actum iterum agam, Lectorem remitto.

Secunda Theſis confirmatur teſtimoniô Ruffini, qui ad ſuam Symboli expoſitionem ſic præfatur: " Priuſquam incipiam de " ipſis ſermonum virtutibus diſputare, illud " non importunè commonendum puto, quòd " in diverſis Eccleſiis aliqua in his verbis in- " veniuntur adjecta. In Eccleſia tamen ur- " bis Romæ hoc non deprehenditur factum; " quod ego propterea eſſe arbitror, quòd ne- " que *Hæreſis ulla illic ſumpſit exordium*, & " mos ibi ſervatur antiquus, eos qui gratiam " Baptiſmi ſuſcepturi ſunt, publicè, id eſt, " fidelium populo audienti Symbolum red- " dere; & utique adjectionem unius ſaltem " ſermonis, eorum qui præceſſerunt in fide " non admittit auditus. In cæteris autem " locis, quantum intelligi datur, *propter non- " nullos Hæreticos* addita quædam videntur, " per quæ novellæ doctrinæ ſenſus credere- " tur excludi." Hæc ille. Ac ſane conſtat, Simonianos, Cerinthianos, Ebionæos, cæteraſque primævæ Eccleſiæ peſtes, non Romæ, ſed in Oriente, & in Aſia maximè, impia ſua dogmata ſparſiſſe. Hinc Ignatius in Epiſtolis, ad Eccleſias Aſiaticas conſcriptis, iſtos Hæreticos paſſim perſtringit: idem verò ad Romanos ſcribens, nullam in illa Eccleſia hæreſin reprehendit. Imò in ipſa ſalutatione Romanos diſertè laudat ob Fidei omnimodam puritatem, dum ipſos dicit ἡνωμένους ἐν πάσῃ ἐντολῇ Ἰησοῦ, πεπληρωμένους πάσης χάριτος Θεοῦ ἀδιακρίτως, καὶ ἀποδιϋλισμένους ἀπὸ παντὸς ἀλλοτρίου χρώματος. i. e. (Uſſeriano

riano Interprete vertente) *Unitos in omni mandato Christi, impletos omni gratiâ Dei indivisim, & abstractos* (vel *defæcatos*) *ab omni alieno colore.* Atque hac præcipuè de causa, ut arbitror, Ecclesiam Romanam Tertullianus *statu fælicem Ecclesiam* appellat lib. de Præscript adv. Hæres. cap. 36. Utinam hæc fælicitas, hæc Fidei puritas Ecclesiæ isti perpetua fuisset! sed proh dolor! nunc
Isai. 1. *v.* 21. Prophetæ divini verbis exclamare possumus: *Quomodo effecta est meretrix Urbs fidelis!*

§. 4. Ad Thesin tertiam accedo, atque in ejus probatione diutiùs immorabor. Certè in Symbolo Romano Christum dici Dei Filium unicum sive unigenitum (τὸν μονογενῆ) respectu divinæ suæ naturæ, quâ non modò ante Mariam, sed etiam ante omnia sæcula ex & cum Deo Patre extitit, probatu facile est, ex locis Scripturæ, ubi vox μονογενὴς reperitur Christo tributa, (non est enim quòd suspicemur, Ecclesiam vocem accepisse aliter quàm in Scripturis, unde desumpta est, usurpatur) ex vi & proprietate ipsius vocis, ex ordine & contextu verborum in Symbolo ipso, ac denique ex constante ac perpetuo Catholicæ Ecclesiæ sensu atque interpretatione.

Primò, quod ad Scripturas attinet, primus locus, ubi vox hæc occurrit Christo tributa, est Joh. 1. 14. καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός. *Et Verbum caro factum est, & commoratum est inter nos, & vidimus gloriam ejus, ut Unigeniti à Patre.* Ubi manifestum est, μονογενὴς παρὰ πατρὸς esse μόνος παρὰ πατρὸς γεννηθεὶς, *solus à Patre genitus*, nomine verbali vim verbi obtinente. Qui enim παρὰ πατρὸς referunt ad δόξαν, durum nimis hyperbaton, addo & ellipsin vocis πεπληρωθεῖσαν, sine ulla necessitate verbis affingunt. μονογενὴς autem παρὰ πατρὸς mihi videtur significantiùs exprimere divinam Filii ex Patre generationem, quàm si dixisset Apostolus, μονογενὴς τοῦ πατρός· cum præpositio παρὰ subindicet τὸν λόγον ita Dei Patris unicum filium esse, ut solus revera ab atque ex ipso Patre genitus fuerit. Ad hæc τῷ λόγῳ, nempe qui in principio apud Deum & Deus erat, & per quem omnia facta sunt, v. 1, 2. hunc titulum tribuit Apostolus. Unde manifestum est, Christum respectu divinæ suæ naturæ, quâ ante sæcula extitit, dici μονογενῆ παρὰ πατρὸς, *unigenitum à Patre.* Denique non abs re est quod notavit Grotius, Joannem hîc Gnosticos perstringere, qui alium faciebant λόγον, alium μονογενῆ, alium Iesum; & μονογενῆ inter suos Æonas ante conditum hunc mundum natos numerabant. Ostendit ergo Apostolus, Christum Dominum nostrum solum esse verum λόγον, eundemque verum μονογενῆ παρὰ πατρὸς, quippe qui solus ante sæcula à Patre genitus fuerit. In eundem sensum vox μονογενὴς aliis in locis ubi occurrit, (nempe Joh. 3. 16. & Joh. 4. 9.) exponenda est, idque ipso Episcopio interprete; qui ita ex illis locis ratiocinatur: " Certum est, magnificè admodum efferri " atque extolli (nempe in locis illis) charitatem ac dilectionem illam Dei, quâ Filium suum unigenitum in mundum misit, " atque adeo in mortem ipsam crucis dedit, " ad servandum peccatores, iræ filios. At " si Filius Dei non significet nisi Iesum, " quatenus homo ex Virgine natus fuit, ratio cur dilectio ista tam magnificè efferatur, non ita clarè apparet, quàm si Filius " ille Dei unigenitus significet Filium, quem " Pater ante sæcula genuit. Nam Filius " iste, ex Maria Virgine natus, idcirco ex " ea natus fuit, ut in mortem daretur pro " peccatoribus. At quæ dilectionis ἔξοχὴ " in eo est, quòd Deus istum Filium suum, " quem gigni ex Maria & concipi ex Spiritu S. suo voluit eo fine, ut pro peccatoribus moreretur, in mortem dederit? At " verò si Filium Dei concipias, qui ante " sæcula genitus fuit à Patre, quem mitti " in mundum necesse non erat, cujus dignitas major erat, quàm ut mitteretur, aut " in carne veniret, nedum ut in mortem " traderetur, imò qui Patri, utpote unigenitus atque unicus Filius, carior videbatur, quàm ut ab eo in hanc miseriam detruderetur; tum verò vehementer elucet " Dvinæ charitatis ac dilectionis erga humanum genus splendor ac gloria." Sic ille. O si sic omnia, si sic semper! Equidem rem attentiùs perpendenti liquebit, ex hypothesi sive Sociniana, sive Ariana, Deum in hoc negotio amorem ac dilectionem suam potiùs in illum ipsius Filium, quàm erga nos homines ostendisse. Quid enim? Is qui Christus dicitur, ex mera Dei εὐδοκίᾳ & beneplacito in eam gratiam electus est, ut post brevem hîc in terris Deo præstitam obedientiam, ex puro puto homine, juxta Socinistas, sive ex mera & mutabili creatura, ut Ariomanitæ dicunt, Deus ipse fieret, ac divinos honores, non modò à nobis hominibus, sed etiam ab ipsis Angelis atque Archangelis sibi tribuendos assequeretur, adeoque in alias creaturas omnes dominium atque imperium obtineret. Addo, neque ipsius Filii Dei unigeniti amorem & charitatem erga nos homines (quæ etiam magnificè passim celebratur in S. Scripturis, ac maximè

Vide Justini Apol. 2. p. 75. & Tertul. adv. Prax cap. 26. Novat. de Trin. c. 29

mè in loco illo Epiſtolæ ad Epheſ. c. 3. v. 18, 19.) clarè elucere, niſi concipiamus Filium Dei, qui ante ſæcula ex Patre genitus eſt, per quem omnia facta ſunt, qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt, &c. At verò hôc modô Filii Dei *eminentiſſima in figmentum ſuum dilectio* (ut Sanctum Irenæum paulò ſuperiùs loquentem audivimus) clariſſimè conſpicitur; ſed iſtud obiter. Cæterum non video, quomodo Epiſcopius cum Epiſcopio conciliari poſſit. In locis Scripturæ, ubi Chriſtus Filius Dei unigenitus dicitur, contendit Filium Dei unigenitum omnino ſignificare Filium, quem Pater ante ſæcula genuit, ac proinde in titulo illo modum iſtum ſpecialem Filiationis Ieſu Chriſti contineri. Ubi verò in Symbolô, quod ex Scripturis confectum eſt, fidem noſtram profitemur in Chriſtum Filium Dei unigenitum, in verbis illis modum iſtum ſpecialem Filiationis Ieſu Chriſti contineri prorſus negat.

§. 5. Secundò, Chriſtum in Symbolo *unicum* ſive *unigenitum* Dei Filium dici reſpectu Divinæ ſuæ naturæ, probari poteſt ex vi & proprietate ipſius vocis. Nam μονογενὴς, *unigenitus* is dicitur, qui ſolus ſine ὑότητος κοινωνίᾳ filius eſt, hoc eſt, quem Pater unicum habet, qui in genere filiationis, ex quo filius appellatur, fratrem non habet; quique porro naturâ ſit filius, ex ipſo patre genitus, non ὑοποιητὸς *Filius aſcitus*, ſive adoptatus. Atqui ſic Chriſtus Filius Dei *unigenitus* dici non poteſt, niſi divinam ejus ex Patre generationem reſpicias. Ei enim, quatenus homo eſt, titulus ille non convenit. Quod ut luculentiùs appareat, expendemus quatuor iſtos modos, quibus Chriſtum, etiam quà homo eſt, Filium Dei κατ' ἐξοχὴν in Scripturis dici contendit Epiſcopius.

Primus modus eſt, *quia quatenus homo eſt, ex Spiritu S. conceptus eſt.* Et citat Luc. 1. v. 35. πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σε, καὶ δύναμις ὑψίσου ἐπισκιάσει σοι, διὸ καὶ τὸ γενώμενον ἅγιον κληθήσεται ὑὸς Θεοῦ. Reſp. Nihil dicam impræſentiarum de Juſtini Martyris & Tertulliani ejus loci interpretatione, qui πνεῦμα ἅγιον & δύναμιν ὑψίσου exponunt de ipſo τῷ λόγῳ· ut neque de Novatiani Criticiſmo in particula καὶ emphaſin ſtatuentis. Quod reſpondeo, illud eſt: ut Chriſtus ibi, quatenus homo, dicatur *Filius Dei* ratione conceptionis ſuæ in utero B. Virginis per Spiritum Sanctum; non tamen ibi dicitur Filius Dei *unicus* ſive *unigenitus*. Verùm, (inquit Epiſcopius) *hæc* ἐξοχὴ (nempe quâ Dei virtute in utero Virginis formatus erat) *propria eſt Ieſu Chriſto homini, cui nulla alia aut ſimilis fuit, aut erit unquam.* Regero, illud verum non eſſe. Quid enim? Caro Chriſti divinâ potentiâ ac virtute ſine patre in utero Virginis concepta ac formata fuit. Annon primus homo ſine patre & matre Dei ipſius manibus formatus fuit? Annon idcirco Dei Filius diſertè dicitur Luc. 3. v. 38. Non ergo in hoc ſita eſt ἐξοχὴ illa Ieſu Chriſti, quâ Filius unicus ſive unigenitus appellatur: imò hâc ratione primus Adam ſecundô quodammodo ſuperior erit; cum ille à Deo ſine patre & matre, hic ſine patre tantùm factus fuerit. Præclaram iſtam primi hominis genituram eleganter deſcribit Philo Judæus libro περὶ εὐγενείας, de ipſo ſic loquens: ὃς ἕνεκα εὐγενείας ἑδενὶ θνητῶν σύγκριτος, χερσὶ μὲν θείαις εἰς ἀδρὸν ἀνατραπεὶς σωματοειδῆ τυπωθεὶς ἀκρότητι τέχνης πλαστικῆς· ψυχῆς δὲ ἀξιωθεὶς ἀπ' ἀδενὸς ἔτι τῶν εἰς γένεσιν ἥκόντων, ἐμπνεύσαντος Θεοῦ τὸ θείας δυνάμεως ὅσον ἐδυνάτο δέξασθαι θνητὴ φύσις. ἦν ἄρ' ἀχ' ὑπερβολὴ τῆς εὐγενείας, μηδεμιᾶς τῶν ἄλλων, αἳ δὴ ὠνομάσθησαν, εἰς σύγκρισιν ἐλθεῖν δυναμένης; τῶν μὲν γὰρ τὸ κλέος ἐκ προγόνων εὐγενείας· ἄνθρωποι δὲ οἱ πρόγονοι, ζῶα ἐπίκηρα καὶ φθαρτὰ, καὶ αἱ τούτων ἀρχέσαιοι καὶ ἐφήμεροι τὰ πολλὰ εὐπραγίαι· τῷ δὲ πατρὶ μὴ θνητὸς ἑδεὶς, ἑδὲ αἴτιος, ἀλλ' ἢ Θεός. i. e. "Qui nulli non mortali præferendus eſt, "quantum ad nobilitatem attinet, artificiô "ſummô formatus Dei manibus in ſtatuam "corpoream; animam verò adeptus non "ullius creaturæ beneficiô, ſed inſpirante "ipſo Numine divinæ virtutis, quantum "natura mortalis capere poterat. Annon "igitur nobiliſſimus, cui ne conferre qui"dem licet hâc parte quemquam alium? "Nam cæterorum decus deſcendit à majo"ribus: majores autem eorum fuere homi"nes, animalia mortalia, temporis momen"tô fælicitatem, ſi qua fuerat, amittentia: "illi verò nemo parens auctorve vitæ, niſi "Deus fuit." Hinc S. Irenæus affirmat, "Chriſtum hominem, ſecundum Adamum, in generatione ſua conformem fuiſſe factum primo Adamo, non quidem ἐκ παντὸς, ſed ſervatâ ſimilitudine, quantum fieri poterat, & οἰκονομία ſalutis noſtræ pateretur. Nam lib. 3. cap. 31. poſtquam obſervâſſet, quemadmodum Protoplaſtus è terra adhuc Virgine (h. e. nondum opere compreſsâ, nondum ſementi ſubactâ, ut Irenæum interpretetur Tertullianus lib. de carne Chriſti) Dei ipſius manibus formatus fuit; ita Chriſtum primi Adami inſtauratorem, quà homo erat, ex Maria Virgine per Spiritum Sanctum effictum fuiſſe; paulò poſt hæc ſubjungit:

Vide Juſtini Apol. 2. p. 75. & Tertul. adv. Prax cap. 26. Novat. de Trin. c. 29

subjungit : εἰ δὲ ἐκεῖνος ἐκ γῆς ἐλήφθη, πλαστὴς ὢν αὐτῷ ὁ Θεὸς, ἔδει καὶ τὸ ἀνακεφαλαιούμενον εἰς αὐτὸν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ πεπλασμένον ἄνθρωπον, τῷ αὐτῷ ἐκείνῳ τῆς γενέσεως ἔχειν ὁμοιότητα. εἰς τί οὖν πάλιν οὐκ ἔλαβε χοῦν ὁ Θεὸς, ἀλλ' ἐκ Μαρίας ἐνήργησε τῷ πλάσιν γενέσθαι ; ἵνα μὴ ἄλλη πλάσις γένηται, μηδὲ ἄλλο τὸ σωζόμενον, ἀλλ' αὐτὸς ἐκεῖνος ἀνακεφαλαιωθῇ, τηρουμένης τῆς ὁμοιότητος. " At verò cum ille " ex terra sumptus, atque à Deo effictus " sit ; oportebat utique eum, qui hominem " à Deo effictum in seipso instauraret, eandem cum illo generationis similitudinem " habere. Cur igitur pulverem terræ non " rursus assumpsit Deus, verùm effecit, ut " formatio ex Maria fieret ? Nimirum ne " alia formatio existeret, aut aliud esset " cui salus afferretur ; sed ille ipsemet in- " stauraretur, servatâ similitudine. " Nequaquam igitur in hoc sita est summa illa ἕνωσις filiationis Servatoris nostri, propter quam ὁ μονογενὴς, *unigenitus ille* sive unicus Dei Filius appellatur, quòd ex Maria Virgine virtute Altissimi sine homine patre productus fuerit ; siquidem hactenus primus homo ei par erat, & quodammodo superior ; sed in generatione longè longèque sublimiori, quâ scilicet non modò ante Mariam, sed ante ipsum Adamum, adeoque ante omnia sæcula Filius Dei fuerit. Certè si originem Utriusque spectes, nullatenus antecellit secundus primo Adamo, nisi hôc uno omnium quidem maximô discrimine, quòd hic fuit ψιλὸς ἄνθρωπος, *purus putus homo*, ille θεάνθρωπος, *homo* simul *& Deus*. Quicquid accessit humanæ naturæ secundi Adami, quô priorem superavit, illud totum tribuendum erat unioni illi, quâ Christi anima cum τῷ λόγῳ sive divinâ personâ unigeniti Dei Filii ἄκρᾳ καὶ ἀνυπερβλήτῳ κοινωνίᾳ (ut unionem hypostaticam exprimit Origenes) conjuncta fuit. Ita sane (ut obiter id notem) inter primum & secundum Adamum comparationem instituit Divinus Apostolus 1 Cor. 15. v. 47. *Primus homo de terra terrenus* ; *secundus homo* ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ, *Dominus ille de cœlo*. Frustra omnino sunt, qui secundum Adamum *de cœlo* dici volunt, quòd divinâ prorsus & cœlesti virtute sine patre conceptus ac natus fuit ex Maria Virgine ; nam hac ratione de cœlo etiam fuisset primus homo, ut modò vidimus. Quid verò sit *de cœlo esse*, ut illud opponitur τῷ *de terra terrenum esse*, satis liquet ex verbis S. Joannis Baptistæ, se itidem, ut Adami Filium, cum Domino Christo conferentis Joh. 3. v. 31. *Qui de sursum venit, super omnes est* ; *qui de terra est, terrenus est & terrena loquitur* : *qui de cœlo venit, super omnes est*. Confer omnino cap. 1. v. 30. Præterea nullus dubito, quin ὁ ἄνθρωπος ὁ κύριος ἐξ οὐρανοῦ idem sit, qui à Cabalistis Hebræis appellatur האדם העליון יתברך *Adam ille supernus, qui benedictus est* : quâ periphrasi Hebræis non nisi verus Deus designatur. Certè enim quæ Cabalistæ tradiderunt de conjugio superni illius Adæ benedicti cum בנכת h. e. *congregatione* Israel, terrestris Adami & Evæ conjunctione mysticè significatô, hæc eadem ab Apostolo Eph. 5. v. 32. ad unionem Christi & Ecclesiæ manifestè referuntur. Eôdem autem sensu verba Apostoli de Christo v. 45. accipienda sunt : *Factus est Adamus primus homo* εἰς ψυχὴν ζῶσαν, *in animam viventem* ; *novissimus verò Adamus* εἰς πνεῦμα ζωοποιοῦν, *in Spiritum vivificantem*. Factus est in animam viventem, id est, (notissimô Ebræorum idiomate) erat primus homo anima vivens ; novissimus, Spiritus vivificans. Sensus est : fuit primus Adam homo tantùm ; secundus, plus quàm homo, nempe *Spiritus vivificus*, hoc est, Deus. Πνεῦμα, *Spiritus*, in Christo, ut sæpe monuimus, passim in Scripturis, ut etiam in primi sæculi Scriptoribus, Divinam in ipso naturam denotat ; cui etiam proprium est, quod hîc dicitur, vivificare sive vitam dare hominibus ; cujus respectu alibi quoque Christus dicitur ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς, *Author vitæ*, Act. 3. 15. & ζωὴ, *vita* ipsa, Joan. 1. v. 4. Author ille est vitæ omnis nostræ, naturalis, spiritualis, & æternæ ; ut rem eleganter expressit Clemens Alex. in Protrepticô : λόγος ὁ καὶ τὸ ζῆν ἐν ἀρχῇ μὲν τοῦ πλάσαι παραχὼν ὡς δημιουργὸς, τὸ εὖ ζῆν ἐδίδαξεν ἐπιφανεὶς ὡς διδάσκαλος, ἵνα τὸ ἀεὶ ζῆν ὕστερον ὡς Θεὸς χορηγήσῃ. i. e. " Verbum quod in prin- " cipio vitam in creatione ut opifex dedit, " postquam tanquam Magister se manifesta- " vit, bene vivere docuit, ut æternam vitam " tandem ut Deus suppeditaret. " Hæc interpretatio, ut ex verbis textûs ipsius necessariò exurgit, ita contextui etiam apprimè congruit. Dixerat Apostolus duplex esse corpus, animale & spirituale ; quod hîc ostendit ex contrariis causis. Nam sicut ex primo Adamo, puro puto homine, & corpore, saltem suâ naturâ, animali ac mortali constante, hæc nostra corpora animalia & mortalia accepimus : ita à Christo secundo Adamo, qui plus quàm homo est, cui inest Divina natura, omnis vitæ fons, corpora spiritualia olim accipiemus. Certè transmutatio vilium corporum nostrorum in glorioси sui corporis similitudinem per Christum in resurrectione perficienda, omnipotenti ipsius virtuti, quæ non nisi ut Deo ipsi competere potest, disertè tribuitur Phil. 3. 21. Vana est autem interpretatio, quam ex Sociniста-

rum

rum lacunis hausit Grotius, nempe Christum tum demum factum fuisse πνεῦμα ζωοποιῦν, *Spiritum vivificantem*, postquam à mortuis suscitatus, in cœlum ascendisset. Nam primò satis manifestum est, Apostolum loqui de utriusque Adami, ut ita dicam, primigenia natura, non de alterutro, qualis postmodum factus est. Deinde qui *Spiritus vivificus* non semper fuit, talis nunquam fieri potuit. *Deus factus* inter Socinianorum & Arianorum portenta numerandus est, à quibus sana ratio non minùs quàm vera religio abhorret. Denique certum est, Christum fuisse πνεῦμα ζωοποιῦν, *Spiritum vivificantem*, etiam ante resurrectionem suam: nam ut talis suum ipsius corpus à morte ad vitam revocavit, Joan. 2. v. 19. Unde illud Ignatii Apostolorum discipuli in Epistola ad Smyrnæos de Christo loquentis: ἀληθῶς ἔπαθεν, ὡς καὶ ἀληθῶς ἀνέστησεν ἑαυτόν. *Verè passus est, ut & verè resuscitavit seipsum.* Resuscitatio quidem corporis Christi à mortuis etiam Deo Patri in Scripturis tribuitur. Quid mirum? Quicquid agit Filius, à Patre agit; Quicquid verò facit Pater, per Filium facit. Hinc & creatio rerum omnium & Patri & Filio tribuitur; quòd scil. Pater per Filium universa condidit. Sed eò redeo, unde paululum digressus sum. Sane in ista ex Maria Virgine nativitate suprema & singularis ἐξοχὴ atque excellentia Filiationis Domini nostri adeo non consistit, ut ea ipsa nativitas ad ejus stupendam συγκατάβασιν omnino referenda sit. Hoc nos satis apertè docent, si modò à Spiritu S. edoceri velimus, multis in locis S. Literæ. Neque illud diffitetur Episcopius. Ita semper credidit inde ab ipsis Apostolis Catholica Christi Ecclesia. Hinc Justinus locô suprà à nobis laudatô, Christianorum de Christo fidem hanc esse ait, quâ scil. *agnoscunt Christum Dei Filium, qui & ante Luciferum & Lunam fuit,* καὶ διὰ τ παρθένε τ ἀπὸ γένες τ Δαβὶδ γενηθῆναι σαρκοποιηθεὶς ἐπέμεινεν, *& ex Virgine illa ex genere Davidico caro factus nasci sustinuit.* Sic Irenæum quoque paulò antè citavimus affirmantem, Christianos omnes ubique gentium in sua fidei regula fidem professos fuisse " in Filium Dei, " per quem Deus Pater cuncta creavit, qui " propter eminentissimam erga figmentum " suum dilectionem, eam quæ est ex Virgi- " ne generationem sustinuit. " Hinc sex illi Episcopi celeberrimi ex Concilio Antiocheno in Epistola, quam non sine consensu totius Synodi ad Paulum Samosatensem scripserunt, hanc fuisse universæ Ecclesiæ consentientem doctrinam ac fidem, summâ cum παῤῥησίᾳ pronuntiant. Verba enim eorum de Christo loquentium hæc sunt: ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ ὑπὸ τ̃ ὐρανὸν πάσῃ πεπίστευται Θεὸς μὲν κενώσας ἑαυτὸν ἀπὸ τ̃ εἶναι ἴσα Θεῷ, ἄνθρωπος δὲ, ἡ ἐκ σπέρματος Δαβὶδ, τὸ κατὰ σάρκα. i. e. " In universa Ecclesia, quæ " sub cœlo est, creditur Deus esse, qui seipsum " exinanivit, ab eo statu in quo Deo æqualis " fuit; & homo simul, idque ex semine " Davidis, quod ad carnem attinet. " Denique hinc hodieque canit, semperque, rumpantur licet Sociniani & Ariomanitæ, canet Ecclesia:

Tu Rex gloriæ Christe:
Tu Patris sempiternus es Filius:
Tu ad liberandum suscepturus hominem,
Non horruisti Virginis uterum.

Atque de primo modô, quô Christum, quà homo est, Dei Filium in Scripturis dici observavit Episcopius, hactenus.

§. 6. Secundus modus est, *Quia Iesus Christus ratione muneris istius, quod à Patre speciali mandatô ei impositum fuit, filius Dei vocatur, Joan.* 10. *v.* 35. 36. Respondeo 1º. Christum hâc ratione propriè dici non posse filium à Deo *genitum*, nedum *unigenitum*. Qui hôc modô filius est, gratiâ tantùm filius est, non naturâ. 2º Hâc ratione Christum multos fratres habuisse, nempe omnes quotquot unquam in Reges aut Prophetas à Deo uncti fuerunt, aut speciali aliquo mandatô ad populum Dei missi. In hoc genere filiationis, Christus præcipuus, principalis, & longè excellentissimus Dei filius, non verò unigenitus dici potuit. Verùm 3º. locum citatum penitius introspicienti liquebit, Christum ibi se non dixisse, aut credi voluisse, Dei Filium propterea imprimis, quòd à Deo tanquam ejus Legatus extraordinariâ authoritate instructus ac munitus, ad homines missus fuerit; sed longè aliâ atque excellentiori ratione, quâ scilicet antequam in mundum mitteretur, apud Deum Patrem extiterit, ut verus, genuinus ac coessentialis ejus Filius, adeoque Deus ipsissimus. Neque illud prorsus nescivit Episcopius, qui alibi ex hoc loco argumentum divinæ Iesu nostri filiationis contra Sociniistas ipse deprompserit. Sed hoc ipsum paulò fusiùs atque clariùs quàm ab illo factum est, obiter demonstrâsse, operæ fortasse pretium erit.

Manifestum est, Servatorem nostrum in superioribus, nempe v. 25. usque ad v. 30. inclusivè, sic locutum fuisse ad Judæos, ut ii nihil aliud aut intellexerint aut crediderint ab ipso dici, quàm se Deum esse. Verba

ba eorum ſunt, v. 33. *Ob bonum opus non lapidamus te, ſed ob blaſphemiam: quia ſcil. tu, homo cum ſis, teipſum facis Deum.* Nempe ſæpius Deum vocaverat διαφανῶς Patrem ſuum, & ſe & Patrem paulo antè unum eſſe dixerat. Jam diligenter obſervandum eſt, Chriſtum non reſpondiſſe, quod, niſi ſe verè Deum eſſe ſciviſſet, reſpondendum omnino erat, nempe ſe revera Deum non eſſe, neq; pro Deo unquam ſemet venditâſſe; (hâc enim reſponſione, ſi vera fuiſſet, placare Judæorum iram facilè potuiſſet, & debebat quoque blaſphemiam ſibi objectam apertiſſimis verbis & cum abominatione rejicere) ſed contrà non obſcurè ſignificâſſe, ſe ipſiſſimum quidem Dei Filium, & conſequenter Deum eſſe. Nam ſe defendit adverſus Judæos duplici ratione. Primùm, argumentô ex ipſorum Lege ſumptô, nempe ex Pſal. 82. v. 6. *Reſpondit eis Jeſus: Nonne ſcriptum eſt in Lege veſtra: ego dixi, Dii eſtis?* Qui locus videtur de Judicibus magni Synedrii intelligendus, ut rectè monuit Grotius. Ex hoc autem loco ita Chriſtus in ſui defenſionem argumentatur v. 35, 36. *Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolvi Scriptura; Mene, quem Pater ſanctificavit, & miſit in mundum, vos dicitis blaſphemare, quia dixi, Filius Dei ſum?* Argumentum à minori ad majus manifeſtè ducitur in hunc modum: ſi illi qui nihil in ſe divini habuere, nempe Judices magni Synedrii, ad quos in loco iſto Pſalmorum ſermo fit, (nam Capello adſtipulor, qui ſenſit, articulum vocis ὁ λόγος vim hic ἀναφορικὴν habere, ut referatur ad Pſal. 82. quem v. 34. citaverat Chriſtus) ideo tantùm quòd imperii atque authoritatis divinæ imperfectam quandam in ſe imaginem referrent, Dii appellantur; quantò magis ego, qui naturalis Dei Filius, atque inſuper excellentiſſimâ ratione à Deo Patre authorizatus ſum, Dei Filius, adeoque Deus vocari poſſum? Cæterum hoc ipſum Chriſtus diſertis quidem verbis non dixit, ſed non obſcurè ſignificavit in verbis: *Mene, quem Pater ſanctificavit & miſit in mundum.* Non enim (N. B.) dicit, *Mene, quem Deus ſanctificavit*; ſed, *mene, quem Pater ſanctificavit*; indicans, ſe non ideo imprimis Deum pro Patre ſuo habuiſſe, quòd à Deo ſanctificatus (h. e. ſegregatus & deſignatus ad munus ſibi impoſitum) & in mundum miſſus fuerit; ſed contrà à Deo jam Patre ſuo & ſanctificatum, & in mundum miſſum fuiſſe. Præterea nullus dubito, quin Maldonatus in verbis, *& miſit in mundum*, emphaſin rectè ſtatuerit, quâ ſignificetur, Chriſtum eſſe Dei Filium, non cæterorum modô in terra, ſed in cœlo natum, indeque in hunc mundum miſſum. Ita enim Dominus diſcipulos ſuos alloquens, ſe clariùs explicat Jo. 16. v. 28. *Egreſſus ſum à Patre, & veni in mundum; & rurſus relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Quibus verbis ſignificâſſe Chriſtum, ſe in potiore ſua natura in cœlis apud Deum, idque ut Patrem ſuum, extitiſſe, antequam in hunc mundum primùm veniret, hoc eſt, homo natus fuiſſet, nemo eſt, niſi cui lema Sociniana in oculis ſit, qui non facilè perſpiciat. Confer Joan. 3. v. 13. Pergit verò in ſui defenſione Dominus, ac Divinitatem, quam cum Patre communem habet, altero argumento adſtruit, à miraculis ſuis deductô, v. 37, 38. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; ſin verò illa facio, etiamſi mihi non credatis, operibus tamen credite; ut cognoſcatis & credatis Patrem in me eſſe, & me in eo.* Q. D. Quòd me Dei Patris Filium διαφανῶς appellaverim, adeoque me & Patrem unum eſſe dixerim, ea propter blaſphemiæ me poſtulatis. Quod quidem fortaſſe non immerito facere videremini, ſi Divinitatem meam verbis ſolummodo, non etiam factis adſtruerem. Cum verò etiam eadem omnipotentiæ opera cum Patre meo efficiam, cur me ejuſdem cum ipſo naturæ eſſe non creditis? A vobis non poſtulo, ut meo de memet teſtimonio credatis, ſed ut ſaltem ex operibus meis perſuaſum habeatis, Patrem in me eſſe, & me in eo, hoc eſt, me & Patrem unum eſſe, quod antè dixi.

Ex his perſpicuum eſt, Dominum noſtrum Judæis blaſphemiæ crimen ipſi impingentibus, quòd ſe Dei Filium διαφανῶς appellaverit, ſeque adeo Deum eſſe non obſcurè ſignificâſſet, ita reſpondiſſe, ut hoc ipſum, nempe ſe ejuſmodi Filium Dei eſſe, adeo non negaverit, ut fortiſſimis argumentis adſtruxerit. Quod etiam ipſi Judæi (qui hebetes licet & ſtupidi ſatis, Sociniſtas, qui mortalium perſpicaciſſimi videri volunt, craſſiſſimæ profecto ἀβλεψίας condemnent) probè intellexerunt. Hinc enim tantum abfuit, ut Chriſtum ob hanc ipſius reſponſionem à crimine blaſphemiæ abſolverint, ut contrà ipſum propterea, tanquam blaſphemum, rurſus de medio tollere aggreſſi ſint. Sequitur enim v. 39. *Quærebant ergo eum iterum apprehendere, ſed exivit de manibus ipſorum.* Cùm Evangeliſta dicit οὖν, *ergo*, indicat, Judæos illis ipſis verbis, quæ in ſui defenſionem dixerat Servator noſter, iterum irritatos, ipſum apprehendere voluiſſe, ut abductum extra templum (ubi hunc ſermonem habuerat v. 23.) lapidibus obruerent. Nam fruſtra omnino eſt Grotius, qui verba interpretatur, quaſi Judæi, quòd Dominus blaſphemiæ crimen ita ſolviſſet, ut

ne

ne ſpecies quidem reſtaret, conſilium de lapidatione tanquam in blaſphemum mutârint, dederintque operam, ut eum captum traderent Synedrio, aliud aliquid crimen reperturo. Neque enim Judæi ideo Chriſtum apprehendere voluerunt, ut Synedrio ſiſterent, ſed ut in locum abducerent, ubi ipſum ſine ſacrilegio occiderent. Templum enim, intra cujus limites ſtetit ac locutus eſt Dominus, erat omni ex parte ſacrum, neque ulla cæde aut ſanguine polluendum. Confer Act. 21. 30. Præterea vox πάλιν, *iterum*, ſatis oſtendit, Judæos voluiſſe rurſus illud in Chriſtum facere, quod & antea facturi erant, hoc eſt, lapidare ipſum voluiſſe v. 31. Quô etiam in loco vox πάλιν occurrit, atque aliud porro tempus manifeſtè deſignat, quô Judæi ex ſimili occaſione voluerunt Chriſtum lapidibus obruere, de quo legere eſt Joan. 8. v. 59. Nam ibi etiam ex Chriſti ſermone, ſe ante Abrahamum fuiſſe dicentis v. 58. Judæi rectè judicârunt, Chriſtum naturam quandam, in qua ante Abrahamum extiterit, hoc eſt divinam, ſibi tribuiſſe, adeoque Deum ſe dixiſſe.

§. 7. Pergo ad tertium modum, quô Chriſtum, etiam quatenus homo eſt, in Scripturis Dei Filium dici Epiſcopius animadvertit; nempe *quia à Patre ex mortuis ad vitam immortalem ſuſcitatus, & veluti ex utero terræ, nullâ mediante matre, genitus denuo eſt Act.* 13. *v.* 32, 33. Reſp. Chriſtus hac ratione Filius Dei unigenitus dici non potuit, ſiquidem hoc ſenſu pii omnes, qui reſurgunt, dicuntur *Filii Dei, quia Filii reſurrectionis ſunt*, Luc. 20. v. 36. Ratione quidem reſurrectionis ſuæ Chriſtus homo dici potuit *primogenitus*, ſcil. ex mortuis, adeoque diſertè dicitur Col. 1. v. 18. quia omnium mortuorum primus à morte ad vitam rediit, nunquam deinceps moriturus. Ad hæc in locis Scripturæ, in quibus vox μονογενὴς occurrit Chriſto tributa, Deus Pater dicitur Filium ſuum unigenitum in mundum miſiſſe, atque hominibus dediſſe, Joan. 3. 16. 1 Ep. Jo. 4. 9. Itaque unigenitus Dei Filius erat, cum in hunc mundum primùm veniret, non tum demum, poſtquam per mortem ex hoc mundo ſublatus, ac deinde ex mortuis ſuſcitatus, ad alterum, hoc eſt, cœleſtem mundum migraturus erat. Cæterum cum in loco ab Epiſcopio citato, nempe Act. 13. v. 32, 33. Apoſtolus Paulus verba Davidis in Pſalmo 2^do^ *Tu es Filius meus, ego hodie te genui*, Chriſti ex mortuis reſurrectioni accommodat; contra novos Artemonitas notandum eſt, id non ita accipiendum eſſe, quaſi demum per ac poſt reſurrectionem Chriſti cœperit eſſe excellentiſſimô modô Dei Filius, & ab eo gigni; ſed quòd tum potentiſſimè per reſurrectionem verus atque unigenitus Dei Filius declaratus atque oſtenſus fuerit. Hic enim eſt Scripturæ mos, ut res tum dicantur fieri, cum manifeſtantur & ſeſe produnt. Hinc Juſtinus Martyr, ut alibi obſervavimus, in Dialogo cum Tryphone, citato Pſalmiſtæ loco, continuò ſubdit: τότε γένεσιν αὐτῦ λέγων γίνεσθαι τοῖς ἀνθρώποις, ἔξότε ἡ γνῶσις αὐτῦ ἔμελλε γίνεσθαι, *Tum nativitatem ejus contingere hominibus affirmans, cum notio ejus contingat.* Pag. 316. Ita ſane Paulus ipſe ſemet interpretatur in Epiſt. ad Rom. cap. 1. v. 3, 4. περὶ τῦ υἱῦ αὐτῦ, τῦ γενομένου ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σάρκα· τῦ ὁρισθέντος υἱῦ Θεῦ ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν. *De Filio ſuo, qui factus eſt ex ſemine Davidis ſecundum carnem; definitus verò* ſive declaratus *fuit Filius Dei potenter, ſecundum Spiritum Sanctitatis, per reſurrectionem ex mortuis.* Ubi ὁρισθέντος idem eſſe ait Chryſoſtomus quod δειχθέντος, ἀποφανθέντος, κριθέντος ἀπὸ τῶν ἁπάντων γνώμης καὶ ψήφου. *Qui demonſtratus, declaratus, judicatus eſt omnium ſententiâ & ſuffragiô, eſſe Filius Dei.* Sic & Græcorum Scholia: ὁρισθέντος, τοῦτ' ἔστιν, ἀποδειχθέντος, ἀποφανθέντος. *Definiti*, h. e. *demonſtrati, declarati.* Syrus quoque vertit, *qui agnitus eſt*; & in eundem ſenſum Verſio Æthiopica, *quem declaravit*, ſcil. Deus Pater, *eſſe Filium Dei.* Solus Latinus Interpres (contra fidem Codicum Græcorum omnium) reddit, *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei*; quaſi in textu ſcriptum eſſet, προορισθέντος. Cujuſmodi verò Dei Filius per reſurrectionem declaratus fuit Chriſtus ac demonſtratus? Certè Filius Dei, Deo Patri ſuo coeſſentialis, qui proinde Deus ipſe ſit. Quemadmodum enim hôc in loco κατὰ σάρκα, *ſecundum carnem*, denotat humanam Chriſti naturam; ſic etiam κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, *ſecundum Spiritum Sanctitatis*, divinam ejus naturam deſignat: ac ſicut *ſecundum carnem* Chriſtus Davidis ex ſemine, hoc eſt, Filius Davidis; ita *ſecundum Spiritum Sanctitatis*, Dei Filius dicitur. πνεῦμα *Spiritum* in Chriſto, præſertim cum carni ejus opponitur, divinam ejus naturam denotare, toties obſervavimus, ut non opus ſit de eo rurſus Lectorem moneamus. Neq; mirum videri debet, quòd Chriſtus, quà Filius Dei & Deus eſt, hîc appelletur etiam *Spiritus Sanctitatis*, quam appellationem tertiæ Divinitatis perſonæ plerumque tribuimus; ſiquidem eadem divina ſpiritualis & ſancta natura unicuique Trinitatis ὑποστάσει communis eſt. Unde & ab Herma, Pauli coætaneo, divinam perſonam Filii Dei *Spiritum Sanctum*, & ab Ignatio, Viro quoque

Confer Apocal. c. 1. *v.* 5.

Apoſtolico & dictionis Paulinæ ſedulo æmulatore, πνεῦμα ἄμωμον, *Spiritum immaculatum* diſertè dici, obſervavimus Def.Fid.Nic. Sect. 1. c. 2. §. 5. Cæterum hunc Pauli Apoſtoli textum idem Ignatius omnino reſpexiſſe, ejuſque veluti paraphraſin quandam tradidiſſe mihi videtur in illuſtri loco, quem aliquoties in hoc opere & alibi citavimus, Epiſtolæ ad Epheſios: εἷς ἰατρός ἐστι, σαρκικὸς καὶ πνευματικός, γεννητὸς καὶ ἀγέννητος, ἐν σαρκὶ γενόμενος Θεὸς (ἐν ἀνθρώπῳ Θεὸς, *legunt Athanaſius, Theodoretus & Gelaſius*) ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινὴ, καὶ ἐκ Μαρίας, καὶ ἐκ Θεοῦ. *Unus eſt Medicus carneus & ſpiritualis, genitus & ingenitus, in carne* (ſive *in homine*) *Deus, in morte vita vera, & ex Maria, & ex Deo.* Hîc, ut apud Paulum, duplex Chriſto natura tribuitur, σαρκικὴ καὶ πνευματικὴ, *carnea & ſpiritualis:* juxta carneam naturam, hoc eſt Paulo κατὰ σάρκα, Chriſtus genitus ſive factus, & homo mortalis appellatur: ſecundum ſpiritualem naturam, quod Paulo eſt κατὰ πνεῦμα ἁγιωσύνης, ingenitus ſive non factus, vita vera, adeoque Deus dicitur: ut carneus, ex Maria, hoc eſt, ex ſemine Davidis; ut ſpiritualis, ex Deo, hoc eſt, Dei Filius dicitur. Confer 1 Tim. 3.16. 1 Pet. 3. 18,19,20.

§. 8. Reſtat quartus atque ultimus modus, quô Chriſtum hominem Dei Filium in Scripturis dici voluit Epiſcopius, nempe, *quia Jeſus Chriſtus ex morte ſuſcitatus, hæres ex aſſe conſtitutus eſt in domo patris ſui, ac proinde bonorum omnium cœleſtium, & Patris ſui miniſtrorum, omnium ſcil. Angelorum, Dominus. Heb. 1. v. 2.* Reſp. Chriſtum hâc tantùm ratione *propriè* dici non potuiſſe Dei Filium, nedum ejus Filium unigenitum. Hæres enim non eſt neceſſariò verus ac naturalis, nedum unigenitus ejus Filius, cujus hæres eſt: ſiquidem agnatus quiſpiam, aut etiam extraneus, in hæredem adſciſci atque aſſumi poteſt. Deinde Dominus noſter, ut paulò ſuperiùs dictum eſt, fuit Dei Filius unigenitus, cum primùm à Patre ſuo in hunc mundum miſſus fuit; non igitur tum demum Filius Dei unigenitus factus eſt, cum in cœleſtem Patris ſui domum receptus, hæres ibi ac Dominus omnium conſtitutus fuit.

Ad locum autem quod attinet Epiſtolæ ad Hebræos cap. 1. v. 1,2. non ibi dicitur Chriſtus Dei Filius, nedum unigenitus, quòd hæres omnium conſtitutus fuit; ſed contrà is hæres factus dicitur, qui priùs Filius fuit, idque Filius, per quem Deus Pater ſæcula condiderat, quique adeo ante ſæcula fuit. Verba ſunt: *Deus in hiſce ultimis diebus locutus eſt nobis per Filium ſuum, quem conſtituit hæredem omnium,* δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησε, *per quem etiam ſæcula condidit*, ſeu condiderat. Ubi interpretatio Sociniſtarum, Deum nempe dici per Filium ſæcula condidiſſe, quòd per ipſum genus humanum reformavit atque inſtauravit, & in novum quendam ſtatum tranſtulit, prodigioſum eſt commentum. Sane juramentô aliquis tutò affirmare poſſit, ex Hebræis, ad quos ſcripta fuit illa Epiſtola, ne unum quidem fuiſſe, qui Scriptoris verba hôc ſenſu intellexerit, aut vel per ſomnium cogitaverit, per τοὺς αἰῶνας, *ſæcula*, ſignificatum fuiſſe tantùm genus humanum, nedum ejus partem illam, cui tunc temporis Evangelii lux affulſerat. οἱ αἰῶνες, *ſæcula*, pro rerum creatarum univerſitate eſt Hebraiſmus, qui & rurſus in hac ad Hebræos Epiſtola occurrit, cap. 11. v. 3. πίστει νοοῦμεν κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι Θεοῦ, *Per fidem intelligimus conſtructa fuiſſe ſæcula verbô Dei.* Neque alibi, ut opinor, vel in ſacris literis N. Teſtamenti, vel apud Græcum ullum Scriptorem profanum, τοὺς αἰῶνας iſto ſenſu dici reperias. In Judæorum autem Liturgia Deus רב העולמים *Dominus ſæculorum*, hoc eſt, *rerum omnium creatarum*, paſſim dicitur. Faciunt nempe illi, ut ab Hebraicæ literaturæ peritis obſervatum eſt, triplicem עולם *Æonem* ſeu mundum. Primus eſt עולם השפל *mundus inferior*, h. e. Regio iſta elementaris. Secundus eſt עולם התיכון *mundus medius*, orbes ſcil. cœleſtes. Tertius eſt עולם העליון *mundus ſuperior*, nempe domicilium Divinæ majeſtatis & Angelorum; quod Apoſtolus vocat *tertium cœlum*, 2 Cor. 12. 2. Hos igitur omnes αἰῶνας, hæc omnia ſæcula, hos mundos omnes Deum Patrem per Filium ſuum condidiſſe, divinus Scriptor voluit docere. Quod & rurſus in eodem capite diſertè affirmat v. 10, 11, 12. ubi ait ad Dei Filium dicta fuiſſe iſta Pſalmiſtæ verba: *Tu in principio, Domine, terram fundâſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, Tu autem permanes; & omnes ut veſtimentum veteraſcent, ac veluti amictum complicabis eos, & mutabuntur. Tu autem idem es, & anni tui non deficient.* Quid hîc rurſus faciunt Hæretici? Antiquum obtinent. Negant enim citatam Pſalmiſtæ periochen ad Dei Filium dictam fuiſſe; ejuſq; tantummodo partem illam, quæ eſt de re nondum facta, ſed olim futura, nempe mundi abolitione, ad Filium ab Auctore accommodari affirmant. Verùm (ut taceam, manifeſtum Authoris inſtitutum eſſe, Filii Dei præſtantiam ex iis rebus demonſtrare quæ ipſi jam actu competerent; quin & creationem, & abolitionem mundi pariter eſſe opus divinæ omnipotentiæ, quæ nulli creaturæ Pſal. 102.

commu-

communicari poſſit) quid hoc eſt aliud, quàm divino Scriptori, veluti in os, impudenter contradicere? Atqui, inquiunt, nimis manifeſtum eſt, iſta Pſalmiſtæ verba ad ſummum Deum, nempe Deum Patrem dicta fuiſſe. Eſto. Quid tum? An inde ſequitur, non etiam ad filium Dei dicta fuiſſe? Imò contrà, quicquid Deo Patri, ut rerum omnium conditori, dictum eſt, etiam Dei Filio dictum fuit; ſiquidem Deus Pater per Filium univerſa condidit, ut Author ſuprà dixerat. Cæterum quanquam Pſalmus iſte 102. nihil aliud eſſe videatur, quàm oratio ſeu populi, ſeu Prophetæ, Deo ſupplicantis pro reſtauratione civitatis Hieroſolymitanæ à Chaldæis everſæ, tamen (ut à pleriſque Interpretibus obſervatum eſt) ſicut terrena Jeruſalem figura fuit Eccleſiæ Chriſti, ſic ea quæ in Pſalmo de reſtauratione terrenæ Jeruſalem dicuntur, myſticè referenda ſunt ad ædificationem ſpiritualis & ſupernæ Jeruſalem, hoc eſt, Eccleſiæ, quæ Chriſti civitas ac Regnum eſt. Etenim non niſi in Chriſto & Eccleſia perfectè implentur iſta hujus Pſalmi: *Tu exurgens, Domine, miſereberis Sion; quia tempus miſerendi ejus, quia venit tempus.* Et: *Timebunt Gentes nomen tuum, Domine, & omnes Reges terræ gloriam tuam; quia ædificavit Dominus Sion, & videbitur in Majeſtate ſua.* Et: *Dominus de cœlo in terram aſpexit*, &c. Item: *In conveniendo populos in unum, & Reges ut ſerviant Domino.* Quare & reliqua quæ ibi de Deo dicuntur, ad Chriſtum pertinent. Quod quidem ſi ex contextu Pſalmi nullo modô pateret, tamen divini Scriptoris authoritati omnino concedendum eſſet. Addam, etiam ſenſum Pſalmi literalem, quà nempe reſpicit liberationem populi Dei ex captivitate Babylonica, ad Chriſtum pertinere, quatenus is, ut ὁ λόγος & Filius Dei ſemper cum Deo Patre ſuo exiſtens, ſemper & ab initio Eccleſiæ præfuit & proſpexit, adeoque providentiâ ſuâ res omnes creatas rexit & gubernavit. Neque enim putandum eſt, (monente Tertullianô, & conſentiente univerſâ Chriſti Eccleſiâ) *ſola opera mundi per Filium facta, ſed & quæ à Deo exinde geſta ſunt.* Hinc & Paulus Apoſtolus 1 Cor. 10. v. 9. ſatis apertè docet, Chriſtum fuiſſe, qui populo Iſraelitico, ex ergaſtulo Ægyptiacæ ſervitutis educto, in deſerto præfuit & præivit, ad terram promiſſam ipſum quaſi manu ducens. Vide omnino quæ hac de re fusè diſſeruimus Def.Fid.Nic. Sect. 1. cap. 1. fere per totum; imprimis verò §. 12, 14, 15, 16.

Verùm ita porro argumentantur impii & importuni homines: Si Author Epiſtolæ hoc Pſalmiſtæ teſtimonium eò citaſſet, ut probaret, per Filium Dei mundum fuiſſe conditum, à ſcopo atque inſtituto ſuo omnino aberrâſſet; ſiquidem propoſitum ipſi fuit, eam tantummodo Filii præſtantiam oſtendere, quæ ipſi acceſſit ad dextram Divinæ Majeſtatis jam collocato v. 4. ad cujus generis præſtantiam creatio mundi nullô modô pertinet. Sed contrà, ex eo quòd Author locum illum Pſalmiſtæ de creatione rerum omnium citet, Filioque dictum fuiſſe diſertè affirmet, nos certum habemus, propoſitum ipſi non fuiſſe, eam ſolummodo Filii præſtantiam oſtendere, quæ ipſi demum poſt exaltationem ad dextram Dei Patris acceſſit. Præterea in ipſo capitis initio Author tria de Servatore noſtro ſtrictim dixerat, quòd ſit Filius Dei, ſcilicet διαθετικῶς, quòd per ipſum condita fuerint ſæcula, ac denique quod hæres omnium conſtitutus ſive declaratus fuerit, nempe tum, cum in carne ſua ad ſupremum cœlum ſublatus, ibique ad dextram Dei Patris collocatus fuit. Hiſce ſingulis rationibus non modò Prophetis Dei, quod antè ſignificatum fuit, ſed & ipſis Angelis longiſſimè præſtare Dominum noſtrum, Author deinceps oſtendit, allatis ex S. Scriptura teſtimoniis; quorum hoc, quô de agimus, ad ſecundam illam manifeſtiſſimè pertinet. Quare in v. 4. vox γενόμενος verti debet *qui eſt*; aut cum Chryſoſtomo & Theophylacto exponenda per *oſtenſus*, ſive *declaratus*. Urgent demum Sophiſtæ, ſi Author Epiſtolæ revera credidiſſet & pro rato habuiſſet, per Filium Dei creaturas omnes conditas fuiſſe, quorſum tantô opere inter ipſum & Angelos collationem inſtitueret? Eccui dubium eſſe potuit, quin Creator creaturis ſit præſtantior? Nemini ſane, inquam ego. At verò fuere eâ ætate, quâ ſcripta fuit hæc ad Hebræos Epiſtola, perplures, nempe Cerinthiani & alii, qui creationem mundi, ſaltem hujus aſpectabilis, Angelis tribuerent; Jeſum noſtrum interea habentes pro mera creatura, adeoque pro puro puto homine, ante Mariam non exiſtente, proinde Angelis longè longiùs inferiore. Quinetim carnales Judæi, qui Evangelii doctrinam nondum acceperant, fratres eorum, ad quos Author Epiſtolam ſcripſit, Chriſtum, ſive Meſſiam à Prophetis promiſſum, nihil aliud quàm hominem futurum crediderunt; Angelos verò plerique ex ipſorum Magiſtris in creatione mundi inferioris Dei fuiſſe συνεργοὺς exiſtimârunt, iiſque à Deo dictum fuiſſe illud: *Faciamus hominem*, &c. Gen. 1. v. 26.* Adverſus hos omnes certè non fruſtra omnino laboravit divinus

* *Vide P. Fagium in loc. & Phil. Jud. lib. de opificio 6 dierum. ac Juſtin. Dial. cum Tryph. p.* 285.

divinus Scriptor in explicando Chriſti Filii Dei præ Angelis ὑπεροχῇ & excellentiam: adverſus hos appoſitè admodum docet, creationem rerum omnino opus eſſe ſupremi Dei per Filium ſuum, qui & ipſe Deus ſit; neque Angelis competere ullâ ex parte potuiſſe; utpote qui & ipſi creaturæ ſunt, Deo omnium Creatori miniſtrantes, ut mox dicit v. 14.

Redeo tandem ad verba Authoris in v. 2. *Deus in hiſce ultimis diebus locutus eſt nobis per Filium ſuum, quem hæredem omnium conſtituit, per quem etiam ſæcula condiderat.* Equidem ſatis perſpicuum eſt, ſacrum Scriptorem voluiſſe in verbis illis oſtendere congruitatem divinæ οἰκονομίας, quâ ita comparatum fuit, ut per quem mundus in principio fuit conditus, per eundem Filium in plenitudine temporis etiam inſtauraretur; ut qui Dominus fuit in veteri creatione, idem & in novâ hæres atque Dominus fieret. Quomodo etiam Paulus Apoſtolus manifeſtè ratiocinatur in capite primo Epiſtolæ ad Coloſſenſes: ubi eundem Dei Filium, quem *primogenitum omnis creaturæ* (h. e. ante res omnes creatas ex Deo Patre genitum) & rerum omnium conditorem prædicaverat v. 16, 17. (de creatione enim propriè dictâ ibi agi qui negat, eâdem confidentiâ neget, creationem illam uſpiam in S. Scripturis deſcribi, adeoque ipſum caput primum Geneſeos allegoricè exponendum eſſe contendat) mox v. 18. concelebrat ut κεφαλὴν τῷ σώματος τῆς ἐκκλησίας, καὶ ἀρχὴν πρωτότοκον ἐκ νεκρῶν, *caput corporis, id eſt, Eccleſiæ, & principium primogenitum ex mortuis*; deinde ἀμέσως ibidem hanc rationem ſubjungit: ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων, *ut in omnibus ipſe primas teneret*, hoc eſt, ut omnimodò, ratione ſcilicet tam reſtitutionis quàm inſtitutionis rerum, tum quà principium mundi, tum quà caput Eccleſiæ, ſuper omnes emineret.

Itaque tandem omnibus quatuor modis, quibus Chriſtum, quatenus homo eſt, Dei Filium κατ' ἐξοχὴν in Scripturis dici contendit Epiſcopius, expenſis atque examinatis; manifeſtum fecimus, nullo iſtorum modorum Chriſtum propriè dici poſſe Filium Dei unicum ſive *unigenitum*. Quin & ex abundanti oſtendimus in locis Scripturæ, quibus modi iſti contineri videntur, longè aliam atque excellentiorem Servatoris noſtri Filiationem, quâ ſcilicet antequam homo factus fuit, adeoque ante res omnes creatas, apud Deum Patrem, ut unicus ejus Filius, extiterit, ſatis perſpicuè ſignificari.

§. 9. Pergo ad tertium noſtrum argumentum, ab ordine & contextu Symboli ipſius deſumptum. Manifeſtum eſt, quatuor modos Filiationis Jeſu Chriſti, quos memorat Epiſcopius, omnes alibi in Symbolo exprimi; proinde in verbis illis, *Filium Dei unigenitum*, minimè ſignificari, niſi in tam brevi formula ταυτολογίαν admittamus. Secundus modus, de miſſione ſive unctione Servatoris noſtri ad munus & officium ſuum, proximè antè ſignificatus fuit in voce *Chriſtum*. Reliqui tres modi, nempe de conceptione per Spiritum S. de reſurrectione ex mortuis, ac demum de exaltatione ad dextram Dei Patris, omnes poſtmodum diſtinctis articulis expreſſi ſunt. Quare cum in Symbolo confitemur Jeſum Chriſtum *Filium Dei unigenitum*, aliam planè Filiationem, quæ ad neutrum iſtorum modorum referenda ſit, nempe Divinam, ipſi competere omnino ſignificamus.

Vehementer quidem, pro more ſuo, contendit Irenici Author, quæ poſt verba Symboli, *& in Jeſum Chriſtum Filium ejus unigenitum* ſequuntur, tantummodo Filii Dei deſcriptionem eſſe, “ ea propter additam, ut “ qualis Filius Dei hîc intelligatur, conſta- “ ret; nimirum qui natus eſt ex Maria Vir- “ gine, crucifixus, mortuus, reſuſcitatus, re- “ ceptus in cœlos, ſedens ad dextram Patris, “ & venturus ad judicandum vivos & mortu- “ os: quæ omnia ſingularem, & unigenitum, “ propriumque Dei Filium indicant.” Verùm toto hîc cœlô errat Hæreticus. Nam 1. nemo ſanus facilè credet, in tam conciſo Symbolo ea omnia, quæ poſt confeſſionem de Filio Dei unigenito, mox de eodem ſubjiciuntur, tantùm ἐξηγητικῶς addita fuiſſe, ut qualis ſit ille Dei Filius, conſtaret: nam dimidiam ſaltem Symboli partem iſta conſtituunt. 2ò Pleraque eorum quæ ſubſequuntur, ad declarationem Filiationis Jeſu Chriſti nullo modô pertinent, nempe iſta, *Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, ſepultus, qui ad inferos deſcendit.* Quare 3ò omnino ſtatuendum eſt, quæ in Symbolo poſt profeſſionem Fidei in Filium Dei unigenitum ſequuntur, neutiquam ideo tantùm adjecta fuiſſe, ut qualis ſit ille Filius Dei, in quem credendum ſit, clariùs intelligeretur; ſed ut oſtenderetur porro, quid Filius ille Dei pro nobis fecerit & paſſus fuerit, ſeu qualem ipſe diſpenſationem pro noſtra ſalute ſuſceperit & ſuſtinuerit; nempe quòd per Spiritum S. conceptus, ex Virgine Maria natus, adeoq; homo factus, ſub Pontio Pilato paſſus fuerit, &c. Hoc nos docet, qui ſenſum Romanæ Eccleſiæ hôc Symbolô utentis optimè novit, Ruffinus in expoſitione Symboli, his verbis: “ Poſteaquam “ propoſitus ordo fidei ineffabile Sacramen- “ tum Filii de Patre nativitatis expoſuit, “ nunc ad humanæ ſalutis dignationem diſ- “ penſationemq; deſcendit: & hunc, quem “ ſuprà dixit unicum Filium Dei & Domi-

num

" num noſtrum, nunc dicit, qui natus eſt de " Spiritu Sancto ex Maria Virgine. Hæc " jam inter homines diſpenſationis nativitas " eſt, illa divinæ ſubſtantiæ; hæc dignatio- " nis eſt, illa naturæ." Quæ Ruffini expoſitio ut meliùs intelligatur, ſciendum eſt, omnem de Chriſto ſermonem ab antiquis Eccleſiæ Doctoribus in duas omnino partes diſtributum fuiſſe, ſcil. τ̃ Θεολογίαν καὶ τ̃ οἰκονομίαν, *Theologiam & Diſpenſationem.* Theologiam vocârunt quæ ad Divinitatem Servatoris noſtri pertinent; quòd nempe Filius Dei ſit, ante omnia ſæcula ex Deo Patre genitus, adeoq; Deus; quòdq; per ipſum ſæcula condita fuerint. Diſpenſationem appellârunt incarnationem ejus, & quicquid in aſſumpta carne hîc in terris geſſit ad procurandam ſalutem humani generis. Quare in Symbolo, quod Apoſtolorum dicitur, verba quibus fidem noſtram profitemur in Chriſtum, ut in Filium Dei unigenitum, ad Θεολογίαν ſpectant; quæ verò ſeqvuntur de conceptione ejus per Spiritum S. de nativitate ex Virgine, de paſſione, &c. ad οἰκονομίαν omnino referenda ſunt. Ita ſemper Epiſcopi & Doctores Eccleſiæ Catholicæ, inde ab ipſis Apoſtolorum temporibus, regulam fidei de Chriſto Domino noſtro & ipſi intellexerunt, aliiſque expoſuerunt. Sic Ignatius in genuina Epiſtola ad Epheſios: ὁ γὰρ Θεὸς ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἐκυοφορήθη ὑπὸ Μαρίας κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ, ἐκ σπέρματος μὲν Δαβὶδ, πνεύματι δὲ ἁγίῳ· ὃς ἐβαπτίσθη ἵνα καθαρίσθῃ, κ. λ. " Deus enim noſter Jeſus Chriſtus conceptus eſt ex Maria, " *ſecundum Diſpenſationem* Dei, ex ſemine " quidem David, Spiritu autem Sancto; qui " natus eſt & baptizatus, &c." Itaque conceptio ex Maria Virgine, nativitas, &c. Ignatio judice, non ad deſcriptionem Filii Dei, ſed ad οἰκονομίαν illam pertinent, quam Filius Dei, qui & Deus ipſe eſt, noſtræ ſalutis cauſa ſuſcepit. Similiter Juſtinus in loco, quem jam ſuprà ex alia occaſione ſemel atque iterum laudavimus, in Dial. cum Tryph. Fidem de Chriſto, quæ ab omnibus qui ſub Evangelio vivunt ad ſalutem requiritur, hanc eſſe ait, quâ nempe agnoſcunt τ̃ Χριστὸν τοῦ Θεοῦ υἱὸν, ὃς καὶ πρὸ ἑωσφόρου καὶ σελήνης ἦν, καὶ ἀφ' ἁγίας παρθένου γενέσθαι σαρκοποιηθεὶς ἐπέμφθη, ἵνα ἀφ' ἧς οἰκονομίας ταύτης ὁ πονηρευσάμενος τὸν ἀρχαῖον ὄφις, καὶ ὁμοιωθέντες αὐτῷ ἄγγελοι καταλυθῶσι· κ. λ. " Chriſtum Dei Filium, qui & " ante Luciferum & Lunam fuit, & ex Virgine caro factus naſci ſuſtinuit; ut per hanc " *Diſpenſationem* is qui à principio malignè " egit ſerpens & aſſimilati ipſi Angeli debellarentur, &c." Hîc etiam ipſa ex Virgine nativitas ad Diſpenſationem, quam Filius Dei ante ſæcula exiſtens, noſtri cauſa ſubiit, diſertè refertur. Irenæus itidem lib. 1. cap. 2. Regulam fidei tradens per omnes Eccleſias receptam, (quam & ſuprà maximâ ex parte recitavimus) poſt fidei profeſſionem in Filium Dei τ̃ μονογενῆ, hoc eſt, poſt Θεολογίαν, mox ſubdit, Spiritum S. per Prophetas prædixiſſe τὰς οἰκονομίας, καὶ τὰς ἐλεύσεις, καὶ τ̃ ἐκ παρθένου γέννησιν, καὶ τὸ πάθος, καὶ τ̃ ἔγερσιν ἐκ νεκρῶν, καὶ τ̃ ἐνσαρκον εἰς τοὺς οὐρανοὺς ἀνάληψιν τοῦ ἠγαπημένου Χριστοῦ Ἰησοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν, " Diſpenſa- " tiones & adventus, & generationem ex " Virgine, & paſſionem, & reſurrectionem à " mortuis, & cum carne in cœlos aſcenſum " dilecti Chriſti Jeſu Domini noſtri." Ubi articulos Symboli de adventu Servatoris noſtri in hunc mundum, hoc eſt, de ejus ex Virgine nativitate, de paſſione, & de reliquis quæ hîc in terris geſſit uſque ad ſuum in cœlos adſcenſum, ad οἰκονομίας expreſsè refert, quas Filius ille Dei unigenitus propter noſtram ſalutem ſuſtinuit. Idem lib. 4. cap. 62. fidem hominis ſpiritualis, hoc eſt, verè Chriſtiani & Catholici, de SS. Trinitate pulchrè deſcribit his verbis: πάντα αὐτῷ συνέχηκεν· εἰς ἕνα Θεὸν παντοκράτορα, δι' οὗ τὰ πάντα, πίστις ὁλόκληρος· καὶ εἰς τ̃ υἱὸν τοῦ Θεοῦ Ἰησοῦν Χριστὸν τ̃ κύριον ἡμῶν, δι' οὗ τὰ πάντα, καὶ τὰς οἰκονομίας αὐτοῦ, δι' ὧν ἄνθρωπος ἐγένετο ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ψιλὸς μονὴ βεβαία· καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ, τὸ τὰς οἰκονομίας παλεός τε καὶ υἱοθεσίαν κατ' ἐκάστην γενεὰν ἐν τοῖς ἀνθρώποις, κατὰς βέλεται ὁ πατὴρ, γνῶσις ἀληθής. i. e. " Omnia illi conſtant: in unum Deum o- " mnipotentem, ex quo omnia, fides inte- " gra: & in Filium Dei Jeſum Chriſtum " Dominum noſtrum, per quem omnia, & " *Diſpenſationes ejus*, per quas Filius Dei " factus eſt homo, perſuaſio firma: & in " Spiritum Dei, qui diſpenſationes & Patris " & Filii, ſingulis ætatibus, prout vult Pa- " ter, hominibus manifeſtavit, vera cogni- " tio." Hîc rurſus Vir Sanctus duplicem Chriſtianorum de Chriſto cognitionem ac fidem in Canone Fidei Eccleſiaſtico contineri oſtendit; unam, quæ Divinam ejus perſonam reſpicit, quâ nempe credunt, ipſum eſſe Filium Dei, per quem omnia facta ſunt; alteram ad diſpenſationes ejus pertinentem, quâ agnoſcunt, Filium illum Dei hominem factum eſſe, &c. Utra jam Symboli expoſitio præferenda ſit, horum Apoſtolicorum Virorum ac Martyrum, (quibus conſentiunt Patres Catholici, qui ſubſecuti ſunt, ad unum omnes) an Authoris Irenici, heſterni Dogmatiſtæ, haud difficile erit judicium.

Vide Anton. Valeſii in Euſ. Hiſt. Eccl. p. 4, & 5.

Confer Gal. 4. v. 4 cum Eph. 1. v. 10.

Edit. Voſ. p. 27.

p. 264. Vid. ſuprà c. 2. n. 14.

§. 10. Reſtat quartum atque ultimum noſtrum argumentum à ſenſu atque interpretatione primævæ Eccleſiæ Catholicæ deducen-

dum. In tribus primis ſæculis (de ævis ſubſequentibus nemo dubitat) titulus Filii Dei *unigeniti* ſive *unici* Chriſto tributus, conſtanti ac perpetuô Catholicorum omnium Doctorum uſu in hunc ſenſum planè determinatus fuit, ut Divinam ejus ante omnia ſæcula ex ipſo Deo Patre generationem ſignificaret. Illud Tertulliani de Filio Dei, eſt vox omnium conſona: *Primogenitus, ut ante omnia genitus; & unigenitus, ut ſolus ex Deo genitus, proprie de vulva cordis ipſius.* Nam illi omnes non alium Filium Dei unigenitum agnoverunt, quàm qui ex ipſa Dei Patris eſſentia, hoc eſt, ex æterna mente λόγος & Verbum, genitus fuerit, ut abunde demonſtravimus Def. Fid. Nic. Sect. 2. per totam. Quod quidem adeo certum ac manifeſtum eſt, ut de Scriptoribus illis Antenicænis, qui Filii Dei unigeniti æternitatem negâſſe videntur, (ſed videntur tantùm, ut in dicto Opere liquidò oſtendimus) fateri tamen cogatur ipſe Petavius, rigidus alioquin illorum Cenſor, quòd *de Patris eſſe ſubſtantia, ſive natura, Filium* aſſererent. Quid igitur hîc deſideramus? Nonne modum illum Filiationis Jeſu Chriſti peculiarem, de quo loquitur Epiſcopius, ſatis apertè in hôc Symbolô expreſſit Romana Eccleſia, iis verbis uſa, quibus ea ætate eademq; in Eccleſia modum illum ſignificari, apud omnes in confeſſo fuit? Quid refert, ſi quis heſternus Hæreticus verba aliter explicari poſſe contendat? Symbola certè Eccleſiæ ex ipſo Eccleſiæ ſenſu, non ex Hæreticorum cerebello exponenda ſunt. Quod poſterius ſi fieret, Deum immortalem! quàm citò ex omnibus fidei noſtræ articulis, ne unus quidem nobis ſatis ſanus atque integer relinqueretur. Symbola Eccleſiæ non tenet, qui aliter quàm Eccleſia intelligit. Optimè enim hîc Author libri *de Recta confeſſione*, Juſtino aſcripti, in ipſo initio: οὐ γὰρ ἁπλῶς ἡ πρὸς τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν δοξολογία τὸν σωτηρίαν ἡμῖν προξένει, ἀλλὰ ἡ ὑγιὴς καὶ τελεία ὁμολογία τῶν ἀποκειμένων τοῖς εὐσεβέσιν ἀγαθῶν τὴν ἀπόλαυσιν δωρεῖται· ἐπεὶ καὶ τῶν ἑτεροφρόνων ἀκούσεταί τις τὸν πατέρα καὶ τὸν υἱὸν ὀνομάζοντων, ἀλλ' οὐ κατ' ὀρθὴν ἔννοιαν τὸ σέβας προσαγόντων. i. e. "Non "enim ſimplex Patris & Filii glorificatio "ſalutem nobis affert, ſed ſana Trinitatis "confeſſio, eorum, quæ piis repoſita ſunt, "bonorum fruitionem donat: nam & Heterodoxos aliquis audiat Patrem & Filium "hymnis celebrare, verùm non ſecundum "rectam notionem cultum præſtare." Appoſitè itidem Cyprianus ad Jubaianum de Hæreticis baptizandis, in verba illa Chriſti, *Ite & docete omnes Gentes, baptizantes eas in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti:* "Inſinuat Trinitatem, cujus Sacramentô Gentes "baptizantur. Numquid hanc Trinitatem "Marcion tenet? Nunquid eundem aſſerit, "quem & nos, Deum Patrem Creatorem? "Nunquid eundem unum Filium Chriſtum, "de Maria Virgine natum, qui Sermo caro "factus eſt, &c. Longè alia eſt apud Marcionem, ſed & apud cæteros fides; imò "nihil eſt apud ipſos niſi perfidia & blaſphemia & contentio, ſanctitatis & veritatis "inimica."

Adv. Prax. c. 7.

Def. Fid. Nic. Sect. 3.

De Trin. l. 1. c. 5. §. 7.

Ita ſane & nos redarguamus Epiſcopium alioſque, qui nos volunt Arianos & Sociniſtas pro fratribus habere, propterea ſcilicet quòd commune Eccleſiæ Symbolum recipiant, fidemque in Chriſtum Filium Dei unigenitum nobiſcum profiteantur. Nunquid enim iſti in eundem Filium Dei unigenitum credunt, in quem & nos Catholici hodie credimus, & Catholica Chriſti Eccleſia ſemper olim credidit? Certè longè alia eſt iſtorum fides, imò nihil eſt apud ipſos niſi perfidia. Credit Eccleſia, crediditque ſemper, in Filium Dei unigenitum, qui nempe ante omnia ſæcula ex ipſo Deo Patre genitus fuerit, adeoque Deus ipſe ſit, qualem Dei Filium neutra iſta hæreſis ſincerè confitetur. Arianis ſcilicet (ſi ipſorum dogmati mangonium demas) Filius Dei unigenitus eſt revera creatura ex nihilo facta, licèt omnibus creaturis excellentior, atq; ante ipſas producta. Sociniſtis eſt nudus homo, qui ante nativitatem ex Virgine non extiterit. Utrique igitur dum fidem Eccleſiæ de Filio Dei unigenito verbô tenus profitentur, hæreſin prorſus & blaſphemiam ſentiunt, atque in animo concipiunt. Porro ex iis quæ de Symbolo Apoſtolorum dicto tam prolixè diſſeruimus, perſpicere licet Catechiſtæ Racoviani vanitatem & ſtultitiam, ſeu mavis ſummam impudentiam, gloriantis, ſe ſuoſque de Chriſti perſona, *id ſolum credere, quòd naturâ ſit homo verus, qualem eſſe teſtatur Fidei Symbolum, quod vulgò Apoſtolicum vocant, quod ſecum univerſi Chriſtiani amplectuntur.*

Cat. Rac. de cognit. Chr. ſti c. 1.

CAP.

CAP. VI.

De Symbolo veteri Orientali.

§. 1. AD quartam ac poſtremam Theſin noſtram tandem accedimus, quæ eſt hujuſmodi :

In Symbolo ſive regula fidei, quæ ante Synodum Nicænam in Orientis Eccleſiis antiquiſſimis obtinuit, modus iſte ſpecialis Filiationis Ieſu Chriſti, quô nempe in potiori ſua natura ante omnia ſæcula extitit, ex ipſo Deo Patre genitus, adeoque Deus, diſertis verbis traditus ac declaratus fuit.

§. 2. Non eſt dubitandum quin Eccleſiæ Orientales ante Synodum Nicænam Symbolum ſuum habuerint, ſeu mavis Symbola ſua ; Symbola volo latiora atque explicatiora primô illo atque antiquiſſimô Symbolô, quod Epiſcopius commemorat, his tantummodo verbis conceptô : *Credo in Deum Patrem, Filium, & Spiritum S.* Namque Romanæ cæteriſque Eccleſiis Occidentalibus ante Concilium Nicænum ſuum fuiſſe Symbolum, ſimplici illa Trinitatis confeſſione majus, non modò ex Ruffino & Auguſtino, verùm etiam ex Tertulliano & Cypriano, tertii ſæculi Scriptoribus, ſatis perſpicuum eſt. Ac de Romana quidem Eccleſia, quam ſecutæ ſunt fere cæteræ Occidentales, expreſſa ſunt verba, à Voſſio citata, Vigilii Lib. 4. de Eutyche, ubi ſic ſcribit : " Uni- " verſitas profitetur, credere ſe in Deum " Patrem omnipotentem, & in Ieſum Chri- " ſtum Filium ejus, Dominum noſtrum. " Huic capitulo ob id iſte calumniatur : " Cur non dixit, in unum Ieſum Chriſtum " Filium ejus, juxta Nicæni decretum " Concilii ? Sed Romæ, & antequam Syno- " dus Nicæna conveniret, à temporibus " Apoſtolorum uſque ad nunc, & ſub bea- " tæ memoriæ Cœleſtino, cui iſte rectæ " fidei teſtimonium reddidit, ita fidelibus " Symbolum tradidit : nec præjudicant " verba, ubi ſenſus incolumis permanet. " Quod ſi verò ante Concilium Nicænum tale Symbolum habuere Romana & Occidentis Eccleſiæ, quid nî & Orientales pariter ? Imò hiſce Eccleſiis multò magis neceſſarium fuit ejuſmodi Symbolum, quàm Eccleſiæ Romanæ, ob cauſam quam ſuprà ex Rufino attuli ; quòd ſcilicet illæ in primis ſæculis miſerè fuerint vexatæ ab Hæreticis, qui Romanæ Eccleſiæ nullam moleſtiam creârunt. Quin etiam Græci Scriptores Ante-Nicæni τὸν κανόνα τῆς πίστεως, *Canonem* ſive *Regulam fidei* paſſim in Scriptis ſuis commemorant. Irenæus verò Aſianus, & Græcis Scriptoribus procul dubiô annumerandus, Regulam illam fusè tradit lib. 1. cap. 2. ut ſuprà oſtenſum eſt. Euſebius item Cæſarienſis in Synodo Nicæna, priuſquam Patres Symbolum ſuum condidiſſent, confeſſionem Fidei latiorem, quam adhuc Catechumenus edoctus & in ſacro lavacro profeſſus fuerat, recitavit, ut ipſe teſtatur in Epiſtola ad Cæſarienſes, apud Socratem Hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 8.

§. 3. Porro ſtatuendum omnino eſt, Orientis Eccleſias poſt editum Symbolum Nicænum, antiqua ſua Symbola neutiquam abjeciſſe. Videmus enim Romanam Eccleſiam poſt Synodum Nicænam vetus ſuum Symbolum adhuc retinuiſſe. Quis verò dubitet, quin idem fecerint Orientis Eccleſiæ ? Scilicet decreta Concilii Nicæni, utpote Oecumenici, ad omnes Chriſti Eccleſias ex æquo pertinebant ; ut hac in re Eccleſiarum Orientis & Occidentalium par fuerit ratio. Verùm Nicæni Patres nunquam, ut opinor, in animo habuere, vel Symbolum planè novum condere, vel Symbolum vetus Orientale integrum cum additamento aliquo ſuo tradere ; ſed tantùm articuli veteris Symboli de Filio Dei verum atque inde ab initio receptum in Eccleſia ſenſum contra Arianos adſtruere. Præmittunt quidem Confeſſioni ſuæ de Filio Dei articulum, (quanquam neque ipſum integrum) veteris Symboli de Deo Patre, eidemque ſubjungunt aliquid de fide in Spiritum S. Verùm id fecerunt, quòd exiſtimarent, Fidem de Filio Dei haud ſatis commodè aut decenter explicari potuiſſe ſine fidei profeſſione etiam in Deum Patrem & Spiritum S. Hinc poſt nudam mentionem de Spiritu Sancto factam, ad articulum de Filio, cui aſſerendo imprimis intenti erant, continuò redeunt, Anathema iis denuntiantes,

tes, qui veram atque æternam ejus Divinitatem negarent : τὸς ϑ̓ λέγοντας, ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν. κ. λ. Cæterum poſt verba illa Confeſſionis Nicænæ, *& in Spiritum S.* plura deeſſe, quæ poſita fuere in regula fidei primis Eccleſiis per Orientem receptâ, infrà fortiſſimis argumentis demonſtrabo. Interea illud certum eſt, minimè voluiſſe Patres Nicænos, ut Symbolum ſuum deinceps in adminiſtratione Baptiſmi obtineret (etenim huic fini vel ipſe ἀναθεματισμὸς, quô clauditur, prorſus repugnat) ſed in uſum iſtum ſingulis Eccleſiis priora ſua Symbola reliquiſſe. Certè ſi illud voluit ſancta Synodus, Romana & Occidentales Eccleſiæ, quarum Antiſtites illius magna pars fuere, ipſius vel mentem minùs aſſecutæ ſunt, vel authoritatem contempſerunt ; quod nemini ſano in mentem venire poteſt. Nam Rufinus in præfatione ad ſuam Symboli Aquilejenſis expoſitionem diſertè teſtatur, jam ſua ætate " Romæ morem antiquum ſervatum " fuiſſe, ut qui gratiam Baptiſmi ſuſcepturi eſſent, publicè, id eſt, fidelium populo audienti, Symbolum redderent, " nempe vetus Romanum, de quo in præcedentibus locutus fuerat. Et mox ait, ſe vetus Symbolum Aquilejenſis Eccleſiæ (quod in quibuſdam à Romano diverſum fuit) *per Baptiſmi gratiam ſuſcepiſſe*, hoc eſt, cum ad Baptiſmum accederet, fidem iſtius Symboli profeſſum fuiſſe.

§. 4. His præmiſſis, Theſis noſtræ probationem aggredior. Omnium Eccleſiarum antiquiſſimæ erant Eccleſiæ Palæſtinæ ; interque eas prima & antiquiſſima Eccleſia Hieroſolymitana, utpote à qua Evangelii doctrina primùm profecta, deinde ad alias Orbis regiones derivata ac propagata fuit : unde ἡ μητὴρ ἁπασῶν τ̃ ἐκκλησιῶν, *mater omnium Eccleſiarum*, à Patribus Conſtantinopolitanis appellatur in Synodica ſua Epiſtola, apud Theodoritum Hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 9. Et quanquam Eccleſia illa à prima, ut videtur, Metropolitarum inſtitutione fere uſque ad Concilium Chalcedonenſe, Cæſareæ ut Metropoli ſubjiceretur, ſemper tamen ob cauſam, quam dixi, ſingulari in honore ab omnibus aliis Eccleſiis habita fuit. Cujuſmodi autem fuerit vetus Symbolum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, quidque de perſona Ieſu Chriſti Domini noſtri credendum tradiderit, à nemine certiùs, quam à Cyrillo, qui circiter ann. Chriſti 350 ejus Eccleſiæ Epiſcopus creatus fuit, cognoſci poterit. Is autem dum adhuc Catechetes fuit, in Catecheſibus ſuis 6 & ſeqq. Competentibus Symbolum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ per partes explicavit, quæ omnes conjunctæ hanc confeſſionem conſtituunt :

ΠΙΣΤΕΥΩ εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, ποιητὴν ὐρανῦ κ̀ γ̃ς, ὁρατῶν τε πάντων κ̀ ἀοράτων· κ̀ εἰς ἕνα κύριον Ἰησῦν Χριστὸν, τ̀ υἱὸν τ̃ Θεῦ μονογενῆ, τ̀ ἐκ τ̃ πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, Θεὸν ἀληθινὸν, δι' ὗ τὰ πάντα ἐγένετο· σαρκωθέντα κ̀ ἐνανθρωπήσαντα, σταυρωθέντα κ̀ ταφέντα· κ̀ ἀναστάντα ἐκ νεκρῶν τ̃ τρίτ ἡμέρᾳ, κ̀ ἀνελθόντα εἰς τὸς ὐρανὸς, κ̀ καθίσαντα ἐκ δεξιῶν τ̃ πατρός· κ̀ ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας κ̀ νεκρούς, ὗ τ̀ βασιλείας οὐκ ἔσαι τέλος· κ̀ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα τὸ παράκλητον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν· εἰς ἓν βάπτισμα μετανόιας, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· κ̀ εἰς μίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν· καὶ εἰς σαρκὸς ἀνάστασιν· καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον. i. e. " Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & " terræ, viſibilium omnium & inviſibilium : et in unum Dominum Ieſum " Chriſtum, Filium Dei unigenitum, ex " Patre genitum ante omnia ſæcula, Deum verum, per quem omnia facta ſunt : " Incarnatum atque hominem factum, " crucifixum & ſepultum ; & tertiâ die reſurgentem à mortuis, & aſcendentem in " cœlos, & ſedentem ad dextram Patris ; " et qui venturus eſt judicare vivos & " mortuos, cujus Regni non erit finis : et " in Spiritum S. Paracletum, qui locutus " eſt per Prophetas : et in unum Baptiſmum pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum ; & in unam Eccleſiam Catholicam ; & in carnis reſurrectionem ; & " in vitam æternam.

§. 5. Hoc Symbolum non ipſum eſſe Nicænum, & Conſtantinopolitani quoque Symboli additionibus de Spiritu S. carere, palam eſt. Quod poſterius nemini mirum videri poteſt, qui meminerit, Catecheſes Cyrilli, in quibus Symbolum illud recitatur, multis annis ante habitam Synodum Conſtantinopolitanam (quæ demum anno Chriſti 381 celebrata eſt) conſcriptas fuiſſe. Reſtat igitur, ut ſit revera vetus Symbolum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ. Quod vel inde etiam liquidò conſtat, quòd Cyrillus ipſum ex profeſſo exponat Competentibus, ſive ad Baptiſmum venientibus ; in Baptiſmi autem adminiſtratione, Eccleſiæ tam Orientis quàm Occidentales antiqua ſua Symbola, etiam poſt Synodum Nicænam, retinuere, ut ſuprà oſtenſum eſt. Jam in hoc Symbolo Divinam Filii ex Deo Patre ante omnia ſæcula generationem expreſſiſſimis verbis declarari, nemo eſt qui non videat, nempe in verbis

bis illis: *Filium Dei unigenitum, ex Patre genitum ante omnia ſæcula, Deum verum, per quem omnia facta ſunt.* Atque hoc Symbolum Hieroſolymitanum, nullus dubito, quin Euſebius, (utpote Palæſtinâ oriundus, & Cæſareæ demum in Palæſtina Epiſcopus) reſpexerit, cum in Concilio Nicæno fidei confeſſionem, quam & in Catecheſi, & in ſacro lavacro acceperat, deſcribens, articulum de Filio Dei ita tradit: πῆ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, υἱὸν μονογενῆ, πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ἐκ τοῦ Θεοῦ πατρὸς γεγεννημένον, δι' οὗ πῆ ἐγένετο τὰ πάντα. i. e. " Et in unum " Dominum Jeſum Chriſtum, Deum de Deo, " Filium unigenitum, ante omnia ſæcula ex " Deo Patre genitum, per quem etiam o- " mnia facta ſunt." Hîc enim habemus ipſiſſima verba Symboli Hieroſolymitani, niſi quòd pro ἀληθινὸν Θεὸν, *verum Deum*, Euſebius ſubſtituerit, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, *Deum de Deo.* Scilicet homo catus hîc, ut ubique fere aliàs, Sabellianis occurrendum cenſuit, veram Filii Divinitatem ita adſerendo, ut interim Deo Patri ſua prærogativa, quâ nempe ipſe ſolus αὐτόθεος eſt, h. e. à ſeipſo Deus, ſarta tecta conſervetur, eâque prærogativâ Pater à Filio diſtinguatur. Atque in hoc ipſi conſenſerunt Patres Nicæni, adeoque in confeſſione ſua de Filio Dei, ipſa verba Θεὸν ἐκ Θεοῦ, *Deum de Deo* repoſuerunt, addentes tamen, juxta vetus Symbolum, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, *Deum verum de Deo vero*; idemq; porro pleniùs explicantes, dum Filium Dei mox dicunt ὁμοούσιον τῷ πατρὶ, *Patri coeſſentialem*, hoc eſt, non creatæ alicujus aut mutabilis eſſentiæ, ſed ejuſdem prorſus cum Deo Patre naturæ verè divinæ & incommutabilis: quæ etiam ſemper fuit Euſebii ſententia. *

Vid. Def. Fid. Nic. Sect. 4. c. 1.

§. 6. Sunt quidem Viri eruditi, qui contendunt, Catecheſes iſtas non eſſe Cyrilli, ſed Joannis cujuſdam, ejus in ſede Hieroſolymitana ſive anteceſſoris, ſive ſucceſſoris. Quod ſi verum eſſe concederetur, nobis non multùm officeret. Sive enim Cyrillus, ſive Joannes quidam Hieroſolymitanus Catecheſes iſtas ſcripſerit, certum tamen adhuc eſt, Symbolum in ipſis deſcriptum, eſſe revera Symbolum in Eccleſia Hieroſolymitana Competentibus explicari ſolitum, ac proinde in eadem Eccleſia antiquitus receptum. Verùm Catecheſes illas revera Cyrilli eſſe, adverſus hypercriticos iſtos Cenſores ſatis manifeſtum fecit Voſſius de tribus Symbolis Diſſ. 1. Theſ. 51. Certè Hieronymus, Cyrilli σύγχρονος, Catecheſes iſtas Cyrillo diſertè tribuit, eaſdemque ab ipſo jam adoleſcente conſcriptas fuiſſe teſtatur in Catalogo de Scrip. Eccl. Et Theodoretus locum ex ipſis, tanquam Cyrilli, citat, ut alios recentiores taceam. Idem tamen Voſſius ibidem ait, " quiddam eſſe, quod ſcrupulum injicere " videatur, ab aliis intactum; nempe quòd " in hoc Symbolo quædam reperiuntur, " quæ videantur eſſe ex Symbolo Conſtan- " tinopolitano; ut ea quæ ſubjiciuntur poſt " illa, *& in Spiritum Sanctum*, nempe Pa- " racletum, qui locutus eſt per Prophetas; " in unum Baptiſmum pœnitentiæ, &c. " Quippe ſenſit Vir doctus, iſta non fuiſſe in Symbolo Orientis ante Synodum Conſtantinopolitanam, ut ita ſentiat, hôc argumentô inductus (ut ipſe nos docet) quòd Patres Nicæni Symbolum ſuum claudant his verbis: *& in Spiritum Sanctum.* Verùm quàm nullius momenti ſit hæc ratio (quanquam etiam magnum Eraſmum habeat auctorem) ex iis quæ jam in hujus Capitis initio diximus, ſatis liquet, & ex iſtis porro, quæ infrà dicenda ſunt, clariùs adhuc liquebit. Interea quæ in Symbolo Hieroſolymitano ſubjiciuntur poſt iſta, *in Spiritum Sanctum*, ex Symbolo Conſtantinopolitano minimè deſumpta, ſed in antiquiſſimis Orientis Symbolis, diu ante Synodum Conſtantinopolitanam, adeoque Nicænam, poſita fuiſſe, validiſſimis argumentis confirmabo.

§. 7. 1ò. Certum eſt, Symbola, quæ ante Concilium Conſtantinopolitanum, adeoque Nicænum, Eccleſiæ Occidentis uſurpârunt, minimè deſiiſſe in verba illa, *& in Spiritum Sanctum*; ſed & alia in ipſis Fidei capita ſubjecta fuiſſe. Quis verò qui ea, quæ ſuprà obſervavimus de origine omnium fere hæreſium in Oriente, expenderit, facilè credat, Symbola Occidentalia Orientalibus fuiſſe auctiora? Fuiſſe autem aliqua Chriſtianæ doctrinæ capita in Symbolis antiquis Occidentalium Eccleſiarum, articulo de Spiritu Sancto ſubjuncta, probatu facile eſt. Nam Cyprianus in Epiſtola ad Magnum, de Symbolo, in quod ſuo tempore juxtà cum Catholicis baptizabant Novatiani, agens, hæc habet: " Cum dicunt, Credis remiſſionem pec- *Ep. l. 1.* " catorum & vitam æternam per ſanctam *Ep. 6.* " Eccleſiam? mentiuntur in interrogatione, *Vide & Ep. l. 1. Ep. 12.* " cum Eccleſiam non habent." Ubi tres habes articulos, nempe de Eccleſia, de remiſ- *Edit. Eraſmi.* ſione peccatorum, & de vita æterna, in veteri Symbolo Africano expreſſos. Porrò articulum de Eccleſia in fidei confeſſione, à Baptizando neceſſariò faciendâ, diſertè ponit Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 6. *Cum autem ſub tribus* (nempe Divinis perſonis, Deo Patre, Filio, & Spiritu S.) *& teſtatio Fidei & ſponſio ſalutis pignerentur, neceſſariò adji-*

citur Eccleſiæ *mentio.* Quò pertinet etiam, quod de Chriſto, in ſua perſona non baptizante, dicit Tertullianus ejuſdem libri cap. 11. " In quem enim tingueret? in pœniten-
" tiam? quò ergo illi præcurſorem? in pec-
" catorum remiſſionem, quam verbô dabat?
" in ſemet-ipſum, quem humilitate celabat?
" in Spiritum S. qui nondum à Patre deſcen-
" derat? In *Eccleſiam*, quam nondum Apo-
" ſtoli ſtruxerant?" Ubi etiam Articulus de *remiſſione peccatorum* indicatur. Quod ob Eraſmum noto, qui articulum iſtum contra Novatum fuiſſe additum cenſuit. * Sed Novatus iſte Tertulliani ætate nondum hanc lucem aſpexerat; quippe qui Novatiani σύγχεσιν atque in promovendo ejus Schiſmate σωεργὸς fuerit, adeoque Cypriani demum ætate Eccleſiam turbârit; unde factum fuit, ut à quibuſdam, Græcis præſertim, Novatus & Novatianus pro eodem Hæreſiarcha ſumerentur, † contrarium licet teſtante Cyprianô, qui in Epiſtolæ octavæ ad Cornelium initiô ſic de ipſis ſcribit: " Et cum diligen-
" tia & dilectione feciſti, frater chariſſime,
" feſtinatò ad nos mittendo Nicephorum A-
" coluthum, qui nobis & Confeſſoribus re-
" greſſis glorioſam lætitiam nuntiaret, & ad-
" verſus Novatiani & Novati novas & per-
" nicioſas ad impugnandam Chriſti Eccleſi-
" am machinas pleniſſimè inſtrueret." Præterea Novatiani in eandem Fidei regulam cum Catholicis baptizabant, quin & ipſi profeſſionem articuli de remiſſione peccatorum à ſuis ſectatoribus exigebant, quod ex Cypriani Epiſtola ad Magnum ſuperiùs laudatâ manifeſtum fit. Scilicet non ſimpliciter negabat vel Novatus, vel Novatianus, remiſſionem peccatorum, ſed adſerebat uterque, remiſſionem iſtam ad peccata quædam graviſſima (cujuſmodi fuit peccatum eorum, qui ſacrificiô vel libellô erant maculati) poſt Baptiſmum commiſſa, non pertingere, vel ſaltem iſtiuſmodi peccata in foro Eccleſiæ minimè remittenda eſſe ‖. Verum iſtud obiter; pergo.

‖ *Vid. Socrat. H. Eccl. l.* 1. *c.* 10.

§. 8. 2°. In Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 7. cap. 42. Confeſſio fidei traditur, ſive Symbolum à baptizandis recitandum; in quo poſt fidei profeſſionem *in Deum Patrem ingenitum, & in Filium ejus unigenitum, ante ſæcula genitum, genitum, non factum*, hæc ſequuntur: βαπτίζομαι καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, τοῦτ' ἔστι τὸ παράκλητον, τὸ ἐνεργῆσαν ἐν πᾶσιν τοῖς ἀπ' αἰῶνος ἁγίοις, ὕστερον δὲ ἀποσταλὲν καὶ τοῖς ἀποστόλοις κατὰ τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ μετὰ τοὺς ἀποστόλους δὲ πᾶσι τοῖς πιστεύουσιν ἐν τῇ ἁγίᾳ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, εἰς σαρκὸς ἀνάστασιν, καὶ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ εἰς βασιλείαν οὐρανῶν, καὶ εἰς ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος· i.e. " Baptizor etiam in Spiritum Sanctum, id
" eſt, Paracletum, qui operatus eſt in ſanctis
" omnibus à ſæculo condito, poſtea verò
" miſſus eſt Apoſtolis, ſecundum promiſſio-
" nem Servatoris noſtri Domini Jeſu Chriſti,
" & poſt Apoſtolos omnibus qui credunt in
" Sancta & Catholica Eccleſia; in carnis re-
" ſurrectionem, & in remiſſionem peccato-
" rum, & in Regnum cœlorum, & in Vitam
" futuri ſæculi." Hîc habemus fere omnia quæ in Hieroſolymitano Symbolo poſt verba, *& in Spiritum Sanctum*, ſequuntur; cum hoc diſcrimine, quòd verba illa, *qui locutus eſt per Prophetas*, Auctor ita exponat: *qui operatus eſt in Sanctis omnibus à ſæculo condito*; & reliquos articulos tranſponat. Deſunt tantùm verba illa, *Et in unum Baptiſmum pœnitentiæ*, de quibus infrà dicemus. De Conſtitutionibus autem, quæ Apoſtolicæ vocantur, eminentiſſimus Cardinalis Joannes Bona ſuam cum aliis Viris eruditiſſimis conſpirantem ſententiam ita tradit ‖: " Quicquid ſit de
" Auctore harum Conſtitutionum, certum
" tamen apud omnes atque exploratum
" nunc eſt, quòd Conciliô Nicænô antiqui-
" ores ſint, & in his contineatur diſciplina,
" quâ Orientalis Eccleſia ante magnum Con-
" ſtantinum regebatur, ut Vir eruditiſſimus
" Joannes Morinus docet part. 2. de Sacr.
" Ordin. p. 20. Cui adſtipulatur Joannes
" Fronto in prænotatis ad Kalendarium Ro-
" manum §. 5." Cæterum ad Symbolum quod attinet in Conſtitutionibus iſtis traditum, illud quidem libri Auctor (ſeu potiùs Interpolator) à capite ad calcem ἀδεφεσιχῶς, pro more ſuo, reddit; manifeſtum tamen eſt, Symbolum, quod Auctor reſpexit, neque Nicænum, neque Conſtantinopolitanum fuiſſe, (utriuſque ſcilicet caret additamentis, alterius adverſus Arium, adverſus Macedonium alterius) cum Hieroſolymitana verò Confeſſione planè convenire.

‖ *Rerum Liturgic. lib.* 1. *c.* 2. §. 4.

§. 9. 3°. Tertium argumentum peti poteſt à Confeſſione Fidei, quam Arius & Euzoius ſuo ſuorumq; nomine Conſtantino obtulerunt, quâque voluerunt Imperatori perſuadere

---

* *In Reſp. ad Cenſur. Theol. Pariſ. Tit.* XI.

† *Vide Valeſii Annot. ad Euſ. Hiſt. Eccl. l.* 6. *c.* 45. *p.* 247.

ſuadere, ſe in omnibus credidiſſe, ὡς πᾶσα καθολικὴ ἐκκλησία, ἡ αἱ γραφαὶ διδάσκουσιν, i.e. *Ut omnis Eccleſia Catholica & Scripturæ docent.* || In Confeſſione autem illa poſt articulum de Spiritu S. hæc ſequuntur: καὶ εἰς σαρκὸς ἀνάστασιν, καὶ εἰς ζωὴν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, καὶ εἰς βασιλείαν οὐρανῶν, καὶ εἰς μίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ. i. e. *Et in carnis reſurrectionem, & in vitam futuri ſæculi, & in Regnum cœlorum, & in unam Catholicam Eccleſiam Dei.* Hìc ex quatuor articulis in Hieroſolymitano Symbolo poſt articulum de Spiritu S. poſitis, tres habes, quanquam diverſo ordine collocatos. Cum autem ſcripta fuerit hæc Fidei Confeſſio multis annis ante Synodum Conſtantinopolitanam, fieri non potuit, ut Hæretici ad exemplar Symboli in illa Synodo traditi articulos iſtos recitaverint. Reſtat igitur ut reſpexerint vetus Orientis Symbolum, in quo iidem articuli poſiti fuerunt. Itidem in Symbolo Synodi Orientalium apud Serdicam Epiſcoporum, à parte Arianorum, in Hilarii fragmentis deſcripto, poſt fidei profeſſionem in Deum Patrem & Filium & Spiritum S. *Paracletum*, &c. hæc ſubjiciuntur: *Credimus & in ſanctam Eccleſiam, in remiſſionem peccatorum, in carnis reſurrectionem, in vitam æternam.* Ubi habes etiam articulum de *remiſſione peccatorum*, in priore Confeſſione omiſſum.

|| *Apud Socrat. Hiſt. Eccl. lib. 1. c. 26.*

§. 10. 4°. His ſatis perſpicuis argumentis hanc porro luculentiſſimam rationem adjicio. Quæ ſequuntur in Symbolo Hieroſolymitano poſt verba, *& in Spiritum Sanctum*, Hæreſes quaſdam manifeſtè feriunt, quæ maximè ſecundô ſæculô Eccleſiam Chriſti, præſertim in Oriente, turbârunt; quæque tempore Synodi Conſtantinopolitanæ & multò antè conſopitæ fuerunt: abſurdum eſt igitur ſtatuere, iſta tunc temporis Orientali Smybolo addita fuiſſe. Hæreſes volo Simonis, Menandri, Cerinthi & aliorum, qui Gnoſticorum nomine comprehendi ſolent; quas Gregorius Nazianzenus, qui tempore Concilii Conſtantinopolitani & ante ipſum floruit, jam ſua ætate pridem evanuiſſe teſtatur ||. Reſtat igitur ut evincam, quæ ſequuntur in Symbolo Hieroſolymitano poſt mentionem Spiritus Sancti, adverſus deliramenta, ſeu portenta potiùs, Gnoſticorum directa fuiſſe. Qua in re explicanda ſi prolixior fuero, Lectori illud φιλαρχαίῳ neque inutile, neque ingratum fore auguror.

|| *Orat. 23. Edit. Par. 1630.*

§. 11. Initium faciam à verbis ἀμέσως ſequentibus, τὸ παράκλητον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν, *Paracletum, qui locutus eſt per Prophetas.* Vox παράκλητος eſt quidem in ipſis Scripturis nota Spiritus S. appellatio, eaque latiſſimæ ſignificationis: ſignat enim & *Doctorem*, & *Conſolatorem*, & *Advocatum.* Epitheton quidem illud Spiritui S. attributum, in Conſtantinopolitano Symbolo omnino non habetur; cujus omiſſionis rationem paulò inferiùs explicabo: ſed in Clementino Symbolo, ut etiam in Serdicenſi Arianorum reperitur, ut ſuprà oſtenſum eſt. Additam verò fuiſſe vocem iſtam adverſus Gnoſticos, planè veroſimile eſt. Quippe ex Hæreticis illis plerique Paracletum & Spiritum S. duos eſſe Æonas diverſos docuerunt. Vide omnino Tertull. lib. adv. Valentin. Edit. Pamelii cap. 8. n. 23. coll. cap. 11. n. 123. & Schema à Pamelio libro iſti præfixum *. Verùm, ut iſtis non inſiſtam, ſequentia verba, *qui locutus eſt per Prophetas*, manifeſtiſſimè in hæreſin Gnoſticorum directa ſunt. Illi enim fere omnes docuerunt, alium eſſe Deum mundi hujus aſpectabilis Conditorem, à Lege & Prophetis prædicatum; alium, qui in Evangelio manifeſtatur, Deum; & veteres quidem Prophetas non à Spiritu S. ſed à virtute aliqua proveniente à mundano illo Deo, (quem & malum quidam ex ipſis auſi ſunt apertè dicere) inſpiratos fuiſſe; proinde Scripta ipſorum ſuſq; deq; habenda, imò prorſus rejicienda eſſe. Hanc hæreſin procul dubiô reſpexit Ignatius, cum in Epiſtola ad Philadelphicos ita ipſos admonet: || τοὺς προφήτας δὲ ἀγαπῶμεν, διὰ τὸ καὶ αὐτοὺς εἰς τὸ εὐαγγέλιον κατηγγελκέναι. i. e. *Prophetas verò diligamus, eò quòd ipſi etiam in Evangelium annuntiarunt.* Ita mentem Ignatii rectè accepit ejus Interpolator, ad locum hæc ſubjiciens: οἱ προφῆται καὶ οἱ ἀπόστολοι ἓν καὶ τὸ αὐτὸ ἅγιον πνεῦμα, ἀγαθὸν καὶ ἡγεμονικόν, ἀληθές τε καὶ διδασκαλικὸν ἔλαβον παρὰ Θεοῦ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, οὗτος πνεῦμα. εἷς γὰρ ὁ Θεὸς παλαιᾶς καὶ καινῆς διαθήκης· εἷς ὁ μεσίτης Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, εἰς τε δημιουργίαν νοητῶν καὶ αἰσθητῶν, καὶ προόνοιαν προόσφορον καὶ καταλλήλων· εἷς ᾧ καὶ ὁ παράκλητος ὁ ἐνεργήσας ἐν Μωσεῖ, καὶ προφήταις, καὶ ἀποστόλοις. i. e. " Prophetæ & Apoſtoli unum & eun-
" dem Spiritum Sanctum, bonum, princi-
" palem, verum & doctorium acceperunt à
" Deo per Jeſum Chriſtum, Spiritum rectum.
" Unus enim eſt Deus veteris & Novi Te-
" ſtamenti: Unus Mediator Dei & homi-
" num, ad opificium intelligibilis & ſenſibi-
" lis creaturæ, & ad providentiam utilem
" rebuſque

|| *Pag. 41. Edit. Voſ.*

* *Confer ipſum Irenæum noſtræ Edit. pag. 8. lin. 28. coll. cum pag. 13. lin. 13.*

" rebusque accommodam: & unus Paracle-
" tus, qui operatus est in Mose, & Pro-
" phetis, & Apostolis." Et paulo pòst: ἐάν τις ὁμολογῇ Χριστὸν Ἰησοῦν κύριον, ἀρνῆται δὲ τὸν Θεὸν τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν, οὐκ εἰλικρινὴς λέγων τὸν οὐρανὸν καὶ γῆς ποιητὴν, πατέρα τοῦ Χριστοῦ ὁ τοιοῦτος ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐκ ἔστηκεν, ὡς καὶ ὁ πατὴρ αὐτὸς ὁ Διάβολος· καὶ ἔστιν ὁ τοιοῦτος Σίμωνος τοῦ μάγου, ἀλλ' οὐ τοῦ ἁγίου πνεύματος μαθητής. i. e. " Si quis confiteatur Christum
" Jesum Dominum, neget autem Deum Le-
" gis & Prophetarum, dicens Patrem Chri-
" sti non esse opificem cœli & terræ, hic
" in veritate non stetit, sicut nec pater ejus
" Diabolus; & talis est sectator Simonis
" Magi, non autem Spiritûs Sancti disci-
" pulus." Similia passim legas apud Irenæum, Tertullianum, aliosque Veterum.

§. 12. Adversus istam Gnosticorum blasphemiam, verba illa, *qui locutus est per Prophetas*, aut iis ἰσοδυναμοῦντα, etiam in antiquissimis Orientis Symbolis posita fuisse, mihi compertissimum est. Namque Irenæus, regulam Fidei jam suo tempore receptam tradens lib. 1. cap. 2. ad articulum de Spiritu S. & hæc habet: τὸ Διὰ τῶν προφητῶν κεκηρυχὸς τὰς οἰκονομίας τοῦ Θεοῦ· *Qui per Prophetas dispensationes Dei prædicavit.* Itidem in compendio veteris Symboli à Damasceno Græcè citato, quod tradit Irenæus lib. 4. c. 62. quodque superiùs integrum descripsimus, fides in Spiritum Sanctum ita exponitur: καὶ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ Θεῖον, τὸ τὰς οἰκονομίας κατὰ τὰ καὶ ἕκαστα γενεὰν ἐν τοῖς ἀνθρώποις, καθὰς βούλεται ὁ πατὴρ, γνῶσις ἀληθής. i. e. " Et in
" Spiritum S. qui dispensationes & Patris
" & Filii, singulis ætatibus, prout vult Pa-
" ter, hominibus manifestavit, vera co-
" nitio." Similiter Athenagoras, Irenæô paulò antiquior, in Legatione pro Christianis, confessionem edens Christianorum omnium, de trinuno Deo, fidem Catholicam de Spiritu S. ita refert: καὶ αὐτὸ τὸ ἐνεργοῦν τοῖς ἐκφωνοῦσι προφητικῶς ἅγιον πνεῦμα, ἀπόῤῥοιαν εἶναι φαμὲν τοῦ Θεοῦ. i. e. *Et ipsum Spiritum S.* agentem in illis qui Propheticos sermones fundunt, *Dei emanationem esse dicimus.* Dixerat ibidem paulò antè: συνᾴδει δὲ τῷ λόγῳ καὶ τὸ προφητικὸν πνεῦμα, *Orationi nostræ etiam* Propheticus Spiritus *assentitur.* Quin & ante hos Justinus fidem itidem Christianorum de augustissima Triade ad Imperatorem Romanum exponens, tertiam personam ad eundem modum describit, Apol. 2. ἀλλ' ἐκεῖνόν τε καὶ τὸν παρ' αὐτοῦ υἱὸν ἐλθόντα, πνεῦμά τε τὸ προφητικὸν σεβόμεθα καὶ προσκυνοῦμεν, λόγῳ καὶ ἀληθείᾳ τιμῶντες. i. e. *Verùm & hunc ipsum* (*Deum Patrem* scilicet) *& qui ab eo venit, Filium, & Spiritum* Propheticum *colimus & adoramus, cum ratione & veritate venerantes.* Cui geminum est, quod postea in eadem Apologia habetur: πνεῦμά τε προφητικὸν ἐν τρίτῃ τάξει μετὰ λόγου τιμῶμεν. *Ac* Spiritum Propheticum *tertiô ordine cum ratione veneramur.* In eadem rursus Apologia de veteris Testamenti Prophetis locutus, subjungit: διὰ ὧν τὸ προφητικὸν πνεῦμα προεκήρυξε τὰ γενήσεσθαι μέλλοντα, πρὸν ἢ γενέσθαι, *Per quos Spiritus Propheticus, quæ futura erant, antequam fierent, prænuntiavit.* Proximè verò ad verba Symboli Hierosolymitani accedunt, quæ in eadem adhuc Apologia sequuntur: ubi de fide rursus agens, ac confessione Sacrosanctæ Trinitatis, in quam Christiani suæ ætatis baptizabantur, ea quæ ad tertiam Personam pertinent, his verbis exprimit: καὶ ἐπ' ὀνόματος πνεύματος ἁγίου, ὃ Διὰ τῶν προφητῶν προεκήρυξε τὰ κατὰ τὸν Ἰησοῦν πάντα, ὁ φωτιζόμενος λέγεται. i. e. *Et in nomine Spiritus Sancti*, qui per Prophetas prænuntiavit res Christi omnes, *abluitur is qui illuminatur.* Sane parum judicii, vel certè candoris, ei tribuendum est, quisquis hæc tot ac tam aperta testimonia perpendens, negaverit, in antiquissimo Orientis Symbolo verba, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν, aut iis æquipollentia, in descriptione Spiritûs Sancti posita fuisse. Sæpe quidem olim miratus sum, quòd Patres Constantinopolitani in Symbolo suo, post verba illa de Spiritu S. τὸ κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν πατρὶ καὶ υἱῷ προσκυνούμενον, καὶ συνδοξαζόμενον, addiderint, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν. Scilicet post tam magnifica Spiritui Sancto tributa, quòd sit *Dominus, vivificus, ex Patre procedens, unà cum Patre & Filio adoratus & conglorificatus*, frigida mihi videbatur adjectio illa, *qui locutus est per Prophetas.* Verùm postquam intellexi, vetus Symbolum Orientale habuisse τὸ παράκλητον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν; ita mecum statui, sanctam Synodum loco τοῦ, τὸ παράκλητον, substituisse magnifica ista, quò veram Spiritus S. Divinitatem adversus Macedonium clariùs exprimerent, deinde subjecisse, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν; quòd hæc in veteri Symbolo sequerentur. Verum istud ὡς ἐν παραδόξῳ.

p. 10.

p. 56.

p. 60.

p. 72.

p. 94.

§. 13. Pergo ad articulum sequentem, εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, *in unum Baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum.* Hæc quidem in excusis Cyrilli Catechesibus lemmata duo distincta

cta faciunt; ſed in unum articulum omnino conjungenda ſunt, prout in Symbolo fit Conſtantinopolitano, hunc in modum: ὁμολογῶ ἓν βάπτισμα εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, *Confiteor unum Baptiſmum in remiſſionem peccatorum*; ut Baptiſmus hîc ſtatuatur medium remiſſionis obtinendæ, remiſſio ipſa finis Baptiſmi. Cæterum hunc etiam articulum in Gnoſticorum hæreſin directum fuiſſe, ego perſuaſiſſimum habeo. Refert enim de Valentinianis Irenæus (lib. 1. c. 18. circa initium) eos Satanæ præſtigiis adductos fuiſſe εἰς ἔξαρνησιν τοῦ βαπτίσματος ὃ εἰς θεὸν ἀναγεννήσεως, ἢ πᾶσης ὃ πίστεως ἀπόθεσιν, *Ad Baptiſmi illius, per quem ad Deum regeneramur, inficiationem, totiuſque adeo Fidei abjectionem.* Hanc autem impietatem non omnes eodem modo propugnarunt. Quidam enim eorum unicum Chriſti Baptiſmum per duplicis Baptiſmi diſtinctionem evacuabant; alii verò omnem prorſus, qui externo ritu perficitur, Baptiſmum ſuſtulerunt. De priori hæreticorum claſſe ſic mox in eodem capite Irenæus: τὸ μὲν γὰρ βάπτισμα τοῦ φαινομένου Ἰησοῦ ἀφέσεως ἁμαρτιῶν, τὴν δὲ ἀπολύτρωσιν τοῦ ἐν αὐτῷ Χριστοῦ κατελθόντος, εἰς τελείωσιν· καὶ τὸ μὲν ψυχικὸν, τὸ δὲ πνευματικὸν εἶναι ὑφίστανται. καὶ τὸ μὲν βάπτισμα τοῦ Ἰωάννου κατηγγέλθαι εἰς μετάνοιαν· τὸ δὲ ἀπολύτρωσιν τοῦ Ἰησοῦ κεκομίσθαι εἰς τελείωσιν. καὶ τοῦτο εἶναι περὶ οὗ λέγει· καὶ ἄλλο βάπτισμα ἔχω βαπτισθῆναι, καὶ πάνυ ἐπείγομαι εἰς αὐτό. i. e. "Etenim per apparentis quidem Ieſu "Baptiſmum peccata remitti; per Chriſti "autem, qui in eum deſcenderit, redemp"tionem, perfectionem comparari. Illum "item animalem, hanc ſpiritualem eſſe ſta"tuunt. Ac Baptiſmum quidem à Joanne "ad pœnitentiam annuntiatum; redempti"onem verò à Ieſu conſequendæ perfectio"nis cauſâ allatam. Eòque ſpectare id "quod ait: Baptiſmo alio habeo baptiza"ri, & ad eum magnopere feſtino." De his porro narrat poſtea ibidem Irenæus, eos externum illum aquæ Baptiſmum aliâ formâ aliiſque ritibus ab iis, qui in Eccleſia Catholica uſu recepti eſſent, celebrâſſe. De poſteriore Valentinianorum ſecta agit Irenæus prope finem capitis citati his verbis: ἄλλοι δὲ ταῦτα πάντα βλασφημήσαντες, φάσκουσι μὴ δεῖν τὸ τοῦ ἀῤῥήτου καὶ ἀοράτου δυνάμεως μυστήριον δι' ὁρατῶν καὶ φθαρτῶν ἐπιτελεῖσθαι κτισμάτων, καὶ τὸ ἀνεννοήτων καὶ ἀσωμάτων δι' αἰσθητῶν καὶ σωματικῶν. εἰς δὲ τὸ τελείαν ἀπολύτρωσιν, αὐτὴν τὴν ἐπίγνωσιν τοῦ ἀῤῥήτου μεγέθους. i. e. "Alii verò hæc omnia impro"bantes, ineffabilis virtutis Myſterium per "creaturas in aſpectum cadentes, interituique obnoxias, & eorum quæ in cogitationem non cadunt corporiſque expertia "ſunt, per ea quæ ſenſibilia & corporea "ſunt, peragendum eſſe negant: perfectamque redemptionem in magnitudinis "ineffabilis agnitione poſitam eſſe cenſent." Quis jam non videt, articulum Symboli Hieroſolymitani, *Credo in unum Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*, antidotum fuiſſe adverſus impia iſta Gnoſticorum placita appoſitiſſimum? Etenim iis verbis profitebantur Catholici, ſe credidiſſe primò, Baptiſmum neceſſarium eſſe, neceſſitate ſcilicet tum præcepti, tum medii, ſaltem ordinarii: dein, Chriſti Baptiſma unicum eſſe, nempe illud, quod Eccleſia Catholica obſervat: denique unum illud Baptiſma eſſe Baptiſmum pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum; neque quemquam in hac vita ad eam τελείωσιν aſſurgere, ut remiſſione peccatorum non indigeat. Cæterum hunc articulum veteris Symboli Orientalis reſpexiſſe Irenæum omnino cenſeo, cum in lib. 1. cap. 2. Regulam Fidei referens, in ea notat credendum tradi, ſalutem æternam datum iri, non modò iis qui ab initio Domini noſtri præcepta ſervârunt, ſed & iis qui id fecerunt ἐκ μετανοίας, *per* vel *poſt pœnitentiam*, nempe univerſalem, qua à ſtatu peccati & mortis in ſtatum juſtitiæ ac ſalutis fit migratio. Vide Luc. 15. 7.

§. 14. Accedo ad articulum de Eccleſia his verbis conceptum: καὶ εἰς μίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν, *& in unam Catholicam Eccleſiam.* Huic autem articulo ſaltem vox *Catholica* videtur quibuſdam ſeriùs appoſita; nempe contra Novatianos alioſque Schiſmaticos, qui tertiô ſæculô pacem Eccleſiæ turbârunt: quâ in ſententia fuit Joannes Ger. Voſſius, ut videre eſt in libro ejus *de tribus Symbolis* Diſſ. 1. Theſ. 39. Verumtamen illud certum eſt, (quod Vir maximus non videtur obſervâſſe) *Catholicæ* cognomen adhæſiſſe Eccleſiæ Chriſti etiam iis temporibus, quæ Apoſtolorum ætatem proxime contigerunt. Nam in Epiſtola fratrum Smyrnæorum de Martyrio beati Polycarpi in ipſa ſalutione mentio ſit Eccleſiæ Catholicæ *: ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ἡ παροικοῦσα Σμύρναν, τῇ παροικούσῃ ἐν Φιλομηλίῳ, καὶ πάσαις ταῖς κατὰ πάντα τόπον τῆς ἁγίας καθολικῆς ἐκκλησίας παροικίαις, ἔλεος, εἰρήνη, καὶ ἀγάπη θεοῦ πατρὸς καὶ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πληθυνθείη. i. e. "Eccleſia Dei quæ eſt Smyr"næ, Eccleſiæ Dei apud Philomelium, & "omnibus ubicunque terrarum Sanctæ Ca"tholicæ Eccleſiæ parœciis, miſericordia, "pax, & charitas Dei Patris & Domini "noſtri

* *Vid. Euſ. H. E. l. 4. c. 15.*

" noſtri Ieſu Chriſti multiplicetur. " In eadem etiam Epiſtola narrant Smyrnæi, Polycarpum jam moriturum in precibus ſuis meminiſſe πάσης τῆς κατὰ τὴν οἰκουμένην καθολικῆς ἐκκλησίας. i. e. *Totius per univerſum orbem Catholicæ Eccleſiæ.* Imò ante Polycarpum Ignatius idem cognomentum Eccleſiæ Dei diſertè tribuit in Epiſtola ad Smyrnæos : ὅπου ἂν ᾖ Χριστὸς Ιησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία· i. e. *Ubi eſt Ieſus Chriſtus, ibi Catholica Eccleſia.* Rectè igitur Valeſius : † " Apparet hoc cognomen Eccleſiæ inditum eſſe circa primam Apoſtolorum ſucceſſionem, cum hæreſes multis in locis exortæ, veram Chriſti fidem & Apoſtolorum traditionem ſubvertere conarentur. Tunc enim, ut vera & genuina Chriſti Eccleſia ab adulterinis Hæreticorum cœtibus diſtingueretur, *Catholicæ* cognomen ſoli orthodoxorum Eccleſiæ attributum eſt. "

p. 6. Edit. Voſſii.

† *In not. in lib. 7. Hiſt. Ec. Euſ. c. 10. p. 256.*

Verùm illud porro notandum eſt, Gnoſticos, qui maximè in prima Apoſtolorum διαδοχῇ hæreſes ſuas diſſeminârunt, pleroſque omnes eò arrogantiæ atque impudentiæ perveniſſe, ut jactitarent, purum & ſincerum Evangelium in ſuis tantùm conventiculis doceri, ſe ſolos Dei myſteria veramque ſalutis obtinendæ rationem inveniſſe & ſciviſſe ; unde & Gnoſticorum nomen ſibi fecerunt : illam verò doctrinam, quam ab Apoſtolis traditam Eccleſia Catholica acceperat atque amplexa erat, falſam in pleriſque atque adulterinam fuiſſe. Sic enim de Hæreticis iſtis ſcribit Irenæus Lib. 3 c. 2. " Cum ex Scripturis arguuntur, in accuſationem convertuntur ipſarum Scripturarum, quaſi non rectè habeant, neque ſint ex authoritate, & quia variè ſint dictæ, & quia non poſſit ex his inveniri veritas ab his qui neſciant traditionem. Non enim per literas traditam illam, ſed per vivam vocem ; ob quam cauſam & Paulum dixiſſe : *Sapientiam autem loquimur inter perfectos ; ſapientiam autem non mundi hujus.* Et hanc ſapientiam unuſquiſque eorum eſſe dicit, quam à ſemetipſo adinvenit fictionem videlicet, ut dignè ſecundum eos ſit veritas, aliquando quidem in Valentino, aliquando autem in Marcione, aliquando in Cerintho, deinde in Baſilide.--- Unuſquiſque enim ipſorum omnimodo perverſus, ſemetipſum, regulam veritatis depravans, prædicare non confunditur. Cum autem ad eam iterum traditionem, quæ eſt ab Apoſtolis, quæ per ſucceſſiones Presbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur, provocamus eos, adverſantur traditioni, dicentes ſe non ſolùm Presbyteris, ſed etiam Apoſtolis exiſtentes ſapientiores, ſinceram inveniſſe veritatem ; Apoſtolos autem admiſcuiſſe ea, quæ ſunt legalia, Salvatoris verbis : & non ſolùm Apoſtolos, ſed etiam ipſum Dominum, modò quidem à Demiurgo, modò autem à medietate, interdum autem à ſummitate feciſſe ſermones ; ſe verò indubitatè & incontaminatè & ſincerè abſconditum ſcire myſterium, quod quidem impudentiſſimè eſt blaſphemare ſuum factorem. " Adverſus hos impios Dogmatiſtas Eccleſiæ filii omnes illius ævi meritiſſimô jure tenebantur profiteri, ſe credidiſſe *in unam Catholicam Eccleſiam*, h. e. ſe doctrinæ & fidei illi voluiſſe conſtanter adhæreſcere, quæ juxta ſacras Scripturas, in Eccleſiis Apoſtolicis ubique Gentium, ab Epiſcopis & Doctoribus uno quaſi ore prædicaretur. Senſus articuli meliùs exprimi vix poteſt quàm Irenæi verbis citati libri cap. 4. in ipſo initio : " Non oportet adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere ; cum Apoſtoli, quaſi in depoſitorium dives, pleniſſimè in eam contulerint omnia quæ ſint veritatis : ut omnis quicunque vult, ſumat ex ea potum vitæ. Hæc eſt enim vitæ introitus ; omnes autem reliqui fures ſunt & latrones : propter quod oportet devitare quidem illos ; quæ autem ſunt Eccleſiæ, cum ſumma diligentia * diligere, & apprehendere veritatis traditionem. "

* *Forte legendum,* diligere.

§. 15. Reliqui duo articuli, *de reſurrectione carnis*, & *de vita æterna*, expreſſis verbis traduntur etiam in Symbolo Clementino, in confeſſione Arii & Euzoii, & in illa quoque Pſeudoſynodi Sardicenſis Arianæ, ſuprà commemoratis, ac denique in regula Fidei apud Irenæum lib. 1. cap. 2. Carnis autem reſurrectionem, & conſequenter vitam æternam futuri ſæculi, Gnoſticos pleroſque negâſſe, notius eſt quàm ut operosâ probatione indigeat. De his ſcilicet loquitur Irenæus lib. 5. cap. 2. " Vani autem omnimodo, qui unîverſam diſpoſitionem Dei contemnunt, & carnis ſalutem negant, & regenerationem ejus ſpernunt, dicentes non eam capacem eſſe incorruptibilitatis. " Eandem hæreſin nominatim tribuit Baſilidi lib. 1. cap. 23. & Marcioni ejuſdem libri cap. 29. conſentiente de utroque Tertulliano de Præſcr. adv. Hæreſ. Idem impium dogma Simoni Mago, Carpocrati, Valentino, Apelli, aliiſque ejuſdem farinæ Hæreticis aſcribit Auguſtinus in libro *de Hæreſibus*. Ex his verò omnibus tandem perſpicuum eſt, quæ in Symbolo Hieroſolymitano poſt verba, *& in Spiritum S.*

ſeqvuntur, minimè fuiſſe Orientali Symbolo addita à Patribus Conſtantinopolitanis, ſed diu ante Synodum Conſtantinopolitanam, adeoque Nicænam, in eodem Symbolo adverſus impia deliramenta Gnoſticorum, qui circa initium ſecundi ſæculi hæreſes ſuas propalam venditare cœperunt, poſita fuiſſe.

§. 16. Cæterum, ut totius Symboli Hieroſolymitani antiquitatem clariùs adhuc perſpicias, haud gravabor paucis oſtendere, etiam præcedentes ejuſdem Symboli articulos, de Deo Patre & Filio, ita comparatos eſſe, ut Gnoſticorum blaſphemias manifeſtiſſimè feriant. Articulus de Deo Patre his verbis conceptus eſt : *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, & viſibilium omnium & inviſibilium.* Cerinthiani cum aliis Gnoſticis unum Deum Patrem creatorem minimè agnoverunt, aſſerentes, alium quidem eſſe Demiurgum fabricatorem & Deum hujus mundi, alium verò Patrem Chriſti Domini noſtri. Cerdonitæ & Marcionitæ duos eſſe Deos duoque principia auſi ſunt apertè dicere. Omnes verò Gnoſtici τὰ ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα diverſis opificibus attribuerunt, mundumque hunc aſpectabilem à ſummo Deo factum negârunt. Sequitur, *& in unum Dominum Jeſum Chriſtum.* Cerinthiani, ut in hoc opere & alibi ſæpius à nobis dictum eſt, unum eſſe Jeſum Chriſtum negârunt, Jeſum à Chriſto ſeparantes, & Chriſtum quidem affirmantes à ſuperioribus in Jeſum baptizatum deſcendiſſe, atque inſtante paſſione iterum ad ſuum Pleroma revolâſſe. Iidem Cerinthiani, ut & Carpocratiani (quibuſcum hactenus conſenſerunt etiam Ebionitæ) docuerunt, Dominum Jeſum merum fuiſſe hominem hominiſque filium, qui ante nativitatem ex Maria minimè extiterit. Quos perſtringunt verba ſequentia : *Filium Dei unigenitum, ex Patre genitum ante omnia ſæcula, Deum verum.* Gnoſtici verò omnes negârunt, Deum Patrem per Filium ſuum cuncta condidiſſe, ideoque additum eſt : *per quem omnia facta ſunt.* Quæ deinde ſeqvuntur : *Incarnatum, atque hominem factum, crucifixum, &c.* Docetas manifeſtè feriunt, qui affirmabant, Dominum noſtrum putativè tantùm hominem natum, paſſum & mortuum fuiſſe ; quam hæreſin Gnoſtici ferme omnes propugnarunt. Articulo de adventu Chriſti ad judicandum vivos & mortuos, ſubjiciuntur hæc verba : ἧς τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος, *Cujus Regni non erit finis.* Quæ etiam, ut deſint in Nicæno Symbolo, in Conſtantinopolitano tamen habentur, cum ad controverſiam Macedonianam nihil ſpectent. Leguntur quoq; eadem verba in Symbolo Clementino, Conſtit. Apoſt. lib. 7. cap. 42. Fuiſſe autem iſtâ minimè à Patribus Conſtantinopolitanis addita, ſed in veteri extitiſſe Symbolo, quod diu antè Synodum Conſtantinopolitanam, adeoque Nicænam, in Oriente obtinuit, hôc argumentô evincitur, quod iſtis ἰσοδυνάμα reperiantur in pleriſque Arianorum apud Athanaſium * Confeſſionibus, quibus ſe veterem fidei Catholicæ regulam religiosè ſervâſſe, aliis perſuaſum voluerunt. Sic in Confeſſione ſua Euſebiani credere ſe dicunt, Chriſtum ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς, καὶ διαμένοντα βασιλέα καὶ Θεὸν εἰς τοὺς αἰῶνας· *Venturum ad judicandum vivos & mortuos, & permanere Regem & Deum in ſæcula.* Similiter & Theophronii Confeſſio apud eundem Athanaſium hæc de Chriſto habet : καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης καὶ δυνάμεως, κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς, καὶ μένοντα εἰς τοὺς αἰῶνας· *Illum rurſum venturum eſſe cum gloria & potentia, ad judicandum vivos & mortuos, & permanere in ſæcula.* Confeſſio itidem Arianorum per Marcellum & alios in Gallias miſſa, quam etiam refert Athanaſius, eandem clauſulam pleniùs exprimit his verbis : ἧς ἡ βασιλεία, ἀκατάλυτος ἅπασι, διαμένει εἰς τοὺς ἀπείρους αἰῶνας, *Cujus Regnum indiſſolubile cum ſit, permanet in ſæcula infinita.* Eandem habent ſententiam Confeſſio eorundem per Macedonium & alios in Italiam miſſa, & Confeſſio Synodi Syrmienſis, ab Athanaſio poſtmodum recitatæ. Manifeſtum eſt igitur, clauſulam illam de Chriſti Regni æternitate in veteri Symbolo Orientali extitiſſe. Quod etiam Symbolum reſpexiſſe videtur Scriptor antiquiſſimus Juſtinus Martyr, in Dialogo cum Tryphone : ubi recitata priùs ἀποφαντικῶς regulâ fidei de Chriſto Domino noſtro, deinde introducit Tryphonem, articulum de futuro Chriſti judicio quaſi repetentem, his verbis : ὅτι αὐτῷ δέδοται τὸ κρῖναι πάντας ἁπλῶς, καὶ αὐτὸς ἔστιν ἡ αἰωνία βασιλεία, *Quòd ipſi datum ſit judicare omnes omnino homines, quódque ipſius Regnum ſit æternum.* Cenſeo autem clauſulam illam, *Cujus Regni non erit finis*, in Cerinthianos intentam fuiſſe, qui docuerunt, magnifica illa, quæ de Chriſti Regno in Scripturis dicuntur, intelligenda eſſe de Regno quodam terreno, carnali, planéque Epicureo, mille tantùm annos duraturo. Fuere quidem in prima Apoſtolorum ſucceſſione etiam ex Catholicis plerique (in quibus fuit is, quem modò laudavi, Juſtinus) qui Regnum quoddam Chriſti in terris per mille annos expectârunt : verùm horum ſententia, ut erronea fortaſſe fuerit, à Cerinthiana tamen hæreſi toto cœlo diſtabat. Catholici enim iſti minimè crediderunt, fœlicitatem illius Regni ſitam fore ἐν γαστρὶ καὶ τοῖς τοιοῖ

* *De Synodi Arim. & Seleuc.* p. 892.

p. 894.

p. 895.

p. 896. & 900.

p. 264.

ὑπὸ γαστέρα πλησμοναῖς, τῆτ' ὄτι σιτίοις καὶ ποτοῖς καὶ γάμοις· *in ventris & eorum quæ sub ventre sunt satietate, id est, in cibis & poculis & nuptiis*; quæ fuit, teste Dionysio Alexandrino, Cerinthi sordida & obscœna sententia; sed Regnum Christi expectabant, in quo floreret pax, veritas & justitia, & pietas prævaleret, Deique sacrosanctum nomen condignis ubique laudibus celebraretur. Deinde Catholici temporarium illud Christi Regnum sperârunt, tantùm ut præludium quoddam (si ita loqui fas sit) ad Regnum ipsius cœleste, quod in infinita sæcula permansurum credebant.

Apud Euseb. H.E. l.7. c.25.

§. 17. Ex iis verò omnibus, quæ hactenus disseruimus, satis tandem, ut opinor, elucet Symboli Hierosolymitani antiquitas, ipsumque nihil aliud revera esse, quàm vetus Symbolum Orientale, quod adversus multiplicem Gnosticorum hæresin, mox post denatos Apostolos in partibus Orientis caput suum insolentiùs efferentem, Viri Apostolici, velut Antidotum, composuerunt. Unde & Cyrillus ipsum vocat τὴν παραδοθεῖσαν ἡμῖν εἰς ἐπαγγελίαν ἁγίαν καὶ ἀποστολικὴν πίστιν, *traditam nobis ad profitendum sanctam & Apostolicam fidem.* Ex quibus porro facile est colligere, Symbolum illud omnibus Symbolis Occidentalibus, etiam ipso Romano, esse antiquius. Refert quidem Vossius tanquam miram atque à verò absimillimam, Viri eruditi Joannis Rodolphi Lavateri sententiam, existimantis, Symbolum Apostolorum dictum, ex Constantinopolitano esse factum; citatque ejus verba de descensu Christi ad inferos lib. 1. part. 3. cap. 15. sic scribentis: *Hanc (Synodi Constantinopolitanæ) Confessionem ego postmodum, paucis immutatis, pro Symbolo Apostolico venditatam firmissimè credo.* Hactenus autem cum Viro illo erudito me sentire profiteor, ut existimem, Symbolum Apostolorum dictum, hoc est Romanum, ex Hierosolymitano, sive veteri Orientali Symbolo, quocum Constantinopolitanum, resectis ab ipso quæ adversus Arium & Macedonium addita fuere, planè convenit, consarcinatum fuisse.

Caetc. h. 18 p. 501.

§. 18. Sententiam meam clariùs explicabo his Thesibus. 1. Formula, quâ primitus ad Baptismum venientes fidem suam de SS. Trinitate profitebantur, simplex erat, atque his fere verbis concepta: *Credo in Deum Patrem, Filium, & Spiritum S.* Hæc est passiva doctissimorum hodie Theologorum sententia, neque ab ea, ut vidimus, Episcopius dissensit. 2. Ecclesiæ per Hæreticos non licuit simplici illa Trinitatis confessione diu frui. Cum enim in ipsis Apostolorum temporibus exorti essent Simoniani, Menandriani, Cerinthiani, aliique ejusdem farinæ Hæretici, qui sanam de Deo Patre, Filio & Spiritu S. doctrinam, aliaque Christianismi capita præcipua corrumpere clanculum sategissent; mox post Apostolorum ex hac vita excessum Pseudoapostoli illi audaciùs suas hæreses spargere ac disseminare cœperunt. Hinc visum est Episcopis Ecclesiarum, quibus Hæretici isti molestiam crearent, confessionem Fidei auctiorem componere, atque à baptizandis deinceps exigere; quâ nempe vera de SS. Trinitate sententia clariùs exponeretur, adjectis præterea cæteris Christianæ fidei capitibus, quæ iidem Hæretici itidem oppugnârunt. 3. Primi illi Hæretici in Oriente exorti sunt, Ecclesiasque Orientales fere solas conturbârunt, ut suprà ostensum est. 4. Hinc facilè colligimus, primam Fidei Confessionem ampliorem in Oriente confectam fuisse. Ubi scilicet sparsum fuit venenum, ibi parabatur antidotum. 5. Ἐξηγήσεις & adjectiones, quæ ad primam illam ac simpliciſſimam fidei Confessionem ab Orientalibus appositæ fuerunt, pleræque postmodum à Romana & Occidentalibus Ecclesiis in suam fidei Confessionem receptæ fuere, licet earum quidem nonnullæ seriùs. Nam etiam Ruffini ætate in Romano & Aquilegiensi Symbolo, ab articulo de Deo Patre aberant verba illa, *Creatorem cœli & terræ.* Quippe Ruffinus ea in Aquilegiensi non habet, neque explicat, nec monet addi in Romano. Vide Vossium de tribus Symbolis Differt. 1. Thes. 31. Atqui constat ex iis, quæ paulò superiùs dixi, clausulam illam de creatione rerum omnium per summum Deum in antiquissimis Orientis Symbolis contra Gnosticorum hæresin positam fuisse. Atque hinc ipse Irenæus in sua fidei regula hæc verba disertè habet: Ὁ πεποιηκὼς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν· *Qui fecit cœlum & terram.* In articulo de Ecclesia desiderabatur Ruffini ætate in Symbolo Aquilegiensi & Romano vox *Catholicam.* Neque enim in Aquilegiensi eam explicat Ruffinus, nec monet in Romano haberi. In Pammeliana quidem editione vox ista apponitur, sed contra fidem Codicum vetustissimorum. Leviculum quidem hoc fortasse videbitur; quod verò proximè notabimus, certè maximi erit momenti. In Romano & Aquilegiensi Symbolo usque ad Ruffini tempora & ampliùs deerat (quod, ut vidimus, Symbolum Orientale diu ante habuit) caput de credenda vita æterna, ut apertissimè ostendit Vossius de tribus Symbolis Diss. 1. Thes. 43. Vide & notas Ἀρχιεπ. μακαρίτης Oxoniensis Episcopi in Epistolam Cypriani Synodicam n. 70. p. 190. In Africano tamen Symbolo etiam Cypri-

Cypriani ætate hic articulus habebatur, ut oſtenſum eſt ſupra, §. 7.

§. 19. Dixi autem, additamenta Orientalium *pleraque*, non omnia, à Romana Eccleſia in ſuum fidei Canonem recepta fuiſſe. Quæ enim in Symbolo Orientali vel περιλαβὴν ipſi videbantur, vel adverſus hæreſes in partibus Occidentis penè ignotas addita fuere, Romana Eccleſia, brevitatis amans, in ſua Confeſſione prætermiſit. Sic in articulo primo de Deo Patre, recepit quidem, licet ſeriùs, verba illa, *factorem cœli & terræ*, non item ſequentia, & *viſibilium omnium, & inviſibilium*; quòd hæc in præcedentibus contineri exiſtimavit. Præterea de iſtis hominum portentis, qui viſibilia & inviſibilia diverſis auctoribus aſſignârunt, plebs Romæ Chriſtiana vix fando inaudiverat. In eodem & ſequenti articulo vocem ἕνα, *unum*, quam omnes Eccleſiæ Orientis, teſte Ruffino, in ſua regula habuerunt, Romana omiſit; quòd ſcilicet blaſphemia eorum, qui unum Deum Patrem creatorem, unumve Jeſum Chriſtum negarent, Romæ ferme ignorata fuit. Rurſus in ſecundo articulo poſt verba, *unigenitum Dei Filium*, Romana Eccleſia non addidit, quæ ἀμέσως in Symbolo Orientali ſubjecta fuerunt, nempe *genitum ex Patre ante omnia ſæcula*, &c. quòd hæc in prioribus δυνάμει, h. e. potentiâ ſive virtute comprehenſa eſſe omnes intelligerent, atque in Catecheſi edocti eſſent. Sic & in ſeptimo capite, de adventu Chriſti ad judicandum vivos & mortuos, in Romano Symbolo deſiderantur, quæ in Orientali continuò ſeqvuntur, *cujus Regni non erit finis*; quòd Cerinthi ſomnium nemo Romæ ſomniavit. Octavus Romani Symboli articulus etiamnum nudus relinquitur, ſine ulla exegeſi aut adjectione, planè ut in prima & ſimpliciſſima Trinitatis confeſſione ſe habuit: *Credo & in Spiritum S.* quod ſæpe olim miratus fui. Quippe in articulis de Deo Patre & Filio nonnulla, ut vidimus, mutuata eſt Eccleſia Romana ab Orientalibus, quæ ſuæ Confeſſioni apponeret. Quin etiam poſt articulum de Spiritu Sancto, Orientalium exemplô, capita quædam, nempe de Eccleſia, de remiſſione peccatorum, &c. adjecit. Cur igitur ipſum de Spiritu S. articulum nullâ ἐξηγήσει illuſtravit, quin hîc itidem Orientalium Eccleſiarum imitata eſt exemplum, addendo *Paracletum, qui locutus eſt per Prophetas?* Equidem ſi conſultò hæc omiſſio facta fuit, dicendum eſt, ut in prioribus, verba iſta in Romano Symbolo ideo prætermiſſa fuiſſe, quòd hæreſin ferirent, quæ Romanæ Eccleſiæ nullum negotium faceſſeret. Neque verò aliâ hîc adjectione opus fuit; ſiquidem præter illam Gnoſticorum, (quæ etiam non tam ipſi Spiritui Sancto, quàm Legi & Prophetis directam contumeliam fecit) nulla alia hæreſis uſpiam exorta eſt, quæ dignitatem Spiritûs Sancti ex profeſſo atque aperto Marte labefactatum iverit, ante Macedonium, contra cujus blaſphemiam mox à Patribus Conſtantinopolitanis ſatis proviſum fuit. Arius quidem negando Filii Divinitatem, conſequenter Spiritûs etiam Sancti divinam Majeſtatem magis negavit: neq; enim adeo deſipere potuit Hæreticus, ut Filio Dei Spiritum S. anteponeret; (adeoq; ab * Epiphanio, † Ambroſio & ‖ Auguſtino, accuſatur, quòd Spiritum S. creaturam eſſe creaturæ dixerit) verùm in hac hæreſi propugnanda operam ſuam minimè poſuit; unde neque Synodus Nicæna contra ipſum quicquam de Spiritu S. definivit. Nimirum Antitrinitarii ſingulis ætatibus Filii Dei Θεότητα oppugnandam ſibi imprimis ſelegerunt, arreptâ ſcilicet occaſione ex iis Scripturæ locis, quæ incarnationem ejus, & ſuſceptam ab ipſo ſalutis noſtræ causâ οἰκονομίαν ſpectant; (neglectis interim, ſeu abjectis potiùs, quamplurimis S. literarum teſtimoniis, quæ de ejus Θεολογίᾳ loquuntur apertiſſimè) quô prætextu cum in oppugnanda Spiritus S. Divinitate uti minime potuerint, de ipſa ſilere maluerunt, contenti per Filii quaſi latera Spiritum etiam Sanctum confodiſſe. Cæterum notatu interim haud indignum eſt, quòd etiam veteres Latini Doctores nonnulli, articulum Symboli ſui de Spiritu S. exponentes, ad Orientalium illud additamentum manifeſtè reſpexerint. Sic Novatianus, Cypriani σύγχρονος & Romanæ Eccleſiæ Presbyter, in regula fidei, ſive ut hodie loquimur, in libro de Trinitate, cap. 29. ad articulum de Spiritu S. & hæc habet: " Hunc autem " Spiritum Dominus Chriſtus modò *Paracletum* appellat, modò Spiritum veritatis " eſſe pronuntiat; qui non eſt in Evangelio " novus, ſed nec novè datus. Nam *hic ipſe* " *& in Prophetis* populum accuſavit, & in " Apoſtolis ad vocationem Gentibus præſtitit." Et paucis interjectis: " Unus ergo " & idem Spiritus, qui in Prophetis & Apoſtolis, &c." Ubi habemus ſenſum & ſcopum verborum, τὸ προφήτησον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν, liquidò explicatum. Scilicet iis ſignificatur, non alium fuiſſe Spiritum ſub Veteri Teſtamento, alium ſub Novo, non alium Prophetarum, alium Apoſtolorum; ſed unum eundemque Spiritum, qui Apoſtolos inſpiravit, etiam per veteres locutum fuiſſe Prophetas, contrà quàm præfati docerent Hæretici. Similiter Ruffinus in expoſitione Symboli, poſtquam notaverat, verbis illis, *Credo in Spiritum Sanctum*, per præpoſitionem

* *Epiph. Hær. 69. n. 52, 56.*
† *Amb. de Symb. c. 2.*
‖ *Aug. de Hær. c. 69.*

nem *in* Divinitatem ejus indicari; continuò subdit: *Is ergo Spiritus Sanctus est, qui in Veteri Testamento Legem & Prophetas, in Novo Evangelium & Apostolos inspiravit.* Denique caput decimum Symboli Romani, *de remissione peccatorum*, manifestò nihil est aliud quàm segmentum articuli, in veteri Symbolo Orientali sic pleniùs expressi: *Credo in unum Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum*; sive, ut Patres Constantinopolitani caput illud tradunt: *Confiteor unum Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Cujus articuli priorem partem de Baptismo ideo Romani videntur siluisse, quòd à Gnosticorum de Sacramento illo hæresi, quam suprà commemoravi, Ecclesiæ Romanæ nihil periculi immineret. Cæterum cum in hisce omnibus, quæ hactenus notavimus, Symbolum Romanum Orientali arctius fuerit; aliis tamen duobus integris articulis ipso hodie est auctius, articulis nempe *de descensu Christi ad inferos*, & *de communione Sanctorum.* Sed dudum observârunt Viri eruditi, articulos istos antiquitus à Romano etiam Symbolo abfuisse.* Atque hæc demum sunt, quæ mihi persuaserunt, Symbolum Orientale, à Cyrillo expositum, Romanô, quod Apostolorum dicitur, esse antiquius, adeoque hoc ex illo factum ac derivatum fuisse.

§. 20. Unicam præterea observationem adjiciam, dein huic disceptationi, de Symbolis veteris Ecclesiæ, jam satis quidem prolixæ, finem tandem facturus. Notandum est igitur, etiam ipsos Arianos in suis fidei Confessionibus apud Athanasium, quas jam suprà in hoc Capite commemoravi, articulum de Filio Dei ad eundem fere modum retulisse, quô in Symbolo Hierosolymitano sese habet. Sic enim prima ipsorum Confessio, ab Athanasio recitata, articulum istum tradit: καὶ εἰς ἕνα υἱὸν τοῦ Θεοῦ μονογενῆ, πρὸ πάντων αἰώνων καὶ ἀνάρχονα καὶ συνόντα τῷ γεγεννηκότι αὐτὸν πατρὶ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο. i. e. "Et in u-" num Filium Dei unigenitum, ante omnia " sæcula existentem & coexistentem cum " Patre qui eum genuit, per quem omnia " facta sunt." Sic & altera Confessio, quæ apud Athanasium mox sequitur: καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ, Θεὸν, δι' οὗ τὰ πάντα, τὸν γεννηθέντα πρὸ πάντων αἰώνων ἐκ τοῦ πατρὸς Θεόν. i. e. "Et in unum " Dominum Jesum Christum, Filium ejus " unigenitum, Deum, per quem omnia, qui " ante sæcula genitus est ex Patre Deus." Ad eundem modum Theophronii Confessio: καὶ εἰς τὸν υἱὸν μονογενῆ, τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, δι' οὗ τὰ πάντα, τὸν γεννηθέντα ἐκ τοῦ πατρὸς πρὸ τῶν αἰώνων Θεὸν τέλειον· i. e. "Et in " Filium Dei unigenitum, Dominum no-" strum Jesum Christum, per quem omnia, " qui genitus est ex Patre ante sæcula Deus " perfectus." Ubi Θεὸν τέλειον certè tantundem valet atque Θεὸν ἀληθινὸν in Symbolo Hierosolymitano. Sic & Confessio eorundem per Narcissum & alios in Gallias missa, Constanti Augusto tradenda: καὶ εἰς τὸν μονογενῆ αὐτοῦ υἱὸν, τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν πρὸ πάντων τῶν αἰώνων ἐκ τοῦ πατρὸς γεννηθέντα Θεὸν, δι' οὗ ἐγένετο τὰ πάντα. i. e. "Et in " unigenitum ejus Filium, Dominum no-" strum Jesum Christum, ante omnia sæcula " ex Patre genitum Deum, per quem omnia " facta sunt." Atque ita Confessiones ipsorum, quæ ab Athanasio postmodum descriptæ sunt, ferme omnes articulum tradunt. His autem Confessionibus ipsi dicunt, se regulam Fidei ab initio traditam religiosè secutos esse. Sic enim primæ ipsorum Confessioni præfantur: οὐκ ἄλλην τινὰ πίστιν παρὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς παραδοθεῖσαν ἐδεξάμεθα. *Non aliam fidem, quàm quæ ab initio tradita fuit, recepimus.* Ipsam vero Confessionem ita exordiuntur: μεμαθήκαμεν ἐξ ἀρχῆς πιστεύειν, *didicimus ab initio credere*, &c. Sic & altera ipsorum Confessio mox ab Athanasio descripta: πιστεύομεν ἀκολούθως τῇ εὐαγγελικῇ καὶ ἀποστολικῇ παραδόσει· i. e. *Credimus congruenter Evangelicæ & Apostolicæ traditioni*, &c. Hinc igitur rursus colligimus, modum istum specialem Filiationis Jesu Christi, de quo contendit Episcopius, quô nempe is, in excellentiori sua natura, ante omnia sæcula ex Deo Patre genitus fuit Deus, per quem omnia facta sunt, in Symbolo sive Symbolis, quæ ante Synodum Nicænam in Orientis Ecclesiis extitere, apertissimè declaratum fuisse; planè quemadmodum in Symbolo Ecclesiæ Hierosolymitanæ, omnium Orientalium antiquissimæ, id factum videmus. Quippe Orientales fuere Ariani, qui Confessiones istas, idque, ut ipsi profitentur, juxta Canonem fidei inde ab initio in Ecclesiis suis receptum edidere.

§. 21. Deinde hinc patet, Arianos istos fuisse αὐτοκαλακέτας. Namque confitendo, Filium Dei ante omnia sæcula ex Deo Patre genitum fuisse, Deumque ipsum esse verum sive perfectum, perq; ipsum creaturas omnes conditas fuisse, suum ipsi dogma manifestè jugulâ-

* *Vide Voss. de trib. Symb. Diss.* 1. *Thes.* 34. *& Not. in Ep. Cypriani* 70. *p.* 190. *Edit. Oxon.*

jugulârunt. Quis enim ſanus crediderit, hâc confeſſione nihil aliud ſignificari, quàm Filium Dei meram eſſe creaturam, ante alias quidem omnes creaturas ex nihilo factam; quæ fuit Arianorum ſententia? Quomodo ante omnia ſæcula extitit, qui demum in principio creationis, hoc eſt, in primo puncto primi ſæculi, exiſtendi initium accepit? Quomodo Deus eſſe, Deuſque verus ſive perfectus, omniaque creare ex nihilo potuit, qui mera ipſe creatura eſt? Rectè enim Athanaſius: ὃν οἷόν τε μίαν ἔχειν τὰ δημιουργήματα τῷ δημιουργοῦντι τὴν γένεσιν. i. e. "Fieri non pot-" eſt, ut Conditor & res conditæ unam & " eandem naturam, ſive genituram habe-" ant." Denique quomodo ex ipſo Deo Patre genitus, qui ex nihilo factus? Hinc idem magnus Athanaſius Arianos ex ſuis ipſorum Confeſſionibus ita porro acriter redarguit: καὶ ὑμεῖς ἐγράψατε, ὅτι τοῦ παντὸς γνήσιον τὸν υἱόν. εἰ μὲν ὃν τὸ πατέρα ὀνομάζοντες, ἢ τὸ, Θεὸς, ὄνομα λέγοντες, οὐκ οὐσίαν σημαίνετε, οὐδὲ αὐτὸν τὸ ὄντα, ὅπερ ὄντι κατ' οὐσίαν, νοεῖτε, ἀλλ' ἕτερόν τι περὶ αὐτὸν ἢ τὸ γὸν χεῖρον, ἵνα μὴ παρ' ἐμοῦ λέγηται, ἄρα τοῦτον σημαίνετε, οὐδὲ μὴ γράψαι ὑμᾶς ὅτι τοῦ παντὸς τὸν υἱὸν, ἀλλ' ὅτι τῷ περὶ αὐτὸν ἢ τῷ ὄντι ἐν αὐτῷ· ἵνα φυγόντες λέγειν ἀληθῶς πατέρα τὸν Θεὸν, σιωπᾶτον ὃ τὸν ἁπλῶν, καὶ σωματικῶς αὐτὸν ἐπινοοῦντες, καινοτέρας βλασφημίας ἐφεύρεται γεγόνατε· i.e. "Etiam " vos ipſi ſcripſiſtis, ex Patre genitum eſſe " Filium. Si igitur Patrem nominantes, aut " hoc vocabulum, *Deus*, efferentes, non " ſubſtantiam ſignificatis, neque eum qui " eſt, uti eſt pro ſua ſubſtantia, intelligitis, " ſed aliud quidpiam quod circa ipſum eſt, " aut aliquid pejus, quod à me dictum no-" lim, innuitis; non ſcribendum à vobis fu-" erat, ex Patre Filium prodiiſſe, ſed ex re-" bus quæ circa ipſum vel in ipſo ſunt: ut " vitantes verè Patrem Deum appellare, ac " pro ſimplici compoſitum, ac corporeum " ipſum intelligentes, novæ blaſphemiæ in-" ventores fiatis." Et paulò poſt: εἰρήκατε ὃ τὴν ὑμεῖς ὅτι τοῦ Θεοῦ τὸν υἱὸν· δηλονότι ὅτι τὴν οὐσίας τοῦ παντὸς αὐτὸν εἰρήκατε. i.e. "Etiam vos " ipſi cum dixiſtis ex Deo Filium eſſe, uti-" que ex Patris ſubſtantia ipſum eſſe dixi-" ſtis." Præterea ut demus, verba veteris Symboli ſenſum, quem Ariani ipſis affinxerunt, ferre poſſe; certum tamen adhuc eſt, primævam Eccleſiam, quæ Symbolo iſto uſa eſt, verba longè alio ac nobiliori ſenſu intellexiſſe. Quippe Doctores Catholici ante Arium, utcunque aliàs in quæſtione de Filii Divinitate illorum nonnulli vel incautiùs, vel obſcuriùs nonnunquam locuti fuerint, omnes tamen, uno quaſi ore, Filium Dei ita ex Deo Patre genitum eſſe fatebantur, ut ex ipſa ejus eſſentia natus, adeoque Deus revera ipſe fuerit: quod in noſtra Nicænæ Fidei Defenſione per totam Sectionem ſecundam fuſiſſimè demonſtratum eſt. Fruſtra igitur gloriabantur Ariani, ſe ab antiquo Fidei Canone minimè receſſiſſe; ſiquidem regulæ illius verba tantùm, non verum atque inde ab initio receptum in Eccleſia ſenſum tenuere.

§. 22. Denique hinc perſpicuum eſt, Synodum Nicænam adverſus impia iſta Arianorum commenta, atque ad verum ac genuinum articuli veteris Symboli de Filio Dei ſenſum aſſerendum, rectè ac neceſſariò clauſulam de τῷ ὁμοουσίῳ adhibuiſſe. Nimirum locô eorum, quæ vetus habuit Symbolum, nempe, *Filium Dei unigenitum, ex Patre genitum ante omnia ſæcula, Deum verum, per quem omnia facta ſunt*; Patres Nicæni hæc ſubſtituerunt: γνήσιον ὃν τοῦ παντὸς μονογενῆ, τοῦτ' ἔστιν ὃν τῆς οὐσίας τοῦ παντός· Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ὃν φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ παντὶ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο. i. e. "Natum ex Patre " unigenitum, hoc eſt, ex ſubſtantia Patris; " Deum de Deo, lumen de lumine, Deum " verum de Deo verô, genitum, non factum, " Patri conſubſtantialem, per quem omnia " facta ſunt." Ubi videmus quidem, verba veteris Symboli poſt μονογενῆ, *unigenitum*, nempe *ex Patre genitum ante omnia ſæcula*, omiſſa eſſe; ut ſcilicet clauſulæ de τῷ ὁμοουσίῳ locus pateret. Patres verò Conſtantinopolitani verba iſta retinuere, additis de τῷ ὁμοουσίῳ ex Symbolo Nicæno, quæ ſufficerent, hunc in modum: τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ παντὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ παντὶ, δι' οὗ πάντα ἐγένετο. i. e. " Filium Dei unigenitum, ex Patre genitum " ante omnia ſæcula, Deum de Deo, & lu-" men de lumine, Deum verum de Deo ve-" rô, genitum non factum, Patri conſub-" ſtantialem; per quem omnia facta ſunt." Palam eſt autem, nihil hîc veteri Symbolo Orientali additum fuiſſe, quod non in ipſo antea δυνάμει contineretur. Qui enim ante omnia ſæcula ex Deo Patre genitus eſt, Deuſque eſt *verus*, per quem omnia facta ſunt, is ut Deo Patri ſit ὁμοούσιος, hoc eſt, ejuſdem cum ipſo naturæ ſive eſſentiæ (quod unum voce iſta Patres voluerunt) omnino neceſſe eſt: atque ita verba veteris Symboli, ante motam controverſiam Arianam, Catholici omnes ſemper intellexerunt.

§. 23. Ut igitur rem omnem compendiô dicam; cum inter Arianos & Catholicos conve-

convenerit, per regulam fidei ab initio traditam teneri omnes, credere in Filium Dei unigenitum, ante omnia sæcula ex Deo Patre genitum, Deum *verum* (sive ut Ariani isti loqui maluerunt *perfectum*) per quem omnia facta sunt; unum illud restat inquirendum, utra pars regulam illam rectiùs, hoc est, tum obviæ verborum ipsorum significationi, tum sensui in Ecclesia recepto, congruentiùs interpretata sit; Ariani, qui Filium Dei nihil aliud esse quàm primam creaturam à Deo ex nihilo factam docuerunt; (eò enim omnino rediit, abstersô fucô, ipsorum omnium sententia) an Catholici, qui Deum ipsum esse ipsissimum, ejusdem cum Deo Patre suo naturæ atque essentiæ, crediderunt. Certè autem nihil est quod hîc, veluti in bivio, diu hæreamus; siquidem manifestissimum est, regulæ illius genuinum sensum revera tenuisse solos Catholicos, ab ipso verò Arianos toto cœlo aberrasse, adeoque à Canone Fidei planè desciviſſe.*

Quid igitur de Theodotianis, Artemonitis, Samosatenianis, Photinianis, nostrique sæculi portentis Sociniſtis (quorum tamen Advocatus fieri Episcopius, nec veritus est, nec erubuit) statuendum sit, nemo est, qui per se non facilè videat.

Itaque diligenter investigatis atque accuratè expensis, quæ ante Synodum Nicænam in Ecclesiis obtinuere, fidei Symbolis, abunde tandem liquet, quàm frustra *ex ipsis* Episcopius probare conatus sit, " in primitivis " Ecclesiis, quæ ab ipsis usque Apostolo- " rum temporibus, saltem per tria integra " sæcula, fuerunt, modum istum specialem " Filiationis Iesu Christi, quô nempe ex " ipso Deo Patre ante omnia sæcula geni- " tus, adeoque Deus ipse fuit, *ad salutem* " *scitu ac creditu necessarium non fuisse judi-* " *catum.*" Certè quidem contraria assertio ex iisdem Symbolis omnino evincitur. Ad expediendum nunc quod reliqvum est, Christo Servatore ac Deo nostro adjuvante, pergamus.

---

* *De Arianis quidem, Filium Dei principem omnium creaturarum atq; ex nihilo factum statuentibus, res est clarissima. Verùm & Semiariani, qui* Λόγον *ex Patre natum, ac proinde* ὁμοιούσιον, similis naturæ, *sed non ex substantia DEI Patris genitum, atq;* ὁμούσιον, ejusdem essentiæ *esse docebant, tam à propria vocum in ipsorum pariter ac Catholicorum Symbolis positarum significatione, quàm à prisco S. Patrum sensu aberrârunt.* Τὸ γαρ ἐκ τινὸς φύσει γεννώμενον, καὶ μὴ ἔξωθεν ἐπικτώμενον, υἱὸν οἶδεν ἡ φύσις, καὶ τοῦτο τὸ ὀνόματός ἐστι σημαινόμενον. Quod enim ex aliquo naturaliter gignitur, nec aliunde adsciscitur, istud pro Filio agnoscit natura, eaq; est hujus nominis significatio, *uti Athanasius animadvertit lib. de decretis Nicænæ Synodi. Unde si Semiariani* Λόγον *DEI ex Patre revera genitum esse ac propriè Filium intellexissent, hunc ex ipsa DEI Patris substantia natum, ac ei coessentialem esse confessi fuissent: quod plurimi S. Patres Ante-Nicæni quoad sensum, quidam etiam ipsissimis istis verbis docuerunt, ut in Defens. Fidei Nicænæ Sect. 2. integrâ egregiè à Reverendo Auctore demonstratum est.*

ANNO-

ANNOTATA

Ad CAP. V, VI, & VII.

De primis Confeſſionis fidei in Baptiſmo olim editæ lineamentis, & incrementis, ejuſq; complemento, ipsâ Apoſtolorum ætate atq; authoritate, ſive permiſſione, facto.

§. 1. PRima Symboli Apoſtolici ſtamina, ejuſq; ulteriores in ſingulis Articulis texturas, deniq; ultimum illius complementum ipſo S. Apoſtolorum ævo ac conſilio, aut permiſſu, factum demonſtraturus, rem haud parvi momenti aggredior, eamq; ipsâ ſuâ antiquitate obſcuram, & novellis variorum Commentis magis adhuc obſcuratam. Hiſce meritò accenſenda eſt aſſertio Epiſcopii, quòd antiquiſſimum ac in prima Baptiſmi adminiſtratione uſitatum Symbolum hoc fuerit : *Credo in DEUM Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum*, ut ex verbis ejus ſuprà Cap. 4. §. 1. p. 30. col. 1. citatis patet. Cui Reverendus Bullus §. 3. ejus Capitis pag. 31. col. 1. optimè reſpondet, *illud nunquam pro Symbolo pleno & perfecto habitum fuiſſe, quod omnes Fidei articulos neceſſarios diſertis verbis comprehenderet*, &c. Et hôc Cap. 6. pereruditè probavit, tàm Occidentalem, quàm Orientalem Eccleſiam ante Synodum Nicænam in Baptiſmi Sacramento uſam eſſe Symbolô latiori atq; explicatiori, quàm illud ab Epiſcopio memoratum : *Credo in DEUM Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.* Speciatim autem §. 7. ſeqq; planiſſimè demonſtravit, Symbolum utriuſq; Eccleſiæ, ante Synodum Nicænam uſitatum, minimè deſiiſſe in iſta verba : *Credo in Spiritum Sanctum* ; ſed reliqua fidei Capita de Eccleſia, remiſſione peccatorum, reſurrectione carnis, & vitâ futuri ſeculi jam pridem adjecta fuiſſe. Quid verò ſi ex ipſis Sacris Scripturis accuratè expenſis, adhibitâ legitimarum conſequentiarum ope, probari queat : 1. Ipſa prima Symboli Apoſtolici in antiquiſſima Baptiſmi adminiſtratione uſitati lineamenta ampliora fuiſſe iſtâ ab Epiſcopio traditâ fidei Confeſſione : *Credo in Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum* ; 2. Illud Symbolum mox tanta cepiſſe incrementa, ut ipsâ Apoſtolorum ætate ac auctoritate, vel ſaltem permiſſione, ad iſtam tandem magnitudinem, quâ nunc Symbolum Apoſtolorum vulgò dictum gaudet, excreverit, cunctoſq; habuerit articulos, demptis ſolùm duobus, *de Deſcenſu Chriſti ad inferos*, & *de Communione Sanctorum.*

§. 2. Ambas haſce propoſitiones ut eâ, quam ſubjecta materia patitur, perſpicuitate ac brevitate probem, duas præmitto hypotheſes : 1. Primos Chriſtianos, ſive ex Judæis, ſive ex Ethnicis tales factos, in ſolemni ante ſuſceptum Baptiſmum profeſſione fidei, ſive proprio inſtinctu, ſive S. Apoſtolorum juſſu id obſervâſſe, quod omnibus ab una ſecta ad alteram tranſeuntibus faciendum ipſa ratio dictitat, & perpetua omnium temporum obſervatio confirmat ; ut nempe fundamentalium, qui vocari ſolent, articulorum iſtius, ad quam accedebant, Eccleſiæ, præcipuis ejus, quam deſerebant, Sectæ erroribus è diametro oppoſitorum veritatem confiterentur. 2. Eoſdem primævos fideles ante accepta Sacramenta teſtatum feciſſe aſſenſum ſuum, iſtis Chriſtianæ doctrinæ Capitibus præbitum, quæ in præcedenti Catecheſi erant edocti : neq; enim illa iis iſto ſolùm fine tradebantur, ut ea ex animo amplecterentur, ſed & linguâ profiterentur. Unde Apoſtolus Rom. 10. poſt memoratum verſu 8. *verbum fidei*, addit verſ. 9 & 10. *Quia ſi confitearis in ore tuo Dominum Ieſum, & in corde tuo credideris, quòd DEUS illum ſuſcitavit à mortuis, ſalvus eris. Corde enim creditur ad juſtitiam ; ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Et ſane ſiquis Epiſcopii defenſor, vel quiſcunq; alius, duas haſce hypotheſes inficias ire velit, neſcio prorſus, unde ipſe ſibi vel aliis perſuadere poterit, illam fidei confeſſionem, *Credo in DEUM Patrem, Filium, &*

Spiritum Sanctum, vel ullam aliam, à primis Apostolorum discipulis ante Baptismum editam fuisse. Unde missâ prolixiori horum fundamentorum confirmatione, ilico ad demonstrationem iis superstruendam me accingo.

§. 3. Primum quod attinet Articulum, *Credo in DEUM Patrem*, hunc mox ab initio conversionis Paganorum auctiorem fuisse, & quidem istis, vel similibus, verbis : *unum, omnipotentem, Creatorem cœli & terræ*, vi hypotheseon mearum ita confirmatum do. Capitalis error Ethnicorum, saltem promiscuæ multitudinis, erat πολυθεότης, seu persuasio de pluribus falsis Diis, quorum unus cœli, alter terræ, alius maris, *&c.* haberet potestatem, ac vana horum veneratio. Unde Apostolus Galat. 4. 8. scribit : *Tunc quidem ignorantes DEUM, iis qui naturâ non sunt Dii, serviebatis.* Contrà primarius omnium fidei Christianæ articulorum erat de *uno* vero DEO, à quo omnia in cœlo, terrâ, mariq; dependerent ; de quo notatu & consideratione digna sunt verba Pauli, 1 Corinth. 8. v. 6. *Etsi sunt qui dicantur Dii, sive in cœlo, sive in terra, siquidem sunt* (inter Ethnicos scilicet) *Dii multi, & Domini multi ; nobis tamen* (nempe Christianis) *unus est DEUS Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Hinc Apostoli in primis ad Paganos habitis sermonibus unum istum verum DEUM omnipotentem iis prædicabant, *annunciantes ab his vanis* (simulacris) *converti ad DEUM vivum*, uti de Paulo & Barnaba memoriæ proditum est, Act 14. 14. Similiter Paulus ignotum Athenienſibus DEUM iisdem declarabat, dicens : *Quem ignorantes colitis, hunc ego annuncio vobis. Deus, qui fecit mundum & omnia, quæ in eo sunt, hic cœli & terræ cum sit Dominus*, &c. Act. 17. 23. Quis itaq; dubitaret, ab Ethnicis ad fidem Christianam conversis, unius DEI omnipotentis confessionem ante omnia exactam fuisse ? Dices, Ethnicos ipsos unum supremum DEUM, à quo omnia dependerent, credidisse, ac proinde non opus fuisse, ut eum à Christianis edocti confiterentur. Respondeo, de Philosophis quidem & doctioribus inter Gentiles id omnino verum esse ; non item de plebeiis ac inferioris sortis hominibus, quorum plurimos unum verum DEUM, eumq; omnipotentem ignorâsse, vel sola Pauli ad Galatas verba antè citata evincunt ; ut aliis haud opus sit argumentis. Atqui cum plurimi neophytorum Ethnicorum essent plebeii, omnisq; Philosophorum sapientiæ expertes, juxta 1 Corinth. 1. 26, 27. eos unius omnipotentis DEI notitiam à Christianis accipere, atq; acceptam iisdem per confessionem ante Baptismum reddere, utiq; necesse erat. Sed & doctiores Ethnici, licet unum DEUM statuerent, eum tamen cœlum, terram, ac mare, omniaq; quæ in iis sunt, ex nihilo condidisse ignorabant, aut potiùs præfractè negabant. Unde Apostoli in Catechesi Gentilium, ubi unius DEI mentionem faciunt, mox eum cœli & terræ marisve Creatorem fuisse addunt ; ut non modò ex citato Pauli ad Athenienses sermone, sed & altero loco, Act. 14. 14. patet, ubi post *DEUM vivum* subjungitur : *qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt.* Similiter in fine mundi, cum plenitudo Gentium ad verum DEUM adducenda erit, Angelus *habens Evangelium æternum, ut evangelizet sedentibus super terram, & super omnem gentem, & tribum, & linguam, & populum*, dicturus est : *Timete Dominum & adorate eum, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & fontes aquarum*, Apocal. 14. 6, 7. Debuere itaq; Gentiles, Symbolum fidei suæ solemniter reddituri, in eo ante omnia profiteri, se credere in *unum DEUM omnipotentem, Creatorem cœli & terræ*; quem hactenus ignoraverant, vel negaverant, & modò à Christianis edocti erant.

§. 4. Non possum itaq; subscribere sententiæ eruditorum quorundam Virorum, qui occasione Hæreticorum, puta Valentinianorum, Marcionitarum & cæterorum Gnosticorum, suprà posita verba Seculo 11. Symbolo fidei addita fuisse existimant : utpote quos unitatem DEI ac supremam Creatoris mundi omnipotentiam negâsse, ex Irenæo, Tertulliano, aliisq; qui calamum contra ipsos strinxerunt, clarè patet. Nam nec minùs clarè ex iisdem perspicitur, quòd adversus dictos Hæreticos illam ipsam unius DEI Creatoris in Symbolo confessionem, tanquam ab ipsis Apostolis acceptam urserint. Sic Irenæus lib. 1. postquam τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας ἀκλινῆ, ὃν διὰ τοῦ Βαπτίσματος εἴληφε, *regulam veritatis immobilem, quam per Baptismum* (quisq;) *accepit*, memoraverat cap. 1. pag. 44. nostræ editionis, mox cap. 2. pag. 45. eam subjungit cum hac præfatione : ἡ μὲν γὰρ Ἐκκλησία, καίπερ καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης ἕως περάτων τῆς γῆς διεσπαρμένη, παρὰ δὲ τῶν Ἀποστόλων καὶ τῶν ἐκείνων μαθητῶν παραλαβοῦσα τὸν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, τὸν πεποιηκότα τὸν οὐρανὸν, καὶ τὴν γῆν, καὶ τὰς θαλάσσας, καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς, πίστιν· *Ecclesia enim per universum orbem*

orbem uſq; ad fines terræ ſeminata, & ab Apoſtolis & Diſcipulis eorum (qui nempe ab ipſis emiſſi, hîc illîc Evangelium prædicabant) *accepit eam fidem, quæ eſt in unum DEUM, Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt.* Et ſequenti cap. 19. pag. 93. col. 1. lin. 11. *Cum teneamus autem nos regulam veritatis, id eſt, quia ſit unus DEUS omnipotens, qui omnia condidit per Verbum ſuum*, &c. Similiter lib. 3. cap. 4. pag. 205. & ſeq; noſtræ edit. memorat *veterem traditionem*, hancq; in compendio recitans ait : *in unum DEUM credentes, fabricatorem cœli, & terræ, & omnium quæ in eis ſunt.* Confer lib. 2. cap. 9. pag. 128. col. 2. lin. 16. & pag. 129. col. 1. lin. 4. Deniq; lib. 4. cap. 62. pag. 360. lin. 11. εἰς ἕνα Θεὸν παντοκράτορα, ἐξ οὗ τὰ πάντα, πίστις ὁλόκληρος· *In unum DEUM omnipotentem, ex quo omnia*, (nempe per creationem) *fides integra.* Similiter Tertullianus de Præſcript. adverſus Hæreſes cap. 13. *Regula eſt autem fidei, quâ creditur unum omnino DEUM eſſe, nec alium præter mundi Conditorem.* Quomodo de Virginibus velandis cap. 11. Symbolum fidei recitans ait : *In unicum DEUM omnipotentem, mundi Conditorem.* Atqui *hanc Regulam ab initio Evangelii decucurriſſe*, expreſsè ſcribit lib. adverſus Praxean cap. 2. Ex quibus aliiſq; Veterum teſtimoniis, brevitatis ergo omiſſis patet, eos Hæreticis confeſſionem unius DEI Creatoris in Symbolo, tanquam ab ipſis Apoſtolis initiô Evangelicæ prædicationis traditam oppoſuiſſe. Subdolè autem & perabſurdè egiſſent, ſeq; Hæreticis execrandos ac ridendos propinâſſent, ſi illos ex clauſula Symboli, ab Epiſcopis eorum adverſariis demum additâ, refutare, eamq; pro Apoſtolica traditione venditare tentâſſent. Non igitur illa Hæreticorum doctrinæ ab Epiſcopis, ſed Ethnicorum errori ab Apoſtolis oppoſita, Symboloq; fidei appoſita fuit.

§. 5. Sed & in ſecundo Confeſſionis Fidei Articulo nudum *Filii* titulum prolatum fuiſſe, Epiſcopius falsò aſſeruit. *Ieſu Chriſti* quippe nomina expreſſa leguntur in confeſſione Eunuchi Candaces, Reginæ Æthiopum, Act. 8. 37. πιστεύω τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ εἶναι τὸν Ἰησοῦν Χριστόν· *Credo Filium DEI eſſe Jeſum Chriſtum.* Quanquam neq; hâc formulâ integram fidei de Filio DEI profeſſionem editam fuiſſe putandum ſit. Haud firmiter enim ex eo, quòd Lucas ſola iſta Eunuchi verba deſcripſerit, concludas, hunc non plura prolocutum eſſe ; cum ex aliis Actorum Apoſtolicorum locis conſtet, Lucam aliquando compendium ſermonum ab aliis habitorum feciſſe. Sic v. g. in hiſtoria converſionis Pauli Act. 9. 17. hæc ſola Ananiæ ad Paulum verba conſignata leguntur : *Saul frater, Dominus miſit me, qui apparuit tibi in via quâ veniebas, ut videas & implearis Spiritu S.* Aſt ipſe Apoſtolus Act. 22. 14. ſequentia inſuper ab Anania addita memorat : *DEUS Patrum noſtrorum præordinavit te, ut cognoſceres voluntatem ejus, & videres juſtum, & audires vocem ex ore ejus, quia eris teſtis illius ad omnes homines eorum quæ vidiſti & audiſti. Et nunc quid moraris ? Exſurge, & baptizare, & ablue peccata tua, invocatô nomine ipſius.* Ac quis dubitet, Eunuchum in confeſſione ſua teſtatum feciſſe aſſenſum, quem præbuerat iis, quæ à Philippo ei prædicata erant de Chriſti paſſione, morte, & reſurrectione, occaſione captâ ex verbis Eſaiæ : *Tanquam ovis ad occiſionem ductus eſt*, &c ? Similiter alios quoq; ante Baptiſmum profeſſionem de dictis capitibus, de quibus in Catecheſi præinſtructi erant, edidiſſe, ex hypotheſi noſtra deducitur. Quippe S. Apoſtolos primùm omnium paſſionem, mortem, atq; reſurrectionem Ieſu tam ludæis, quàm Ethnicis prædicâſſe, ex Actorum. 2. 22. ſeqq. 3. 13. ſeqq. 10. 36. ſeqq. 13, 27. ſeqq. &c. patet. Unde Paulus Agrippæ dicebat, Act. 26. 22, 23. *Se minori atq; majori teſtificari, quòd paſſurus eſſet Chriſtus, & primus ex reſurrectione mortuorum lumen annunciaturus populo & gentibus.* Præſertim notatu digna ſunt ejuſdem verba 1 Corinth. 15. 3, 4. *Tradidi enim vobis in primis, ἐν πρώτοις, quod & accepi, quoniam Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum Scripturas, & quia ſepultus eſt, & quia reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas.* Quæ ipſa ſunt tria Articuli de Chriſto commata, eodem, quô in Symbolo Apoſtolico recitantur, ordine expreſſa ; quæ tanquam *prima* fidei capita ſe Corinthiis tradidiſſe ait Apoſtolus. Neq; id mirum : ſiquidem paſſionem ac mortem Chriſti ſive Meſſiæ, reſurrectionem verò Ieſu pertinaciter negabant Judæi ; utramq; autem ridebant Ethnici. Unde Paulus iiſdem Corinthiis ſcribebat ejuſdem prioris Epiſtolæ cap. 1. v. 23, 24. *Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam : ipſis autem vocatis Judæis atq; Græcis, Chriſtum DEI virtutem atq; ſapientiam.* Vi igitur alterius quoq; hypotheſeos noſtræ, utriq; ante ſuſceptum Chriſtianæ fidei Sacramentum, ejus præcipuos hoſce articulos, ab ambabus ſectis rejectos, aut proprio inſtinctu, aut Apoſtolorum juſſu profeſſi ſunt.

§. 6.

§. 6. Quæ post *resurrectionem* Christi sequuntur, *ascensio ejus in cœlos, sessio ad dextram DEI Patris, ac reditus ad judicandum vivos atq; mortuos*, hæc à Judæis atq; Ethnicis aut negata, aut ignorata fuisse, certum est. Unde cum Servator de carne sua comedenda ac sanguine bibendo locutus esset, ac *murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis adscendentem ubi erat priùs?* Joan. 6. 61, 62. Quasi adscensio ejus in cœlos magis adhuc absurda ipsis videretur, quàm mysterium edendæ carnis & bibendi sangvinis ejus. Et sane cum Dominus noster coram Principe Sacerdotum dixisset: *A modò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis, & venientem in nubibus cœli*; *tunc Princeps Sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit, quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audîstis blasphemiam, quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis.* Matth. 26. 64, 65, 66. Atq; hinc S. Petrus, Princeps Apostolorum ac Sacerdotum N. T. in Catecheticis tam ad Judæos, quàm ad Gentes sermonibus mentionem fecit adscensionis Christi in cœlum, sive exaltationis ad dextram DEI, ut super omnia dominaretur, ac tandem in omnes, tam vivos quàm mortuos, judicium ferret. Vide Act. 2. 33. seqq. & 3. 20, 21. nec non 10, 42. ubi ex præcepto Christi se hoc facere testatur in sermone ad Cornelium his verbis: *Et præcepit nobis prædicare populo & testificari, quia ipse est qui constitutus est à DEO judex vivorum & mortuorum.* Hæc si hypothesibus ab initio positis jungantur, iterum inde concludere licebit, quòd horum quoq; articulorum confessionem Judæi ac Gentiles nuper conversi, & jamjam baptizandi, debitè ediderint

§. 7. Discedere itaq; cogor ab opinione nuperi doctissimi in Historiam Symboli Apostolici Commentatoris, cui articulus de Ascensione Christi huic Symbolo seculô 2. appositus videtur, atq; oppositus Apelli discipulo Marcionis, de quo Auctor Appendicis ad Tertulliani lib. de Præscript. adversus Hæret. cap. 51. scribit: *Christum neq; in phantasmate dicit fuisse, sicut Marcion, neq; in substantia veri corporis, ut Evangelium docet*; *sed in eo quod è superioribus partibus descenderet, ipso descensu sideream sibi carnem & aeream contexuisse: hunc in resurrectione singulis quibusq; elementis, quæ in descensu suo mutuata fuissent, in ascensu reddidisse, & sic dispersis quibusque corporis sui partibus, in cœlo Spiritum tantùm reddidisse.* Quippe ex his aliorumq; Patrum de Apelle verbis patet, ipsum non simpliciter *Christi*, sed *carnis Christi* adscensionem in cœlos negâsse. Si igitur ad excludendum hunc errorem Patres articulum de adscensione Christi Symbolo apposuissent, non ita nudè protulissent, *adscendit in cœlos*, sed dixissent τὴν ἔνσαρκον εἰς τοὺς οὐρανοὺς ἀνάληψιν, *in carne in cœlos adscensionem*, uti Irenæus in Enarratione Symboli ait lib. 1. cap. 2. pag. 45. lin. 11. in mente, ut videtur, habens dictam Apellis hæresin, quanquam ejus nullam alicubi fecerit mentionem. Similiter si adversus delirium Hermogenis, corpus Christi in Sole depositum statuentis, directus fuisset iste Symboli articulus, Christus super omnes cœlos sive super omnia *sidera* cum corpore suo adscendisse diceretur. Par inde est ratio sequentium commatum de *sessione ad dextram Patris*, & *reditu ad judicandum vivos atq; mortuos*; quorum illud si errori eorum oppositum fuisset qui affirmabant, Servatoris *carnem in cœlis vacuam sensu, ut vaginam, exempto Christo sedere*, teste Tertulliano lib. de carne Christi cap. 24. hoc verò appositum ad excludendam hæresin partim Marcionitarum, DEUM Patrem Christi justum sive judicem esse negantium, partim Gnosticorum, libertatem arbitrii inficias euntium, uti Vir antè laudatus opinatur; utrumq; si non pluribus, saltem specialioribus atq; talibus fuisset conceptum verbis, quæ dictas hæreses directè ferirent. Dum autem auctores Symboli simpliciter & generalibus, ut vocant, terminis Catechumenos profiteri docuerunt, IESUM Christum filium DEI *adscendisse in cœlos, sedere ad dextram DEI Patris, indeq; venturum ut judicet vivos ac mortuos*, confessionem hancce iis, qui simpliciter ista hactenus negarânt aut ignorârant, Judæis nempe atq; Ethnicis ad fidem conversis, præscripsisse omnino sunt censendi.

§. 8. Quid verò de ea, quæ *passionem, mortem, resurrectionem* &c. præcedit, *conceptione* Iesu Christi *ex Spiritu sancto*, & *nativitate ex Maria Virgine* statuendum? An illam quoq; jam inde ab initiô Judæi ac Gentiles ante Baptismum sunt professi? Equidem de ipsis Christianæ Ecclesiæ primordiis aliquantùm dubito, quòd in nullo Catecheticorum, qui in Actis Apostolorum extant, sermonum ulla vel conceptionis ex virtute Spiritus Sancti sine virili semine, vel nativitatis ex Maria Virgine facta sit mentio, quòdq; nec universè Apostolos eam Judæis vel Ethnicis prædicâsse, neq; hos

hos illosve contra ipſam diſputâſſe, ibidem legamus; uti quidem de reſurrectione Chriſti factum conſtat. Haud vanè igitur augurari licet, hujus myſterii propalationem pleniori Evangelii expoſitioni poſt Baptiſmum reſervatam fuiſſe; vel quòd omnibus in univerſum, tam Iſraelitis quàm reliquis mortalibus, planè impoſſibilis videretur virginis citra maris concubitum partus (Vide Juſtini M. Dial. cum Tryphone locô infrà cap.7. §. 4. citatô) vel quòd non æquè neceſſaria putaretur ſupernaturalis Chriſti conceptionis ac nativitatis notitia, ac paſſionis atq; reſurrectionis ejus fides. Unde de priori non modò in nullis S. Apoſtolorum ſermonibus, de quibus antè dictum, ſed neq; in omnibus ſcriptis Evangelicæ Hiſtoriæ Commentariis tractatum legitur; S. Matthæô & Luca quidem illam prolixè deſcribentibus, S. Marcô autem prorſus tacente, (ut de S. Joanne nihil dicam) cum contrà poſteriorem cuncti expreſſis verbis ediſſeruerint, & nullus non IV Evangeliſtarum Scriptis poſtea fuſiùs enarraverit. Nullum verò eſt dubium, quin haud diu poſt jacta Eccleſiæ Chriſtianæ fundamenta, ac publicata præſertim Evangelica ὑπομνήματα, Judæi pariter ac Gentiles mirabilem Servatoris ex B. Maria Virgine partum, virtute Spiritûs S. editum oppugnare cœperint, indeq; iis, qui ex utriſq; ad Chriſtum convertebantur, anſa data, imò neceſſitas impoſita fuerit, immaculatam ejus conceptionem ac nativitatem inter alios fidei ſuæ articulos profitendi. Ut adeo haud probabilis mihi videatur Virorum doctorum ſententia, quâ ad Carpocratis, Cerinthi ac Ebionæorum Hæreſin (quæ Chriſtum ex Joſepho ac Maria genitum impiè aſſerebat) excludendam demum iſta, de quibus hactenus diſſerui, Symbolo fidei acceſſiſſe pronuntiant. Quanquam hôc quoq; poſitô, licet non conceſsô, Apoſtolicæ tamen auctoritati, vel ſaltem permiſſioni, dictum Confeſſionis fidei augmentum foret adſcribendum; ſiquidem execranda illa Hæreſis ex orco caput extulit, cum S. Joannes, & forte alii etiam Apoſtoli adhuc in vivis eſſent. Vide Irenæi Lib. III. cap. 3.

§. 9. Progredior ad tertium Symboli Apoſtolici articulum de Spiritu ſancto, in quem ſe credere, Apoſtolorum diſcipuli in Baptiſmo utiq; teſtati ſunt, ut ipſe Epiſcopius rectè affirmat; alii verò perperam inficias eunt, ſolius Jeſu Chriſti, Filii DEI, notitiam atq; profeſſionem neceſſariam eſſe opinantes. Quibus refutandis vel ſola Actorum Apoſtolicorum Hiſtoria cap. 19. v. 2. ſeqq; ſufficit. Sed quid de iis, quæ poſt Spiritus S. confeſſionem in Symbolo ſequuntur, fidei capitibus ſtatuendum? Diſpiciamus de ſingulis, initiô factô *à Remiſſione peccatorum*: quippe Articulum de *Eccleſia* in antiquiſſimis, plurium ſaltem Eccleſiarum, Symbolis non continuò poſt Spiritum ſanctum, ſed poſteriori, imò in quibuſdam poſtremô omnium locô poſitum fuiſſe, ex aliquot Patrum & Confeſſionum textibus, hôc Capite 6. à doctiſſimo Auctore noſtro allegatis liquet. Atqui *Remiſſionem peccatorum* per Chriſtum partam, & per Baptiſmum in nomen ejus fidelibus impartiendam, tam Petrus, quàm Paulus, in primis Catecheſibus diſertè Judæis pariter ac Ethnicis tradiderunt. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſq; veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum*, ait Petrus in primo ſermone Hieroſolymis habito, Act. 2. 38. (Unde, ut obiter id moneam, formatus videtur articulus priſci Symboli Hieroſolymitani, ſuprà pag. 48. col. 2. recitati: *Et in unum Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*) Ac primam quoq; ad Ethnicos Orationem hac de Remiſſione peccatorum doctrinâ claudit, dicens: *Huic* (Chriſto) *omnes Prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum.* Act. 10. 43. Similiter Paulus Act. 13. 38, 39. *Notum igitur*, inquit, *ſit vobis, Viri fratres, quia per hunc vobis remiſſio peccatorum annunciatur; & ab omnibus, quibus non potuiſtis in Lege Moſis juſtificari, in hoc omnis, qui credit, juſtificatur.* Neq; mirum; ſiquidem ipſe Servator poſt reſurrectionem ſuam Apoſtolis expreſsè dixerat, quòd *oporteret prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hieroſolymis*, Luc. 24. 47. Hanc itaq; Evangelicæ prædicationis ſummam ac omnis Filii DEI οἰκονομίας in præcedentibus Symboli verbis expoſitæ fructum, ſicut Apoſtoli eorumq; ſucceſſores in Catecheticis ſermonibus diſertè tradiderunt; ita viciſſim Catechumenos in Symbolo fidei ſuæ ante Baptiſmum iiſdem quaſi reddidiſſe, haud eſt dubitandum. Et aliquos quidem ſubinde ita feciſſe inter ipſa Eccleſiæ Chriſtianæ primordia, fatetur ſuprà laudatus Hiſtoriæ Symboli Apoſtolici Auctor; perpetuam verò remiſſionis peccatorum in Confeſſione fidei mentionem S. Cypriani ætate demum obtinuiſſe ſtatuit, occaſione ſcilicet Hæreticorum, præcipuè Novatianorum, qui indulgentiam criminum poſt Baptiſma commiſſorum in Eccleſiæ poteſtate ſitam eſſe negârunt. Verùm obſtat huic conjecturæ, quòd in ipſo Novatianorum

rum Symbolo iſto de remiſſione peccatorum articulus fuerit expreſſus, teſte S. Cypriano, Epiſt. 76. Pamel. 69. Oxon. ſive lib. 1. Epiſt. 6. ita ſcribente: *Quod ſi aliquis illud opponit, ut dicat eandem Novatianum legem tenere, quam Catholica Eccleſia teneat, eodem Symbolo, quô & nos baptizare; ſciat quiſquis hoc opponendum putat, primùm non eſſe unam nobis & Schiſmaticis Symboli legem, neq; eandem interrogationem. Nam cum dicunt*: Credis remiſſionem peccatorum & vitam æternam per ſanctam Eccleſiam; *mentiuntur in interrogatione, quando non habeant Eccleſiam*, &c. Aſt haud ſimile vero videtur, ipſos Novatianos *remiſſionem peccatorum per ſanctam Eccleſiam* in Confeſſione fidei ſuæ poſituros aut retenturos fuiſſe, niſi idem jam antè in cuncta aliarum Eccleſiarum Symbola receptum vidiſſent. Deinde ſi hæc remiſſionis peccatorum profeſſio in quibuſdam Eccleſiis antè haud uſitata, ad excludendum demum Novatianorum rigorem Symbolis earum fuiſſet inſerta, tum criminum *poſt accepta Sacramenta commiſſorum* mentio vel alia ſimilis phraſis in iis occurreret. Verùm contrà in omnibus vel *remiſſionem peccatorum* in genere, vel *unum Baptiſmum pœnitentiæ*, ſive ſimpliciter *unum Baptiſmum in remiſſionem peccatorum* legimus; quarum prior formula errori Novatianorum prorſus non contradicit; poſterior etiam ei quodammodo favere videri poterat. Quod autem Vir eruditus objecit, nec in Irenæi, neq; in Tertulliani aut Origenis recenſionibus Symboli mentionem remiſſionis peccatorum factam eſſe; ad id breviter reſpondeo, ab iſtis, quibus dicti S. Patres Apoſtolicam fidei regulam obtenderunt, Hæreticis indulgentiam peccatorum haud negatam, aut ſaltem talem eorum errorem ipſis haud notum fuiſſe, ac proinde haud neceſſarium viſum, ut hunc Articulum memorarent. Quanquam tam Irenæum, quàm Tertullianum ad illum ipſum in Scriptis ſuis alluſiſſe, ipſe Reverendus Auctor noſter in hoc 6 Capite §. 7. & 13. ingeniosè monſtraverit.

§. 10. *Reſurrectionem mortuorum* jam inde ab ipſis Chriſtianæ fidei initiis Symbolo inſertam fuiſſe, cenſet Doctiſſimus Scriptor Hiſtoriæ Symboli Apoſtolici pag. 390. Ac de primo quidem initio aliquantulùm dubito, quia tam Petri, quàm Pauli Catechetici Sermones Act. 2. 10. 13. *remiſſione peccatorum* finiuntur; neq; hujus concio apud Athenienſes expreſsè reſurrectionem mortuorum, ſed ſolùm ſuſcitationem Ieſu Chriſti è mortuis ſonat, Act. 17. 31. Quanquam auditores inde reſurrectionem mortuorum universè collegiſſe videantur; ſiquidem mox ſequenti vers. 32. additur: *Cum autem audiſſent reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant; quidam verò dixerunt: Audiamus à te hoc iterum.* Ex quibus petenda quoq; mihi videtur explicatio dicti de Paulo v. 18. quod *Ieſum & reſurrectionem* annuntiaverit, i. e. *reſurrectionem Ieſu* ſive *in Ieſu cœptam*; ſicuti de reliquis Apoſtolis ſcriptum eſt, Act. 4. 39. *Et virtute magnâ reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Domini Ieſu.* Accedit quòd exortis inter Corinthios quibuſdam, *qui dicebant, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt*, 1 Cor. 15. 12. Apoſtolus in memoriam eis revocans, quænam ibi prædicaverat, Chriſti quidem mortem & reſurrectionem ſe ἐν πρώτοις tradidiſſe dicat v. 3. ſeq. ex eâq; reſurrectionem cunctorum fidelium probet; hanc autem eos antea edocuiſſe, ipſos verò hoc depoſitum eis concreditum abjeciſſe, ne verbô quidem innuat. Similiter 1 Theſ. 4. 13. ſcribit: *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent. Si enim credimus quòd Ieſus mortuus eſt & reſurrexit; ita & Deus eos qui dormierunt per Ieſum, adducet cum eo.* Quaſi illud hactenus ignoraverint; ut jam opus fuerit, hoc tanquam conſectarium, ex prædicata antè reſurrectione Ieſu Chriſti deductum ipſis tradere. Et ſane notatu digna ſunt verba Lucæ, de prædicatione Pauli apud Theſſalonicenſes ita ſcribentis Act. 17. 2, 3. *Per Sabbata tria diſſerebat eis de Scripturis, adaperiens & allegans, quia Chriſtum oportuit pati & reſurgere à mortuis, & quia hic eſt Chriſtus Ieſus, quem ego annuntio vobis.* Ubi reſurrectionis quidem Chriſti, ſed non fidelium universè mentio facta. Non videtur itaq; S. Paulus mox ab initio inter prima fidei rudimenta reſurrectionem mortuorum Catechumenis tradidiſſe. Verumtamen cum ea publicè à quibuſdam impugnata, ac ab aliis in dubium vocata fuiſſet, tunc ſane eam ut appendicem ad reliquos Symboli articulos acceſſiſſe haud dubito; atq; hinc factum conjicio, ut Apoſtolus Hebr. 6. 2. *reſurrectionem mortuorum & judicium æternum* inter fundamentalia quidem doctrinæ Chriſtianæ Capita, attamen à *fide in DEUM*, & *baptiſmatum doctrinâ* diſtinctam ultimô locô memoraverit. Atqui cum ibi *judicium æternum* cum *reſurrectione mortuorum* jungatur, jam tum articulum de ſtatu *vitæ æternæ* poſt extremum judicium, Symbolo, in quibuſdam ſaltem Eccleſiis, additum fuiſſe, inde colligo.

§. 11.

§. 11. Quod deniq; comma de *Eccleſia* attinet, hoc poſtremò omnium Symbolo additum vel inſertum fuiſſe puto, non ſolùm quia in formula Novatianorum apud Cyprianum Epiſt. 76. & in Confeſſione Arii atq; Evzoii ſuprà §. 9. allegatâ ultimum obtinet locum, ſed & quia neq; in ſermonibus Catecheticis vel Epiſtolis Apoſtolorum ulla ejus fit mentio; ut adeo hic articulus occaſione Hæreticorum & Schiſmaticorum, poſtquam ſeorſim ab Eccleſia Orthodoxa congregari cœperunt, reliquis acceſſiſſe videatur ſub finem ſæculi primi vel initium ſecundi. Tertulliani enim tempore fideles jam in Symbolo profitebantur *ſanctam Eccleſiam*, uti patet ex primo omnium ejus libro de Baptiſmo ubi ſcribit: *Cum autem ſub tribus & teſtatio fidei, & ſponſio ſalutis pignorentur, neceſſariò adjicitur Eccleſiæ mentio; quoniam ubi tres, id eſt, Pater Filius & Spiritus ſanctus, ibi Eccleſia, quæ trium corpus eſt.* Confer alium Tertulliani locum ſuprà hujus Cap. 6. §. 7. citatum. De *Communione Sanctorum* non opus eſt ut verba faciamus; ſiquidem conſtat, non ante Sæculum à Chriſto nato quartum ejus mentionem in Symbolo occurriſſe.

§. 12. Unicus, quem conſultò prætermiſi, reſtat articulus de *Deſcenſu Chriſti ad inferos*; cujus genuinum ſenſum adeo eruditè expoſuit ſæpe laudatus Hiſtoriæ Symboli Apoſtolici Auctor, ut à conſummatiſſimo Theologo haud meliora expectari queant. Sub finem verò prolixæ Diſſertationis Cap. 4. dictum articulum contra Arianos vel Apollinariſtas, animam ſive ſpiritum Chriſto denegantes, Symbolo inſertum fuiſſe opinatur, quia S. Patres in dictis Hæreticis refellendis hôc uſi ſunt argumentô: Chriſtus ad inferos deſcendit, vel ſecundum Divinitatem, vel ſecundum animam, vel ſecundum corpus. Atqui abſurdum eſt ſive Divinitati, ſive corpori, deſcenſum ad inferos adſcribere; ergo ſecundum animam deſcendiſſe, ac per conſequens animâ prædituum fuiſſe, ſtatuendum eſt. Sed huic ſententiæ obſtat, quòd in nulla Confeſſione Chriſtus *ſecundum animam* in inferno fuiſſe, ſed ſimpliciter, *ad inferos*, vel *in ſubterranea loca deſcendiſſe* dicatur, quòdq; in quibuſdam ipſorum Arianorum, nec non aliis ſectâ Apollinaris antiquioribus fidei formulis hic articulus occurrat. Unde is potiùs occaſione Valentinianorum & Marcionitarum jam pridem Symbolo additus fuiſſe mihi videtur. Illi enim, teſte Irenæo lib. 5. adverſus Hæreſes cap. 31. pag. 450. col. 2. *ſimul atq; mortui fuerunt, dicunt ſe ſupergredi cœlos & Demiurgum, & ire ad matrem, vel ad eum, qui ab ipſis affingitur, Patrem.* Et paulo pòſt pag. 451. col. 1. *Dicunt, inferos quidem eſſe hunc mundum, qui ſit ſecundum nos; interiorem autem hominem ipſorum, derelinquentem hîc corpus, in ſupercœleſtem aſcendere locum.* Quod eorum de inferno commentum perſtringens quoq; Tertullianus lib. de Anima cap. 55. *Nobis inferi*, inquit, *non nuda cavoſitas, nec ſubdivalis aliqua mundi ſentina creduntur; ſed in foſſa terræ & in alto vaſtitas, & in ipſis viſceribus ejus abſtruſa profunditas.* Ad probandam itaq; exiſtentiam inferioris ſub terra loci, & fidelium animarum in eum deſcenſionem, S. Patres petebant argumentum à deſcenſu ipſius Chriſti in infernum, de quo Irenæus locô citatô hæc habet verba: *Si hæc ita eſſent, quemadmodum dicunt, ipſe utiq; Dominus, in quem ſe dicunt credere, non in tertia die feciſſet reſurrectionem; ſed ſuper crucem exſpirans, confeſtim utiq; abiiſſet ſurſum, relinquens corpus terræ. Nunc autem tribus diebus converſatus eſt, ubi erant mortui, quemadmodum Propheta ait de eo* &c. *Sed & Apoſtolus ait:* Aſcendit autem quid eſt, niſi quia & deſcendit in inferiora terræ? *Hoc & David in eum prophetans dixit:* Et eripuiſti animam meam ex inferno inferiori. — *Si ergo Dominus legem mortuorum ſervavit, ut fieret primogenitus à mortuis, & commoratus uſq; ad tertiam diem in inferioribus terræ; pòſt deinde ſurgens in carne, ut etiam fixuras clavorum oſtenderet diſcipulis, ſic adſcendit ad Patrem; quomodo non confundantur, qui dicunt, inferos quidem eſſe hunc mundum* &c. uti ſuprà. *Cum enim Dominus in medio umbræ mortis abierit, ubi animæ mortuorum erant, pòſt deinde corporaliter reſurrexit, & poſt reſurrectionem aſſumptus eſt; manifeſtum eſt, quia & diſcipulorum ejus, propter quos & hæc operatus eſt Dominus, animæ abibunt in inviſibilem locum, definitum eis à Deo, & ibi uſq; ad reſurrectionem commorabuntur, ſuſtinentes reſurrectionem, pòſt recipientes corpora, & perfectè reſurgentes, hoc eſt corporaliter, quemadmodum & Dominus reſurrexit, ſic venient ad conſpectum DEI.* Eodem argumento uſus eſt Tertullianus, antedictô locô ſic ſcribens: *Chriſtum in corde terræ triduum mortis legimus expunctum, id eſt, in receſſu intimo & interno, & in ipſa terra opertô, & intra ipſam cavatô, & inferioribus adhuc abyſſis ſuperſtructo. Quod ſi Chriſtus Deus, quia & homo, mortuus ſecundum Scripturas, & ſepultus ſecundum easdem, huic quoq; Legi ſatisfecit, formâ humanæ mortis apud inferos functus, nec antè aſcendit in ſublimiora cœlorum,*

quàm

quàm deſcendit in inferiora terrarum, ut illîc Patriarchas & Prophetas compotes ſui faceret. Habes & regionem inferûm ſubterraneam credere, & illos cubitos pellere, qui ſatis ſuperbè non putent animas fidelium inferis dignas: ſervi ſuper Magiſtrum, aſpernati, ſi forte in Abrahæ ſinu, expectandæ reſurrectionis ſolatium carpere. Valentinianorum itaq; & Marcionitarum, potiùs quàm Arianorum & Apollinariſtarum hæreſis cauſa fuiſſe videtur, ut Articulus de Deſcenſu Chriſti ad inferos Symbolo inſertus fuerit: niſi forte quis affirmare malit, primas ipſorum Apoſtolorum Catecheſes occaſionem dediſſe Catechumenis in Confeſſionibus fidei ſuæ ſubinde exprimendi, quòd Chriſtus ad inferos deſcenderit. Nam ipſe Apoſtolorum Princeps in primo ſermone Hieroſolymis die Pentecoſtes habitô dictum Articulum planiſſimè expoſuit, dum ait: *Quod non derelicta ſit anima ejus in inferno, neq; caro ejus viderit corruptionem*, Act. 2. 31.

§. 13. Ex omnibus igitur hactenus dictis, ſi debitè conſiderentur, haud obſcurè eluceſcere puto, omnes Symboli Apoſtolici Articulos, exceptis de *Communione Sanctorum*, ac de *Eccleſia* forte, nec non de *Deſcenſu Chriſti ad inferos*, ipsâ S. Apoſtolorum ætate ac auctoritate, vel ſaltem approbatione, à primævis Chriſtianis in ſolemnibus fidei, ſuæ Confeſſionibus expreſſos fuiſſe, ac proinde Symbolum fidei, quoad ſubſtantiam plurimorum Articulorum, rectè *Apoſtolicum* dici, et pro traditione ab Apoſtolis atq; eorum diſcipulis acceptâ meritò venditatum eſſe ab Irenæo locis ſuprà pag. 63. col. 1. allegatis, alios recentiores Patres ut taceam. Et ſane vix ac ne vix quidem fieri potuiſſet, ut tot in tam diſſitis mundi partibus Eccleſiæ in formula fidei ac tot ejus articulis adeo conveniſſent, niſi talis ab auctoritate, quam omnes agnoſcerent, in cunctas emanâſſet. Quod verò Confeſſiones ſingularum Eccleſiarum quoad verba atq; phraſes differant, id inde factum, quia *Symbolum fidei & ſpei noſtræ, quod ab Apoſtolis eſt traditum, non ſcriptum fuit in charta & atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus*, uti Hieronymus ſcripſit Epiſt. 61. cap. 9. Unde liberum unicuiq; erat, quibus vellet, verbis ſenſum ejus exprimere. Cæterum nolim in me ſuſcipere probationem iſtius *traditionis*, quam Rufinus Expoſit. in Symbolum memorat, ita de 12 Apoſtolis ſcribens: *Diſceſſuri ab invicem normam priùs futuræ prædicationis in commune conſtituunt, ne forte alii ab aliis abducti, diverſum aliquid his, qui ad fidem Chriſti invitabantur, exponerent. Omnes ergo in uno poſiti, & Spiritu S. repleti, breve iſtud futuræ ſibi prædicationis indicium, conferendo in unum quod ſentiebat unuſquiſque, componunt, atq; hanc credentibus dandam eſſe regulam ſtatuunt.* Quanquam quantum ad prima Symboli Apoſtolici ſtamina, in Catecheticis Petri & Pauli ſermonibus delineata, tale quid factum eſſe, vero haud ſit abſimile. Flocci verò facienda diviſio 12 Symboli articulorum inter 12 Apoſtolos, ab Auctore Sermonis 115. de Tempore Tom. 10. Operum Auguſtini tradita, aliaq; hujuſmodi commenta, de quibus quicquam hoc loco dicere nihil attinet.

* *Dial. cum Tryphon. pag. 267.*

† *Lege* ῥῆσιν.

CAP.

CAP. VII.

De celebri loco Justini in Dialogo cum Tryphone Judæo.

§. 1. SUpereſt alterum Epiſcopii argumentum, quô aſſertionem ſuam probare nititur : " Secun-
" dum (*inquit*) quô Antecedens probo, eſt :
" Ex Juſtino Scriptore antiquiſſimo,(quippe
" qui floruit anno poſt natum Chriſtum
" *CL.*) & pro Chriſtiana religione Marty-
" re, non obſcurè patet, Eccleſias Chriſtia-
" nas iſtorum temporum non modò non
" judicâſſe neceſſariam ad ſalutem modi
" iſtius peculiaris tum determinationem,
" tum profeſſionem, ſed & communionem
" coluiſſe cum iis, qui modum iſtius Filia-
" tionis negabant, & Ieſum Chriſtum non
" niſi ψιλὸν ἄνθρωπον, ſeu hominem ex ho-
" minibus, & electione Chriſtum factum
" eſſe, ſe credere profitebantur. Locus
" Juſtini, unde id liquet, extat in Dialogo
" ejus cum Tryphone Judæo, quem cita-
" tum videre eſt in Apologia Remonſtran-
" tium ſub finem Reſp. ad Cenſuram cap.
" III. & prolixè deductum ſtabilitumque
" in Reſp. Remonſtr. noſtra ad ſpecimen
" Calumniarum, *&c.* Profeſſorum quatuor
" Leydenſium. Nos, ne actum agamus, ad
" iſta Scripta vos remittimus." Hæc ille.

§. 2. Locum hîc adferam integrum, non, ut à Remonſtrantibus in ſua Apologia citatur, mutilum, caudâque decurtatum. Sic igitur eo in loco Juſtinus diſſerit : * ἤδη μέν τοι, ὦ τρύφων, ὅτι ἀπόλλυται τὸ † τοιοῦτον εἶναι Χριστὸν τοῦ Θεοῦ, ἐὰν ἀποδεῖξαι μὴ δυνώμαι, ὅτι καὶ προϋπῆρχεν υἱὸς τοῦ ποιητοῦ τῶν ὅλων, Θεὸς ὤν, καὶ γεγέννηται ἄνθρωπος διὰ τῆς παρθένου, ἀλλ' ἐκ παντὸς ἀποδεικνυμένου, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστὸς ὁ τοῦ Θεοῦ, ὅστις ποτὲ ἔσται. ἐὰν γὰρ μὴ ἀποδεικνύω, ὅτι προϋπῆρχε, καὶ γεννηθεὶς ἄνθρωπος ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν, σάρκα ἔχων, κατὰ τὴν τοῦ πατρὸς βουλὴν ὑπέμεινεν, ἐν τούτῳ πεπλανῆσθαί με μόνον λέγειν δίκαιον, ἀλλὰ μὴ ἀρνεῖσθαι ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστός, ἐὰν φάνηται ὡς ἄνθρωπος ἐξ ἀνθρώπων γεννηθεὶς, καὶ ἐκλογῇ γνώμης εἰς τὸν Χριστὸν εἶναι ἀποδεικνύηται. καὶ γὰρ εἰσί τινες, ὦ φίλοι, ἀπὸ τοῦ ἡμετέρου γένους, ὁμολογοῦντες αὐτὸν Χριστὸν εἶναι, ἄνθρωπον δὲ ἐξ ἀνθρώπων ἀποφαινόμενοι· ὃς ἐγωγε οὐκ ἐπαινέσαιμι. εἰδὼς ἂν πλείστοι ταῦτά μοι δοξάσαντες εἰποι-

* *Dial. cum Tryphon. pag.* 267.
† *Lege* τοῦτο.

ἐν ἐπιδὰν ὅτι ἀνθρωπείοις διδάγμασι κεκελεύσμεθα ὑπὸ τοῦ Χριστοῦ πείθεσθαι, ἀλλὰ τοῖς ὑπὸ τῶν μακαρίων προφητῶν κηρυχθεῖσι, καὶ αὐτοῦ διδαχθεῖσι· i. e. " Verùm enim verò, ô
" Trypho, non amittitur illud, hunc eſſe
" Chriſtum Dei, ſi probare nequeam, &
" extitiſſe ipſum priùs Filium conditoris
" hujus Univerſitatis, eſſeque Deum, &
" genitum eſſe hominem ex Virgine, omni-
" no interim demonſtratô, hunc eſſe Chri-
" ſtum illum Dei, qualiſcunque demum is
" futurus fuerit. Quod ſi non demonſtra-
" vero, eum & priùs extitiſſe, & naſci ho-
" minem ſuſtinuiſſe, iiſdem nobiſcum per-
" peſſionibus obnoxium, carnemque haben-
" tem, ſecundum Patris conſilium & vo-
" luntatem, in hôc errâſſe me tantùm æ-
" quum fuerit dicere ; non verò negare,
" hunc eſſe Chriſtum illum, etiamſi tan-
" quam homo ex hominibus genitus videa-
" tur, & electione Chriſtus factus eſſe aſ-
" ſeratur. Sunt enim nonnulli, ô amici,
" ex genere noſtro, confitentes ipſum eſſe
" Chriſtum, ſed hominem ex hominibus
" genitum eſſe affirmant : quibus ego mini-
" mè aſſentior. Neque ſane plerique, ea-
" dem mecum ſentientes, illud dixerint :
" ſiquidem non hominum traditionibus ac
" doctrinis juſſi ſumus à Chriſto credere,
" ſed eis, quas beati Prophetæ promulgâ-
" runt, & ipſe Chriſtus docuit." Ab Juſtini hîc Interprete diſceſſi, cum in aliis quibuſdam minutioribus, tùm maximè in verbis illis vertendis ; ἀλλ' ἐκ παντὸς ἀποδεικνυμένου, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστὸς ὁ τοῦ Θεοῦ, ὅστις ποτὲ ἔσται· quæ Interpres ita reddit : *præterquam ex eo omni, quô probatur hunc eſſe Chriſtum illum Dei, quòd talem eum fore præoſtenſum ſit.* Quæ verſio neque textui Græco ullo modo convenit, neque bonum ſenſum habet. Ex antecedentibus enim liquet, ſenſum Juſtini hunc omnino eſſe : Si modò aliàs ex Prophetis ſolidè probaverim, Ieſum noſtrum eſſe Chriſtum illum Dei, qualiſcunque demum is juxta ipſorum vaticinia futurus fuerit ; (ſive Deus ſcilicet ex Virgine homo naſciturus, quod ego cum Catholica Chriſti Eccleſia ſentio ; ſive homo tantùm

ex hominibus genitus, ut tu, Trypho, Judæique tui exiſtimatis;) etiamſi demonſtrare nequeam, illum eſſe Dei Filium & ex Virgine hominem factum, non eſt tamen quòd vos propterea negetis, ipſum eſſe Chriſtum illum à Prophetis prædictum ac promiſſum.

§. 3. Certum habeo, nihil in his Juſtini verbis contineri, ex quo Epiſcopius aut Remonſtrantes probare poſſint, vel Eccleſiam Juſtini tempore, vel ipſum etiam Juſtinum dogma de Filii Divinitate pro creditu ad ſalutem neceſſariò minimè habuiſſe, nedum communionem coluiſſe cum iis, qui dogma illud negarent. Equidem ſi quicquam ex hoc loco probant Remonſtrantes, nimium probant, quod peſſimi argumenti certum eſt indicium. Qui enim ab Juſtino hîc notantur Dogmatiſtæ, Servatorem noſtrum non modò hominem tantùm, ſed hominem ex hominibus genitum, hoc eſt, ex viri & fœminæ concubitu, communi hominum more, natum eſſe affirmârunt. Hinc igitur, ſi rectè ex hoc loco Remonſtrantes argumentantur, ſequetur, Juſtinum, Eccleſiamque Juſtini tempore, cum iis, qui ſuſque deque habitâ ſacrorum Evangeliſtarum authoritate, ſpretâque Apoſtolicæ & Catholicæ Eccleſiæ conſtante concordique traditione, Chriſtum hominem ex Maria Virgine natum eſſe negare auſi ſunt, communionem coluiſſe: quod quiſquis ſeriò ſibi perſuaſerit, ad Anticyras planè relegandus eſt. Nondum quidem vidi *Reſponſionem Remonſtrantium ad Specimen calumniarum, &c. quatuor Profeſſorum Leydenſium*; ut quomodo ibi ex citato Juſtini loco aſſertionem ſuam confirmaverint, certò ſcire nequeam, proinde conjecturis hîc uti neceſſe habeam. *

§. 4. Nunquid igitur quod contendunt, ex eo effici exiſtimârunt, quòd Juſtinus dicat, non amitti ſive perire illud, Jeſum eſſe Chriſtum promiſſum, ſi & Deum illum eſſe, & ex Virgine hominem natum, demonſtrari nequiret? Atqui manifeſtiſſimum eſt, uti hîc Juſtinum eô argumenti genere, quod *ad hominem* dicitur, quô in diſputationibus hujuſmodi nihil eſt frequentius. Nimirum Juſtinus ſuprà cœperat oſtendere, de Chriſto à Prophetis prænuntiatum fuiſſe, quòd ante ſæcula Dei Filius Deuſque exiſtens, tandem ex Virgine homo naſciturus eſſet. Deinde verò cum ad diſſerendum de aliis quibuſdam digreſſus fuiſſet, Trypho ipſum ad priorem diſputationem abſolvendam revocat his verbis: ἢ περὶ τούτων ὅσα φρονεῖς ἀκηκόαμεν. ἀναλαβὼν ὃν ἤρξω λόγον, ὅθεν ἐπαύσω, πέραινε· παράδοξός τις γάρ ποτε, ἢ μὴ δυνάμενός ὅλως ἀποδειχθῆναι δοκεῖ μοι εἶναι. τὸ γὰρ λέγειν σε, προϋπάρχειν Θεὸν ὄντα πρὸ αἰώνων τοῦτον τὸν Χριστὸν, εἶτα ἢ γενηθῆναι ἄνθρωπον γεγόμενον τοιοῦτον, ἢ ὅτι ἐκ ἀνθρώπου ἐξ ἀνθρώπου, ἃ μόνον παράδοξον δοκεῖ μοι εἶναι, ἀλλὰ ἢ μωρόν. i.e. "Quæ de his etiam tua ſit ſen- "tentia, audivimus. Repetitô ergo, unde "digreſſus es, ſermone, dicere perge: ad- "mirabilis namque & qui demonſtrari o- "mnino nequeat, mihi videtur eſſe. Nam "quòd ais, præ-extitiſſe hunc Chriſtum "Deum ante ſæcula, ac deinde naſci etiam "hominem factum ſuſtinuiſſe, & quidem "non hominem ex homine; non modò ad- "mirabile & præter fidem mihi eſſe vide- "tur, verùm etiam ſtultum." Atque Juſtinus quidem, ut jubet Trypho, poſtmodum diſputationem illam reſumit, latéque exequitur, fuſiſſimè probans, Chriſtum à Prophetis prædictum, & Deum fore, & ex Virgine hominem naſciturum p. 274. & ſeq. Interea verò, atque ut os cavillatori impræſentiarum quadantenus obſtrueret, ipſi dupliciter reſpondet. Primò acriter notat ejus & Judaicæ Gentis cæcitatem ac pervicaciam, qui ſermonem ſive doctrinam de Chriſto Dei Filio Deoque, carnemque ex Virgine aſſumpturo, in veteri etiam Teſtamento non obſcurè traditam, tanquam incredibilem, abſurdam atq; ſtultam rejecerint, adeoque hac in re delirantibus ſuis Rabbinis, potiùs quàm Dei ipſius voci per θεοπνεύστους Prophetas, fidem habere maluerint. ὅιδ' (inquit) ὅτι παράδοξος ὁ λόγος δοκεῖ εἶναι, ἢ μάλιστα τοῖς ἀπὸ τοῦ γένους ὑμῶν, ὅτινες τὰ τοῦ Θεοῦ ὅτε νοῆσαι, ὅτε ποιῆσαι ποτὲ βεβούληνται, ἀλλὰ τὰ ὑμῶν διδασκάλων ἡμῶν, ὡς αὐτὸς ὁ Θεὸς βοᾷ· i.e. "Scio incre- "dibilem videri ſermonem iſtum, iis præ- "ſertim qui ex veſtra Gente ſunt, qui ea "quæ Dei ſunt, neque intelligere, neque fa- "cere unquam voluiſtis, ſed quæ Rabbino- "rum veſtrorum ſunt; pro eo atque ipſe "Deus vociferatur." Quantò igitur majori cæcitati (ut obiter id notem) à Deo derelictos ac damnatos Juſtinus eos ſenſerit, qui Chriſtianos ſe eſſe profitentes, atq; in clariſſima Evangelii luce (cui comparata vetus certè Prophetia erat veluti λύχνῳ φαίνοντι ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ) viventes, doctrinam illam pari pertinacia reſpuerunt, proclive eſt conjectare. Certè quidem ſi Epiſcopius & Remonſtrantes hæc Juſtini verba, quæ locum ab ipſis citatum ἀμέσως antecedunt, attentè legiſ- 2 Pet. I. 19.

* *Sed vide inferiùs Appendicem ad hoc Caput, ubi iſtius Reſponſionis poſtea viſa argumenta prolixè refelluntur.*

legissent, nunquam, ut opinor, locum ipsum quicquam pro se facere, existimâssent. Sed pergamus.

§. 5. Respondet deinde Justinus redarguendo Tryphonem ex principiis ab ipso agnitis, locô à Remonstrantibus citatô, hunc in modum: *Verùm enim verò, ô Trypho, non admittitur illud, hunc esse Christum illum Dei, &c.* Q. D. Si probare ex Prophetis nequirem, (quod quidem ex parte jam probavi, & mox infrà fusiùs atque efficacissimè demonstrabo) Christum & Deum fore, & nostræ salutis causâ ex Virgine hominem nasciturum; nondum tamen ideo prorsus causâ ceciderim, apud vos saltem Judæos, utpote qui minimè potestis, congruenter principiis vestris, propterea negare, Jesum nostrum esse Christum illum; siquidem non alium vos Christum sive Messiam à Prophetis prædictum ac promissum expectatis, quàm qui purus putus homo sit, ex hominibus genitus. Quod quidem mox Trypho ipse fatetur: p. 268. πάντες (inquit) ἡμεῖς τὸν Χριστὸν ἄνθρωπον ἐξ ἀνθρώπων προσδοκῶμεν γίνεσθαι. i. e. *Omnes nos Christum hominem ex hominibus nasciturum præstolamur.* Perspicuum est igitur, argumentari hîc Justinum non ex propria sententia, aut ex rei ipsius veritate, sed ex hypothesi Judæorum, quibuscum disputat. Equidem non potuit Justinus sine contradictione spississima & manifesta eversione magnæ partis eorum, quæ in hoc Dialogo acriter contendit, affirmare vel concedere, ex eo quòd Jesus Christus non sit Deus verus ex Virgine homo natus, non revera sequi, ipsum non esse Christum illum Dei à Prophetis prænonstratum; siquidem multus ibi atque vehemens est in demonstrando, de Christo illo Dei à Prophetis apertissimè prædictum fuisse, & Deum omnino ipsum futurum, & carnem ex Virgine assumpturum. Præterea alibi Justinus disertè docet, Christi Mediatoris officio parem esse potuisse neminem, nisi qui ipsissimus Dei Filius adeoque Deus esset. Locus illustris extat in Epistola ad Diognetum: p. 500. Αὐτὸς τὸν ἴδιον υἱὸν ἀπέδοτο λύτρον ὑπὲρ ἡμῶν, τὸν ἅγιον ὑπὲρ ἀνόμων, τὸν ἄκακον ὑπὲρ τῶν κακῶν, τὸν δίκαιον ὑπὲρ ἀδίκων, τὸν ἄφθαρτον ὑπὲρ τῶν φθαρτῶν, τὸν ἀθάνατον ὑπὲρ τῶν θνητῶν. τί γὰρ ἄλλο τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν ἠδυνήθη καλύψαι, ἢ ἐκείνου δικαιοσύνη; ἐν τίνι δικαιωθῆναι δυνατὸν τοὺς ἀνόμους ἡμᾶς καὶ ἀσεβεῖς, ἢ ἐν μόνῳ τῷ υἱῷ τοῦ Θεοῦ; ὦ τῆς γλυκείας ἀνταλλαγῆς, ὦ τοῦ ἀνεξιχνιάστου δημιουργίας. κ. λ. i. e. "Proprium "ipse (Deus Pater) Filium pretium redemptionis pro nobis dedit, sanctum pro iis "qui Legem transgressi erant, mali expertem pro malis, justum pro injustis, incor"ruptibilem pro obnoxiis corruptioni, im"mortalem pro mortalibus." Quid enim aliud peccata nostra potuit tegere quàm ejus justitia? In quo alio *nos iniqui & impii pro justis haberi possumus, quàm* in solo Dei Filio? *ô dulcem permutationem! ô imperveștigabile artificium!* &c. Itaque ex mente Justini fieri non potuit, ut pro peccatis nostris Deo Patri satisfaceret (primarium autem hoc Christi Servatoris officium) alius, præter *proprium, incorruptibilem, immortalem Dei Filium.* Quem autem Dei Filium istis elogiis designet Justinus, nôrunt omnes, qui sanctissimi Martyris Scripta vel primis unquam labiis attigerunt. Nimirum iisdem constanter Filium illum Dei intelligit, qui ante omnem creaturam ex Deo Patre genitus sit, qui in conditione omnium ipsi σύμβουλος & συνεργὸς adfuerit, qui denique præstituto tempore è cœlis descenderit, homo factus propter hominum salutem. His autem non absimilia sunt, quæ habemus in hoc ipso cum Tryphone Dialogo p. 322, 323. ubi traditâ priùs luculenter Catholicâ doctrinâ, cùm de universali humani generis reatu, ex loco illo celebri, *Maledictus omnis, qui non permanserit in eis quæ scripta sunt in libro Legis, ut ea faciat*; tum de satisfactione præstita à Jesu nostro crucifixo, omnium hominum κατάρας, *maledictiones*, in se excipiente; mox subdit, à Deo prædictum fuisse, id quod Judæi penitus ignorârunt, τοῦτον εἶναι τὸν πρὸ πάντων ὄντα, τὸν ἀϊδιον τοῦ Θεοῦ ἱερέα, καὶ βασιλέα, καὶ Χριστὸν μέλλοντα γίνεσθαι. *Hunc (Jesum) esse qui ante omnia sit, & æternus Dei Sacerdos, & Rex, & Christus futurus fuerit.* Quibus significat voluisse & decrevisse Deum Patrem, ut non nisi per ante omnia existentem & æternum Sacerdotem peccata hominum expiarentur.* Confer

* Non potuisse humanum genus à corruptione per lapsum Adami contractâ liberari, nisi per incarnationem ejus qui naturâ suâ esset vita, i. e. DEUS sive essentialis DEI filius, expresè docuit Justinus in deperditâ Oratione sive parte Orationis contra Gentes, ex qua hæc citavit Leontius, lib. II. contra Eutychianos & Nestorianos: Φύσει δὲ τῆς φθορᾶς προσγενομένης, ἀναγκαῖον ἦν ὅτι σῶσαι βέλομεν & ἃ τὴν φθοροποιὸν οὐσίαν ἀφανίσας. τοῦτο δὲ οὐκ ἦν ἑτέρως γενέσθαι, εἰ μὴπερ ἡ κατὰ φύσιν ζωὴ προσπλάκη τῷ τὴν φθορὰν λαβόντι, ἀφανίζουσα μὲν τὴν φθοράν, ἀθάνατον δὲ τὸ λοιπὸν τὸ δεξάμενον (φθορὰν) διατηροῦσα. Διὰ τοῦτο τὸν λόγον ἐδέησεν ἐν σώματι γενέσθαι, ἵνα τῷ θανάτῳ τῆς κατὰ φύσιν ἡμᾶς φθορᾶς ἐλευθερώσῃ. *Corruptione autem ad naturam accedente, necesse erat ut qui salvare volebat, ipsam substantiam corrumpentem deleret. Hoc autem aliter fieri non poterat, nisi quæ erat secundum naturam vita copularetur cum eo quod corruptionem ceperat, & corruptionem deleret, immortale verò in posterum servaret quod corruptum fuerat. Idcirco opus fuit ut Verbum in corpore esset, ut à morte naturalis corruptionis nos liberaret.* Fragmentum istud integrum è MS. Codice Bibliothecæ Bodlejanæ Græcè descriptum dedi Tom. I. Spicilegii Patrum Sæculi II. pag. 172. ubi & sequenti pag. 173. gemina Irenæi verba à Reverendo Auctore hîc citata annotavi.

Confer etiam quæ ex Pſalmo 110 diſſerit de Chriſto Sacerdote ſecundum ordinem Melchiſedech, ejuſdem Dialogi p. 250, 251. Neque fuit hæc ſingularis Juſtini opinio, ſed primævorum Patrum communis ſententia, qui uno omnes ore docuerunt, neceſſe omnino fuiſſe, ut hominum Salvator & Mediator apud Deum, & Deus, & homo ipſe eſſet: quod ingenti copiâ teſtimoniorum demonſtrare potuiſſem, ſi illud nunc ageretur. Impræſentiarum verò duos omnino Catholicæ doctrinæ teſtes adferam, ſed eos locupletiſſimos, alterum Juſtinô antiquiorem, alterum ipſi ſupparem. Certè Ignatius, Apoſtolici ævi Epiſcopus, hoc ipſum non obſcurè docet in celebri loco, quem ſæpius citavimus, ex Epiſtola ad Epheſios: *Unus eſt Medicus, carnalis & ſpiritualis, factus & non factus, in carne Deus, in morte vita vera, &c.* Nimirum Ignatii ſententia eſt: graviſſimè ægrotantibus & moribundis animabus noſtris ſalutarem medicinam afferre potuit is ſolus, qui θεάνθρωπος, h. e. Deus ſimul & homo fuit. Irenæus verò, Juſtino proximus, cum eandem doctrinam paſſim urget atque inculcat, tum maximè ipſam eruditè explicat lib. 3. cap. 20. ubi (textum Græcum ſuppeditante Theodoreto) ita diſſerit: ἥνωσεν οὖν τὸ ἄνθρωπον τῷ Θεῷ. εἰ γὰρ μὴ ἄνθρωπος ἐνίκησεν τὸν ἀντίπαλον τοῦ ἀνθρώπου, οὐκ ἂν δικαίως ἐνικήθη ὁ ἐχθρός· πάλιν τε εἰ μὴ ὁ Θεὸς ἐδωρήσατο τὴν σωτηρίαν, οὐκ ἂν βεβαίως ἔχομεν αὐτήν· καὶ εἰ μὴ σεσωσήθη ὁ ἄνθρωπος τῷ Θεῷ, οὐκ ἂν ἠδυνήθη μετασχεῖν τῆς ἀφθαρσίας. ἔδει γὰρ τὸν μεσίτην Θεοῦ τε καὶ ἀνθρώπων διὰ τῆς ἰδίας πρὸς ἑκατέρους οἰκειότητος εἰς φιλίαν καὶ ὁμόνοιαν τοὺς ἀμφοτέρους συναγαγεῖν, καὶ Θεῷ μὲν παραστῆσαι τὸν ἄνθρωπον, ἀνθρώποις δὲ γνωρίσαι τὸν Θεόν. i. e. " Hominem igitur cum Deo copulavit. " Etenim niſi hominis hoſtem homo ſuperâſſet, haud æquè victus eſſet inimicus. " Rurſus niſi Deus ſalutem donâſſet, haudquaquam firmam ac ſtabilem eam haberemus. Adhæc niſi homo cum Deo copulatus fuiſſet, incorruptibilitatis particeps fieri minimè potuiſſet. Neceſſe quippe erat, ut Dei & hominum Mediator per ſuam cum utroque cognationem ac neceſſitudinem ambos amicitiæ fœdere inter ſe conciliaret, ac Deo quidem hominem ſiſteret, hominibus autem Deum patefaceret." Non potuit igitur Juſtinus, neque alius quiſquam illius ævi Catholicus, ſalva hypotheſi ſua concedere, ex ſententia illa, quæ Jeſum merum eſſe hominem ſtatuit, non revera ſequi, ipſum non eſſe Chriſtum. Nam ex hac hypotheſi, *Quicunque eſt Chriſtus, is Deus ut ſit neceſſe eſt*, (quæ Juſtini fuit & Catholicorum omnium) prorſus neceſſariò efficitur, ex ipſorum ſententia, qui negant Jeſum eſſe Deum, omnino ſequi, ipſum neque Chriſtum eſſe. Reſtat igitur ut ſtatuamus, Juſtinum in loco, quô de quæſtio eſt, argumentari ex hypotheſi Judæorum, quibuſcum agit, qui Chriſtum purum putum hominem futurum crediderunt.

§. 6. Verùm objici præterea poteſt, Juſtinum de nonnullis iſtis, qui ipſius ætate, cum Jeſum eſſe Chriſtum faterentur, ejus tamen tum Divinitatem, tum nativitatem ex Virgine negârunt, ita non obſcurè loqui, quaſi in communione Catholicæ Eccleſiæ fuiſſent, & pro veris Chriſtianis habiti: dicit enim eos fuiſſe ἀπὸ τοῦ ἡμετέρου γένους, ex noſtro, h. e. Chriſtiano genere. Sed hoc nihil eſt. Poterant enim Dogmatiſtæ illi ab Juſtino dici ex noſtro, h. e. Chriſtianorum, genere, utpote τὸν Ἰησοῦν ἀποδεχόμενοι, καὶ ψιλῶς τοῦτο Χριστιανοὶ εἶναι αὐχοῦντες, *Jeſum recipientes, eoque Chriſtianos ſe jactitantes*, ut de Ebionæis (quos etiam Juſtinum hîc in animo habuiſſe infrà videbimus) loquitur Origenes contra Celſum lib. 5. Qui etiam ejuſdem p. 272. Operis lib. 8. de aliis quibuſdam agens notiſſimis Hæreticis, ipſos appellat τινὰς ἐν p. 387. πλήθει πιστευόντων, *quoſdam in multitudine credentium*, h. e. Chriſti fidem profitentium. Sic & Juſtinus ipſe in Apologia 2da ad Antoninum Pium, de Simonis, Menandri, & Marcionis diſcipulis (Hæreticorum perditiſſimis) priùs locutus, ſubjungit: πάντες οἱ ἀπὸ τούτων ὁρμώμενοι Χριστιανοὶ καλοῦνται, ὃν τρόπον καὶ οἱ μὴ κοινωνοῦντες τῶν αὐτῶν δογμάτων, τὸ ἐπικατηγορούμενον ὄνομα τῆς φιλοσοφίας κοινὸν ἔχουσιν. i.e. " Omnes hi qui ab his prodeunt, " Chriſtiani vocantur; planè quemadmo- " dum Philoſophis, cùm iis non ſint com- " munia dogmata, nomen tamen, quod à " Philoſophia dicitur, commune eſt." Equidem ſi Juſtinus certamen hîc habuiſſet cum aliqua ſecta Chriſtianorum à ſe diſſentiente, eoſque, quorum de Chriſto ψιλῷ ἀνθρώπῳ ſententiam deſcribit, contradiſtinctè, ut loqvuntur, ex noſtro genere dixiſſet; veroſimiliter inde colligi potuiſſet, iſtos ipſum pro hominibus ſuæ communionis, adeoque Eccleſiæ Catholicæ veris membris habuiſſe. Atqui longè aliter ſe res habet. Diſputat enim hôc in loco Juſtinus cum Tryphone ſociiſque ejus Judæis, profeſſis Chriſtianiſmi hoſtibus; quibus cujuſcunque ſectæ homines, Chriſtianam religionem profitentes, tanquam ſub uno omnes Chriſtianorum genere ſive communi nomine comprehenſi, rectè contradiſtingui poterant. Cæterum ubi Juſtinus loquitur de Chriſtianis à ſe in quæſtione aliqua diſſentientibus, qui tamen in Eccleſiæ com-

communione fuere, receptamque in Eccleſia Fidei regulam tenuerunt, hoc ipſum clarè ſignificare ſolet. Sic in hoc ipſo Dialogo verba faciens de Chriſtianis Catholicis, qui Chiliaſtarum ſententiam, quam ipſe amplexus eſt, rejecerunt, ipſos dicit τὰς τῶ παθαρᾶς ἢ, ὁσεβᾶς ὅλας Χριστιανὰς γνώμας, *Chriſtianos puræ alioqui piaque ſententiæ.* Si ita de iis, qui Chriſti Domini noſtri Divinitatem negârunt, locutus fuiſſet Juſtinus, habuiſſent quidem Remonſtrantes, quod ſibi gratularentur de communione, quam Juſtinus, Eccleſiaque Juſtini tempore, cum ipſis coluit. Sed fruſtra omnino hoc probatum iverint ex eo tantùm, quòd Juſtinus heterodoxos iſtos dixerit ἀπὸ τ ἡμετέρου γένους, *ex noſtro genere.* Quid verò ſi ne hoc quidem Juſtinus dixerit? Certè quidem ego perſuaſiſſimum habeo, mèndum hôc in loco agnoſcendum eſſe, permutatione tantùm unius literæ facilè corrigendum; ſcilicet pro ἡμετέρου ſcribendo ὑμετέρου· eâque emendatione admiſsâ, verba ἀπὸ τ ὑμετέρου γένους vertenda eſſe, *ex veſtra Gente*, hoc eſt, Judaica. Sane in ipſo initio perioches, quam citârunt Remonſtrantes, manifeſtum eſt Librarii σφάλμα, uni ſatis brevi vocabulo duas de ſuo literas adjicientis; tranſcribendo ſcilicet τοῦτον pro τοῦτον, ut in margine notavimus: quid mirum igitur, ſi pro υ hic ν ſcripſerit? Rationes verò, quibus ut ita plane ſentiam adducor, hæ fere ſunt: 1. Ubicunque in hoc Dialogo locutio iſta οἱ ἀπὸ τ γένους occurrit, vox γένος non μεταφορικῶς, ſed propriè accipitur pro *gente*; ut οἱ ἀπὸ τ γένους τινὸς dicantur, qui *ex certa aliqua gente* ſunt. Sic in ſententia, quæ locum citatum proximè antecedit: τοῖς ἀπὸ τ γένους ὑμῶν, *iis qui ex veſtra gente ſunt.* Sic pagina præcedente: οἱ ἀπὸ τ γένους τ ὑμετέρου, *qui ex gente veſtra ſunt.* Et ſic ubique. Atqui hoc ſenſu non poterat Juſtinus Chriſtianæ religionis profeſſores dicere τὸ ἡμέτερον γένος· ſiquidem Chriſtiani non omnes unius gentis erant. Unde nuſquam alibi, quod ſciam, reperias Chriſtianorum univerſitatem ab Juſtino dictam τὸ ἡμέτερον γένος. 2. Heterodoxi, de quibus loquitur Juſtinus, Ebionæi erant, ut mox demonſtrabimus, qui revera ex gente fuere Judaicâ. Unde hæreſin Ebionitarum veteres Eccleſiaſtici Scriptores accenſere ſolent Hæreſibus, quæ in populo Judaico exortæ ſunt. Vide Conſt. Apoſt. lib. 6. cap. 6. & quæ ſuprà diximus cap. 3. §. 1. 3. In loco paginæ proximè præcedentis, quem modò indicavi, de Ebionæis manifeſtè agens Juſtinus ſic ſcribit: ἐὰν δέ τινες ἀπὸ τ γένους τ ὑμετέρου πιστεύειν λέγοντες ἐπὶ τοῦτον τ Χριστὸν, ὦ Τρύφων, οὐκ παντὸς κατὰ τ Δία Μωσέως διαταχθέντα νόμον ἀναγκάζωσι ζῆν ἐξ ἐθνῶν πιστεύον-

Ἰας ἐπὶ τοῦτον τ Χριστὸν, ἢ μὴ κοινωνεῖν αὐτοῖς τ τοιαύτης συνδιαγωγῆς ἀξιοῦσι, ὁμοίως ἢ τούτους ἀποδέχεσθαι. i. e. "Quod ſi qui ex Gente veſtra ſunt, qui in hunc Chriſtum ſe credere dicentes, ô Trypho, omnibus modis ſecundum Legem per Moſen latam eos vivere cogant, qui ex Gentibus in hunc Chriſtum credunt, aut à conſuetudinis iſtiuſmodi commercio (quô nempe ad communionem rerum omnium ut fratres eorundemque viſcerum homines admittantur, ut paulò antè dixerat) eos excludere ſtatuant, conſimiliter & hos non ſuſcepe-rim." Qui ex Gente Judaica in Chriſtum noſtrum ſe credere profitentes, Legem tamen Moſis ritualem non modò ipſi obſervârunt, ſed etiam aliis ex Gentibus Chriſtianis obſervandi neceſſitatem impoſuerunt, certè alii non erant, quàm Ebionæi, ut ſuprà oſtendimus. Quibus illud Epiphanii addas, teſtantis docuiſſe Ebionæos, circumciſionem à Deo inſtitutam fuiſſe, omnibuſque mandatam ἁγισίας ἕνεκα, καὶ κληρονομίας ἐσομένων βασιλείας χάριν. i. e. *Sanctificationis causâ, Regnique cœleſtis obtinendi gratiâ.* Cum autem hôc in loco Ebionæi hac periphraſi deſcribantur οἱ ἀπὸ τ γένους τοῦ ὑμετέρου πιστεύειν λέγοντες ἐπὶ τοῦτον τ Χριστὸν· quis dubitet quin etiam in loco à Remonſtrantibus citato, de iiſdem Ebionæis loquens Juſtinus itidem dixerit: τινὲς ἀπὸ τοῦ ὑμετέρου γένους ὁμολογοῦντες αὐτὸν Χριστὸν εἶναι; 4. Denique hâc receptâ lectione, optimè cohærebit Juſtini ſermo, qui alioquin erit ἀνακόλουθος. Dixerat paulò antè, ut vidimus, etiamſi probari ab ipſo non poſſet, Jeſum noſtrum & Deum fuiſſe ante ſæcula, & in plenitudine temporum ex Virgine hominem factum, Tryphonem tamen, utpote Judæum, minimè debuiſſe propterea negare, ipſum eſſe Chriſtum ſive Meſſiam à Prophetis promiſſum. Hoc autem appoſitè admodum probat atque illuſtrat exemplô quorundam ex Judaica Gente, qui cùm Jeſu tum Divinitatem, tum Nativitatem ex Virgine minimè agnoverint, ipſum tamen eſſe Chriſtum confeſſi ſunt. Res certè manifeſta mihi videtur, mecumque, niſi vehementer fallor, ſentiet Lector æquus, qui loci hujus Juſtini contextum ſcopumque cum judicio ac diligenter expenderit.

Epiphan. Hæreſ. 30 c. 30.

§. 7. Cæterum urgebit porro fortaſſe aliquis, Juſtinum ab Heterodoxis, quos perſtringit, ſuum ſimpliciter diſſenſum profiteri, ſine ulla alia nota iis inuſta. Tantùm enim dicit, ſe iis minimè aſſentiri; neq; aut dogma eorum Hæreticum, aut ipſos Hæreticos appellat. Reſpondeo: Quid ſi hoc verum ſit? Cum iis hîc rem non agit; obiter

tantùm eorum meminit in aliud intentus. Quid vero? An necesse omnino est, ut qui Hæreticum aliquem judicat, quoties de eo loquitur, ipsum Hæreticum appellet? Nullus dubito quin Justinus in libro quem contra omnes Hæreses ex professo conscripsit, (cujus ipse in hoc Dialogo meminit) hanc etiam Hæresin asperiùs tractaverit, propriisq; coloribus depinxerit. Verùm enimverò planè falsum est, Justinum hôc in locô Dogmatistis istis nullam infamiæ notam inussisse. Nam satis apertè dicit, ipsos non modò à se diversum sensisse, verùm etiam à sententia ac fide τῶν πλείσων Christianorum, hoc est Ecclesiæ Catholicæ, abiisse. Ac sane qui Justini ætate Dominum nostrum hominem tantùm ex hominibus genitum esse docuerunt, vel Carpocratiani, vel Cerinthiani, vel denique Ebionæi erant; qui in unum quasi corpus collecti, paucissimi erant ad reliquos Christianos comparati, omnesq; ab Ecclesiarum Apostolicarum communione segregati fuerunt. De Carpocratianis & Cerinthianis nemo dubitat. Ad Ebionæos verò quod attinet, ex iis quæ suprà ex Ignatio & Irenæo attulimus, satis liquet, eos etiam, à prima ipsorum origine, pro Hæreticis ab Ecclesia Catholica habitos fuisse. Equidem illorum dogma de Christo puro puto hominere probârunt etiam Christianorum ex circumcisione οἱ πλεῖσοι; hoc est, Nazaræi, qui primitivam Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ab Apostolis fundatæ, fidem retinuerunt, ut fusè probavi cap. 2. §. 11, 12. In communione verò Ecclesiæ alicujus Christianorum ex Gentibus homines isti neque erant, neque esse voluerunt, ut mox ostendemus. Porro significat Justinus, eos de quibus loquitur, non modò Catholico consensui contravenisse, verùm etiam sacris oraculis cum Veteris, tum maximè Novi Testamenti repugnâsse. Hoc, inquam, non obscurè indicat in verbis perioches citatæ postremis, quæ satis quidem providè, sed minùs candidè à Remonstrantibus omissa sunt. "Ego, inquit, iis minimè assentior, ut neque pleriq; Christiani: *Siquidem non hominum traditionibus ac doctrinis jussi sumus à Christo credere, sed iis quas beati Prophetæ promulgârunt, & Christus ipse docuit.*" Imò his verbis innuit Justinus (quod mox à nobis clarè monstrabitur) Heterodoxos istos humanis traditionibus, potiùs quàm veterum Prophetarum vaticiniis, Christique ipsius in Evangelio dictis fidem habuisse. Quod quidem satis erat Justino de ipsis in transitu significâsse.

§. 8. Cæterum, quod sæpius dixi, Ebionæos hôc in loco ab Justino notari, id nunc paulò fusiùs declarandum & confirmandum est. Certè si Historiam Ecclesiasticam consulamus & veteres Hæresiologos, comperiemus nullam Justini temporibus vel retro Christianorum sectam extitisse, quibus sententia, quæ hîc describitur, omni ex parte conveniat, præterquam solis Ebionæis. Quanquam enim Carpocratiani etiam & Cerinthiani Jesum hominem tantummodo fuisse ex utroque sexu natum, cum Ebionæis affirmârunt, ipsum tamen κατ' ἐκλογὴν ad Christi officium ac dignitatem evectum fuisse, eorum revera sententia nunquam fuit. Imò nescio, an quicquam isti de Christo sive Messia à Prophetis prænuntiato cogitaverint. Carpocratiani Jesu nostri dignitatem & ὑπεροχὴν, referente Irenæo, in eo sitam esse docebant, "Quòd "anima ejus firma & munda cum esset, com- *Lib. 1. c. 24.* "memorata fuerit quæ visa essent sibi in ea "circumlatione quæ fuisset in * ingenito "Deo; & propter hoc à Deo missam esse "ei virtutem, uti mundi fabricatores effu- ** To in plurima exemplaria non habent.* "gere posset, & per omnes transgressa, & in "omnibus liberata, ascenderet ad Deum." Quod commentum iis qui ab Justino notantur, nunquam, ut opinor, in mentem veniebat. Præterea Carpocratiani isti fuere hominum impurissimi, magicis artibus dediti, quique eò usque impietatis progressi sunt, ut boni maliq; discrimen prorsus nullum agnoverint, ut Irenæus itidem disertè testatur. Ut minimè credendum sit, voluisse Justinum ex horum hominum, seu potiùs πνεῦμα ἀνθρωπομόρφων, sententia contra Tryphonem sociosque ejus Judæos argumentari; præsertim cum Judæi cæteroquin, sive patriam spectes, sive ritus sacros, nihil cum ipsis commune habuerint. Ad Cerinthianos verò quod attinet, quanquam hi quidem cum Judæis, ut persecutiones evitarent ab ipsis excitatas, judaizârunt, descriptio tamen sententiæ, ab Justino notatæ, neque in ipsos quadrat. Cerinthiani enim Jesum esse Christum minimè fatebantur; Christum intelligentes officii aut dignitatis nomen non esse, sed Æonem nescio quem, qui à summa omnium principalitate in Jesum ad tempus tantùm descenderit, ut jam sæpius monuimus. Restat igitur ut Ebionæos ab Justino designari statuamus. Nam præter has tres Christianorum sectas, nulla alia à Scriptore aliquo Ecclesiastico commemoratur, quæ Justini ætate vel priùs Jesum nostrum hominem tantummodo esse ex hominibus genitum doceret. Reliqui fere istorum temporum Hæretici, qui de Christi persona malè senserunt, veritatem humanæ in ipso naturæ impugnârunt. Ebionæi autem, Judæi cum fuerint, quando à primitiva Ecclesiæ Hierosolymitanæ de Domino nostro fide ac sententia desciverunt, vulgarem Judæorum

dæorum de Meſſia opinionem amplexi ſunt; quæ plane eadem fuit ac ſententia, quæ ab Juſtino in loco citato deſcribitur. Hinc ipſam mox Trypho probat laudatque his verbis: ἐμοὶ μὲν δοκοῦσιν οἱ λέγοντες ἄνθρωπον γεγονέναι αὐτὸν, καὶ κατ' ἐκλογὴν κεχρῖσθαι, καὶ Χριστὸν γεγονέναι, πιθανώτερον ὑμῶν λέγειν τῶν ταῦτα ἅπερ φῆς λεγόντων. καὶ γὰρ πάντες ἡμεῖς τὸν Χριστὸν ἄνθρωπον ἐξ ἀνθρώπων προσδοκῶμεν γίνεσθαι, καὶ τὸν Ηλίαν χρῖσαι αὐτὸν ἐλθόντα· i. e. " Mihi quidem qui illum hominem e-
" ditum, & per electionem inauguratum, &
" unctione Chriſtum factum eſſe aſſeverant,
" credibiliora quàm vos, eadem quæ tu af-
" firmantes, dicere videntur. Omnes enim
" nos Chriſtum hominem ex hominibus na-
" ſciturum, & qui illum inungat, Eliam
" venturum præſtolamur." Et poſtmodum
p. 291. monet Juſtinum, ſi vellet Judæis aliiſque perſuadere, Jeſum eſſe Chriſtum, ut doceret ipſum eſſe, ἄνθρωπον ἐξ ἀνθρώπων γεγόμενον, καὶ ἀπὸ τοῦ ἐνόμως καὶ τελέως πολιτεύεσθαι αὐτὸν, κατηξιῶσθαι τοῦ ἐκλεγῆναι εἰς Χριστόν. " Ho-
" minem ex hominibus genitum, & pro-
" pterea quòd legitimè & perfectè vixerit,
" dignum fuiſſe habitum, qui ad Chriſti
" dignitatem atque officium eligeretur."
Hæc ſane Ebionis primorumque ejus diſcipulorum ipſiſſima fuit ſententia: à qua quidem poſteriorum temporum Ebionæi defleexerunt, atque in varias de Chriſto opiniones abiere, eorum quam plurimis ſententiam, Cerinthianorum dogmati haud abſimilem, amplexantibus, ut ex Epiphanio diſcimus, Hæreſ. 30. cap. 3. coll. cap. 17.

§. 9. Cæterum ad locum Juſtini, de quo controverſia eſt, revertamur. Certè ultima loci illius verba, quibus innuit Juſtinus, Heterodoxos, quos notaverat, ad humanas doctrinas potiùs quàm ad Prophetarum Chriſtique ipſius in Evangelio dicta attendiſſe, Ebionæos etiam non obſcurè indigitant. Hi enim hypotheſi ſuæ, de Chriſto ψιλῷ ἀνθρώπῳ, quam ab Hebræorum Magiſtris acceperant, ita prorſus addicti fuerunt, ut neq; Prophetarum vaticiniis, neq; Evangeliſtarum & Apoſtolorum Chriſti teſtimoniis, apertiſſimè hypotheſi iſti reclamantibus, ab ipſa divelli ſe paterentur. Prophetarum vaticiniis, quæ divinam Meſſiæ gloriam ac Majeſtatem declarant, occluſerunt oculos, aures obturârunt. Oraculum Propheticum de paritura Virgine, cum Judæis, inſulſa interpretatione depravârunt. Ad Novi verò Teſtamenti Scripturas quod attinet, Matthæi ſolummodo Evangelium receperunt, reliquis tribus rejectis; imprimis S. Joannis, quòd is tum in ipſo Evangelii ſui exordio æternam Domini noſtri Divinitatem ex profeſſo & verbis apertiſſimis declaret, tum alibi paſſim dicta referat, quibus Chriſtus ipſe Divinam ſuam Majeſtatem coram Judæis adſerebat. Quin & ipſum Matthæi Evangelium mutilârunt. Reciſo enim primo capite, initium fecerunt ab iis, quæ temporibus Herodis & Caiaphæ Pontificis facta ſunt; ideo ſcilicet quòd caput iſtud diſertiſſimum de Nativitate Chriſti ex Virgine teſtimonium contineret. Nimirum quicquid in Novi Teſtamenti Scripturis dogmatibus ſuis, quæ ex veterum Rabbinorum lacunis hauſerant, manifeſtè repugnabat, illud omne prorſus rejicere ac repudiare non ſunt veriti. Neſcio annon horum hominum impudentiſſimam impietatem perſtrinxerit etiam Ignatius, cum in Epiſtola ad Philadelphenos (quâ certe Hæreticos diſertè notat, qui Judaiſmum tunc temporis in Eccleſias ex Gentibus inferre ſtuduerunt,) ſic ſcribit: ἤκουσα τινῶν λεγόντων, ὅτι ἐὰν μὴ ἐν τοῖς ἀρχαίοις εὕρω, ἐν τῷ εὐαγγελίῳ οὐ πιστεύω· καὶ λέγοντός μοι αὐτοῖς, ὅτι γέγραπται, ἀπεκρίθησάν μοι, ὅτι πρόκειται. p. 43, 44. Edit Voſſ. Quæ ab Uſſeriano Interprete ita redduntur: " Audivi quoſdam
" dicentes, quoniam ſi non in Veteribus in-
" venio, in Evangelio non credo: & di-
" cente me ipſis, quoniam ſcriptum eſt; re-
" ſponderunt mihi, quoniam præjacet."
Ubi οἱ ἀρχαῖοι, ut opinor, ſunt קדמים veteres Rabbini ſive Magiſtri ac Doctores Hebræorum, qui aliquot annis ante Domini noſtri adventum claruerunt; quorum παραδόσεις & διδάγματα Judæi, & qui cum ipſis inſaniere, pro oraculis habuerunt. πρόκειται Interpres vertit, *præjacet*; quô quid hîc ſignificari poſſit, planè non video. Certè προκεῖσθαι Græcis ſæpe eſt *projici, abjici*, ſive *rejici*, ut res vilis nulliuſque pretii. Ut ſenſus Ignatii hic eſſe videatur, homines, de quibus loquitur, non erubuiſſe palam profiteri, ſe Evangelio eatenus tantùm credituros, quatenus veterum iſtorum Magiſtrorum traditionibus congrueret; & cum ipſe ex Scripturis Novi Teſtamenti ab Eccleſia receptis, dogmata, quæ à Magiſtris illis tradita acceperant, redargueret, reſpondiſſe ipſos, Scripturas iſtas à ſe abjici ſive rejici, ut nullius authoritatis. Ita ſane πρόκεσθαι intellexiſſe videtur Pſeudo-Ignatius, loco huic hanc quaſi annotationem ſuam apponens: σκληρὸν τὸ πρὸς κέντρα λακτίζειν, σκληρὸν τὸ Χριστῷ ἀπιστεῖν, σκληρὸν τὸ ἀθετεῖν τὸ κήρυγμα τῶν ἀποστόλων· i. e. " Durum eſt contra ſtimulum
" calcitrare; durum Chriſto non credere;
" durum quoq; præconium Apoſtolorum reji-
" cere atq; aſpernari." Poteſt vero πρόκεσθαι aliâ imò planè contrariâ ſignificatione referri ad ſententiam, quam Hæretici contra Scripturas

Vid. Iren. l. 1. c. 26. & l. 3. c. 21. & Epiphan. Hæreſ. 30.

pturas ab Ignatio allatas defenderent. κεῖσθ enim nonnunquam est *positum* esse pro axiomate, sive statutum stabilitum ac definitum esse; unde theses ipsæ appellantur τὰ κείμενα. Qua significatione προκεῖσθ est *antea* vel *priùs positum*, statutum ac definitum esse. Atq; ita sensus erit: Hæreticos Ignatio contra ipsos ex Novi Testamenti Scripturis disputanti respondisse, sententiam suam priùs (antequam scilicet Scripturæ istæ editæ fuerunt) statutam ac stabilitam fuisse, nempe ὑπὸ τ̃ ἀρχαίων. Utrobiq; istorum hominum τ̃ ἀρχαίων eadem stulta veneratio, idem profanus Evangelicarum Scripturarum contemptus manifestè significatur. Verùm isthæc obiter; pergo. Ebionæi porro isti, ut alterum dogma suum de perpetua & universali obligatione Legis Mosaicæ ritualis tuerentur, omnes beati Pauli Epistolas rejecerunt, ipsum Apostatam à Lege appellantes. Quid verò? Annon hi demum homines Hæretici erant, & pro Hæreticis ab Justino habiti? An cum his Ecclesia Justini tempore, vel ipse etiam Justinus communionem coluit? Credat Judæus Apella; non ego. Imò verò non potuit Justinus, si voluisset, cum Ebionæis communionem colere; siquidem ipsi cum Christianis ex Gentibus communionem colere noluerunt, propteraq; etiam ut Hæretici ab Justino rejecti fuerunt, sicut ex loco Justini, suprà * in hoc capite à nobis laudato, liquet.

Vid. Iren. & Epiph. ubi suprà.

* §. 6.

§. 10. Jam satis, opinor, abundeque demonstratum est, locum Justini ab Episcopio & Remonstrantibus citatum, frustra omnino ab ipsis allatum fuisse, ut probarent, Ecclesiam Justini temporibus communionem coluisse cum iis, qui Jesu Christi Domini nostri Divinitatem negârunt. Nam ex iis quæ diximus, evidentissimum est, Dogmatistas, qui ab Justino eô in loco notantur, tum Divinitatem Christi, tum etiam ejus ex Virgine Nativitatem negâsse; atque ut hypothesin suam defenderent, necesse habuisse rejicere, adeoque revera impiè atque impudenter rejeciisse Sacrosancta Christi Evangelia, quæ ab Ecclesia Catholica recepta, atque in sacris suis Synaxibus quotidie lecta fuerunt; hoc est, Ebionæos omnino ab Justino designari, qui etiam à cæteris Christianis ex circumcisione, nempe Nazaræis, rejecti fuerunt, ad communionem verò Ecclesiæ alicujus ex Gentibus admitti neque potuerunt, neque sane voluerunt.

§. 11. His verò pro coronide adjiciam loca quædam, ex hoc ipso Dialogo cum Tryphone desumpta, ex quibus porro, quid de necessitate credendi articuli de Servatoris nostri Divinitate, quidque de Ebionæis aliisq; qui articulum istum negârunt, Justinus ipse senserit, facilè intelligi possit. Ac primùm quidem respiciatur locus, quem jam semel atque iterum, aliud agens, indicavi, & legere est p. 264. ubi fidem de Christo eorum qui sub Evangelio salvantur, eam esse ait, quâ nempe ἐπιγινώσκουσι τ̃ Χριστὸν τ̃ Θεοῦ υἱὸν, ὃς καὶ πρὸ ἑωσφόρου καὶ σελήνης ἦν, καὶ λόγῳ τ̃ παρθένου ταύτης ἀπὸ τ̃ γένους τ̃ Δαβὶδ γεννηθῆναι σαρκοποιηθεὶς ἐπέμεινεν, ἵνα λόγῳ τ̃ οἰκονομίας ταύτης ὁ πονηρευσάμενος τὸν ἀρχὴν ὄφις, καὶ οἱ ὁμοιωθέντες αὐτῷ ἄγγελοι καταλυθῶσι· κ.λ. i. e. "Agnoscunt Christum Dei Filium, qui "& ante Luciferum & Lunam fuit, & ex "Virgine ista generis Davidici caro factus, "nasci sustinuit: ut per Oeconomiam istam "is qui à principio malignè egit Serpens, & "assimilati ei Angeli debellarentur, &c." Unde proclive est colligere, Justinum eorum fidem, qui in ejusmodi Christum sive Filium Dei credidere, qui ante Mariam non extiterit, quique adeo non ex Maria Virgine, sed ex concubitu Josephi & Mariæ genitus fuerit, pro fide Christiana, sive pro fide de Christi persona, quæ sub Evangelio ad salutem sufficiat, minimè habuisse. Certè cuivis locum integrum perlegenti patebit, ab Justino ibi tradi Symbolum sive regulam fidei, quâ parte Filium Dei & οἰκονομίαν ab ipso susceptam spectabat, quæ jam sua ætate in Ecclesia recepta fuit; cui proinde qui contradixerunt, fieri non potuit, quin ab Ecclesia, adeoque ab Justino, qui Ecclesiæ constanter adhæsit, pro Apostatis ἀπὸ τ̃ κανόνος, hoc est, pro Hæreticis haberentur. Quod clariùs adhuc eluceset ex altero Justini loco, qui in eodem Dialogo habetur p. 253. ubi brevem quendam veluti Elenchum totius Syntagmatis, quod adversus omnes Hæreses elucubraverat, tradere videtur. εἰσὶν ὧν, inquit, καὶ ἐγένοντο πολλοὶ, οἳ ἄθεα καὶ βλάσφημα λέγειν καὶ πράττειν ἐδίδαξαν, ἐν ὀνόματι τ̃ Ἰησοῦ προσελθόντες· καὶ εἰσὶν ὑφ' ἡμῶν, ἀπὸ τ̃ προσωνυμίας τ̃ ἀνδρῶν, ἐξ ὅπερ ἐκάστη διδαχὴ καὶ γνώμη ἤρξατο. ἄλλοι γὰρ κατ' ἄλλον τρόπον βλασφημεῖν τ̃ ποιητὴν τ̃ ὅλων, καὶ τ̃ ὑπ' αὐτοῦ προφητευόμενον ἐλεύσεσθαι Χριστὸν, καὶ τ̃ Θεὸν Αβραὰμ, καὶ Ισαὰκ, καὶ Ιακὼβ διδάσκουσιν· ὧν οὐδενὶ κοινωνοῦμεν, οἳ γνωρίζοντες ἀθέους, καὶ ἀσεβεῖς, καὶ ἀδίκους, καὶ ἀνόμους αὐτοὺς ὑπάρχοντας, καὶ ἀντὶ τ̃ Ἰησοῦν σέβειν, ὀνόματι μόνον ὁμολογεῖν καὶ Χριστιανοὺς ἑαυτοὺς λέγουσιν, ὃν τρόπον οἱ ἐν τοῖς ἔθνεσι τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ ἐπιγράφουσι τοῖς χρηστοποίητοις, καὶ ἀνόμοις καὶ ἀθέοις τελεταῖς κοινωνοῦσι. καὶ εἰσὶν αὐτῶν οἱ μέν τινες καλούμενοι Μαρκιανοὶ, οἱ ὃ Ουαλεντινιανοὶ, οἱ ὃ Βασιλιδιανοὶ, οἱ ὃ Σατορνιλιανοὶ, καὶ ἄλλοι ἄλλῳ ὀνόματι,

ὀνόματι, ἀπὸ τῦ ἀρχηγέτυ ἑ γνώμης ἕκαστος ὀνομαζόμενῳ. i. e. " Sunt igitur & fuerunt " permulti, qui athea & blaſphema & di- " cere & facere docuerunt, in nomine Jeſu " progreſſi: & ſunt à nobis ſub nomine eo- " rum virorum, unde doctrina & ſententia " quælibet extitit, denominati. Alii namq; " alio modo blaſphemare docent factorem " univerſitatis, & qui ab eo venturus vati- " ciniis promulgatus eſt, Chriſtum,& Deum " Abrahami & Iſaaci & Jacobi; cum qui- " bus nihil nobis eſt communionis, atheos " & impios & injuſtos & iniquos ipſos eſſe " ſcientibus; quippe qui pro eo ut Jeſum " colant atque adorent, nomine duntaxat " ipſum confiteantur: & Chriſtianos ſe eô " modô dicant, quô plerique omnes in Gen- " tibus nomen Dei inſcribunt manufactis o- " peribus, & iniquis ſe impiiſque polluunt " ſacris. Et ſunt eorum quidam qui vocan- " tur Marcionitæ; quidam verò Valentini- " ani, Baſilidiani, Saturniliani, & alii alio " noti nomine, à principe ſententiæ quiſque " nomen obtinens." Manifeſtè hîc agit Juſtinus de Hæreticis omnibus, quotcunque vel ſua ætate, vel priùs, Eccleſiæ Chriſti moleſtiam creârunt: quorum quidem nonnullos tantùm nominatim profert; ſed addit fuiſſe & alios, alio notos nomine, unaquaque ſectâ à ſuo Hæreſiarcha nomen ſortitâ; puta Carpocratianos à Carpocrate, Cerinthianos à Cerintho, Ebionæos ab Ebione, pluresque alios. Hæretici verò illi omnes aliquo modô vel Deum Patrem, vel Filium Deum, vel utrumque doctrinâ ſuâ blaſphemârunt. *Alii*, inquit Juſtinus, *alio modô blaſphemare docent conditorem univerſitatis, & qui ab eo venturus prænuntiabatur, Chriſtum illum, & Deum Abrahami, Iſaaci, & Jacobi.* Ubi apprime notandum eſt, Chriſtum illum & Deum Abrahami, Iſaaci, & Jacobi de eodem dici, nempe de eo, qui à conditore univerſitatis venturus prænuntiabatur, hoc eſt, de Filio Dei. Nam primò Deus ille Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, à conditore univerſitatis, hoc eſt, à Deo Patre manifeſtè hîc diſtinguitur. Deinde notiſſimum eſt, Juſtinum paſſim in hoc Dialogo docere, adeoque vehementer contendere, Chriſtum ſive Filium Dei fuiſſe, qui Moſi in rubo ardente apparuit, ſeque Deum Abrahami, Iſaaci, & Jacobi appellavit. Age jam, an nullo modo Chriſtum Deum Abrahami, Iſaaci, & Jacobi blaſphemârunt Ebionæi, qui Chriſtum Deum fuiſſe Abrahami, Iſaaci, & Jacobi planè negârunt? qui ante Abrahamum, imò ante Mariam minimè extitiſſe illum docuerunt? qui adeo merum hominem ex concubitu Joſephi & Mariæ genitum fuiſſe ipſum, dicere atque affirmare auſi ſunt? Præterea ait hîc Juſtinus, Hæreticos ἀντὶ τῦ τὸν Ιησῦν σέβειν, *pro eo ut Jeſum colerent ſive adorarent, nomine tantùm ipſum confeſſos fuiſſe.* Annon hæc verba Ebionæos etiam feriunt? Certé. De quo enim cultu ſive adoratione loquitur Juſtinus? De cultu procul dubio, quem Jeſu Chriſto deberi in hoc Dialogo contendit; in quo multus in eo eſt ut probet, Dominum noſtrum eſſe καὶ προσκυνητὸν, καὶ Θεὸν, *& adorandum, & Deum*, hoc eſt, ut Deum adorandum eſſe. De cultu procul dubio loquitur, quem Chriſtiani omnes Catholici ſui temporis Chriſto exhibuerunt, qui ipſum unà cum Patre & Spiritu Sancto in hymnis & δοξολογίαις ſuis ut Deum glorificârunt atque adoraverunt, ut ipſe teſtatur in Apologia, quæ dicitur, ſecunda: ad quem locum vide omnino quæ diximus Defenſ.Fid. Nic. Sect. 2. c. 4. §. 8. An hujuſmodi cultum tum Chriſto exhibuerunt, aut exhibere potuerunt Ebionæi? Minimè ſane. Certum eſt igitur, Juſtinum in Catalogo Hæreticorum, quibuſcum Eccleſiæ nihil communionis fuit, quoſque Eccleſia ut impios & ſacro Chriſtianorum nomine prorſus indignos rejecit, etiam Ebionæos, alioſque omnes, qui cum ipſis Servatoris noſtri τὴν Θεολογίαν impugnârunt, poſuiſſe.

Vid. pag. 287.

p. 56.

§. 12. His addas, ſi lubet, tertium locum, qui in eodem Dialogo tibi occurret,pag.274. Ubi Juſtinus, ad id rurſus à Tryphone provocatus, aggreditur pluribus oſtendere, in veteri Teſtamento paſſim à Spiritu Prophetico Deum, Deumque verum, non abuſivè ſic dictum, prædicari, qui ſit tamen à Deo univerſitatis parente perſonâ diſtinctus; intelligens omnino hunc eſſe Jeſum Chriſtum, in quem nos credimus: & pollicetur porro, ſe hujus rei ejuſmodi probationes ex Lege & Prophetis allaturum, πρὸς ἃς ἀντιβῆναι μηδὲ ἑδεὶς δυνήσεται, *quibus contradicere nemo quidem poterit.* Tum de probationibus, quas allaturus erat, hæc continuò ſubjungit: ξένα δέ σοι δόξουσιν εἶναι, καίπερ καθ' ἡμέραν ἀναγινωσκόμενα ὑφ' ὑμῶν· ὡς μὴ ἐκ τούτου σοφεῖναι ὑμᾶς, ὅτι μὰ τὴν ὑμετέραν κακίαν ἀπέκρυψεν ὁ Θεὸς ἀφ' ὑμῶν τὸ δύνασθαι νοεῖν τὴν σοφίαν ἐν τοῖς λόγοις αὐτοῦ, πλὴν τινῶν ὃις κατὰ χάριν ἐ πολυαναλαγχνίας αὐτοῦ, ὡς ἔφη Ησαΐας, ἐγκατέλιπε σπέρμα εἰς σωτηρίαν, ἵνα μὴ ὡς Σοδομιτῶν καὶ Γομορραίων τέλεον καὶ τὸ ὑμέτερον γένος ἀπόληται. i. e. " Novæ " autem alienæque tibi videbuntur, quan- " quam quotidie à vobis legantur; ut hinc " quoque intelligere queatis, propter ini- " quitatem veſtram Deum à vobis abſcon- " diſſe facultatem perſpiciendi ſapientiam,

" quæ in verbis ejus ineſt: demptis non-
" nullis, quibus juxta gratiam prolixæ com-
" miſerationis viſcerum ſuorum, ut Eſaias
" inquit, ſemen reliquit in ſalutem, ne ad
" inſtar Sodomitarum & Gomorræorum in-
" ternecione prorſus interiret Gens veſtra."
Ubi per nonnullos iſtos, quos ſolos ex Judaica Gente Deus velut ſemen in ſalutem reliquit, Judæos in Chriſtum credentes ejuſque doctrinam amplexantes intelligi, nemo eſt qui non videat. Hos verò omnes τὴν σοφίαν, *ſapientiam*, ſive Myſterium de Chriſto Dei Filio, adeoque Deo, in veteribus Scripturis traditum intellexiſſe, Juſtinus ſatis manifeſtè ſignificat: proinde eos ex Judaica gente, qui in Chriſtum ſe credere profitentes, nondum tamen vel in Scriptis Prophetarum, vel etiam in meridiano Evangelii Sole ſapientiam illam perſpexerint, nempe Ebionæos, ad ſemen à Deo in ſalutem reſervatum pertinuiſſe, hoc eſt, verè fideles ſive Chriſtianos fuiſſe, minimè cenſuit; ſed potiùs reprobis & juſtô Dei judiciô occæcatis Judæis accenſendos judicavit. Conferenda ſunt quæ de veteribus Nazaræis, ſive Chriſtianis ex circumciſione Hieroſolymitanis ſuprà * diſſeruimus; quippe quæ huic Juſtini loco lucem afferant, & viciſſim ab ipſo mutuentur. * *Cap.* 2. §. 9, 11, 12, 13, 14, 15.

APPEN-

APPENDIX
AD
CAPUT SEPTIMUM.

§. 1. POstquam ſuperiores ad πολυθρύλλητον Juſtini locum obſervationes meas fere abſolviſſem, nactus ſum M. Simonis Epiſcopii Operum Theologicorum Volumen alterum; in quo denuo editam reperi *Reſponſionem ad Specimen calumniarum, ex Remonſtrantium Apologia excerptarum.* In Reſponſione verò iſtâ * multis argumentis contendunt Remonſtrantes, ex loco illo liquere, *veterem & primitivam Chriſtianorum Eccleſiam communionem coluiſſe cum iis, qui Chriſtum Jeſum non niſi ψιλὸν ἄνθρωπον, ſeu hominem ex hominibus, & electione Chriſtum factum eſſe credebant & profitebantur.* Eorum autem argumentorum quædam *evidentiſſima* eſſe gloriantur; nonnulla verò tantùm ut *admodum probabilia* proponunt. Ad primi ordinis argumenta quod attinet, ex iis quæ jam ſuprà dixi, cuivis præjudiciô non laboranti patebit, ea adeo non eſſe evidentiſſima, ut neque admodum probabilia cenſeri mereantur. Verumtamen evidentiſſima illa Epiſcopii & Remonſtrantium argumenta breviter & paucis percurremus.

* Oper. Epiſc. vol. 2. part. 2. pag. 295, 296.

§. 2. Primo, " Juſtinus, *inquit Epiſcopius*, diſertè affirmat fieri poſſe, ut quis " demonſtret ſolidè, Jeſum eſſe Chriſtum " Dei, ſive promiſſum Meſſiam, etiamſi non " poſſit demonſtrare, Chriſtum Dei Filium " præextitiſſe. Chriſtum itaque pro Meſſia " haberi & coli poſſe certâ fide, credidit " Juſtinus, etiamſi negaretur eſſe Filius Dei " æternus." Verùm ad hoc argumentum fusè & luculenter à nobis reſpondetur Cap. 7. §. 4, 5. quò Lectorem remitto. Nimirum hoc Epiſcopio & Remonſtrantibus fons erroris fuit, quòd non animadverterint, Juſtinum in loco, quo de agitur, non ex ſua ſententia vel ex rei ipſius veritate, ſed ex hypotheſi Judæorum, quibuſcum diſputat, argumentari; quô tamen vix quicquam manifeſtius eſſe poteſt. 2dò. " Juſtinus, *addit* " *Epiſcopius*, affirmat, ſi quis Chriſtum cre- " dat non niſi hominem ex hominibus ge- " nitum, & electione Chriſtum factum, eum " errore tantùm labi, non autem negare, " eum eſſe Chriſtum illum. Errorem itaque " iſtum talem errorem eſſe credidit, cum " quo conſiſtit fides iſta, quâ creditur Chri- " ſtum nihilominus eſſe Meſſiam, in quo " cardinem Chriſtianiſmi ponit." Reſp. planè falſum eſſe Antecedens. Non enim affirmat Juſtinus, quod affirmare ipſum dicit Epiſcopius. Verba Juſtini, in quibus Antecedens ſuum contineri Epiſcopius ſomniavit, hæc ſunt: " At ſi non demonſtravero, eum " (*i. e. Jeſum noſtrum*) & priùs extitiſſe, & " naſci hominem ſuſtinuiſſe, eiſdem nobiſ- " cum perpeſſionibus obnoxium, carnemq; " habentem ſecundum Patris conſilium & " voluntatem;" ἐν τούτῳ πεπλανῆσθαί με μόνον λέγειν δίκαιον, ἀλλὰ μὴ ἀγνοεῖσθαι ὅτι ἔστός ἐστιν ὁ Χριστός. *In hôc* (i. e. in eo quòd & præextitiſſe illum, & ex Virgine hominem natum fuiſſe affirmaverim) *errâſſe me tantùm æquum eſt dicere; minimè verò æquum eſt* (ſcilicet tibi Tryphoni Judæo, qui alium Chriſtum ſive Meſſiam non expectas, quàm qui purus homo ſit, ex hominibus genitus, propterea) *negare, hunc eſſe Chriſtum illum.* Vide rurſus Caput noſtrum ſeptimum §. 4, & 5. 3. Pergit Epiſcopius ex loco Juſtini ſic porro argumentari: " Juſtinus affirmat, " ſi hoc ipſum tantùm probetur, Jeſum eſ- " ſe Chriſtum ſive Meſſiam, id Judæo ſuffi- " cere poſſe ac debere, etiamſi neſciat, aut " neget,

" neget, aut probare non possit, Jesum Fi-
" lium Dei præextitisse, adeoque affirmet,
" eum non esse nisi ψιλὸν ἄνθρωπον." Verùm quid hîc sibi voluerit Vir eruditus, vix compertum habeo. An voluit Justinum affirmare, si hoc ipsum tantùm Judæo probatum ac persuasum sit, Jesum esse Christum sive Messiam, id ipsi sufficere posse *ad salutem*, etiamsi nesciat vel neget, Jesum Filium Dei præextitisse, adeoque affirmet eum non esse nisi merum hominem, ex hominibus genitum? Certè vel hoc voluit, vel nihil ad rem dixit. Ubi verò, inquam ego, illud Justinus affirmavit? Imò si ita sensisset Justinus, frustra sane in hoc Dialogo tantopere adlaboravit, sudavit, argumenta ex Scripturis Veteris Testamenti undique conquisivit, ut Judæis probaret ac persuaderet, de Christo sive Messia prædictum fuisse, & Deum illum futurum, & ex Virgine hominem nasciturum. Frustra Judæos, quòd hæc noluerint credere ac confiteri, toties & tam acriter increpat, objurgat, summæque pervicaciæ redarguit, adeoque nonnunquam, ut à Deo derelictos justôque ejus judiciô occæcatos, deflet & commiseretur. Scilicet dum hoc fecit, haud bonâ fide egit; siquidem interea, si Episcopium audimus, revera sensit, Judæis minimè necessarium fuisse ut isthæc crederent; sufficisse ipsis ad salutem, si Jesum quoquo modô Christum sive Messiam esse confiterentur. Annon igitur ipsi satius fuisset de Mysteriis istis siluisse prorsus, ne veritatem non necessariam importunè urgendo, à fide revera necessariâ ipsos arceret? Sed quid multis opus est? Suprà evidenter probavi, Justinum, unà cum Ecclesia Catholica sui temporis, eos ex Judæis, qui cum Jesum esse Christum confiterentur, ejus tamen præexistentiam ante sæcula & ex Virgine nativitatem negârunt, hoc est Ebionæos, pro Hæreticis atque à vera & salvifica Christi cognitione ac fide alienis habuisse. Post hæc urgent Remonstrantes verba illa Justini: *Sunt enim nonnulli ex genere nostro*, &c. Verùm ad ista quoque luculentum suprà Responsum dedimus Cap. 7. §. 6. Atque hæc demum sunt argumenta, quæ Episcopius & Remonstrantes pro evidentissimis venditârunt; quô judiciô, quâve fide, penes æquum Lectorem esto arbitrium.

§. 3. Accedamus nunc ad argumenta, quæ Episcopius ut admodum probabilia proponit; de quorum pleriisque fateor me ne somniaturum quidem fuisse, nisi ille ea suggessisset. Urget primò, *Quod verba illa Justini*, Neq; id multi admodum, qui in eadem mecum sunt sententia, dixerint, *videantur indicare, in ipso illo cœtu, in quo Justinus erat, paucos fuisse istius sententiæ. Non enim dixit: Nemo eorum, qui in eadem mecum sunt sententia (contradistinctè ab aliis Hæreticorum sectis, Marcionitis, Valentinianis, &c. quos passim à suis discernit) id dixerit, sed pauci admodum.* Ubi argumentum habes hujusmodi: Verba Justini; *Neque id multi admodum, qui in eadem mecum sunt sententia, dixerint*, indicant, in ipso illo cœtu, cui adhæserat Justinus, nonnullos (paucos quidem istos) in ea sententia fuisse, ut crederent, Christum hominem tantùm esse ex hominibus genitum: ergo Ecclesia Justini ætate communionem coluit cum iis, qui Christum pro puro homine habuerunt. Consequentiam fateor Sole clariorem esse. Antecedens verò quis, nisi Episcopii perspicillis adjutus, in verbis Justini videre valeat? Justini verba hæc sunt: ἔις ἑ σωτήρημαι· ἐὰν ἂν πλεῖσοι ταὐτά μοι δοξάσαντες εἴποιεν. Hæc ita accipit Episcopius, quasi partitionem denotarent, hunc in modum: *Nec plerique eorum vel ex iis, qui eadem mecum sentiunt, illud dixerint.* Perperam omnino. Nam si illud voluit Justinus, sic locutus fuisset: ἐὰν ἂν πλεῖσοι τ῀ vel ἐκ τ῀ vel ἀπὸ τ῀ ταὐτά μοι δοξασάντων εἴποιεν. Præterea ταὐτά μοι δοξάσαντες hîc manifestè sunt, qui idem quod Justinus de Christo senserunt, nempe & præextitisse ipsum ante sæcula, & ex Virgine hominem factum fuisse; quorum nemo unus certè dixerit, Christum hominem tantùm fuisse ex hominibus genitum. Hoc, inquam, manifestum est ex Tryphonis responsione mox sequente: ἐμοὶ μὲν δοκοῦσιν, inquit, οἱ λέγοντες ἄνθρωπον γεγονέναι αὐτὸν, ἢ κατ' ἐκλογὴν κεκρίσθαι, ⟨ Χριστὸν γεγονέναι, πιθανώτερον ὑμῶν λέγειν φῶ ταῦτα ἅπερ φῄς λεγόντων. Ubi procul dubiô οἱ ταῦτα ἅπερ φῄς λέγοντες iidem sunt, qui ab Justino dicuntur ταὐτά μοι δοξάσαντες. Atqui οἱ ταῦτα ἅπερ φῄς λέγοντες citra controversiam sunt, qui cum Justino dixerunt, Christum & præextitisse Deum, & ex Virgine hominem natum fuisse; quorum sententiæ Trypho opponit ac præponit sententiam eorum, qui *illum hominem editum, & per electionem inauguratum, & unctione Christum factum fuisse asseverârunt.* Itaque perspicuum est, verba ταὐτά μοι δοξάσαντες esse ἐξηγητικῶς addita; τὸ [πλεῖσοι] verò opponi τῷ [τινὲς] quod præcesserat; proinde verba Justini exponenda esse hunc in modum: Sunt enim nonnulli, O Trypho, ex genere nostro, seu potiùs ex gente vestra, qui Jesum esse Christum confitentes, hominem tamen ipsum tantummodo esse ex hominibus genitum affirmant. Quibus ego minimè assentior; neque sane pars longè maxi-

ma

ma Chriſtianorum, utpote qui eadem hic mecum ſentiunt, illud dixerint. Quis jam hinc cum Epiſcopio collegerit, fuiſſe nonnullos in illo ipſo Chriſtianorum cœtu, cui adhæſerat Juſtinus, qui Jeſum eſſe φιλὸν ἄνθρωπον exiſtimarent? His verò addas, quod jam ſuprà obſervavi, fieri non potuiſſe, ut heterodoxi, de quibus Juſtinus loquitur, in cœtu ſive Synaxi Eccleſiæ ullius Catholicæ locum haberent; ſiquidem illi non modò Domini noſtri Divinitatem, verùm etiam ejus, quà homo erat, ex Virgine nativitatem negârunt; atque ut utrique hypotheſi ſuæ conſulerent, Evangelia, quæ ab Eccleſia Catholica recepta fuere, ejuſque in ſacris conventibus legebantur, planè rejecerunt. Imò qui Juſtini temporibus Chriſti Domini noſtri Divinitatem palam negârunt, Catholicorum ſacris, abſque manifeſto cultûs Chriſtiani ludibrio, intereſſe minimè potuerunt. Enim vero in Liturgiis Eccleſiæ Catholicæ jam Juſtini ætate, indeque ab initio, Servator noſter ut Deus adorabatur & glorificabatur. De ſua ætate Juſtinus ipſe teſtatus eſt, ut ſuprà vidimus. Ante Juſtinum verò Plinius, Epiſtolarum lib. 10. Epiſt. 97. ad Trajanum, ex Chriſtianorum Apoſtatarum confeſſione hæc refert: " Affirmabant " autem hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, " vel erroris, quòd eſſent ſoliti ſtato die " ante lucem convenire, carmenque Chri- " ſto, quaſi Deo, dicere ſecum invicem. " Ad hos Hymnos, contra Artemonem, dogma Eccleſiæ de Servatoris Divinitate, ut novitium, impudenter rejicientem, appellavit Catholicus Author apud Euſebium E. H. lib. 5. c. 28. ψαλμοὶ δ' ὅσοι ἢ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπαρχῆς πρὸς πιστῶν γεγραφῆσαι, τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ ὑμνοῦσι θεολογοῦντες· i. e. *Pſalmi quoque & Cantica fratrum ab initio à fide dignis conſcripta, Chriſtum Verbum Dei concelebrant, Divinitatem ei tribuendo.* Imò tam aperta, tam expreſſa fuit in Hymnis iſtis τοῦ θεότητα Chriſti Domini noſtri confeſſio, ut ipſos propterea Paulus Samoſatenus ferre minimè potuerit, adeoque ab Eccleſiis ſuo regimini ſubjectis eliminare conatus fuerit, ut Patres Antiocheni teſtantur in Epiſtola ſua Synodica apud Euſebium E. H. l. 7. cap. 30.

§. 4. Secundum ex argumentis, quæ admodum probabilia judicavit Epiſcopius, hujuſmodi eſt: " Verba illa, *ex genere noſtro*, " arctiorem neceſſitudinem & Fidei com- " munionem ſignificare videntur, quàm eam, " quæ eſt nomine tenus & externâ profeſſi- " one Chriſtianiſmi. Nam de his ipſis, " quos ex genere ſuo vocat Juſtinus, affir- " mat, quòd Chriſtum illum non negent, " aut quod ex ipſorum ſententia non ſequa- " tur, Jeſum non eſſe Chriſtum. " Verùm hoc argumentum ex duobus, quæ jam ſigillatim refutavimus, conflatum eſt. De verbis iſtis, *ex genere noſtro*, vide rurſus Cap. 7. §. 6. Ad rationem verò, quam ſubjungit Epiſcopius, quod attinet, ipſam quoque craſſam eſſe ejus hallucinationem, oſtendimus ejuſdem capitis §. 4, 5. & hujus Appendicis §. 2.

§. 5. Sequitur tertium argumentum: " Deinde, *inquit*, nec mirum admodum vi- " deri debet, Juſtinum eos, qui Chriſtum " habebant pro puro homine, habuiſſe pro " Eccleſiæ ſuæ membris, cum & Socratem " & Heraclitum pro Chriſtianis habuerit, " qui cum Chriſto Dei primogenito vixe- " rint; uti Scultetus ipſe in Analyſi defen- " ſionis Chriſtianorum ad Antoninum Pium " Imperatorem (ea eſt Juſtini) diſertè ex " Juſtino refert. " Mirum ſane atque extra rem longèque quæſitum argumentum. Verùm reſpondeo: In ſuperioribus luculenter oſtendi, Juſtinum eos ex Chriſtianum nomen profitentibus, qui Chriſtum pro vero Deo, Deo Abrahami, Iſaaci & Jacobi non habuerunt & coluerunt, inter impios numerâſſe Hæreticos, quibuſcum neque ſibi, neque Eccleſiæ Chriſtianæ Catholicæ quicquam communionis fuerit. Ad heterodoxos verò quod attinet, qui in loco, quô de quæſtio eſt, notantur, jam ſuprà quoque manifeſtum feci, non uno ipſos nomine pro Hæreticis ab Juſtino Catholiciſque omnibus habitos fuiſſe. Quare ſi verum eſt, quod ex Sculteto affert Epiſcopius, Juſtinum nempe Socratem & Heraclitum pro veris Chriſtianis habuiſſe; illud ſolum inde ſequetur, Virum ſanctum de Socrate & Heraclito, quàm de Hæreticis iſtis honeſtiorem in animo opinionem concepiſſe. Neque ſane mirum admodum videri debet, ſi Juſtinus meliora ſenſit & ſperavit de Ethnicis, qui revelatione divina deſtituti, unum Deum rerum omnium conditorem, pro modulo lucis & cognitionis ſuæ, coluerunt, virtutemque ſectati ſunt, (quod Socratem & Heraclitum feciſſe exiſtimavit) quàm de iis, qui Chriſtianos ſeſe jactitantes, religionis ſuæ divinitus patefactæ, ac tot tantiſque miraculis abunde confirmatæ, prima atque à Chriſto ipſo ejuſque Apoſtolis manifeſtiſſimè tradita principia, ideo ſcilicet quòd eorum modos & rationes ſuô cerebellô comprehendere non valerent, impiè atque impudenter rejecerunt.

Cæterum cum Juſtinus in Apologia, quæ inſcribitur ſecunda, Socratem & Heraclitum Chriſtianos appellat, non vult eos ſimpliciter & perfectè Chriſtianos fuiſſe, ſed ex *p.* 83.

parte tantùm, nempe quatenus rectæ rationis ductum secuti, unum Deum omnium parentem, spretis Gentium idolis, juxtà cum Christianis agnoverunt & coluerunt; quin & multa egregia & religioni Christianæ consentanea, quæ ad bonos mores spectant, & Scriptis suis docuerunt, & quadantenus expressérunt factis. Quippe docet Justinus, rationem quæ in unoquoque inest homine, esse veluti σπέρμα, *semen*, & μέρος, *portionem* τ̃ θείε λόγε, *Divini Verbi* sive *rationis*, hoc est, Christi, quem propterea τ̃ πάντα λόγον *universalem rationem* appellat; & consequenter Philosophos Gentiles, qui ante adventum Christi ad normam rationis sibi insitæ dogmata & mores suos conformârunt, eatenus Christianos fuisse; absolutè verò Christianos eos solos esse, qui universæ rationis, nempe ipsius Christi, divinam institutionem ac disciplinam in Evangelio traditam, omni certè humanâ sapientiâ longè sublimiorem, edocti sunt atque amplexantur. Hoc ex parte significat Justinus eo ipso in loco Apologiæ secundæ, quem respexit Scultetus, ubi sic scribit: τ̃ **X**ριςὸν πρωτότοκον τ̃ Θεῦ εἶ) ἐδιδάχθημεν, καὶ προεμηνύσαμεν λόγον ὄντα, ὅ πᾶν γένος ἀνθρώπων μετέχει· καὶ οἱ μετὰ λόγε βιώσαντες, **X**ριςιανοί εἰσι. κ. λ. " Christum esse primogenitum " Dei edocti sumus; ipsumque Rationem " esse, cujus universum hominum genus est " particeps, antea ostendimus. Et quicun- " que cum ratione vixere, Christiani sunt, " &c." Pleniùs verò sensum suum aperit Justinus in Apologia, quæ in vulgatis editionibus prima censetur. Ubi verba faciens *p. 46.* de Philosophis quibusdam inter Gentes, qui propterea quòd præclara nonnulla de moribus Μα τ̃ ἐμφύτε παντὶ γένει ἀνθρώπων σπέρματος τ̃ λόγε tradiderint, odio apud suos habiti fuerunt, atque Heracliti iterum, quin & Musonii cujusdam, qui sua ætate floruit, exempla producens, mox subjungit: ὡς γὰρ ἐσημάναμεν, πάντας τὸς κατὰ ὁπωσδήποτε κατὰ λόγον βιῶν σπουδάζοντας καὶ κακίαν φεύγειν, μισεῖσθαι ἀεὶ ἐνέργησαν οἱ δαίμονες. ὅθεν ἂν θαυμαςὸν, εἰ τὸς κατὰ σπερματικὸ λόγε μέρος, ἀλλὰ κατὰ τ̃ τ̃ παντὸς λόγε, ὅ ἐςι **X**ριςῦ, γνῶσιν καὶ θεωρίαν *, πολὺ μᾶλλον μισεῖσθαι οἱ δαίμονες ἐλεγχόμενοι ἐνεργῶσιν. i. e. " Nam " ut omnes, quemadmodum significavimus, " qui qualicunque pacto juxta rationem vi- " vere & pravitatem fugere studuerunt, " odio haberentur, Genii maligni semper " vi suâ & operâ effecerunt. Minimè ve- " rò id mirandum videtur, si eos, qui jux- " ta partem aliquam seminalis rationis mo- " res suos conformant, periculis objiciant; " verùm & secundum universæ rationis & " Verbi, hoc est Christi, notionem & con- " templationem viventes in longè majora " odia ope & operâ suâ conjicere Dæmo- " nes coarguuntur." Vides hîc, quô sensu Justinus Heraclitum, ejusque similes, Christianos appellaverit, nempe quòd *JUXTA PARTEM ALIQUAM SEMINALIS RATIONIS MORES SUOS CONFORMAVERINT, ET QUALICUNQUE PACTO JUXTA RATIONEM VIXERINT, ET PRAVITATEM FUGERE STUDUERINT:* quos eapropter longô satis intervallô disjungit à verè Christianis, *QUI SECUNDUM UNIVERSÆ RATIONIS ET VERBI, HOC EST CHRISTI, NOTIONEM ET CONTEMPLATIONEM VIVUNT.* Si quis verò suspicetur, sensisse Justinum, posse hominem solâ nativæ rationis ope ad eam Dei cognitionem pervenire, quæ ad vitam ac beatitudinem cœlestem atque æternam assequendam sufficiat, audiat ipsum pro se loquentem in Paræneticâ Oratione ad Græcos, quæ his verbis clauditur: παντα χόθεν τοίνυν εἰδέναι προσήκει, ὅτι ἁδαμῶς ἑτέρως περὶ Θεῦ ἢ τ̃ ὀρθῆς θεοσεβείας μανθάνειν δίον τε ἢ ἁδὲ τ̃ τ̃ προφητ̃ μόνον, τ̃ διὰ τ̃ θείας ἐπιπνοίας διδασκόντων ὑμᾶς· i. e. " Unde- " quaquam ergo & modis omnibus scire " convenit, nullo planè pacto aliter aut " aliunde de Deo, vel de recto Dei cultu, " disci quidquam posse, quàm à Prophetis " solis, qui divina inspiratione inflati vos " docent & instituunt." Expressa itidem sunt ejusdem verba in Epistola ad Diognetum: Ανθρώπων οὐδεὶς [τ̃ θεὸν] ὅτε εἶδεν, ὅτε ἐγνώρισεν· αὐτὸς οὖν ἑαυτὸν ἐπέδειξεν· ἐπέδειξε δὲ διὰ πίστεως, ᾗ μόνῃ θεὸν ἰδεῖν συγκεχώρηται· " Nemo mortalium Deum vel vidit " vel cognovit; sed ipse seipsum ostendit: " ostendit autem per fidem, cui soli Deum " videre concessum est."

p. 44. *p. 37.* *p. 285.* *p. 499.*

§. 6. Ad quartum atque ultimum Episcopii argumentum venio, quod sic procedit: " Si quis, *inquit*, Scripta Justini, at- " que in primis Dialogum istum (qui sci- " licet Trypho inscribitur) accuratè legat, " videbit, Justinum Christum quidem De- " um ac Dominum agnoscere, sed passim " negare ipsum esse Creatorem universi, " & non personâ tantùm, sed naturâ, etsi " non

* *Supplendum hîc esse ex præcedentibus,* βιῶν σπουδάζοντας, *ex* Sylburg *not. in locum, in margine monuit Doctissimus* Bullus. *Sed de hoc vide Annotationem nostram in hunc Justini locum pag.* 20. *nuperrimæ editionis Oxonienſis, num.* 2.

" non γνώμῃ, ab eo diſtinctum ac diverſum " adſerere. Quod ſi ita eſt, utique mirum " non debet videri, ſi eos, qui eum non " præextitiſſe cæteris rebus omnibus, aut " creatum & factum in principio, ſed in " tempore ex hominibus genitum ac natum " credebant, *ex genere ſuo* cenſuit. Nec " enim tam ingens eſt diſtantia inter iſtas " opiniones, ut propterea ſchiſma facien- " dum ſit. Utrinque enim Chriſtus ſtatui- " tur creatura, ſed de tempore tantùm, " quô exiſtere cæpit, quæſtio eſt." Reſp. Papæ! Quid ſibi volunt verba iſta, *Juſtinum paſſim negare, Chriſtum eſſe Creatorem Univerſi?* An iis voluit Epiſcopius, Juſtinum negare, per Chriſtum (h. e. per unigenitum atque ante omnia ſæcula exiſtentem Dei Filium, qui poſt aſſumptam carnem Chriſtus dictus eſt) res omnes creatas ex nihilo εἰς τὸ εἶναι productas fuiſſe? Atqui id falſiſſimum eſt. Contrà enim Juſtinus rerum omnium creationem Filio Dei paſſim attribuit, ut opus ipſi cum Deo Patre commune. Sic v. g. in Apologia, quæ in editionibus prima dicitur, priùs de Deo Patre locutus, hæc de Filio ſubjungit: ὁ δὲ υἱὸς ἐκείνου, ὁ μόνος λεγόμενος κυρίως υἱὸς, ὁ λόγος πρὸ τῶν ποιημάτων καὶ συνὼν, καὶ γεννώμενος, ὅτε τὴν ἀρχὴν δι' αὐτοῦ πάντα ἔκτισε καὶ ἐκόσμησε, κ. λ. i. e. " Porro Filius ejus, qui ſolus " propriè dicitur Filius, Verbum ſimul " cum illo ante creaturas exiſtens & na- " ſcens, quoniam primitus per ipſum cun- " cta creavit & ornavit, &c." Itidem in Dialogo cum Tryphone: ἀλλὰ τοῦτο τὸ τῷ ὄντι ἀπὸ τοῦ πατρὸς πρόβλητον γέννημα πρὸ πάντων τῶν ποιημάτων συνεῖναι τῷ πατρὶ, καὶ τούτῳ ὁ πατὴρ προσομιλεῖ· " Verùm hæc i- " pſa revera à Patre edita progenies ante " creaturas omnes Patri coexiſtit, & cum " eâ Pater colloquitur:" nempe in verbis illis, quæ paulo antè citaverat: *Faciamus hominem*, &c. Et in Epiſtola ad Diognetum docet, Filium Dei non eſſe ὑπηρέτην τινὰ, *miniſtrum aliquem*, ἀλλ' αὐτὸν τὸν τεχνίτην καὶ δημιουργὸν τῶν ὅλων, *ipſum opificem & creatorem Univerſi*. Numquid igitur *creatorem Univerſi* perſonaliter, ut loquuntur, ſumpſit Epiſcopius; quatenus *creator Univerſi* titulus eſt Dei Patris, quà is eſt πηγὴ θεότητος, *fons Divinitatis*, adeoque operationum omnium divinarum? Si hoc voluit, fatemur Juſtinum negare, (quod & ſemper negavit Eccleſia Catholica) Chriſtum eſſe Deum Patrem. Fuit dogma illud ſingulis ætatibus, in diverſorum nominum Hæreticis ab Eccleſia damnatum. Verùm pergit Epiſcopius, additque, Juſtinum paſſim adſerere, Chriſtum (nempe in excellentiori ſua natura, quâ ante ſæcula extitit) alium eſſe à Creatore univerſi, h. e. Deo Patre, ac non perſonâ tantùm, ſed & naturâ ab eo diſtinctum ac diverſum, adeoque puram putam eſſe creaturam. Certè qui hanc Juſtino hæreſin ſeriò aſcribit, is optimi Patris Scripta nunquam accuratè legiſſe judicandus eſt. Tantum enim abeſt, ut Juſtinus paſſim adſerat, Chriſtum alium eſſe à Deo Patre naturâ, adeoque puram putam creaturam, ut ſat ſciam, ne unum quidem locum ex eo proferri poſſe, in quo id ipſum adſerat. Imò contrà in locis ex Apologia prima & ex Dialogo cum Tryphone modò citatis, τὸν λόγον ſive Filium Dei, ut propriè dictum, h. e. verum ac naturalem Dei Filium, à creaturis, iiſque quæ à Deo facta ſunt omnibus, manifeſtè diſcernit, ipſique coæternam cum Deo Patre exiſtentiam attribuit. Et in loco ex Epiſtola ad Diognetum allato, Filium Dei ὑπηρέτην, *miniſtrum*, h. e. creaturam eſſe diſertè negat. Quô autem ſenſu idem Juſtinus alibi, cum aliis Patribus primævis, Filium Dei dixerit ὑπηρέτην, *miniſtrum* Dei Patris; adeoque οἰκονομίαν quandam ipſi tribuerit, quæ Majeſtati Dei Patris minimè conveniret; quâ ſcilicet à mundi primordio ſæpius in terras deſcenderit, atque in ſpecie viſibili cum Viris ſanctis collocutus fuerit; fusè explicavimus in noſtra Fidei Nicænæ Defenſione Sect. 4. cap. 2. §. 2. & cap. 3. §. 4, 5. Porro in eadem ad Diognetum Epiſtola * Filius Dei ab Juſtino dicitur, ὁ ἀεὶ, σήμερον υἱὸς λογισθεὶς, *ille ſemper exiſtens, qui hodie Filius habitus eſt*. Sic etiam in Oratione Parænetica ad Græcos obſervat Juſtinus, Angelum, qui Moſi in rubo apparuit, quem ubique contendit Dei fuiſſe Filium, ſe dixiſſe τὸν ὄντα, *eum qui eſt*; ac deinde expreſsè notat iſtam deſcriptionem τῷ ἀεὶ ὄντι θεῷ προσήκειν, *ſemper exiſtenti Deo convenire*. Certè qui hæc ſcripſit, is creaturam eſſe Dei Filium minimè ſomniavit.

p. 44.

p. 285.

p. 499.

*Prope finem.

p. 19, 20.

§. 7. Denique Sanctus Martyr τὸ δμοούσιον Filii (etſi ipſa voce nuſpiam de Filio Dei utatur) paſſim adſerit; ipſum eſſe verum, germanum, genuinum, ex ipſa Dei Patris eſſentia progenitum Dei Filium affirmans; qui eo nomine juxtà cum Deo Patre Deus ſit ipſiſſimus, quemadmodum luculenter oſtendi Def. Fid. Nic. Sect. 2. cap. 4. Hîc duo tantùm lòca, ibidem à nobis latiùs deducta, breviter & paucis recolam, ex quibus meridianâ luce clariùs patebit, quô ſenſu Juſtinus Filium Dei alium à Deo Patre adſeruerit. Priorem locum habes in Apologia prima: οἱ γὰρ τὸν υἱὸν πατέρα φάσκοντες εἶναι, p. 96.

εἶναι, ἐλέγχονται μήτε τὸν πατέρα ἐπιστάμενοι, μήθ' ὅτι ἐστὶν υἱὸς τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων γινώσκοντες· ὃς ἦν λόγος πρωτότοκος ὢν τοῦ Θεοῦ, καὶ Θεὸς ὑπάρχει. " Qui enim Filium Patrem esse " dicunt, comperiuntur neque Patrem sci- " re, neque Filium esse Patri universorum " nôsse : qui eo ipso, quòd ratio sive Ver- " bum Dei primogenitum sit, Deus etiam " est. " Vides Justinum hîc docere, Filium à Patre ita quidem alium esse, ut non sit Pater ipse, sed persona ab eo distincta ; tamen non alium esse à Patre naturâ, quippe qui eo ipso, quòd ex Deo Patre, idque ut λόγος *Ratio*, sive *Verbum*, ex paterna mente genitus est, Deus etiam ipse sit. Fieri enim nequit, quin λόγος, *Ratio* sive *Verbum* primæ atque æternæ mentis, hoc est Dei Patris, sit ipsi ὁμοούσιος & coessentiale ; unde & hac eadem ratione, ad veram Filii Divinitatem adstruendam, primævi Patres communiter utuntur. Obiter autem mecum observabit Lector, vel ex hoc uno loco satis liquere, quid de iis senserit Justinus, qui Christum esse ψιλὸν ἄνθρωπον, non Filium Dei primogenitum, qui & ipse Deus sit, docuerunt. Disertè enim hîc pronuntiat, eos qui negant Filium esse verum Deum, à Deo Patre personâ distinctum, neque Deum Patrem nôsse, hoc est, à vera religione ac salute alienos esse. Etenim notissimum est, phrasin *Patrem non nôsse*, tum in Scripturis, tum in veterum Patrum Scriptis idem significare, quod salvificâ Dei Patris cognitione destitutum esse. Quo sensu Joannes Apostolus (ut jam suprà alicubi admonui) de Hæreticis sui temporis, qui Christum esse unigenitum Dei Filium negârunt, pronuntiat : *Qui negat Filium, neque Patrem habet*, 1 Joan. 2. 23. Ut verò loci hujus Justini sensus clariùs perspiciatur, notandum est, Justinum in præcedentibus de Judæis locutum fuisse, qui eum, qui sub Angeli specie Mosi in rubo apparuit, dixitque : *Ego sum existens ille, Deus Abrahami, &c.* non Dei Filium fuisse, sed ipsum Deum Patrem contendebant. Quippe Judæi Filium Dei aliquem, qui & ipse Deus sit, agnoscere & colere noluerunt ; in hac sua pervicacia sibi adblandientes, quòd unum Deum Patrem religiosè colerent, neque alium colere necesse haberent. Hos Justinus ostendit tam à Spiritu prophetico, nempe Veteris Testamenti, quàm à Christo ipso meritò redargui, neque Deum Patrem nôsse. Deinde hac occasione in loco allato transit, ut mihi quidem videtur, ad Hæreticos Christianos, eosque strictim notat, qui Filium Dei esse ipsum Deum Patrem docuerunt, (quâ in hæresi fuere Justini temporibus nonnulli, & post Justinum, Praxeas, Noetus, Sabellius, aliique) in hôc cum Judæis consentientes, quòd Filium Dei, à Deo Patre personâ distinctum, qui ex ipso Deo Patre genitus, Deusque adeo ipse sit, nullum agnoverunt ; quos propterea, perinde ac Judæos, pronuntiat, neque Deum Patrem sciviisse ; hoc est, salvifica Dei cognitione, quicquid obtenderent, planè destitutos fuisse. Nimirum post prædicatum atque ab Apostolis plenissimè patefactum Christi Evangelium, nemo jam Deum Patrem potest ritè atque ad salutem colere, nisi & Deum Filium simul colat ac veneretur. Annon igitur hic Justini locus eos perinde ferit, qui Christum esse purum putum hominem, sive etiam meram creaturam docuerunt ? Certè ; neque enim hi, magis quàm Judæi aut Hæretici isti, Filium Dei (qui, quòd λόγος, *Verbum* Dei primogenitum sit, Deus etiam ipse est) sensu Justini agnoverunt. Verùm istud in transitu breviter notâsse sufficiat.

§. 8. Pergo ad alterum Justini locum, in quo de distinctione Filii Dei à Deo Patre veluti ex professo agit. Locus extat in eo ipso cum Tryphone Dialogo, ad quem imprimis appellavit Episcopius. Ibi etiam *p. 358.* quorundam sententiam refert, qui docebant Filium Dei non esse ὑφιστάμενον à Patre distinctum, sed tantummodo τὴν δύναμιν τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων, *virtutem à Patre rerum omnium provenientem.* Quorum Hæresi Catholicam sententiam mox opponit his verbis : " Virtutem istam, quam Deum ser- " mo Propheticus vocat, prout pluribus si- " militer est probatum, & Angelum, non " ita ut Solis lumen nomine tantùm nume- " rari, verùm numerô quoque aliud quid- " dam esse (ἀριθμῷ ἕτερον) ratione ex- " quisitâ suprà paucis explicavi : Virtutem " hanc dicens à Patre genitam virtute & " consilio ipsius, non per recisionem, tan- " quam dispertita esset Patris essentia, (ὃ " κατ' ἀποτομὴν, ὡς ἀπομερισμένης τῆς τοῦ " πατρὸς οὐσίας) prout alia omnia divisa & " secta non eadem sunt, quæ antè fuerunt " quàm scinderentur. Atque exempli gra- " tiâ illud sumpsi, quod ex igne ignes ali- " os accensos videmus, illo nihil diminutô, " sed eodem manente, unde multi accendi " possunt ignes. " Hîc Justinus apertè docet, Filium esse quidem ἀριθμῷ ἕτερον, *numerô* seu personâ *alium* à Patre, sed non naturâ diversum ; quippe qui ex ipsa Dei Patris essentia progenitus, (non quidem per sectionem aut partitionem divinæ essentiæ, sed per simplicem ejusdem communicationem ;

nem ; qualis fere eſt inter ignem, ignem alium ſine ſui jacturæ & diminutione ullâ producentem, & ipſum productum ignem) adeoque Filius Deo Patri ſuo conſubſtantialis, ac juxtà cum ipſo Deus verus ſit. Videſis quæ præterea ad hunc Juſtini locum adnotavimus Def.Fid.Nic. Sect. 2. cap. 4. §.3,4. Ex his verò omnibus perſpicuum eſt, inter ſententiam Juſtini, & eorum, qui Chriſtum hominem tantùm eſſe ex hominibus genitum docuerunt, maximam eſſe diſtantiam. Ex altera enim parte Chriſtus ſtatuitur mera creatura, imò purus putus homo ; ex altera aſſeritur Filius Dei, Deo Patri ſuo coeſſentialis, Deuſque adeo ipſiſſimus.

§. 9. Poſt hæc argumenta (quæ ſane vix digna ſunt Virô cordatô, qui in Scriptis Juſtini vèl mediocriter verſatus fuerit) conſectarium quoddam ſubjicit Epiſcopius, in quo ſi fallitur, diſputatio ejus præcedens, etiam ipſo judice, tota ſimul corruet. Ex iis enim quæ in ſuperioribus diſſeruerat, colligit, *Juſtinum per iſtos*, EX GENERE SUO, *non intellexiſſe Ebionitas*. Quâ verò ratione id colligit ? " Veriſimile, *inquit*, nullo " modô eſt, Juſtinum illos iſta phraſi deſi- " gnâſſe, non tantùm quia nullibi in ſuis " Scriptis Ebionitarum meminit, ſed etiam " quia fæx hominum videntur fuiſſe ; ut- " pote quorum præceptor ſcribitur, Paulum " Apoſtolum calumniis onerâſſe, Petrum " mendaciorum inſimulâſſe, ex parte Judæ- " um, Eſſenum, Nazaræum, Cerinthianum, " Carpocratianum vocâſſe * ; & qui inſu- " per, ut Euſebius refert Hiſt. Eccl. lib. 2. " cap. 21. credebant, Chriſtum ex concu- " bitu Joſephi & Mariæ natum eſſe, & Le- " gis Moſaicæ ceremonias obſervandas eſſe " docebant. Ut hos *ex genere ſuo* eſſe dixe- " rit Juſtinus, planè non eſt veriſimile. " Itaque fatetur Epiſcopius, nullo modô eſſe veriſimile, Juſtinum Ebionæos ex genere ſuo (quatenus ſcilicet phraſis iſta arctam illam neceſſitudinem fideique communionem denotare ipſi viſa eſt) cenſuiſſe ; quippe qui fuerint fæx hominum, multaque impia docuerint. Quis autem non videt, Virum doctum hac confeſſione cauſam ſuam revera jugulâſſe ? Quippe non de aliis quàm de Ebionæis loqui Juſtinum, ſuprà luculentiſſimè demonſtravi. Sed & mirum eſt, quid ſibi voluerit Epiſcopius, cum ex Euſebio probat, Ebionæos credidiſſe Chriſtum ex concubitu Joſephi & Mariæ natum fuiſſe, inde colligens Juſtinum de Ebionæis nequaquam loqui. Quaſi verò non apertè ſignificâſſet Juſtinus, Hæreticos, de quibus loquitur, docuiſſe, Chriſtum eſſe ἄνθρωπον ἐξ ἀνθρώπων γεγενημένα, *hominem ex hominibus genitum*. Quid ? an ſenſum horum verborum neſcivit Epiſcopius ? Annon qui Chriſtum hominem ex hominibus genitum dicit, eo ipſo dicit, Chriſtum ex viri & fœminæ (hoc eſt, Joſephi & Mariæ) concubitu genitum fuiſſe ? Certè qui in utero puræ Virginis, ſine viri congreſſu, per Spiritum Sanctum conceptus ac formatus fuit, is homo ex hominibus genitus dici non poteſt. Præterea quid ſit, Chriſtum hominem ex hominibus genitum eſſe, paſſim in hoc Juſtini cum Tryphone Dialogo manifeſtè declaratur. Ibi enim Try- *p. 291.* pho Chriſtianorum fidem de Jeſu ex Maria Virgine nato prolixè ridet, eam fabulis Græcorum, de Perſeo è Danae virgine, Jove in ipſam auri forma illabente, prognato, æquiparans, ac mox ſubjungens : καὶ ὑμεῖς τὰ αὐτὰ ἐκείνοις λέγοντες, αἰδεῖσθε ὀφείλετε, καὶ μᾶλλον ἄνθρωπον ἐξ ἀνθρώπων γεγόμενον λέγειν τὸν Ἰησοῦν τοῦτον. " Et vos eadem cum illis " dicentes, erubeſcere, & potiùs hominem " ex hominibus genitum eſſe Jeſum hunc, " dicere debetis. " Quis non videt, quid hîc ſit, hominem ex hominibus genitum eſſe ? Alibi in eodem Dialogo Juſtinus ipſe ex veteribus Prophetis probat, Chriſtum ex Virgine naſciturum, inde colligens, ὅτι οὐκ ἔστιν ὁ Χριστὸς ἄνθρωπος ἐξ ἀνθρώπων, κατὰ τὸ κοινὸν τῶν ἀνθρώπων γεννηθείς· " Chriſtum " non eſſe hominem ex hominibus, com- " muni mortalium more genitum. " Denique Juſtinus hôc ipſo in loco, de quo quæſtio eſt, ſatis apertè docet, quid voluerint Hæretici, qui dixerunt, Chriſtum eſſe hominem ex hominibus genitum. Etenim ſuam, hoc eſt, Catholicam ſententiam de Chriſto Domino noſtro in ipſo perioches initio hanc fuiſſe dicit, ὅτι καὶ προϋπῆρχεν υἱὸς τοῦ ποιητοῦ τῶν ὅλων, Θεὸς ὢν, καὶ γεγέννηται ἄνθρωπος διὰ τῆς παρθένου, " Ipſum tum præ-extitiſſe " Filium Conditoris univerſitatis hujus, ad- " eoque Deum eſſe ; tum genitum eſſe homi- " nem ex Virgine. " Deinde Hæreticorum ſententiam ſubjungit Catholicæ contrariam, nempe Chriſtum eſſe ἄνθρωπον ἐξ ἀνθρώπων γεγενημένα. Unde liquet, Hæreticos iſtos dupliciter à Catholica ſententia aberrâſſe ; nempe quòd docuerint 1. Chriſtum eſſe hominem tantùm, non Filium Dei ante Mariam præ-exiſtentem ; 2. Chriſtum eſſe homi-

* *Ebionem vocâſſe Petrum ex parte Judæum, Eſſenum, &c. nuſquam lego. Sed Ebionem ipſum fuiſſe ex parte Judæum, Eſſenum, &c. Epiphanius ſcribit Hæreſ.* 30.

hominem ex hominibus genitum, non ex Maria Virgine per inumbrationem Spiritus Sancti natum.

Sane ex hoc aliiſque indiciis conjectare licet, Epiſcopium & Remonſtrantes locum hunc Juſtini, quem tantopere crepârunt, prorſus feſtinanter primùm legiſſe; (abreptos ſcilicet ſonô verborum, quæ primo auditu præconceptæ ipſorum hypotheſi manifeſtè favere viderentur) ejuſdemque adeo loci poſtmodum neque antecedentia, neque conſequentia, neque adeo ipſa verba accuratè expendiſſe. Utut verò illud ſit, certiſſimum eſt, Viros eruditos fruſtra omnino locum allegâſſe, ut probarent, "veterem & "primitivam Chriſtianorum Eccleſiam com-"munionem coluiſſe cum iis, qui Chriſtum "Jeſum non niſi ψιλὸν ἄνθρωπον, ſeu homi-"nem ex hominibus, & electione Chri-"ſtum factum eſſe credebant & profitebantur."

Sanctiſſimæ atque individuæ Trinitati, Deo Patri, ejuſque coeſſentiali & coæterno Verbo ac Filio, noſtræ ſalutis causâ incarnato, unà cum Spiritu Sancto Paracleto, ab Angelis & hominibus tribuatur laus, honos, & gloria omnis in ſecula ſeculorum, Amen.

INDEX

INDEX Capitum

Præcedentis Tractatus.

INTRODUCTIO. Pag. 5.

CAP. I.

Afferuntur primævorum Patrum teſtimonia docentium, articulum de Servatoris noſtri Divinitate ad ſalutem creditu planè neceſſarium eſſe. Pag. 6.

CAP. II.

De iis qui primô Chriſtianiſmi ſæculô doctrinam Evangelii de Chriſto θεανθρώπῳ impugnârunt. Pag. 13.

CAP. III.

De iis qui ſecundô tertiôque ſæculô Jeſum Chriſtum verum DEUM eſſe negârunt. Pag. 26.

CAP. IV.

De Symbolis primævæ Eccleſiæ: ac primùm de primo atq; antiquiſſimo Symbolo, ejuſq; enarrationibus, quæ apud Irenæum & Tertullianum reperiuntur. Pag. 30.

CAP. V.

De Symbolo Apoſtolorum dicto. Pag. 35.

CAP. VI.

De Symbolo veteri Orientali. Pag. 47.

Annotata *ad Cap.* IV, V, & VI. Pag. 61.

CAP. VII.

De celebri loco Juſtini in Dialogo cum Tryphone Judæo. Pag. 69.

Appendix *ad Cap.* VII. Pag. 79.

FINIS.

INDEX Capitum

Praecedentis Tractatus.

PRIMITIVA & APOSTOLICA

TRADITIO

Dogmatis in Eccleſia Catholica Recepti,

De IESU CHRISTI SERVATORIS NOSTRI

DIVINITATE,

Aſſerta, atq; evidenter demonſtrata

CONTRA

Danielem Zuickerum, Boruſſum,
Ejuſq; nuperos in Anglia Sectatores

PER

GEORGIUM BULLUM. S. T. P.

Nunc primùm edita.

LONDINI,

Impenſis *Richardi Smith*, ad Inſigne Angeli & Bibliorum extra Temple-Bar. MDCCIII.

DIVINITATE.

TRADITIO

INTRODUCTIO.

§. 1. IEſum Chriſtum, Servatorem noſtrum, non hominem tantummodo eſſe, verùm etiam Dei λόγον viventem ac ſubſiſtentem, qui antequam ulla res creata exiſteret, ac proinde ab æterno, apud Deum erat, & Deus erat, per quem facta ſunt omnia, quæ facta ſunt, ſive viſibilia ſive inviſibilia; quiq; in plenitudine temporis propter nos homines noſtramq; ſalutem factus eſt caro, h. e. veram naturam humanam ex virgine in unitatem perſonæ ſuæ aſſumpſit; manifeſta eſt ſacrarum Scripturarum Novi Teſtamenti doctrina, conſtanti & perpetuâ Eccleſiarum omnium, à Chriſti Apoſtolis fundatarum, traditione propagata & conſervata. Nihilominus tamen fuêre olim hodieq; ſunt, idq; (proh dolor!) in Anglia noſtra, impii homines à Satana inſtigati, Chriſtianorum tamen nomen præ ſe ferentes, qui ſacram hanc doctrinam non tantùm non agnoverunt, verùm etiam omnibus viribus ſuis oppugnârunt, adeoq; fœdiſſimis convitiis ac blaſphemiis conſectati ſunt. Scripturæ teſtimonia, quæ Chriſtum Deum clarè prædicant, noſtrates Ebionitæ eludunt, non eâdem quidem omnes ratione. Pleriq; loca illa, more Patrum ſuorum, miſerè torquent, pertrahuntq; in ſenſus à contextu & manifeſta verborum proprietate longè abhorrentes. Nonnulli * verò eò impudentiæ & impietatis progreſſi ſunt, ut (tanquam cum Turcis & Mahumetanis ad Chriſtianiſmi ruinam conſpirâſſent) auſi ſint apertè dicere, Scripturas Novi Teſtamenti à Catholicis Chriſtianis fœdè corruptas atq; interpolatas eſſe. Hiſce equidem Chriſtianorum portentis Socinus ipſe, ſi viribus eſſet, Anathema denuntiaret. Ad Traditionem verò Eccleſiaſticam quod attinet, contendunt omnes, nullam veram traditionem, quæ nempe ab ipſis uſq; Apoſtolorum temporibus derivata ſit, pro Catholica ſententia produci poſſe; Apoſtolos ipſos, eorumq; immediatos ſucceſſores, purum & ſimplex Evangelium prædicâſſe, hoc eſt, ſuam de Chriſto naturâ ſuâ mero homine ſententiam docuiſſe: verùm haud diu pòſt, myſteriô ſcilicet iniquitatis etiam tum operante, puritatem & caſtitatem Evangelii, à Platonicis Philoſophis Chriſtianiſmum amplexantibus, atq; ab Juſtino imprimis, adulteratam fuiſſe.

* Vide Hiſtor. Vind. nu- di Evan- gelii in Præfat. & Judicium Patrum, §. 22.

Vide So- cin. Auctorit. Script. cap. §. 3.

§. 2. Hujus abſurdæ ſententiæ author ipſis fuit, niſi vehementer fallor, Scriptor *Irenici Irenicorum*, acer & vehemens Ebionita, quem Danielem Zuickerum fuiſſe ex Bibliotheca Antitrinitariorum ſerò cognovi. Ille enim in Irenico ſuo originem mutatæ, ut loquitur, Apoſtolicæ de Chriſto doctrinæ inveſtigaturus, hanc ſatis prolixam fabulam narrat: *Primùm veriſimile eſſe, Simonis Magi diſcipulos ſanam de Deo & Chriſto doctrinam, confictâ novâ Chriſti generatione, novôq; adeo Chriſtô introductô, corrupiſſe; idq; Hegeſippum, ſcil. apud Euſebium lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 22. teſtari. Dein, Hæreticos iſtos verſus quoſdam ſub Orphei nomine, de Patris voce ante mundum conditum ab ipſo prolatâ, confinxiſſe. Porro, Juſtinum imprimis hiſce Simonianorum artibus ac deliriis circumventum, Orpheiq; dictis verſibus, iuxtim cum aliis nixum, ſententiam ſuam, de Chriſti, ſeu mentis, vocis, & Rationis Patris, ante mundum conditum generatione ex Patre, ut mundus per eum conderetur, atq; ad homines deſcenderet, tandemq; homo quoq, fieret, propoſuiſſe. Poſtremò, varias fuiſſe cauſas alias, quæ Juſtinum ejuſq; ſequaces, ad ejuſmodi ſententiam recipiendam promovere potuerint, nimirum Platonicæ Philoſophiæ cognitionem & amorem, Gentiliſmi pluriumq; Deorum non prorſus obliteratam memoriam, hominesq; præſtantes mox in numerum Deorum reponendi conſuetudinem, eumq; qui homo tantùm ſit, colendi religionem & horrorem &c.* Ex quibus omnibus demum concludit, rem confectam eſſe, & originem ſententiæ de nova Chriſti productione, novôq; adeo Chriſto patere. *Irenic. p.* 14,15,16.

§. 3. Hæc cum ante multos annos apud Irenici Authorem legiſſem, mox brevem monſtroſæ fabulæ refutationem conſcripſi, de ea tamen in publicum edenda minimè cogitans. Cæterùm cum non ita pridem iſta Zuickeri deliramenta ab Unitariis in Anglia noſtra, non ſine pompa atq; oſtentatione aliqua, in ſcenam denuò producta fuiſſe viderem; brevem illam refutationem recognovi, ac pro data occaſione auxi; itaq; auctam (Bibliopolâ urgente, ut ſi quem apud me paratum haberem Tractatum latiùs ſcriptum, ipſum novæ editioni, quam in ſe ſuſceperat, Operum meorum antea editorum addi permitterem) en! tibi, Lector benevole, tuoq; candori exhibeo.

CAP. I.

Juſtinum non ſuiſſe, qui primus doctrinam de Servatoris noſtri præexiſtentia ante conditum mundum, deq; Creatione omnium per ipſum, in Eccleſias Chriſtianas introduxerit.

§. 1. PRimò Irenici Author illud fundamenti locô ruituro ædificio ſupponit, Juſtinum fuiſſe, qui primus doctrinam de Filii Dei ex Deo Patre, ante conditum mundum generatione, in Eccleſias Chriſtianas introduxerit. Juſtinum quippe dicit, Gnoſticorum præſtigiis circumventum, ſententiam iſtam primùm propoſuiſſe. Alibi etiam (nempe Irenici p. 70.) diſertis verbis pronuntiat: *Neminem Juſtino Martyre antiquiorem citari poſſe, qui in Scriptis ſuis Chriſto divinam naturam adſcripſerit, eumq; Deum ante ſecula dixerit, atq; Artemonitarum ſententiam (qui Chriſtum eſſe ψιλὸν ἄνθρωπον docuerunt) ſaltem ante Juſtinum in Eccleſia inde ab Apoſtolis viguiſſe, poſteaq; demum immutatam fuiſſe.* Hunc ſecuti ſunt nuperi in Anglia noſtra Sociniſtæ, ſive, ut vocari ſe amant, Unitarii; atq; ex his imprimis Author libelli Anglicè ſcripti, cui titulus: *Judicium Patrum circa doctrinam de Trinitate, D. G. Bulli Nicænæ Fidei Defenſioni oppoſitum*; qui paſſim in Tractatu iſto dogmatis de Filio Deo, ante creaturam omnem, Deo Patri co-exiſtente, Juſtinum facit primum Authorem. Quis verò ſanus huic fabulæ fidem habeat? Præterquam enim, quòd vero abſimillimum ſit, Virum ſapientiſſimum, pientiſſimumq; (qualem fuiſſe Juſtinum conſtat) vel potuiſſe pro ſua prudentia in fundamentali Chriſtianiſmi doctrina, Hæreticorum, eorumq; perditiſſimorum fraudibus tam turpiter illuſum fuiſſe; vel pro pietate ſua voluiſſe, novas condere doctrinas, novamq; adeo fidem introducere, ab Anteceſſorum ſuorum fide atq; Apoſtolica traditione (quam ignorare non potuit, qui ἐν πρώτῃ διαδοχῇ Apoſtolorum floruit) longè remotiſſimam; ſepoſitâ, inquam, hâc conſideratione, (quæ tamen ſola ſufficit abſurdo huic commento redarguendo) ſuperſunt nobis argumenta alia, quæ doctrinam de Filii Dei præ-exiſtentia ante conditum mundum adeoq; de creatione omnium per ipſum, non proprium Juſtini commentum, ſed communem ac ante ipſum receptam Eccleſiæ fidem fuiſſe, evidentiſſimè demonſtrent.

§. 2. Primò, Juſtinus ipſe in Dialogo cum Tryphone diſertè teſtatur, non ſe ſolum, ſed etiam Chriſtianos ſui ævi, communiter ſenſiſſe ac credidiſſe, Chriſtum Deum ante ſecula præ-extitiſſe; paucis exceptis, quos notat voce τινὲς, quiq; hæretici manifeſti fuere; utpote qui non modò Servatoris noſtri τὴν προϋπαρξιν ante ſæcula, ſed et nativitatem ex Virgine negârunt. Locum integrè deſcriptum & fuſiſſimè explicatum habes in Jud. Eccleſ. Cath. cap. 7. Idem rurſus Juſtinus confeſſionem ſuam de Chriſti Divinitate, non ut ſuam ſolummodo, aut privatam aliquam, ſed tanquam publicam & notiſſimam omnium verè Chriſtianorum ſui temporis fidem ac ſententiam, idq; coram Imperatore & Senatu Romano, edidit, ſcripſitq; quemadmodum ex admonitione ejus ad Gentes & utraq; Apologia clarum eſt. Quid verò? An hic Chriſtianorum conſenſus uni Juſtino debebatur? Nunquid ipſe orbem peragravit, ut Chriſtum Deum annunciaret? An verò Apoſtolos ſuos habuit, qui ubiq; gentium dogma ipſius diſſeminarent? Fierine potuit, ut ille unus, traditioni Apoſtolicæ derogaret, receptam antea in Eccleſia Fidem immutaret, novumq; adeò

adeo Chriſtum (ut Zuickerus loquitur) Chriſtiano orbi obtruderet? Nemone ex Apoſtolorum diſcipulis auſus eſt impudentiſſimo Novatori obſiſtere? Ne ipſe quidem Polycarpus, qui Joannem Apoſtolum Magiſtrum habuit, quiq; in vivis fuit, cum Juſtinus in Scriptis ſuis dogma de Filii Divinitate, ut communem Chriſtianorum fidem, ederet ac defenderet, diuq; poſtea ſuperſtes fuit? Nemini certè, cui ſanum eſt ſinciput, hæc credibilia videbuntur.

§. 3. Præterea extant hodieq; Scripta Patrum, qui aliquot ante Juſtinum annis, adeoq; in ipſo ævo Apoſtolico floruerunt, nempe Barnabæ Epiſtola Catholica, Hermæ Paſtor, & Epiſtolæ Ignatii Martyris, ex quibus luculentiſſima pro Divinitate Servatoris noſtri teſtimonia adduximus, eademq; à cavillis Authoris Irenici fusè vindicavimus Def. Fidei Nic. Sect. 2. cap. 2. Hæc quidem Scripta Author ille Anglus, cujus mentionem ſuprà fecimus prorſus contemnit, eorumq; adeo Authores more ſuo convitiis ac ſibilis conſectatur. At multò aliter de iis judicârunt Viri longè eruditiſſimi, tam veteris quàm recentioris ævi, præ quorum judicio, Scurræ iſtius cenſura flocci facienda eſt. Ad Hermæ verò Paſtorem atq; Epiſtolam Barnabæ adſcriptam quod attinet, hæc duo conſtanter affirmamus, quæ neq; ille negare auſus eſt, quæq; noſtro inſtituto ſufficiunt. 1. Scripta iſta primæ antiquitatis eſſe, adeoq; Iuſtino Martyre vetuſtiora. 2. Eadem ab Eccleſia adeo approbata fuiſſe, ut primitus in Sacris Chriſtianorum Synaxibus, unà cum Scripturis Canonicis, publicè lecta fuerint. Ignatii autem Epiſtolas ſeptem, Euſebio cognitas, atq; ab Iſaaco Voſſio Græcè editas, (quibus ſolis uſi ſumus) ſancti Martyris fœtus eſſe genuinos, abunde probavit eruditiſſimus Pearſonus noſter, in ſuis Epiſtolarum ſancti Ignatii Vindiciis, ad quem Lectorem remitto.

§. 4. Ad hæc fuere ante Juſtinum Viri pii atq; eruditi, qui Apologias pro religione noſtra adverſus Gentes ediderunt; inter quos emicuerunt Quadratus Athenienſis Epiſcopus, & Ariſtides, qui Adriano Imperatori, ſub Regni ejus initium, Apologetica ſua obtulerunt. Hi Apologiſtæ neceſſe habuerunt Chriſtianos, ab ἀνθρωπολατρείας crimine, ipſis ab Ethnicis intentato, vindicare, atq; tritam illam objectionem: * *natum, crucifixum hominem colitis*, diluere. Neq; potuit quiſquam huic objectioni occurrere, quin ſententiam ſuam de perſona Servatoris noſtri declararet, ſeq; vel Catholicum eo in Articulo, vel Hæreticum oſtenderet. Catholicos verò in Apologeticis ſuis ſe probâſſe Quadratum & Ariſtidem, teſtantur Euſebius & Hieronymus. De Quadrato ſic Euſebius: *Huic* (Adriano ſcil.) *Quadratus obtulit orationem, quam pro defenſione religionis noſtræ conſcripſerat. Extat hodieq; apud pleroſq; fratres hæc oratio, quam nos etiam habemus*: ἐξ ἧς κατιδεῖν ἔστι λαμπρὰ τεκμήρια τῆς τε τοῦ ἀνδρὸς διανοίας, καὶ τῆς ἀποστολικῆς ὀρθοτομίας, *Ex qua et ingenium ejus Viri, & rectam Apoſtolicæ fidei doctrinam perſpicuè licet cognoſcere.* Quadrato, ut ejuſdem notæ Scriptorem, in eodem capite, Ariſtidem ejus σύγχρονον addit. Similiter Hieronymus Quadrati Apologeticum appellat *Librum valdè utilem, plenum rationis & Fidei, & Apoſtolicâ doctrinâ dignum.* De Ariſtide verò in capite proximè ſequente ita ſcribit: *Ariſtides Athenienſis Philoſophus eloquentiſſimus, & ſub priſtino habitu diſcipulus Chriſti, volumen noſtri dogmatis rationem continens eôdem tempore, quô et Quadratus, Hadriano Principi dedit.* Ut dubium non ſit, quin Ariſtides in ſuo Apologetico, juxtà cum Quadrato, Catholicæ & Apoſtolicæ fidei normam & regulam, Hieronymo judice, tenuerit. Vim hujus argumenti paucis complectar. Certum eſt, Eccleſiam Catholicam temporibus Quadrati et Ariſtidis (adeoq; ab initio) Jeſu Chriſto divinos honores tribuiſſe, ut mox in hoc capite oſtendemus. Certum quoq; eſt, Ethnicos id præcipuè criminis loco Chriſtianis objeciſſe, proinde neceſſum fuiſſe eis, qui Chriſtianæ religionis defenſionem ſuſcepere, huic imprimis objectioni occurrere. Quod et factum videmus ab omnibus Apologiſtis, quorum Scripta ad nos pervenerunt. Deniq; certum eſt, Eccleſiam Chriſti Catholicam (ut et ante Chriſtum Eccleſiam Judaicam) id pro rato & fixo ſemper habuiſſe, cultum divinum Deo ſoli adſcribi debere, ipſumq; adeo mero homini aut creaturæ deferre, planè Idololatriam eſſe: quod univerſalis Eccleſiæ decretum Scripturis tam Vet. quam Novi Teſtamenti, tum etiam firmis rationibus ſuffultum eſſe, infrà ſuô locô † liquidò demonſtrabimus. Ex his autem ſequitur, cultum & religionem Chriſtianorum à nemine congruenter principiis Eccleſiæ Catholicæ defendi potuiſſe, qui non ipſe Chriſtum revera Deum eſſe agnoverit. Apologias verò Quadrati & Ariſtidis eximiè Catholicas, h. e. normæ Catholicæ & Apoſtolicæ fidei omnino conſonas fuiſſe, Euſebius & Hieronymus diſertè teſtantur. His addas, ſi libet, obſervationem Petavii in Præf. ad 2 Tomum Dogmat. Theol. nempe in Martyrologio Romano, nec non Adonis, Notkeri &c. referri: *Ariſtidem Athenienſem Hadriano Principi de religione Chriſtiana volumen obtuliſſe,*

Euſeb. Eccleſ. Hiſt. lib. 4. cap. 3.

In Catal. Scriptor. Eccl. in Quadrato.

† *Cap. 8.*

* *de Arb. lib. 1. 24. &*

tulisse, nostri dogmatis continens rationem; & quòd Christus Jesus solus esset Deus, præsente ipso Imperatore, luculentissimè perorâsse.

§. 5. Porro repetendum est hîc luculentum Eusebii testimonium quod alibi * adduximus ex ejus Hist. Eccles. lib. 4. cap. 5. ubi scribit, se ex veterum Scriptorum monumentis didicisse, omnes quindecim Episcopos; qui Hierosolymitanæ Ecclesiæ præfuerunt usq; ad Adriani tempora, cùm ex circumcisione fuerint, tamen τὴν γνῶσιν τοῦ Χριστοῦ γνησίως καταδέξασθαι *cognitionem Christi genuinè susscepisse*. Certê autem cognitionem Christi γνησίως *genuinè* susceperunt, Eusebio saltem judice, ii soli, qui πρωϋπάρχειν αὐτὸν, θεὸν ὄντα καὶ σοφίαν, i. e. *præ-extitisse ipsum, utpote Dei verbum & sapientiam*, confessi sunt, ut semet interpretatur Eusebius ipse Eccl. Histor. lib. 3. cap. 27. ubi hâc descriptione Catholicos & Orthodoxos distinguit ab Hæreticis Ebionæis, quos dicit πλωχῶς καὶ ταπεινῶς τὰ περὶ τοῦ Χριστοῦ δοξάζοντας, *humiliter admodum et abjectè de Christo sensisse*. Quid verò ad hoc Eusebii testimonium respondet Author Scripti, cui titulus, *Judicium Patrum*, &c? Audi & mirabere hominis impudentiam. *Concedimus*, inquit, *dixisse Eusebium, Episcopos illos Hierosolymitanos veram Christi cognitionem professos fuisse; respondemus verò, hoc ab Hegesippo ipsum accepisse. Hegesippus autem cùm ipse Judaico-Christianus fuerit, hoc est, ex eorum numero, qui crediderunt, Servatorem nostrum merum esse hominem, quando dixit Hierosolymitanos Episcopos veram Christi cognitionem professos fuisse, procul dubiô voluit, Dominum nostrum verum & merum hominem esse; scilicet contra Docetas, qui Christum præextitisse docuerunt, verum autem hominem fuisse negârunt.* Verùm 1. magnum Eusebium hebetem prorsus, nulliusq; ingenii aut judicii hominem faciat necesse est, qui ipsum in allegandis Authoribus, quorum testimoniis usus est, adeo turpiter hallucinatum fuisse crediderit. Dicit Eusebius, se ex veterum monumentis didicisse, Hierosolymitanos Episcopos usq; ad Adrianum cognitionem Christi genuinè susscepisse: h. e. ipsius sensu, Christi Domini nostri veram Divinitatem agnovisse. Atqui Authores, sive Author, quem respexit (si homuncioni isti credendum est) planè contrarium voluit; nempe Episcopos illos Ebionæos fuisse, hoc est, Servatorem nostrum pro mero homine habuisse. 2. Eusebius Hegesippum non nominat, ut solet, quando ex ipso aliquid citat; sed tantùm generatim dicit, se ἐξ ἐγγράφων, *ex Scriptis veterum* illud didicisse. Equidem præter Hegesippum alios Authores quam plurimos legerat Eusebius, quos suppeditavit ipsi satis ampla Bibliotheca, Hierosolymis ab Alexandro ejus urbis Episcopo constructa. De qua sic scribit Eccl. Hist. lib. 6. cap. 20. *Eâdem tempestate* (h. e. Antonino imperante) *multi Ecclesiastici Viri doctrinâ excellentes florebant, quorum Epistolas, quas ad se vicissim scripserunt, hactenus asservatas facile est reperire. Extant enim nostrâ quoq; ætate in Bibliotheca Æliæ urbis, ab Alexandro Ecclesiæ illius Episcopo constructa:* ἀφ' ἧς ἐγὼ αὐτοῖς τὰς ὕλας τῆς μετὰ χεῖρας ὑποθέσεως ἐπὶ ταυτὸ συναγαγεῖν δεδυνήμεθα, *ex qua nos quoq; uberrimam materiam ad argumenti hujus, quod præ manibus habemus, tractationem in unum collegimus.* Eusebio præterea præsto erat nobilis Pamphili Martyris Bibliotheca, in qua Ecclesiastici Scriptores, à beatissimo Viro undecunq; collecti, repositi fuerunt, de qua vide Euseb. Eccl. Hist. lib. 6. cap. 32. 3. Esto, hoc ex Hegesippo accepisse Eusebium, quid tum? *Hegesippus*, inquit, *Unitarius fuit, atq; Christum Servatorem nostrum* ψιλὸν εἶναι ἄνθρωπον *credidit.* Nihil falsius. Quæro, unde, quô Authore hoc rescivit? Ab uno (ut arbitror) Zuickero, Irenici Authore, quem ubiq; etiam in præcipitia ducentem cœcus sequitur. Verùm Catholicum fuisse Hegesippum, atq; in Catholicæ Ecclesiæ communione, in qua fides de Christo Deo & homine obtinuit, constanter perstitisse, postea * commodiori locô evidentissimè probabimus.

* *Judic. Eccl. Cath. cap. 2. §. 11.*

Jud. Patrum &c. *p. 43.*

* *Cap. 3.*

§. 6. Post Eusebii testimonium, (non primô in loco, ut Sophista, quocum nunc agimus, impudenter affirmat) Sulpitii Severi gravissimi Historici suffragium adduximus; qui Sac. Hist. lib. 2. cap. 45. disertè scribit, primitivam Ecclesiam Hierosolymitanam, quæ non nisi ex circumcisione habuit Sacerdotes suos usq; ad Adriani tempora, *Christum Deum sub Legis observatione credidisse.* Quid hîc rursus respondet Nugator iste? *Quando*, inquit, *affirmat Sulpitius, Christianos illos in Christum Deum credidisse, in eo errâsse ipsum, probavi testimoniis eorum Patrum, qui cum Judaico-Christianis conversati fuerunt, nempe Origenis & Theodoreti; aliorumq; etiam Patrum qui ipsis multò viciniores fuere, quàm Sulpitius, scil. Epiphanii & Sancti Augustini.* Nihil certè hâc responsione ineptius. Loquitur Sulpitius de primitiva Ecclesia Hierosolymitana, quæ sub Episcopis suis ex circumcisione floruit usq; ad Urbis Excidium sub Adriano. Quid verò? An cum his Judæo-Christianis conversati sunt Origenes & Theodoretus? An his Sulpitiô vicini-

Vide Jud. Eccl. Cath. p. 45.

Jud. Patrum &c. p. 43.

viciniores fuere Epiphanius & Sanctus Auguſtinus ? De Chriſtianis primitivæ illius Eccleſiæ Hieroſolymitanæ diſertè affirmat Sulpitius, credidiſſe ipſos in Chriſtum Deum. Idem ante Sulpitium tradiderat Euſebius, idque ex antiquiſſimis Eccleſiæ illius monumentis. Nunquid in hôc Euſebio & Sulpitio contradixit vel Origenes, vel Theodoretus, vel Epiphanius, vel Auguſtinus, vel alius quiſpiam Veterum ? Minimè certè. De Judæo-Chriſtianis, ſive Ebionæis, ſive Nazaræis, ſui, hoc eſt, longè poſterioris ævi loquuntur illi, idque diverſimodè. De Nazaræis verò poſteriorum ſæculorum, eorumque de perſona Chriſti ſententia, fusè egi in Jud. Eccl. Cath. cap. 2. § 13. & ſeq; &c. Eorum, quæ ibi ſcripſi, ſumma capita hîc repetere, atque ab importuni Adverſarii cavillis vindicare, operæ pretium erit.

§. 7. Primò, Auguſtini teſtimonium de Nazaræorum ſententia allegavi hunc in modum: " Auguſtinus in libro de Hæreſibus, " poſtquam cap. 8. de Cerinthianis egerat, " qui docerent, *carne circumcidi oportere*, " *atque alia hujuſmodi Legis præcepta ſervari*; *Ieſum tantummodo hominem fuiſſe*, " &c. deinde cap. 9. & 10. Nazaræorum " & Ebionæorum dogmata ſic explicat: " *Nazaræi, cùm Dei filium confiteantur eſſe* " *Chriſtum*, (adeoque hactenus à Cerinthi- " anis diſſentiant, qui illum pro homine " tantùm habent) *omnia tamen Veteris Le-* " *gis* (in hôc cum Cerinthianis conſentien- " tes) *obſervant, quæ Chriſtiani per Apoſtoli-* " *cam traditionem non obſervare carnaliter,* " *ſed ſpiritualiter intelligere didicerunt. He-* " *bionæi Chriſtum etiam* (ſcilicet perinde at- " que Cerinthiani, de quibus paulò antè lo- " cutus fuerat) *tantummodò hominem dicunt.* " *Mandata carnalia Legis obſervant, &c.* " Hìc palam eſt, (quicquid cavilletur Irenici Auctor) " Auguſtinum Nazaræos tum à " Cerinthianis, tum ab Ebionæis in hôc di- " ſtinguere voluiſſe, quòd Nazaræi Chri- " ſtum non hominem tantummodo, ſicut " Cerinthiani & Ebionæi, ſed Filium Dei " (διακριτικῶς ſcil.) adeoque Deum confi- " terentur. " Hìc me impudentiæ arguit Adverſarius *, quòd ex hoc teſtimonio Auguſtini inferre voluerim, Nazaræos ſenſiſſe Chriſtum ita Dei Filium fuiſſe, ut ante omnia ſæcula ex Deo natus fuerit ; cum ipſe mihi conſcius fuerim, Ebionæos, etiam qui Chriſtum ψιλὸν eſſe ἄνθρωπον crediderunt, ipſum tamen pro Filio Dei agnoviſſe. Regero, Ebionæos quidem Chriſtum Filium Dei dixiſſe ; ſed neutiquam ſenſu Auguſtini, vel Nazaræorum, de quibus Auguſtinus loquitur. Nam in hôc manifeſtè diſtinguit Auguſtinus Nazaræos ab Ebionitis, quòd illi Chriſtum pro Filio Dei agnoverint, hi non item. Quid quòd ſententiam Nazaræorum, confitentium Servatorem noſtrum Dei eſſe Filium, manifeſtè opponat dogmati Ebionæorum & Cerinthianorum, docentium Chriſtum tantummodo hominem eſſe ? Senſu itaque Auguſtini atque Nazaræorum Chriſtum pro Filio Dei agnoſcere, idem eſt ac Chriſtum non nudum hominem eſſe profiteri. Deinde Sophiſta, quaſi noſtram Auguſtini interpretationem caſtigaturus, atque genuinum ejus textum ac ſenſum allaturus, ſic progreditur : " Sed recitemus ipſiſſima " Auguſtini verba de Hæreſ. cap. 9. 10. " *Nazaræi, ſicut confitentur Chriſtum eſſe* " *Dei Filium, ita univerſam Legem obſervant :* " *Ebionæi etiam dicunt, Chriſtum tantummodo* " *hominem eſſe.* Hæc verba, *Ebionæi etiam* " *dicunt, Chriſtum tantummodo hominem* " *eſſe*, planè abſurda fuiſſent, niſi Na- " zaræi, de quibus antea ἀμέσως locutus " eſt, Chriſtum itidem pro mero homine " habuerint. " Verùm hoc non eſt ipſiſſima Auguſtini verba recitare, ſed integrum ejus textum corrumpere ac depravare. Pro eo quod in enarranda Nazaræorum ſententia Auguſtinus habet *cùm*, hoc eſt, *quanquam*, ille reponit *ſicut* ; pro eo quod in Auguſtino eſt *tamen*, ponit ille *ita* ; et quod caput rei eſt, quod dicit Auguſtinus de Cerinthianorum ſententia capite immediatè præcedente, Sophiſta penitus omiſit, cum tamen ſine iſtis genuinus Auguſtini ſenſus in ſequentibus neutiquam percipi ac intelligi poſſit. At verò ſi ad præcedentia illa attenderis, manifeſtum erit, illud *etiam*, quod in explicanda Ebionæorum ſententia habet Auguſtinus, non ad Nazaræos, ſed ad Cerinthianos omnino referri debere. Adeat eruditus et æquus Lector ipſum Auguſtinum, & mecum (nullus dubito) omnino ſentiet.

§. 8. Auguſtini teſtimonio ſubjeci Hieronymi ſuffragium, de Nazaræis (cum quibus ipſe familiariter converſatus fuerat) hæc ſcribentis in Epiſt. 89. ad Auguſtinum : *Uſque hodie per totas Orientis Synagogas inter Judæos hæreſis eſt, quæ dicitur Mineorum, quos vulgò Nazaræos nuncupant, qui credunt in Chriſtum, Filium Dei, natum de Virgine Maria, & eum dicunt eſſe, qui ſub Pontio Pilato paſſus eſt, & reſurrexit, in quem & nos credimus. Sed dum volunt & Judæi eſſe, et Chriſtiani, nec Judæi ſunt, nec Chriſtiani.* Quibus verbis diſertè dicit Hieronymus, cum Auguſtino, credidiſſe Nazaræos in Chriſtum Filium Dei : & hôc non contentus, ſe explicat, affirmans credidiſſe ipſos in eum Dei Filium, in quem & nos (ſcil. Catholici) credimus : ut in hac de Filio Dei doctrina, diſcrimen inter Catholicos & Na-

zaræos nullum prorſus agnoſcat. Audi Lector (ſi abſque horrore poſſis) quid ad hæc os impurum ac ſacrilegum reſpondet. *Jud. Patrum p.* 43, 44. " Credidiſſet aliquis (*inquit*) quando Nazaræi hîc dicunt, ſe credere in Filium " Dei, natum de Virgine, ſub Ponito Pilato occiſum, deinde à mortuis reſuſcitatum, ſatis ipſos declarâſſe mentem ſuam, " nempe Filium Dei, in quem crediderunt, " hominem Chriſtum Ieſum fuiſſe, non Filium Dei, qui ex Virgine naſci, mori, " atque à mortuis reſurgere non potuit. " Verùm, quia Hieronymus addit, *in quem & nos credimus*, D. Bullus hinc exclamat : Ecce ! Nazaræi crediderunt in eum " Dei Filium, in quem & Orthodoxi crediderunt. Fatemur, Doctor ; ſiquidem utraque pars credidit in Filium Dei, natum " ex Virgine, mortuum, atque à mortuis reſuſcitatum. Quanquam Orthodoxi (ſic " dicti) alium quoque Dei Filium excogitârunt ; Filium nempe, qui neque ex Maria generari atque naſci, neque mori potuit ; Filium Patri ſuo coævum, ſecundarium, omnipotentem, alterum Creatorem, primùm à Concilii Nicæni Patribus patefactum ac veluti in lucem editum." Senſus hujus reſponſionis hujuſmodi eſt : Qui credere ſe profitetur in Filium Dei natum ex Virgine, ſub Pontio Pilato paſſum atque mortuum, eo ipſo ſignificat, ſe in Filium Dei credere, qui purus putus homo ſit, non Deus ; ſiquidem Divina natura, cum ſit impaſſibilis, ex Virgine naſci, mori, atque ex mortuis reſurgere non potuit. Atqui Nazaræi profeſſi ſunt, ſe in Filium Dei credidiſſe, natum ex Virgine, *&c.* Ergo in Filium Dei, qui Deus ipſe ſit, minimè crediderunt. Verùm enim verò in Filium Dei, qui cùm Deus ipſe eſſet, præſtitutô tempore carnem humanam ex Virgine aſſumpſerit, in eaque carne mortuus fuerit, poſteaque à mortuis reſurrexerit, credidit ſemper ante Concilium Nicænum Eccleſia Chriſti Catholica, & cum Catholicis Nazaræi, teſte Hieronymo. Ait enim, Nazaræos credidiſſe *in eum Dei Filium, in quem & nos* (i. e. Catholici) *credimus*. Præterea ſuſceperat in ſe Hieronymus, eâ in Epiſtola, contra Auguſtinum (quem finxerat in ea quæſtione ſibi adverſarium) oſtendere & probare, eos qui Legem Moſis ritualem obſervarent, ab Eccleſia pro Hæreticis ſemper habitos fuiſſe. Hoc primùm probare conatur exemplis Cerinthianorum & Ebionæorum : verùm cum conſcius ſibi eſſet, Ebionem ab Eccleſia hæreſeos condemnatum fuiſſe, quòd Chriſti Divinitatem negaret, Cerinthum verò tum ob eandem hæreſin, tum ob alia impia dogmata ex albo Chriſtianorum erafum fuiſſe ; ideo ab exemplo Cerinthi & Ebionis ultro ipſe recedit, aliô argumentô, à Nazaræis ſumptô, quod omnem cavillandi anſam præſcinderet, pugnaturus. *Quid dicam*, inquit, *de Ebionæis qui Chriſtianos ſe eſſe ſimulant ? Uſq; hodie per totas Orientis Synagogas*, &c. Quaſi diceret : de Ebionæis fortaſſe cauſaberis, neq; ego diffiteor, ipſos de Chriſto Domino noſtro impiè ſentire, utpote hominem tantummodo illum eſſe docentes, proinde, utut Chriſtianos ſe ſimulent, pro verè Chriſtianis tamen minimè habendos : at verò certè nihil habebis quod reſpondeas de Nazaræis, qui cum de perſona Servatoris noſtri rectè nobiſcum ſentiant, ob ſolam tamen Legis ritualis obſervationem pro Hæreticis ab Eccleſia ſunt habiti. Hæc fuſiùs à nobis declarata videas in Jud. Eccl. Cath. citatô Cap. 2. §. 13.

§. 9. Ab Auguſtino & Hieronymo conſcendi * ad Scriptorem, illis longè antiquiorem, quiq; adeo vixit temporibus Adriani, quô imperante Hieroſolymitana Eccleſia Chriſtianorum, qui ex circumciſione erant, urbe ejecta, atq; in varias regiones diſperſa fuit, ac non multò poſt diſperſionem iſtamScripta ſua edidit, nempe Juſtinum Martyrem. Ex cujus Dialogo cum Tryphone Judæo evidenter collegi, fuiſſe ipſius ætate, qui Catholicam de Chriſto fidem, quâ nempe creditur, Jeſum Chriſtum eſſe Dei Filium, qui ante res omnes creatas extiterit, & definito tempore propter hominum ſalutem incarnatus, atq; ex Virgine homo factus fuerit, &c. cum obſervatione Legis Moſaicæ ritualis miſcerent, neq; tamen aliis,ſcil. ex Gentibus, Chriſtianis eam Legem obſervandi neceſſitatem imponerent. His Juſtinus profitetur ſe paratum fuiſſe dextram fraternæ Charitatis ac Societatis porrigere. Hos dico non alios fuiſſe quàm Nazaræos,ſive Hieroſolymitanos Chriſtianos, qui haud ita pridem patriâ ſuâ per Adrianum expulſi fuerant. Quid ad hæc inverecundæ frontis Scriptor ? " Reſpondeo, inquit, quicunque fuerint iſti, certè " Nazaræi non erant. Plerique ex Gnoſticis Chriſti præexiſtentiam agnoverunt ; " atque etiam Legem Moſaicam obſervârunt. Quid obſtat, quò minùs Cerinthiani fuerint ? " Quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet : quicquid probaveris, à præconcepta hypotheſi nunquam recedam : quidvis fingam, quidvis potiùs credam, quàm Nazaræos Chriſti Divinitatem agnoviſſe. Cæterum quò minùs Cerinthiani fuerint iſti, aut ex alia aliqua Gnoſticorum ſectâ, obſtant plurima. Primò, Chriſtiani illi, de quibus loquitur Juſtinus, Filii Dei ἐνσάρκωσιν ſive veram

* *In Jo. Eccl. Cath. loc. cit.* 14.

Jud. p. 44.

veram incarnationem confessi sunt, quam neq; Cerinthiani, neq; ulla alia Gnosticorum secta agnoverunt. Vide quæ scripsimus Def. Fid. Nicæn. Sect. 3. cap. 1. §, 6. & Judic. Eccles. Cathol. Cap. 2. §. 4. Deinde Christiani, de quibus agit Justinus, Orthodoxam fidem in omnibus ad salutem creditu necessariis tenuerunt, neq; ulla in re ab Ecclesia Christi Catholica dissenserunt, nisi quòd ritus Mosaicos religiosè ipsi observârunt. Contrà Cerinthiani, cæteriq; Gnostici omnes, universam fere religionem Christianam ita adulterârunt, ut vix ullus fuerit Fidei Christianæ articulus, quem illi suis corruptelis non temerârint. Præterea Cerinthiani, cæteriq; Judaizantes Gnostici, perinde atq; Ebionæi, Legem Mosis ritualem ab omnibus necessariò observandam esse docuerant. Aliter verò senserunt ac docuerunt Judaizantes Christiani, de quibus Justinus loquitur. Deniq; Justinus Judaizantes illos Christianos pro fratribus habuit, atq; de eorum salute bene speravit. Atqui constat, virum sanctissimum à Cerinthianis cæterisq; Gnosticis, ceu à pestilentissimis hæreticis ab Ecclesia Christi adeoq; à salute per Christum obtinendâ alienis, omnino abhorruisse. Puduit, ut opinor, ipsum Adversarium nostrum hujus tam insulsæ responsionis, qui proinde aliud quæsivit effugium: " Præterea, *in-*
" *quit*, incertum est, an Justinus dicere vo-
" luerit, fuisse Christianos aliquos, qui Le-
" gem Mosaicam observarunt, Christi ta-
" men ante sæcula præ-existentiam credide-
" runt. Ut hunc sensum extraheret, cogi-
" tur D. Bullus Justini verbis hæc addere:
" *Christum, qualem tu modò descripsisti* &c."
Verùm qui integrum sermonis Justini contextum diligenter atq; attentè perlegerit, videbit me verbis ejus vim minimè intulisse. Proposuerat Justino Trypho quæstiones quasdam de salute piorum, cùm eorum qui ante latam Legem Mosis ritualem, tum eorum qui sub ea Lege vixerunt. Respondetq; Justinus, utrosq; in futuro sæculo salvos fore. Sub finem verò responsionis suæ ad quæstiones illas describit Justinus fidem illam de Christo, quæ à nobis Christianis ad salutem requiritur, eamq; ait hujusmodi esse, quâ nempe credimus *Christum Dei filium esse*, ὃς καὶ πρὸ ἑωσφόρου καὶ σελήνης ἦν, *qui & ante Luciferum & Lunam fuit, & ex virgine ista generis Davidici caro factus, nasci sustinuit &c.* Post hæc continuò sequitur Tryphonis quæstio, an qui nunc in Christum credunt, & cum fide illa in Christum Legis Mosaicæ ritualis observationem retinent, salvi esse possint? Quis jam hîc dubitet, quin in quæstione sua eandem in Christum fidem voluerit, quam antea Justinus ἀμέσως descripserat? Rectè igitur Tryphonis quæstionem sic παραφραστικῶς reddidi: *Quod si qui nunc quoq; vivere velint in observatione eorum, quæ à Mose rogata sunt, & credunt in hunc crucifixum Iesum, agnoscentes ipsum esse Christum illum Dei (nempe qualem tu, Justine, modò descripsisti) possuntne & hi quoq; salutem consequi?*

§. 10. Deniq; testimonium petii ex libro sexto Constitutionum Apostolicarum, cujus libri caput 12. hunc habet titulum: πρὸς τοὺς ὁμολογοῦντας, ἰουδαΐζειν δὲ θέλοντας, *contra confitentes, & Judaizare tamen volentes.* Confitentes scil. fidem in capite ἀμέσως præcedente expositam, & speciatim illam ejus partem, quæ in fine capitis recensetur: τὸν Χριστὸν οὐ ψιλὸν ἄνθρωπον ὁμολογοῦμεν, ἀλλὰ Θεὸν λόγον καὶ ἄνθρωπον, μεσίτην θεοῦ καὶ ἀνθρώπων. i.e. *Christum confitemur esse non nudum hominem, sed Deum Verbum & hominem, Dei & hominum Mediatorem.* Hinc colligo, fuisse eâ ætate, quâ vixit Constitutionum Author, Christianos aliquos, qui cùm Christum Deum & hominem confiterentur, tamen cum Judæis hactenus senserunt, atq; à cæteris Christianis in diversum abierunt, ut Legi Mosaicæ rituali etiamnum adhæresceret. Hos dico ipsissimos fuisse Nazaræos. Ad hæc respondet Adversarius: " Priusquam D. Bullus hoc
" evincat, probandum ipsi incumbit, nullos
" fuisse Christianos cujuscunq, denomina-
" tionis, præter Nazaræos, qui Legem Mo-
" saicam observârunt, simulq; crediderunt
" Christum esse Deum Verbum. Atqui
" probè novit, Cerinthianos & pleraſq; fere
" omnes Gnosticorum sectas & Judaizâsse,
" atq; etiam credidisse præ-existentiam
" Servatoris nostri, ipsumq; esse Deum Ver-
" bum." Qui hæc scribere potuit, eô ipsô prodit suam, vel Historiæ Ecclesiasticæ crassam inscitiam, vel certè extremam impudentiam. Christum Deum Verbum & hominem, Dei & hominum Mediatorem, neq; Cerinthiani, neq; ulla alia Gnosticorum secta sincerè agnoverunt. Respice, quæ modò diximus ad Testimonium Justini, proximè à nobis citatum. Præterea, in Confessione illa fidei quæ recitatur cap. 11. quamq; respicit titulus cap. 12. nullus est articulus, cui subscribere & assensum suum sincerè profiteri potuerunt vel Cerinthiani, vel ulla alia Gnosticorum Secta. In ipso Confessionis illius initio jugulum petitur Cerinthianæ hæresis, aliorumq; Gnosticorum omnium: ἕνα μόνον θεὸν καταγγέλλομεν, νόμου καὶ προφητῶν Κύριον, τῶν ὅλων δημιουργὸν, τοῦ Χριστοῦ πατέρα. i. e. *Unum tantùm Deum profitemur, Legis & Prophetarum Dominum, opificem universitatis rerum, Christi Patrem.* Quibus gemina sunt, quæ mox sequuntur, ἕνα θεὸν, ἑνὸς υἱοῦ

cum p. 264.

ὑὸν πατέρα, ὐ πλειόνων, ἑνὸς παρακλήτυ διὰ Χριϛοῦ, τῶν ἄλλων ταγμάτων ποιητὴν, ἕνα δημιυργὸν, διαφόρυ κλίσεως διὰ Χριϛὸν ποιητὴν τὸν αὐτὸν προνοητήν, νομοθέτην δὶ αὐτοῦ. i. e. *Unum Deum, unius Filii Patrem, non plurium, unius Paracleti per Chriſtum, aliorum ordinum factorem, unum Mundi Architectum, diverſarum creaturarum opificem per Chriſtum, eundemq; procuratorem & Legiſlatorem per ipſum.* Quare huic reſponſioni ſuæ diffiſus, mox digreditur Sophiſta, & abducere nos voluit in controverſiam de Conſtitutionum Authore, ſenſeritne ille de S. Trinitate cum Catholica Eccleſia, an vero Arianâ labe infectus fuerit? Quâ de quæſtione ſententiam meam liberè declaravi Def. Fid. Nic. Sect. 2. cap. 3. & 6. Ad Confeſſionem verò illam Fidei quod attinet, quæ capite 11^o^ continetur, facilè in ea perſpiciet ſagax Lector, nonnulla, quæ Arianiſmum ſapere videantur, alia verò, quæ nemo Arianus bonâ fide ac ſine fuco profiteri potuit. Hujuſmodi eſt, quòd Deum Chriſti Patrem, aliarum verò rerum omnium τὸν ποιητὴν διὰ Χριϛοῦ, *factorem per Chriſtum*, διακριτικῶς *profiteatur*. Quod clariùs exprimitur lib. 7. cap. 42. ubi articulus fidei Chriſtianæ de Filio Dei unigenito hunc in modum explicatur: καὶ εἰς τὸν κύριον Ιησοῦν τὸν Χριϛὸν, τὸν μονογενῆ αὐτοῦ υἱὸν, γεννηθέντα ὐ κτισθέντα· δὶ ὃ τὰ πάντα ἐγένετο· i. e. *Et in Dominum Jeſum Chriſtum, unigenitum ejus filium, genitum non creatum; per quem omnia facta ſunt.* Quibus verbis Chriſtus Filius Dei è cenſu rerum creatarum omnino eximitur, adeoq; verus Deus agnoſcitur. Cæterum ut concedamus, Authorem in recitata Confeſſione, quæ capite 11. lib. 6. continetur, Arianæ perfidiæ ſemina aliqua ſparſiſſe, minimè inde neceſſariò ſequetur, τὺς ὁμολογοῦντας, quorum mentio fit in titulo capitis ſequentis, itidem Arianos fuiſſe. Quippe perſpicuum eſt, Authorem in capite illo tradere quidem voluiſſe integram fidei regulam in Eccleſiis Chriſtianis ubiq; ſuâ ætate receptam; ſed et æquè certum eſt, Canonem illum ab ipſo tradi παραφραϛικῶς, explicationibus ſuis hìc illic interjectis. Potuiſſe autem regulam illam fidei confiteri, qui Authoris (ſeu Interpolatoris potiùs) gloſſemata illa omnia minimè approbârunt, manifeſtum eſt.

§. 11. Eò tandem redeo, unde, Adverſariô cogente, digreſſus ſum. Ex Veterum teſtimoniis ſuprà à nobis allatis liquidò liquet, primitivæ Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Chriſtianos, qui ex circumciſione erant, cognitionem Chriſti Domini noſtri γνησίως, *genuinè* ſuſcepiſſe, h. e. veram ejus Divinitatem agnoviſſe; eandemq; fidem in Eccleſia illâ uſq; ad diſperſionem ejus ſub Adriano Imperatore perdurâſſe. Quòd ſi in Eccleſia Hieroſolymitana, aliarum omnium Eccleſiarum Matre, doctrina de Chriſti Servatoris noſtri Divinitate ab initio agnita, ac recepta, ſemperque, quamdiu ſtetit ipſa Eccleſia, fideliter conſervata fuit; dubitari non poteſt, quin in aliis quoq; omnibus Eccleſiis, quas vel ipſi Apoſtoli, vel eorum adminiſtri fundârunt & conſtituerunt, eadem fides propagata ac diſſeminata fuerit.

§. 12. Deniq; ex Epiſtola Plinii Junioris ad Trajanum Imperatorem ſcriptâ circa annum Domini 106. liquet, Chriſtianos illius ætatis ſolitos fuiſſe, in ſuis Synaxibus Servatoris noſtri Divinitatem hymnis & Pſalmis concelebrare. Hoc refert ille ex Chriſtianorum Apoſtatarum confeſſione his verbis: *Affirmabant autem, hanc fuiſſe ſummam vel culpæ ſuæ, vel erroris, quòd eſſent ſoliti ſtatô die ante lucem convenire, carmenq; Chriſto, quaſi Deo, dicere ſecum invicem.* Hos Pſalmos appellavit vetus & gravis Scriptor (apud Euſeb. Eccl. Hiſt. l. 5. cap. 28.) contra Artemonitas, dogma de vera Chriſti Divinitate, tanquam novitium rejicientes: *Pſalmi quoq;* (inquit) *& cantica fratrum,* ἀπ' ἀρχῆς, *ab initio* à fidelibus conſcripta, τὸν λόγον τὸ θεὸ τὸν χριϛὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες, *Chriſtum verbum Dei concelebrant, Deum ipſum prædicantia.* Adeo clara atq; aperta veræ Chriſti Divinitatis ab Apoſtolica ac primæva Eccleſia agnitæ teſtimonia ſuppeditârunt Pſalmi iſti, ut ipſos propterea ferre non potuerit Artemonis blaſphemiæ inſtaurator Paulus Samoſatenus; ac proinde ipſos in Eccleſiis, Regimini ſuo ſubjectis, aboleri juſſerit, ut teſtantur Patres Concilii Antiocheni, contra ipſum congregati, in Synodica ſua Epiſtola, apud Euſebium Eccl. Hiſt. lib. 7. cap. 30. Hujus generis hymnos, nullus dubito, quin Apoſtolus Paulus in animo habuerit, in Epiſtolæ ad Epheſios cap. 5. v. 19. ita ſcribens: *Loquentes vobismet ipſis in Pſalmis, & hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in cordibus veſtris* τῷ κυρίῳ, *Domino*, i. e. Chriſto. Obiter verò notet Lector, verbis Apoſtoli, λαλοῦντες ἑαυτοῖς, *loquentes vobismet ipſis*, planè reſpondere, quod Plinius de Chriſtianis dicit, ſolitos eos fuiſſe carmen Chriſto, quaſi Deo, *dicere ſecum invicem.* Quibus ſignificari videtur modus alternatim cantandi, qui uſq; hodie in Eccleſiis frequentatur. Ex iis verò omnibus, quæ in hoc capite diſſeruimus, extra omnem controverſiæ aleam tandem ponitur, dogma de Chriſti Divinitate minimè fuiſſe Juſtini Martyris inventum, ſed diu ante ipſum in Eccleſiis Chriſtianis obtinuiſſe, adeoq; à primis Evangelii præconibus unà cum ipſo Evangelio, cujus certè pars maxima eſt, ubiq; gentium traditum atq; promulgatum fuiſſe: ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

Plin. Epiſt. l. 10. Epiſt. 97.

Iren. p. 14.

CAP.

CAP. II.

Juſtinum non fuiſſe Simonianorum fraudibus circumventum neq; ſententiam de Filii Divinitate è Schola Simonis prodiiſſe.

§. 1. DEſtructô hôc fundamentô, per ſe corruit prodigioſa iſta moles, quam ei ſuperſtruit Irenici Author. Cum enim omni jam luce clarius ſit, Juſtinum non fuiſſe, qui primus generationem Filii ante mundum conditum commentus ſit, quin iſtam ſententiam longè ante natum Juſtinum, adeoq; in ipſo ævo Apoſtolico inter Chriſtianos viguiſſe; haud neceſſe foret, cauſas, quibus in erroneam iſtam (ſcilicet) ſententiam ſeductus fuerit Juſtinus, ſollicitè examinare. Verùm quia Authorem illum κατὰ πόδας perſequi decrevimus, quódq; inde tum ipſius cæca perverſitas, tum ipſa veritas magis magiſq; adhuc apparitura ſit; idcirco & cauſas iſtas ab ipſo confictas liberè diſcutiemus. Cauſæ autem quas aſſignat, vel primariæ ſunt, quæ ſcil Juſtinum in eum, quem putat, errorem præcipuè induxerunt; vel ſecundariæ ſive adjuvantes, quæ eundem Juſtinum in eodem errore promoverunt. Prioris generis duas cauſas recenſet Hæreticus, 1. Simonianorum hæreſin. 2. confictos ab iiſdem hæreticis, ſub Orphei nomine, verſus.

§. 2. De priore ita ille: " Et principiô
Iren. p. 14. " quidem veroſimile eſſe videtur, poſt obi-
" tum Apoſtolorum, prout Egeſippus apud
" Euſebium lib. 4. Hiſt. Eccl. c. 22. docet,
" Chriſtianos aliquos, at Pſeudo-chriſtos,
" Pſeudo-prophetas & Pſeudo-Apoſtolos ex
" 7 illis hæreſibus in populo * Chriſtia-
" no, quas ibidem citatus Egeſippus recen-
" ſet, quorumq; Anteſignanum & primi-
" pilum Simonem Magum Samaritanum
" (adeoq; à commixtione veri Dei cum
" Deaſtris & idolis in cultu ſuo religioſo Sa-
" maritico non abhorrentem) facit, de-
" ſcendentes, confictis perverſiſſimis (N.B.
" *ipſa Egeſippi verba*) contra Deum &
" Chriſtum doctrinis, unitatem Eccleſiæ
" primitus diviſiſſe, adeoq; (ut ex Simo-
" nis Magi doctrina mox apparebit) ſanam
" de Deo & Chriſto doctrinam, confictâ
" novâ Chriſti generatione, novôq; Chriſtô
" introductô, corrupiſſe. De Simone enim
" Mago omnes ad unum Hiſtoriæ Eccleſia-
" ſticæ Scriptores teſtantur, eum primum
" Chriſtomachum fuiſſe, id eſt, negâſſe Je-
" ſum eſſe Chriſtum & Redemptorem, ſeu
" talem, qui pro peccatis mortuus ſit; con-
" trà verò aſſeruiſſe, ſe unum & Filium eſ-
" ſe, qui inter Judæos apparuerit, & Pa-
" trem, qui in Samaria deſcenderit, & Spi-
" ritum S. qui in gentibus adventaverit; ſe
" transfiguratum deſcendiſſe, & in homi-
" nibus quidem ut hominem apparuiſſe,
" cum non eſſet homo, & paſſum in Ju-
" dæa putatum, cùm non eſſet paſſus; ſe
" eſſe infinitam potentiam; & Selenem pri-
" mam eſſe mentis ſuæ conceptionem (nam
" ſecundam, vocem & mentis comprehenſi-
" onem appellavit, & tertiam, rationem ſi-
" ve cogitationem vocavit) Matremq; o-
" mnium, per quam initiô mente conce-
" perit Angelos facere, & Archangelos.
" Hanc enim Ennœam exilientem ex ſe,
" cognoſcentem quæ vult Pater ejus, digredi
" dixit ad inferiora, & generare Angelos &
" poteſtates à quibus mundus ſit factus."
Poſtea addit: Juſtinum hiſce Simonianorum deliriis deceptum fuiſſe.

§. 3. Verùm hæc ejus conjectura ab omni veriſimilitudine aliena eſt. Nam, primò, quid Chriſto cum Belial, quid luci cum tenebris, quid Eccleſiæ Patribus ac Doctoribus cum notiſſimis hæreticis commune eſſe potuit? Certum quippe eſt, Antiſtites ac Doctores Eccleſiæ univerſos, qui Apoſtolis ſucceſſerunt (adeoq; Chriſtianos omnes, qui ipſis adhæreſcebant) à Simoniana hæreſi totô animô ſemper abhorruiſſe, ut citiùs ignem ab infero quàm doctrinam aliquam ab incude Simonis Magi petituri fuiſſent. Abunde id teſtantur Scripta ipſorum, quæ hodie extant. Juſtinum verò imprimis ab omni i-

* *Dicere debuit in populo Judaico. Vide* Valeſii *Annot. in Euſeb. l. 4. p. 79, 80.*

ſtius hæreſeos labe puriſſimum fuiſſe, ex eo
P. 253. (ſi non aliunde id pateret) manifeſtum eſt, quòd in Dialogo cum Tryphone, factâ Gnoſticorum mentione ſub titulo λεγομένων Χριστιανῶν, qui idolothytis veſcendi libertatem ſibi vendicabant, concludit, in hôc iſtam Chriſti Prophetiam impletam eſſe, quâ Pſeudo-Chriſtos & Pſeudo-Apoſtolos orituros prænuntiavit, πολλὰς τῶν πιστῶν πλανήσαντας, i. e. *qui fidelium multos decepturi eſſent.* Quin & addit de iiſdem: ὧν οὐδενὶ κοινωνοῦμεν, οἱ γνωρίζοντες ἀθέους καὶ ἀσεβεῖς, *Quibuſcum nobis nihil eſt commune, Atheos ipſos atq; impios ſcientibus.* Alibi in eodem Dialogo
P. 308. dicit, Chriſtum prænoviſſe, quæ poſt reſurrectionem & aſcenſionem ejus futura eſſent, Pſeudo-Prophetas nempe & Pſeudo-Chriſtos multos in nomine ejus (ſub Chriſtianæ profeſſionis larva) venturos: ὅπερ, inquit, καί ἐστι. πολλοὶ γὰρ ἄθεα, καὶ βλάσφημα, καὶ ἄδικα ἐν ὀνόματι αὐτοῦ παραχαράσσοντες, ἐδίδαξαν, καὶ τὰ ἀπὸ ἀκαθάρτου πνεύματος διαβόλου ἐμβαλλόμενα ταῖς διανοίαις αὐτῶν, καὶ διδάσκουσι μέχρι νῦν. *Quod quidem impletum eſt. Multa enim impia, & blaſphema, & injuſta ſub nomine ejus falsò cuderunt, & quæ mentibus eorum ab impuro Spiritu Diabolo ſunt injecta, docuerunt, & etiam nunc tradunt.** Deniq; in Apologia
P. 69. & 70. II. Simonem alioſq; ex ejus Schola prodeuntes hæreticos & nominatim recenſet, & tanquam peſtem Chriſtianiſmi notat, execraturque. Sed O tempora! O mores! Quis expectâſſet futurum, ut Juſtinus, præſtantiſſimus Eccleſiæ Doctor, qui non modò contra omnes hæreſes doctiſſimos libros conſcripſit, ſed & ſanguine ſuo fidem verè Apoſtolicam obſignavit, in ſuſpicionem ab aliquo adduceretur, qui in primaria Chriſtianiſmi doctrina à perditiſſimis hæreticis circumventus fuerit?

§. 4. Verùm, ſecundò, tantum abeſt, ut Eccleſiæ Doctores ſententiam ſuam de divina Filii generatione à Simonianorum figmentis deſumpſerint, ut contrà manifeſtum ſit, Hæreticos figmenta iſta ſua (ſicuti omnis fere error veritatis alicujus ſimius eſt) ex Eccleſiæ doctrina (εἰς ἴδιον χαρακτῆρα illam transferentes) effinxiſſe. Res clara eſt. Undenam enim (obſecro) blaſphema iſta Simonis aſſertio, ſe unum, & Filium eſſe qui inter Judæos apparuerit,& Patrem qui in Samaria deſcenderit, & Spiritum S. qui in Gentibus adventaverit; undenam (inquam) deſumpta, niſi ex recepta Eccleſiæ doctrina, de S. Trinitate, h. e. de Deo Patre, Filio, & Spiritu ſancto? Unde ejuſdem Simonis impium dogma, Jeſum nempe in hominibus quidem ut hominem apparuiſſe, cùm non eſſet homo, & paſſum in Judæa putatum, cùm non eſſet paſſus; niſi ex Apoſtolica doctrina de Chriſto Θεανθρώπῳ deflexum? Certè enim fruſtra Chriſtianis perſuaſiſſet Impoſtor ille, Jeſum non fuiſſe verum hominem, ſi merum ipſum hominem docuiſſent Apoſtoli. Deniq; expoſitio iſta Cerinthi (ut cum Zuickero loquar) qui Chriſtum Dei Filium formâ columbæ in Jeſum baptizatum, ab ea principalitate, quæ eſt ſupra omnia, deſcendiſſe, virtuteſq; perfeciſſe, ac inſtante paſſione, iterum à Jeſu in cœlos ad Patrem revolâſſe; hæc, inquam, Cerinthi expoſitio unde, niſi à diſtinctione divinæ in Chriſto naturæ ab humana, per Apoſtolos traditâ? Imò utrumq; iſtud figmentum, tum Simonis de phantaſtico Chriſti corpore, tum Cerinthi de ſeparatione Filii Dei à Jeſu homine, ideo non paucis placuiſſe videtur, quod auguſtum illud myſterium de Chriſto Θεανθρώπῳ (h. e. de divina ac humana natura in una Chriſti perſona conſociatis) ab Apoſtolis traditum, ipſis (ſicut & hodiernis hæreticis) abſurdum, ac ſanæ rationi contrarium videretur. Hinc enim neceſſarium putârunt, vel alteram naturam prorſus tollere, vel certè alteram ab altera ſeparare. Hæc attentè expendat Lector, atq; (ut Zuickeri verbis utar) mecum, ſi animus non lævus fuerit, ſentiet.

§. 5. Porro doctrinam Eccleſiæ de Deo Patre Filioq; non è Simonis Schola prodiiſſe, ſed è contrà Simonem doctrinam Apoſtolicam ad impia ſua dogmata deflexiſſe, ſatis innuunt ipſa Hegeſippi verba, quæ bene notare

Le-

---

* *Imò verò in eodem Dialogo non modò memoratas à Zuickero 7 Hæreſes Judæorum memorat pag.*307. *ſed & Simonem Magum, Hæreſiarcham Pſeudo-Chriſtianum, diſertè rejicit pag.* 349. *his verbis*: Οὐδὲ γὰρ ἀπὸ τοῦ γένους τοῦ ἐμοῦ, λέγω δὲ τῶν Σαμαρέων, τινὸς φρονίδα πεισθέντος, ἐγγράφως Καίσαρι πεποιηκὼς, εἶπον, πλανᾶσθαι αὐτοὺς πεισθέντας τῷ ἐν τῷ γένει αὐτῶν μάγῳ Σίμωνι, ὃν Θεὸν ὑπεράνω πάσης ἀρχῆς, καὶ ἐξουσίας, καὶ δυνάμεως εἶναι λέγουσι. Neq; enim rationem aliquam popularium etiam meorum (Samaritanorum dico) habui, ſcriptô Cæſarem compellans; cùm dicerem, in errorem abduci eos, qui Simoni gentis ſuæ Mago fidem haberent, quem Deum eſſe ſupra principatum, & poteſtatem, & virtutem omnem dicunt. *Reſpexit nimirum Juſtinus partim locum Apologiæ, à Reverendo Auctore allegatum, partim alterum, qui in Apologia, vulgò* I. *dictâ, pag.* 52. *edit. Paris. aut* 56. *nuperæ Oxonienſis, ſic ſonat*: Καὶ τοῦ ἐν τῷ ἐμῷ ἔθνει ἀσεβοῦς καὶ πλάνης Σιμωνιανοῦ δόγματος κατεγέννησα. Ego etiam impiam atq; erroneam in gente mea Simonianam deſpexi diſciplinam. *Quin & Simonianam unà cum ſuccedaneis hæreſin à Juſtino ex inſtituto impugnatam, ſcriptôq; libellô refutatam fuiſſe, ipſe Apolog.*II. *vulgò inſcriptâ indicat, dum poſt nominatum Simonem, Menandrum, Marcionem denique, addit pag.* 54. *noſtræ edit.* (*at* 70. *in Paris.*) ἔστι δὲ ἡμῖν καὶ σύνταγμα κατὰ πασῶν τῶν γεγενημένων αἱρέσεων συντεταγμένον. Eſt autem nobis liber contra omnes enatas hæreſes compoſitus.

Lectorem ſuum voluit Zuickerus; nempe Hæreticos *conſinxiſſe perverſiſſimas adversùs Deum ac Chriſtum doctrinas.* Non dicit (N. B.) *de* Deo & Chriſto, ſed *adversùs* Deum & Chriſtum. Scilicet Magus ille ea, quæ de Patre ac Filio Apoſtolica doctrina tradebat, ſibi Helenæque, ſuo proſtibulo, aliiſq; â ſe confictis Æonibus, inauditô blaſphemiæ genere, accommodabat. Dicebat enim (referente Irenæo lib. 1. cap. 20.) adverſus Deum Patrem, eſſe ſe ſublimiſſimam virtutem, hoc eſt, eum qui ſit ſuper omnia Pater, & ſuſtinuit vocari ſe, quodcunq; eum (Patrem æternum) vocant homines. Dein adversùs Chriſtum aſſerebat, Helenam, primam ejus ἔννοιαν, generare Angelos & poteſtates, à quibus & mundum hunc factum dixit: ſecundum gratiam ejus ſalvari homines, &c.

§. 6. Sed mirari ſubit, quâ ratione Hegeſippus hîc ab Irenici Authore teſtis advocetur, quô Veterum nemo hanc ipſius conjecturam vanam ac prorſus falſam eſſe luculentiùs oſtendat. Ille enim in citato Euſebii libro & capite diſertè teſtatur, prædicationem Apoſtolicam ſuâ ætate apud Eccleſiæ præfectos integram atq; illibatam manſiſſe. Poſtquam enim narrâſſet, quas Eccleſias inviſiſſet, quotq; Epiſcopos Romanæ imprimis Eccleſiæ, eminentiſſimi Patriarchatûs, adiiſſet, ſubjungit: Ἐν ἑκάστῃ δὲ διαδοχῇ καὶ ἐν ἑκάστῃ πόλει οὕτως ἔχει, ὡς ὁ νόμος κηρύττει, καὶ οἱ προφῆται, καὶ ὁ Κύριος. i. e. *In ſingulis autem Epiſcoporum ſucceſſionibus, & per ſingulas urbes, eadem manent, quæ per Legem, ac Prophetas, & à Domino ipſo prædicata ſunt.* Quâ autem ætate vixit Hegeſippus? Dubiô procul Irenæi fuit coætaneus, cum Papæ Eleutheri (cujus ſub Pontificatu floruiſſe Irenæum conſtat) Soteri in Cathedram Epiſcopalem ſuccedentis, ibidem apud Euſebium expreſſam mentionem faciat; ut in manifeſto fuerit errore Hieronymus, qui Hegeſippum in tempora Imperatoris Adriani retulit, ab ipſo Euſebio* (nullus dubito) deceptus, qui Hiſt. Eccl. l. 4. c. 8. idem facit; poſtea verò, (nempe c. 21. ejuſdem libri) σφάλμα illud Chronologicum quaſi emendans, Hegeſippum collocat in tempora Marci Antonini. Quàm bellè jam ex Hegeſippo rem ſuam confectam dedit Zuickerus? Aſſerit ille, Eccleſiæ Doctores, (Juſtinum imprimis) Simonianorum deliriis circumventos, Apoſtolicam doctrinam immutâſſe. Ecce autem! ipſe Hegeſippus diſertè teſtatur, prædicationem Apoſtolicam ad ſua, h. e. Irenæi, tempora (qui annis plùs minùs triginta poſt Juſtinum floruit) in ſingulis Eccleſiis à Doctoribus ſartam tectam fuiſſe conſervatam. Certè Hegeſippum appellare minimè auſus fuiſſet Irenici Author, ſi hominem probè nôſſet; fefellit ipſum procul dubiô ſua, quam temerè conceperat, de veteri illo Scriptore opinio. Quod in Capite ſequenti liquidò demonſtrabitur.

* *Vide Henr. Valeſ. Annot. in loc.*

CAP.

CAP. III.

De Hegeſippo, ejuſq; de perſonâ Ieſu Chriſti ſententia.

§. 1. DE Hegeſippo ubiq; loquitur Irenici Author, tanquam ſibi ὁμοδόξῳ, h. e. Ebionita, ex eorum genere, qui cum Chriſti conceptionem ex Virgine per Spiritum Sanctum confeſſi ſint, ejus tamen, ut Dei Verbi, præexiſtentiam ante ſæcula minimè agnoverunt. Hunc ſecuti hodierni quoq; in Anglia noſtra Sociniſtæ omnes, antiquiſſimum ac celeberrimum illum Scriptorem ut ſuum ſibi vendicant, atq; huic quaſi fundamento poſito miras quaſdam concluſiones ſuperſtruunt, quibus, ſi veræ eſſent, Apoſtolica, quam aſſerimus, traditio de vera Chriſti Servatoris Divinitate funditus everteretur. Ex his imprimis Author Libelli, *Judicium Patrum* inſcripti, ſtrenuè contendit, Ebionitam omnino fuiſſe Hegeſippum, idq; ratiunculis quibuſdam confirmare conatus eſt, quas hîc ſub examen noſtrum revocare inſtituimus. *p.* 41. 42.

§. 2. Arg. 1. *Primò*, inquit ille, *Hegeſippus fuit ipſe Judaico-Chriſtianus, ut Euſebius* (H. E. l. 4. c. 22.) *teſtatur*; *omnes verò Judaico-Chriſtiani, teſte Origene, Ebionitæ fuere, h. e. Divinitatem Chriſti negârunt.* *Reſp.* Si per Judaico-Chriſtianum vult Sophiſta Chriſtianum, qui cum fide Chriſti Legis Moſaicæ ritualis obſervationem miſcuit, falſum prorſus eſt, Euſebium uſpiam ſcripſiſſe, Hegeſippum hujuſmodi Judaico-Chriſtianum fuiſſe. Id tantùm in loco citato dicit, ex ſcriptis Hegeſippi colligi poſſe, ἐξ Ἑβραίων ἑαυτὸν πεπιστευκέναι, *ipſum, cùm origine Hebræus fuerit, fidem Chriſti amplexum fuiſſe.* Imò Hegeſippum iſtiuſmodi Judaico-Chriſtianum minimè fuiſſe, ab ipſo Hegeſippo certò ſcimus; qui apud Euſebium H. E. l. 4. c. 22. refert, ſe, cùm Romam proficiſceretur, plurimas inviſiſſe Eccleſias Chriſtianorum ex Gentibus, cumq; ipſis communionem coluiſſe; poſtquam verò Romam pervenerat, in communione illuſtris illius Eccleſiæ diutiùs perſtitiſſe. Hinc Euſebius (E. H. l. 4. cap. 21.) expreſsè dicit, Hegeſippum in Eccleſia floruiſſe (ἤκμα-ζον ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας) in eadem ſcilicet Eccleſia Catholica, in qua eodem tempore floruerunt Irenæus aliiq; procul dubiô Viri Catholici, quibuſcum ibidem conjungitur. Chriſtiani autem ex Judæis, qui cum fide Chriſti Legis ritualis obſervationem retinuerunt, in communione alicujus Eccleſiæ ex Gentibus vivere nec potuerunt, neq; ſane voluerunt. Cæterùm neq; verum eſt, Judæos, qui poſt receptam Chriſti fidem in obſervatione Legis Moſaicæ perſeverârunt, omnes Ebionitas fuiſſe, h. e. Chriſti Divinitatem negâſſe; neq; id uſpiam teſtatur Origenes. Vide quæ ſcripſimus Jud. Eccl. Cath. c. 2. §. 18.

§. 3. *Arg.* 2. Pergit argumentando Ebionita noſter. *Secundò*, inquit, *idem Euſebius* (*ibid.*) *dicit, Hegeſippum uſum fuiſſe S. Matthæi Hebraico Evangelio, quô ſoli uſi ſunt Ebionitæ & Unitarii Chriſtiani.* *Reſp.* Euſebius quidem dicit, Hegeſippum in Scriptis ſuis nonnulla ex Hebræorum Evangelio in medium protuliſſe; minimè verò dicit, ipſum eô Evangeliô uſum fuiſſe, ut Ebionæi utebantur; h. e. pro libro Canonico habuiſſe. Quòd ſi citâſſe nonnulla ex Evangelio ſecundum Hebræos certa ſit Ebionitæ nota, tum pro Ebionitis habendi ſunt plurimi Scriptores, quos tamen Catholicos fuiſſe, atq; ab Ebionis hæreſi prorſus abhorruiſſe, certò ſcimus. Scilicet tum Ebionita fuit ipſe Hieronymus, ſtrenuus ille τῶν ὁμοσοίων Filii Dei aſſertor. Is enim Evangelium illud ſæpius citat, ipſumq; adeo in Græcum Latinumq; ſermonem tranſtulit, ut ipſe teſtatur. Hinc Julianus Pelagianus in lib. 4. Hieronymum accuſat, quòd in Dialogo adverſùs Pelagianos, uſus ſit teſtimoniô quinti Evangelii, quod in Latinum ipſe ſermonem tranſtulerat. Tunc Ebionita quoq; fuit Origenes, qui tamen Ebionitas utriuſq; generis, ut hæreticos & ab Eccleſia Chriſti prorſus alienos, rejecit, contra Cels. l. 5. p. 272. Origenem enim Evangelio ſecundùm Hebræos ſæpe uſum fuiſſe, diſertè ſcribit Hieronymus. * Porro Papias, teſte Irenæo†, *Cat. Scriptt. Eccl. in Jacobo, fratre Domini.* † *Loc.*

* *Duo Origenis loca, ubi Evangelium ſecundum Ebræos citavit, ut & alium Clementis Alexandrini, vide in noſtro Spicilegio Patrum Sæculi* 1. *p.* 26. *ſeq.*

l. 5. c. 33. næo †, Johannis auditor & Polycarpi contubernalis, in Scriptis suis prolixiorem historiam Sermonum inter Servatorem nostrum & fœminam in adulterio deprehensam habitorum narravit, quæ in solo secundum Hebræos Evangelio reperiebatur, referente Eusebio H. E. l. 3. cap. 39. in fine. Papiam verò, utut hominem mediocris ingenii atq; in aliquibus dormitantem, Catholicum tamen fuisse, atq; Fidei canonem constanter tenuisse, testantur veteres Scriptores Catholici omnes, quotquot ejus mentionem fecere. Denique, ut alios omittam, B. Ignatius, magni pietatis Mysterii de Deo incarnato contra hæreticos sui temporis Defensor egregius, in Epistola ad Smyrnæos quædam habet, quæ unde desumpta fuerint, se ignorâsse confitetur Eusebius, H. E. lib. 3. c. 36. *In Epistola ad Smyrnæos* (inquit Eusebius) *de Servatore nostro loquens, quædam ejus verba recitat, quæ unde acceperit, ignoro. Ego verò, inquit, post resurrectionem Dominum ipsum in carne apparuisse scio & credo. Qui cùm ad Petrum & cæteros ejus comites accessisset, dixit illis: Apprehendite, contrectate me, & videte, quòd non sum incorporeus Spiritus. Statimq; eum contrectantes, crediderunt.* Hæc autem de Christo narratio desumpta est ex Evangelio secundùm Hebræos: quod ab Eusebio ignoratum, docuit nos Hieronymus in libro de Script. Eccl. in Ignatio.

§. 4. Arg. 3. Tertium ejus argumentum sic ab ipso contrahitur: *Hegesippus* (*apud Eusebium ibid.*) *Catalogum exhibens Hæreticorum, qui vel ex Judæis erant, vel inter Gentiles exorti sunt, in eo Catalogo minimè recenset vel Cerinthianos, vel Ebionitas; quod dubiô procul fecisset, si Servatoris nostri præexistentiam ac Divinitatem ipse credidisset.* Resp. Quis verò patienter ferat hominem in re seria tantiq; momenti ita ineptientem? Nam primò, seriòne credit, Hegesippum in loco citato voluisse omnium hæreticorum, qui suâ ætate Ecclesiam turbârunt, quosq; ipse pro hæreticis habuit, plenum catalogum exhibere? si ita est, Hæresiologiam Irenæi, Hegesippi συγχρόνε, prorsus nescivit. 2ò. Seriòne credit, Hegesippum pro Hæreticis non habuisse Cerinthianos? Tum certè Cerinthi dogmata ignorat cum ignarissimis, atq; in veterum Patrum Scriptis, is qui de Patrum Judicio libellum conscribere ausus est, planè hospes fuit. Docuit Cerinthus, præter errorem ipsi cum Ebione communem de Christo mero homine, alia absurda atq; impia dogmata. Affirmabat enim, ut suprà diximus, mundum hunc visibilem non à supremo Deo factum fuisse, sed ab inferioribus potestatibus, sive Angelis Deum illum nescientibus; Angelum qui per Mosem Legem dedit Israelitis, Angelum fuisse malum &c. Imò Epiphanius tradit Hær. 28. Cerinthum horrendos Carpocratis errores fere omnes propugnâsse, eôq; solô à Monstro illo diversum fuisse, quòd ritus Mosaicos observaret, non quidem ex animo, sed ob commoda tantùm sua, ut cum Judæis gratiam iniret, & persecutiones ab ipsis excitatas effugeret. Vide quæ diximus Def. Fid. Nic. Sect. 3. cap. 1. §. 7. Quid vero? nonne hoc hominum portentum pro Hæretico habuit Hegesippus? Deniq; hôc ipsô Sophistæ argumentô æquè probari potest, Justinum Martyrem quoq; Ebionitam sive Unitarium fuisse, h. e. Servatoris nostri præ-existentiam ac Divinitatem minimè agnovisse. Justinus enim in Disputatione contra Tryphonem totidem recenset hæreses Judæorum quot Hegesippus, nempe septem omnino, licet eas aliis nominibus appellet. Verba ejus hæc sunt: *Neque Judæos, si quis rectè perpenderit, dicat esse Sadducæos, aut ejusmodi hæreses Genistarum & Meristarum, Galilæorum, & Helleniano-rum, et Pharisæorum Baptistarum.* Hîc omittuntur Cerinthiani & Ebionæi. Alibi in eodem Dialogo hæreses aliquot, quæ inter Christianos exortæ sunt, nominatim recenset, nempe Marcionitas, Valentinianos, Basilidianos, & Saturnilianos. Neque hîc Cerinthianorum vel Ebionitarum ulla fit mentio. Hinc quis ita argumentetur: Justinus recensens Hæreticos, tam Judaicos quàm Christianos, inter eos non numerat vel Cerinthianos vel Ebionitas: quod dubiô procul feciisset, si Servatoris nostri præexistentiam ac Divinitatem ipse credidisset. Verumtamen quis nescit, Justinum Christi Divinitatem non modò ipsummet credidisse, sed etiam doctrinam illam contra tam Judæos quàm Judaizantes Christianos acriter & strenuè propugnâsse? Dices, Justinum post Hæreticos Christianos quos nominat, addere: ἢ ἄλλοι ἄλλῳ ὀνόματι, *et alii aliis nominibus præditi.* Fateor. Nunquid verò non idem revera facit Hegesippus? Certè. Nam post Hæreticos Christianos, quos nominatim recenset, ἀμέσως subdit: ἀπὸ τότων ψευδόχριστοι, ψευδοπροφῆται, ψευδαπόστολοι οἵτινες ἐμέρισαν τὴν ἕνωσιν τῆς ἐκκλησίας φθορίμαίοις λόγοις κατὰ τοῦ θεοῦ ἢ κατὰ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ· i. e. *Ex his orti sunt Pseudo-Christi, Pseudoprophetæ, Pseudapostoli, qui adulterinis suis doctrinis adversus Deum & Christum ejus unitatem Ecclesiæ discesserunt.* Quibus verbis certè comprehenduntur Hæretici omnes, qui post antenominatos & ex ipsis extiterunt.

† Dial. cum Tryphone p. 307.

P. 253.

§. 5. Arg. 4. Ultimum Sophiſtæ argumentum hujuſmodi eſt: *Valeſius* (inquit) *fatetur, Hiſtoriam Eccleſiaſticam Hegeſippi à Veteribus neglectui habitam fuiſſe, indeq; periiſſe, quòd deprehenderetur Unitariis nimiùm favere.* Reſp. Apertè falſum eſt, Valeſium hoc uſpiam confeſſum fuiſſe: tantùm dicit generatim, Scripta Hegeſippi aliorumq; Veterum neglectui habita fuiſſe, adeóq; intercidiſſe ob errores quibus ſcatebant. Verba ejus ſunt: *Ob errores autem quibus ſcatebant,* (*Clementis ὑποτυπώσεων libri*) *negligentiùs habiti tandem perierunt. Nec aliâ, meô quidem judiciô, cauſa eſt, cur Papiæ & Hegeſippi, aliorumq; Veterum libri interciderint.* Ad Hegeſippum verò quod attinet, neſcio quos errores ipſum errâſſe Valeſius ſuſpicatus fuerit. Certè Veteres Catholici Authores, qui Scripta Hegeſippi legerant, (quibus potiùs credendum eſt, quàm Valeſio) ea ut Orthodoxa, utilia, lectuq; digna continentia commendârunt, uti mox videbimus. Atq; hactenus quidem Sophiſtæ ratiunculas examinavimus. Hiſce autem illius argumentis, farfari foliis certè levioribus, opponimus Veterum de Hegeſippo teſtimonia, qui ipſum inter Catholicos, adeóq; inter primitivæ Eccleſiæ Catholicæ præcipua ornamenta numerârunt.

Annot. in Euſeb. p. §5.

§. 6. Primò, Euſebius qui Hegeſippi ſcrinia compilavit, plurimaq; ex ejus Commentariis in Hiſtoriam ſuam tranſcripſit, ubiq; honorificam illius mentionem facit, ὀρθοδοξίαν ejus imprimis, veréq; Apoſtolicam doctrinam miris paſſim laudibus extollens. Hoc autem certè, ſi Hegeſippus Ebionita fuiſſet, nunquam feciſſet Euſebius, qui Ebionitas, etiam eos, qui Chriſti conceptionem ex Virgine per Spiritum ſanctum agnoſcentes, eum ut θεὸν λόγον καὶ σοφίαν ante ſæcula præ-exiſtentem negârunt, pro impiis Hæreticis habuerit, uti alibi oſtendimus. Quid quod Hegeſippum, ut fortiſſimum Catholicæ Fidei adversùs Hæreticos ſui temporis propugnatorem collaudet? Egregius ſcilicet Hæreticorum malleus, qui Hæreticus ipſe fuerit. Audi ipſius Euſebii verba Eccl. Hiſt. lib. 4. cap. 7. in fine, cum initio capitis ſequentis collatô: *Illis* (inquit) *temporibus rurſus veritas plures ſui patronos in medium produxit, qui non ſolùm vivâ voce, ſed etiam ſcriptis diſputationibus adversùs impias Hæreſes decertârunt. Inter quos celebris fuit Hegeſippus, cujus teſtimoniô in ſuperioribus libris ſæpiſſimè uſi ſuimus, cùm res Apoſtolorum temporibus geſtas ex illius fide & relatione traderemus.* ἐν πέντε δὴ ἓν συγγράμμασιν ἔτος, τὴν ἀπλανῆ παράδοσιν τοῦ ἀποστολικοῦ κηρύγματος ἁπλουστάτῃ συντάξει γραφῆς ὑπομνηματισάμενος. i. e. *In quinq; hic libris veriſſimam traditionem Apoſtolicæ prædicationis admodum ſimplici quidem ſermone, commentariis interpretatus &c.* Quibus gemina ſunt quæ habet ejuſdem libri cap. 21. *Iisdem temporibus in Eccleſia floruit Hegeſippus, cujus in ſuperioribus libris mentionem fecimus: & Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus; Pinytus quoq; Cretenſium Epiſcopus: Philippus præterea, & Apollinaris, ac Melito, ac poſtremò Irenæus;* ὧν ἡ εἰς ἡμᾶς τῆς ἀποστολικῆς παραδόσεως ἢ τῆς ὑγιοῦς πίστεως ἔγγραφος κατῆλθεν ὀρθοδοξία. i. e. *Quorum omnium libri ſinceram Apoſtolicæ traditionis ſanæq; fidei doctrinam continentes, ad nos uſque pervenerunt.* Initiô verò capitis ſequentis de Hegeſippo rursus hæc addit: *Hegeſippus quidem in quinq; Commentariorum libris, qui ad nos pervenerunt, ampliſſimum fidei ſuæ teſtimonium nobis reliquit.*

Vide Jud. Eccl. Cath. cap. 2. §. 11.

§. 7. Quid jam habet Adverſarius, quod luculentiſſimis hiſce Euſebii de Hegeſippo teſtimoniis opponat? Audi. Productis argumentis, quibus probare voluit, Hegeſippum Unitarium fuiſſe, hæc ἀμέσως ſubjungit: *Si objiciatur, nunquid hoc* (nempe Unitarium fuiſſe Hegeſippum) *neſcivit Euſebius? ille tamen Hegeſippi ubiq; honorificam mentionem facit. Reſpondeo: procul dubiô hoc probè novit Euſebius, verùm id non auſus eſt ſignificare; Euſebii non erat Patrem Apoſtolicum reprehendere. Tantùm potuit id diſſimulare, quod Unitarii* (*interq; eos imprimis Antagoniſta ipſius Marcellus*) *in cauſâ ſuæ patrocinium arripere minimè negligerent.* Quis verò ſanus, auditâ hâc reſponſione non ſtatim obſtupeſcat? Certè, ſi Ebionita fuiſſet Hegeſippus, illudq; Euſebius nôrit, tum non modò peccavit Euſebius, quod verum eſſe novit diſſimulando, ſed et directè mentitus eſt. Quippe non tantùm non dicit, Hegeſippum fuiſſe Ebionitam, verùm diſertè contrarium dicit, nempe fuiſſe ipſum omnino Catholicum, inq; Scriptis ſuis Apoſtolicam traditionem ac doctrinam purè ac ſincerè expreſſiſſe. Quin etiam impudenter mentitus eſt. Etenim Libri Commentariorum Hegeſippi non ab Euſebio ſolo lecti fuere, ſed plurimorum, ſaltem doctiorum, manibus terebantur; utpote qui cùm ob venerandam Authoris antiquitatem, tum propter utiliſſimam materiam quæ in ipſis tractabatur, (res nempe temporibus Apoſtolorum atq; ἐν τῇ πρώτῃ Apoſtolorum διαδοχῇ geſtas) celebratiſſimi fuere, omneſq; τὰς φιλοτιμίας ad eorum lectionem allexerunt. Itaq; Euſebio hîc tutò & ſecurè mentiri non licuit; ſiquidem tam facilè manifeſtæ falſitatis convinci potuiſſet, atq; detectâ fraude, omnium veri

veri amantium odio ſemet expoſuiſſet. Deinde perridiculum eſt, quod ait, Euſebium non auſum fuiſſe erroris arguere Hegeſippum, utpote *Patrem Apoſtolicum.* Nam ſi Hegeſippus revera Ebionita fuit, ab Eccleſia Catholica, cui imprimis ſemet adprobare Euſebii interat, pro Apoſtolico Patre haberi non potuit. Deniq; hôc ſuô mendaciô Euſebius offenſos ſibi reddidiſſet, tum Catholicos, tum Hæreticos: Catholicos offendiſſet, hæreticum hominem tantis laudibus ornando; Hæreticis verò diſplicuiſſet, ipſis eripiendo tantum ſuæ hæreſis patronum, Catholiciſque partibus adjungendo. Pudet pigetq; hiſce Sophiſtæ tam manifeſtis ineptiis immorari. Quare ad alia progrediamur.

§. 8. Non modò Euſebius, ſed & alii veteres Scriptores Catholici ὀρθοδοξίας teſtimonium Hegeſippo præbuere. Sic Hieronymus non tantùm ipſum laudat ob eximiam vitæ ſanctitatem, verùm etiam Scripta ejus (quæ et ipſe legerat) ut multa utilia legentibus continentia, commendat. Ita enim in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum de Hegeſippo ſcribit: *Hegeſippus vicinus Apoſtolicorum temporum, omnes à Paſſione Domini uſq; ad ſuam ætatem, Eccleſiaſticorum actuum texens hiſtoriam, multaq; ad utilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans, quinq; libros compoſuit ſermone ſimplici; ut quorum vitam ſectabatur, dicendi quoq, exprimeret characterem.* Equidem ſi in Scriptis Hegeſippi ulla hæreſis zizania, bono Orthodoxæ doctrinæ tritico commiſta, reperiſſet Hieronymus, procul dubiô de iis Lectorem monuiſſet, ut ſibi ab ipſis caveret. Quòd ſi Hegeſippum Ebionitam fuiſſe deprehendiſſet, è manibus ſuis ipſum impune & ſine ulla nota & cenſura elabi minimè ſiviſſet, nedum tam eximiô elogiô decorâſſet; quippe ἀγνοιθέῳ iſti hæreſi Hieronymô nemo infenſior fuit. A Gobaro quoq; apud Photium (Cod. 232.) Hegeſippus dicitur ἀρχαῖος τε ἀνὴρ καὶ ἀποστολικός, *Vir & antiquus & Apoſtolicus*; antiquus reſpectu ætatis in qua vixit, Apoſtolicus ob vitæ ac doctrinæ ſanctitatem & puritatem.

§. 9. Tandem ipſum Hegeſippum pro ſeipſo loquentem audiamus. Refert ipſe (apud Euſebium Eccl. Hiſt. lib. 4. cap. 22. eô ipsô capite, ex quo Sophiſta Ebionitam fuiſſe Hegeſippum probare voluit) ſe, cùm Romam proficiſceretur, *plurimos Epiſcopos adiiſſe, & ab omnibus unam eandemq; audiviſſe doctrinam.* Tum addit: *Et Corinthiorum quidem Eccleſia, in recta fide permanſit uſq; ad Primum ejuſdem loci Epiſcopum, quocum familiariter collocutus ſum, dum Romam navigarem; nec paucos dies verſatus ſum cum Corinthiis, mutuamq; ex recta fide conſolationem cepimus. Romam verò cùm veniſſem, manſi ibi apud Anicetum, cujus tum Diaconus erat Eleutherus.* Deinde hæc verba ſubjungit: *In ſingulis autem Epiſcoporum ſucceſſionibus, & per ſingulas urbes eadem manent, quæ per Legem ac Prophetas, & à Domino ipſo prædicata ſunt.* Hegeſippus igitur comprobavit doctrinam Eccleſiæ Catholicæ ſui temporis, ut veram, & Scripturis Veteris & Novi Teſtamenti, adeoq; primitivæ & Apoſtolicæ traditioni omnino conſonantem. Qualis verò fuerit Hegeſippi ætate Catholicæ Eccleſiæ doctrina, ab Irenæo, ejus coætaneo, certò cognoſcas E multis duo tantùm Irenæi loca hìc adferam. In lib. 1. cap. 19. Regulam veritatis in Eccleſia Catholica, ſuâ ætate ubiq; receptam, his verbis deſcribit: *Cùm teneamus autem nos regulam veritatis, id eſt, quia ſit unus Deus omnipotens, qui omnia condidit per Verbum ſuum, & aptavit, & fecit ex eo quod non erat, ad hoc ut ſint omnia, quemadmodum Scriptura dicit:* Verbo enim Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum, *Et iterum*: Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. (*Ex omnibus autem nihil ſubtractum eſt; ſed omnia per ipſum fecit Pater, ſive viſibilia, ſive inviſibilia, ſive ſenſibilia, ſive intelligibilia; ſive temporalia propter quandam diſpoſitionem, ſive ſempiterna*) *& ea omnia, non per Angelos, neque per virtutes aliquas abſciſſas ab ejus ſententia; nihil enim indiget omnium Deus: ſed per Verbum & Spiritum ſuum omnia faciens, & diſponens, & gubernans, & omnibus eſſe præſtans.* Nunquid verò hanc Fidei Confeſſionem Ebionita quiſquam comprobare potuit? Alterum locum legere eſt, lib. 3. cap. 3. in ipſo initio, coll. cap. 4. ejuſdem libri. In capitis tertii initio de Traditione Eccleſiæ Catholicæ ſic ſcribit: *Traditionem itaq; Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam, in omni Eccleſia adeſt perſpicere omnibus qui vera velint videre; & habemus annumerare eos qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſq; ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt, quale ab his deliratur.* Hîc loquitur de univerſali traditione in toto mundo, atq; in omni Eccleſia (hoc eſt, Hegeſippi verbis, in ſingulis Epiſcoporum ſucceſſionibus & per ſingulas urbes) manifeſtatâ, atq; ita manifeſtatâ, ut ab omnibus veri amantibus, quiq; non deditâ operâ cœcutirent, facilè perſpici poſſet. Qualis verò fuerit univerſalis & manifeſta illa traditio, mox capite immediatè ſequenti ſic clarè explicat: *Quid autem ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent nobis, nonne*

nonne oportebat ordinem ſequi Traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Eccleſias? Cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum qui in Chriſtum credunt, ſine charta vel atramento ſcriptam habentes per Spiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterem Traditionem diligenter cuſtodientes, in unum Deum credentes, fabricatorem cœli & terræ, & omnium quæ in eis ſunt, per Chriſtum Jeſum Dei Filium. Qui propter eminentiſſimam erga figmentum ſuum (hoc eſt creaturam ſuam) *dilectionem, eam quæ eſſet ex Virgine generationem ſuſtinuit, ipſe per ſe hominem adunans Deo.*

§. 10. Ex his liquidò liquet, Hegeſippum planè Catholicum fuiſſe, et cum Eccleſia Catholica ſui temporis credidiſſe in Filium Dei ante omnia ſæcula exiſtentem, per quem facta ſunt omnia, quiq; præſtitutô tempore propter nos homines, homo ipſe factus fuit. Vaniſſimæ igitur ſunt concluſiones illæ omnes, quas ex contraria hypotheſi (nempe Ebionitam fuiſſe Hegeſippum) Unitarii noſtrates deduxerunt. Audi Authorem libelli, *Judicium Patrum* &c. inſcripti, ſic ex hypotheſi illa argumentantem. " Si
P. 42,43. " Hegeſippus, *inquit*, (Unitarius Hegeſippus) Author fuit, quem ſequitur Euſebius, de quindecim Epiſcopis Hieroſolymitanis ſcribens, quòd veram Chriſti cognitionem profeſſi ſint (de quo nemo in Scriptis Euſebii verſatus dubitare poteſt) tum illud præterea, quod maximi momenti eſt, lucrati ſumus; nempe non tantùm Judaico-Chriſtianos, verùm etiam Eccleſiam Romanam, celebrioreſq; omnes Eccleſias, quas Hegeſippus adierat, ipſarum doctrinam ac diſciplinam cognoſcendi causâ, cum Unitariis ſenſiſſe, hoc eſt, cum Hegeſippo credidiſſe, Chriſtum Dominum tantummodo hominem eſſe. Ait enim ille (apud Euſeb. lib. 4. cap. 22.) ſe Romam profectum fuiſſe, atq; ibi vixiſſe ſub Papis, Aniceto, Sotere, & Eleuthero, ibiq; et in aliis omnibus Epiſcopatibus doctrinas, à Lege & Prophetis atq; à Servatore noſtro traditas, conſervatas fuiſſe. Verbô, fatetur ſe inveniſſe Eccleſias ubiq; orthodoxas & uniformes. Hoc autem, ſi Unitarius fuit Hegeſippus, (quod me probâſſe arbitror) nihil aliud ſignificare poteſt, quàm credidiſſe Eccleſias illas cum Judaico-Chriſtianis, Chriſtum Dominum, hominem eſſe, Prophetam & Legatum Dei, ſuper quem Logos ſive Verbum Divinum acquievit. Quod omnino convenit cum eo, quod Veteres Unitarii (Artemonitæ ſcil.) apud Euſebium affirmârunt, ſe nempe conſervâſſe doctrinam ab Apoſtolis traditam, & ubiq; receptam, uſq; donec ipſam oppoſuerunt Victor & Zepherinus, qui Eleuthero ſucceſſerunt, ſicut ille Soteri, & Soter Aniceto, cum quibus Orthodoxis Papis Hegeſippus converſatus fuerat." Equidem hæc πορίσματα, quæ ex hypotheſi ſua, de Hegeſippi fide ac ſententia, infert Sophiſta, tam abſurda ſunt, certæq; Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ tam manifeſtè repugnantia, ut, ſi vel mica ſani judicii & candoris in ipſo eſſet, omnino inde agnoviſſet, hypotheſin illam falſam eſſe, ut eſt revera falſiſſima.

§. 11. Eandem tamen cum hoc Scriptore inſaniam inſanivit Author libelli, cui titulus *Vera & antiqua Fides de Divinitate Chriſti, aſſerta contra D. D. G. Bulli Judicium Eccleſiæ &c.* Hæc enim apud illum legas p. 178, 179, 180. " Atqui hîc rogandus eſt " Lector, ut animum advertat periiſſe libros omnes Apoſtolicorum diſcipulorum, " quicunq; in Platoniſmum non irruerent " præcipites. Inter alios vel caſu perditos, " vel induſtriâ deletos, etiam Chriſtianorum " qui erant ex Circumciſione, libros lugemus, quos inter Hegeſippus famâ notiſſimus, primorum temporum Hiſtoriam Eccleſiaſticam contexuerat; eiq; à Platonizantibus Chriſtianis qui imputantur errores, in cauſa ſunt, quòd Hiſtoriâ deſideratiſſimâ privemur. Juxtà mecum ſentit " Valeſius, qui in Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 5. " cap. 11. hanc habet animadverſionem: " *Qui libri* (Clementis Alex. Hypotypoſes) " *ob errores quibus ſcatebant, negligentiùs habiti tandem perierunt. Nec alia, meô quidem judiciô, cauſa eſt, cur Papiæ & Hegeſippi, aliorumq; Veterum libri interciderint.* " His etiam accenſet Hiſtoriam Hegeſippi, " & quos erraverit errores Hegeſippus, non " difficilis admodum conjectura; quoniam " qui à Platone aut olim ſteterint, aut jam " nunc ſtant *quales quales ſunt* Chriſtiani, " errorem eſſe aiunt quicquid ſuæ Hypotheſi de Deo *Logo*, genito non facto, minùs " conveniat. Erat Hegeſippus natione Judæus, eorum unus, quos invidiæ, odiis, " atq; injuriis objicere, propter præ-exiſtentiæ errorem, unicè laborârunt Paganoproſelyti. Et non dubium eſt, quin errores, de quibus poſtularetur, communes eſſent illi cum Chriſtianis Nazarenis; " & quòd per virginem Eccleſiam, de quâ " loquitur apud Euſebium, intellexerit illam ex circumciſione, à Platoniſmo longè " abhorrentem: ut & per *Seductionem erroris*, Trajanô vel Adrianô regnante ſuborti, Platonis Philoſophiam indigitaverit, " quæ tunc temporis in Eccleſiam introferebatur

" rebatur, Philoſophiam ita comparatam,
" ut religionem Chriſtianam indignè adulte-
" raverit, fœdè immutaverit, & immutan-
" do tantum non penitus perdiderit: quod
" & ab ipſis Apoſtolis prædictum legimus,
" quodq; verum adeo atq; manifeſtum eſt,
In Euſeb. Hiſt. 3. 32. " ut ipſum Valeſium video, in Euſebii lo-
" cum allegatum, annotâſſe, hunc Patrem
" indulſiſſe ſignificationem juſtô latiorem
" verbis Hegeſippi: quòdq; Hegeſippus de
" virginitate Eccleſiæ duntaxat Hieroſoly-
" mitanæ dixerat, ad univerſam Chriſtia-
" norum Eccleſiam accommodâſſe.

" Jam hæc magni momenti res eſt, & no-
" tatu digniſſima; per illam utiq; Hege-
" ſippus fatalem Epochen deſignat, quando
" Epiſcopi Chriſtiani, qui non ita pridem
" Ethnici Philoſophi, Nazarenis Epiſcopis
" ſucceſſerint, & conſequenter, quando Pla-
" toniſmus puræ & ſimplicis veritatis, quam
" Jacobi ſucceſſores prædicaverant, in lo-
" cum ſubiverit. Atq; hoc accidit ſub ipſo
" Adriani imperio, i. e. quum Judæi uni-
" verſi unà cum Chriſtianis circumciſis ab-
" acti eſſent ex Judæa. Sulpitius Severus,
" lib. 2. cap. 45. non ſine cauſa dixit, *fi-*
" *dem Chriſtianam*, i. e. (juxta opinionem
" ſuam) fidem Platonicam, *lucrum feciſſe non*
" *exiguum ex illa diſperſione*: quippe quòd
" tunc temporis, quum Platoniſmo viam
" obſtruere non poterat fides primitiva,
" quam Nazareni integram & illibatam
" ſervâſſent, fatale malum longè latèq; ſe
" diffuderit." *Et paulò pòſt*: Hoc ipſum eſt de quo conqueruntur Artemonis diſcipuli apud Euſebium Hiſt. lib. 5. cap. 28. viz. " Priſcos quidem omnes, & ipſos A-
" poſtolos, ea quæ ab ipſis nunc dicuntur,
" & accepiſſe, & docuiſſe: ac prædicationis
" quidem veritatem eſſe cuſtoditam uſq; ad
" Victoris tempora, qui tertius decimus à
" Petro Romanæ urbis Epiſcopus fuit: à
" Zephirini autem temporibus qui Victori
" ſucceſſit, adulteratam fuiſſe veritatem "
Hoc autem peculiare eſt Authori illi, quòd Sulpitii Severi authoritate vel imperitiſſimè, vel certè impudenter abutitur, ad ſomnia ſua confirmandum. " Sulpitius Severus (in-
" quit) lib. 2. cap. 45. fidem Chriſtianam
" i. e. (juxta opinionem ſuam) fidem Pla-
" tonicam, lucrum non exiguum feciſſe ex
" illa diſperſione (nempe Chriſtianorum ex
" circumciſione ſub Adriano) quippe quòd
" tunc temporis cùm Platoniſmo viam ob-
" ſtruere non poterat fides primitiva, quam
" Nazareni integram & illibatam ſervâſſent,
" fatale malum longè latèq; ſe diffuderit."
Atqui Sulpitius in loco citato expreſsè dicit, Chriſtianos Hieroſolymitanos, qui ex circumciſione erant, ante diſperſionem ſub Adriano, *Chriſtum Deum credidiſſe.* Nec minùs expreſsè dicit, lucrum quod ex diſperſione illâ fides Chriſtiana fecit, in eo ſitum fuiſſe, quòd hâc occaſione *Legis ſervitus à libertate Fidei & Eccleſiæ tolleretur.* De Platoniſmo, hâc datâ portâ, in Eccleſiam irruente ne ſomniavit quidem ille.

§. 12. Cæterum nemini mirum videri poteſt, Scriptorem hunc ita ineptiiſſe, qui obſervaverit, quæ paradoxa auſus ipſe fuerit coram Chriſtiano orbe palàm edere ac defendere. Nam p. 152, 153. ſic ſcribit: " Quum
" igitur primævi Chriſtiani, de Jeſu Chri-
" ſto, tanquam merum hominem longè præ-
" cellenti, ſermonem inſtituerent, vel ut
" de Logo præ-exiſtente, qui ab initio a-
" pud Deum eſſet, planè deſignabant Spiri-
" tum illum ſanctum, virtutem illam divi-
" nam quæ mundum creaverit, & Jeſu
" Chriſti corpus formaverit, formatum in-
" coluerit, atq; habuerit 'qvaſi pro templo;
" exinde Dei oracula propalam relaturus.

" Hæc illorum vera erat & genuina ſen-
" tentia circa articulum jam diſceptatum;
" quæ quidem poſtea aliquantò immutari
" cœperit, eò quòd horum hominum diſ-
" cipuli, Platonicæ Trinitatis præjudiciis la-
" borantes, inter *Logum* & *Spiritum* diſtin-
" guerent, atq; ita ſynonymas dictiones in
" diverſas res maleferiatô Platoniſtarum a-
" cumine diſpertirent." Hanc fuiſſe genuinam ſententiam Ignatii & Irenæi aliorumque antiquiſſimorum Patrum, acriter contendit: atq; paſſim in illo Scripto affirmat, juxta Scripturas & primævos Patres ſummam excellentiam Servatoris noſtri, propter quam ut Deus celebratur, minimè in eo conſiſtere, quòd ante omnia ſæcula extiterit, perq; ipſum omnia condita fuerint, ſed in hôc tantùm, quòd ex Virgine per Spiritum ſanctum mirabili modô conceptus fuerit, ante conceptionem illam neutiquam exiſtens. Verùm qui poſt lectos primævos Patres hæc affirmare poteſt, eum vel conſcientia, vel certè ratio ac judicium omne prorſus deſtituit. Nam 1. Certiſſimum eſt, primævos Patres per τὸν λόγον, qui ante conditum mundum extitit, ac per quem mundus conditus fuit, minimè intellexiſſe virtutem aliquam Dei ἀνυπόςατον, ſed *verbum vivens ac ſubſiſtens*, quod *perſonam* appellare ſolemus. 2. Æquè certum eſt, primævos illos Patres τὸν λόγον habuiſſe pro perſona à Deo Patre & Spirito ſancto diſtinctâ. 3. Deniq; evidentiſſimum eſt, ipſos ſummam excellentiam ac dignitatem perſonæ Servatoris noſtri minimè ſtatuiſſe in admiranda ejus ex B. Virgine per Spiritum ſanctum conceptione, ſed è contrario, nativitatem ejus ex Virgine,

ad ſtupendam ipſius συγκατάβασιν, atq; ad οἰκονομίαν illam, quam ex immenſa ſua erga humanum genus miſericordia & charitate obire ſuſtinuerit, omnino retuliſſe. Hanc eſſe veram & antiquam Eccleſiæ fidem nôrunt omnes, qui veritatem amant, atq; in primæva Antiquitate vel modicè verſati ſunt. Vide quæ ſcripſimus Jud. Eccl. Cath. cap. 5. n. 5. prope finem, & ejusdem capitis n. 9.

§. 13. Verùm à Nugatoribus iſtis revertamur ad Sanctos Patres, Hegeſippum & Irenæum, duos certè Traditionis primitivæ & Apoſtolicæ teſtes locupletiſſimos. Ad Hegeſippum enim quod attinet, fuit ille Apoſtolicorum temporum vicinus, ſcripſitq; Hiſtoriam Eccleſiæ à paſſione Domini uſq; ad ſuam ætatem. Ad quam Hiſtoriam adornandam dubiô procul monumenta, quæ tum temporis extabant plurima, Apoſtolici ævi et διαδοχῆς proximè ſequentis conſuluit. Erat præterea, teſte Hieronymo, primævæ pietatis ſectator, Virq; ſanctæ ſimplicitatis atq; integritatis eximiæ, ac proinde Hiſtoricus fide digniſſimus. Hic ipſe Hegeſippus teſtatur, doctrinam à Chriſto & Apoſtolis ejus primitus traditam, in omnibus Eccleſiis ſuâ ætate (quâ tamen dogma de Chriſto θεανθρώπῳ ubiq; in Eccleſia Catholica receptum fuiſſe conſtat) integram atq; inviolatam manſiſſe. Idem teſtatur Irenæus, Hegeſippi σύγχρονος, *omnium doctrinarum*, Tertullianô judice, *curioſiſſimus explorator*, cuiq; præterea ad cognoſcendam Apoſtolicam doctrinam hoc ſingulare adjumentum conceſſit Divina providentia, ut in adoleſcentia cum B. Polycarpo Johannis Apoſtoli diſcipulo converſatus, ejuſq; doctrinâ penitus imbutus fuerit, ipſamq; uſq; firmiter in memoria retinuerit, ut ipſe teſtatur in Epiſtola ad Florinum. Polycarpum ille appellat teſtem de veteri traditione, ſuprà commemoratâ, nempe *de fide in unum Deum, fabricatorem Cœli & Terræ, & omnium quæ in eis ſunt, per Chriſtum Jeſum Dei filium. Qui propter eminentiſſimam erga figmentum ſuum* (hoc eſt, creaturam ſuam) *dilectionem, eam quæ eſt ex Virgine generationem ſuſtinuit, ipſe per ſe hominem adunans Deo.* Imò ejuſdem Traditionis teſtes appellat omnes Aſiæ Eccleſias, Epiſcoposq; qui Polycarpo ſucceſſerunt. Sic enim ille ſuprà citatô lib. tertiô, cap. tertiô: *Et Polycarpus autem non ſolùm ab Apoſtolis edoctus & converſatus cum multis ex eis, qui Dominum noſtrum viderunt; ſed etiam ab Apoſtolis in Aſia, in ea quæ eſt Smyrnis Eccleſia conſtitutus Epiſcopus, quem et nos vidimus in prima noſtra ætate; (multum enim perſeveravit, et valdè ſenex glorioſiſſimè & nobiliſſimè Martyrium faciens, exivit de hac vita) hæc docuit ſemper quæ ab Apoſtolis didicerat, quæ et Eccleſiæ tradidit, & ſola ſunt vera. Teſtimonium his perhibent, quæ ſunt in Aſia Eccleſiæ omnes, & qui uſq; adhuc ſucceſſerunt Polycarpo.* Hiſce ἀξιοπίστοις teſtibus qui Artemonitarum, poſterioris ſæculi Hæreticorum, putidum mendacium opponere non erubeſcunt, næ illi ad ſummum impudentiæ apicem pervenerunt.

Progrediamur nunc in examinandis, quæ reliqua ſunt, Zuickeri commentis.

CAP.

CAP. IV.

De Orphicis Carminibus, atq; (ὡς ἐν παρόδῳ) de Oraculis Sibyllinis, à Juſtino aliiſq; Veteribus contra Gentes allegatis.

§. 1. JAM ſecundò Zuickeri conjecturam de Orphicis Carminibus, omni certè Poeticâ fabulâ inſulſiorem expendamus. Sic de iis ille : *Hæc Simonis Magi deliria, figmenta & portenta, cum accedente mox Cerinthi expoſitione, de qua paulo pòſt dicetur quoque, niſi vehementer fallor, prima lineamenta & rudimenta Orphei (hominis Ethnici, &, Pauſaniâ teſte, Magi quoq;) verſuum à Juſtino Martyre in Exhort. ad Græcos citatorum, (quiq; ita habent :*

Vocem juro Patris, primùm quam condidit ore,
Conſiliô ipſe ſuô mundum cùm conderet omnem.)

omnino fuiſſe videntur; quos Impoſtor aliquis, Simonis Magi diſcipulus, ſub Orphei nomine, cui, teſte Suidâ, ob nominis celebritatem, antiquiſſimis temporibus, per multa aliorum Auctorum Scripta, tanquam ejus genuina, ut ita majorem nanciſcerentur authoritatem, tribuebantur, inter Chriſtianos ſparſiſſe videtur, quoſq; deinde Juſtinus, tanquam ex Moſis doctrina ab Orpheo hauſtos, ſibi & aliis jacros fecit. Addit mox : *Juſtinum his Orphei verſibus, juxtim cum aliis, nixum, ſententiam ſuam de Chriſti, ceu Mentis, Vocis, & Rationis Patris, (N. B.) ante mundum conditum generatione ex Patre, ut mundus per eum conderetur, atq; ad homines deſcenderet, tandemq; homo quoq; fieret, propoſuiſſe.* Duobus hìc fulcris nititur Hæreticus, 1. verſus iſtos, ſub Orphei nomine, fuiſſe à Simonianis confictos. 2. Juſtinum, iiſdem verſibus nixum, ſuam de generatione Verbi ante mundum conditum, ſententiam propoſuiſſe.

Iren. p. 15. & 16.

§. 2. Ad prius illud quod attinet, gratis id ab ipſo dicitur; neq; vel leviſſimum hujus ſuæ opinionis argumentum proferre poteſt. Imò non deſunt rationes in contrarium ſatis manifeſtæ. Nam primò citat Carmina iſta Juſtinus, tanquam pridem nota, atq; inter Gentes ſub Orphei nomine jam olim recepta; quæq; adeo à nova, obſcura, ac Paganis penè ignota hæreſi conficta fuiſſe, parum admodum veriſimile eſt. Sic enim Juſtinus, ſuæ iſti Carminum Orphicorum citationi præfatur : ὃ γὰρ λανθάνειν ἐνίους ὑμῶν οἶμαι, &c. i. e. *Non enim veſtrûm aliquos latere puto, Diodori & cæterorum, qui hæc literarum monumentis mandârunt, ſtudioſè hiſtorias legentes, Orpheum, & Homerum, & Solonem qui Athenienſibus leges ſcripſit, & Pythagoram, & Platonem, & nonnullos alios, qui Ægyptum adierunt, & Moſæ libris adjuti ſunt, poſtea iis, quæ antea falsò de Diis cenſuerant, contraria docuiſſe.* Cohort. ad Græcos. p. 15.

§. 3. In quibus etiam verbis veram (nî fallor) Orphicorum Carminum originem ſubindicat Juſtinus, nempe Scriptorem aliquem ſatis antiquum, & Moſaicis literis ac diſciplinâ Judaicâ imbutum, ſub Orphei nomine (neq; enim cum Juſtino, ipſum fuiſſe Orpheum Auctorem, crediderim) verſus iſtos jam olim edidiſſe, eoſq; ceu celeberrimi Poetæ Orphei carmina, inter Gentes ab aliquot ante natum Juſtinum ſæculis, celebres fuiſſe. E diſciplina (inquam) Judaicâ prodiiſſe carmina Orphica, veroſimillimum eſſe judico. Qui enim Paganos Scriptores multa è Moſaicis literis atq; Ebræorum Scriptis deſumpſiſſe neget, næ is parum vel prudens, vel modeſtus meritô ſuô cenſendus eſt. Teſtantur id abunde Scripta Ethnicorum indubitata, ea de Deo uno, de Creatione mundi, &c. tradentia, quæ aliunde, quàm ab Eccleſia Dei, ſciri diſcive vix, ac ne vix quidem, potuiſſent. Religio verò Judaica tum maximè cœpit Paganis innoteſcere, ex quo primùm populus iſte è ſedibus ſuis expulſi, atq; ubiq; fere terrarum inter Gentes diſperſi fuerunt; poſtea verò ipſa divina Oracula (ſingulari Dei providentiâ Gentium vocationi viam præſtruente) à 70 Senioribus Alexandriæ juſſu Ptolemæi Regis in linguam Gentibus pleriſq; communem, hoc eſt Græcam, verſa fuerunt. Ex eo enim tempore quis miretur, nonnulla in Scriptis Ethnicorum reperiri, Judæorum diſciplinæ congruentia?

§. 4. Atqui (inquies) quomodo hæc ad Orphica Carmina accommodari poſſint, cùm in

in iis mentio fiat τῦ λόγυ ſeu Verbi, per quod omnia creata fuerint, quodq; vel ipſis Judæis ignotum erat? Reſpondeo: Λόγον Θεῦ Judæis fuiſſe ſatis notum, teſtatur abunde Paraphraſis Chaldæa, quæ id, quô Deus omnia facit ac præſcribit, appellat מימרא ſive מימרא i. e. λόγον. Quâ de re multi docti multa adnotârunt. Vide inter alios Hugonem Grotium in Annot. ad Johan. cap. 1. & 2. Qui etiam ibidem conjectat, Orphicorum Scriptorem ab Ebræis ſua περὶ τῦ Λόγου ſumpſiſſe; eum autem ſecutum eſſe Heraclitum, (apud quem hoc nomen eô ſenſu extare notatum ab Amelio) Heraclitum Platonem Platonicoſque. Verùm hanc materiam exhauſit Vir doctiſſimus D. Alixius, in Tractatu, cui Titulus: *Jud. Veteris Eccl. Judaica contra Unitarios.*

§. 5. Obiter illud dicam, me in ea eſſe ſententia, ut exiſtimem, ab eodem fonte Sibyllina etiam oracula, à Juſtino, ac poſt eum ab aliis, de Chriſto contra Gentes producta, promanare potuiſſe. Adduci enim non poſſum, ut credam, à primitivæ Eccleſiæ Patribus conficta illa vaticinia, vel ipſis per pias fraudes obtruſa, quemadmodum Viri quidam docti fidenter aſſerunt; intolerandum convitium (ut cum Montacutio noſtro loquar) in ſanctos illos Proceres temerè atq; inverecundè jactitantes. Quid enim in tam miræ aſſertionis argumentum afferunt? Nihil certè, præterquam meras atq; inanes ſuſpiciunculas. Contrà rationes pro nobis militantes claræ ſunt. Nam, primò, quis credat Juſtinum alioſq; Patres (Viros pios ac prudentes) auſuros fuiſſe κίβδηλα ac ſuppoſititia Sibyllarum Carmina, coram Imperatoribus, coram Gentibus, (quibus Oracula iſta non poterant non eſſe notiſſima) in ſuæ fidei defenſionem allegare, ipſa etiam exemplaria, quæ à Paganis adſervabantur, maximâ cum fiduciâ appellantes? Imò Juſtinus ſub finem παραινέσεως ſuæ oracula iſta de Chriſto Sibyllina, tanquam toti orbi notiſſima, appellat. Verba ſunt: πείθητε τῇ ἀρχαιοτάτῃ καὶ σοφόδρα παλαιᾷ Σιβύλλῃ, ἧς τὰς βίβλους ἐν πάσῃ τῇ οἰκουμένῃ σώζεσθαι συμβαίνει &c. h. e. *Credite antiquiſſimæ & priſcæ admodum Sibyllæ, cujus libri in univerſo extant orbe &c.* Haud equidem me fugit, id à Paganis olim objectum fuiſſe Chriſtianis, eos multa Sibyllinis Carminibus inſeruiſſe; cùm id Celſus obtenderit, quemadmodum ab Origene diſcimus cont. Celſ. l. 7. Verumtamen ſcio etiam, quid Celſo ibidem Origenes reſpondeat, nempe ipſum non indicâſſe, quæ ſint illa quæ inſeruere Chriſtiani, indicaturum dubiô procul, ſi antiquiora habuiſſet atque incorruptiora exemplaria. Ac ſane ſi Celſi temporibus fraus iſta Chriſtianorum detecta fuiſſet, bipedum omnium ſtultiſſimi, atq; adeo impudentiſſimi fuiſſent Theophilus, Clemens Alexandrinus, Origenes &c. qui eadem poſtea Sibyllarum oracula adversùs Paganos allegare non erubuerint.

Appar. 3. *p.* 41.

P. 369.

§. 6. Præterea quædam apud Ethnicos Scriptores, qui vel ante natum Chriſtum, vel eô ipſô tempore, quô in terris ageret Dominus noſter, vixerunt, è libris iſtis Sibyllinis deſumpta legimus, iis, quæ ex iiſdem citant Patres, omnino reſpondentia. Juſtinus Martyr (Apol. 2.) Sibyllas, conflagrationem mundi prædicentes, citat his verbis: Σίβυλλα δὲ καὶ Ὑσάσπις γενήσεσθαι τῶν φθαρτῶν ἀνάλωσιν διὰ πυρὸς ἔφασαν i. e. *Sibylla autem & Hyſtaſpes, ea quæ corruptibilia ſunt, conſumptum iri per ignem dixerunt.* Idem è fatidicis libris edidicerat Ovidius Metam. l. 1.

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur affore tempus,
Quô Mare, quô Tellus, correptaq, Regia Cœli
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

Multa è Sibyllinis oraculis protulerunt primi Chriſtiani de Rege ſuo Meſſia, qui univerſo orbi pacem ac ſalutem allaturus eſſet. Cicero autem lib. 2. de Divinatione dicit, ab interprete librorum Sibyllinorum prolatam eſſe, in gratiam Julii Cæſaris, (qui tunc etſi non nomine, re tamen Rex erat) hanc ſententiam: *Habendum eſſe Regem, ſi ſalvi eſſe vellemus.* Quô vaticiniô Molinæus ipſe (qui aliàs Sibyllarum oraculis non multùm favet) ſentire ſe profitetur, Chriſtum ejusq; Regnum deſignatum fuiſſe, per quod ſalus parta eſt iis, qui ejus Regno obtemperant. Idemq; ſenſit Grotius ad Math. 2. v. 1.

Valer. lib. 3. *cap.* 14.

§. 7. Sed clara imprimis ſunt illa, quæ Virgilius Eclog. 4. è Cumæis Carminibus deſcribit, de Puero è cœlis deſcenſuro, naſciturο ex Virgine, qui toti orbi imperaturus eſſet, qui deleturus eſſet hominum peccata, & Serpentem occiſurus, & ſæcula aurea reducturus: quæ omnia Poeta, è circumſtantiis temporis colligens, tempus à Sibylla deſignatum adveniſſe, neq; capiens ſenſum horum vaticiniorum, turpi adulatione (ſeu mavis Poeticâ licentiâ) tranſtulit in Saloninum, Pollionis filium, modò natum. De his iterum Molinæus profitetur, ſe attentiùs ea perpendentem perſæpe abreptum fuiſſe admiratione, quô pactô factum ſit, ut illius Eclogæ Carmina tam aptè quadrarent in Chriſti nativitatem & Regnum: quod ex Sibyllæ Carminibus ſe hauſiſſe Virgilius profitetur. Addit Molinæus, Carminibus iſtis pondus accreſcere, quòd hæc

Ubi ſupr.

à

à Virgilio Romæ (ubi in Bibliotheca Palatina libri Sibyllini asservabantur) scripta fuerint eo ipso tempore, quô Christus in Judæa natus est. Operæ verò pretium erit, versus Virgilianos, prout eos suis notis illustravit Molinæus, hîc describere. *Ergo Poeta attollens carmen supra modum Eclogæ, sic incipit:*

Sicelides Musæ paulò majora canamus.
Tum addit:
Ultima Cumæi venit jam Carminis ætas,
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.
Jam venit & Virgo, veniunt Saturnia Regna.
Jam nova progenies Cœlô demittitur altô.
Tu modo nascenti puero, quô ferrea primùm
Desinet, ac totô surget gens aurea mundô,
Casta fave Lucina ——

Mira sane hæc sunt; Virgo, Puer natus, cœlô demissus, aurea sub eo sæcula, & hæc sumpta ex Carminibus Sibyllinis, idq; eô ipsô tempore, quô Christus nascebatur. Mox puerum istum sic affatur:

Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Irrita, perpetuâ solvent formidine terras.

Prædicit fore, ut peccata nostra ab isto puero deleantur. Hui quam procul à consueta Poetarum vena! Sed et Serpentis occisionem sub Regno istius pueri pollicetur:

Occidet & Serpens, & fallax herba veneni
Occidet, Assyrium vulgò nascetur amomum.
Et paulo pòst:
Pacatumq; reget Patriis virtutibus orbem.

Per fallacem herbam veneni, intellige falsas doctrinas & cultum Idolorum; per Assyrium amomum ubiq; nasciturum, doctrinam Evangelii totô orbe circumferendam. Nempe in Carminibus Sibyllinis habebatur Syrium amomum *ubiq; nasciturum. Judæa enim est in Syria, ex qua primùm prodiit prædicatio Evangelica: Sed Virgilius* Assyrium *posuit pro* Syrio, *facili immutatione, metri causâ.*

§. 8. Interrogabis, unde ista non obscura de Christo oracula acceperint Pagani? A Judæis, inquam ego, maximè τοῖς ἐν τῇ διασπορᾷ, qui passim datâ omni occasione, vel arreptâ, de Rege suo Messia adventuro, magnificentissima quæq; ex oraculis Prophetarum gloriabundi prædicabant. Ex eo enim tempore, quô in exilium abacti fuerunt Judæi, promissa ac prædictiones Propheticæ, de Messia ac futuro sæculo, clariùs quàm antea unquam à Populo Dei universo percipiebantur: gratiosâ Dei providentiâ ita procurante, ut populus afflictissimus, ac sub externo Dominatu gemens, eorum promissorum spe erigeretur. Testantur illud abunde Scripta Hebræorum, qui eô temporis intervallô, quod inter exilium Babylonicum & Domini nostri adventum intercessit, vixerunt. Horum autem Oraculorum fama ac notitia an ad Paganos pervenerit, si quis dubitat, cogitet vel unum illud memorabile vaticinium, quod tum Cornelius Tacitus, tum Suetonius refert, ante adventum Christi totô orbe increbuisse, fore, ut ex Judæa oriretur qui rerum potiretur. Tacitus Hist. l. 5. *Pluribus persuasio inerat, antiquis Sacerdotum literis contineri, fore ut clarescceret Oriens, profectiq; Judæâ rerum potirentur.* Suetonius Vespasian. cap. 4. *Percrebuerat Oriente toto vetus & constans opinio, esse in fatis, ut eô tempore Judæâ profecti rerum potirentur.*

§. 9. Si rursum quæris, quâ ratione ista Judaica oracula in libros Sibyllinos, Romæ in Capitolio asservatos, irrepere potuerint? in promptu est responsio. Libri, dicti Sibyllini, duplicis erant generis; alii à Tarquinio empti, & in Capitolio custoditi usq; ad Syllana tempora, quando exustô Capitoliô & hi libri cremati sunt: hos à Diabolo dictatos oportuit, cùm ex Livio constet, multas impias atq; idololatricas superstitiones in iis præscriptas fuisse. Verùm præter hos & alii fuerunt à tribus Legatis (quibus Senatus Romanus, postquam instauratum esset Capitolium, id negotii mandârunt) Erythris petiti, ac Romæ in Capitolio demum repositi. Quæ Carmina fuisse numero mille, ait Lactantius lib. 1. cap. 6. Sed et missos ab Octavio Augusto, qui diversis in partibus alia conquirerent, auctor est Cornelius Tacitus Annal. lib. 6. ubi ait: *Quæsitis Samo, Ilio, Erythris, per Africam etiam & Siciliam & Italicas Colonias Carminibus Sibyllæ, datum Sacerdotibus negotium, quantum humanâ ope potuissent, vera discernere.* Et Suetonius, Aug. cap. 31. *Quicquid fatidicorum librorum Græci Latiniq; generis, nullis vel parum idoneis Auctoribus vulgò ferebatur, supra duo millia contracta undiq; cremavit, ac solos retinuit libros Sibyllinos; hos quoq; delectu habitô; condiditq; duobus forulis aureis sub Palatini Apollinis basi.* De hac Collectione sic porro scribit Dionysius Halicarnassæus l. 4. οἱ δὲ νῦν ὄντες, ἐκ πολλῶν εἰσι σύμφοροι τῶν τόπων κ. λ. i. e. *Quæ autem hodie extant* (Carmina Sibyllina scil.) *sunt illa ex pluribus locis collectitia: nonnulla ab Italiæ Urbibus, quædam Erythris ex Asia deportata, quædam verò aliunde; etiam è chartis transcripta quædam privatorum.* In hac autem Vaticiniorum Sibyllinorum investigatione, multa

aliena, adeoq; Judaica hæc, pro Sibyllinis Carminibus (quemadmodum insignia quæq; Oracula, qualia hæc imprimis erant, celebri isto nomine fere gaudebant) accipi, atq; unà cum cæteris Romam deportari facilè potuisse, quis non statim videt? Nam impossibile prorsus fuit Sacerdotibus Romanis, in tanta fatidicorum librorum copia, quæ genuina essent, quæq; secus, certò dijudicare. Quô enim certô κριτηρίῳ Sacerdotes isti potuissent vera Sibyllarum Carmina à falsis ac suppositititiis discernere? An vetus illud unà cum Capitolio exustum αὐτόγραφον ita illis familiare erat, ut, visô Apographô, facilè potuerint, quid in ipso cum αὐτογράφῳ consentiret, quid secus, memoriâ recolere? Nugæ! Nam (præterquam quòd vaticinia Sibyllina rarò atq; ex occasionibus tantùm extraordinariis consuli solerent) periit αὐτόγραφον illud Carminum Sibyllinorum anno Urbis conditæ 671. hoc est, ante natum Christum 81. Hic autem delectus Romæ habitus est anno Urb. cond. 741. hoc est ante Christi nativitatem undecimô, cum Pontificatum maximum Augustus ipse suscepisset; ut inter hunc delectum, atq; exustum unà cum Capitolio Sibyllinorum carminum αὐτόγραφον anni integri 70 interceſſerint. An deniq; Codice Carminum Sibyllinorum crematô cum Capitolio, alia Romæ superfuerunt antigrapha, ut censet Baronius? A vero id absimillimum est. Nam (ut rectè Molinæus) si hæc Carmina post crematum Capitolium superfuissent, Senatus non misisset Legatos, qui per Græciam Carmina Sibyllina conquirerent, ad jacturam istam resarciendam. Quæ itq; Sacerdotibus istis restabat regula, vera Sibyllarum carmina à falsis dignoscendi? Certè nulla. Itaq; cautè Tacitus in loco citato addidit: *quantum humanâ ope potuissent.*

Apparat. ad Ann. §. 25.

§. 10. Ita origo Sibyllinorum, quæ vocantur, Oraculorum de Christo mihi satis manifesta videtur: nempe à Judæis ea profecta sunt. Atq; ita olim rectè sensit Gregorius Naz. qui in Carmine ad Nemesium ait, Trismegistum & Sibyllam, quæcunq; de Deo prædixerunt, non divinitus afflatos prædixisse, sed ex sacris Hebræorum libris, quos obiter perlegerant, ea accepisse:

Οὐ θεόθεν, βίβλων δὲ παραβλεψάντες ἐμεῖο.

In eo solum erravit, quòd oracula ista ab ipsis Sibyllis concinnata fuisse crediderit. Sic et ante eum Clemens Alexand. Sibyllam vocat τὴν προφήτιδα τῶν Ἑβραίων, Admon. ad Gent. p. 46,47. Vide et Grotii Admot. ad Math. 2. v. 1. Ac sane non pauca sunt in illis ipsis Carminibus, quæ hujus suæ originis non obscura præ se ferunt indicia. Quale illud in laudem Gentis Judaicæ, à Lactantio citatum lib. 4. c. 20.

Ἰουδαίων μακάρων θεῖον γένος εὐσεβέων.

Et illud:

Αὐτὰρ ἐπεὶ Ρώμη καὶ Αἰγύπτῳ βασιλεύσει.
Εἰς ἓν δὴ ξύνουσα, τότε βασίλεια μεγίστη
Ἀθανάτῳ βασιλῆος ἐπ' ἀνθρώποισι φανεῖται.

Quæ verba non nisi manifestam continent explicationem Prophetiæ Danielis, de Imperio Messiæ dando divinitus, postquam Seleuci & Lagi posteritas regnare desiit. Ejusdem generis est illud de evectione Civitatis sanctæ, puta Hierosolymorum, in totius orbis Metropolin:

Καὶ πόλιν, ἣν ἐποίησε θεὸς, αὐτὴν ἐποίησε
Λαμπροτέραν ἄστρων, καὶ ἡλίου, ἠδὲ σελήνης.

Lactant. l. 7. c. 24.

Quin et Consarcinator iste Carminum Sibyllinorum de Regno Messiæ ubiq, fere cum Judæis sapit. De Pace universali, quæ in diebus Messiæ eventura erat, sic scribit: *

Οἱ δὲ λύκοι σὺν ἄρνεσ' ἐν ἔρεσιν ἁμιλλῶνται·
Χόρτον γὰρ λύγκες τ' ἐρίφοισιν ἅμα βόσκονται,
Ἄρκτοι σὺν μόσχοισιν ὁμῶς καὶ πᾶσι βροτοῖσι·
Σαρκοβόρος τελέων φάγετ' ἄχυρον παρὰ φάτναις.
Σὺν βρέφεσίν τε δράκοντες ἀμάτορσι κοιμήσονται.

* *Vide Lactant. ibidem.*

Confer Isaiæ cap. 11. 6. 7. & 65. 25. Alio loco de ubertate rerum:

Καὶ τότε δὴ χαρὰν μεγάλην θεὸς ἀνδράσι δώσει·
Καὶ γὰρ γῆ καὶ δένδρα, καὶ ἄσπετα θρέμματα γαίης
Δώσουσιν καρπὸν τὸν ἀληθινὸν ἀνθρώποισι
Οἶνόν καὶ μέλιτος γλυκέος, λευκῆ τε γάλακτος
Καὶ σίτου, ὅπερ ἐστὶ βροτοῖς κάλλιστον ἁπάντων.

Et alia eôdem modô:

Εὐσεβέων δὲ μόνων ἁγία χθὼν πάντα τὰδ' ὄισει
Νᾶμα μέλιτος ἀπὸ πέτρης ἠδ' ἀπὸ πηγῆς,
Καὶ γάλατ' ἀμβροσίης ῥεύσει πάντεσσι δικαίοις.

Ubi illud imprimis de privilegio terræ sanctæ, hoc est, Judææ, notandum est. Iisdem penè verbis Poetarum Princeps è Cumæis Carminibus, aurea sæcla nascituri sui Regis describit in Ecloga jam citata.

§. 11. Hæc autem omnia de Sibyllinis Oraculis, ab Justino, Clemente, Theophilo atq; antiquioribus illis Patribus allegatis, intellecta

tellecta imprimis velim; haud interea negans, à poſteriorum temporum Chriſtianis quædam libris Sibyllinis inſerta fuiſſe. Quô in cenſu ponenda eſt Acroſtichis illa, quam Conſtantinus (ſeu, ut alii volunt, Euſebius) in Orat. ad Sanctos cap. 18. commemoravit; ubi primæ literæ verſuum hæc verba efficiunt: Ἰησοῦς Χριστὸς, Θεοῦ υἱὸς, Σωτὴρ, Σταυρός. De qua certè, neq; Juſtinus, neq; Theophilus, neq; Clemens Alexandrinus ullibi fecit mentionem: quanquam etiam Cicero (de Divinat. lib. 2.) de Acroſtichide quadam Sibyllæ loquatur; quid verò in ea contineretur, nuſpiam oſtendat. Procul dubiô etiam κίβδηλα ſunt Oracula iſta Sibyllina, in quibus facta quædam Chriſti narrantur, idq; eâ claritate atq; omnium circumſtantiarum exactâ notatione, ut Hiſtoriam potiùs ea continere quàm Prophetiam crederes. Cujus generis eſt illud de panum miraculo, à Lactantio citatum l. 4. c. 15.

Εἰν ἄρτοις ἅμα πέντε καὶ ἰχθύεσσι δυοῖσιν
Ἀνδρῶν χιλιάδας ἐν ἐρήμῳ πέντε κορέσει·
Καὶ τὰ περισσεύοντα λαβὼν μετὰ κλάσματα πάντα,
Δώδεκα πληρώσει κοφίνους εἰς ἐλπίδα πολλῶν.

Quis hæc aliaq; his ſimilia, quæ apud Lactantium occurrunt, non ex Hiſtoria Evangelii deſumpta exiſtimaverit? Certè nihil hujuſmodi è Sibyllinis Carminibus ab Juſtino, Theophilo, Clemente citatum reperies: qui cùm ſtudioſiſſimi fuerint Sibyllinorum Carminum Lectores, atq; aliàs Paganicam religionem ſuis telis confodiendi nullam non anſam arripuerint, iſta tam aperta de Chriſto vaticinia neutiquam ſilentiô præteriiſſent, ſi in Sibyllinis ea Codicibus, jam ſuô tempore receptis, inveniſſent. Verùm Lactantius, qui circa initium quarti ſæculi, poſtquam ſuum Chriſto nomen dediſſet Conſtantinus, libros ſuos ſcripſit, primus Verſiculos iſtos ſub nomine Sibyllarum contra Gentes produxit.

§. 12. Summa hujus diſquiſitionis huc redit. Primò certum eſt, extitiſſe quædam apud Gentes, antequam Chriſtus naſceretur, vaticinia, pro Sibyllinis habita, in quibus cultus unius Dei, eaq; quæ ad futurum Meſſiæ Regnum pertinerent, exponerentur: quæq; adeo Juſtinus aliique primævi Chriſtiani, in ſuis contra Gentes diſputationibus, rectè ac jure meritiſſimô appellârunt. Secundò, veroſimillimum eſt Oracula iſta non ab ipſis, ut putabatur, Sibyllis, fœminis Ethnicis, ſed à Viris ſapientibus, qui poſt exilium Babylonicum in populo Dei, Judaico ſcilicet, floruerunt, profecta eſſe: quos obſcuriora Prophetarum vaticinia pleniùs ac planiùs enucleâſſe, nihil cauſæ eſt cur miremur; maximè, ſi divinum illud conſilium altiùs perpendatur, quô effectum fuerit, ut appropinquantibus jam Evangelii temporibus promiſſa ac prædictiones Evangelicæ clariùs elucęſcerent; Deô ſcil. volente, exorituro Soli veluti auroram quandam præmittere. Deniq; apertè nimis conſtat, Oraculis iſtis addita pòſt fuiſſe, in clariorem explicationem, & alia, ab otioſis & maleferiatis quibuſdam, Chriſtianum nomen profitentibus, conficta & compoſita. Hoc vetus ille Serpens eô conſiliô videtur effeciſſe, ut dum veris plura falſa eſſent intermixta, de veris etiam injiceretur dubitatio, quemadmodum rectè judicavit Molinæus. Atq; hæc obiter de Sibyllinis Oraculis, quæ Lectori non ingrata fore ſpero. Ad Carmina tandem Orphica, adeoq; ad Zuickerum redeo.

§. 13. Atque unum tandem argumentum proferam, quô extra omnem controverſiæ aleam ponitur, Verſus Orphicos ab Juſtino citatos, (undecunq; demum profecti ſint) neutiquam potuiſſe à Simoniano aliquo confingi. Quippe talia in iſtis Carminibus de Deo, deq; rerum creatione traduntur, quæ à Simoniana hæreſi immane quantum diſtant. Etenim nôrunt omnes, qui Irenæum, Tertullianum, alioſq; Patres de Simonianis ſcribentes, unquam vel primis labiis delibârunt, Hæreticos iſtos docuiſſe, viſibilem mundum non ab ipſo Deo, neq; διὰ τοῦ λόγου, ſed ab inferioribus poteſtatibus fuiſſe conditum. Contrà Orphicorum Scriptor ubiq; affirmat, aſpectabilem hunc mundum ipſius ſummi Dei opus eſſe, ac διὰ τοῦ λόγου creatum, ut videre eſt ex illa longa ſatis Verſuum Orphicorum περικοπῇ, ab Juſtino (Cohortat. ad Græc.) citatâ. Quin et Carmina iſta, quæ Zuickerus ex parte citat, quæq; apud Juſtinum ibidem mox ſequuntur, eandem tradunt doctrinam. Sic enim ſe habent: *P.* 15,16.

Οὐρανὸν ὁρκίζω σε θεοῦ μεγάλου σοφὸν ἔργον
Αὐδὴν ὁρκίζω σε πατρὸς, τὴν φθέγξατο πρῶτον
Ἡνίκα κόσμον ἅπαντα ἑοῖς σηρίξατο βουλαῖς.
i. e.

Cœlum juro Deô à magno & ſapiente creatum:
Vocem juro Patris, primùm quam prodidit ore,
Conſiliô ipſe ſuô mundum cùm conderet omnem.

Ut à quovis potiùs, quàm à Simonis diſcipulo Carmina illa conficta crediderim. Ac de Zuickeri conjectura (ſeu mavis delirio) nempe verſus Orphicos à Simonianis fuiſſe confictos, plus ſatis.

§. 14.

§. 14. Sequitur altera ejuſdem hariolatio, haud minùs (imò multò magis) abſurda, atq; ab omni veritatis ſpecie aliena; nempe Juſtinum, Orphicis iſtis Carminibus nixum, ſuam de generatione Verbi ante conditum mundum ſententiam propoſuiſſe. Quis enim non prorsus emotæ mentis vel ſuſpicari poſſit, Virum ſanctum ac prudentem ſuam de primario Chriſtianiſmi capite fidem ac ſententiam verſibus hominis Ethnici, atq; adeo (quod notat Zuickerus) Magi ſuperſtruxiſſe; vel à regula Prædicationis Apoſtolicæ (ante ſe ubiq; in Eccleſiis obtinente) tam levi (imò prorſus nullo) argumentô motum diſcedere voluiſſe? Quid quòd Juſtinus Orphica iſta Carmina nuſpiam ex profeſſo citet, ut ſuam de divina Chriſti generatione ſententiam ſtabiliat? Bis tantùm (ſi memini) verſus Orphicos laudat, nempe in Cohort. ad Gentes, & in lib. de Monarch. Dei: quibus in locis utriſq; id tantùm agit, ut unum Deum contra Paganicam πολυθεότητα defendat. In priori quidem loco Orphica illa περὶ λόγου τῆς ἀυδῆς τοῦ πατρὸς obiter atq; ὡς ἐν παρόδῳ ſuis notis illuſtrat; ne apice tamen ullo innuens, ſe Verbi generationem ab Orpheo fuiſſe edoctum: quin è contrà diſertè affirmans, Scriptorem iſtum ſua περὶ τοῦ λόγου è Sacris V. Teſtam. oraculis deſumpſiſſe. Verba Juſtini ſunt: Ἀυδὴν ἐντᾶυθα τὸν τοῦ θεοῦ ὀνομάζεται λόγον, δι' οὗ ὁ οὐρανὸς, καὶ ἡ γῆ, καὶ ἡ πᾶσα ἐγένετο κτίσις, ὡς διδάσκουσιν ἡμᾶς αἱ θεῖαι τῶν ἁγίων ἀνδρῶν προφητεῖαι, αἷς ἐν μέρει καὶ αὐτὸς ἐν τῇ Αιγύπτῳ προσχὼν, ἔγνω ὅτι τῷ λόγῳ τοῦ θεοῦ πᾶσα ἐγένετο ἡ κτίσις. i. e. Ἀυδὴν, *ſeu vocem, hîc* λόγον *ſeu Verbum Dei nominat, per quod cœlum, & terra, & univerſa condita eſt creatura, prout nos* (N. B.) *divinæ ſanctorum Virorum prophetiæ docent: quibus et ipſe aliquâ ex parte in Ægypto operam navans, intellexit Verbô Dei omnem factam eſſe creaturam.* Qui hæc Juſtini verba legerit, mirabitur (nullus dubito) quâ fronte potuerit Zuickerus dicere, *Juſtinum ad Orphicos verſus, ceu divinum aliquod fundamentum, ſententiam ſuam de Chriſto, cum omnibus fere ſucceſſoribus ſuis, accommodâſſe & conformâſſe.* Irenæ. p. 31. Sed quorſum immoror nugis atq; ineptiis tam manifeſtis? Certè enim hanc Zuickeri conjecturam vel recitâſſe apud ſanos omnes, eſt refutâſſe.

CAP. V.

Juſtinum ea, quæ περὶ τοῦ Λόγου *diſſerit, in Schola Platonis non fuiſſe edoctum.*

§. 1. EXpenſis ac meritiſſimô jure rejectis cauſis illis primariis, quibus, Zuickero conjectatore, adductus fuerit Juſtinus in eam ſententiam, ut Ieſu Chriſto divinam naturam adſcriberet; reſtat ut cauſas ſecundarias, quæ Juſtinum in eo (ſi placet) errore promoverint, ab eodem Zuickero confictas, etiam ſub incudem revocemus. Neq; dubitandum eſt, quin mediâ acie, quam adversùs divinam veritatem inſtruxerat Hæreticus, ita profligatâ, de copiis ipſius ſubſidiariis facillimam reportaturi ſimus victoriam. Hujus autem generis cauſas recenſet quatuor; nempe *Platonicæ Philoſophiæ amorem, Gentiliſmi non prorſus obliteratam memoriam, conſuetudinem Viros præſtantes in numerum Deorum mox reponendi, denique eum, qui homo tantùm ſit, colendi religionem & horrorem.*

§. 2. Priuſquam autem cauſas haſce ab infelici ingenio excogitatas, ſigillatim ac ſuô unamquamq; ordine examinemus, illud non poſſumus non (in gratiam Lectoris) generatim obſervare: Zuickerum (utcunque glorietur, rem à ſe confectam eſſe, atq; originem ſententiæ de nova Chriſti productione patere, revera tamen) dubium eſſe animi, atq; incertum prorſus, quâ ratione, præterquam ex Scripturis atq; Apoſtolorum prædicatione, doctrina de Filii Divinitate in Eccleſias Chriſtianas introduci potuiſſet. Si enim de una aliqua cauſa, cui ejus doctrinæ origo adſcribi poſſit, certò illi conſtitiſſet, cur cauſas tam varias, tam ſibi invicem (quod poſtea liquebit) planè repugnantes excogitavit? Imprimis enim doctrinam Eccleſiæ Catholicæ, de divina Filii natura, à Simoniana Hæreſi oriundam conatur oſtendere: atq; in hac arce, (aeria ſit licet illa, atq; ut vidimus, demolitu facillima) maxima ſuæ hæreſeos præſidia viſus eſt conſtituere. Neque hîc tamen ſecurum ſe eſſe arbitratus, aliud exquiſivit ſibi latibulum, fingens, Carmina quædam ſub Orphei nomine à Simonianis conficta, quibus Ju-

Justinum (post eum Ecclesia universa) in errorem istum (si placet) de Filii Divinitate fuerit inductus. Quid hâc fabulâ insulsius? Itaq; ipse huic munimento diffidens, in desperatæ causæ subsidium advocat & aliarum causarum quaternionem: jamq; præclarum de devictâ veritate trirmphum agere videtur, gloriatus, rem prorsus confectam esse, atq; originem sententiæ de novâ Christi productione novoq; adeo Christo patere. Sed neq; adhuc ita securus est, ut videri voluit; ideoq; post causas istas omnes enumeratas, suum sibi &c. reservavit; ut si deficerent & istæ, alias vel ipse ad libitum confingeret, vel suo saltem Lectori ansam excogitandi ministraret. Res est: certum erat Zuickero, rejicere doctrinam de divinâ Filii naturâ, tanquam absurdam sanæq; rationi (quam passim venditat, nuspiam verò ostendit) adversantem. Proinde ut huic suæ hypothesi inserviret, istius doctrinæ originem cuivisçunq; causæ maluit tribuere, quàm (id quod rei ipsius evidentia apertissimè demonstrat) concedere, partem eam fuisse Prædicationis Apostolicæ in primævis Ecclesiis ubiq; gentium unà cum ipso Evangelio traditam promulgatamque. Sed causas istas subsidiarias καθ' ἑκάστην jam expendemus.

§. 3. Causarum, quæ scil. Justinum alioſq; ejus sequaces, ad sententiam de Christi Divinitate recipiendam promoverint, ordine prima est (juxta Zuickerum) Platonicæ Philosophiæ cognitio & amor. Voluit nimirum Hæreticus insinuare, Justinum, Platonicæ priùs Philosophiæ Sectatorem, etiam post receptam Christi fidem veteris Magistri placitis delectatum nimis, ea, quæ περὶ τ῀ λόγ῀ apud Platonem legerat, in Christianam doctrinam transtulisse, itaq; Ethnicæ Philosophiæ mixturâ simplex ac purum priùs Evangelium adulterâsse. Hæc hodieq; Unitariorum nostrorum vox consona, & ingeminatus clamor: *Platonismus, Platonismus* (inquiunt) *primùm sinceram Apostolorum traditionem vitiavit.* Ego verò certum habeo, Zuickerum alioſq; qui de optimo atq; incomparabili Viro (quem Photius summo isto elogio meritò insignivit, quòd fuerit ἀνὴρ ὅτε τῷ χρόνῳ πόῤῥω τῶν ἀποστόλων, ὅτε τῇ ἀρετῇ) adeo indignam in sinu fovent opinionem, vel in ipsius Scriptis hospites planè esse ac peregrinos, vel cum venerando Patre contra omnes, non modò charitatis, sed et justitiæ leges, velle agere. Quoties enim, quàm apertè, quàm ardenti zelô atq; affectu profitetur ille ipse Justinus, (quem ita indignis modis calumniatur Hæreticus) se, Christô cognitô, non modò Platonicæ, sed et Sectarum aliarum omnium, Philosophiæ nuntium planè remisisse, & sacratissima Scripturæ oracula unicè admiratum esse? Lege incomparabilem ipsius Dialogum cum Tryphone Judæo. Ibi quidem (haud longè ab initio) fatetur, se, cum adhuc Christum ignoraret, Platonicæ imprimis Philosophiæ admiratorem fuisse; sed et ibidem pristinam istam suam taxat ipse stultitiam. Verba sunt: Ἐν ἀμηχανίᾳ δέ μου ὄντος, ἔδοξέ μοι ἢ τοῖς Πλατωνικοῖς ἐντυχεῖν· πολὺ γὰρ καὶ τούτων ἦν κλέος. καὶ δὴ νεωστὶ ἐπιδημήσαντι τῇ ἡμετέρᾳ πόλει συνετῷ ἀνδρὶ, καὶ προύχοντι ἐν τοῖς Πλατωνικοῖς, συνδιέτριβον ὡς τὰ μάλιστα, καὶ προέκοπτον, καὶ πλεῖστον ὅσον ἐχάσης ἡμέρας ἐπεδίδουν. καί με ἦρει σφόδρα ἡ τῶν ἀσωματικῶν νόησις, καὶ ἡ θεωρία τῶν ἰδεῶν ἀνεπλέρου μου τὴν φρόνησιν, ὀλίγου τε ἐνδὸς χρόνου ὤμην σοφὸς γεγονέναι, καὶ ὑπὸ βλακείας ἤλπιζον αὐτίκα κατόψεσθαι τὸν θεόν. i. e. "In hujusmodi "verò consilii inopia, placitum mihi erat cum "Platonicis quoq; conversari; magnum e- "nim & eorum nomen erat. Itaq; in urbe "nostrâ cum viro prudente, atq; inter Pla- "tonicos excellente, qui non ita pridem eò "venerat, plurimum fui, & promovi, & maxi- "mè quotidie crevi. Valdè me delectabat in- "corporeorum notio: Idearum contempla- "tio mentem meam quasi alis quibusdam "altiùs evehebat, atq; intra breve tempus "sapientem me esse factum rebar, illicoq; "Deum perspecturum esse per stultam per- "suasionem sperabam." Mox in eodem Dialogo rationes, quibus à Platonicâ ad Christianam Philosophiam adductus fuerit, exponit, confictô (ni fallor) dialogo, in quo vetulum quendam senem aspectu venerandum, cum ipso, dum in solitudine ageret, colloquentem introducit. Inter alia, hæc ipsi, Platonem & Pythagoram Virosq; sapientes contra veritatem obtendenti, ait Senex ille: οὐδὲν ἐμοὶ μέλει Πλάτωνος, οὐδὲ Πυθαγόρᾳ, οὐδὲ ἁπλῶς οὐδενὸς ὅλως τοιαῦτα δοξάζοντος· τὸ γὰρ ἀληθὲς ἕπτως ἔχει. i. e. "Ni- "hil mihi curæ est Plato, nihil Pythagoras; "neq; prorsus (ut semel dicam) eorum "quisquam, qui talia opinati sunt. Veri- "tas namq; sic habet." Interroganti dein Justino, τίνι οὖν ἔτι τις χρήσαιτο διδασκάλῳ, ἢ πόθεν ὠφεληθείη τις, εἰ μηδὲ ἐν τούτοις τὸ ἀληθὲς ἔσται; i. e. "Quô ergo tandem aliquis uta- "tur doctore, aut unde proficiet, si in his "verum non est?" Respondet Senex: ἐγένοντό τινες πρὸ πολλοῦ χρόνου πάντων τῶν νομιζομένων φιλοσόφων παλαιότεροι, μακάριοι, καὶ δίκαιοι, καὶ θεοφιλεῖς, θείῳ πνεύματι λαλήσαντες, καὶ τὰ μέλλοντα θεσπίσαντες, ἃ δὴ νῦν γίνεται· (προφήτας δὲ αὐτοὺς καλοῦσιν·) οὗτοι μόνοι τὸ ἀληθὲς καὶ εἶδον, καὶ ἐξεῖπον ἀνθρώποις. κ. λ. i. e. "Extiterunt quidam ante "multa tempora, omnibus istis, qui pro

p. 219.

p. 224.

Bibliotb. Cod. 234.

" Philoſophis habiti ſunt, vetuſtiores, beati, " juſti, Dei amantes homines, divini Spiri- " tûs afflatu loquentes, & futura vaticinan- " tes, quæ nunc ad rem conferuntur: (Pro- " phetas eos vocant.) Hi ſoli quid in vero " ſit, & viderunt, & hominibus renuntiâ- " runt, *&c.*" Multò plura lectuq; digniſſima addit ibidem Senex venerandus. Quomodo autem, finitô Dialogô, affectus fuerit Juſtinus, ipſe oſtendit: p. 225. ἐμοῦ δὲ παραχρῆμα πῦρ ἐν τῇ ψυχῇ ἀνήφθη, καὶ ἔρως ἔσχε με τῶν προφητῶν, καὶ τῶν ἀνδρῶν ἐκείνων, οἵ εἰσι χριστοῦ φίλοι. Διαλογιζόμενός τε πρὸς ἐμαυτὸν τοὺς λόγους αὐτοῦ, ταύτην μόνον εὕρισκον φιλοσοφίαν ἀσφαλῆ τε καὶ σύμφορον· οὕτως δὴ καὶ διὰ ταῦτα φιλόσοφος ἐγώ. i.e. " Confeſtim verò in animo " meo ardor excitatus eſt, & amor me in- " vaſit Prophetarum, & Virorum illorum " qui Chriſto chari ſunt & amici. Ac " revolvens ipſe mecum diſputationem illius, " hanc ipſam ſolam comperi eſſe certam " atq; utilem Philoſophiam. Atq; ad hunc " modum, & per hæc ipſa, ego Philoſo- " phus prodii." Amor itaq; Philoſophiæ Platonicæ, quô priùs ardebat Juſtinus, cognitâ cæleſti doctrinâ, extinctus in eo erat; novô ardore ſacrorum Scriptorum in locum ejus ſuccedente, atq; intima Viri ſanctiſſimi præcordia penetrante.

§. 4. Illud autem πῦρ ἐρανοπετὲς quantâ poſtmodum curâ foverit Juſtinus, ex Scriptis ipſius clarè elucet; in quibus paſſim S. Scripturas miris exornat elogiis, (contemptâ præ illis vel optimi generis Philoſophiâ) ad eaſdem ubiq; provocat, omnem divinam veritatem illinc ſolummodo petendam eſſe ſtrenuè adfirmans. Notatu imprimis digniſſima ſunt verba ejus in Paræneſi ad Græcos, haud longè ab initio. Ibi poſtquam multis oſtendiſſet, in Scriptis Philoſophorum (cujuscunq; demum Sectæ illi fuerint) nihil certi de rebus divinis ſciri p. 8. 9. diſcive poſſe, tandem concludit: ἐκεῖν ἐπειδήπερ οὐδὲν ἀληθὲς περὶ θεοσεβείας παρὰ τῶν ὑμετέρων διδασκάλων μανθάνειν ἔστι δυνατὸν, ἱκανὴν ὑμῖν ἀπέδειξιν τῆς ἑαυτῶν ἀγνοίας διὰ τῆς πρὸς ἀλλήλους στάσεως παρεχηκότων, ἀκόλουθον ἡγοῦμαι ἀνελθεῖν ἐπὶ τοὺς ἡμετέρους προγόνους, τοὺς καὶ τοὺς χρόνους τῶν παρ' ὑμῖν διδασκάλων πολλῷ προειληφότας, καὶ μηδὲν ἀπὸ τῆς ἰδίας αὐτῶν φαντασίας διδάξαντας ἡμᾶς, μηδὲ πρὸς ἀλλήλους διενεχθέντας, ἢ τὰ ἀλλήλων ἀνατρέπειν πειρωμένους, ἀλλ' ἀφιλονείκως καὶ ἀστασιάστως τὴν παρὰ Θεοῦ δεξαμένους γνῶσιν, καὶ ταύτην διδάσκοντας ἡμᾶς. ὅτε γὰρ φύσει, ὅτε ἀνθρωπίνῃ ἐννοίᾳ ὅτῳ μεγάλα καὶ θεῖα γινώσκειν ἀνθρώποις δυνατὸν, ἀλλὰ τῇ ἄνωθεν ἐπὶ τοὺς ἁγίους ἄνδρας πνευματοφόρῳ κατελθούσῃ δωρεᾷ. i. e. " Quocirca cùm " veri nihil de religione à Doctoribus ve- " ſtris percipi poſſe conſtet, & idoneum ſa- " tis documentum vobis ignorationis ipſi " ſuæ, per diſſidentes inter ſe factiones, " exhibuerint: reliqvum eſſe opinor, ut " ad majores noſtros revertamur, qui & " Magiſtros veſtros longô tempore antever- " tunt, & nihil de ſuis ipſorum cogitatio- " nibus & placitis docuerunt: minimè i- " pſi inter ſe mutuis diſſenſionibus confli- " ctantes, aut alii aliorum dicta evertere " in animum inducentes: quippe qui o- " mni contentionis ſtudiô, & factionum diſſi- " diô liberi, ſicuti à Deo acceperant, ita " nobis doctrinam tradiderunt. Neq; e- " nim vel naturâ, vel ingeniô humanô " res tam ſublimes ac divinas hominibus " cognitione aſſequi eſt poſſibile; ſed eô, " quod tum cælitus in Viros ſanctos deſcen- " dit, gratuitô opus eſt donô." Quid clariùs vel appoſitè magis ad rem noſtram dici potuiſſet? Cenſuit Juſtinus, veri nihil prorsus de rebus divinis ab Ethnicis Philoſophis certò poſſe percipi; adeoq; cùm de ejuſmodi rebus agitur, omnino ad viros θεοπνεύστους recurrendum eſſe. Adeone igitur veriſimile eſt, voluiſſe ipſum eam, quæ eſt de Deo, deq; perſonis divinis doctrinam (inter μεγάλα καὶ θεῖα certè longè maximè ſublimem ac divinam) è Scriptis vel Platonicis, vel aliûs cujuscunq; Philoſophorum ſectæ depromere? Sed et alibi diſertè docet, in quæſtionibus de religione quibuſcunq; ſolas Scripturas eſſe audiendas; demonſtrationes illinc deſumendas, ipſarum verba ſæpius atque identidem inculcanda, nihil quicquam meliùs a quoquam poſſe inveniri, quàm quæ in iiſdem Scripturis tra- p. 51. duntur. Verba ejus in Dialogo cum Tryph. p. 311. hæc ſunt: Γελοῖον μὲν γὰρ πρᾶγμά ἐστιν 312. ὁρᾶν τὸν ἥλιον, καὶ τὴν σελήνην, καὶ τὰ ἄστρα τὴν αὐτὴν ὁδὸν ἀεὶ, καὶ τὰς τροπὰς τῶν ὡρῶν ποιεῖσθαι, καὶ τὸν ψηφιστικὸν ἄνδρα, εἰ ἐξετάζοι τὸ, τὰ δὶς δύο πόσα ἐστὶ, διὰ τὸ πολλάκις εἰρηκέναι ὅτι τέσσαρα, παύσεσθαι τοῦ πάλιν λέγειν ὅτι τέσσαρα, καὶ τὰ ἄλλα ὁμοίως ὅσα παγίως ὁμολογεῖται, ἀεὶ ὡσαύτως λέγεσθαι καὶ ὁμολογεῖσθαι· τὸν δὲ ἀπὸ τῶν γραφῶν τῶν προφητικῶν ὁμιλίας ποιούμενον ἐᾷν καὶ μὴ τὰς αὐτὰς ἀεὶ λέγειν γραφὰς, ἀλλ' ἡγεῖσθαι ἑαυτὸν βέλτιον τῆς γραφῆς γεννήσαντα εἰπεῖν. i. e. " Ridiculum " namq; fuerit, Solem videre & Lunam " & Sydera eandem perpetuò inire viam, " & converſiones horarum eaſdem efficere: " atq; Arithmeticum, ſi ab eo requiratur, " bis duo quantum efficiant, propterea quòd " quatuor ſæpius dixerit, (non) deſinere " quatuor dicere: atq; ita alia, quæcunq; fre- " quenter certòq; dicuntur, identidem eôdem " modô

" modô repeti : eum verò, qui è Prophetiſ
" cis literis, cum aliis colloquendo, verba
" faciat, eas literas poſthabere, & non eaſ-
" dem Scripturas ſemper allegare, ſed ſe
" ipſum melius quidquam quàm ſanctas lite-
" ras invenire & eloqui poſſe exiſtimare. "
Quibus etiam in verbis, ſummam Chriſtiani hominis conſtantiam, quâ firmiter adhæret ſolis Scripturis, elegantiſſimè deſcribit. Citiùs (inquit) Solem, Lunam cæteraq; aſtra à conſtituto ipſis tramite dimoveas ; aut Mathematico perſuaſeris, ut ſua deſerat notiſſima principia, quàm verè Chriſtinum à ſacra illa ſua Scripturarum norma, certiſſimaq; regula depuleris. Ecquis jam vel ſuſpicari poſſit, Juſtinum in fundamentali Chriſtianiſmi doctrina, à S. Scripturæ ſemita ad aliena dogmata deflectere, aut novam de Chriſto doctrinam novumq; adeo Chriſtum (ut cum Zuickero rurſus loquar) contra ipſius Scripturæ (quin & traditionis, ante ipſum ubiq; obtinentis, Apoſtolicæ) veritatem in Eccleſias Chriſtianas introducere voluiſſe ?

§. 5. Quid, quòd optimus Pater (quaſi & Prophetes fuiſſet, futuraq; prævidiſſet) eam Zuickeri calumniam, ſuis ipſe verbis, veluti ex profeſſo, præoccupavit ? Etenim non uno in loco diſertè docet, Chriſtianorum περὶ Λόγε doctrinam, etſi Platonicæ ſimilem, neutiquam tamen fuiſſe à Platonicis derivatam ; quin potiùs Platonem, quæcunq; de Verbo Dei rectè ſcripſerit, ab Eccleſia Dei (cui olim ea doctrina ex parte nota erat) accepiſſe. Ita Apol. 1. poſtquam faſſus fuiſſet, ὅτι ἐκ ἀλλότριά ἐϛι τὰ
p. 51. Πλάτωνος διδάγματα τῦ Χριϛῦ, *quòd aliena non ſint à Chriſto Platonis dogmata*, mox ſubjungit : ὅσα ἓν παρὰ πᾶσι καλῶς εἴρηται, ἡμῶν τῶν χριϛιανῶν ἐϛί. τὸν γὰρ ἀπὸ ἀγεννήτε καὶ ἀῤῥήτε θεῦ λόγον μετὰ τὸν θεὸν προσκυνῦμεν καὶ ἀγαπῶμεν, ἐπειδὴ καὶ δι' ἡμᾶς ἄνθρωπος γέγονεν, ὅπως καὶ τῶν παθῶν τῶν ἡμετέρων συμμέτοχος γενόμενος, καὶ ἰασιν ποιήσηται. οἱ γὰρ συγγραφεῖς πάντες, διὰ τῆς ἐνέσης ἐμφύτε τῦ λόγε απορᾶς, ἀμυδρῶς ἐδύναντο ὁρᾶν τὰ ὄντα· ἕτερον γάρ ἐϛι απέρμα τινὸς καὶ μίμημα κατὰ δύναμιν δοθὲν, καὶ ἕτερον αὐτὸ, ὃ κατὰ χάριν τὴν ἀπ' ἐκείνε ἡ μετεσία καὶ μίμησις γίνεται· i. e. " Quæcunque apud
" omnes rectè dicta ſunt, noſtra Chriſtia-
" norum ſunt. Ingeniti nempe & ineffabi-
" lis Dei Rationem ſive Verbum ſecundùm
" Deum & adoramus & complectimur : quo-
" niam noſtrâ causâ id homo factum eſt,
" ut perpeſſionum noſtrarum participatione
" medicinam nobis faceret. Nam Scripto-
" res omnes, propter rationis ſemen illis in-
" ſitum ſubobſcurè ea, quæ ſunt, cernere
" potuerunt. Aliud eſt enim ſemen alicu-
" jus, & imitatio pro virili parte conceſſa ;
" & aliud ipſum (Semen primarium) per
" cujus gratiam inde provenientem, parti-
" cipatio illa & imitatio exiſtit. " Ubi obiter & illud adnotabis, Juſtinum, quæ περὶ Λόγε diſſeruerat, non tanquam ſuam ipſius propriam ſententiam, ſed ut communem omnium verè Chriſtianorum doctrinam fidemq; defendere. Apertiùs verò adhuc eâdem de re loquitur in Apol. 2. ad Antoninum, haud procul à fine ; ubi poſtquam dixiſſet, etiam Platonem didiciſſe, ἐν Λόγῳ Θεῦ γεγενῆθαι τὸν πάντα κόσμον, *Verbô Dei factum eſſe mundum univerſum* ; imò & tertiam Divinitatis perſonam, Spiritum nempe S. Platoni non fuiſſe prorſus ignotum, ſubjicit : ὃ τὰ αὐτὰ ἓν ἡμεῖς ἄλλοις δοξάζομεν, ἀλλ' οἱ πάντες τὰ ἡμέτερα μιμήμενοι λέγοσι. παρ' ἡμῖν ἓν ἐϛι ταῦτα ἀκῦσαι καὶ μαθεῖν παρὰ P. 92,93. ἄλλων ἢ τῶν χαραχθέντας ὑπὸ ϛοιχείων ἐπιϛαμένων, ἰδιωτῶν μὲν καὶ βαρβάρων τὸ φθέγμα, ϛορῶν δὲ καὶ πιϛῶν τὸν νῦν ὄντων, καὶ πηρῶν καὶ χήρων τινῶν τὰς ὄψεις· ὡς συνεῖναι, ὃ ϛορία ἀνθρωπεία ταῦτα γεγονέναι, ἀλλὰ δυνάμει θεῦ λέγεϛθαι· i. e. " Non ergo nos eadem
" cum aliis opinamur, ſed omnes illi no-
" ſtra per imitationem proferunt. Apud
" nos igitur hæc audire & diſcere licet,
" ab iis etiam, qui nec formas litera-
" rum nôrunt : rudibus quidem illis &
" voce barbaris, ſed mente ſapientibus &
" fidelibus, & quibuſdam debilibus atq; ocu-
" lis captis: ut intelligere liceat, non huma-
" nâ ſapientiâ hæc fieri, ſed virtute Dei di-
" ci. " Sane locus hic Juſtini vel ſolus ſufficeret moli iſti conjecturarum toti, (quantâ quanta ſit) quam adversùs manifeſtam veritatem congeſſit Zuickerus, funditus evertendæ. Nam apertè hîc docet Juſtinus 1. Sententiam de condita διὰ τῦ Λόγε univerſa creatura, neque à ſe, neque ab alio quopiam Chriſtiano, è Scriptis Platonicis fuiſſe deſumptam : quin Platonem potiùs è Chriſtianorum S. libris (Vet. puta Teſtamenti, ut ibidem paulò antè ſe explicat Juſtinus) ſua περὶ τῦ Λόγε tranſtuliſſe. 2. Eandem ſententiam, non ut ſuam ipſius ſingularem opinionem, ſed tanquam Eccleſiæ Catholicæ, ſeu omnium verè Chriſtianorum fidem ac doctrinam, coram Imperatore, coram Gentibus aſſerit propugnatque. Imò tam vulgaria, tam nota fuiſſe inter Chriſtianos ſacroſancta de Trinitate myſteria oſtendit, ut vel rudes atq; idiotæ illi, qui Alphabetum ſuum ignorarent, de iis diviniùs, ac luculentiùs, quàm Plato ipſe, potuerint diſſerere. 3. Inde jure meritiſſimo concludit, doctrinam iſtam Chriſtianos ὃ ϛορίᾳ ἀνθρωπείᾳ, *non humanâ ſapientia* (non ex Scriptis Platonicorum, nedum

peſſi-

peſſimorum Hæreticorum deliriis) fuiſſe edoctos; ſed δυνάμει Θεῦ, *divinâ virtute* (h.e. è Scriptis Θεοπνεύστοις atq; Apoſtolicâ doctrinâ ubiq; in Eccleſiis diſſeminatâ) protuliſſe. Ex his certè teſtimoniis abunde liquet, S. Juſtinum de Ethnicorum Philoſophia univerſim idem ſenſiſſe quod Tertullianus, &, teſte Tertullianô, Veteres Chriſtiani Catholici omnes ſenſerunt. Aurea equidem ſunt ejus verba in lib. de Præſcript. adv. Hær. cap. 7, 8.

" Philoſophiam teſtatur (*Paulus*) caveri
Col. 2. v. 8. " oportere, ſcribens ad Coloſſenſes: *Vide-*
" *te ne quis vos circumveniat per vanam Phi-*
" *loſophiam & inanem ſeductionem, ſecundùm*
" *traditionem hominum* &c. Fuerat Athe-
" nis, & iſtam ſapientiam humanam, affe-
" ctatricem & interpolatricem veritatis, de
" congreſſibus noverat, ipſam quoq; in ſuas
" Hæreſes multipartitam varietate Sectarum
" invicem repugnantium. Quid ergo Athe-
" nis & Hieroſolymis? Quid Academiæ
" & Eccleſiæ? quid Hæreticis & Chriſtia-
" nis? Noſtra inſtitutio de porticu Salomo-
" nis eſt, qui & ipſe tradiderat, Dominum
" in ſimplicitate cordis eſſe quærendum.
" Viderint qui Stoicum, & Platonicum, &
" Dialecticum Chriſtianiſmum protulerunt.
" Nobis curioſitate non opus eſt poſt Chri-
" ſtum Jeſum, nec inquiſitione poſt Evan-
" gelium. Cùm credimus, nihil deſidera-
" mus ultrà credere. Hoc enim priùs cre-
" dimus, non eſſe quod ultrà credere de-
" beamus.

§. 6. Poſt hæc haud neceſſe eſt, ut ſerram reciprocemus controverſiæ, de qua docti quidam inter ſe digladiantur: An ſcilicet Platonis ſententia περὶ τῦ Λόγυ ſimilis fuerit Juſtini aliorumque cum ipſo ſentientium doctrinæ? Videat eâ de re, qui volet, Caſauboni Exercit. ad Apparat. Baron. p. 5. & Petri Lanſelii Calumniarum Caſauboni diſpunctionem cap. 1. * Illud certum eſt, tantam eſſe diſcrepantiam inter Platonis & Juſtini ſententiam, ut vel inde ſatis manifeſtum ſit, ſua Juſtinum ex Platone neutiquam hauſiſſe. Hinc ipſe Juſtinus (in loco ſuprà laudato) diſertè monuit, Platonem illud myſterium ἀμυδρῶς, *tenuiter* ac ſubobſcurè tantùm vidiſſe.

§. 7. Itaq; (ut huic capiti coronidem imponam) eâdem veriſimilitudine judicavit Zuickerus, Juſtini περὶ τῦ Λόγου doctrinam è Platonis Schola derivatam fuiſſe, quâ olim Amelius Philoſophus Platonicus, lectis Johannis Evangelii primis verſibus, queſtus eſt, Evangeliſtam in ſuum librum tranſtuliſſe Magiſtri ſui myſteria, & quæ erant Platonis arcana, ſua propriaq; feciſſe: " Per Jovem,
" *inquiens*, Barbarus iſte cum Platone no-
" ſtro ſentit, Verbum Dei in ordine prin-
" cipii eſſe conſtitutum." Neq; ſane defuit inter nuperos in Anglia noſtra Unitarios, qui auſus eſt non obſcurè docere, doctrinam Johannis Apoſtoli in Evangelii ſui initio ex Platonicorum Philoſophorum lacunis primitus hauſtam fuiſſe. Is eſt Author Scripti, cui titulus: *Hiſtorica Vindicatio libelli, NUDUM EVANGELIUM inſcripti, Univerſitati Oxonienſi oblata.* Qui in Præfatione ad Lectorem acerbè invehitur in eos,
" qui ſimplicem & primitivam Evangelii
" caſtitatem ceremoniis vanâq; Philoſophiâ
" Paganorum adulterârunt; atq; Platoni-
" cum Enthuſiaſmum mundo obtruſerunt
" pro fide, myſterio, & revelatione &c."
Nemo tam obeſæ naris eſt, quin ſentiat, ab homuncione hîc perſtringi dogma de S. S. Trinitate in Eccleſia Catholica agnitum & receptum. In ipſo verò opere oſtendere aggreditur, quomodo vana illa Philoſophia, Enthuſiaſmus ille Platonicus, in Eccleſiam primò Judaicam, deinde Chriſtianam irrepſerit. Dicit Judæos, qui per Ægyptum & P. 12, 13.
Syriam diſperſi fuere, Platonis Philoſophiam ex Græcia in regiones illas tranſlatam primùm didiciſſe; Platonicæ Philoſophiæ duo fuiſſe præcipua dogmata, alterum de præ-exiſtentia animarum, de Triade divina alterum; proinde hæc duo dogmata deinceps in Eccleſia Judaica obtinuiſſe. Poſthæc verſâ paginâ, hæc ipſius expreſſa verba legas: " Hæ fuere Judæorum opiniones tem- P. 14.
" poribus Servatoris noſtri & Apoſtolorum
" ejus; atq; hinc fortaſſe factum eſt, ut
" quemadmodum Eruditi obſervârunt, phra-
" ſes nonnullæ & locutiones Platonicæ in
" N. Teſtamento reperiantur, præſertim in
" Evangelio Johannis. Notum eſt, Ame-
" lium, Philoſophum Platonicum, lectô hu-
" jus Evangelii initiô, obſervâſſe, Apoſto-
" lum Platoni conſimiliter locutum eſſe.
" Revera Philoſophus iſte dicere potuiſſet,
" congruenter principiis ſuis: In principio
" ratio erat apud Deum, & Deus erat. Ipſa
" eſt quæ fecit omnia, quæ vita eſt & lux
" hominum &c." Ex horum locorum collatione nimis manifeſtum eſt, Authorem hunc revera ſenſiſſe, doctrinam ab Johanne Apoſt. in Evangelii ſui initio traditam, minimè Θεόπνευστον fuiſſe, ſed ex vana Paganorum Philoſophia depromptam, & Platonicum Enthuſiaſmum omnino ſapere. Equidem me-

* *Adjecta eſt Diſſertatio illa Operibus Juſtini, Edit. Par.* 1636.

meritò hîc B. Polycarpi verbis rurſus exclamemus: *O bone Deus, in quæ nos tempora reſervâſti, ut hæc ſuſtineremus!* Cæterum Author ille inſcitiam ſuam æquè ac impietatem prodit in eo, quod dicit, Veteres Judæos τὰς ἐν τῇ διαστορᾷ de Myſterio ſacræ Triados à Platonicis edoctos fuiſſe; ſiquidem è contrario manifeſtum eſt ipſum Platonem, quæ de Myſterio illo ſcribit, ex vetuſtiori Judæorum Philoſophia didiciſſe. Certè in V. Teſtamenti Scripturis, quæ Platone longè antiquiores ſunt, nonnulla Myſterii illius veſtigia licet conſpicere, quemadmodum à Juſtino Martyre obſervatum eſt. Si quis verò è noſtratibus hac de re plura volet, adeat ille luculentum Tractatum Doctiſſimi Alixii noſtri, Anglicè conſcriptum, qui inſcribitur: *Judicium Veteris Eccleſiæ Judaicæ contra Unitarios.*

CAP. VI.

Juſtinum à Paganiſmo pluriumq; Deorum cultu toto animo abhorruiſſe. Argumentum, quô Juſtinus aliiq; Veteres Chriſti Divinitatem adſtruxerunt, à cultu verè divino ipſi in S. Scripturis conceſſô, eſſe invictiſſimum.

§. 1. Reliquæ tres cauſæ, à Zuickero excogitatæ, ad duas reduci poſſunt, ut Gentiliſmi, ſeu plurium Deorum non prorſus obliterata memoria, homineſq; præſtantes mox in numerum Deorum reponendi conſuetudo, alteram cauſam conſtituant; (certè enim & poſterius illud ad Gentiliſmi non obliteratam memoriam pertinet) alteram verò efficiat *Eum, qui homo tantùm ſit, colendi religio & horror.* Ad priorem cauſam quod ſpectat, non poſſum non admirari Zuickeri, qui ipſam confinxit, vel extremam impudentiam, vel certè craſſiſſimam Scriptorum Juſtini M. ignorantiam. Lege, obſecro, ſanctiſſimi Patris Paræneſin ad Græcos, utramque Apologiam, librum de Monarchia Dei. Quot ibi, quantiſq; argumentis oppugnat ille Ethnicorum πολυθεότητα? Præterea quis credat, egregium Chriſtianæ fidei Doctorem, elementarem, quæ eſt de uno Deo, Evangelii doctrinam, (vel Idiotæ cuivis inter Catechumenos probè notam) non fuiſſe pleniſſimè edoctum: aut fortiſſimum Chriſti contra Paganicas ſuperſtitiones impietateſq; Athletam ac Martyrem adeo turpiter in ipſius Paganiſmi luto adhuc hæſiſſe?

§. 2. Quod verò ad alteram illam cauſam attinet, (quæ earum ultima eſt, quas inſanum Hæretici cerebellum potuit confingere) obſervandum eſt, eam priori cauſæ è diametro eſſe contrariam. Certè enim, ut quis à conſuetudine homines in Deos reponendi alienus non ſit, & tamen ſimul horreat, ac religio ei ſit, eum, qui homo tantùm eſt, colere, prorſus impoſſibile eſt, cùm iſta duo ſint omnino ἀσύζατα. Hôc ſtrictim notatô, cauſam illam ſeorſim ſpectabimus. Atq; hîc quidem dabimus Zuickero, Juſtinum aliosq; Patres, ut Chriſto divinam naturam adſcriberent, eô inter alia argumentô fuiſſe adductos, quòd in S. Scripturis cultus atq; adoratio divina ipſi exhibenda ſæpius ac diſertis verbis præſcribatur. Quid verò ex hac conceſſione lucraturus eſt Hæreticus? ne hilum quidem. Certè enim ratio iſta ejus ſententiæ firmum ſatis fundamentum eſt. Nam cultum atq; adorationem, quæ verè divina ſit, nulli creaturæ per ſe, licet excellentiſſimæ, ſed ei ſoli, qui verus Deus eſt, tribui debere, & ratio dictat, et multis iiſq; diſertiſſimis S. Scripturæ teſtimoniis demonſtrari poteſt. Atq; hîc veniam abs te precor, Lector Chriſtiane, hanc Patrum rationem prolixiùs adſtruendi, tum ut fidem noſtram ſuprà * datam, liberemus, tum imprimis quòd ratio iſta, ſi probè expendatur, Socinianæ hæreſis non modò jugulum, ſed & corculum ipſum petat feriatque.

* *Cap.* 1. *Sect.* 4.

§. 3. Primò igitur habemus Dei ipſius expreſſum præceptum Deut. 6.13. & 10.20. à Servatore noſtro repetitum Mat.4.10. *Dominum Deum tuum adorabis, & ipſi ſoli ſervies.* Ubi particula excluſiva *ſoli* cultum divinum Do-

mino ac Deo nostro proprium facit, omnemque universim creaturam ab ejusdem participatione procul amovet. Excipiunt Socinistæ: *Particulis istis exclusivis, qualis* solus *&c. cum de Deo usurpantur, nunquam eos simpliciter excludi, qui a Deo, in ea re, de qua agitur, dependent: Sic dicitur solus Deus sapiens, solus potens, solus immortalis, neq; tamen simpliciter à sapientia, à potentia, immortalitate excludi debent & alii, qui istarum rerum participes sunt effecti. Quare jam, cùm solus Deus adorandus aut invocandus esse dicitur, excludi simpliciter non debet is, qui hâc in parte à Deo pendet, propter divinum ab ipso in cuncta acceptum imperium, sed potiùs tacitè simul includendus est.* Sed 1. quis audaculis istis hominibus potestatem dedit exceptionem faciendi, ubi Lex Dei nullam facit? Lex simpliciter jubet, ut adoratio divina Deo soli deferatur. Quod enim obtendunt, dici etiam in Scripturis Deum solum sapientem &c. neq; tamen simpliciter à sapientia &c. excludi debere & alios, qui istarum rerum participes sunt effecti &c. id verò Sophisticum est. Etiamsi enim, cùm in Scripturis dicitur Deus solus sapiens, eô tamen non excludantur alii à sapientia qualicunque, quæ eorum naturæ conveniat; illud tamen certum est, per exclusivam particulam *solus* in locis illis excludi simpliciter omnem creaturam à sapientia divina, sive ea, quæ Deo convenit. Pari ratione, cùm Deus in Scripturis dicitur solus colendus, solus honorandus, eô quidem non excluduntur alii ab eo cultu atq; honore, qui naturæ ac statui eorum respondeat; à cultu tamen divino, seu qui Deo convenit, alii omnes simpliciter atq; absolutè excluduntur. 2. Supponit hæc responsio, divinum in cuncta imperium puræ putæ creaturæ posse communicari; quod certè falsissimum est. Scilicet per divinum in cuncta imperium sani omnes intelligunt tum vim illam omnipotentem, quâ Deus res omnes creatas, quibus esse dedit, in eodem esse conservat, regit, gubernatq;: tum jus illud ac dominium Dei, inde consecutum, quô omnis creatura ipsi subjecta sit, ac rationalis obstricta teneatur, pro modulo suo se cum omnibus facultatibus suis Deo subjicere atq; utendam præbere ad ejus gloriam, suumq; majus bonum. Saltem non nisi hujuscemodi divinum imperium adæquatum esse potest cultûs divini fundamentum. Tale autem divinum in cuncta imperium nulli creaturæ posse competere, per se manifestum est. Si itaq; cultus divinus nemini tribuendus sit, præterquam ei, cui divinum in cuncta imperium conceditur (quod certè est verissimum) necessariò sequetur, Deo soli cultum divinum deferendum esse, quemadmodum in Lege à nobis allatâ disertis verbis cautum est.

Vide Schlicting. ad Meisneri Artic. de Deo, p. 206, 207.

§. 4. Secundò, Paulus hoc criminis locô objicit Galatis, quòd aliquando, cùm Deum non nôssent, servierint τοῖς μὴ φύσει οὖσι Θεοῖς, *iis qui naturâ Dii non essent* Gal. 4. 8. Quô ex locô manifestum est, cultum divinum nulli tribuendum esse præterquam ei, cui etiam natura divina competat. Fieri enim certè non potest, ut quod summum erat vitium Galatarum, adhuc in Paganismo hærentium, nobis luce Evangelicâ donatis liceat, nedum ut primarium Christiani hominis officium fiat. Quod enim huic loco respondet Crellius, perridiculum est: sic nimirum ille Ethic. Christ. l. 3. cap. 2. *Apparet etiam hinc, cur Paulus hoc criminis locô objiciat Galatis, quanquam jam præteriti, quòd aliquando, cùm Deum non nôssent, servierint iis, qui naturâ Dii non essent; nempe quia antea nemo erat, nec quisquam Galatis illis erat cognitus, quamdiu verum illum Deum ignorabant, qui verus esset Deus, nisi simul etiam naturâ Deus esset, ac proinde quisquis tum temporis eum colebat, præsertim per se, & perpetuò, qui Deus naturâ non esset, is falsum Deum colebat.* Quis credat, hanc cogitationem Paulo, dum ista scriberet, in mentem venisse? Præterea ut quis sit verus Deus, qui non etiam naturâ Deus est (quicquid contrà obganniant Socinistæ) sano cuivis ἀκατάληπτον videbitur.

P. 229. & 230.

§. 5. Sed nobilis est imprimis locus ille Apoc. 19. 10. ubi Angelus Johanni ad pedes ejus provoluto, ut ipsum adoraret, sic loquitur: *Vide ne feceris; conservus tuus sum & fratrum tuorum, qui habent testimonium Jesu: Deum adora.* Duobus hîc argumentis repudiat Angelus cultum ipsi à Johanne oblatum. 1. Quòd ipsius σύνδουλος i. e. *conservus* esset; quasi dicat: Quicunq; servus Dei est, ei cultus divinus non est exhibendus: sed ego ipse, juxtà tecum, etsi gradu excelsiori positus, Dei tamen servus sum: nequaquam igitur tibi permissum est, ut me divinô cultu afficias. Hæc certè ratio ad omnem creaturam ex æquo se extendit, cùm nulla creatura sit, in quacunq; demum eminentiâ honoris constituta, quæ non juxtim cum aliis creaturis, Dei serva sit. Si itaq; Christus mera esset creatura, divinam ipsi adorationem tribuere illicitum esset. Scio, Grotium existimâsse, cultum, quem à Johanne oblatum respuebat Angelus, ejus generis fuisse, quem *civilem* appellant, quemq; Prophetis aliquando exhibitum fuisse sine peccato, legimus; ac proinde Angelum non prohibuisse cultum istum, tanquam per se il-

illicitum, sed ut Apostolicô, quô tum temporis fungebatur Johannes, munere indignum. Sic enim in explicatione Decal. ad Præcept. 2. scribit Vir longè doctissimus: *Qui munus et libamina vetat, reverentiæ signum non vetat &c. Nam quòd in Apocalypsi Angelus eum honorem à se amovet, non inde venit, quòd in eo esset quid illiciti, sed Apostolum sibi æquat Angelus, quòd ambo Christi, jam Angelorum capitis, ministri essent, (Vide loc. Col. 1. v. 16. 18.) et Apostolica legatio, ad hominum salutem comparata, nullâ parte Angelicâ esset inferior. Non solent autem Collegæ inter se ista submissionis signa usurpare.* Sed in utroq; suæ sententiæ membro hallucinatus est Vir maximus. Etenim non civilem tantùm fuisse, quam rejiciebat Angelus, adorationem, ex Angeli ipsius verbis, tum illis, τῷ Θεῷ προσκύνησον, tum illis imprimis, *vide ne feceris*, quæ non modò indecorum, sed illicitum quiddam omnino cavendum prohibent, satis manifestum est. Sed in eo lapsus videtur Vir summus, quòd non satis accuratè distinxerit inter prostrationem Johannis, & cultum illum, quem Apostolus prostratus delaturus erat. Verba tamen satis clara sunt: ἔπεσον ἔμπροσθεν τῶν ποδῶν αὐτοῦ προσκυνῆσαι αὐτῷ. i. e. *Cecidi ad pedes ejus adoraturus ipsum.* Ubi manifestum est, in facto Johannis notari imprimis finem, propter quem factum ipsum fuerit culpabile. Nam cadere in terram, atq; ad pedes Angeli, per se non erat vitiosum; cùm certum sit, ejusmodi honorem etiam hominibus, Regibus scil. ac Prophetis, sæpiùs à Viris sanctis, idque sine peccato, exhibitum olim fuisse. Sed ob id culpatur Apostolus, quòd ad pedes Angeli se prostraverit eô fine, ut ipsum adoraret, h. e. cultum divinum (fortean θυσίαν αἰνέσεως ob nuntium de Agni nuptiis lætissimum ipsi offerendo) exhiberet. Ideoq; Angelus non tam reprehendit quod fecerat Johannes, quàm prohibet, quod facturus erat: ὅρα μή *vide ne feceris.* Neque magis verum est, Angelum prohibuisse cultum illum Johanni, sub ea tantùm consideratione, quòd Apostolicô tum temporis officiô condecoratus esset; cùm ex loco huic gemino (Apoc. 22. 9.) manifestum sit, Angeli prohibitionem ad omnes universim Christianos extendendam esse. Sic enim ibi loquitur Angelus: *Vide ne feceris; conservus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum,* καὶ τῶν τηρούντων τοὺς λόγους τοῦ βιβλίου τούτου, *& eorum, qui observant verba libri hujus: Deum adora.* Ubi non tantùm Prophetæ commemorantur, sed etiam cæteri pii seu Christiani homines, qui describuntur verbis illis: *Et eorum qui observant verba libri hujus.* Quæ descriptio latior est & generalior, quàm vox Prophetarum, ideoq; Prophetarum voci postponitur, tanquam aliquid vulgarius. Atq; ita locum explicat ipse Crellius, Eth. Christ. lib. 3. cap. 6. Sed Grotius hôc in locô, contra fidem Græcorum Codicum, quin et rationem satis manifestam, particulam καὶ omisit; nescio quô consiliô, nisi ut hypothesi suæ inserviret. Atq; hæc de prima Angeli ratione. 2. Altera innuitur in verbis illis: τῷ Θεῷ προσκύνησον, *Deum adora*, quæ ex mandato divino desumi videtur, à Servatore producto Mat. 4. 10. Manifestum verò est, verba exclusivè (ut loquuntur) intelligi debere, quasi ab Angelo dictum esset: *Cultus iste, quô me affecturus es, Deo soli convenit; vide itaq; ne mihi ipsum tribuas.* Alioquin rationi Angelicæ nullam prorsus vim inesse, quis non statim videt? Hæc itaq; loca, (quibus plura alia poteram adjicere) invictè probant, (id quod fundamentum sententiæ de divina Filii natura posuisse Justinum, voluit Zuickerus) nulli, præterquam soli Deo, cultum verè divinum tribuendum esse. *P.* 292.

§. 6. Argumenta, quæ in contrarium afferunt Sociniſtæ, nullius sunt ponderis. Objiciunt primò, sanctos Viros sub veteri Testamento, Angelis, Dei nomine cum ipsis agentibus, divinos honores, idq; sine peccato, detulisse. Verùm in Defensione nostra Fidei Nicænæ * jam fusè demonstravimus, tum Patres censuisse, quoties Angelus aliquis in S. libris appellatur יהוה, atq; honores divinos sortitur, tunc non Angelum merum, sed cui adfuerit ὁ λόγος, intelligi debere; tum hanc ipsorum sententiam, non modò nulli Scripturæ contraire, sed et satis disertô Pauli ipsius testimoniô confirmari. Addo, huic Patrum sententiæ non parum roboris accrescere ex locis illis, de quibus egimus, quæ cultum divinum vero Deo appropriatè tribuunt. Facit deniq; imprimis pro eadem sententia, quòd sub Evangelio nuspiam & nunquam legimus, quempiam, qui Angelus dictus sit, tali honore dignum habitum fuisse, nisi à Johanne, subitô affectu abreptô, quem etiam eô nomine reprehenderit Angelus ipse, quòd cultum dignitate Angelicâ majorem, ac Deo soli debitum, ipsi delaturus esset. *Sect.* 1. *cap.* 1.

§. 7. Causam hujus rei quærunt Theologi quidam doctissimi, inter quos Ribera, qui in Commentariis suis in Apocalyps. ad locum cap. 19. ita scribit: *Quid est, quod ante Redemptoris adventum adorantur ab hominibus* (Angeli) *& tacent, postmodum verò adorari refugiunt? nisi quòd naturam nostram, quam priùs despexerant, postquam hanc super se assumptam aspiciant, prostratam sibi videre pertimescunt, nec jam sub se velut contemnere*

temnere auſi ſunt, quam ſuper ſe, viz. in cœli Rege, venerantur. Atq; hanc Riberæ rationem amplectitur ipſe Crellius Ethic. Chr. l. 3. cap. 6. Verùm ego rationem iſtam, ſubtilem magis quàm ſolidam eſſe judico, hôc imprimis adductus argumentô, quòd rationis iſtius in loco Apocalypſeως, quem explicat Ribera, nec vola, nec veſtigium reperiatur. Contrà verò Angelus ibi cultum, quem delaturus ipſi erat Johannes, à ſe amovet rationibus, quæ ſint perpetuæ virtutis veritatisque, quæq; ad tempora, tam Veteris, quàm Novi Teſtamenti, ex æquo pertineant. Urget primò Angelus, ſe fidelium eſſe conſervum: annon idem de Angelis etiam ſub Veteri Teſtamento dici potuiſſet? Certè. David enim etiam tum de Angelis dicit: *Qui fecit Angelos ſuos Spiritum, & miniſtros ſuos ignem ardentem.* Pſal. 104. 5. confer Heb. 1. 7. & ult. Erant itaq; Angeli etiam ſub Veteri Teſtamento, haud minùs quàm homines, ſummi Dei miniſtri, etſi in excelſiori miniſteriali gradu poſiti, in quo etiam poſt adventum Domini perſiſtunt; quod ex multis N. Teſtamenti locis apparet, quæ eminentem quendam ipſis ſupra mortalium quoſvis honorem ac reverentiam deberi, ſatis manifeſtè oſtendunt. Vide imprimis 1 Cor. 11. 10. 1 Tim. 5. 21. Ratio verò Angelica altera in verbis illis, *Deum adora*, quàm manifeſtè ad vetus etiam Teſtamentum pertingit? Imò ratio iſta (uti jam dictum eſt) ex ipſis Legis Moſaicæ verbis deſumpta videtur. Paucis rem totam complectar: Cùm de cultu quæritur Angelorum, vel civilem tantummodo cultum, vel religioſum ac prorſus divinum intelligimus. Prior iſte etiam nunc ſub Evangelio Angelis debetur, ob magnam ipſorum ſuper mortales ἔξοχὴν ac poteſtatis eminentiam: poſteriorem verò ne ſub V. quidem Teſtamento Angelis deferre licitum erat, propter infinitam à Deo Opt. Max. diſtantiam. Hinc legimus etiam in Veteri Teſtamento, Angelum, Manoæ viſum, cultum divinum (Sacrificium ſcil.) à ſe magnâ cautione amoviſſe. Cùm enim Manoah detenturus eſſet Angelum, ut hœdum ipſi lactentem apponeret, reſpondet ipſi Angelus: *Si detineas me, non comedam de cibo tuo; ſin autem parare vis holocauſtum, Jehovæ offeres illud*; q. d. duplex eſt proponendi cibi finis, ut comedatur humanitus, vel ut Deo acceptus abſumatur: primâ ratione mihi offerre non opus eſt; alterâ non licet: ſcito enim, Sacrificium Deo ſoli offerendum eſſe. Judic. 13. 16.

P. 292.

§. 8. Quid igitur (inquies) ad propoſitam difficultatem dicendum eſt? Haud procul abeſt ſolutio, ſi modò Patrum judiciô ſtare non abnuerimus. Sic nempe illi: ſub V. Teſtamento Λόγος & Filius Dei, Angelus ille fœderis, vel per Angelos, vel ſaltem per Angelicas repræſentationes h. e. ejuſmodi, quæ ab Angelis uſurpari ſolent, ſæpiùs cum hominibus converſabatur, adeoq; à ſanctis Viris, quibus apparuit, divinis honoribus, idq; meritiſſimô jure, colebatur. Hæ verò apparitiones, cùm veluti anteludia fuerint, atq; umbræ & figuræ futuræ Filii Dei ἐνσαρκώσεως, poſt adventum ipſius in vera carne humana, meritò ceſſârunt: exhibitâ enim veritate, quid umbris opus erat? Certè hæc à Patribus aſſignata ratio mihi videtur omnibus Neotericorum conjecturis longè præferenda.

§. 9. Verùm ut miſſas tandem faciam conjecturas omnes, illud certum eſt, atq; apud ipſos Adverſarios in confeſſo, cultum verè divinum, qualis Domino Jeſu in Scripturis tribui jubetur, Angelis neutiquam vel tribui debere, vel unquam à ſanctis Viris ſub V. Teſtamento exhibitum fuiſſe. Ideoq; Hæretici ultro fatentur, adorationem iſtam quæ olim Angelis (datô quod Angeli fuerint) deferebatur, ipſis delatam fuiſſe longè aliâ ratione, quàm Jeſu Chriſto in Scripturis N. Teſtamenti conceditur. Scilicet triplicem hîc differentiam agnoſcunt. 1ò. Adorabant Patriarchæ Angelum præſentem, qui ſe conſpiciendum præberet, ſeſe coram ipſo proſternendo: at Chriſto non viſo, et (quod ad humanam naturam attinet) longiſſimè diſſito, atq; adeo in cœlis ipſis exiſtenti, hunc honorem deferre jubemur; quod imprimis divinum cultum ab humano diſtinguit, licet non ſolum. Hîc ipſa ferè Crellii verba uſurpamus. 2ò. Qui olim Angelum colebat, Dei perſonam ſuſtinentem, Deum ipſum verè colebat ac per ſe, Angelum verò tantùm per accidens: neq; tum revera Angeli ipſius perſona, quà talis, colebatur, ſed Dei ipſius, quam ille ſuſtinebat ac repræſentabat. Imò Angeli perſona non magis colebatur quàm arca fœderis, quando pii homines ipſam versùs, ut præſentiæ divinæ ſignum, Deum ipſum adorabant. Contrà Dominus Jeſus etiam per ſe colendus in Scripturis proponitur. Quod adeo verum eſt, ut Socinus ipſe concedat, Chriſtum etiam dignum eſſe divinô honore, neque ſine graviſſimis cauſis adorari juberi in ſacris literis; quod et ipſæ Scripturæ expreſsè docent. Apoc. 5. v. 12. 3ò. Angelus ejuſmodi pro eo tantùm tempore colebatur, quô Dei nomine in terris apparebat, ejuſq; perſonam repræſentabat; quâ perſonâ depoſitâ, non ampliùs ipſi cultus divinus debebatur. Contrà Dominus Jeſus à nobis perpetuò colendus eſt. Perpetuitatem quidem iſtam

Vid. Ecclaſſ. 2. 17. n. 1.

Vid. Enchir. ca. Chriſt. l. 3. cap. 3. p. 294.

Vid. Grot. ibid. p. 277.

De adorat. Chriſti diſp. 1. Chriſtol. Franc. 6.

iſtam reſtringit Crellius ad hujus mundi durationem; ſic enim alicubi ſcribit: *Eô eminet divinum Chriſti imperium, quòd æternum illud ſit, ut Angelus dicit apud Lucam Cap.* 1. 33. *& finem non habiturum; nempe QUAMDIU Regnum ſuper domum Jacob haberi poterit, & præſens hic rerum ſtatus durabit: durabit autem tamdiu, quamdiu mundus, & quamdiu ultimus adhuc Chriſti inimicus, mors delenda ſupererit. Qua de cauſa ab hominibus ita honorandus eſt Filius, ut Pater, Joh.*5.23, *&c.* Reſpexit Crellius locum 1 Cor. 15. 28. ubi Paulus docet, Filium, poſt devictum ultimum inimicum, mortem ſcilicet, Deo Patri ſubjectum iri, ac Regnum ipſi Patri traditurum. Sed optimè meô judiciô locum hunc cum iis, quæ abſolutam Chriſti Regno æternitatem tribuunt, conciliavit Petrus Martyr in Loc. Commun. *Regnare* (inquit) *interdum accipitur, quaſi ſit excellere, eminere præ cæteris, & ſummum locum tenere. Ac iſtâ ſignificatione Chriſtus perpetuò regnabit. Sin verò dicamus, regnare idem eſſe, quod officia Regis exercere, pugnare, tueri, vincere, atq; alia hujus generis, Chriſtus non ſemper regnabit. Nam cùm perfecti & abſoluti fuerimus, his auxiliis Chriſti non erit opus. Cùm venit in mundum, prædicavit, docuit, mortuus eſt pro noſtra ſalute: nunc quoq; pro nobis apud Patrem intercedit, nos tuetur à malis imminentibus, nec unquam ab officiis & actionibus mediatoriis deſiſtit. Verùm ad finem, omnibus pacatis, iſta officia Patri reſignabit, cùm non ampliùs illis locus pateat. Velut, ſi potentiſſimus Rex unicum filium ad aliquam provinciam ſui Regni mittit, quæ laboret ſeditionibus, tumultibus, atq; rebellione, filiusq; proficiſcatur cum imperio & forti exercitu: qui cum omnia ſedaverit, et rebelles in poteſtatem redegerit, ad Patrem revertitur victor, triumphat, ac tradit ei pacatam provinciam, neq; ulteriùs imperiô militari aut legionibus utitur &c.* Ac ſane Chriſtum poſt traditum Patri Regnum illud mediatorium, divinô ſuô honore, imperiô, dignitate, cultu non iri privatum, ſed unà cum Deo Patre à Sanctis omnibus, atq; adeo ab ipſis Angelis, atq; Archangelis, in omnem æternitatem eſſe adorandum, multa nos docent Scripturæ teſtimonia. Conſule imprimis Rom. 9. 5. Heb. 13. 21. 1 Pet. 4. 11. & 5. 11. cum 2 Petri 3, 18. Apoc. 1. 5, 6. & 5. 12, 13.

Ethic. Chriſt. l. 3. c. 6. p. 275.

Claſſ. 2. c. 17. n. 14.

§. 10. Itaq; deſinant Hæretici ruituræ ſuæ hypotheſi patrocinium quærere ab exemplo Angelorum, qui ſub V. Teſtamento, Dei perſonam ſuſtinentes, divini cultûs fuerunt participes, cùm vel ipſis fatentibus exemplum illud ad rem ſuam nihil prorſus faciat. A triplici enim differentia, modò aſſignatâ, totidem argumenta poſſunt deduci, quæ Filii Divinitatem invictè probant. A prima ſic argumentamur:

Quicunq; in cœlis exiſtens, ab hominibus in terris adorari poteſt ac debet, is Deus eſt. At Chriſtus in cœlis &c. Ergo &c. Aſſumptionem largiuntur Adverſarii: veritas autem propoſitionis manifeſta eſt. Quicunq; enim iſtô modô colitur, vel coli ſe intelligit, vel non: ſi non intelligit, fruſtra colitur; ſi intelligit, ergo omniſcius eſt atq; omnipræſens, adeoq; Deus. Dices, non ſequitur; nam ſcire illud poſſit per divinam revelationem. Atqui, inquam ego, id prorſus impoſſibile eſt. Scientia enim iſta modum creati intellectûs planè excedit, adeoq; nulla creatura illam vel à ſe, vel aliunde habere poſſit. In hujus rei illuſtrationem pro exemplo ſumatur nobiliſſima cultûs divini pars, invocatio nempe divina, quam Chriſto deberi è Scripturis clariſſimè liquet. Vide Act. 2. 21. 7. 59. 9. 11, 14. 22. 16. Rom. 10. 13. 1 Cor. 1. 2. 1 Theſ. 3. 11, 12, 13. & 2 Theſ. 2. 16, 17. Fieri quidem certè non poteſt, ut humana anima, quôcunque demum divinæ lucis gradu illuſtrata, eôdem tempore ſciat intelligatq; vota & preces, quæ à tot hominum Myriadibus, tot in locis, tantôq; intervallô diſſitis, nomini Jeſu quotidie eôdem momentô funduntur. Mens Chriſti hominis, ad dextram Patris jam evecti, miris quidem modis perfecta eſt; infinita tamen non eſt, cujus intelligentia ad omnia loca, omneſq; perſonas, à quibus eôdem momentô ſacroſanctum ipſius nomen in utroque hemiſphærio invocatur, (perſpectis ſimul invocantium abditiſſimis cordium receſſibus) queat pertingere. Unus eſt enim Dei oculus, cujus vis unicô quaſi ictu luſtrat ac perſpicit univerſum terrarum orbem. Unde Sociniſtæ, qui miſerô hôc κρησφυγέτῳ ad Chriſti φιλῶ ἀνθρώπῳ divinam invocationem ſtabiliendam utuntur, dum rident ſomnium illud Pontificiorum, quô Sanctorum invocationem ſolent propugnare, de ſpeculo Trinitatis (quô fit ut Beati videant in Dei eſſentia, tanquam in ſpeculo, quæcunq; fiunt & geruntur in terris, adeo ut illis noti ſint intimi animorum noſtrorum ſenſus) ſeipſos quidem prudentibus cunctis ridendos propinant, Si enim ejuſmodi omniſcientia animæ Chriſti hominis per divinam revelationem communicata ſit, nulla ſatis idonea ratio aſſignari poteſt, cur non & eâdem ratione Sanctorum animæ ejuſdem participes eſſe poſſint, ac ſuô modô revera participes fiant. Invictum itaq; manet atq; in æternum (frendentibus licèt Hæreticis) manebit Novatiani pro Deitate Filii argumen-

tum, in lib. de Trin. cap. 14. *Si homo tantummodo Chriſtus, quomodo adeſt ubiq; invocatus; cùm hæc hominis natura non ſit ſed Dei, ut adeſſe omni loco poſſit &c.*

§. 11. Hoc certè argumentum peſſimè habuit Socinum, qui ruinam inde ſuæ ſententiæ, de Chriſto ψιλῷ ἀνθρώπῳ, veritus, eò adactus fuit, ut fidenter adſeruerit, neminem ex præcepto divino teneri nomen Jeſu Chriſti in precibus ſuis invocare. Sic enim in Epiſt. ad Radecium 3. *Hîc primùm adorationem cum invocatione confundit, quod tamen fieri non debet, cùm utriuſq; ſit diverſa quædam ratio; adeo ut ego, quamvis nihil prorſus dubitem, præceptum extare de adorando Chriſto, & etiamſi non extaret, tamen eum à nobis adorari omnino debere, non idem tamen de eodem invocando exiſtimem, cùm videlicet invocatio pro ipſa opis imploratione, & directione precum noſtrarum accipitur. Hîc enim ſtatuo, id quidem meritò à nobis fieri poſſe, id eſt, poſſe nos jure ad ipſum Chriſtum preces noſtras dirigere, nihil tamen eſſe, quod nos id facere cogat.* Et in Reſponſione ad Franciſc. David. *Chriſtum Dominum invocare poſſumus, ſed non debemus, ſive non tenemur.* Sed audaciorem adhuc ſpirat blaſphemiam in Diſ-
P. 4. putat. cum Frank. *Quod ſiquis tantâ eſt fide præditus, ut ad Deum ipſum perpetuò rectè accedere audeat, huic non opus eſt ut Chriſtum invocet.* Hæc ille, Verùm 1. ſi Radecius adorationem cum invocatione confundat, Socinus tamen certè eadem nimis ſubtiliter diſtinguit. Quippe apud omnes in confeſſo eſt, invocationem illud eſſe, in quo cultus ſive adoratio verè divina imprimis conſiſtit, eamq; ob cauſam in Scripturis pro toto cultu divino ſatis frequenter accipi. Ac ſane qui invocationem detrahit, quem demum is cultum verè divinum Jeſu Chriſto concedat, ego ne conjecturâ quidem aſſequi poſſùm. 2. Illud, *Chriſtum Dominum invocare poſſumus, ſed non tenemur*, mihi prorſus ἀκατάληπτον videtur. Quæro enim, extatne in Scripturis de Chriſto invocando præceptum, an non? Si extat, ergo Chriſtum invocare debemus, ſeu tenemur. Sin ejuſmodi præceptum in ſacris litetis nullum reperiatur, certè Chriſtum invocare ſine peccato non poſſùmus: niſi verò invocatio divina (cultûs verè divini pars maxima) in noſtro arbitrio ſit poſita, ut cui libitum nobis fuerit, ipſam deferamus. Dices: Etſi in ſacris literis non jubemur Chriſtum invocare, ea tamen in Scripturis reperiuntur, quæ Chriſtum ſatis idoneum eſſe invocationis divinæ objectum, adeoq; à nobis jure invocari poſſe, manifeſtè oſtendunt. Quænam verò ſunt iſta? inquam ego. Dices fortean, ex Scripturis liquere, Chriſtum eſſe tum ſummè erga nos benevolum, tum omniſcium, h. e. omnium neceſſitatum noſtrarum, tam animæ quàm corporis, probè conſcium, imò & cordium noſtrorum ſenſuumq; qui in animis noſtris latent, intimorum oculatiſſimum inſpectorem, ut quô quiſq; ipſum affectu invocet, perſpectum habeat, Apoc. 2. 23. tum deniq; omnipotentem, qui nos ab omnibus malis ac periculis, quantacunq; ea ſint quæ nobis impendent, liberare, omniumq; bonorum, quorum indigi ſumus, poſſit nos compotes facere, Phil. 3. 21. Reſp. Certè hæc requiruntur, ut quis idoneum ſit invocationis divinæ objectum. Sed 1. hæc attributa divinam in eo naturum arguunt, cui conveniunt; neque enim in ψιλὸν ἄνθρωπον, ullamve adeo creatam naturam poſſunt cadere. Ruit itaq; Socini hypotheſis, Chriſtum nempe eſſe merum hominem, vel per hanc conceſſionem, quòd idoneum is ſit invocationis verè divinæ objectum. 2. Valebit adhuc argumentum noſtrum. Interrogo enim, num hæ Chriſti perfectiones, in S. Scripturis celebratæ, quibus idoneum efficitur invocationis divinæ objectum, ejns generis ſint, ut ex iis jus ad cultum iſtum Chriſto accedat? Illud ſi affirmes, neceſſariò ſequetur, Chriſtum à nobis invocari non modò poſſe, ſed etiam debere; debemus enim certè unicuiq;, Chriſto imprimis, jus ſuum tribuere: ſin illud ipſum inficieris, conſequens erit, Chriſtum ne poſſe quidem à nobis licitè invocari; neque enim cultum divinum (invocationem maximè) cuiquam ſine peccato deferre poſſumus, cui nullo jure debeatur. Adeo ἀσύστατον omnino illud eſt: *Chriſtum Dominum invocare poſſumus, ſed non tenemur.* Vidit hoc, Socini aliàs admirator, ipſe Nomojevius, qui in verba ejuſdem Socini ex reſponſione ad Franciſc. David. modò citata, hæc annotat, obſervatione noſtrâ digniſſima *: *Legi diligenter reſponſionem tuam ad argumenta Franciſci Davidis, ubi Chriſti Domini invocationem, honoremq; nomini ejus ſacroſancto convenientem aſſeris, ac contra calumnias Franc. Davidis defendis. Attamen videris mihi, paucis verbis optimam ſententiam non modò obſcurâſſe, ſed quaſi in dubium revocâſſe, adverſariosq; in errore confirmâſſe. Quæris, quid ſit, quod tantum malum ſecum importare poſſit? Breviter reſpondeo: verba illa, quæ ſæpiùs addis,* Chriſtum Dominum invocare poſſumus, ſed non debemus, ſive non tenemur *&c. ruinam negotio cauſaq; tuæ minantur. Non poſſum percipere, quomodo hæc conciliari poſſint*: non debemus, ſed poſſumus; *quaſi in negotio ſalutis noſtræ liberum ſit facere vel omittere, prout nobis aliquid magis neceſſarium, vel è contrà viſum fuerit.*

* Nomojev. Epiſt. 1. ad Franciſcum Szomnium, Ao. 1587.

§. 12

§. 12. Deniq; quid multis ? è ſacris literis manifeſtum eſt, teneri nos ex præcepto divino cultum divinæ invocationis Chriſto Domino adſcribere. Illud vel hinc patet, quòd in S. Scripturis præſumuntur omnes Chriſtiani vi religionis ſuæ Chriſtum Dominum invocare. Eam ob cauſam iidem hâc periphraſi in Novo Teſtamento deſcribuntur : *Qui invocant nomen Ieſu* Act. 9. 14. 1 Cor. 1. 2. Præterea ex præcepto divino tenemur eundem cultum atq; honorem Filio tribuere, quem Deo Patri aſcribimus, Johan. 5. 23. At Deo Patri cultum divinæ invocationis tribuendum eſſe, nemo eſt, qui diffiteatur. Deniq; invocatio Ieſu Chriſti in Evangelio nobis præſcribitur, tanquam conditio ſalutis obtinendæ omnino neceſſaria, Rom. 10. 13. *Quiſquis invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.* Ubi voce Κυρίε Chriſtum intelligi, ex contextu planum eſt. Nam 1. Dominus, de cujus invocatione agit Paulus, idem manifeſtè eſt, qui tanquam objectum fidei Chriſtianæ ab ipſo proponitur v. 9. 10. 11. 12. h. e. Dominus Ieſus. 2. Eundem Dominum ſub periculo ſalutis ab omnibus invocandum eſſe docet Apoſtolus, cui multi ex Judæis fidem non habuerunt, ac de quo ſe non inaudiiſſe cauſari poterant, v. 14. quod de Domino Ieſu tantùm intelligi poſſe, nemo eſt qui non videat. Jam hujus Domini invocationem, non modò ſub præcepto eſſe, ſed etiam ut conditionem æternæ ſalutis obtinendæ omnino neceſſariam ab omnibus requiri, verba ipſa, quæ citavimus, luce meridianâ clariùs oſtendunt. Æquè fere manifeſtum eſt, *invocare nomen Domini*, hôc in loco, vel idem planè eſſe, quod opem Domini implorare, ſive ad eum preces noſtras dirigere, vel ſaltem illud ſub ſe comprehendere. Invocatio enim nominis divini dupliciter omnino in Scripturis accipitur. 1. generatim pro toto cultu divino, cujus ſignificationis exempla habes Gen. 12. 8. & 13. 4. & 21. 37. Pſal. 14. 4. &. 53. 5. Eſa. 41. 22. Videtur autem inde fluxiſſe hæc ſignificatio (ut non malè hîc Crellius) quòd invocatio inter reliquas pietatis partes ſit frequentior, eâq; ratione præ cæteris emineat ; cùm ipſa neceſſitas nos impellere ſoleat, ut eum, quem pro Deo habemus ac colimus, invocemus, ac auxilium ejus imploremus ; ita ut qui inter homines quempiam non invocet, is eum pro Deo ſuo habere cenſendus non ſit. 2. Strictiùs accipitur pro oratione, ſeu precatione ad Deum : quæ vox etiam interdum latiùs, interdum ſtrictiùs accipitur. Latiùs cùm etiam gratiarum actionem complectitur, cujus rei exempla habes Luc. 18. 10. 11. Act. 3. 1. & 16. 13. Phil. 1. 3, 4. quod propterea fit, quia cum precatione propriè dictâ fere ſolet gratiarum actio conjungi, & contrà. Strictiùs autem & propriè ſumitur, cùm pro petitione alicujus boni, ſeu divini auxilii imploratione accipitur. Prima hujus locutionis acceptio mihi quidem hôc in locô maximè videtur genuina. Sed utramlibet eligas, valebit argumentum noſtrum à loco citato deductum. Verùm O bone Ieſu ! in quæ nos tempora reſervâſti, ut tam horrendam blaſphemiam adverſus ſacroſanctum tuum nomen patiamur ? Quis ſine lachrymis iſta audiat, præſertim ab iis, qui tuæ Majeſtatis cultores ſeſe venditant : neminem teneri, gratiam à te tuamq; divinam opem precibus ſuis implorare ?

Eth. Chr. l. 3. cap. 11.

§. 13. In ejuſdem tamen inſaniæ abyſſum, eâdem acti neceſſitate, poſt Socinum inciderunt Volkelius de vera Relig. lib. 4. cap. 11. de Chriſti invocatione, & Schlictingius ad Meiſn. p. 206. & 207. Imò & ipſe Crellius, qui de divina Ieſu Chriſti invocatione multùm ubiq; garrit, alicubi tamen in Socini ſententiam concedit, vel certè ab ipsa haud procul diſcedit. Nam in Eth. ſuæ Chriſt. l. 3. ca. 6. p. 398. de extremis precum agens, in eo quod parum eſt, eos imprimis notat, *qui ad eum preces non volunt dirigere, adeoq; etiam non dirigunt cùm opus eſt, ad quem eas dirigere non tantùm poterant, verùm etiam interdum, ſaltem certas quaſdam ob cauſas, debebant* ; pro exemplo ſubjungens, *ut ſi quis Chriſtum invocare nolit, cùm cæteri fideles ad eum preces ſuas dirigunt, aut aliàs ædificatio id poſtulat, vel ipſe Spiritus, id alicui ſuggerit ac dictat.* Animadverte : fatetur Hæreticus, poſſe quidem nos ad Chriſtum preces dirigere, ſed non abſolutè ad id teneri, ſed tantùm in certis quibuſdam caſibus ; veluti cùm alii id faciunt, ne non neceſſarium ab iis Schiſma faciamus ; aut ſi ædificatio id poſtulat, h. e. cùm periculum eſt, ne, ſi Chriſtum invocare recuſemus, infirmi fratres ſuſpicarentur (neq; id quidem ſine cauſa) nos divinum cultum Chriſto denegare ; vel deniq; cùm Spiritus dictat, h. e. cùm propriæ phantaſiæ motu in id ferimur, ſeu quoties nobis id facere libitum fuerit. Sed cur, quæſo, dictamen Spiritûs à Chriſtiano homine priùs expectandum ſit, quàm ad Chriſtum preces audeat dirigere ? Scil. periculum eſt ingens, ne forte caſſa atq; inania vota in aerem fundat ; cùm incertum prorſus ſit, quô tempore Chriſtus homo ſit votorum noſtrorum conſcius, quandove per divinam revelationem certior fiat de precibus noſtris ad ipſum directis : ideoq; in hoc caſu maximè dubio, Spiritu omnino utendum eſt doctore. Deum immortalem !

quàm

quàm profundum eſt iniquitatis myſterium Sociniſmus!

§. 14. In hoc primo diſcrimine explicando prolixior fui, propterea quòd Lectori, fraudum technarumq; hæreticarum, quibuſcum agimus, haud ſatis gnaro, non inutile illud futurum exiſtimarem. Ad ſecundum illud diſcrimen, à Crellio obſervatum, jam venio, alterum inde argumentum pro Filii Divinitate deducturus. Quicunq; honore divinô per ſe colendus eſt, adeoq; dignus eſt, qui divinô cultu adoretur, is verus, h. e. naturâ, Deus ut ſit neceſſe eſt: at Chriſtus honore divinô per ſe colendus eſt, &c. ut Scriptura diſertè affirmat, & ipſi Adverſarii fatentur: ergo &c. Propoſitio hîc etiam probatu facillima eſt. Nemo ſcil. divinô cultu dignus eſſe poſſit, qui non divinâ, h. e. infinitâ dignitate atq; excellentiâ præditus ſit; (divina enim iſta excellentia cultûs verè divini unicum fundamentum eſt;) atqui divina & infinita dignitas atq; excellentia ſoli Deo competit, neque in creaturam ullam poteſt cadere; (cùm finitum infiniti non ſit capax) ergo &c. Quàm irrefragabile ſit hoc argumentum, ſatis liquet ex diſputatione Fauſti Socini cum Chriſtiano Frankenio, de honore Chriſti, ubi infauſtiſſimum Hæreticum hôc ipſô fere Syllogiſmô miris anguſtiis preſſum, atq; ad incitas planè ab adverſario ſuo redactum comperies. Chriſtianus ille Frankenius unus erat è Socini diſcipulis, qui juxtim cum ipſo quidem aſſerebat, Chriſtum eſſe ψιλὸν ἄνθρωπον, ſed placitum illud Magiſtri ſui ulteriùs, quam ille voluit, extendebat: inde (idq; per neceſſariam conſequentiam) deducens, Chriſto religioſum ſeu divinum cultum neutiquam eſſe exhibendum. Hâc de re inter ipſum Socinumq; diſputatio habita fuit 14. Martii Anno 1584. in aulâ Chriſtophori Paulicovii. Primarium Frankenii argumentum hujuſmodi fuit: *Quanta diſtantia inter Creatorem eſt & creaturam, tanta eſſe debet differentia inter honorem, qui Creatori exhibetur, & qui creaturæ tribuitur; atqui inte Creatorem & creaturam maxima eſt diſtantia, ſive eſſentiam & naturam ſpectes, ſive dignitatem et excellentiam: ergo et maxima eſſe debet differentia inter honorem Dei & creaturæ. At honor, qui præcipuè debetur Deo, eſt religioſa adoratio; ergo hæc non eſt tribuenda creaturæ; ergo neq; Chriſto, quem tu puram eſſe creaturam fateris.* Quid ad hoc argumentum Socinus? Ita ille reſpondet. *Etſi ſumma eſt inter Deum & creaturam diſtantia, non tamen neceſſe eſt, tantam eſſe differentiam inter honorem Dei & creaturæ; nam poteſt Deus, cui vult, communicare honorem ſuum, Chriſto præſertim, qui dignus eſt tali honore, quiq; non ſine graviſſimis cauſis adorari jubetur in ſacris literis.* Ridicula certè reſponſio quæ τῷ ἐν ἀρχῇ petitione manifeſtè laborat. Quæſtio enim inter Socinum ejuſq; Adverſarium hæc ipſa erat: an Chriſto, ſi mera ſit creatura, cultus divinus communicari poſſit? Non poſſe, probat Frankenius hôc argumentô, quòd inter Deum & creaturam, adeoq; inter honorem huic illiq; debitum, non poſſit non eſſe infinita diſtantia. Præterea non poteſt Deus cuiquam divinum cultum communicare, cui non & naturam atq; excellentiam divinam (cujus nulla creatura capax eſt) largiatur. Nimirum illud tum Sapientiæ, tum Veritati divinæ manifeſtè repugnaret; Sapientiæ propterea, quòd Deus hâc ratione titulum inanem ſine re ac fundamento ſuo conferret; Veritati autem divinæ ideo, quia tum ſuam Deus creaturam ad mendacium obſtringeret, h. e. ipſi præciperet, divinam ei dignitatem atq; excellentiam adſcribere, (in hoc enim adoratio verè divina propriè ſita eſt) in quo nulla talis excellentia vel eſt, vel eſſe poſſit. Deniq; quomodo mera creatura cultu divinô digna eſſe poſſit, quæve ſint graviſſimæ illæ cauſæ, ob quas Chriſtus, qui purus putus homo ſit, adorari jubeatur in ſacris literis, è Sociniſtis nemo in æternum explicabit. Ideoq; Frankenio, poſtquam is multis teſtimoniis probâſſet, nulli creaturæ cultum divinum communicari poſſe, hoc tantùm habuit dicendum Socinus: *Ad illa omnia teſtimonia ego poſſum reſpondere.* p. 7. Cui rurſus Frankenius: *Et ego ad omnes tuos locos, Chriſti adorationem urgentes, probabilem potero reſponſionem afferre.* p. 8. Tandem Socinus, victus quidem argumentis, ſed invictum animum volens oſtendere: *De veritate meæ ſententiæ*, inquit, *tam ſum certus, quàm certò ſcio me iſtum pileum manibus tenere?* Cui ſubridens iterum Frankenius: *Tua iſta certitudo non poteſt mihi & aliis eſſe veritatis regula; nam reperietur alius quiſpiam, qui dicat, ſententiam tuæ contrariam ex ſacris literis ſibi eſſe perſuaſiſſimam.* p. 9. Ita prorſus impoſſibile eſt, ex hypotheſi Sociniana divinum Ieſu Chriſti cultum atq; honorem tueri ac defendere.

De Adorat. Chriſti diſp. cum Franken. p. 4.

p. 6.

§. 15. Tandem ad tertium atq; ultimum diſcrimen accedo, tertium inde argumentum depromens, hunc in modum: Quicunq; unà cum Deo Patre *in æternum* divinô cultu honorandus eſt, is juxtim cum Patre naturâ Deus eſt; ſed Chriſtus unà cum Deo Patre *in æternum* divinô cultu honorandus eſt; ergo, &c. Minorem hujus argumenti

argumenti ſuprà clariſſimis Scripturæ teſtimoniis evicimus, ubi de tertio iſto diſcrimine agebamus. Veritas autem propoſitionis clarè elucet 1. ex iis Scripturæ locis, (quæ propè infinita ſunt) ubi verus Deus à creaturis diſtinguitur hâc periphraſi, quòd is ſit, cui ſoli divinus honor & gloria debeatur in ſæcula ſæculorum. Vide Mat. 6. 13. Rom. 1. 25. & 11. 36. & 16. 27. Gal. 1. 5. Eph. 3. 21. Phil. 4. 20. 1 Tim. 1. 17. 2 Tim. 4. 18. Jud. v. 25. 2. ex hac invicta ratione: Æterni cultûs æternum ut ſit fundamentum neceſſe eſt; atqui æternum illud fundamentum aliud eſſe non poteſt quàm hoc, quòd is, qui eô modô colendus eſt, naturâ ſit Deus; Ergo &c. Fundamentum divini cultûs, qui Jeſu Chriſto debetur, ſtatuunt Hæretici mediatorium eſſe ipſius officium. Quod ſi verum eſſet, planè neceſſariò ſequeretur, divinum Domini Jeſu cultum finem tandem habiturum; cùm Scripturæ diſertè affirment, mediatorium illud Regnum aliquando ceſſaturum, nempe poſt devictum ultimum inimicum, mortem ſcilicet, h. e. poſt reſurrectionem atq; ultimum Judicium, 1 Cor. 15. 24. & ſeqq. Sublatâ autem cauſâ tollitur effectus. Atq; hæc de prima Hæreticorum objectione, ex qua quid ipſorum cauſæ acceſſerit, æquus Lector judex eſto.

§. 16. Sed reſtat aliud Adverſariorum argumentum, in quô maxima ſuæ Hæreſeωs præſidia conſtituunt. Aiunt enim, quæſtionem de fundamento divinæ adorationis, quæ Jeſu Chriſto debetur, pro ſua parte deciſam eſſe per diſertiſſimam Scripturæ ipſius ſententiam, quæ docet, tum cultûs divini, qui Jeſu Chriſto debetur, fundamentum eſſe Regiam ſeu judiciariam ipſius poteſtatem; tum poteſtatem illam ipſi à Patre traditam eſſe, quia, vel quatenus homo eſt. Illud verò utrúmq; manifeſtum eſſe ex duobus locis inter ſe collatis: nempe Joan. 5. 22, 23. *Neque enim Pater judicat quenquam, ſed omne judicium dedit Filio, ut omnes honorent Filium, quemadmodum honorant Patrem.* Et ejuſdem capitis v. 27. *Et autoritatem ei dedit* (Pater) *judicium quoq; exercendi, quia filius hominis eſt.* Quibus duobus locis & tertium addunt, ad Philip. cap. 2. v. 6. & ſeq. ubi Chriſto homini, poſt ac propter mortem ipſius in ſummam ſublimitatem evecto, Deum donâſſe nomen, quod eſt ſupra omne nomen, ut ad nomen Jeſu omne genu ſe flectat &c. Apoſtolus expreſsè docet. Verùm quàm pro Hæreticis nihil prorſus faciant hæc Scripturæ loca (quæ in iſtorum Scriptis utramq; paginam complent, quæq; ad ravim uſq; ingeminant) liquidò apparebit, poſtquam veram ac genuinam eorundem locorum ſententiam accuratè inveſtigaverim.

§. 17. Ac primò quidem, quod textum attinet S. Johannis cap. 5. v. 27. (ex quo pendet interpretatio v. 22, 23. ejuſdem capitis) varia ſunt, fueruntq; olim, de ſenſu iſtius loci doctorum Virorum judicia. Primò Chryſoſtomus lectionis diſtinctionem vulgò receptam non probat, nec putat omnino conſiſtere ſenſum; cùm Chriſtus non ideo acceperit judicandi poteſtatem, quòd eſſet homo: nam ſi ob id accepiſſet, danda erat eadem omnibus hominibus. Proinde diſtingui jubet ad hunc modum: *Et dedit ei poteſtatem judicium quoq; faciendi*; ut hîc colon intercedat; deinde ſubjiciatur: *Quia filius hominis eſt, nolite mirari hoc*; *quia venit hora &c.* atq; talis ſit ſenſus: *Quod dixi de poteſtate dandi vitam æternam, quod de poteſtate judicandi, ne vobis videatur incredibile, eò quod conſpiciatis hominem eſſe, cùm idem ego etiam filius Dei ſim; quod et ex mortuorum reſurrectione, per me faciendâ, vobis olim manifeſtum fiet.* Hanc Chryſoſtomi diſtinctionem ſuô calculô comprobârunt inter Veteres Cyrillus & Theophylactus, inter Neotericos Vir longè doctiſſimus F. Junius. Neq; ſane temerè rejicienda eſt; ſiquidem Interpres Syrus, cujus inter doctos magna ſemper (neq; id immeritò) fuit autoritas, planè ad eundem modum loci iſtius membra diſtinxerit, textum ita interpretatus: *Ac tribuit ei poteſtatem exercendi quoq; judicii. Quod verò Filius hominis ſit, ne hoc miremini &c.*

§. 18. Secundò, alii vulgarem diſtinctionem retinentes, Dominum noſtrum his verbis ad locum Danielis reſpexiſſe arbitrantur, qui cap. 7. v. 13, 14. vaticinatur, Filio hominis poteſtatem atq; imperium ab antiquo dierum datum iri; quaſi dictum eſſet: *quia ille eſt filius hominis, de quo Daniel prædixit, fore ut ei daretur Dominatus & Regnum in omnes Gentes ſine fine.* Ita locum interpretatus eſt Camero, quem ex parte ſequi videtur Grotius. Sed huic expoſitioni refragatur defectus (ab Eraſmo notatus) articuli in Græco, ubi ſcribitur, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπε ἐςὶ, non ὅτι ὁ υἱὸς τȣ̃ ἀνθρώπε ἐςὶ. Quod tamen omnino ſcribendum erat, ſi de Filio hominis ἐμφατικῶς ſic dicto verba intelligi deberent.

§. 19. Tertiò, Theologorum pars maxima locum hunc de incarnatione atq; exinanitione Filii exponunt hôc modô: Ideo Pater judiciariam poteſtatem Chriſto conceſſit, quòd propter hominum ſalutem, ipſe filius

hominis, hoc eſt homo fieri, & cùm Deus eſſet, vitam humanam induere, eamq; pro hominum ſalute morti exponere, dignatus fuerit. Quare ipſe tantâ ſui exinanitione, quâ voluit fieri homo, moriq; pro hominibus, meruit hanc exaltationem judiciariæ poteſtatis, ut omnium ſit judex, qui omnium fuerit Salvator. Juxta hanc expoſitionem (quæ certè valde probabilis eſt) deſcribit hôc epithetô Chriſtus ſuam illam κένωσιν, de qua agitur Phil. 2. 7. Ubi Apoſtolus hortatur fideles ad animi modeſtiam argumentô ab exemplo Chriſti ductô, qui cùm in forma Dei (h. e. Deus) eſſet, adeoq; Deo Patri reſpectu naturæ ſuæ æqualis, eam tamen cumDeo æqualitatem ſibi non aſſumpſit, non ut Deum ſeſe geſſit, non id palàm patefecit, ab oſtentatione & gloriâ alienus ; ſed ſuâ ſponte ſe demiſit humiliavitq; ſervi formam aſſumens, homoq; factus &c. ideoq; datum eſt ei à Patre ſuo nomen ſuper omne nomen &c. omnino quemadmodum in loco Johannis dicitur, ideo judicandi poteſtatem Filio datam eſſe, quòd is Filius hominis ſit.

§. 20. Deniq; Auguſtinus & Beda ita locum interpretantur, ut ſenſus ſit : Patrem vivos & mortuos judicandi poteſtatem in Filium tranſtuliſſe, *quia filius hominis eſt* h. e. quia perſonam gerebat ad fungendum officium Judicis accommodatam. Quam interpretationem veram eſſe, fidenter pronuntiat doctiſſimus Maldonatus, qui etiam in v. 22. ejuſdem capitis eandem expoſitionem ita explicatiùs tradit : *Pater autem dicitur neminem judicare, non quòd revera non judicet ; quicquid enim una perſona facit extra ſeipſam, ut Theologi definiunt, omnes ſimul perſonæ faciunt ; ſed, quia non judicat ſumptâ perſonâ Judicis, quæ ab hominibus, quos judicat, videatur, cum illis loquatur, ſententiam verbis proferat, deniq; externô ritu formâq; judiciali non judicat, dicitur neminem judicare. Filius autem hôc ſenſu ſolus judicat, quia ſolus homo eſt, qualem eum, qui homines judicet, eſſe convenit*. Propterea tanquam ratio, cur omne judicium Pater Filio dederit, redditur, quia filius hominis eſt.* Vides, quàm variè hic locus exponi poſſit. Jam quamlibet eligas harum interpretationum, eam pro Hæreticis nihil quicquam facere manifeſtum erit. Ut verum fatear, textus obſcurior eſt, & plus aliquantulùm ambiguitatis habet, quàm ut ex eo certi aliquid concludi poſſit.

§.21. Ad locum ex Epiſtola ad Philippenſes allegatum quod attinet, falſum eſt (quod præſumunt Hæretici) ibidem dici, Chriſto mero homini poſt mortem ipſius datum fuiſſe à Patre Divinum in homines imperium. Contrarium docent ipſa loci verba, quæ oſtendunt,eum,qui priuſquam formam ſervi aſſumpſiſſet, hoc eſt, homo factus fuiſſet, in forma Dei, adeoq; Deo æqualem extitiſſe ; & ideo quòd propter hominum ſalutem homo fieri, Deoq; Patri ad mortem uſq; crucis ſe obedientem exhibere ſuſtinuerit, ſummam in cœlis ſublimitatem, adeoq; nomen ſuper omne nomen adeptum fuiſſe. Hujus reſponſionis certa veritas pendet ex interpretatione noſtra verborum, ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων, & μορφὴν δούλου λαβών. Quam veram & genuinam eſſe facilè perſpiciet, quiſquis ſine partium ſtudio atq; attentô animô ſancti Pauli verba expenderit. Duo enim hôc in locô manifeſtè docet Apoſtolus. 1. Servatorem noſtrum in forma Dei fuiſſe ac ſubſtitiſſe, priuſquam formam ſervi aſſumpſerit : nihil hôc clarius. Notatur enim hìc, & in exemplum proponitur ab Apoſtolo admiranda Servatoris noſtri συγκατάβασις, quâ ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων, *cùm in forma Dei eſſet*, ſe exinanivit, μορφὴν δούλου, *ſervi formam aſſumendo.* Omnis autem συγκατάβασις neceſſariò ſupponit ſtatum digniorem *præcedentem*, à quo quis ad inferiorem deſcendit. 2. Chriſtum tunc ſervi formam aſſumpſiſſe, cùm homo factus fuerit. Hoc perſpicuum eſt ex Apoſtoli verbis illis : ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δούλου λαβών, ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος· quæ vetus Interpres Latinus rectè ſic vertit: *Seipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudine hominum factus.* Ubi continua eſt ἐξήγησις, quâ poſterius ſermonis membrum priori ἀμέσως, nullâ conjunctione copulativâ interpoſitâ, ſubjungitur, ipſumq; explicat. Si quæris, quomodo Chriſtus ſeipſum exinanivit ? Reſpondet Apoſtolus, *ſervi formam accipiens.* Si rurſus quæris, quomodo Chriſtus ſervi formam accepit ? reſponſio continuò ſequitur, *in ſimiltudine hominum factus* i. e. homo factus, nobis hominibus, exceptô peccatô, ſimilis. Ex his verò omnino efficitur, Servatorem noſtrum ſubſtitiſſe, idq; in forma Dei, priuſquam humanam naturam, eòq; ſervi formam aſſumpſerit. Quod ut clariùs adhuc eluceſcat, duo apprimè notanda ſunt. 1. Obſervandum eſt, ſervi formam minimè hîc ſignificare, ſervilem hominis conditionem, quatenus ea opponitur ſtatui & conditioni hominis

* *Pater Verbum ſuum viſibile effecit omni fieri carni, incarnatum & ipſum, ut in omnibus manifeſtus fieret Rex eorum. Etenim ea quæ judicantur, oportebat videre Judicem, & ſcire hunc à quo judicantur.* Irenæus *l.* 3. *c.* 9.

nis liberi, ſuiq; juris, quod contendunt Hæretici, & quidam Catholici imprudenter conceſſere. Quippe *forma ſervi* hîc manifeſtè opponitur *formæ Dei*. Ad Deum autem comparata creatura omnis ſervæ formam habet, Deiq; ad obedientiam obſtricta tenetur. Hinc Apoſtolus, poſtquam dixerat, Servatorem noſtrum ſumpſiſſe formam ſervi, in ſimilitudine hominum factum, mox addit : γενόμενος ὑπήκοος, *factus obediens*, nempe Deo Patri. Quod etiam alibi idem Apoſtolus ſignificat, nempe Gal. 4. v. 4. ubi poſtquam dixerat, Deum Patrem in plenitudine temporis emiſiſſe filium ſuum, ex muliere factum, continuò ſubjungit : γενόμενον ὑπὸ νόμον. *factum ſub Lege*. Tunc igitur Dominus noſter ſervi formam accepit, cùm creatam, h. e. humanam, naturam aſſumpſit, inq; eâ naturâ Deo Patri obediens factus fuit. 2ò. Notanda eſt elegans gradatio in verbis Apoſtoli, exinanitionem Chriſti deſcribentis, quæ Catholicorum interpretatione ſarta tecta conſervatur, Hæreticorum verò commentô obſcuratur, imò prorſus tollitur. Chriſtus, inquit Apoſtolus, ſe ipſum exinanivit, ſervi formam aſſumens. Quod de ipſo dici potuit, ſi Angelicam naturam aſſumpſiſſet, ſiquidem Angeli ipſi Dei ſervi & miniſtri ſunt. Itaq; ſubjungit Apoſtolus : *in ſimilitudine hominum factus*, adeoq; Angelis paulò minor, Heb. 2. v. 9. coll. verſ. 16. Sequitur : *& habitu inventus ut homo, humiliavit ſemet ipſum factus obediens, &c.* Non ſolùm, cùm Deus eſſet, naturam aſſumpſit humanam; verùm etiam in eâ ſe vehementer humiliavit atq; dejecit, factus in omnibus Patri obediens, etiam ad mortem uſque, eamq; mortem crucis, mortem cruentam, infamem, & ignominioſam. Cæterùm ut verba Apoſtoli, quibus deſcribit ſtatum, in quo filius Dei fuit ante exinanitionem ſuam, pleniùs intelligantur; omnino repetendum eſt, quod antea notavimus, nempe formam Dei, & formam ſervi, ſive ſimilitudinem hominum, ſibi invicem opponi. Quemadmodum igitur Chriſtus ita in ſimilitudine hominum factus eſt, ut verus ipſe homo fuerit; ſic etiam ita in forma Dei eſt, ut verus ipſe Deus ſit. Præterea ex hac ipsa oppoſitione inter formam Dei, & formam ſervi, firmiter colligi poteſt adverſus, Arianos, naturam, in qua ſubſtitit Filius Dei ante ſuam ἐνσάρκωσιν, minimè creatam fuiſſe. Nimirum tunc demum ſervi formam accepit Dei filius, cùm naturam creatam aſſumpſit, in ſimilitudine hominum factus; antea in forma ſervi neutiquam fuit, ſed in forma Dei ſubſtitit. Atqui juxta Arianos, qui Filium Dei pro creatura habuere, filius ille ſemper, etiam ante incarnationem, in forma ſervi fuit; ſiquidem omnis creatura, etiam excellentiſſima, (ut modò dixi) ad Deum collata, ſervæ formam habet, Deiq; ad ſervitium & obedientiam obſtricta tenetur. Hinc autem efficitur, Filium Dei ſecundum excellentiorem illam naturam, in qua ſubſtitit ante incarnationem, Deo Patri ſuo æqualem eſſe; quod etiam ab Apoſtolo in verbis ſequentibus manifeſtè docetur. Vide omnino quæ ex primævis Patribus, nempe Herma, Clemente Romano, & Juſtino Martyre ad loci hujus elucidationem adduximus Defenſ. Fid. Nic. Sect. 2. cap. 2. §. 2. & cap. 3. §. 4. & cap. 4. §. 7. Ex his verò tandem liquet, Sociniſtas fruſtra omnino, adeoq; in cauſæ ſuæ ruinam, hunc Apoſtoli locum appellâſſe.

§. 22. Cæterùm quæri hîc poteſt, quomodo ex hypotheſi noſtra, quâ Filius Deus ex Deo, adeoq; ejuſdem cum Patre Deo gloriæ particeps, ante conditum mundum ſtatuitur, intelligi poſſit, divinum ipſi imperium demum poſt paſſionem ac reſurrectionem ipſius traditum fuiſſe? Reſp. Triplici id modô intelligi poteſt. 1ò. Ad eum modum, qùod Filius Dei, peractô in terris humanæ redemptionis opere, novô ac reali titulô divinum in homines imperium, adeoq; divinum ſibimet ab hominibus honorem exhibendum acquiſiverit; titulô nempe Servatoris, ſive Redemptoris. Rem optimè explicat doctiſſimus Jackſonius noſter in Commentariis ſuis in Symbolum Apoſtolicum, his verbis : *Deus Pater, etiamſi mundum hunc viſibilem nunquam creâſſet, manſiſſet tamen haud minùs glorioſus, quàm nunc eſt : nimirum creatio multum quidem dedit, imò totum quod habent, rebus creatis; Deo verò eſſentiâ infinito nihil. Nihilominus ſi Deus nihil quicquam creâſſet, attributum Creatoris reali caruiſſet fundamentô, adeoq; verum ac reale Dei attributum non fuiſſet Similem prorſus in modum fingas Dei Filium nunquam eò deſcendiſſe, ut noſtram ſibimet naturam aſſumeret, manſiſſet quidem haud minùs glorioſus, quod ad naturam ac perſonam ipſius attinet, quàm nunc eſt : non tamen glorificatus fuiſſet per vel propter hunc titulum ſive attributum* incarnationis. *Vel fingas, eundem Dei Filium ſe nunquam humiliâſſe ad mortem uſque, aſſumptâ ſibimet ſervi formâ,* (ſcilicet in hoc uno hallucinatus eſt Vir doctus, quòd μορφὴν δούλου ad infimum exinanitionis Chriſti gradum retulerit) *manſiſſet certè haud minùs glorioſus, tum quod ad naturam ac perſonam ipſius, tum quod ad attributum incarnationis attinet, quàm nunc eſt : nihilominus magnificis*

Comment. in Symb. Apoſtolic. lib. 11. c. 3. p. 3315.

magnificis illis titulis, quibus DOMINUS, *ac* REDEMPTOR NOSTER, *& fons nobis gratiæ ac ſalutis jam audit, caruiſſet. Hæc omnia attributa ſunt realia, adeoq; ſupponunt fundamentum reale, nempe quòd humiliaverit ſeipſum Chriſtus uſq; ad mortem, eamq; mortem crucis. Neq; tantùm realia ſunt hæc attributa, ſed & magis honorifica, (tum reſpectu Dei Patris, qui ex beneplacito ſuo unigenitum ſuum filium pro nobis dederit, tum reſpectu Dei Filii, cui placuerit ſuâ ipſius exinanitione redemptionis noſtræ pretium ſolvere) quàm eſt creationis attributum. Itaq; Filius etiam Dei, non ſolùm DAVIDIS Filius, poſt mortem exaltatus eſt, novô ac reali titulô, titulô nempe* REDEMPTIONIS *ac* SALUTIS.

§. 23. Hoc dubiô procul ſignificare voluit Apoſtolus in loco ad Phil. modò laudato, ubi docet, Chriſtum (qui, ut filius Dei, antequam homo factus fuit, in forma Dei erat, Deoq; Patri æqualis) poſt mortem ita à Deo Patre exaltatum eſſe, ut jam omnes homines de jure teneantur confiteri, ipſum eſſe Dominum v. 11. ſcil. reſpectu novi tituli, quatenus pretioſô ſuô ſanguine humanum genus redemit, ut jam non ſui juris eſſent, ſed ipſius ſervi, quaſi pretiô empti. Confer 1. Cor. 6. ult. & 7. 22. 23. & 1 Pet. 1. 19. præcipuè verò Rom. 14. 8. 9. Meritum autem hujus tituli magnificis verbis in Apocalypſi, idq; non uno in loco, exprimitur. In capite 5. v. 9. quatuor animalia & viginti quatuor Seniores canticum hoc novum Agno Dei canunt: *Dignus es qui accipias librum, & aperias ejus ſigilla, quoniam mactatus es, et redemiſti nos Deo per ſanguinem tuum ex omni tribu & lingua & populo & natione.* Dein v. 12. canit Angelorum chorus: *Dignus eſt agnus ille mactatus, qui accipiat poteſtatem & divitias & ſapientiam & vires & honorem & gloriam & benedictionem.* Hîc honos divinus Filio tribuitur ſub titulo redemptionis ; planè quemadmodum Deo Patri ſub creationis titulo, cap. 4. ult. *Dignus es Domine qui accipias gloriam & honorem, & virtutem : quia tu condidiſti omnia, & per voluntatem tuam ſunt, & creata ſunt.* Propter opus creationis glorificatur Deus Pater, non quaſi ob eandem cauſam non et Filius glorificandus eſſet, per quem omnia facta ſint, Jo. 1. 3. Col. 1. 16. ſed quòd Pater fons Deitatis ſit, à quo Filius tum naturam, tum operationes divinas acceperit. Propter opus humanæ redemptionis glorificatus eſt Deus Filius, non quaſi ob eandem cauſam non & Deus Pater glorificandus eſſet ; (quippe qui ex ſua in genus humanum infinita miſericordia filium ſuum ob hominum ſalutem in mundum miſerit Jo. 3. 16.) verùm quia filius ſolus naturam humanam aſſumpſit, atq; in ea natura obediens uſq; ad mortem factus fuit, idcirco opus humanæ redemptionis Filio in Scripturis quaſi appropriatè tribuitur.

§. 24. Hinc autem, quòd Filius per ſuam humiliationem juſtô titulô ac jure meritiſſimô divinum ſibimet in homines imperium atq; honorem acquiſiverit, (ut obiter id notem) firmum pro ipſius Divinitate argumentum licet colligere hunc in modum:

Quiſquis juſtô titulô divinum in homines imperium ac divinos honores acquiſivit, ut is Deus ſit neceſſe eſt :

Atqui Filius juſtô titulô ac meritiſſimô jure divinum ſibimet in homines imperium acquiſivit, *&c.* Ergo, *&c.*

Minorem agnoſcunt Hæretici, neq; ipſis eô nomine gratias habemus, cùm illa evidentiſſimè probetur ex modò citatis Scripturæ locis, quæ docent, non magis Patri ut Creatori, quàm Filio ut Redemptori, imperium atq; honorem divinum jure meritô deberi. Ad Majorem autem quod attinet, de ea nemo ſanus dubitare poteſt. Certum enim eſt, atq; apud ipſos Adverſarios in confeſſo, nullam creaturam poſſe ex condigno mereri æternam illam gloriam ac fælicitatem, cujus vel ſancti homines in altero ſæculo participes futuri ſunt. Quantò magis non modò abſurdum, ſed dictu etiam horrendum eſt, φιλὸν ἄνθρωπον divinos honores poſſe mereri, atq; ipſum Dei thronum acquirere ? Finge cum Socino, Chriſtum purum putum fuiſſe hominem ; quomodo in obedientia ipſius hujuſmodi meritum inveneris ? Homo cum fuerit, ut quivis ex vulgaribus hominibus conſpectus eſt, mortem obiit, eamq; verò, Deo ita volente, mortem crucis. Quid autem præclarum fecit Chriſtus, quod non (ſi fides habenda ſit Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ)& Petrus Chriſti Apoſtolus fecit ? Num igitur, ut homo, quibuscunq; ſuis paſſionibus vel Sanctorum coronam mereri potuit? Nequaquam. De paſſionibus enim hominum univerſim illud Apoſtoli verum eſt : Λογίζομαι ὅτι οὐκ ἄξια τὰ παθήματα τοῦ νῦν καιροῦ πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς. Rom. 8. 18. Quantò igitur minùs, ſi merus homo fuiſſet, potuit Chriſtus paſſione ſuâ divinos ſibimet honores promereri ? Contrà, ſi juxtim cum Apoſtolo Paulo concipias filium Dei, priùs in forma Dei EXISTENTEM, adeoq; ipſi Deo Patri reſpectu naturæ ſuæ æqualem,

æqualem, dein formam ſervi aſſumentem, atq; hominem factum, deniq; in hac natura Deo Patri obedientem uſq; ad mortem, eamque mortem crucis, infinita condeſcenſio atq; adeo infinitum meritum mox clariſſimè eluceſcet. Verùm iſta obiter. Hæc autem prima ac præcipua cauſa eſt, ob quam Filio Dei, divinæ naturæ atq; honoris unà cum Deo Patre ante conditum mundum participi, poſt mortem ipſius novum quaſi divinum imperium in Scripturis tribuatur, quòd ſcil. poſt peractum redemptionis opus, imperium illud ſibimet novô titulô acquiſiverit. Vide quæ ſcripſimus Def. Fidei Nic. Sect. 2. cap. 3. §. 15.

§. 25. 2º. Poteſt hoc idem intelligi de nova & illuſtri manifeſtatione gloriæ ac divinæ Majeſtatis Filii Dei, poſt ejus reſurrectionem atq; in cœlos aſcenſum per totum fere terrarum orbem factâ. Dum in terris ageret Filius, erat ἐν σχήματι ἐυρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, nempe merus, nihilq; majus homine præ ſe ferebat, niſi quòd in miraculis ſcintillulæ quædam divinæ Majeſtatis per nubem humanæ carnis ſubinde emicarent. At poſt aſcenſum in cœlos miris modis illuſtris facta eſt Filii gloria, per Spiritum ſanctum ab ipſo in Apoſtolos effuſum, per ſtupenda miracula in nomine ejus ab Apoſtolis facta, per Evangelium ipſius ubiq; gentium promulgatum, baptizatis etiam qui Evangelio crediderunt, non modò Patris, ſed et Filii & Spiritûs ſancti nomine. — Eò illuſtrior fuit hæc Filii divinæ Majeſtatis patefactio, quòd non modò dum inter homines in humana carne verſaretur, ſed etiam per retro acta ſæcula Divinitas ejus vel prorſus ignota fuerit, vel certè ἀμυδρῶς tantùm & ſubobſcurè cognita. Quâ de re præclarè Tertullianus adverſ. Prax. prope finem: *Sic Deus voluit novare Sacramentum, ut novè unus crederetur per Filium & Spiritum, ut coràm jam Deus in ſuis propriis nominibus cognoſceretur, qui & retrò per Filium & Spiritum prædicatus non intelligebatur.* Meritò igitur novum quaſi divinum imperium Filio poſt reſurrectionem ipſius datum eſſe dicitur, quòd ante id temporis (etiamſi ut λόγος Dei, per quem omnia creata ſunt, divinum unà cum Deo Patre imperium in homines à condito mundo exercuerit, tamen) divina ipſius Majeſtas atq; imperium hominibus vix innotuerit.

§. 26. Hoc illud ipſum eſt (niſi mens tota caligat) quod voluit divinus Author Epiſtolæ ad Hebræos ca. 1. v. 1, 2, 3. *Multifariàm & multis modis olim Deus locutus Patribus per Prophetas, ultimis hiſce diebus locutus eſt nobis per Filium ſuum, quem conſtituit hæredem omnium, per quem etiam ſæcula fecerat: qui cum ſplendor eſſet gloriæ ejus & character eſſentiæ ejus, gubernaretq; omnia verbô illô ſuô potente, purificatione peccatorum noſtrorum per ſeipſum factâ, ſedit ad dextram Majeſtatis illius in locis excelſiſſimis.* In quibus verbis ſanctus Scriptor tum novam manifeſtationem, tum novum titulum divini Filii imperii non obſcurè exprimit: novam manifeſtationem v. 2. ubi oſtendit Filium quidem ultimis demum temporibus ſe in carne manifeſtâſſe, ac poſt peractum in carne iſta humanæ redemptionis opus, hæredem ac Dominum omnium promulgatô Patris decretô conſtitutum fuiſſe: non tamen ab eo tempore imperium ejus initium cepiſſe, cùm is ſit, per quem Deus mundum ipſum creaverit, quiq; (ut mox ſequitur) unà cum Deo Patre cuncta à condito mundo, divinâ ſuâ providentiâ adminiſtraverit. Sic de Filio Dei & Ignatius in Epiſt. ad Magnes. ὃς πρὸ *P. 33.* αἰώνων παρὰ πατρὶ ἦν, καὶ ἐν τέλει ἐφάνη. i. e. *Qui ante ſæcula apud Patrem erat, & in fine apparuit.* Sic poſt Ignatium Juſtinus in Epiſt. ad Diognetum: ἔτος ὁ ἀπ' ἀρχῆς, ὁ καινὸς φανεὶς. Et, ἔτος ὁ ἀεὶ, σήμερον υἱὸς λογισθείς. Idem Juſtin. alibi: τότε γένεσιν αὐτὸν λέγων γίνεσθαι τοῖς ἀνθρώποις ἐξότε ἡ γνῶσις αὐτοῦ ἔμελλε γίνεσθαι, Dial. cum Tryph. p. 316. Novum verò titulum declarat divinus Author v. 3. ubi docet, quòd Filius Dei, cùm eſſet ſplendor gloriæ & character eſſentiæ paternæ, & is qui cuncta adminiſtrat potentiſſimô ſuô verbô, tamen per ſeipſum fecerit purgationem peccatorum noſtrorum, aſſumptâ ſcil. carne noſtrâ in qua pro nobis mortuus eſt: eâq; purgatione peractâ, thronum divinæ Majeſtatis in excelſiſſimis conſcenderit, ut qui juſtiſſimô titulô ſedem illam fuerit promeritus. Magna autem eſt emphaſis verborum, δι' ἑαυτοῦ καθαρισμὸν ἐποίησε &c. Iis enim ſignificatur, Filium illum Dei, ſplendorem Paternæ gloriæ &c. alium hujus purgationis miniſtrum non conſtituiſſe, ſed aſſumpſiſſe carnem humanam in unitatem divinæ ſuæ perſonæ, eâq; in carne obtuliſſe ſemetipſum ſacrificium pro peccatis. Eâdem emphaſi Deus vel Dominus alibi dicitur acquiſiviſſe Eccleſiam διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος, Act. 20. 28. ubi vetuſtiſſimus ille Codex Alexandrin. habet, διὰ τοῦ αἵματος τοῦ ἰδίου, quod eſt adhuc ἐμφατικώτερον. Vis autem interpretationis noſtræ præcipua in verbis illis, δι' ἑαυτοῦ καθαρισμὸν ἐποίησε, ſita eſt: quæ de creatione mundi propriè ſic dictâ debere omnino intelligi, alibi fusè & clariſſimè oſtendimus. Quô poſitô, ex hoc loco manifeſtum eſt, Filium quidem Dei ante omnia ſæcula *Vid. Jud. Eccl. Cath. cap. 5. §. 8.*

unà cum Deo Patre, idq; in paterna natura & gloria, extitiſſe, mundum dein hunc univerſum per ipſum fuiſſe conditum, quem & deinceps juſſu atq; imperiô ſuô omnipotente rexerit gubernaveritque: nihilominus divinum illud Filii imperium uſq; ad noviſſima Evangelii tempora quaſi latuiſſe, ac tum demum patefactum fuiſſe cùm Filius aſſumptâ naturâ humanâ, ad mortem uſq; pro hominum ſalute ſe humiliâſſet, itaq; quaſi novô juſtiſſimôq; titulô divinum ſibimet in homines imperium acquiſiviſſet.

§. 27. Ac profectò admiranda mihi videtur divinarum perſonarum in ſacroſanctiſſima Triade οἰκονομία, quâ unaquæque perſona diſtinctô quaſi titulô humanum imprimis genus imperio ſuo divino obſtrinxerit, titulô illi reſpondente etiam diſtinctâ uniuſcujuſque imperii patefactione. Patrem colimus ſub titulo Creatoris hujus univerſi, qui et ab ipſa mundi creatione hominibus innotuerit; Filium adoramus ſub titulo Redemptoris ac Servatoris noſtri, cujus idcirco divina gloria atq; imperium non niſi poſt peractum in terris humanæ redemptionis ac ſalutis negotium fuerit patefactum. Spiritum deniq; ſanctum veneramur ſub titulo Paracleti, Illuminatoris, ac Sanctificatoris noſtri, cujus adeo divina Majeſtas demum poſt deſcenſum ejus in Apoſtolos primoſq; Chriſtianos, donorum omne genus copioſiſſimâ largitione illuſtriſſimum, clariùs emicuerit. Nimirum tum demum Apoſtoli, idq; ex Chriſti mandato, Gentes baptizabant in *plenam atq; adunatam Trinitatem* (ut cum Cypriano loquar) h. e. in nomine Patris, Filii, & Spiritûs ſancti. Hoc illud ipſum eſt, quod voluit Tertullianus in lib. de Baptiſmo ca. 11. ubi rationem reddens, cur Chriſtus ipſe non tinxerit: *In quem* (inquit) *tingeret? in pœnitentiam? quò ergo illi præcurſorem? in peccatorum remiſſionem, quam verbo dabat? in ſemet ipſum, quem humilitate celabat? in Spiritum ſanctum, qui nondum à Patre deſcenderat? &c.* Poſt hanc patefactionem, quâ divina natura in diſtinctis ſuis perſonis cognoſcitur, jure obligantur, atq; ex præcepto divino tenentur omnes, quibus iſta revelatio facta eſt, eundem divinum cultum atq; honorem, quem Patri deferunt, etiam Filio deferre: cùm antea ſufficeret piis in Dei populo, unum Deum omnium Parentem, ſine illa perſonarum diſtincta agnitione, colere atq; adorare. Hinc effata illa, ſub Evangelio requiri, *ut omnes honorent Filium, quemadmodum honorant Patrem*, Joh. 5. 23. et, *Quiſquis negat Filium, nec habet Patrem*, 1 Joh. 2. 23.

Epiſt. ad Jubaj. de Hæretic. Bapt.

§. 28. Reſtat tertius ille modus, quô Filio Dei, ante ſæcula ex Deo Patre Deo, novum quaſi divinum imperium in Scripturis tribuitur. Scil. Filius Dei in aſſumpta natura humana, quâ ſeſe exinanivit, quâq; ad mortem uſq; crucis Patri obediens fuit, poſt reſurrectionem verè ac propriè exaltatus eſt, atq; ad dextram Patris evectus. Quicquid autem naturæ humanæ tam in exinanitione, quàm in exaltatione ſua acceſſit, διὰ ἄκραν καὶ ἀνυπέρβλητον κοινωνίαν, *propter ſummam atq; ineffabilem ejuſdem cum perſona divina Filii Dei communionem* (ita ὑποστατικὴν ἕνωσιν exprimit Origenes) in Scripturis Filio etiam Dei meritò tribuitur. Sic qui in forma Dei erat, Deoq; æqualis, obediens uſq; ad mortem crucis factus; qui ſplendor paternæ gloriæ, cujuſq; potentiſſimô juſſu atq; imperiô cuncta adminiſtrata erant, per ſeipſum purgationem peccatorum feciſſe; qui ὁ ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς, occiſus, Act. 3. 15. qui κύριος τῆς δόξης, crucifixus dicitur 1 Cor. 2. 8. Sic contrà Deus (Filius ſcil.) dicitur à Paulo ἀναλαμβάνεσθαι ἐν δόξῃ, *aſſumptus in gloria*, 1 Tim. 3. 16. nempe in carne illa, in qua ἐφανερώθη. Atq; huc referenda mihi videntur Servatoris verba in precatione, quam ad Patrem jam moriturus effudit, Joh. 17. 4, 5. *Ego te clarificavi in terra: opus conſummavi, quod dediſti mihi ut facerem: & nunc clarifica me, Pater, apud temetipſum claritate, quam habui, priuſquam mundus eſſet, apud te.* Petit ſcil. Chriſtus, ut gloria, quam divina ſemper natura, etiam antequam mundus fieret, apud Patrem habuiſſet, nunc ad humanam quoq; naturam derivetur, non ſolùm reſuſcitando illam à mortuis, & in cœlum evehendo, ſed ad dextram etiam Patris, ubi ſemper divina fuerat, collocando. Fruſtra autem Hæretici vim hujus loci elevare conantur, ipſum de prædeſtinatione divina interpretando, quemadmodum Patres ipſorum olim fecerunt *. Neq; enim eam interpretationem ullo ex S. Scripturis ſatis aptô exemplô confirmare poſſunt. Quod enim obtendunt, ſimilem loquendi modum reperiri 2 Tim. 1. 9. ubi Apoſtolus de credentibus ait, *illis datam fuiſſe gratiam ante tempora ſecularia*, id verò falſiſſimum eſt. Proferantur ipſius loci verba integra: τοῦ σώσαντος ἡμᾶς καὶ καλέσαντος κλήσει ἁγίᾳ· οὐ κατὰ τὰ ἔργα ἡμῶν, ἀλλὰ κατ' ἰδίαν πρόθεσιν, καὶ χάριν δοθεῖσαν ἡμῖν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ πρὸ χρόνων αἰωνίων. *Qui ſervavit nos, et vocavit vocatione ſanctâ, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum ſuum propoſitum & gratiam, datam nobis ante tempora ſecularia.* Quanta inter hunc locum & eum, de quo agimus, diſcrepantia! Nam primò non ſimpliciter dicit Apoſtolus, κατὰ χάριν

Cont. Cels. lib. 6. p. 309.

* *Vide Novat. de Trinit.*

χάριν δοθεῖσαν, *ſecundùm gratiam datam*, ſed κατὰ πρόθεσιν & χάριν δοθεῖσαν, *ſecundùm propoſitum et gratiam datam.* Quæ verba vel figuram continent, quam ἓν διὰ δυοῖν appellare ſolemus, *propoſitum & gratiam* pro *propoſitum gratioſum* (ut mox v. 10. ζωὴν & ἀφθαρσίαν, *vitam & incorruptionem* pro *vitam incorruptam*;) vel certè manifeſtum hunc ſenſum præ ſe ferunt: *Secundùm gratiam, quam propoſuit ſeu decrevit Deus ante tempora ſecularia nobis in Chriſto dare.* Deinde Chriſtus non dicit: *Gloria, quam* dediſti mihi, *antequam mundus erat*; ſed, *quam* habui. Qui autem inter hæc duo diſcrimen non videat, parum quidem videt. Dari enim tum quidem gratia à Deo dici poteſt, reſpectu certitudinis illius προθέσεως, quâ futuris pòſt ſeculis iſtam in Chriſto gratiam fideles habituros decrevit Deus, licet actu nec ea, nec illi tum extitere, qui tum haberent, quod dabatur iis. Eſt autem *habere* verbum poſſeſſivum, atq; actum & fruitionem preſentem deſignat; ut rectè hîc adnotavit Reverendus Epiſcopus Elienſis, Loc. Script. aſſert. contra Catech. Racov. Sect. 23. Deniq; in verbis Chriſti eſt: *Gloria quam habui* παρά σοι, *apud te*, nempe unà tecum exiſtens. Neq; dubitandum eſt, hæc Chriſti verba: *Gloria, quam, antequam mundus eſſet, habui apud te*, eundem habere ſenſum cum dicto Johannis, initio Evangelii, τὸν λόγον fuiſſe *in principio* πρὸς θεὸν, *apud Deum*, nempe Patrem. Cæterùm quomodo humana Chriſti natura, in cœlis exaltata, divinæ gloriæ atq; honoris particeps ſit, oſtendimus Defens Fid. Nic. Sect. 2. cap. 3. & 15.

§. 30. Atq; hactenus de adoratione Jeſu Chriſti diſſeruimus, ac de argumento inde ab Juſtino aliisq; Patribus ad probandam ipſius Divinitatem deducto. Ex quibus omnibus jam ſatis liquere arbitror, optimorum Virorum religionem, quâ ψιλὸν ἄνθρωπον divinô cultu proſequi horrebant, vanam, puerilem, ſuperſtitioſam (qualis ſuperbo Patrum Contemptori Zuickero viſa eſt) non fuiſſe, ſed juſtiſſimis, imò et invictiſſimis rationibus ſubnixam; quas ipſi cum Sociis ſuis ἀνθρωπολάτραις longè facilius fuit contemnere, quàm ſolidè unquam refutare.

DEO ſoli, Patri, Filio & Spiritui Sancto tribuatur adoratio & benedictio in Sæcula Sæculorum, Amen.

CAPI-

CAPITULA
Hujus Tractatus.

INTRODUCTIO. Pag. 1.

CAP. I.

Juſtinum non fuiſſe, qui primus doctrinam de Servatoris noſtri præ-exiſtentia ante conditum mundum, deq; Creatione omnium per ipſum, in Eccleſias Chriſtianas introduxerit. Pag. 2.

CAP. II.

Juſtinum non fuiſſe Simonianorum fraudibus circumventum, neq; ſententiam de Filii Divinitate è Schola Simonis prodiiſſe. Pag. 9.

CAP. III.

De Hegeſippo, ejusq; de perſona Jeſu Chriſti ſententia. Pag. 12.

CAP. IV.

De Orphicis Carminibus, atq; (ὡς ἐν παρόδῳ) de Oraculis Sibyllinis, à Juſtino aliisque Veteribus contra Gentes allegatis. Pag. 19.

CAP. V.

Juſtinum ea quæ περὶ τοῦ Λόγου diſſerit, in Schola Platonis non fuiſſe edoctum. Pag. 24.

CAP. VI.

Juſtinum à Paganiſmo pluriumq; Deorum cultu toto animo abhorruiſſe. Argumentum, quô Juſtinus aliiq; Veteres Chriſti Divinitatem adſtruxerunt, à cultu verè divinô, ipſi in S. Scripturis conceſſô, eſſe invictiſſimum. Pag. 29.

FINIS.

Harmonia Apoſtolica,

SEU,

BINÆ DISSERTATIONES,

Quarum in Priore

Doctrina D. JACOBI de Juſtificatione ex operibus Explanatur ac Defenditur:

In Poſteriore

Conſenſus D. PAULI cum JACOBO liquidò Demonſtratur.

AUTHORE

GEORGIO BULLO,

Anglicanæ Eccleſiæ Presbytero, ac *Suddingtoniæ*, quæ nuncupatur Sanctæ *Mariæ*, in Diœceſi *Glouceſtrienſi* Rectore.

Clem. Alexand. Strom. 6.

Ἅπαντα ὀρθὰ ἐνώπιον τῶν συνιέντων, φησὶν ἡ γραφή· τοῦτ' ἔστι τῶν ὅσοι ὑπ' αὐτοῦ σαφηνισθεῖσαν τῶν γραφῶν ἐξήγησιν κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα ἐκδεχόμενοι διασώζουσι· κανὼν δὲ ἐκκλησιαστικὸς ἡ συνῳδία καὶ ἡ συμφωνία νόμου τε καὶ προφητῶν τῇ κατὰ τὴν τοῦ Κυρίου παρουσίαν παραδιδομένῃ διαθήκῃ.

Ignat. Epiſt. ad Epheſios.

Οὐδὲν λανθάνει ὑμᾶς, ἐὰν τελείως εἰς Ἰησοῦν Χριστὸν ἔχητε τὴν πίστιν, καὶ τὴν ἀγάπην, ἥτις ἐστὶν ἀρχὴ ζωῆς καὶ τέλος. Ἀρχὴ μὲν πίστις, τέλος δὲ ἀγάπη. Τὰ δὲ δύο ἐν ἑνότητι γενόμενα, Θεοῦ ἐστίν. Τὰ δὲ ἄλλα πάντα εἰς καλοκαγαθίαν ἀκόλουθά ἐστι.

Acceſſere in hac Editione Annotata quædam *I. E. GRABE.*

LONDINI,

Impenſis *Richardi Smith*, ad Inſigne Angeli & Bibliorum extra Temple-Bar. MDCCIII.

Imprimatur.

Tho. Tomkyns, *RR in Chriſto Patri ac Domino D^no^* Gilberto, *Divinâ Providentiâ Archi-Epiſc. Cant. à Sac. Dom.*

Ex æd. Lambeth. *Apr.* 19, 1669.

Reverendo in Chriſto Patri ac Domino ſuo,
ſummè honorando Domino

GULIELMO,

Gratiosâ boniſq; omnibus gratiſſimâ Dei Providentiâ *Glouceſtrienſi* Epiſcopo.

Honoratiſſime Domine,

LIbellus iſte, qui tuis ſub auſpiciis prælum adiit, prælo emancipatus ad te revertitur; fretuſq; benevolentiæ tuæ jam expertæ fiduciâ, atq; adeo de eadem in futurum impetranda penè ſecurus, ad Nominis tui laudatiſſimi umbram ac Patrocinium ſe tutò recipit. Mirum in modum mihi placebat Ignatianum illud: Μηδεὶς χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου τι πρασσέτω τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν ἐκκλησίαν. Ideóq; certum erat, nihil Theologicum, te inconſultô, in lucem edere. Has itaq; diſſertatiunculas in chartulis (iiſq; minùs nitidè (quàm potui tamen nitidiſſimè) exaratis) adhuc latitantes, tibi imprimis ſiſtendas curavi, pro ſententia tua vel æternis tenebris occultandas, vel prælo excudendas. Perlegiſti (neq; id feſtinanter) ſingula utriuſq; Diſſertationis capita, patientiâ tuâ prolixitatis tædium devorante; perlecta comprobâſti tuo calculo, quin et (pro benevolo, quô me meáque omnia complecti ſolitus es, affectu) tuis laudibus condecorâſti.

Epiſt. ad Smyrn. p. 6. Edit. Voſſii.

Quid cauſæ eſt igitur, quamobrem aſpectum tuum reformidet ſcriptum hoc noſtrum, Typographiâ egreſſum, quod tibi priùs adeo placuerit?

Epiſtola Nuncupatoria.

Hâc autem qualicunque opellâ, Reverendæ tuæ Paternitati conſecratâ, velim omnibus teſtatam meam adverſùm te gratitudinem. Quanto me favore complexus ſis, jamdudùm nôrunt fere omnes, quotquot me noverint. Tuâ imprimis ope in hac Diœceſi ſors mihi obtigit vivendi non incommoda ; Tu nobis, ut ſtudiis iſtis vacaremus, otium feciſti.

At quorſum hæc commemorem? Tot ac tam præclaræ in te virtutes reluxerunt, ut vel eorum, quibus neque de facie, neque ullo (quod aiunt) beneficio innoteſcis, amorem tibi atque adeo venerationem conciliaveris. Eruditionem tuam ſcripta teſtantur palàm edita. Prudentiam, animum moderatum, modeſtiam, ſummam gravitatem ſingulari comitate condítam, illibatam denique vitæ ſanctitatem exoſculatur non modò Glouceſtria tua, ſed & Anglia penè univerſa.

Deum Opt. Max. ut has tibi eximias animi dotes conſervet atque augeat, diu te huic Cathedræ incolumem cuſtodiat, nobiſque ſerum tui in cœlos reditum indulgeat, ex animo veneratur,

Reverendæ tuæ Paternitati devinctiſſimus

G. B.

PRÆ-

PRÆMONITIO AD LECTOREM.

DIſſertationes haſce aliô fine (quem ut cognitum habeas, parùm refert) primùm incœptas, ac pro breviculâ tantùm & horariâ exercitatione propoſitas, dein profluente copiâ & quaſi æſtu inventionis, & (quod in tam fœcunda materia uſu veniſſe nihil mirum eſt) aliâ ex alia ſubnaſcente difficultate, ad hanc uſq; molem perductas, typis demum excuſas tibi, Lector benevole, tuóq; candori exhibemus. Si audaciæ me inſimulas, quod opus adeo impolitum in lucem emittere, doctíq; hujus ſæculi limatis judiciis ſubjicere non ſim veritus; factum non defendo tritis Scriptorum Apologiis. Id fecimus, non tam victi amicorum importunitate, (quanquam neq; eorum deerant ſuffragia) quàm perſuaſione adducti, fore, ut ex hoc noſtro qualicunq; labore tyronibus ſaltem in S. Theologia atq; in Paulinis Epiſtolis minùs exercitatis aliqua accederet utilitas. Horum judiciis in hac ſummè neceſſaria controverſia ritè formandis ſi opus hoc levidenſe vel tantillùm inſerviat, ſi ad S. Paulum legendum (aſſiduâ certè lectione digniſſimum) ita iis adjumento futurum ſit, ut ne δυσνόητα, quæ apud eum (in hac imprimis quæſtione) non pauca occurrunt, in ſuam, gregíſq; ſuæ curæ in poſterum tradendi, perniciem diſtorqueant; ſi deniq; adverſus Solifidianiſmum iſtum, ſeu veriùs Libertiniſmum, (quem nonnulli in hac temporum fœce propalam & γυμνῇ κεφαλῇ docuerunt, pleriq; inanibus diſtinctiunculis incruſtatum in concionibus, in ſcriptis, auditoribus, lectoribus ſuis inſinuârunt, atq; etiamnum inſinuant) opportunum iis antidotum porrexerit, ſatis ſupérq; habeo; aliorum ſuas ſemel receptas hypotheſes perditè amantium ſupercilia, odia, convitia flocci fecero. In materia certè utiliſſima verſamur, quæq; à nemine adhuc (quod ſciam) pleno ac juſto volumine adornata ſit. Itaq; dum prodeant meliora, his mecum utatur Lector candidus; ſed eâ lege, ne expectet vel lautitias ac Veneres vocum, rerum perſpicuitate (in argumento præſertim tam aſpero, tam difficili) contentus: vel methodum accuratam; ſiquidem proprii ingenii ductum ſecuti, nobiſq; magis quàm aliis ſcribentes, ſingula fere, prout occurrebant atq; in mentem venerunt, explicavimus. Hinc quædam locô non ſuô (quanquam, ut ſpero, non prorſus alienô) reperies. Alicubi (in poſteriori imprimis diſſertatione) παρεκβάσεις offendes

&

Præmonitio ad Lectorem.

& διεξόδους satis prolixas, quæ ne tibi offendiculo sint, memineris, neq; inutiles eas esse, neq; omnino ἀπεροδιονύσους. Si præterea in Paulinis Epistolis explicandis, loci unius aut alterius sensum minùs feliciter assecutus sim, ab æquo Lectore (qui ad summam rei & scopum Apostoli attenderit) veniam me facilè impetraturum confido.

Quod reliquum est, si quid fructùs ex hoc scripto nostro perceperis, de eo primùm Deo, omnis boni fonti ac largitori, gratias agas; dein Autorem, de Evangelica licet justitia disputantem, peccatorum tamen (quod res est; & ex animo loquitur) maximum, fervidis apud Dominum precibus adjuvato, ac vale in eodem Domino.

Capitula

Harmonia Apoſtolica.

Diſſertatio Prior

IN

Jac. II. *Verſ.* 24.

Ὁρᾶτε τοίνυν ὅτι ἐξ ἔργων δικαιοῦται ἄνθρωπος, καὶ οὐκ ἐκ πίστεως μόνον.

Videtis igitur ex operibus juſtificari hominem, & non ex fide tantùm.

INTRODUCTIO.

Suſcepti operis difficultas. Methodus obſervanda.

§. 1. CUM apud omnes, qui verè Chriſtiani audiunt, tum Scripturæ totius infallibili authoritate, tum partium ejus inter ſe perfectiſſimâ harmoniâ nihil magis in confeſſo ſit; nimis tamen (proh dolor!) compertum eſt, non paucas ἐναντιοφανείας, ac nodos penè in-extricabiles, in ſacro illo volumine reperiri. Materiæne ſublimitati, an ſtylo planè ſingulari, an dogmatis ac moribus eorum, (quibus ex occaſione non minima Scripturæ pars deſtinata erat) haud probè cognitis, (utpote jam longiſſimo temporis intervallo penè obliteratis) an noſtræ ipſorum vel hebetudini in ſacris illis libris intelligendis, vel ſocordiæ in ſcrutandis, an deniq; omnibus his ſimul ſumptis, vel alii cuicunque cauſæ illud tribuendum ſit, inquirere hîc non eſt inſtituti noſtri. Rem atq; effectum ipſum ſentire, ac flere cogimur.

§. 2. Ex ingenti autem textuum ſacrorum numero, ſpecie tenus cum aliis locis pugnantium, haud facilè alterum reperias, qui Theologorum ingenia æquè torſerit, ac locus hic Jacobi, quem præ manibus habemus. Quas Diſtinctiuncu-las, quæ σοφὰ Φάσμαχα, quas Strophas, quas Artes ad concluſionem hanc Jacobi cum Paulinis Epiſtolis conciliandam adhibuerunt Interpretes! Opus quidem apprimè neceſſarium aggreſſi ſunt; quippe ἐναντιοφάνεια hæc non in facti alicujus, nedum circumſtantiæ narratione, ſed in Articulo fidei Chriſtianæ maximi momenti conſpicitur. At infœlix plerumq; fuit laborum eorum exitus. Lucem enim non exiguam polliciti, Epiſtolis Jacobi ac Pauli craſſiores reverâ tenebras offuderunt. Imo (quod maximè dolendum eſt) ipſam juſtificationis doctrinam, (alioquin ſatis planam ac facilem) tot diſtinctionibus, tot ſubtilitatibus involverunt, ut jam in univerſa Theologia Articulum alium intellectu difficiliorem vix reperias.

§. 3. Quod videntes nonnulli (qui neque in recepta ſententia acquieſcere, neque in meliori inveſtiganda, pertinaci diligentiâ perſeverare poterant) nodum hunc planè Gordianum iis viſum, cui ſolvendo non eſſent, diſſecare aggreſſi ſunt, autoritatem ejus Epiſtolæ, cui Jacobi nomen inſcribitur, vel in dubium vocando, vel apertè rejiciendo. Imò repertus eſt nonnemo, qui eò audaciæ atque adeo impietatis

Pro quibus (quod mirum eſt) ipſe Scultetus multis argumentis pugnat, Exercit. 5. ad c. 3. 2 Tim. v. 13.

tatis proceſſit, ut in Authorem ejus Epiſtolæ calamum liberiùs ſtrinxerit, eumque falſitatis ac mendacii arguerit. Is fuit Althamerus, qui (citante Grotio) in Scriptorem non modò innoxium, ſed & Divinum hæc verba indignabundus effudit: *Directè* (inquit) *in Scripturam agit, citat Scripturas falsò, & ſolus Spiritui ſancto, Legi, Prophetis, Chriſto, Apoſtoliſque omnibus contradicit. Teſtimonium ipſius vanum eſt.* Atq; iterum: *Suis ipſiſſimis verbis ſcimus neſciviſſe, quid ſit fides.* Imo audaciore adhuc blaſphemiâ, *rectè* (inquit) *mentitus eſt in caput ſuum.* Quæ, cum aliis id genus blaſphemiis (quas horreo referens) legat qui volet apud eundem Grotium.

Diſcuſſ. Rivetiani Apologetici, p. 170.

§. 4. Eſt itaque nodus hic vindice digniſſimus, ſi modò accefferit par nodo vindex. Quod, ut de me ipſe ſpondeam, cùm parùm deceat; illud tamen ſine ulla κενοδοξίας nota liceat profiteri, me, ſepoſito partium ſtudio, atque animo ab omnibus affectibus (excepto tantùm veritatis amore) prorſus libero, tum caput ſecundum Jacobi, tum Epiſtolas Pauli, ad Romanos præſertim & Galatas, quàm diligentiſſimè potui, evolviſſe; non neglectis interim, qui penes me erant, doctiſſimorum virorum Commentariis: indéque ſpem concipere, dicturum me aliquid, quod ſcopum ſaltem utriuſque Apoſtoli attingat, atque æquioribus judiciis faciat ſatis.

§. 5. Sed ne in limine te (Lector) diutiùs morer, rem ipſam σὺν Θεῷ aggredior, cui explicandæ hanc Methodum commodiſſimam cenſuimus. * Primò concluſionis Jacobi tum ſenſum breviter enucleabimus, tum veritatem argumentis aliquot adſtruemus. Eique labori aſſignabitur Diſſertatio prior. Deinde Pauli Epiſtolas aggrediemur, ejuſque conſenſum cum Jacobo noſtro in hac juſtificationis doctrina liquidò demonſtrabimus. In hac arena verſabitur Diſſertatio altera. Quæ ſi prolixior fuerit, & priorem mole longiùs exceſſerit, nihil erit quod mireris, cùm ſumma materiæ ipſius difficultas id penè neceſſario efflagitare videatur.

In Pr ad E Rom.

CAP. I.

Senſus Jacobi exponitur. Quid ſignificet δικαιῶν *in Novo Teſtamento. Multis teſtimoniis evincitur, vocem iſtam accipi ſenſu forenſi pro juſtum cenſere, ſeu pronunciare. Particula* ἐξ *apud Jacobum notat tantùm cauſam ſine qua non, ſive conditionem præcedaneam.*

§. 1. A Jacobo igitur primùm exorſis ad ſenſum concluſionis ab ipſo poſitæ (quantum ſaltem inſtituto noſtro in præſenti ſufficiat) aperiendum haud longâ nobis opus erit indagine. Duo tantùm annotabimus.

§. 2. Primò vocem δικαιῶν (cui reſpondet apud Hebræos הצדק) ab eo in uſitatiori ſuo ſignificatu uſurpari, *h. e. ſenſu forenſi*, pro *juſtum cenſere* ſive *pronunciare*. Eam enim eſſe vocabuli hujus in ſacris literis, præſertim Novi Teſtamenti, ſignificationem maximè obviam ac familiarem, penè cæcus eſt, qui non videat. Ut mirum ſit reperiri virum longè doctiſſimum, & alioquin in hac ipſa juſtificationis doctrina de veritate optimè meritum, qui id neget, vocem *juſtificationis* ferè ſemper in hac quæſtione (præſertim, ubi fidei tribuitur) purgationem a vitiis, ſeu liberationem à peccandi conſuetudine ſignificare ſtrenuè contendens. Fatetur quidem Grotius, (nam illum deſignamus) δικαιῶν à Jacobo in capite ſecundo ſumi pro aliquem ut *juſtum tractare*; additque totum ejus Sermonis contextum hunc ſenſum neceſſariò exigere. Sed hanc eſſe uſitatiorem vocis hujus ſignificationem, præſertim in Paulinis Epiſtolis, omnino negat. Nos autem (quanquam fortaſſe locus huic rei alius commodior eſſet) vocem δικαιῶν in eo, quem diximus, ſenſu in Novo Teſtamento conſtanter ac ferè ſemper uſurpari, facilè evicturi ſumus.

In Prolegom. in Epiſt. ad Romanos.

In ſecundis Annot. ad Jac. 2. 21.

§. 3.

---

* *Iſtam methodum defendit Clariſſ. Auctor in Examine Cenſuræ Reſponſ. ad Animadverſ.* I.

Vox Hebræa, voci צדק *opposita, est* רשע *impiificare, quâ dubio procul non significatur alicujus impiæ qualitatis inditio, sed condemnatio impii, ejusq; ad pœnam adjudicatio.*

§. 3. Egregius ille locus est ad Rom. c. 8. v. 33. *Quis intentabit crimina adversùs electos Dei? Deus est qui justificat:* Ubi τὸ δικαιοῦν manifestè opponitur τῷ ἐγκαλεῖν, ac proinde necessariò significat aliquem accusatum absolvere, atque ab accusatione liberum pronuntiare ac decernere. Huic loco geminus est ille ex veteri Testamento sumptus, Prov. 17. 15. *Qui justificat impium, & condemnat justum, uterq; est abominatio Domino*; ubi antithesis justificationis & condemnationis eundem sensum ostendit. Imo hoc sensu Christus ipse usus est hoc vocabulo, Matth. 12. 37. *Ex verbis tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Sic *Rom.* 5. 16, 18. κατάκριμα & δικαίωσις a Paulo directè opponuntur. Simili planè sensu vox sumitur 1 Cor. 4. 4. ubi cum se nullius rei sibi conscium fuisse dixerat Paulus, mox addit: Αλλ' οὐκ ἐν τούτῳ δεδικαίωμαι, ὁ δὲ ἀνακρίνων με, Κύριός ἐστι. Justificationem sui ad Dei solius tribunal, qui de ipso certam laturus erat sententiam, manifestè deferens. Ut meritò mireris quid moverit Grotium, ut hunc etiam locum inter eos reponeret, ubi δικαιοῦν *a vitiis purgare* significet. Illustris est locus ille, 1 *Cor.* 6. 11. Αλλα ἀπελούσασθε, ἀλλὰ ἡγιάσθητε, ἀλλ' ἐδικαιώθητε, *Sed lavati estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis.* Ubi quis non videt purgationem a vitiis à justificatione apertè distingui? Hinc Grotius necessitatem vidit, alium vocis δικαιοῦσθαι sensum hoc loco excogitandi; nempe, ut significet majores in justitia progressus facere, addens, hunc sensum suadere verborum ordinem. Sed frustra est: ordo enim verborum sine hoc commento satis perspicuus est; ut lavatio hîc significet primam a vitiis per Baptismum purgationem; sanctificatio præparationem & quasi formationem hominis per gratiam Spiritûs Divini, ad opera bona facienda, vitamq; sanctam degendam; justificatio deniq; amorem illum Dei, quo jam sanctam vitam degentes complectitur, eosq; in Christo vitæ æternæ præmio dignos censet.

In Proleg. ad Epist. Rom.

§. 4. Inter omnes autem eminet textus ille, Act. 13. 38, 39. (quem non immeritò totius Evangelii summam nuncupavit, & ex quo veram notionem vocabuli δικαιοῦν in Paulinis Epistolis commodissimè colligi posse censuit doctissimus Hammondus noster ὁ μακαρίτης) cujus verba sic habent:

In Notis ad Rom. 3. (B)

‘ Notum igitur sit vobis, fratres, annuntiari vobis remissionem peccatorum per istum (*Christum sc.*) & ab omnibus, a quibus non potuistis per legem Mosis justificari, per hunc, credentem quemvis justificari: πᾶς ὁ πιστεύων δικαιοῦται.

Unde luce clariùs apparet, justificationem illam (quæ in Christi Evangelio publicata & promulgata est) nihil aliud esse, quàm gratuitum Dei actum, quo propter Christum verè credentes, *h. e.* fide formatâ * præditos absolvit, ac liberat a reatu & pœna omnium peccatorum, etiam gravissimorum, & quorum ex lege Mosis nulla prorsus venia speranda erat. Contendit quidem Grotius beneficium hîc v. 39. sub nomine justificationis commemoratum, non esse idem quod præcessit v. 38. sub nomine remissionis, sed aliud quid diversum; nimirum remissionem significare absolutionem a reatu peccati, justificationem verò denotare liberationem a peccati dominio. At quis non agnoscit manifestam verborum Apostoli depravationem? Nihil enim magis in aperto est, quàm Apostolum idem remissionis beneficium, quod v. 38. breviter tantùm expressérat, v. 39. latiùs explicare; ostendendo tum conditionem ejus, nempe fidem in Christum, tum præstantiam supra eam, quam lex Mosis indulsit, remissionem. Nimirum lex Mosis temporalem tantùm concessit remissionem; Evangelium æternam: Lex Mosis quorundam graviorum peccatorum nullam omnino veniam largiebatur; at Evangelium plenissimam ac perfectissimam omnium (etiam gravissimorum) peccatorum remissionem cuivis credenti annuntiat. Et sic ipse Grotius aliàs locum hunc optimè explicavit.

De satisfact. Christi, c. 10. p. 186.

§. 5. Addam aliud argumentum pro hac nostrâ sententiâ, quod mihi quidem insolubile videtur. Vox δικαιοῦν tam apud Paulum, quàm apud Jacobum idem planè valet quod μισθὸν λογίζεσθαι, δικαιοσύνην λογίζεσθαι, εἰς δικαιοσύνην λογίζεσθαι: *mercedem imputare*, † *justitiam imputare, ad justitiam imputare.* Jam *imputationem* notare actum Dei hominem justum æstimantis, non justum facientis, nimis manifestum est; neque id Grotius ipse negare aut voluit, aut potuit. Tantùm contendit aliud esse, cum homo dicitur justificari per fidem, aliud cum dicitur fides imputari homini in justitiam. Sed

In præfat. ad Annot. in Epist. ad Roman.

---

* *Fidem charitate formatam rectè dici, optimè ostendit Auctor in Examine Censuræ Respons. ad Animad.* II.

† *Mercedis imputationem justificationi in judicio Dei indivulso nexu junctam esse, contra Censorem probavit Vir Reverendus Resp. ad Animadv.* III.

Sed contrarium cuivis patet ex cap. ad Rom. 4. v. 2. collato cum v. 3, 4, 5, 6. & v. 22. collato cum v. 23, 24, 25. & Jac. 2. v. 21. collato cum v. 23. In quem etiam Jacobi locum Grotius ipſe obſervat, δικαιωθῆναι juſtificari, & φίλον Θεοῦ κληθῆναι pro eodem poni; addens locum Rom. 5. 1. ubi δικαιωθῆναι per εἰρήνην ἔχειν πρὸς θεὸν ponitur.

In prioribus Annot. in Jac. 2. v. 24.

His adjicias locum illum Rom. 3. 20. Διότι ἐξ ἔργων νόμου οὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σὰρξ ἐνώπιον αὐτοῦ, ſc. Dei. Ubi δικαιοῦσθαι, ſenſu forenſi ſive judiciario ſumi manifeſtum eſt, tum ex verbis ἐνώπιον Θεοῦ, quæ *in conſpectu, judicio, æſtimatione Dei* ſignificant, tum ex Pſal. 143. 2. (ad quem locum alludere Paulum, fatetur Grotius, & res ipſa loquitur) ubi David rigidum Dei in ipſum judicium humillimè deprecatur. Locus hic apprimè obſervandus eſt, quippe ex quo clarè eluceat, quid per juſtificationem voluerit Apoſtolus in tota ipſius de fide & operibus diſputatione. Hinc enim ita argumentamur: Qualem Paulus juſtificationem operibus detrahit, talem tribuit fidei; At juſtificatio quam detrahit operibus, eſt forenſis, quâ quis in judicio divino juſtus pronuntiatur: Ergo juſtificatio quam tribuit fidei, eſt ejudem generis.

Vid. Luc. 7. 29. & 10. 29. & 18. 4. Rom. 3. 4. & 2. 13.

§. 6. Unicum proferunt locum adverſarii ex Novo Teſtamento, ubi alio ſenſu vocem δικαιοῦσθαι accipi conſtat, nempe ut ſignificet non juſtum cenſeri, ſed juſtum fieri, ſive in juſtitia inhærente & habituali novos indies progreſſus facere. Is eſt Apoc. 22. 11. 'Qui injuſtè agit, injuſtè agat adhuc, & qui ſordidus eſt, ſordeſcat adhuc, & qui juſtus eſt, δικαιωθήτω ἔτι juſtificetur adhuc, &c. Ubi τὸ δικαιοῦσθαι, cùm manifeſtè τῷ ἀδικεῖν opponatur, nihil aliud ſignificare poſſe videtur quàm juſtum fieri, ſeu potiùs in juſtitia creſcere. Verum enimvero ſignificationem vocis ex loco uno vel altero (licèt an ex Novo Teſtamento alter dari poſſit, adhuc dubitem) deducere, atq; aliam longè commodiorem, & conſtanti Sacræ Scripturæ uſui convenientiorem neglectui habere, iniquiſſimi certè diſputatoris eſt. Quid quòd de illo ipſo loco meritò dubitari poſſit, an ibi vox δικαιωθήτω legenda ſit? Manuſcripta enim nonnulla (in quibus & illud venerandæ antiquitatis, a Cyrillo Patriarcha Conſtantinopolitano, Carolo primo τῷ μακαρίτῃ dono miſſum) pro ὁ δίκαιος δικαιωθήτω ἔτι, legunt: ὁ δίκαιος δικαιοσύνην ποιησάτω ἔτι. Quæ quidem lectio locutioni Johannis apprimè convenit: aliàs enim in epiſtola prima ποιεῖν δικαιοσύνην in eundem ſenſum ab ipſo uſurpatur Cap. 2. 29. & 3. 7. Imo, quod mireris, ita locum hunc legit Grotius, qui tamen eum ad ſenſum iſtum ſuum probandum ſæpius allegat. Pro certo igitur ſtatuatur, vocabulum *juſtificationis* in hac materia *forenſem* ſignificationem obtinere, atq; actionem deſignare Dei, more judicis, ex lege Chriſti gratioſa abſolventis accuſatum, juſtum pronuntiantis, atq; ad præmium juſtitiæ, h.e. vitam æternam, acceptantis.

§. 7. Et certè hæc juſtificationis notio accuratè tenenda eſt, non ſolùm ut Pontificiorum ſtrophis occurratur, quibus tum Paulum, tum Jacobum obſcurârunt, verùm etiam quòd (ut poſtea videbimus) nonnulli uſui eſſe poſſit ad refellendos Antinomos & Solifidianos, quos ego in hac quæſtione ex altera parte non minùs periculosè errare ſemper arbitratus ſum.

§. 8. Accedamus jam ad alterum iſtud, quod breviter notandum duximus; nempe, phraſi illa, ἐξ ἔργων, non id voluiſſe Jacobum, opera noſtra eſſe juſtificationis noſtræ cauſam *principalem* aut *meritoriam:* illa quippe in mera & gratuita Dei Patris miſericordia, hæc in Chriſti ſolius morte ac meritis unicè ſtatuenda eſt, & ab Apoſtolo reverâ ſtatuitur. Etenim quamvis particula ἐξ eam nonnunquam vim obtineat, ſæpe tamen adhiberi ſolet ſenſu quodam mitiori, ut notet medium quodcunque rei obtinendæ, ſive conditionem præcedaneam, quæ vulgò cauſa *ſine qua non* dicitur, licèt reverà vix cauſæ nomen mereatur. Atq; is loquendi modus neq; à communi uſu abhorret, neq; à ſtylo Scripturæ alienus eſt. Ut enim alia taceam, cùm dicitur homo ἐκ πίστεως δικαιοῦσθαι, particula ἐκ manifeſtè hôc ſenſu ſumitur. Quippe ne ipsâ quidem fide tanquam causâ principali, imò non ut causâ omnino, niſi impropriè dictâ, juſtificari aliquis dici poteſt. *

Dicitur igitur homo ἐξ ἔργων δικαιοῦσθαι, quia bona opera conditio ſunt, juxta ordinationem divinam in Evangelico fœdere ſtabilitam neceſſariò in hoc requiſita, ut quis juſtificetur, h.e. remiſſionem peccatorum per Chriſtum partam obtineat, Deóque ad ſalutem gratus & acceptus fiat. Atq; hæc de verborum ſenſu dicta ſunto.

ANNO-

* *Hæc carpentem adverſarium breviter perſtrinxit Doctiſſimus Auctor in Examine Cenſuræ Reſp. ad Anim. adv.* IV.

ANNOTATA

Ad CAP. I.

Ad §. II.

§. 1. *EAm enim esse vocabuli hujus in Sacris Literis, præsertim Novi Testamenti, significationem maximè obviam.*] *Forensem* verbi δικαιῶν significationem non perpetuam prorsus, sed *maximè obviam ac familiarem* in S. literis esse, pro solita accuratione dicit Auctor Clarissimus. Nam & altera significatio, quâ *purgare à peccatorum labe*, sive *à vitiis animum liberare* denotat, identidem reperitur. In Veteris Testamenti libris duo loca notarunt ipsi rigidiores Protestantium Theologi, nempe Daniel XII. 3. & Ecclesiastici XVIII. 22. Accedit Psalm LXXIII. 13. ubi Hebræa verba, וכיתי לבבי LXX. reddiderunt: ἐδικαίωσα τὴν καρδίαν μου. Et Vulgatus Latinus Interpres: *Justificavi cor meum.* Quibus non possum non addere ista Esaiæ LIII. 11. *In scientia sua justificabit* יצדיק *ipse justus servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.* Ut enim de Chaldæo Paraphraste nihil dicam, alium majoris, imò divinæ auctoritatis interpretem habere mihi videor, S. Apostolum Petrum, 1. Epist. cap. 2. ubi plura ex citato Esaiæ capite mutuatus est, ut ex collatione versûs 22. cum Esaiæ vers. 9. versûs 23. cum Esaiæ v. 7. versûs 25. cum Esaiæ v. 6. patet. Versus autem 24 Apostoli ita sonat: ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον, ἵνα ταῖς ἁμαρτίαις ἀπογενόμενοι, τῇ δικαιοσύνῃ ζήσωμεν· οὗ τῷ μώλωπι αὐτοῦ ἰάθητε. Quorum ultima sunt illa ipsa Esaiæ versu 6. τῷ μώλωπι αὐτοῦ ἰάθημεν· priora autem, *qui peccata nostra ipse portavit*, exactè consonant istis Esaiæ: τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν αὐτὸς ἀνοίσει, ac proinde sequentia: *ut peccatis mortui, justitiæ vivamus*, procul dubio sensum exprimunt verbi *justificare*; quod idcirco hoc loco de justitia inhærente, tanquam eximio fructu in ligno crucis ex passione Christi nato, accipiendum esse patet.

§. 2. In Novo Testamento præter Apocalyps. XXII. 11. alius est locus in ipsa S. Pauli ad Romanos Epistola cap. 6. vers. 7. ubi ait: ὁ γὰρ ἀποθανὼν δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας. Particula enim γὰρ, quæ hoc comma cum præcedentibus connectit, & scopus integri textûs omnino indicat, phrasin δικαιοῦσθαι ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, æquipollentem esse ei, quæ vers. 6. præcedit, μηκέτι δουλεύειν τῇ ἁμαρτίᾳ. Adeo ut hæc Pauli sententia quodammodo gemina sit isti, 1. Petri IV. 1. ὁ παθὼν ἐν σαρκὶ, πέπαυται ἁμαρτίας. Unde S. Basilius, Lib. I. de Baptismo pag. 568. dictum Pauli locum citans, istud δεδικαίωται ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, interpretatur: ἀπήλλακται, ἠλευθέρωται, κεκαθάρεται πάσης ἁμαρτίας. Imo in ipso 4. cap. ad Romanos versu ultimo: *Qui traditus est propter delicta nostra, & suscitatus est propter justificationem nostram*, δικαίωσιν ἡμῶν infusionem justitiæ nobis inhærentis significare, ex Protestantibus docent Martinus Borræus in Genes. XV. pag. 161. Petrus Martyr in Rom. IV. ac Martinus Bucerus ad eundem locum, cujus hæc sunt verba Observat. 4. *In peccatis nati cum simus, & nihil quàm offendere Deum valeamus, ex nobis restitui non possumus, nisi sit, qui & pro peccatis nostris satisfaciat, & deinde spiritu nos afflet justitiæ. Utrumq; perficit Christus: in morte Christi peccata nostra sanguine ejus esse expiata semper cogitemus: in resurrectione ejus, quâ vitam inivit cœlestem, vivitq; jam* DEO — *agnoscamus nos ad novam & DEO placitam vitam vocatos, eamq; eum ipsum collaturum.* &c. Ast licet nova justitia activa in δικαιώσει Apostoli istô ut & aliis in locis simul subintelligatur, aut potiùs præsupponatur, hæc ipsa tamen vox ibi etiam pro declaratione seu approbatione istius justitiæ accipienda videtur.

Ad §. V.

JUstificatio quam tribuit fidei, est ejusdem generis.] Verbum *justificandi* forensem habere significationem in Epistolis Pauli, ubi docet, *fide hominem justificari*, doctissimus Auctor egregiè probavit. Cujus tamen argumentis unum atq; alterum addere, forte haud abs re erit. Primum suppeditat idem Apostolus Hebr. XI. ubi

de Abel ſcribit verſ. 4. *Fide uberiorem hoſtiam Abel quàm Cain obtulit DEO, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtus,* ἐμαρτυρήθη εἶναι δίκαιος. Et verſ. 7. de Noa: *Juſtitiæ quæ ſecundum fidem eſt, hæres factus eſt*, id eſt, tanquam genuinus hæres piorum majorum ſuorum, præſertim Enochi, (de quo Apoſtolus vers 5 & 6 agit) ipſe quoq; ob fidem juſtus à DEO eſt declaratus. Nam & de Noa ſcriptum Geneſ. VI. 9. *Noe erat vir juſtus atq; perfectus in generationibus ſuis; cum DEO ambulavit.* Quis verò dubitaret Paulum hoc loco idem de Abele ac Noa dicere voluiſſe, quod alibi de Abrahamo aliiſq; aſſeruit, eos *fide juſtificari?* Hoc igitur idem eſt ac *Teſtimonium juſtitiæ à DEO accipere*, ſive juſtum declarari atq; prædicari. Deinde Judaizantes, contra quos Paulus Rom. III. & IV. & Galat. III. &c. diſputat, non ad habitum juſtitiæ acquirendum circumciſionem aliaq; Moſaica inſtituta neceſſaria eſſe ſtatuebant, ſed hæc tanquam eximiam juſtitiæ noſtræ partem requirebant, quâ hominem juſtum coram Deo cenſeri, ac æternam ſalutem obtinere perſuaſi erant. Ita enim docebant fratres Act. XV. 1. *Niſi circumcidamini ſecundum morem Moſi, non poteſtis ſalvari.* Contra quos S. Petrus in Concilio primus pronuntiavit verſ. 11. *Per gratiam Domini Jeſu Chriſti credimus ſalvari, quemadmodum & illi*, (Patres) Qua propter & S. Paulus eos oppugnans de ſtatu gratiæ DEI & ſalutis locutus eſt, aſſeruitq; nos non ob circumciſionem & legis Moſaicæ opera, ſed ob fidem & vitam Evangelio congruam juſtos à Deo haberi, ſicq; ſalutem adipiſci.

Ad §. VI.

§. 1. *PRo certo igitur ſtatuatur, vocabulum juſtificationis actionem deſignare DEI, more judicis, ex lege Chriſti gratioſa abſolventis accuſatum, juſtum pronuntiantis, atq; ad præmium juſtitiæ, vitam æternam, acceptantis.*] Hæc Reverendi viri aſſertio ut meliùs atq; diſtinctiùs percipiatur, notandum eſt, juſtificationem, etiam in foro humano, duplicem eſſe, prout reſpectum habet vel ad culpam, à qua immunis atq; juſtus pronuntiatur is qui innocens eſt inventus; vel ad pœnam, à qua reus, licet criminis convictus, tamen ob ſatisfactionem ab altero, nomine ejus præſtitam quandoq; abſolvitur. Imo contingit aliquando, ut Iudex unâ eâdemq; ſententiâ utroq; modo reum juſtificet. Verbi gratia, renovatis in Republ. legibus, ac promiſsâ à ſupremo Magiſtratu venia iis qui antehac contra eas peccaverint, dummodo recenter inſtitutis obtemperent, ſi quiſpiam malignus antiquarum legum tranſgreſſor, ſed religioſus novarum obſervator in jus vocetur, is ex tenore poſteriorum ac præſenti vitæ ratione propriè juſtificatur, id eſt, juſtus à Judice pronuntiatur; ſimul autem ratione priorum & vitæ anteactæ gratis abſolvitur, non quidem à culpa, ſed à pœna, ac hôc quoq; reſpectu juſtificari dicitur, licet minùs propriè; cùm juſtitia, quam reapſe non habuit, ei ſolùm imputetur, ſeu potiùs priora peccata ob vitam in melius mutatam illi condonentur. Pari modo peccatores, jam ad fidem & meliorem frugem converſi, à DEO juſtificantur dupliciter, dum ex præſenti cordis integritate cœlitus eis donata juſti à DEO pronuntiantur, ac ut reapſe tales tractantur; reſpectu autem criminum olim commiſſorum, nec non præſentium minorum delictorum, juſtificantur ſeu potiùs abſolvuntur gratis propter ſatisfactionem Chriſti, interveniente novâ juſtitiâ, quâ peccata præterita quaſi teguntur, nec in æternam eis imputantur damnationem.

§. 2. Utramq; hanc juſtificationis noſtræ partem, ut ita dicam, verbo *Juſtificandi* complexus eſt tam Jacobus quàm Paulus; quanquam hic poſteriorem, ille priorem magis expreſſerit, quod illi contra activæ fidelium juſtitiæ, huic contra gratiæ Dei adverſarios eſſet certamen. Hinc Rom. III. 24. ſeq. dicit, nos *juſtificari gratis gratiâ DEI per redemptionem Jeſu Chriſti, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, per remiſſionem præcedentium delictorum.* Et cap. IV. verſ. 5. dicit, quod DEUS *juſtificet impium*, antehac ſcilicet talem, eiq; *imputet juſtitiam*, id eſt obſervationem Legis ſuæ, dum *peccata* ſive tranſgreſſiones Legis ei propter ſatisfactionem Chriſti *haud imputat*, ac quaſi pro non factis habet. Atq; hanc *non-imputationem* peccatorum (ſit venia verbo) in juſtificatione hominis libenter admittunt pleriq; Proteſtantium Theologorum; imo quidam hanc præcipuam aut unicam ejus partem eſſe ſtatuerunt, cum tamen ſit juſtificationis propriè dictæ, quâ verè juſti prædicamur, quaſi appendix, DEO eorum quos jam juſtitiâ ornatos videt, priora peccata quaſi poſt tergum abjiciente, ut eorum non ampliùs recordetur. Quod autem attinet *juſtitiam à qua juſti coram DEO nominamur*, & per quam tanquam formalem cauſam propriè juſtificari dicimur, hanc

hanc plurimi eorum ipsam Jesu Christi, quam in his terris operatus est, justitiam esse docent, nobis scilicet imputatam, & quasi nostram factam; non autem eam quæ nobis inhæret, quamve ipsi in Christo per Spiritum ejus operamur. Atqui imputatam istam justitiam nostram absurdum esse figmentum, nec in Apostolica doctrina fundatum, doctissimus Auctor noster prolixè probavit in Examine Censuræ Respons. ad Animadvers. XI. ubi & nos quædam addemus. Ex justitia autem cœlitus nobis donata, quamq; Spiritu Dei acti operamur, nos coram Deo justos pronuntiari, itidem facile demonstrari potest. Et hîc quidem in antecessum tribus verbis probabo, hanc fuisse S. Jacobi doctrinam, imo ipsam ejus thesin, quam cap. 2. Epistolæ suæ adeo acriter defendit; in Addendis autem ad sequentia Capita idem ex aliis S. Scripturæ locis, ipsisq; Pauli Epistolis, aliisq; argumentis confirmabo.

§. 3. Quod hæc phrasis, *Hominem ex operibus justificari*, S. Jacobo idem sit ac *ex actibus justitiæ justum declarari atq; prædicari*, illi ipsi, contra quos disputamus, haud eunt inficias. Id solùm excipiunt, nos operibus justos declarari & ostendi coram hominibus, non coram DEO. At verò inane hoc effugium ipsis prorsus præclusum est Dissertatione II. Cap. 1. ubi aliquot argumentis evincitur, quod Jacobus de Justificatione coram DEO loquatur; quibus unum atq; alterum ibidem annectam. Hîc id tantùm in præsentem rem addo, quod Jacobus frater Domini procul dubio pari ratione ac eodem sensu dixerit, *nos ex operibus justificari*, quomodo ipse Dominus ait Matth. XII. 37. Ἐκ τῶν λόγων σου δικαιωθήσῃ, *Ex verbis tuis justificaberis*; (nisi quod hic loquatur de extremo judicio, ille de eo quod in hac vita præcedit, sed eâdem ratione procedit, ut sequenti Cap. 3. probatum est.) Verborum enim & factorum nulla in hôc negotio est differentia; unde S. Jacobus de utrisq; scribit hoc ipso Cap. II. v. 12. *Sic loquimini & sic facite, tanquam per legem libertatis judicandi.* Atqui istius Servatoris dicti non alius fingi potest sensus, nisi quod ex verbis nostris, si bona atq; utilia ea fuerint, justitiæ laudem eiq; annexum æternæ salutis præmium à DEO simus reportaturi; ergo & ex operibus bonis nos eodem modo justos à DEO prædicari, indeq; salvari docuit Jacobus: quod erat demonstrandum.

Ad. §. VIII.

PHrasi illâ ἐξ ἔργων, &c.] Particulâ ἐξ non *causam principalem*, puta *efficientem*, aut *meritoriam*, sed eam quæ vulgò *causa sine qua non*, aut potiùs *conditio* dicitur, tam à Jacobo, quàm à Paulo, ubi fidei & operibus fidei justificantibus præponitur, denotatam esse, rectissimè Vir Reverendus asserit; respectu scilicet habito ad posteriorem, quam antè diximus, justificationis nostræ partem, remissionem peccatorum ac jus ad æternæ Salutis præmium consequendum, sicut semetipsum in fine hujus §. explicat. Ast si priorem Justificationis nostræ partem spectes, propriamque hujus Verbi notionem, quâ significat justum jam verè talem ac novæ Legis observatorem declarare ac pronuntiare justum, præpositione ἐξ *formalis* causa denotari mihi videtur, quando *homo ex fide & operibus justificari* dicitur. Fides enim & reliquæ Christianæ virtutes, atque actiones inde profectæ, sunt ipsa hominis justitia, per quam 1. formaliter justus coram DEO censetur, & per quam 2. tanquam per medium sive conditionem præstitam gratuitum remissionis peccatorum ac Vitæ æternæ donum obtinet. Atque hæc ipsa est distinctè &, nisi fallor, rectè exposita S. Jacobi assertio, quam in universa S. Scriptura firmissimè fundatam esse, ex sequentibus Capitibus, Tibi, Christiane Lector, manifestissimè patebit, si attentè ac citra præjudicium, uti veritatis tuæque salutis ratio poscit, ea legeris, nec oculos adversus clarissimam veritatis lucem clauseris.

CAP.

CAP. II.

Concluſio Jacobi argumentis adſtruitur. Argumentum primum ab aliis Scripturarum teſtimoniis. Quorum duæ claſſes; prima eorum, quæ de obedientia tanquam ad juſtificationem neceſſaria generatim loquuntur: Altera eorum, quæ opera pœnitentiæ ſpeciatim poſtulant. Occurritur exceptioni Adverſariorum. Fidei & pœnitentiæ idem eſt in juſtificationis negotio reſpectus. Utraque, conditio tantùm, ſive inſtrumentum morale. Quæ ſit illa fides, cui tantum in Scripturis tribuitur? Quo reſpectu fides cæteris præſtet virtutibus?

§. 1. PErgamus jam ad illud Diſſertationis noſtræ membrum, quod ſecundo in loco poſitum erat; nempe, ut hanc Jacobi hypotheſin, de neceſſitate bonorum operum ad Juſtificationem obtinendam, argumentis aliquot muniamus.

§. 2. Primum igitur argumentum ducetur ab aliis Scripturæ teſtimoniis, quæ hanc ipſam veritatem non minùs clarè aſſerunt ac defendunt. Neque enim putandum eſt, Sanctum Jacobum paradoxum aliquod aut ſibi peculiare dogma venditare. Nihil minus. Quod loquitur, vox eſt Spiritûs Sancti ubiq; idem perſonantis. Idem teſtantur Prophetæ, idem Apoſtoli, idem Chriſtus ipſe. Hæc doctrina ſacrarum Scripturarum utramq; ferè paginam complet; ut auſim dicere, aliam ullam vix dari poſſe, quæ in ſacris libris tam clarè aſſeritur, aut toties inculcatur. Sed ne temere vagetur oratio noſtra, teſtimonia hæc in duas claſſes diſpertire viſum eſt.

§. 3. Prima claſſis eorum erit, quæ generatim de bonis operibus, de Pietate, de Sanctitate, de Obedientia (quæ omnia eòdem recidunt) loquuntur, tanquam conditione neceſſariò requiſita, ut quis Deo ad ſalutem gratus ſit, i.e. juſtificetur; (iſta enim ſynonyma ſunt.) Agmen ducet locus ille Iſaiæ 1. com. 16, 17, 18. *Lavate vos, purificate vos, amovete malignitatem actionum veſtrarum è conſpectu oculorum meorum: deſinite malefacere, diſcite benefacere, quærite jus, beate oppreſſum; jus dicite pupillo, ſuſcipite cauſam viduæ. Venite jam, & diſceptemus, inquit Jehova: ſi fuerint peccata veſtra velut Dibapha, tanquam nix exalbeſcent; ſi rubra fuerint velut coccineum, ſimilia lanæ erunt.* Huic geminum eſt illud, Ezek. 33. 14, 15, 16. *Quum dixero improbo, omnino moriturus es; ſi reverſus a peccato ſuo exercuerit judicium ac juſtitiam, pignus reſtituerit improbus, raptum reddiderit, in ſtatutis vitæ ambulaverit non faciendo iniquitatem, omnino vivet, non morietur: omnia peccata ejus, quibus peccavit, non memorabuntur ei; judicium & juſtitiam exercuit, omnino vivet.* Quis non videt hiſce in locis quaſi cumulum bonorum operum, quæ ſi quis non præſtiterit, ei ſpes veniæ ac remiſſionis peccatorum omnis omnino intercluditur; atq; in genere requiri, ut deſinamus malefacere, benefacere diſcamus, ut in ſtatutis vitæ ambulemus? Dicet (forſan) aliquis: vetus hæc teſtamentum ſapiunt; quid hæc ad nos? Imo verò (inquam ego) ipſiſſima eſt hæc Evangelii vox; lex enim peccatorum, præſertim (qualia in locis iſtis commemorantur) graviorum, veniam perfectam nullam indulſit, ut modo obiter dictum eſt, & poſtea ſuô locô fuſiùs demonſtrabitur.

§. 4. Hæc autem ſi quis præfractè negat, audiat ipſius Servatoris vocem, Joh. 14. 21. *Qui tenet præcepta mea, & obſervat illa, is eſt qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & ei conſpiciendum exhibebo me ipſum.* Et v. 23. *Si quis diligit me, meum ſermonem obſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum habitabimus.* Hîc talem dilectionem, quæ mandatorum Chriſti obſervationem pariat, requiri, ut quis Dei amore fruatur, h.e. juſtificetur, ipsâ luce clarius eſt. Notabilis eſt & iſte locus Matth. 11. 28, 29.

29. & eò notatu dignior, quòd solennem fœderis Evangelici promulgationem apertè continet. Verba sunt : *Venite ad me omnes qui fatigati estis & onerati, & ego faciam ut requiescatis. Attollite jugum meum in vos, & discite à me, quòd mitis sum, & humilis corde : & invenietis requiem animabus vestris.* Jugum Christi est lex ejus : (vide 1 Joh. 5. 3) hoc quisquis non attollit, h. e. legem Christi in se præstandam suscipit, ei nulla animæ requies, nulla à peccatis liberatio promittitur. Clara sunt etiam verba Christi Joh. 15. 14. *Vos amici mei eritis, si feceritis quæcunq; ego præcipio vobis.* Nemo igitur Christi amicus, nisi hâc lege, ut universa ejus mandata observet.

§. 5. Audivimus Christum, consulamus jam Christi Apostolos. Et loquatur primus (ut par est) Apostolorum princeps Petrus, Act. 10. 34, 35. ἐπ' ἐστι προσωπολήπτης ὁ Θεὸς, ἀλλὰ ἐν παντὶ ἔθνει ὁ φοβούμενος αὐτὸν καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην, δεκτὸς αὐτῷ ἐστι. Deus nullius personam respicit ; is omnis, & solus ei ad salutem δεκτὸς, acceptus est, qui justitiam operatur. * Quid clarius ? Idem docet Sanctus Johannes, 1 Epist. 1. 7. *Si in luce ambulamus, sicut ipse est in Luce, communionem habemus cum eo mutuam ; & sanguis Jesu Christi filii ejus purificat nos ab omni peccato.* Nulla igitur cum DEO communio, nulla per sanguinem Christi à peccatis purificatio (hæc autem quid aliud quàm justificationem sonant ?) nisi illis qui in luce ambulant, h. e. sanctitatis opera faciunt. Insignis est & locus ille Heb. 10. 14. Μιᾷ γὰρ προσφορᾷ τετελείωκεν εἰς τὸ διηνεκὲς τοὺς ἁγιαζομένους, *Unicâ enim oblatione consummavit in perpetuum eos qui sanctificantur.* Vox τελειῶν (ut de aliis ejus significationibus taceam, quas notarunt Critici) hîc & alibi apud hunc Authorem significat *expiare*, idq; tam perfectè, ut qui ita expiatus sit, ei nihil desit, nullâ aliâ oblatione sive sacrificio, imo ne sacrificii quidem ejusdem iteratione indigeat. Isto sensu vox manifestè sumitur hoc ipso capite v. 1. sicut & hujus Epistolæ Cap. 7. v. 11. Jam itaq; expiationem sive à peccatis liberationem Christi morte factam liquidò restringit Divinus Author ad ἁγιαζομένους, h. e. eos qui & corde & opere sancti sunt ; clarè innuens, meritò Christi justificari, non nisi qui Spiritu Christi priùs sancti redduntur. Justificatio nimirum sanctificationem (saltem primam & imperfectiorem) sequitur. Quod & Petrus etiam clarè ostendit Epist. 1. Cap. 1. v. 2. ubi pulchrè humanæ salutis ordo describitur. Præcedit priùs ἁγιασμὸς πνεύματος εἰς ὑπακοὴν, *Sanctificatio Spiritûs ad obedientiam* ; deinde sequitur ῥαντισμὸς αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ, *aspersio sanguinis Jesu Christi* ; sc. ad justificationem. † Confer 1 Cor. 6. 11. Penè infinitus essem, si loca omnia novi fœderis huc pertinentia citarem. Quisquis vel fortuitò sacros illos libros aperuerit, ferè necesse est ut in aliquid incidat, quod si seriò legat & sincerè expendat, in hanc veritatem ipsum quasi manu ducet.

§. 6. Progrediamur igitur ad secundam classem testimoniorum, eorum sc. in quibus opera quædam specialia, tanquam ad justificationem omnino necessaria præscribuntur.

Huc pertinent loca, quæ *pœnitentiam* sive *resipiscentiam* exigunt, ut conditionem præcedaneam, sine qua nemo peccatorum veniam à DEO obtineat. Talia passim occurrunt in novo fœdere, & satis nota sunt ; citationum igitur multitudini supersedebimus, loco uno vel altero contenti. Act. 2. 38. *Resipiscite, & baptizetur unusquisq; vestrûm in nomen Jesu Christi in remissionem peccatorum, & accipietis donum Spiritûs Sancti.* Et Act. 3. 19. *Resipiscite igitur & convertite vos, ut deleantur peccata vestra, postquam venerint tempora refrigerationis à conspectu Domini.* His in locis præter fidem etiam resipiscentiam à peccatis, & conversionem ad Deum, ad remissionem peccatorum sive justificationem necessariò requiri, nemo est qui non videat. ||

§. 7. Id porrò notandum est, resipiscentiam non esse opus unicum, aut simplex, sed multorum aliorum operum quasi complexionem. Suo enim ambitu comprehendit sequentia opera, nec pauca, neque ignobilia. 1ò. De peccatis tristitiam, 2 Cor. 7. 10. 2dò. Humiliationem sub manu Dei, quâ quis se iræ Divinæ obnoxium

D

---

* *Hanc verborum Petri paraphrasin Vir Reverendus masculè defendit in Examine Censuræ, Respons. ad Animadv.* V.

† *Adversus hæc cavillanti Adversario Clariss. Auctor respondit in Examine Censuræ Respons. ad Animadvers.* VI. *ubi & nos quædam addemus.*

|| *Quæ huic Argumento objecit Censor, ea prolixè discussit Doctissimus Auctor in Respons. ad Animadv.* VII.

noxium humiliter agnoſcit, Jac. 4. 10. 3ò. Peccatorum odium ac deteſtationem, Ezek. 6. 9. & 20. 43. & 36. 31. 4ò. Peccatorum confeſſionem, 1 Joh. 1. 9. 5ò. Ardentem ac ſupplicem miſericordiæ divinæ implorationem, Act. 8. 22. 6ò. Amorem Dei, Exod. 20. 6. 7ò. A peccatis ceſſationem, Prov. 28. 13. Eſai. 1. 16. 8ò. Firmum novæ obedientiæ propoſitum, Act. 11. 23. 9ò. Malè partorum reſtitutionem, Ezek. 33. 14, 15. Levit. 6. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7. Luc. 19. 8, 9. Quod quidem pœnitentiæ opus ad remiſſionem peccatorum abſolutè neceſſarium eſſe in eo, cui reſtituendi facultas ſuppetit, adeo apud omnes in confeſſo eſt, ut inde ortum ſit tritum axioma, Theologorum omnium calculô comprobatum: *Non remittitur commiſſum, niſi reſtituatur ablatum.* 10ò. Remiſſionem eorum, quæ in nos proximi peccârunt. Hanc tanti facit Servator, ut non ſemel profiteatur, peccatorum veniam à Deo nemini ſperandam eſſe, qui eandem proximo non ultrò ac lubens conceſſerit, Matth. 6. 14, 15. 11ò. Opera beneficentiæ ſive Eleemoſynas. Quæ quanti valeant ad remiſſionem peccatorum à Deo impetrandam, ſatis liquet ex celebri loco Dan. 4. 27. ubi Sanctus Propheta Regi *Nebuchadnezzari* adhuc in peccatis hærenti ſalubre hoc conſilium ſuggerit: *Peccata tua eleemoſynis* (*) *redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.* Sic verſio vulgata, ſecuta LXX Interpretes, qui vocem Hebraicam צדקה per ἐλεημοσύνη (ex orientali nimirum idiomate) reddiderunt. Sed parùm refert, quam verſionem ſequamur, cùm de miſericordia erga pauperes in poſteriori clauſula agi, omnes conſentiant. His conſentaneum eſt illud, quod in Novo Teſtamento docet Jacobus noſter hoc ipſo capite 2do. v. 13. *Damnatio abſq; miſericordia ei, qui non præſtiterit miſericordiam.* Qualem autem miſericordiam intelligat, liquet ex ſequentibus v. 15, 16. Conſule Luc. 11. 41. (& Grotium in locum) Eſaiæ 1. 17. Luc. 16. 9. 1 Tim. 6. 17, &c. 1 Pet. 4. 8. Heb. 13. 16. Ut verè dixerit Chryſoſtomus (oratione de pœnitentia) Μετάνοια χωρὶς ἐλεημοσύνης νεκρά ἐστι καὶ ἄπτερος. Atq; hinc (ut id obiter notem) ortus eſt mos ille in veteri Eccleſia obſervatus, quô ab iis, qui delictis gravioribus in Eccleſiaſticam cenſuram incidiſſent, ut abſolutionis capaces fierent, exigebatur non tantùm peccatorum confeſſio, & vitæ antè actæ emendatio, ſed & miſericordiæ opera, ab iis ἀγαθοεργίαι dicta. Vides quàm late ſe diffundant pœnitentiæ opera; vides ea omnia ad veniam peccatorum conſequendam à Spiritu Sancto omnino neceſſaria ſtatui.

§. 8. Hæc qui agnoſcunt, (nemo autem niſi qui in Libertinorum caſtra ſe totum dederit, ea auſit negare) mirum eſt, quô σοφῷ φαρμάκῳ paradoxum ſuum de juſtificatione per ſolam fidem (ut fides ab iis à pœnitentiæ operibus divulſa accipitur) valeant defendere. Dicent fortaſſis (ut reverà ſolent dicere) pœnitentiam ſolummodo requiri ut *diſpoſitionem præcedaneam*, quâ peccator ad remiſſionem peccatorum præparetur; fidem verò eſſe unicum illud *inſtrumentum*, quô remiſſio iſta quaſi manu accipiatur; ideóque non immeritò dici, nos fide ſolâ juſtificari. Verùm egregiè hîc hallucinantur, idque duplici nomine. 1ò. Quod manifeſtè ſtatuant pœnitentiæ opera fidem præcedere, quod falſiſſimum eſt. Neque enim de peccatis dolere, ea deteſtari, propoſitum novæ vitæ ſuſcipere, & cætera priùs dicta pœnitentiæ opera (quæ ἀξίους τῆς μετανοίας καρπούς eleganter dixit Baptiſta) perficere aut poſſit, aut velit, qui non ſeriâm Chriſti Evangelio fidem priùs habuerit. Liceat ergo tali dilemmate eos urgere: Si fides ſola & per ſe juſtificat, hoc officium præſtat vel ante pœnitentiæ opera producta, vel non niſi poſtea. Si antea dicunt, quomodo ergo pœnitentia ab iis dicitur diſpoſitio præcedanea ad juſtificationem? quomodo etiam pœnitentiæ opera ad juſtificationem a Spiritu Sancto neceſſaria ſtatuuntur ei, qui fide ſolâ jam antè juſtificatus fuerit? * Si verò reſpondeant, fidem non niſi poſt hæc opera producta juſtificare, in unam harum abſurditatum incidant neceſſe eſt, ut dicant, vel fidem ante pœnitentiæ opera non extitiſſe, vel, quod ad juſtificationis effectum attinet, otioſam fuiſſe. Dices: etſi pœnitentia à fide fluat, atque adeo fides ordine naturæ ſit pœnitentiâ prior, poſſint tamen & fides & pœnitentia in uno eodemq; temporis momento ſimul exiſtere. Reſpond. Illud mirè abſurdum, imò planè impoſſibile eſt: fieri non poteſt, ut fides pœnitentiam eliciat in inſtanti. Ut enim quis de peccatis doleat, ea deteſtetur, humiliet ſe ſub manu Dei, actum amoris erga Deum exerat, propoſitum novæ vitæ concipiat, tempore & ſerie quâdam pii diſcurſûs omnino opus

(*) פרק *Chaldæum reſpondet Hebræo* פרה. *vide 2 Sam 4. 9. Num. 3. 49. & 18. 15.*

Rectè ergo Theodotion vertit, λύτρωσαι. *Vide Grot. in locum.*

* *Vide de his Examen Cenſuræ Reſponſ. ad Animadverſ.* VIII.

opus est. Subtiliora hæc esse fateor; sed dignum est patellâ operculum; objectioni quadrat responsio: cum λεπτολόγοις istis λεπτολογεῖν planè necesse fuit.

§. 9. 2dò. Quod jactant de instrumentalitate fidei in justificationis negotio, nihil etiam quàm meram & inanem subtilitatem redolet. * Præterquam enim quòd extra Scripturas hîc loquuntur, si instrumentum strictè & propriè sumatur pro causa efficiente minùs principali, clarum est, fidem justificationis instrumentum nullo modo dici posse. Nam primò, cùm justificatio sit actio Dei solius, eáque tota extra nos producta, quomodo vel fides nostra, vel quævis nostra actio ad justificationis effectum producendum physicam ullam efficientiam habeat, prorsus ἀνάλογόν est. Deinde omnis causa instrumentalis (ut jam innuimus) suo modo in effectum influit, eiq; effecti productio propriè attribui potest. Jam verò, cùm justificatio nihil aliud sit quàm gratiosus Dei actus, quô peccata nostra nobis condonet, ac nos ad salutem acceptet, valde absurdum esset dicere, vel fidem, vel opera nostra, vel quidvis aliud nostrî aut remittere peccata nostra, aut personas nostras acceptare: quod tamen, si instrumentalis causa justificationis fides sit, planè dicendum esset. Annon igitur (inquies) rectè dici potest, fide nos Christum accipere, ac beneficium justificationis ab ipso partum amplecti? Resp. Quanquam, an ista Christi acceptio non sit potiùs charitatis actus, quàm fidei, à nonnullis non immeritò dubitetur; de eo tamen (in præsenti) cum quoquam contentionis serram reciprocare, nobis non est animus. Pro confesso id sumatur. Quod regerimus, hoc est: hunc actum amplectendi Christum à justificationis actu δὶς διὰ πασῶν & toto cœlo distare; cùm sit actus noster, justificatio verò solius Dei. Etiamsi igitur concederemus, habitum fidei esse instrumentum, vel potiùs causam principalem istius actûs, quo Christum amplectimur; qui tamen inde intulerit, fidem esse etiam justificationis instrumentum, manifestissimæ certè inconsequentiæ reus tenebitur. Ut ergo quod res est dicam, si fidem instrumentum esse velimus, fieri non potest, ut concipiatur alio modo instrumentum esse, quàm quatenus opus est ex præscripto, & per gratiam Dei a nobis præstitum. Conditio enim, quatenus præstita est, aliquo modo medium, sive instrumentum dici potest, quo consequimur rem, quæ sub conditione promittitur: Et vocatur hôc a nonnullis instrumentum morale. Et si hoc sensu instrumentum sumatur, (nempe pro conditione sive instrumento morali) fidem esse unicum justificationis instrumentum omnino negamus: cùm (ut jam satis evicimus) etiam pœnitentiæ opera non minùs necessaria ad justificationem obtinendam à Spiritu disertè statuantur.

Vide Eccles. nostræ Homil. de salute, parte 2. p. 17.

§. 10. Dices: si hæc vera sint, quænam est fidei illius, de qua toties & tam magnifica loquitur Scriptura, supra cætera pietatis opera præstantia? Quid periculosius, quàm fidem non solùm ut ex se ad justificationem prorsus insufficientem rejicere; sed & in eundem censum cum cæteris operibus redigere, & non minora istis quàm fidei ipsi tribuere? Resp. Ad hanc objectionem pleriq; veluti ad Gorgonis caput, ipso aspectu contremiscunt; nec diffiteor eam esse primâ fronte satis terribilem. Verùm enimvero quisquis animum recipiens ad eam propiùs accesserit, inane spectrum, ac puerile prorsus terriculamentum illicò persentiscet. Fides enim illa, cui tot & tanta tribuuntur in Novo Testamento, (ut id in antecessum dicatur) pro unica ac simplici virtute nequaquam sumenda est. Suo enim ambitu (quod suo loco clarè ostenditur) omnia Christianæ pietatis opera comprehendit. Ubicunque autem accipitur ut opus per se distinctum, atq; ab aliis omnibus virtutibus disjunctum, tantum abest ut ei primas tribuat Spiritus Sanctus, ut post charitatem ferè tertio loco ab ipso Paulo collocetur, 1 Cor. 13. ult. Νυνὶ δὲ μένει πίστις, ἐλπὶς, ἀγάπη· μείζων δὲ τούτων ἡ ἀγάπη. Neque id solùm intelligendum de durationе charitatis in vita futura, quasi eô tantùm nomine fidei præstaret; (quod video nonnullorum esse κερσφύγετον) quippe quæ in hac ipsa vita fide longè utilior atq; excellentior ab Apostolo v. 2. disertè statuatur. Concedimus nihilominus, aliô respectu fidem ipsâ charitate, atque adeò aliis omnibus virtutibus superiorem evadere, in hoc sc. quòd aliorum operum omnium radix ac fundamentum sit, & quasi mater cæterarum virtutum; non quòd eas necessariò pariat, sed quòd parere apta nata sit, quin etiam, si vis ejus crebrâ ac seriâ consideratione excitetur, & quasi foveatur, tantùm non certò producat: (qui enim

* *Hoc Doctissimus Auctor egregiè defendit in Examine Censuræ Resp. ad Animadv.* IX.

nim rebus Evangelii tum firmo aſſenſu credit, tum attento eas animo expendit, penè impoſſibile eſt, ut is non pius exinde evadat) deniq; quòd nulla virtus in homine exiſtere poſſit, quæ non ex hujus fidei quaſi utero prodeat. Jam matrem, licèt aliàs inferiorem, hoc ipſo tamen quòd mater ſit, filiæ præſtare quis neſcit? Atq; huc proculdubio referenda ſunt, quæ de fide copiosè differit Autor ad Hebræos cap. 11. per totum; ubi multa atq; adeò magnifica fidei tribuit, nec non egregia omnia piorum, qui in veteri Teſtamento claruerunt, facinora ex fide profecta eſſe pulchrè oſtendit. Deniq; veriſſima hæc eſt cauſa (ut id in anteceſſum etiam dicatur) cur univerſa Chriſtianæ pietatis opera ab Apoſtolo Paulo in ſuis epiſtolis ferè ſub fidei nomine comprehendantur: Nimirum ab eo fructus in ſemine cenſetur.

ANNOTATA

Ad CAP. II.

Ad §. I.

§. 1. PER bona opera, ſpeciatim per actus Pœnitentiæ, nos gratiam DEI ac remiſſionem peccatorum impetrare, Vir Reverendus pluribus Sacrorum Scriptorum teſtimoniis ſolidiſſimè probavit. Non abs re autem fore puto, ſi aliqua Scripturæ præmittantur dicta, quæ demonſtrent, fideles ex bonis operibus juſtos in DEI judicio declarari, ſicq; plenam ejus gratiam ac perfectam peccatorum remiſſionem adipiſci. Sane à nemine meliùs ac certiùs diſcere poſſumus, ex quo aliquis juſtus in foro Divino declaretur, quàm ab ipſo DEO judice, ſententiam pronuntiante. Ita verò is Ezech. XVIII. 5. ſeqq; *Vir*, inquit, *ſi fuerit juſtus, & fecerit judicium & juſtitiam, in montibus non comederit, & oculos ſuos non levaverit ad idola domûs Iſrael, & uxorem proximi ſui non violaverit, & ad mulierem menſtruatam non acceſſerit, & hominem non contriſtaverit, pignus debitori reddiderit, per vim nil rapuerit, panem ſuum eſurienti dederit, & nudum operuerit veſtimento, ad uſuram non commodaverit, & amplius non acceperit, ab iniquitate averterit manum ſuam, & judicium verum fecerit inter virum & virum, & in præceptis meis ambulaverit, & judicia mea cuſtodierit, ut faciat veritatem, hic juſtus eſt*, N. B. *vita vivet, ait Dominus Deus.* Et vers. 21. ſeq; *Vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor: in juſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet.* Quibus verbis DEUS ita clarè pronuntiat, ſe ex bonis operibus & obſervatione mandatorum ſuorum hominem juſtum cenſere ac declarare, & quidem in ordine ad concedendam veniam præteritorum peccatorum & gratiam futuræ vitæ; ut qui hæc non perceperit, is audiens non audire, & videns non videre mihi videatur. Idem verò populum Judaicum jam antè docuit DEI interpres Moſes Deuteron. VI. ult. *Eritq; nobis juſtitia*, id eſt, in eo juſtitia noſtra conſiſtet, *ſi cuſtodierimus & fecerimus omnia præcepta ejus coram Domino DEO noſtro, ſicut mandavit nobis.* De Pineha Sacerdote David Pſalm CVI. 31. canit: *Et ſtetit Pinehas, & judicavit, & ceſſavit plaga, & reputatum eſt ei in juſtitiam in generationem & generationem uſq; in ſempiternum.* Quod ne in reſpectu ad opinionem hominum, ſed ipſius DEI judicium dici putes, accipe verba Divini Numinis Num. XXV. 11. ſeq; *Phinees filius Eleazari, filii Aaron Sacerdotis, avertit iram meam à filiis Iſrael, quia zelo meo commotus eſt in medio eorum, ut non ipſe delerem filios Iſrael in zelo meo. Idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem foederis mei, & erit tam ipſi quàm ſemini ejus pactum Sacerdotii ſempiternum, quia zelatus eſt pro DEO ſuo, & expiavit ſcelus filiorum Iſrael.* Imo aliquando Scriptura, dum bona fidelium opera memorat, eoſq; inde appellat juſtos, expreſsè addit: *coram DEO.* Sic Luc. 1. 6. de Zacharia & Eliſabetha: *Erant autem ambo juſti coram DEO, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini irreprehenſibiles.* Et vers. 75. *In ſanctitate & juſtitia coram ipſo.*

§. 2. Præ

§. 2. Præ aliis autem N. T. locis clarissimus est,& maximam meretur considerationem vers.7. cap.3. Epist. 1. Joannis, ita sonans : *Filioli,nemo seducat vos. Qui facit justitiam, justus est, sicut & ipse justus est.* Clarissimus, inquam, est hic locus, quia disertis verbis eum, qui operatur justitiam, exinde justum pronuntiat, & quidem perinde ut Christus justè agendo justus fuit ; non solùm coram hominibus, sed & coram DEO. Consideratione autem maximâ dignum dixi, quia præfatur Apostolus : *Filioli, nemo vos seducat* ; respiciens ad Simonem Magum vel potiùs successores ejus, quibus totam istam S. Joannis epistolam oppositam esse, alibi prolixè probavi, atq; ultimum etiam Apostoli monitum : *Filioli custodite vos à simulacris*, exposui de imaginibus Simonis & Helenæ juxta figuram Jovis ac Minervæ factis, atq; ab hæreticorum istorum caterva adoratis, teste Irenæo Lib. I. cap. 20. Nam impostor iste inter alia docuit : *Secundum ipsius gratiam salvari homines, sed non secundum operas justas ; neq; enim esse naturaliter operationes justas, sed ex accidenti, quemadmodum posuerunt, qui mundum fecerunt, Angeli,* prout Irenæi de eo verba sonant loco citato. Contra quæ S. Joannes docet, peccatum nihil aliud esse quàm ἀνομίαν, id est, transgressionem Legis à DEO positæ ; in actionibus autem ad ejus normam compositis justitiam nostram consistere, coram ipso DEO scilicet, & quidem in ordine ad æternam Salutem : istud enim Simonianos negasse, ex allegatis Irenæi, nec non aliorum Patrum verbis constat ; ac proinde Joannem eos oppugnantem id affirmasse, nullum est dubium.

§. 3. Sed ad Apostolum Paulum tandem deveniamus, dispicientes utrum non & ipse ex bonis operibus nos justificari, id est, justos coram DEO censeri doceat. Certum est, quod nos justificari velit ex ista *justitia* DEI, cujus aliquoties mentionem facit, ubi hac de re disputat. Per illam itaq; si justitiam à DEO donatam, sive quatenus eam operamur, sive quatenus ea in judicio divino approbatur, Apostolum intellexisse probavero, ex illa nos coram DEO justificari, juxta ejusdem doctrinam necessariò consequetur. Primò *justitiæ DEI* mentionem facit Rom. III. 21. *Nunc autem justitia DEI manifestata est, testificata à Lege & Prophetis.* Atqui activam justitiam testimoniô suô commendasse Legem & Prophetas, ex antè allegatis Mosis & Ezechielis locis constat : quæ quidem Paulus in mente habuisse, præcipuè autem respexisse videtur locum Deuteron. XXX. unde quædam citans, sequenti cap. X. vers. 6. ita scribit : *Quæ est ex fide justitia, ita dicit : Ne dixeris in corde tuo : quis adscendet in coelum ? id est Christum deducere ; aut quis descendet in abyssum ? hoc est Christum à mortuis reducere. Sed quid dicit ? Prope est verbum in ore tuo, & in corde tuo. Hoc est verbum fidei, quod prædicamus.* Verbum autem quod Moses prope esse dicebat, erat præceptum justitiæ activæ, siquidem post ista : *Prope est verbum in ore tuo ; & in corde tuo*, continuò, nullâ voce interpositâ, addit : *ut facias illum.* Et mox vers. 15. distinctiùs semetipsum explicat, dicens : *Præcipio Tibi, ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & custodias mandata illius ac ceremonias atq; judicia, & vivas.* Deindè Paulus Rom. VI, 13. ait : *Exhibete vos DEO tanquam ex mortuis viventes, & membra vestra arma justitiæ DEO.* Mox vers. 18. *Liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ.* Ubi justitiam inhærentem ipsi adversarii intelligunt. Porro cap. X. vers. 3. Apostolus scribit : *Ignorantes enim justitiam DEI, & propriam justitiam quærentes statuere, justitiæ DEI non sunt subjecti,* ἐκ ὑπετάγησαν. Quod verbum ὑποτάσσεσθαι quomodo ad justitiam imputatam quadret, perspicere nequeo ; activæ autem vel ejus præceptis in Evangelio datis optimè congruere, nemo non videt ; siquidem ὑποταγὴ *Subjectio* manifestè respectum habet ad Legem. Unde sicut hîc dicit, Judæos *propriam justitiam quærentes statuere, justitiæ DEI haud subjectos esse* ; ita præcedenti cap. IX. v. 31. ait : *Israel sectando Legem justitiæ,* (nempe *Mosis*, in tabulis scriptam) *ad legem justitiæ non pervenit* ; legem scilicet justitiæ Christi, per Spiritum DEI cordibus fidelium inscriptam. De hac enim præcedenti cap. VIII. v. 2. seqq; ait : *Lex Spiritûs vitæ in Christo Jesu liberavit me à Lege peccati & mortis* (quam cap. VII. vers. 23. dixerat *in membris ejus existere*) *Nam quod impossibile erat Legi, siquidem infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudine carnis peccati, & pro peccato, condemnavit peccatum in carne, ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum Spiritum.* Ex quo loco lux accedit quoq; isti S. Pauli dicto Galat. III. 21. *Si data fuisset lex, quæ posset vivificare, verè ex Lege esset justitia* ; id est, si cum Lege Spiritus S. vivificans

nobis communicatus fuiſſet, tunc ex iſta lege veram operati fuiſſemus juſtitiam, ex qua juſtos nos DEUS pronuntiaſſet. Satis clara quoq; ſunt verba Apoſtoli Philip. III. 9. de ſemetipſo dicentis: *Non habens meam juſtitiam, quæ ex Lege eſt, ſed illam quæ per fidem eſt Chriſti, eam quæ ex DEO eſt, juſtitiam in fide.* Hîc enim iterum præpoſitio ἐκ juſtitiæ Chriſti à DEO nobis imputatæ non convenit; ad iſtam verò, quam ex dono DEI reapſe accipimus, optimè quadrat. Ad quam etiam digitum intendit, continuò addens: *Ut cognoſcam eum* (Chriſtum) *& virtutem reſurrectionis ejus*; quam declarat Rom. VI. 4. ſcribens: *Ut quomodo Chriſtus ſuſcitatus eſt à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Deniq; quis credat Paulum *juſtitiam DEI* in alio ſenſu accepiſſe vel tradidiſſe, quàm quô ipſe Servator, hujuſq; frater Jacobus, de ea locuti ſunt? Atqui ille Matth. VI. 33. ait: *Quærite primùm Regnum DEI & juſtitiam ejus* (DEI.) Hic cap. I. Epiſt. verſ. 20. *Ira hominis juſtitiam DEI non operatur.* Juſtitia itaq; DEI, cujus mentionem Apoſtolus de noſtra coram DEO juſtificatione tractans identidem facit, eſt juſtitia quam per gratiam atq; auxilium DEI operamur; ac proinde ex illa nos coram DEO juſtificari juxta ejus doctrinam planè conſtat.

§. 4. Dices, Paulum tamen Rom. III. 24. docere, quod *juſtificemur gratis gratiâ DEI propter redemptionem Chriſti.* Et cap. IV. 3 ſeqq. quod fides Abrahamo imputata ſit, nobiſq; pariter imputetur in juſtitiam, *non ſecundum debitum, ſed ſecundum gratiam.* Unde ſequitur, hominem non ex fide & reliquis virtutibus juſtum à DEO cenſeri. Licet enim hæ a DEO gratis nobis donentur, tamen non gratis, ſed merito ac debito jure inde juſti declararemur, ſi in illis noſtra coram DEO juſtitia conſiſteret. Reſp. 1. Si rem ipſam in ſe conſiderarem citra reſpectum ad objectos Apoſtoli locos, dicerem quod gratis juſti declaremur propter redemptionem Chriſti, quia juſtitia noſtra ſuos habet defectus, quatenus nempe cum originali integritate nobis concreata comparatur, & partim cum minoribus delictis eſt conjuncta: quos tamen bonorum operum defectus & peccatorum reatus DEUS gratis propter Chriſtum non imputat, dum nos juſtos pronuntiat. Aſt licet hoc in ſe ſit veriſſimum, valde tamen dubito, imo inficias eo, Apoſtolum in allegatis textibus iſthuc reſpexiſſe; ſiquidem non de venialibus peccatis cum juſtitia conſiſtentibus, hujuſq; imperfectione in ſtricto DEI judicio ibi agit, ſed de criminibus ante juſtificationem commiſſis (quæ πεφεγονότα ἁμαρτήματα appellat) iiſq; grandibus, quibus naturalis & legalis juſtitia eſt deturpata, ut ex eorum enumeratione cap. 1. & 2. ac repetitione cap. III. v. 9. ſeqq; liquidò patet. Aliter igitur reſpondeo, ſc. 2. conſequentiam in objecto argumento non eſſe validam, eiq; repugnare iſtud vulgatum: *quod eſt cauſa cauſæ vel antecedentis, id etiam eſt cauſa cauſati ſive conſequentis.* Unde ſi ex gratia DEI propter meritum Chriſti fides ac juſtitia nobis donatur, quare non etiam gratiæ DEI ac ſatisfactioni Chriſti adſcriberetur, quod juſti in judicio DEI declaremur? Sane ipſe Paulus ita ratiocinatur Rom. cap. IV. v. 16. *Ideo ex fide, ut ſecundum gratiam*; quia ſcilicet ipſa fides eſt gratuitum DEI donum, prout alibi docet, ſeq; ipſum magis explicat his verbis Epheſ. II. 8. *Gratiâ eſtis ſalvati per fidem* (*& hoc non ex vobis*; *DEI eſt donum*) *non ex operibus, ne quis glorietur.* Quorſum etiam pertinent verba Chriſti Ioan. VI. 29. *Hoc eſt opus DEI*, (non hominum) *ut credatis in eum quem ipſe miſit.* Rectè igitur dicimur gratiâ DEI propter redemptionem Ieſu Chriſti juſtificari, quia juſtitia, ex qua juſti declaramur, nobis gratis propter meritum ſanguinis Chriſti eſt donata. Sed 3. quando Apoſtolus dicit, nos gratis propter ſatisfactionem Chriſti juſtificari, reſpectum præcipuè videtur habere ad poſteriorem juſtificationis partem, quâ à reatu atq; pœna priorum criminum abſolvimur, & quaſi pro juſtis habemur, cum tamen revera peccatores fuerimus. Unde priori locô Rom. III. 25. expreſsè addit: διὰ τὴν πάρεσιν τῶν πεφεγονότων ἁμαρτημάτων, quomodo & Hebr. IX. 15. dicit mortem Chriſti factam εἰς ἀπολύτρωσιν τῶν ἐπὶ τῇ πρώτῃ διαθήκῃ παραβάσεων. Similiter poſteriori loco, ubi dicit *fidem Abrahamo imputatam fuiſſe in juſtitiam*, item *nobis juſtitiam imputari non ſecundum debitum, ſed ſecundum gratiam*, haud de præſenti eorum qui juſtificantur juſtitia loquitur, vel id vult, quod fides illis in juſtitiam imputetur, quâ alioqui impræſentiarum careant; ſed reſpectum habet ad præteritam eorum vitam, quando erant ἀσεβεῖς (ut expreſsè appellat) id eſt, irreligioſi ac maligni divinarum legum tranſgreſſores, & loco juſtitiæ, quâ tunc prorſus deſtituti erant, eis præſentem fidem ac vitæ integritatem imputari docet, hâcq; præterita ſcelera quaſi tegi & obliterari.

Unde

Unde mox verba Davidis Psalm. XXXI. 1. seq; citat: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.* Quibus tamen cum Psaltes continuò subjungat: *Et in Spiritu eorum non est dolus*, de præsenti eorum integritate satis testatur. Ob præteritorum igitur peccatorum veniam, quam DEUS largitur, simul ac nova hominis justitia coram facie ejus apparet, impium secundum gratiam justificari, ac *justitiam ei imputari* dixit Apostolus, id est, *peccatum ei non imputari*; quas duas phrases tanquam æquipollentes ab Apostolo usurpatas esse, ipsi adversarii concedunt, imo sæpe ad suæ causæ defensionem, licet frustra, urgere solent. Sed satis ad hanc objectionem. Quid verò ad aliam ex istis locis, ubi Apostolus negat, *hominem ex operibus justificari*, petitam sit respondendum, ex Dissertatione II. benevolus Lector abunde discere poterit.

Ad §. III.

PErpetua est adversariorum exceptio, quod conversio à peccatis ac bona opera ab Ezechiele aliisq; Prophetis requirantur ut necessaria *ante* justificationem, sed non *ad* justificationem; quodq; in homine quidem justificando ea præsto sint, (ob veram scilicet fidem, à qua bona opera separari haud posse fingunt) attamen quod per illa haud justificetur, sed solâ fide. Hanc enim unicè, non verò bona opera DEUM in actu justificationis respicere, indeq; per Prophetam dicere: *Judicium & justitiam fecit, vivendo vivet*; non autem: *quia judicium & justitiam fecit*, &c. Sed mirum est, homines adeo vanis commentis sibi aliisq; imponere, ac DEO quasi in os contradicere. Equidem isto Ezechielis loco, quem Clariss. Auctor allegat, cap. XXXIII. scilicet, particula causalis non est addita in Hebræo textu; eam tamen ibi habent LXX. ὅτι κρῖμα καὶ δικαιοσύνην ἐποίησεν, ἐν αὐτοῖς ζήσεται, nec non Arabicus Interpres, & ipse Lutherus, princeps solius fidei justificantis patronus, in Germanica versione. Sensus quippe & connexio textûs eam omnino requirit, adeo ut à quovis subintelligatur, licet non sit expresè addita. Imo verò est addita ab ipso Propheta in loco parallelo cap. XVIII. v. 19. *Et dicis: Quare non portavit filius iniquitatem patris? Quia filius judicium & justitiam operatus est, omnia præcepta mea custodivit, & fecit illa, vitâ vivet.* Ita enim *Vau* præfixum voci *filius* rectè reddiderunt omnes Interpretes, siquidem respondet præcedenti לָמָּה *quare*. Pergit Deus vers. 20. *Justitia justi super eum erit, & impietas impii erit super eum.* Et vers. 22. *In justitia sua, quam operatus est, vivet*; perinde ut vers. 24. de impio: *In peccato suo morietur.* Deniq; vers. 27. sequ. *Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit judicium ac justitiam, ipse animam suam vivificabit. Considerans enim & avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vitâ vivet, & non morietur.* Concurrit igitur conversio pœnitentis ad effectum salutis animæ, ac per illam vivit, sicut impœnitens ob peccata moritur.

Ad §. IV.

UT modò memoratæ exceptioni hôc quoq; loco occurratur, istis Christi verbis, quibus favorem Patris sui pollicetur diligentibus eum Joan. XIV, jungendum aliud Servatoris dictum sequenti cap. XVI. Joannis Evangelistæ vers. 27. *Ipse enim Pater amat vos, quoniam vos me amastis, & credidistis quod à Patre egressus sim.* Ubi Jesus, quasi prævidens frivolum effugium, huic præcludendo particulam ὅτι usurpavit, & amori ejus pariter ac fidei in ipsum, φιλίαν DEI Patris adscripsit. Cæterùm illustris quoq; locus est, Matth. XIX. 16. seqq; ubi ad quæstionem juvenis cujuspiam: *Magister bone, quid boni faciam, ut vitam æternam habeam?* Servator disertè respondet: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et similiter Luc. X. 28. Legisperito, post recitatum de amore DEI ac proximi præceptum, ait: *Fac hoc, & vives.* Quibus in locis quamvis non de ipsa justificatione, sed vita æterna Christus loquatur, pro illa tamen, perinde ac pro hac, per præceptorum Dei observationem obtinenda argumentum depromere licet, saltem ex Hypothesi istorum Solifidianorum, qui utriusq; eandem volunt esse rationem, ac neutram bonis operibus nos consequi contendunt. Ridenda autem est, imo potiùs execranda violenta detorsio verborum Christi, quâ fingitur, illis per errorem conantibus bene operando vitam æternam acquirere, juxta errorem eorum hôc sensu respondisse: *Si istâ bonorum operum viâ vis ad vitam ingredi, fac periculum, & serva mandata.* Item: *Fac hoc, si possis, & vives.* Subintelligendum autem utrobiq;: *Sed mandata servare haud poteris, ac facere quod vanè imaginaris, ideoq; te miserè deceptum*

ceptum tandem videbis. Quibus refutandis apprime apta ſunt verba Irenæi mei, hæreticos haud multùm abſimilia de Chriſto & Apoſtolis commentos ita redarguentis Lib. III. cap. 5. ‘ Dicunt hi, ‘ qui ſunt vaniſſimi Sophiſtæ, quoniam ‘ Apoſtoli cum hypocriſi fecerunt doctri- ‘ nam ſecundum audientium capacitatem, ‘ & reſponſiones ſecundum interrogantium ‘ ſuſpiciones, cæcis cæca confabulantes ſe- ‘ cundum cæcitatem ipſorum, languentibus ‘ autem ſecundum languorem ipſorum, ‘ & errantibus ſecundum errorem eorum. ‘ — Hoc autem non eſt ſanantium, nec ‘ vivificantium, ſed magis gravantium & ‘ augentium errorem ipſorum, Et paulo poſt de ipſo Servatore : ‘ Quoniam Do- ‘ minus Medicus venit eorum qui malè ‘ habent, ipſe teſtificatur dicens : Non ‘ eſt opus ſanis Medicus; ſed malè haben- ‘ tibus. Non veni vocare juſtos, ſed pec- ‘ catores ad pœnitentiam. — Non igitur ‘ jam ſecundum priſtinam opinionem lo- ‘ quebatur eis, neq; ſecundum ſuſpicio- ‘ nem interrogantium reſpondebat eis, ſed ‘ ſecundum doctrinam ſalutarem ? Deinde dicant qui nobis contradicunt, anne etiam Apoſtolis per talem ironiam, qualem allegatis in locis fingunt, dixerit Chriſtus Joan. XIII. 17. *Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea.* Et Joan. XV. 10, 14. *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea ; ſicut ego præcepta Patris mei ſervavi, & maneo in ejus dilectione. — Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.* Id ſane dicere nolent, ſcio.

Ad §. V.

CLarè *innuens, meritô Chriſti juſtificari, non niſi qui Spiritu Chriſti priùs ſancti redduntur.*] Nec obſcurè hoc innuit Apoſtolus Tit. III. 6, & 7. de Spiritu S. ſcribens : *Quem effudit* (Deus) *in nos abunde per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, ut juſtificati gratiâ ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Quaſi haud juſtificemur, niſi Spiritu S. priùs in nos effuſo renovati. Fruſtra ergo ſunt, qui ex 1. Corinth. I. 30. ubi *juſtitia ſanctificationi* præponitur, probant, juſtificationem ſanctificatione priorem eſſe. Nam in eadem Epiſtola cap. VI. verſ. 11. ordine inverſo ſcripſit Paulus : *Sed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis.* Ut de Luc. I. 75. aliiſq; Scripturæ locis nihil dicam, nec in genuinum ſenſum objecti loci 1. Corinth. I. 30. nunc accuratè inquiram, ex quo forte contrarium colligi poſſet.

Ad §. VII.

DE eleemoſyna ſive miſericordia erga pauperes, ad veniam peccatorum impetrandam maximè proficua, notandum quoq; dictum Salomonis Proverb. XVI. 7. *Miſericordiâ & fide redimitur iniquitas.* Cui conſonum eſt iſtud cap. XV. v. 27. juxta LXX & Vulgatam Latinam atq; Arabicam verſionem : *Per miſericordiam & fidem purgantur peccata* ; citatum à S. Cypriano Sermone de Eleemoſyna : *Loquitur in Scriptura Spiritus S. & dicit : Eleemoſynis & fide purgantur delicta.* Sed quicquid de poſteriori loco ſtatuatur, priori Salomo jungit *miſericordiam* & *fidem*, (ſicut & ipſe Servator fecit Matth. XXIII. 23. ea tanquam βαρύτερα τὸ νόμε commendans) ac utrâq; iniquitatem ſive peccata redimi docet. *Impetratur*, inquit *Piſcator* ad hunc locum, *à DEO remiſſio iniquitatis, ac proinde omiſſio pœnæ.* Porro miſſis Apocryphis V. T. Scripturis, produco inſuper ex N.T. verba Jacobi cap. II. v. 13. ubi ait : Καταυχᾶται ἔλεος κρίσεως. Et cap. V. verſ. ult. de Spirituali eleemoſyna, converſione videlicet hominis à veritatis tramite aberrantis : Καὶ καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν. Quod dictum, uti plura alia, S. Jacobus mutuatus eſt à S. Petro, qui de charitate, fonte omnis eleemoſynæ, 1. Epiſt. IV. 8. ſcripſit : ἡ ἀγάπη καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν. A quo idem edoctus quoq; S. Clemens, ab eodem ordinatus Romæ Epiſcopus, loco infrà Diſſert. II. cap. 12. §. 27. citato ſcripſit, *per charitatem nobis peccata remitti* ; mox citans verba Davidis : *Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates*, &c.

CAP.

CAP. III.

Argumentum secundum à notione Justificationis. Justificatio tria involvit : judicem, clientem, legem. Quæ sit illa lex, ad cujus normam justificatio vel condemnatio nostrî peragenda sit, ostenditur. Argumentum inde formatur.

§. 1. ALterum argumentum ad hypothesin Jacobi stabiliendam peti potest ab ipsa notione ac natura justificationis. Hoc ut meliùs intelligatur, enucleatiùs explicandum est, quod superiùs sicco quasi pede præterivimus : nempe vocabulum justificationis esse *forense*, sive *juridicum*, atq; adeo primâ sui notione juris processum apertè connotare. In omni autem juris processu tria saltem statuenda sunt : Iudex, qui sententiam fert ; Reus (quo nomine personam accusatam intelligo, qui talis apud Ciceronem appellatur, etiamsi criminis insons sit, & petitori opponitur) qui in jus vocatur ; ac denique Lex, ad cujus normam judicium peragitur. Pariter in omni justificatione tria hæc reperiuntur, aut certè eorum singulis aliquid analogum. Sic v. g. cum dicitur homo ex operibus legis, aut ex fide Christi in Dei conspectu justificari, Reus hîc est homo ; Judex Deus ; Norma, ad quam judicium dirigitur, est vel (ex altera parte) lex Mosaica, vel (ex altera) lex Christi, alicubi *lex fidei* dicta, sc. Rom. 3. 17. Nec quis justificari dici potest, nisi ad normam istius legis, per quam judicatur, absolvatur ; sive sit ea lex Mosaica, sive Christi. Verbô dicam : nemo justificatur sive absolvitur, nisi qui legem, ad cujus normam judicatur, impleverit.

§. 2. Restat igitur unicum illud inquirendum, nempe quænam sit illa lex, cujus judiciô nobis Christianis standum sit ? Respondet hîc pro nobis Jacobus noster hôc ipso capite, v. 12. οὕτω λαλεῖτε, καὶ οὕτω ποιεῖτε, ὡς διὰ νόμου ἐλευθερίας μέλλοντες κρίνεσθαι. Lex igitur per quam judicandi sumus, est νόμος ἐλευθερίας, Lex libertatis, triplici nomine sic dicta ; Primò quòd liberet nos a servili ceremoniarum Mosaicarum jugo : deinde quòd per ipsam solam à reatu ac pœna peccati liberemur. Ac denique νόμος ἐλευθερίας vocatur, (imo ideo præcipuè) quòd à dominatrice vi ac tyrannide peccati nos liberet, sub cujus jugo, qui in lege Mosaica manserunt, sine ulla liberationis spe frustra ingemuerunt : Quam liberationem efficit in nobis Spiritus Christi, qui legem Christi individuo nexu comitatur. Hæc ideo à nobis obiter notata, ne quis è Libertinorum fæce, cùm de libertatis lege audiverit, illico Jacobum sibi adblandiri suspicaretur. Ut igitur è diverticulo in viam revertamur, νόμος ἐλευθερίας procul dubiô eadem lex est ac νόμος βασιλικὸς, lex regia, i. e. Christi Regis nostri, de qua loquitur Divinus Author v. 8. Ea verò cujusmodi sit, verba in eodem versu immediatè sequentia satis liquidò ostendunt : Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν. Nimirum *de Decalogo* sive lege decem præceptorum intelligendus est Jacobus. Quod adhuc manifestiùs apparebit, si quis v. 11. consulat, ubi nonnulla ejus legis præcepta speciatim enumerantur. Verbô dicam : νόμος βασιλικὸς & νόμος ἐλευθερίας, lex Regia & lex libertatis, de qua loquitur Jacobus, & per quam nos judicatum iri affirmat, non est nisi ipsissima lex moralis, prout sc. eam & exposuit, & perfecit Christus ipse, atq; à monte (Sinai succedaneo) tanquam legem suam discipulis tradidit ; additâ sanctione, quâ ut obedientibus firmissima immortalitas promittitur, ita immorigeris ineluctabilis denuntiatur interitus, Matth. 7. 24. & deinceps.

Vide Jac. 1. 25. ubi eadem lex appellatur νόμος τέλειος ὁ τῆς ἐλευθερίας.

§. 3. Hoc ideo curiosiùs observandum, ne errorem erremus, quem Lutherus, & post eum nostratium Theologorum plerique, * in disputationibus suis de justificatione contra Pontificios, nimiô contradicendi

* Nostrates *Theologos quosnam vocaverit, declarat Reverendus Vir in Examine Censuræ Resp. ad Animadvers.* X.

dicendi æſtu abrepti, in Eccleſias reformatas, maximo earum malo, invexerunt: ſc. Evangelium ex puris putis promiſſis conſtare; Chriſtum dediſſe mundo legem nullam; id tantum egiſſe, ut legem priùs latam exponeret, atq; à peſſimis Scribarum ac Phariſæorum commentis aſſereret; legis moralis uſum eum nunc eſſe unicum, ut per ipſam homines ad fidem Chriſti adducantur, vel ſaltem ut ſit arbitraria quædam vivendi regula, à Chriſto quidem nobis commendata, cui obtemperare ex gratitudine teneamur; nequaquam verò ſub periculo animæ, aut tanquam conditio novi fœderis ad ſalutem obſervatu neceſſaria, nobis impoſita. Ex his principiis, incautiùs ab iis poſitis, atq; à Theologorum vulgô avidè arreptis, per neceſſariam conſequentiam deducta fluxerunt execrabilia Antinomorum, Libertinorum, Familiſtarum atq; ejuſdem farinæ aliorum dogmata, de quibus fortaſſe boni illi viri ne per ſomnium quidem cogitârunt. Verùm utut ſit, qui talia docent & tamen in Libertinos magnis clamoribus vociferantur, quid aliud agunt, quàm ut, dum illos damnant, ſeipſos condemnent? Quippe in præmiſſas conſentiunt, concluſionem tantùm reſpuunt. Ut huic peſſimo errori obviam eatur, illud pro certo ſtatuendum eſt, Chriſtum in concione à Matthæo cap. 5. 6, 7. tradita legem moralem non tantùm expoſuiſſe, ſed etiam ut legem ſuam poſuiſſe, ejuſque obſervationem, gratiâ Evangelicâ temperatam, ab omnibus Chriſtianis, tanquam conditionem fœderis ſui omnino neceſſariam poſtulare. Neq; de hoc dubitari ampliùs poteſt ab eo, qui concionis iſtius epilogum non prorſus oſcitanter legit. Idem quoq; clarè liquet ex ſeria illa aſſeveratione, quam ſuæ illi legis vindicationi præmittit Dominus noſter, Matth. 5. 20. *Dico vobis: niſi abundaverit veſtra juſtitia plus quàm illa Scribarum & Phariſæorum, vos nequaquam ingreſſuros in Regnum Cœlorum.* Quibus verbis illud extra omnem dubitationis aleam ponitur, Servatori propoſitum fuiſſe, legem moralem non tantùm a peſſimis Scribarum ac Phariſæorum commentis vindicare, ſed & ita vindicatam diſcipulis ſuis ſub periculo animæ obſervandam imponere.

§. IV. Ex his jam præmiſſis exſurgit tandem contra Antinomos ac Solifidianos argumentum (meô quidem judiciô) invictiſſimum: *

Quiſquis à Deo per Chriſtum juſtificatur, per legem Chriſti abſolvitur.

At ſolâ fide ſine operibus nemo per legem Chriſti abſolvitur Ergo; &c.

Minor ſola hujus ſyllogiſmi probatione indiget; ea verò ita facilè confirmatur:

Quicunq; per legem Chriſti abſolvitur, eam legem impleat neceſſe eſt:

At fide ſolâ ſine operibus nemo legem Chriſti implet: Ergo fide ſolâ ſine operibus nemo per legem Chriſti abſolvitur.

Major propoſitio hîc etiam ex ſe ſatis manifeſta eſt. Ad minorem quod attinet, quiſquis eam negaverit, in hanc manifeſtam abſurditatem impingat neceſſe eſt, ut dicat, fidem ſolam eſſe totam illam juſtitiam, quam lex Chriſti poſtulat, ſive nihil per legem Chriſti nobis ſub periculo animæ mandari præter fidem. Hoc autem qui (poſt ea quæ tum in hoc, tum in priori argumento diximus) ſeriò affirmaverit, planè indignus eſt qui argumento refutetur; eat Anticyras, helleboro purgandus.

---

* *Hoc argumentum contra adverſarium defendit doctiſſimus Auctor in Examine Cenſuræ Reſponſ. ad Animadv.* XII.

ANNOTATA

Ad CAP. III.

Ad §. III.

NE *errorem erremus, quem Lutherus & poſt eum noſtratium Theologorum pleriq; invexerunt: Chriſtum dediſſe mundo Legem nullam; id tantùm egiſſe, ut Legem priùs latam exponeret*, &c.] Leges novas Jeſum Chriſtum tuliſſe, diverſas à legibus Moſaicis, non ſolùm inſtituta ab eo Novi fœderis Sacramenta, ſed & morale interdictum Polygamiæ ac divortii extra caſum adulterii, manifeſtiſſimè evincunt; nec non loca Pauli Hebr. VII. 12. ubi *tranſlato* V. T. *Sacerdotiô, legis quoq; tranſlationem factam* expreſſis verbis docet; & 1. Corinth. IX. 21. ubi ſe reſpectu legis Moſaicæ ἄνομον, attamen Χριστῷ ἔννομον eſſe profitetur. Quod verò legibus Chriſti pœnæ ſint annexæ, non modò allegata hoc §. verba Servatoris Matth. V. 20. ut & 22. 26. 29. 30. demonſtrant; ſed & Joan. III. 5. *Amen, amen dico tibi: niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in Regnum DEI.* Et Joan. VI. 53. *Amen, amen dico vobis: niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Bene autem factum, quod doctiſſimus Auctor *pleroſque* non omnes, Proteſtantium Doctores hujus erroris accuſârit: quippe aliqui rectiùs hac in parte ſenſerunt, quorum nomina partim, partim verba adduxit is, quem ſemper tanquam egregium in hac aliiſq; pluribus controverſiis moderatorem, et verè Apoſtolicum Edinburgenſis Eccleſiæ Præſulem ſummopere veneratus ſum, *Guilielmum Forbeſium* dico, in Conſiderationibus pacificis ac modeſtis, Lib. IV. de Juſtificatione cap. 2.

Ad. §. IV.

ARgumentum Reverendi Auctoris, quô concludit, *neminem ſolâ fide ſine operibus à DEO juſtificari*, pro medio termino habet, *abſolvi per legem Chriſti.* Atqui ſi de abſolutione à pœna intelligatur, haud gravatim Majorem propoſitionem conceſſerint adverſarii; præſertim voce Legis Chriſti juxta proprium eorum ſenſum acceptâ. Aſt *abſolutionem* ſive immunitatem *à culpa*, quæ præſupponit Moralis Chriſti Legis impletionem, omnino inficias eunt, hanc impoſſibilem eſſe contendentes. Contendant verò neceſſe eſt cum Apoſtolo Galat VI. 2. ſcribente: ἀναπληρώσατε τὸν νόμον τοῦ Χριστοῦ· quin cum ipſo Chriſto Matth. V. 19. dicente: *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in Regno cœlorum; qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno cœlorum.* Et Joan. XV. 14. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis.* Deniq; Luc. XVII. 10. *Cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Servi inutiles ſumus, quia quod debuimus facere, fecimus.* Quibus verbis Servator apertiſſimè docet, nos facere poſſe quæ præcepta ſunt, quæq; facere tenemur: alioquin impoſſibilem ſuppone-ret conditionem, & juberet nos mentiri dicendo: *Fecimus quod facere debuimus.* Abſit verò ut talis blaſphemia cuipiam in mentem veniat. Imo tantum abeſt, ut lex Chriſti ſit obſervatu impoſſibilis, ut *jugum* ejus *ſuave*, & *onus* ejus *leve* ab ipſo appelletur Matth. XI. 30. ac *mandata ejus non gravia* eſſe dicantur à S. Joanne 1 Epiſt. V. 3. Dices: nonne etiam juſti peccant, ac proinde pro remiſſione peccatorum orare docentur à Davide Pſalm XXXII. 6. & ab ipſo Chriſto Luc. XI. 4. Quid autem peccatum eſt aliud quàm ἀνομία, tranſgreſſio Legis? juxta 1 Joan. III. 4. Reſp. Si peccatum accipiatur pro tranſgreſſione legum moralium veteris, aut novi fœderis (quarum illæ fuêre laxiores, hæ autem ſtrictiores ſunt) juſti non peccant; aut ſi peccent, tales eſſe deſinunt, & per ſeriam pœnitentiam renovari opus habent. Nam *omnis qui natus eſt ex DEO, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex DEO natus eſt.* 1. Joan. III. 9. Et ſequenti cap. V. v. 18. *Scimus quoniam omnis qui natus eſt ex DEO, non peccat.* Similiter Petrus 2 Epiſt. I. 10. *Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando*, juxta Vulgatam; ex Græco

Græco ὃ μὴ πταίσητέ ποτε, *non labemeni unquam.* Hinc David de ſemetipſo ait Pſalm CXIX. 11. *In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem Tibi.* Et generatim de juſto Pſalm XXXVII. 31. *Lex DEI ejus in corde ipſius, & non nutabunt greſſus ejus.* Hinc Manaſſes in oratione: *Tu Domine Deus juſtorum, non poſuiſti pœnitentiam juſtis, Abraham, Iſaac, & Jacob, iis qui tibi non peccaverunt*; quomodo & Servator Luc. XV. 7. de *juſtis* ait, quod *non indigeant pœnitentiâ.* Verùm quatenus peccatum latiùs ſumptùm denotat aberrationem ſeu deviationem, ut ita dicam, à primæva perfectione homini concreata, eatenus utiq; *non eſt homo, qui non peccet,* 1. Reg. VIII. 46. *Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum* (perfectè) *& non peccet,* Eccleſiaſtæ VII. 22. Delinquunt igitur juſti, etiam pro tempore, quô tales ſunt, haud violatis tamen legibus Evangelicis, quibus æternæ damnationis pœna annexa eſt, & ex quibus DEUS nos olim judicabit; ſicut ipſius S. Jacobi teſtimoniô dilucidè probatum eſt §. 3. hujus Capitis. Firma igitur ſtat Major propoſitio Doctiſſimi Auctoris noſtri: *Quicunq; à DEO per Chriſtum juſtificatur, is per legem Chriſti abſolvitur*; ſcilicet non à pœna ſolùm præteritorum criminum, atq; venialium delictorum cum verâ juſtitia conſiſtentium, (quam in antecedentibus poſteriorem juſtificationis partem dixi) ſed & à lethali culpa, adeo ut integer atq; juſtus propter obſervatas novas leges, ſub pœna ſempiterni exitii latas, à DEO pronuntietur.

§. 2. Atq; reſpectu hujus à culpa abſolutionis, (quæ priorem juſtificationis partem conſtituit) tale quoq; formari poſſet argumentum, quô probetur, fideles ex operibus ſeu juſtitia activa juſtos coram DEO declarari:

Quicunq; legem, ſecundum quam à DEO judicatur, juſtè agendo implet, is ex activa juſtitia juſtus coram DEO pronuntiatur;
Atqui fideles legem Chriſti, ſecundum quam à DEO judicantur, juſtè agendo implent;
Ergo fideles ex activa juſtitia juſti coram DEO pronuntiantur.

Majorem propoſitionem adverſarii utrâq; largiuntur manu. Minorem inficiantur, rati nullas leges morales à Chriſto latas eſſe; aut ſi ſint, eas à nobis impleri haud poſſe; aut deniq; ſi impleantur, nos tamen non ex iis à DEO in juſtificationis actu judicari, ſed ſecundum legem perfectiſſimæ juſtitiæ, primo homini concreatæ. Atqui cum ad refutationem priorum duarum hypotheſeon ſatis dictum ſit, liceat ad abſurditatem poſtremæ theſeos oſtendendam hoc deniq; ſubnectere argumentum:

Quicunq; ſecundum legem perfectiſſimæ juſtitiæ, qualis Adamo concreata erat, judicatur, is in hac vita non juſtificatur à DEO;
Atqui fideles in hac vita juſtificantur à DEO;
Ergo fideles ſecundum legem perfectiſſimæ juſtitiæ, qualis Adamo concreata erat, non judicantur.

Minoris propoſitionis veritas ab utraq; parte in hac controverſia ſupponitur. Et ſane de non-ente diſputaretur, niſi fideles reapſe à DEO in hac vita juſtificarentur. Major propoſitio itidem Sole clarior eſt, & expreſſis terminis, ut Scholaſtici vocant, in S. Scriptura aſſeritur Pſalm. CXLIII. 2. *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* (*Vivens,* inquit; *Qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt à peccato,* Rom. VI. 7.) Similiter Job. XXV. 4, 5, 6. *Numquid juſtificari poteſt homo comparatus Deo, aut apparere mundus qui natus eſt de muliere. Ecce Luna etiam non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu ejus; quantò magis homo putredo, & filius hominis vermis.* Et præced. cap. IX. v. 2, 3. *Verè ſcio, quod ita ſit, & quod non juſtificetur homo comparatus DEO. Si voluerit contendere cum eo, non poterit ei reſpondere unum pro mille.* Ubi iſtis verbis: *Si voluerit contendere cum eo,* haud obſcurè innuitur, quod DEUS id non faciat, nec intret in judicium cum ſervis ſuis ex ſtricta lege perfectæ ſanctitatis, quâ Adamus ante lapſum præditus erat; ſed ex tenore præceptorum poſtea datorum, quorum obſervatores pronuntiat juſtos ac æternæ vitæ chariſmate dignos; tranſgreſſores autem eorum, tanquam enormium peccatorum reos, ad ignem perpetuum condemnat.

§. 3. Excipient contradicentes, in majori propoſitione haud rectè prædicari ſimpliciter, *is in hac vita non juſtificatur à DEO*; ſed addendum eſſe, *ex operibus.* Licet autem homo, dum ſecundum legem perfectæ juſtitiæ judicatur, non juſtificetur ex propriis operibus, juſtum tamen à DEO declarari ex aliena juſtitia, ſcilicet Chriſti, quam DEUS ei propter fidem imputat. Reſp. Si id velint DEUM juſtitiam Chriſti

(*) *Exam. Sentent. Cameron. c. 2.*

sti imputare fidelibus in remissionem peccatorum, ita ut præterita crimina & præsentia delicta quasi pro non factis habeantur; dicunt, quod S. Scripturæ congruum, & à ratione non est alienum, sed nec nostræ argumentationi adversum. Ast si justitiam Christi à fidelibus ita apprehendi, ac à DEO ipsis ita imputari contendant, ut propria eorum justitia formaliter fiat, ac ex ea justi à DEO pronuntientur; tum istud asserunt, quod sanæ rationi non minùs ac nostræ ratiocinationi repugnat, & in S. Scriptura nusquam docetur, prout in Examine Censuræ Resp. ad Animadversionem XI. ac iis, quæ ibidem annotavi, clarissimè probatum est. Quocirca ut benevolus Lector istum locum adeat, rogamus. Hîc interim firma rataq; maneat S. Jacobi assertio, hominem non ex sola fide, sed & reliquis virtutibus bonisq; operibus, quibus legem Christi implet, justum à DEO censeri.

CAP. IV.

Argumentum tertium à natura ipsius fidei. Tres fidei actus à Theologis vulgò assignati (notitia, assensus, fiducia) expenduntur. Ostenditur nullum ex iis esse, cui justificatio necessariô nexu conjuncta sit.

§. 1. ARgumentum tertium mutuabimur à natura ipsius fidei, hôc modô: Si fides per se, atq; à cæteris virtutibus distincta concipiatur, nullus est ejus actus, qui salvificus sit, vel qui in improbum ac prorsus injustificatum non possit cadere: ergo fide solâ sine cæteris virtutibus planè impossibile est ut quis justificetur. Consequentia Sole clarior est. Ad antecedens quod attinet, sanè qui fide solâ nos justificari tam acriter contendunt, semper mihi visi sunt (absit dicto invidia) vel nesciviſſe, vel saltem non meminisse, quid sit fides. Fidem supra omnem fidem extollunt, qui ei soli tantum tribuunt. Quod ne quis à nobis temere dictum putet, observandum est, tres omnino fidei actus à Theologis vulgò statui, *Notitiam*, *assensum*, ac *fiduciam*. Singulos horum percurramus.

§. 2. Ad notitiam quod attinet, apud omnes ferè in confesso est, eam etiam in pessimis reperiri posse; ut mira, nova, ac planè singularis sit doctissimi *Cameronis* nostri sententia de cognitione quadam electis peculiari, quæ ex sua natura semper sit efficax, & salvifica, & quam alicubi appellat *lucem dirigentem*, ac deniq; ex qua totam hominis ad Deum conversionem necessariò pendere affirmat. Hôc certè nomine ab *Episcopio* (*) meritissimo jure vapulat; neq; ab *Episcopio* tantùm, sed & a Synodis *Dordracena*, *Aleziana*, & *Charentonensi* ea sententia in terminis damnata est, ut luculenter ostendit idem Episcopius (†) ibidem. Actum igitur hîc non agemus. (†) c. 3.

(*) *Exam. Sentent. Cameron. c. 2.*

§. 3. De assensu mentis res non minùs clara est: quippe certum est, nudum mentis assensum non tantùm in reprobis hominibus, sed etiam in Diabolis reperiri. Fateor esse non paucos, eosq; doctos, qui statuunt hunc assensum, si modò firmus sit, atque in hominis mente altas egerit radices, pietatis praxin & mandatorum Christi obedientiam post se planè necessariò trahere. Neq; exigui sunt ponderis argumenta, quibus id probatum eunt. Atqui argumenta in contrariam partem præponderare mihi videntur; imprimis illud ex 1 Cor. 13. 2. desumptum, ubi supponit Paulus fieri posse, ut quis habeat omnem fidem, (quæ procul dubiô summum hunc fidei gradum continet) & tamen charitatem non habeat. Neq; enim audiendi mihi videntur, qui Apostolum ibi loci impossibile aliquid supponere statuunt. Sed de hac re non necesse est, ut multùm litigemus. Datô enim viris doctis, quod contendunt, nostræ sententiæ illud nihil officit; modò hoc etiam agnoscatur, (quod illi ultro fatentur) hunc assensum nudè consideratum & sine ista, quam post se trahere dicitur, pietatis praxi apud Deum nihil quicquam valere. Atq; eadem de Cameronis sententia dici potuissent.

§. 4. Reſtat itaq; tertius atq; ultimus fidei actus, quam *fiduciam* vocant ; & in hoc maximam ponunt fiduciam Solifidiani. In iis igitur, quæ hîc dicunt, expendendis diutiùs immorabimur. * Ac primò quidem operæ pretium eſſet inquirere, quid per fiduciam iſtam velint. Res enim hæc miris verborum involucris ab iis tegitur, ut penè Oedipô opus ſit interprete. Ingens acumen & planè ὑπερβάλλον μέγεθος ἀγχινόιας ei lubens detulerim, qui eorum hac de re locutiones intelligibiliter explicare, atq; inter ſe conciliare valeat. Experiatur qui dubitat, ac verum eſſe quod dicimus, vel invitus fatebitur. Dabimus tamen operam, ut veritas ex iſtis nubibus in apertam lucem proferatur.

§. 5. Sciendum eſt igitur, quòd, cùm fides in Novo Teſtamento (ubi ſpectatur à cæteris virtutibus diſtincta) in aſſenſu mentis unicè ſtatuatur, ut ſit nihil aliud quàm aſſenſus talis, quô Chriſtum credimus paſſum, mortuum, atq; excitatum à mortuis, ac propterea vera eſſe, quæ Dei nomine ſive præcipiendo, ſive promittendo nobis attulit, (Conſule Rom. 4. 20, 21, 24. Heb. 11. 1. 1 Joh. 5. 4, 5. Joh. 8. 24.) aſſenſus tamen iſte poſt ſe fiduciam aliquam trahere aptus natus ſit. ‘ Fieri enim non
‘ poteſt (*ut Grotii verbis utar* *) quin
‘ qui credit à Deo profecta, quæ Chriſtus
‘ dixit, inter quæ & hoc eſt, omnes ſe-
‘ cundum Evangelium viventes vitam æ-
‘ ternam conſecuturos, is non ſimul con-
‘ fidat, ſibi id bonum eventurum, ſi eam
‘ viam inſiſtat. Sed hæc fiducia eſt con-
‘ ditionata adhuc, *&c.* Poſteaquam verò
‘ aliquis jam vivit Chriſtianè, purgatur a
‘ vitiis, incipit illa fiducia fieri abſoluta
‘ pro eo tempore : quæ ſpes ſolet dici in
‘ S. Scripturis. Hæc ſpes juſtificatum ſe-
‘ quitur, ac proinde non eſt pars ejus fi-
‘ dei, per quam juſtificamur? Ex his Grotii verbis (quibus certè totam hanc rem dilucidè & ſuccinctè definivit) ita argumentari licet : Fiducia iſta, quam ſtatuunt fidei juſtificantis primarium actum, eſt vel conditionata, vel abſoluta. Si priorem intelligunt, nihil manifeſtius eſt, quàm eam in quovis homine, qui veram eſſe Chriſti doctrinam credit, reperiri ; ab aſſenſu enim illo neceſſariò fluit. Dices : At fiducia, quæ eſt fidei juſtificantis propria, talis eſt, quæ in hominis intellectu ſolo non hæreat, ſed in cor ipſius ac voluntatem potenter influat ; unde fit, ut ad Chriſtum veniat, & in ipſum pro ſalute obtinenda toto corde recumbat : vel (ut verbis utar viri doctiſſimi *a*) *Eſt talis fiducia, quæ (cæteris omnibus abdicatis) in Mediatorem recumbens, totum cor ſive totam animam ad Chriſtum trahit, Chriſtóq; agglutinat.* At (pace Reverendi Patris) liceat interrogare, quid ſibi velint phraſes iſtæ : *ad Chriſtum venire, ad Chriſtum toto corde atq; animo trahi, Chriſtóq; agglutinari?* Hæ enim locutiones (nî fallor) non tam fidei aut fiduciæ, quàm charitatis actus ſonant. Is ad Chriſtum venit, qui fide priùs Chriſti doctrinæ habitâ, & pœnitentiâ de peccatis peractâ, ei ſe totum dedit, atq; in diſcipulum tradit, ut ſic per ipſum peccatorum veniam vitamq; æternam conſequatur. Ad Chriſtum ille toto corde atq; animâ trahitur, Chriſtóq; agglutinatur, qui ſincero affectu Chriſtum amat ; quíq; immenſâ illa bona, per Chriſtum oblata, non levi aut evanidô, ſed ardenti & conſtanti deſideriô anhelat, ac (modò Chriſtum lucrifaciat) cætera omnia, quæ miratur ac planè deperit occæcatus mundus, flocci facit ; qui deniq; doctrinæ ac præceptis Chriſti conſtanter adhæreſcere decrevit : Hæc qui fecerit, is procul dubiô Deo per Chriſtum gratus eſt ad ſalutem, h. e. juſtificatur. Si aliter exponantur phraſes iſtæ, fateor me eas non capere. Utut ſit, certum eſt, conditionatam hanc fiduciam ad juſtificationem ac ſalutem hominis nihil quicquam valere poſſe, niſi ſtatuas, eam in voluntatem atq; affectus agere, actum aliquem charitatis ex animo eliciendo, atq; adeo totum hominem fortiter extimulando ad quærenda bona illa Evangelii, quæ & eſſe credit, & ſe conſecuturum confidit. Scilicet nec fides, nec fiducia quicquam valet, quæ non ſit δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, *per charitatem efficax*, ſeu potiùs ad effectum producta & conſummata, Gal. 5. 6. † (Participium enim ἐνεργουμένη ibi loci paſſivè ſumendum, ſicut & aliàs ferè ſemper in Novo Teſtamento, facilè crediderim.) Atq; hac de cauſa nullus dubito, quin charitas rectè dici poſſit fidei juſtificantis forma : Fidei, inquam, juſtificantis ; quia fidem per ſe propriam ſuam habere formam in confeſſo eſt : at fides quæ & quatenus juſtificat, verâ charitate informetur, omnino eſt neceſſe.

§. 6.

a *De-term. Qu. 37. p. 167.*

*) *Diſcuſſ. p. 41. & 42.*

---

* *Confer de his Examen Cenſuræ in Reſponſ. ad Animadverſ.* XIII.

† *Hunc Apoſtoli locum, ac conſequentiam inde deductam, ampliori luce donavit Auctor in Examine Cenſuræ Reſp. ad Animadv.* II.

§. 6. Pergamus jam ad membrum dilemmatis nostri alterum, quod est de fiducia absoluta. Ea verò est talis animi certitudo, quâ quis, nullâ omnino conditione suspensus, credit, peccata sibi actu remissa esse, séq; Deo ad salutem acceptum haberi. Atq; de hac absoluta certitudine plerosq; omnes Reformatarum Ecclesiarum Theologos, (præsertim exteros) qui de fiducia tanquam formali actu fidei justificantis loquuntur, intelligendos esse, nimis (proh dolor!) manifestum est. Fuit hæc doctrina jam à multis annis ipsissimum Reformatæ Ecclesiæ opprobrium ac dedecus ; neq; est alia ulla, quam vel magis rideant ac ludibrio habeant, vel severiori stylo exagitent Pontificii. Neq; id immeritò ; est enim error non levis, error putidissimus, error (penè dixerim) in *fide*. Det tandem misericors Deus, ut hujusmodi dogmata è nostrorum scriptis, vel saltem Catechesibus, in æternum deleantur. Sed argumentis hîc, non precibus aut lachrymis, agendum.

§. 7. Dico igitur, absolutam hanc fiduciam nullo modo esse posse fidei justificantis actum, nedum actum principalem. Quod hôc unicô argumentô facilè probari potest. Nemo de justificatione sua absolutè certus esse potest qui non omnia, quæ ad justificationem requiruntur, priùs præstiterit, atq; adeo jam revera justificatus fuerit : Ergo fiducia absoluta non est actus fidei justificantis, sed justificationem sequitur. Consequentia est per se clara. Ad antecedens quod attinet, quæro, quô fundamentô nixa sit absoluta illa, de qua loquuntur, fiducia ? Num Christi Evangelio ? At quomodo quis ex Evangelio certus esse possit de justificatione sua, qui non omnia priùs, quæ in Evangelio ad justificationem requiruntur, præstiterit, planè ἀκαταλήπτον est. An igitur particulari aliquâ extra Evangelium revelatione ea certitudo nititur ? At quid est, si non hoc sit, firmam ac solidam Sanctorum fidem in merum Enthusiasmum, h. e. inanem phantasiam transformare ? Porro particularis hæc revelatio vel verbo Christi consentanea est, vel non. Si non, planè rejicienda est : Si consentaneam dicunt, in priorem absurditatem relabuntur. Nemo enim per verbum Christi de remissione suorum peccatorum certus esse possit, nisi qui conditionem in verbo isto ad remissionem requisitam impleverit. Plura hujusmodi argumenta facile esset coacervare ; (idq; à multis jam factum est) sed qui unicâ hâc ratione contentus non fuerit, eum nullis argumentis cessurum, mihi persuasissimum est.

§. 8. Rem totam paucis conficiam. Fiducia in Christo (conditionatam an absolutam intelligas, parùm refert) piis cum impiis communis est ; ut si hæc sit fidei justificantis ἀκμὴ, certè pessimus quisq; de salute sua sibi jactabundus gratuletur. Nimis enim (proh dolor!) exploratum est, eorum qui Christo nomina dederunt, maximam partem de Dei misericordia, de Christi meritis, de salute sua securos in utramq; aurem dormire ; cùm interim à vita verè Christiana longissimè absint. Operibus suis bonis (quæ nunquam fecerunt) nuntium remittere, se peccatorum omnium miserrimos agnoscere, in Christum pro salute obtinenda Mediatorem placidè recumbere ; hæc ut faciant, nullô iis negotiô persuaseris, in hanc fiduciam ruunt præcipites. Imo vix alius major iis qui curam gerunt animarum, incumbit labor, quàm ut ab hac arce (quâ muniti, nullum non animarum periculum securi contemnunt) miseros homines dimoveant. Atqui, inquies, id isti non sincerè faciunt ; fiducia hæc ab eâ, quæ justificatorum propria est, immane quantùm distat! Cur verò, inquam ego ? An quia fiduciam, quam non habent, mentiuntur ? illud iis nunquam persuaseris. Se Christi meritis verè, non simulatè confidere, & nôrunt, & sibi gratulantur. Imo res ipsa loquitur, in hac fiduciâ vivunt, in hac vel mori parati sunt, atq; adeo nimis sæpe moriuntur. Verè igitur Christo confidunt ; sed non rectè id faciunt, quia nullo jure faciunt. Christi meritis nituntur, mandata spernunt ; promissa Evangelii avidè amplexantur, de præceptis nihil soliciti. Unicum hoc est inter piorum atq; impiorum fiduciam discrimen, aliud frustra quæsiveris. Deniq; quæ sit vera & Christiana fiducia, optimè nos docet S. Johannes 1 Epist. c. 3. v. 19, 20, 21. *Et per hoc cognoscimus* (per charitatem sc.) *nos ex veritate esse, & coram ipso secura reddemus corda nostra. Nam si nos condemnet cor nostrum, nempe potentior est Deus corde nostro, & novit omnia. Dilecti, si cor nostrum nos non condemnet, fiduciam appellandi Deum habemus.* Nimirum secura animi fiducia est bonæ conscientiæ filia ; ex operibus bonis exsurgit, tantùm abest, ut sine bonis operibus quicquam valeat.

§. 9. Ut

§. 9. Ut igitur argumentum hoc tandem abſolvam, cùm nullus ſit fidei actus per ſe ac nudè conſideratus, cui juſtificatio neceſſario nexu conjuncta ſit; cùm notitia ſine praxi, aſſenſus mentis ſine amore cordis, fiducia in Evangelicas promiſſiones ſine ſincero conatu conditionem earundem implendi, nihil apud Deum valeant; omni fide credendum eſt, fide ſolâ ſine cæteris virtutibus neminem prorſus in Dei conſpectu juſtificari.

CAP. V.

Argumentum quartum à proceſſu Dei in ultimo judicio. Judicium Dei in futuro ſæculo per omnia reſpondet juſtificationi divinæ in hac vitâ. Opera noſtra in judicio Dei ſpectantur non ut mera fidei ſigna, ſed ut pars, eáque maxima, conditionis in fœdere Evangelico præſcriptæ

§. 1. ARgumentum quartum eſto ſumptum ab illo Dei proceſſu, quô in hominibus judicandis uſurus eſt in die ultimi judicii.

Quomodo quiſq; in futuro ſæculo à Deo judicabitur, eôdem planè modô in hac vita à Deo juſtificatur:

Atqui ex operibus (non fide ſolâ) quiſq; in futuro ſæculo à Deo judicabitur:

Ergo ex operibus (non fide ſolâ) quiſq; in hac vita à Deo juſtificatur.

Aut ego egregiè fallor, aut argumentum hoc inſolubile eſt. *

§. 2. Ad majorem propoſitionem quod attinet, ea hiſce evidentiſſimis rationibus, ab ipſa natura futuri judicii deſumptis, ſuffulta eſt.

1ò. Futurum illud judicium (quod ad nos ſaltem ſpectat, qui ſub Evangelio vivimus) nihil aliud revera erit, quàm publica, aperta, ac ſolennis, in conſpectu totius mundi, Chriſti judicis per ſententiam declaratio, quâ quinam ſecundum tenorem pacti Evangelici in hac vita juſti fuerint, quique injuſti, liquidò oſtendetur. Quod ad nos, inquam, ſpectat; quia eorum, qui Evangelium prorſus ignorârunt, alia erit ratio. Neq; enim juſtitiæ divinæ congruum videtur, ut quis ob Evangelici pacti violationem condemnetur, qui de pacto iſto ne fando quidem inaudiverit. Atq; huc pertinet, quod Paulus dicit de iis gentibus, qui legem Dei ſcriptam ignorârunt Rom. 2. 12.

Sed utut de ejuſmodi hominibus ſtatuerit Deus in tremendo illo die, certô certius eſt, nos Chriſtianos non niſi ad tenorem pacti Evangelici judicatum iri; adeo ut, quod ad nos ſpectat, ultimum judicium nihil aliud futurum ſit, quàm deciſiva Chriſti judicis declaratio de juſtitia vel injuſtitia noſtra, ſecundum Evangelii ſui legem priùs ſtabilitam, nobiſq; ſufficienter revelatam. Unde ſatis aptè à nonnullis hic Chriſti actus (fideles reſpiciens) appellatur *juſtificatio declarativa*; oppoſitè nimirum ad juſtificationem, quam per legem Chriſti in hac vita habemus, quæ non malè ab iiſdem vocatur *juſtificatio conſtitutiva*. Iiſdem convenit utraq; juſtificatio, idq; ſub iiſdem legibus; h. e. quicquid requiritur, ut quis in futuro judicio per Chriſtum juſtus *declaretur*, idem planè requiritur, ut in hac vita per legem Chriſti juſtus revera *conſtituatur*. Declaratio enim judicis per omnia reſpondere debet conſtitutioni legis. Manifeſtiſſima ergo eſt hæc conſequentia: ſi non niſi ex operibus per Chriſtum in futuro judicio juſti declaramur, ergo non niſi ex operibus in hac vita per legem Chriſti juſti conſtituimur.

2ò. Eſt etiam alter futuri judicii actus, qui ad Fideles ſpectat, priori neceſſariô nexu conjunctus; quô ſc. iis præmium æternæ vitæ palam adjudicatur. Neq; in hoc minùs quadrat actus Dei in ultimo die judicantis ad actum Dei in hac vita juſtificantis. Quis enim auſit negare, collationem

---

* *Quæ adverſus iſtud objecit Adverſarius, ea prolixè refutavit Cl. Auctor in Examine Cenſuræ Reſponſ. ad Animadvers.* XIV.

collationem juris ad præmium cœleſte eſſe præcipuum juſtificationis actum? Certè id clarè evincunt Apoſtoli verba de juſtificatione diſputantis, Rom. 4. v. 3. coll. cum v. 4. Ubi quod priùs dixerat, ἐλογίσθη εἰς δικαιοσύνην, poſtea hâc phraſi exprimitur, μισθὸς λογίζεται. Nimirum *imputare aliquid alicui in juſtitiam*, & *imputare alicui ob aliquid præmium*, eadem planè ſunt, vel ſaltem in eadem juſtificationis notione continentur. Eſt itaq; hujus actûs ultimi Judicii eadem ratio cum priori. Etenim cùm in hac vita juſtificamur, nobis ex lege Chriſti jus ad vitam æternam revera confertur; cùm in futuro ſæculo judicamur, idem jus per ſolennem judicis ſententiam definitur ac deciditur.

§. 4. Hanc eſſe judicii divini in futuro ſæculo ipſiſſimam notionem (nempe ut ſit tum juſtitiæ noſtræ, tum juris ad vitam æternam inde conſecuti, quod ex lege Chriſti hîc conſequimur, non niſi per ſententiam judicis, deciſio ac declaratio) ex multis iiſq; clariſſimis N. T. locis manifeſtum fit. Conſule Rom. 2. v. 5, 6, 12, 13, 16. 1 Cor. 4. 5. & 3. v. 13. Matth. 12. 36, 37. Sed notatu digniſſimus eſt locus ille, quem (alia de cauſa) ſuperiùs laudavimus, 1 Cor. 4. 4. οὐδὲν γὰρ ἐμαυτῷ σύνοιδα, ἀλλ' οὐκ ἐν τούτῳ δεδικαίωμαι· ὁ δὲ ἀνακρίνων με, κύριός ἐστι· i. e. ‘ Nullius ‘ enim rei mihi conſcius ſum, ſed non per ‘ hoc juſtificatus ſum; Dominus autem is ‘ eſt, qui me dijudicat. Quale autem Dei judicium intelligat, liquet ex ſequentibus; verſu 5. ſc. de futuro judicio loquitur, clarè innuens, Dei tunc judicantis opus hoc futurum, ut de juſtitia vel injuſtitia noſtra in hac vita certò atq; infallibiliter pronuntiet. Et de Majore hactenus.

§. 5. Ad minorem deſcendamus; hanc autem quiſquis negaverit, ei cæcutiunt oculi in clariſſima Scripturarum luce. Quoties enim id in terminis aſſeritur, Deum unumquemq; judicaturum ſecundum opera ipſius? Imo ipſa ratio & cauſa ſententiæ iſtius, quâ juſtis vita æterna adjudicatur, ab operibus eorum manifeſtè deſumitur, Mat. 25. v. 21, 23, 34, 35. Quæ loca ideo accuratiùs notanda, ut futili quorundam exceptioni occurratur, qui dicunt vitam æternam adjudicari operibus noſtris ſolummodo ut fidei ſignis atq; effectis. Nam ex locis citatis planum fit, opera noſtra in hoc negotio conſiderari ut ipſum illud, propter quod (ex gratioſo nempe Dei in Chriſto fœdere) vita æterna nobis donetur. Nemo meliùs hanc rem expreſſit, quàm Vir clariſſ. Jo. Gerard. Voſſius (*) his verbis: ‘ Quæritur, an operibus promittatur merces ut fidei ſignis? ‘ Nos & nimiùm dicere putamus, qui eam ‘ operibus promitti cenſent ut cauſæ meritoriæ; nec ſatis dicere judicamus, qui tantummodo ut ſignis fidei, promiſſionem factam arbitrantur. Siquidem multa ſunt Scripturæ loca, quibus planum fiat, opera noſtra ‘ in ſalutis negotio ſpectari ut cauſam ſine ‘ qua non, ſive ut conditionem præcedaneam, quæ præmium vitæ æternæ individuo ‘ ſecum nexu trahat. Ac Theſin ſuam probat vir doctiſſimus ex locis modò allegatis, aliis nonnullis etiam additis; ſc. Apoc. 7. 14, 15. 2 Cor. 4. 17. Gal. 6. 8. Phil. 2. 12. Hæc omnia optimè: nimirum extremum utrumq; omni curâ vitandum; tum eorum, qui opera noſtra per ſe vitæ æternæ meritoria ſtatuunt, (error iſte Pontificiorum quorundam toto animo deteſtandus eſt) tum eorum etiam, qui eadem opera ullam aliam cum cœleſti præmio connexionem habere præter hanc, quòd ſint fidei ejus, cui ſalus promittitur, ſigna, omnino negant. Hæc enim ſententia non paucis, iiſq; clariſſimis Scripturæ teſtimoniis (ut vidimus) apertum bellum indicit. Media itaq; via hîc tenenda eſt, ut dicamus, relationis iſtius, quam ad vitam æternam habent opera noſtra, unicum illud eſſe fundamentum, quòd ſint conditio in fœdere Evangelico requiſita, cui præſtitæ ex eodem gratioſo fœdere præmium cœleſte indulgeatur.

(*) *De bonis oper. Theſ.* 10.

§. 6. Porro bona opera non ut mera fidei ſigna in ſalutis negotio ſpectari, optimè probat Grotius hac ratione: Quæ ut ſigna ſpectantur, ea in ſe minus ſunt quàm res ſignificatæ. At dilectio, quæ iſta præſtat opera, ac per figuram quandam in ipſis operibus intelligitur, plus eſt fide 1 Cor. 13. 13. Deniq; idem evincitur ex eo, quod à Jacobo dicitur Cap 2. v. 22. *Ex operibus fidem perfici, atq; opera fidei cooperari.* Quid enim? An perfectio rei ſignatæ à ſigno pendet? An cooperatur ſignum cum re ſignata? piget certè tam manifeſtis ineptiis immorari. Pergamus igitur.

Diſcuſſ. p. 45.

ANNOTAT.

Ad CAP. V.

Ad §. V.

AD minorem deſcendamus.] Minor propoſitio prolati argumenti clariſſimè aſſeritur ab ipſo Servatore Matth. XII. 36, 37. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Ex verbis enim tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Accedit S. Pauli diſertiſſimum teſtimonium Rom. II. 11, 12, 13. *Quicunq; ſine lege* (Moſis) *peccaverunt, ſine lege peribunt. Et quicunq; in lege peccaverunt, per legem judicabuntur: Non enim auditores legis juſti ſunt apud DEUM; ſed factores legis juſtificabuntur.* De quo dicto confer Diſſert. II. cap. 4. §. 8.

CAP. VI.

Argumentum quintum atq; ultimum ab implicita Adverſariorum confeſſione. Duæ hypotheſes à Reformatis Theologis unanimi conſenſu comprobatæ: 1. Fidem eam quæ juſtificat, vivam, h. e. bonorum operum fœcundam eſſe debere. 2. Opera bona eſſe ad ſalutem omnino neceſſaria. Ex utraq; hypotheſi neceſſitas bonorum operum ad juſtificationem evincitur.

Exam. Cenſur. cap. 20. p. 114.

§. 1. AD quintum noſtrum argumentum atq; ultimum jam deventum eſt. Illud autem ab implicito omnium conſenſu, atq; adeo ab ipſa Adverſariorum confeſſione extorquebimus. Ea quippe eſt veritatis vis, ut non rarò à ſe diſſentientes in ſuas partes trahat, & invitos, & inſcios. Solet error non magis veritati, quàm ſibi ipſi repugnare. Idem hîc uſu venit. Sunt enim nonnullæ hypotheſes, quas ſuo calculo Reformati Theologi ferè omnes comprobârunt, quibuſq; conceſſis, hæc de neceſſitate bonorum operum ad juſtificationem hominis doctrina negari nec poſſit, nec debeat. Priùs autem quàm hujus argumenti tractationem aggrediamur, par eſt, ut Lectorem moneamus, nos hîc de publicis Eccleſiarum Reformatarum confeſſionibus non agere; ſed de privatis Doctorum quorundam opinionibus, qui ſe confeſſiones iſtas ſequi profitentur. Nam quod authenticas Eccleſiarum Reformati nominis Confeſſiones attinet, certum eſt, eas omnes, vel ſaltem earum primas ac nobiliſſimas, à noſtris partibus veluti ex profeſſo ſtare. Quippe etiamſi illæ quoq; doceant, *Ex fide ſola ſine operibus hominem juſtificari*; effatum tamen illud eo ſenſu explicant, quem nos pronis ulnis amplexamur. Scil. diſertis verbis monent Confeſſionum Authores, ſententiam iſtam figuratè accipiendam eſſe, ita ut in *Fidei* nomine *Gratia*, quæ ei ex adverſo reſpondet, intelligatur, atq; idem ſit *Solâ Fide juſtificari*, quod *Solâ Gratiâ*, *non ex operum Merito, juſtificari*: ac, propriè loquendo, fidem cæteráſq; virtutes bonáq; opera ad juſtificationem æquè valere atq; eſſe neceſſaria: nec quicquam majus fidei in iſto negotio tribuendum, quàm cæteris virtutibus: adeóq; ſe, quatenus à juſtificatione bona opera excludunt, eatenus & fidem ipſam rejicere. Qui dubitat, illud ipſum ad calcem poſterioris Diſſertationis (cap. 18. §. 6.) prolixè demonſtratum reperiet. Quicquid igitur ſeu caliginis, ſive erroris, accreverit huic luculentiſſimæ de juſtificatione hominis doctrinæ, quatenus ea à Proteſtantibus hodie docetur; illud ferè totum privatorum quorundam Theologorum hallucinationibus, qui purioris ac primitivæ (ſi ita loqui fas ſit) reformationis

Diſcuſſ. p. 47, 48.

tionis sententiam perperam acceperunt, imputandum est. Neq; tamen vel isti Theologi (utcunq; aliàs claram hanc & perspicuam doctrinam Scholasticis suis ineptiis obscurârunt) ita à veritate abierunt, quin (Deo laus sit) calculo comprobârint suo hypotheses nonnullas, ex quibus efficiatur, sententiam nostram tam veram esse, quàm quod verissimum. Hujusmodi duas tantùm hîc notabimus.

§. 2. 1ò. Quotquot sunt Ecclesiarum Reformatarum Theologi (pauculis fortean, è rigidioribus Lutheranis, exceptis, vel eô saltem nomine indignis, qui in Reformatorum albo recensеantur) ii omnes consentientibus suffragiis agnoscunt, fidem vivam non mortuam, fidem quæ conjuncta sibi habet bona opera, imò quæ sine bonis operibus nec est, nec esse potest, fidem illam esse veram ac justificantem, (ut vocant) quæ istâ proprietate ab historica,& temporanea, ac Miraculorum fide distinguitur. Quodnam est igitur hic discrimen? Certè qui rem expenderit, tandem fatebitur, cardinem controversiæ in hac Metaphysica subtilitate totum verti: An scil. fides *quæ* est viva, vel an fides, *quà* est viva, requiratur ad justificationem? Breviter: Redibit res (ut à Theologis longè doctissimis observatum fuit) ad particulam istam *quatenus*, atq; ibi pacis & concordiæ naufragium fiet. A risu certè vix temperet (nisi in re esset omnium maximâ) qui in Scriptis Theologorum, eorúmq; magni nominis, hæc legat: *Fides fœta bonis operibus justificat ante partum.* Nimirum parturiunt montes, & prodit ridiculus mus. Post longas ambages, cum ad ipsum controversiæ apicem ventum est, in tenui hoc ac penè inimaginabili distinctionis bivio, à Doctoribus relinquimur. Liceret sane per me viris doctis, istiusmodi nugis sibi placere, nisi viderem, ab iis has λεπτολογίας seriò & tantùm non ut fidei articulos aliis obtrudi; (quippe Orthodoxi nomen amittat penè necesse est, qui hoc *Shibboleth* sonare nesciat) nî etiam tristissimâ (proh dolor!) experientiâ comprobatum esset, inanes has distinctiunculas, hæc σοφὰ φάρμακα in remedium pernicioſissimorum (quos ex eorum doctrina haurit incautum vulgus) errorum frustra adhiberi. Sapienter certè dixit Grotius: *Locutiones incautas res sequuntur periculosæ. Pleriq; enim ista legentes, ista audientes,* (sc. fide solâ sine ullis operibus nos justificari) *cùm in peccatis vivant, neq; se corrigant, salutem sibi pollicentur: nimirum quia, ut ipsi loquuntur,Christum credunt in id mortuum absolutè, ut ipsos servet; & justitiam Christi, quæ perfectissima est & cœlesti digna præmio, sibi per fidem applicantes, merita ejus sua faciunt. Id si ita fieri potest, cætera jam sunt supervacua: quomodo vivant, nihil interest. Sine conditione pro pœna, quam ipsi debent, satisfecit Christus: sine conditione gloriam æternam est ipsis meritus.* Verbô dicam: quisquis é fæce Romuli hanc hypothesin nudè traditam acceperit, sc. fidem esse unicum justificationis instrumentum, bona opera in hoc negotio nihil omnino agere; mille licèt postea excudas distinctiones, nunquam ei persuaseris, esse illi omnino vel ad justificationem vel ad salutem necessarium, ut bona ulla operâ faciat.

Exam. Censur. cap. 20. p. 114.

Discuss. p. 47, 48.

§. 3. Quanquam igitur satis jam evicimus, bona opera non tantùm fidem justificantem comitari, sed etiam ad justificationem, non minùs quàm ipsam fidem, requiri,idemq; causalitatis genus tam operibus, quàm fidei in hoc negotio tribuendum; (hoc est, & fidem, & opera, conjunctim esse conditionem solummodo justificationis in fœdere Evangelico præscriptam) imò charitati, quæ cætera opera omnia profert, plus dari in Scripturis quàm ipsi fidei, fidemq; nihil quicquam valere apud Deum, nisi quando, & quatenus charitatem illam elicit: liceat tamen ex abundanti paucula hæc ex hoc ipso Jacobi cap.2. adjicere.

§. 4. 1ò. Cum à Jacobo disertè dicatur, justificari hominem ἐξ ἔργων, certè particulam ἐξ plus quàm otiosam concomitantiam denotare, manifestum est. Si enim fides sola ac per se totum justificationis negotium absolveret, (bonis operibus solummodo quasi adstantibus) ex operibus hominem justificari, nullo modo dici potuisset. 2ò. Cùm de fide Abrahami locutus Author v.22. affirmet, ὅτι ἡ πίστις συνήργει τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, καὶ ἐκ τῶν ἔργων ἡ πίστις * ἐτελειώθη, annon manifestum est, fidem & opera in justificationis negotio (de eo enim verbis immediatè præcedentibus v. 21. egerat) cooperari; imò fidem ex se imperfectam esse, & ad finem justificationis non perduci, nisi bonis operibus perficiatur?

* *Perficitur res quæque, cum effectum sibi destinatum parit. Eum fides consequi non potest ἄνευ σωτῆρος.* Grot. *in locum.*

§. 5. Quæ enim Camero *in hunc locum* interpretationi nostræ opponit, (pace tanti Viri dixerim) nimis diluta sunt. Ad illud συνεργεῖν mirè Criticum agit. *Si mens* (inquit) *Jacobi fuisset docere, fidem cooperari operibus ad justificationem, profecto aliis verbis usus fuisset, & dixisset potiùs, opera cooperari cum fide, quàm fidem cum operibus.* Quasi verò hæc eadem planè non essent. Vox certè συνεργεῖν conjunctam notat operationem: & qui dicit fidem cooperari cum operibus, is etiam dicit opera cooperari cum fide.

fide. Pari ratione negare aliquis possit, verbis illis 1 Cor. 3. 9. Θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοί, *Dei enim cooperarii sumus*, significari concursum gratiæ divinæ cum Apostolorum laboribus in Evangelio prædicando; quia sc. tum dicendum potiùs fuisset: Θεὸς γάρ ἐστιν ἡμῶν συνεργός.

§. 6. Ad posteriora verba, καὶ ἐκ τῶν ἔργων ἡ πίστις ἐτελειώθη, hæc notat Camero: 'Fides hîc à Jacobo dicitur perfici operibus, 'non quòd opera fidem perficiant, sed quòd 'fides, dum producit opera, ostendatur 'quàm sit perfecta: quomodo 2 Cor. 12. 9. '*Christi virtus perfici dicitur in infirmitatibus*, 'quia tum scil. se maximè exerit & prodit. Sed facilis est responsio. Quicquid enim de loco 2 Cor. 12. 9. statuendum sit, certum est, vocem τελειοῦν in hoc Jacobi loco significare, perfectionem non tantùm *ostendere*, sed & revera *adjicere*. Patet illud ex phrasi præcedente, quâ fides & opera dicuntur *cooperari*. Hinc enim manifestum fit, opera fidem perficere, non solùm eam *ostendendo*, sed & ei *cooperando*, h. e. vim ac virtutem aliquam addendo.

§. 7. Haud majoris ponderis est altera Cameronis ratio, quâ hanc vocis τελειοῦσθαι significationem hîc loci oppugnat: 'Quomodo '(inquit) potest intelligi fides perfecta ab 'operibus, si opera non addiderunt aliquam 'perfectionem fidei in negotio justificatio-'nis? At certè clarum est, nullam perfectio-'nem addi fidei ab operibus in negotio justi-'ficationis; siquidem à fide proficiscuntur 'tanquam à causa, atq; ita bona opera pro-'ficiscuntur à fide tanquam à causa, ut non 'sit bonum opus, quod à fide non sit pro-'fectum. Quicquid enim fit sine fide, est 'peccatum; & fide purificantur corda, unde 'proficiscuntur & æstimantur omnia opera. Respondeo, verum quidem esse, quòd fides operibus perficiatur, vix alio sensu intelligi posse, quàm quòd opera perfectionem fidei addant in justificationis negotio: atq; hoc illud est, quod affirmat Jacobus, & nos contendimus. Argumenta, quibus contrarium it probatum Camero, duo sunt. 1. Quòd à fide, tanquam causâ, bona opera proficiscantur. 2. Quòd à fide æstimentur opera, ac bonitatem suam accipiant. Ad primam rationem quod attinet, ea mirè infirma est: 1. Quia supponit, nullum causatum excedere posse perfectionem causæ suæ: quod falsissimum est. Sol enim generat animalia, & tamen minimum animal in ordine entium Sole est perfectius, quia sensu præditum est, quô Sol caret. Pater gignit filium, qui tamen patrem sæpissime formâ, robore, sapientiâ, virtute longè superat. Ita fides charitatem elicit, quæ tamen fide nobilior est. 2. Si Cameroni credimus, fides, charitas, cæteræq; omnes electorum virtutes proficiscuntur à cognitione quadam ac scientia, quâ mens eorum à Spiritu Sancto illuminatur, tanquam causâ ex qua necessario pendeant. Quid ergo? An dixisset Vir doctus, cognitioni isti à fide, charitate, cæterisq; virtutibus nullam perfectionem addi posse in justificationis ac salutis negotio? Ita suô se jugulavit gladiô Vir maximus.

§. 8. Altera Cameronis ratio apertè falsa est: Singulæ enim virtutes suam formam sortiuntur, per quam virtutes sint atq; existant; neq illud, ut virtutes sint, à fide mutuantur. Si qua autem sit virtus universalis, quæ cæteras omnes bonitate quasi perfundit, iisq; dignitatem ac gratiam conciliat, ea certè est charitas, verúsq; Dei ac Proximi amor; ex quo quicquid proficiscitur, illud demum Deo sit gratum acceptúmq; etiamsi aliàs minoris pretii videatur. Vide Math. 10. 41, 42. & Marc. 9. 41. Loca quæ adducit Camero, ad rem nihil faciunt. Nempe in textu illo: *Quicquid sine fide fit, peccatum est*, non loquitur Apostolus de fide Evangelica, qualem hîc intelligimus, sed de ea persuasione, quâ quis credit, licitum esse id quod facit; ut ex contextu manifestum est. Locus alter, in quo dicitur, *fide purificari corda*, est etiam à proposito alienus. Etsi enim fides sit medium illud, quô Deus utitur in purificando corde; cor tamen ipsum purificatum, ac vera Dei Proximiq; charitate inflammatum, illud demum est, quod Deo ad salutem placet. Verum est quidem, nullum esse opus verè bonum, quod à fide non sit profectum Heb. 11. 6. Sed & æquè verum est, fidem per se ad bonum opus non sufficere, nec Deo ad salutem placere, nisi adsit ea charitas, quâ quis ad Deum veniat, (h. e. sincero eum affectu colat) ipsumq; tanquam quærentium fidelissimum remuneratorem haud oscitanter quærat quod in eodem Commate mox subjicitur: Eôdem planè modô, sine vera divinæ voluntatis cognitione impossibile omnino est, ut quis Deo placeat, h. e. eandem voluntatem perficiat: qui tamen inde intulerit, cognitionem hanc per se Deo placere ad salutem, eiq; fidem, charitatem, cæterasq; Christiani hominis virtutes nullam hac in re perfectionem adjicere, ac deniq; ex eâ solâ bona opera omnia æstimari apud Deum; næ is disputatorem se omnibus ridendum propinabit. Aft de insigni hoc Jacobi loco (ad eum à pravis interpretationibus vindicandum) satis supérq dictum est.

§. 9.

§. 9. 3ò. Deniq; qui fide solâ hominem justificari, opera in hoc negotio nihil quicquam agere contendit; perinde absurdus est atq; is, qui affirmaret, corpore solo hominem vivere, animam nihil ad vitam ejus conferre. Hæc enim ut paria ab Apostolo statuuntur ver. 26. Clariora certè hæc sunt quàm ut ullum patiantur effugium.

§. 10. Porro notandum est, quòd, cùm causa, cur pleriq; ad inane hoc χρησφύγετον recurrant, hæc sit præcipua, quòd si aliter faciant, Paulinis Epistolis (ubi sæpiùs a justificationis negotio opera disertè excluduntur) contradicerent, si quis animum advertat, mox viderit, opera, de quibus loquitur Paulus, ab eo non tantùm à justificandi actu removeri, sed etiam ut nullo modo necessaria in totum rejici. Clarè id liquet ex loco illo Rom. 4. 5. *Ei verò qui non operatur, sed qui credit in eum qui justificat impium, imputatur fides sua in justitiam.* Quæ verba ostendunt, hominem non solùm *sine operibus*, sed *qui sine operibus sit*, per fidem justificari. Nec minus dicit Paulus (nisi ipsius verbis manifestam vim faciamus) in conclusione istâ, πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων, Rom. 3. 38. Ibi enim phrasi istâ, χωρὶς ἔργων, opera non tantùm a justificatione, sed etiam ab eâ fide, quæ justificat, atq; ab ipso homine, qui justificatur, sejungi planum fit. Quapropter σοφὸν φάρμακον eorum, qui opera cum fide justificante, licèt non in ipso justificandi actu, necessariò conjungi statuunt, ut per se absurdum est, ita Pauli verbis nullo modo quadrat; quorum tamen interpretandi gratiâ excogitatum fuit. Et de primâ Hypothesi hactenus.

§. 11. Est etiam altera Hypothesis a Reformatis Theologis haud minori consensu recepta: sc. bona opera ad salutem obtinendam esse omnino necessaria. Liceat mihi (bonâ doctorum veniâ) hinc concludere, ergo opera bona ad justificationem etiam non minùs necessaria statui debere. Ratio sequelæ hæc est: In justificatione (ut ad Argumentum quartum diximus) jus ad salutem seu vitam æternam nobis confertur; & hoc omnes agnoscunt. Quomodo igitur bona opera ad vitam æternam necessaria statuuntur ei, cui jam per justificationem præmium vitæ æternæ sine operibus adjudicatum fuit? Respondent hic nonnulli, esse quidem bona opera conditionem, ad ipsam salutem ex promisso Dei consequendam, necessariam; non verò ut quis jus ad salutem consequatur: illud enim in justificatione soli fidei gratis concedi. Sed 1ò. Cùm agnoscunt boni viri, opera bona esse conditionem præcedaneam ad salutem necessariò requisitam, & tamen jus ad salutem ex operibus obtineri negant, clarè ostendunt, se vel quid sit conditio nescire, vel sibi ipsis velle contradicere. Conditio enim (qualem hîc volumus) est promissionis, pacti, sive testamenti conditio; promissum verò, pactum, sive testamentum, jus ad beneficium in eo contentum concedit non nisi conditione præstitâ; atq; adeo conditio semper ad jus aliquod obtinendum refertur. Qui itaq; concedit, bona opera esse conditionem necessariò præstandam, ut quis ex divino promisso vitam æternam consequatur, is eâdem operâ fatetur, jus ad vitam æternam sine operibus nequaquam obtineri. 2ò. Qui jus ad salutem ex operibus negat impetrari, claro ac diserto Spiritûs Sancti testimonio se opponit. Audi enim ipsius Servatoris vocem, Apoc. 22. 14. Μακάριοι οἱ ποιοῦντες τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, ἵνα ἔσται ἡ ἐξουσία αὐτῶν ἐπὶ τὸ ξύλον τῆς ζωῆς, *Beati qui præstant ejus præcepta, ut sit eis jus in arborem vitæ.* Huic testimonio addi possunt omnia illa N. T. loca, in quibus vitam æternam à Deo operibus nostris ex justitia dari clarè asseritur, 2 Thess. 1. 7. Heb. 6. 10. 2 Tim. 4. 8. Hinc enim sic licet argumentari: Si merces vitæ æternæ operibus nostris ex justitia detur, ergo ex operibus nostris jus ad mercedem istam consequimur; (tale scil. jus, quod in gratioso Dei per Christum fœdere fundamentum suum unicè habeat) Sunt hæc τῶν πρός τι καὶ ἀντίστροφα. Cui merces ex justitia datur, ille jus ad mercedem illam habeat necesse est, & vice versâ.

§. 12. His plura adjicere haud difficile esset: sed quem ratio & veritatis amor non prorsus fugerunt, ex iis quæ jam diximus, is facilè videbit, hypothesin nostram ex illa adversariorum concessâ per consequentiam Sole clariorem deduci. Ac profecto, qui necessitatem bonorum operum ad salutem ex promisso Dei obtinendam agnoscunt, mirum est, cur ab illa, quæ nostra est, hypothesi (nempe bona opera ad justificationem etiam necessariò requiri) tantopere abhorreant. Iisdem enim argumentis, quibus, ut hanc rejiciant, animum inducunt suum, alteram illam ut respuant (si modò sibi ipsis consentire velint) omnino necesse est. Quorsum enim negant, bona opera ad justificationem necessariò requiri? Nempe 1. quia sic Christi meritis detrahitur; 2. quia sic Pauli verbis contradicitur. At quis non videt, hæc argumenta non minùs apertè contra alteram illam hypothesin (quam tamen agnoscunt)

militare? Ad merita enim Chriſti quod attinet, iis ſalus noſtra non minùs quàm juſtificatio tota debetur: gratis ſalvamur, gratis juſtificamur. Quod verò ad Paulum ſpectat, manifeſtum eſt, opera, de quibus ille diſputat, ab eo haud minùs ab ipſa ſalute, quàm à juſtificatione removeri. Quæ ab alterutra excludit opera, excludit ab utraque. Ex multis Pauli locis id liquet: nominatim confer Tit. 3. 5. Eph. 2. 8, 9. Sed de his & id genus aliis Pauli locis jam tempus eſt ut videamus.

Harmo-

Harmonia Apoſtolica.

DISSERTATIO Poſterior

Rom. III. *Verſ.* 28.

Coll. cum

Jacob. II. *Verſ.* 24.

Λογιζόμεθα ἔν πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων νόμου.

Colligimus igitur, fide juſtificari hominem abſq; operibus legis.

CAP. I.

Variæ Theologorum ſententiæ de conciliatione inter Jacobum ac Paulum proponuntur. Refutatur prima opinio eorum, qui de juſtificatione fidei hominis coram hominibus aliis, non de juſtificatione hominis ipſius coram Deo, Jacobum interpretantur.

§. 1. COnclusionem S. Jacobi, de neceſſitate bonorum operum ad juſtificationem, jam ſatis prolixâ argumentorum copiâ munivimus. Eâ verò ſic probè ſtabilitâ ac fixâ, reliquum eſt, ut de concordia inter Apoſtolos Jacobum & Paulum rationem ineamus. Audiamus utrumque. Concluſio Jacobi hæc eſt: Ὁρᾶτε τόινυν ὅτι ἐξ ἔργων δικαιοῦται ἄνθρωπος, καὶ οὐκ ἐκ πίστεως μόνον. Huic econtrà veluti antitheſis opponitur concluſio Pauli, Rom. 3. v. 28. Λογιζόμεθα ἔν, πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων νόμου. Quale hîc χάσμα videmus! quàm hæc adverſis frontibus pugnantia!

§. 2. Verum enimverò bonô ſis animô, Lector, attende pauliſper; nulli enim dubitamus, quin ambos Apoſtolos, in ſpeciem licèt longè diſſidentes, amiciſſimos tandem relicturi ſimus. Imo penè auſim ſpondere, (quod tibi forte an incredibile videbitur) me ex iis ipſis, quæ de operibus diſputat Paulus, doctrinam Jacobi de juſtificatione ex operibus fortiùs adſtructurum. Priùs verò quàm hoc opus aggrediamur, utile fortaſſis ac penè neceſſarium erit, quas alii aliàs excogitârunt, conciliandi rationes in examen revocare.

§. 3. Primò igitur pleriq; ſentiunt, à Jacobo operibus non tribui juſtificationem coram Deo, (de qua loquitur Paulus) ſed declarationem ſolummodo atq; oſtenſionem ejus coram hominibus: quæ fit non per fidem internam, quæ eſt inviſibilis, ſed per opera externa, quæ tanquam effecta fidei externa internam cauſam demonſtrant. Breviter: Paulum ſtatuunt agere de juſtificatione hominis ipſius coram Deo, quæ fit ſolâ fide; Jacobum verò de juſtificatione fidei hominis coram hominibus aliis, quæ ex operibus fit. Atq; inane hoc commentum duabus maximè rationibus probatum eunt.

§. 4.

§. 4. 1ò. Id patet, inquiunt, ex ipſius Jacobi verbis, v. 18. *Oſtende fidem tuam ex operibus.* Annon hinc clarum eſt, Jacobum id tantùm velle, per opera fieri oſtenſionem fidei coram hominibus? Reſp. Quod Apoſtolus hîc dicit de oſtenſione fidei coram hominibus, primarium ejus ſcopum non complet: id tantùm principali quæſtioni de juſtificatione coram Deo ſubjungitur: q. d. tantum abeſt, ut quis fide ſolâ ſine operibus apud Deum juſtificetur, ut ne homines quidem de alterius fide (humano more) certi eſſe poſſint, niſi pia facta eam teſtentur, optima fidei indicia. Veritatem hujus reſponſionis ex argumentis mox ſecuturis manifeſtiſſimam faciemus.

§. 5. 2ò. Argumentantur: Abraham dicitur juſtificatus per immolationem filii Iſaac: at coram Deo multò antè fuit juſtificatus per fidem, Gen. 15. 6. Ergo juſtificatio hîc ſignificat juſtum coram hominibus declarari, non coram Deo fieri. Reſp. Objectio hæc falſo nititur ſuppoſito, nempe juſtificationem eſſe actum (ut loquuntur) inſtantaneum, uno momento ſimul ac ſemel completum; quod nullo modo admitti debet. Eſt enim juſtificatio actus continuus, ac tum demum perfectus & conſummatus, cùm quis conditionem fœderis, per quod juſtificatur, perfectè & ad finem uſq; adimpleverit. Etiamſi igitur Abraham fuit antè juſtificatus, dici nihilominus potuit etiam tum juſtificari, cùm filium ſuum unicum, votô ſaltem, Deo immolârit. Imo tum demum ſe Deo pleniſſimè approbatum dedit, actu ſc. obedientiæ verè admirando, & quô major aut nobilior ab homine vix expectari potuit. Equidem nullus dubito, quin hæc ſit ipſiſſima ratio, cur Apoſtolus huic potiùs Abrahami operi voluerit inſiſtere; cùm alioqui potuiſſet altiùs atque ab ipſa origine rem, de qua agit, deducere. Eſt enim certum, Abrahamum, cùm primùm divino favore dignus habitus fuerit, ſe Deo probatum dediſſe non fide ſolâ, verùm etiam actu obedientiæ non ignobili; quòd ſc. oraculo divino obſecutus, patriæ paternæque domui valedixerit, atq; ad longam, incertam, ac periculoſæ aleæ plenam peregrinationem ſe lubens atq; alacris accinxerit. Hoc Abrahami factum graphicè exornat Autor Epiſtolæ ad Hebræos, cap. 11. v. 8. Et fuit is ſane actus verè Heroicus; at fuit tamen hôc longè inferior, quô Iſaacum filium ſuum, filium unicum, filium optimum, filium dilectiſſimum, filium diu expectatum, filium deniq; promiſſum, atq; in hæredem mundi deſtinatum, ad Dei nutum occidere, (idq; propriis manibus) atq; in ſacrificium ipſi offerre paratus fuit. Cùm hoc faceret Abrahamus, jam ad ipſam ferè obedientiæ ἀκμὴν pervenerat; jam obſequium ſuum teſtimoniô, quô majus dari vix potuit, Deo commendârat; jam deniq; juſtificatio ejus tantùm non complementum ſuum acceperat, ac penè conſummata erat. Hinc Jacobus affirmat, Abrahamum, dato hôc ſuæ erga Deum obedientiæ admirando ſpecimine, φίλον Θεοῦ κληθῆναι, *amicum Dei vocatum fuiſſe*, v. 23. Nimirum manifeſtè alludit Apoſtolus (ut Grotius appoſitè admodum obſervavit *in prior. annot. ad locum*) ad ea quæ habemus Gen. 22. 16. & ſequentibus. Ubi Deus cum Abrahamo, ideo quod filio ſuo præ Dei amore non pepercifſet, fœdus novum paciſcitur, idq; ipſum ſancit jure jurando (quod quanti ſit faciendum vide, Heb. 6. 13, &c.) & ſic eum in propiorem amicitiæ gradum recipit.

§. 6. Obſcuriora hæc fortean alicui videri poſſunt; attamen argumenta noſtra, quibus iſtam Jacobi interpretationem prorſus ineptam eſſe oſtenſuri ſumus, ipſâ (nî fallor) luce erunt clariora. Dicimus igitur, hanc interpretationem eſſe tum ex ſe abſurdam, tum ipſis Jacobi verbis planè incongruam, imo ex diametro fere repugnantem. Per ſe abſurda eſt, nec vel ſpeciem veri habet: quis enim adeo vecors fuit iſtô ſæculô, qui cum Apoſtolo contendere voluerit, an homo juſtificetur, i. e. declaretur juſtus in conſpectu hominum, ex fide tantùm? Quippe fides eſt (omnium conſenſu) actio interna, non niſi in corde hominis producta, atq; adeo à cognitione humanâ planè remota, niſi externis effectis ac fructibus naturæ ipſius conſentaneis ſe prodat.

§. 7. Deinde ipſis Jacobi verbis repugnat hoc commentum. Nam 1. notandum eſt, quòd Apoſtolus, licèt neget fide ſolâ hominem juſtificari, fide tamen ex parte juſtificari concedat: ἐξ ἔργων, οὐκ ἐκ πίστεως μόνον. Jam verò ſi juſtificatio pro declaratione juſtitiæ accipiatur, manifeſtum eſt, hominem ex fide ne omnino quidem juſtificari. Quòd enim quis in conſpectu hominum juſtus appareat, id totum operibus debetur, quæ in hominum ſenſus incurrunt; nulla autem ex parte fidei convenit, quippe quæ ſit actio interna, ab hominum notitiâ remotiſſima. 2. Quid quòd hæc interpretatio in verbis Jacobi manifeſtum ſtatuit ſolœciſmum? ſi enim (ut modò eos dicentes audivimus) Jacobus in hac diſputatione intelligendus ſit de juſtificatione fidei noſtræ coram hominibus, tum concluſio hæc, *Videtis ex operibus hominem juſtificari, non fide ſolâ*, ſic reddenda eſſet: *videtis ex operibus fidem hominis juſtificari,*

stificari, non fide solâ. Quô quid absurdius, aut tantô Apostolô indignius? 3. Huic etiam interpretationi manifestè reclamant verba, v. 14. *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? μὴ δύναται ἡ πίστις σῶσαι αὐτὸν; numquid poterit fides salvare eum?* Annon hinc manifestum est, loqui Apostolum de acceptatione hominis ad salutem apud Deum, non de approbatione hominis apud homines alios? 4. Idem Jacobo est (ut alicubi notavimus) δικαιωθῆναι & φίλον Θεοῦ κληθῆναι, v. 23. Loquitur igitur non nisi de justificatione ejusmodi, quâ quis in Dei ipsius favorem atq; amicitiam admittatur. 5. Deniq; justificari apud Jacobum eôdem sensu usurpatur, quô λογίζεσθαι εἰς δικαιοσύνην in Scripturis accipitur, v. 23. At quis nescit, phrasi istâ imputationem justitiæ ab ipso Deo, non declarationem justitiæ apud homines significari? Concludo itaque, hanc Jacobi interpretationem, ut palpabilis absurditatis plenam, nequaquam admittendam esse.

ANNOTATA

Ad CAP. I.

Ad §. V.

Argumentantur.] Ad hujus objectionis vanitatem ostendendam, verbô solùm addo, quod, si ea procederet, nec Paulus ex ipso, quem citant, loco Gen. XV. 6. colligere potuerit, Abrahamum per fidem tunc fuisse justificatum; siquidem jam antè in Historia, Genes. XII. se fidelem DEO probavit, ac proinde justificatus fuit. Unde idem Apostolus Hebr. XI. 8. scribit: *Fide vocatus Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: & exiit, nesciens quò iret.* Quam igitur ad hoc argumentum aliis darent responsionem, hanc sibi ipsi capiant: nempe justificationem non esse actum momentaneum, qui simul atque semel fiat, sed continuum, & indies magis magisque perficiendum, uti Vir Reverendus hôc §. optimè explanavit, & ipse S. Joannes confirmat notô istô dictô, Apocal. xxii. 11. *Qui justus est, justificetur adhuc*, i. e. maneat & crescat in justitia, ac proinde etiam in favore ac amicitia Dei, juxta ista Servatoris verba Joan. XV. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea; sicut et ego præcepta Patris mei servavi, & maneo in ejus dilectione.* Nam *Jesus proficiebat sapientiâ* (quidnî *justitiâ* quoque) *& gratiâ coram DEO ac hominibus*, Luc. II. 52.

Ad §. VI. & VII.

Argumentis, quibus Vir Clarisſ. probavit, S. Jacobum de justificatione, non coram hominibus solùm, sed & coram DEO locutum esse, sequentia subnecto. 1um suppeditat versus 12. & 13. hujus cap. II. ubi Apostolus ait: *Sic loquimini, & sic agite, sicut per Legem libertatis judicandi. Judicium enim sine misericordia illi qui non fecerit misericordiam; superexultat autem misericordia judicio.* Unde vers 14. continuò subjungit: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* Ex quibus rectè colligas, Jacobum in hac disputatione, quam ibi exorditur, de justificatione in DEI, non hominum, judicio loqui, coram quo & Dæmones tremunt, juxta vers. 19. Quod 2. & ex adversariorum, cum quibus contendit, doctrina colligitur; Simonianorum puta, de quibus jam suprà pag. 13. col. 1. ex Irenæo annotavi, quod negaverint, nos secundum opera justos à DEO censeri ac salvari. Addo hic suffragium Theodoreti, lib. 1. Hæret. fabul. cap. 1. hanc, inter alias, Simonis Magi hypothesin recensentis: *ὃ γὰρ διὰ πεφάξεων ἀγαθῶν, ἀλλὰ διὰ χάριτος πίστεως τῆς σωτηρίας, Non enim per bonas actiones sed per gratiam salutem consecuturos.* Nisi itaq; Jacobus in hac disputatione aerem verberaverit, (quod mihi sane, quidquid aliis videatur, nunquam persuaserim) eôdem sensu justificationem operibus tribuerit necesse est, quô adversarij inficias iverunt, in ordine nimirum ad æternam salutem, ac proinde in divino, non humano foro. Accedit deniq; 3ium. argumentum, ad quod quidnam adversarij respondere queant, plane nescire me fateor. Hoc ita propono:

Coram quo Abrahamus per oblationem Iſaaci juſtificatus eſt, coram illo & nos per opera juſtificari docuit Jacobus;

Atqui Abrahamus per oblationem Iſaaci coram DEO juſtificatus eſt; Ergo &c.

De Majore propoſitione nemo dubitat: Minorem hôc proſyllogiſmô, ut mihi videtur, inſolubili probatam do:

Per quod Abraham promiſſionem benedictionis in ſemine ejus (id eſt, Chriſto) pro ſe & poſteris conſecutus eſt, per hoc coram DEO juſtificatus eſt;

Atqui Abraham promiſſionem benedictionis in ſemine ejus, Chriſto, pro ſe & poſteris per oblationem Iſaaci conſecutus eſt; Ergo Abraham per oblationem Iſaaci coram DEO juſtificatus eſt.

Major iterum extra controverſiam eſt poſita, eâq; ipſius S. Pauli argumentatio pro juſtificatione per fidem nititur. Vide Rom. IV. 13. Galat. III. 14. ſeqq. Minoris veritas patet ex Genes. XXII. 16. ‘ Per memetipſum juravi, dicit Dominus, quia feciſti ‘ hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi—& ‘ benedicentur in ſemine tuo omnes gentes ‘ terræ, quia obediſti voci meæ. Quæ verba ita clara ſunt, ut nullô commentariô, nullôq; aliô argumentô opus eſſe videatur.

CAP. II.

Expenditur ſecunda ſententia eorum, qui Jacobum de falſa & fucata, Paulum de vera ac viva fide loqui arbitrantur. Multis argumentis obruitur iſta opinio. Satisfit objectionibus adverſariorum.

§. 1. SEcunda ſententia eſt eorum, qui homonymiam in voce *fidei* ſtatuunt. Paulus (inquiunt) loquitur de fide vera ac viva, quæ per opera eſt efficax; Jacobus de fide falſa, fucata, ac deniq; mortua, quæ eſt fidei tantùm larva, non vera fides. Nihil autem mirum eſt, Paulum fidei vivæ juſtificationem tribuere; Jacobum verò fidei mortuæ eandem prorſus detrahere.

§. 2. Priuſquàm hanc ſententiam expendamus, illud notatu haud indignum eſt, hanc interpretationem à pleriſq; cum priore conjungi; ita ut duplicem ſtatuant in verbis Jacobi cum Paulo collatis homonymiam; aliam in voce *Juſtificationis*, quâ juſtificatio apud Paulum pro juſtificatione hominis coram Deo, apud Jacobum verò pro declaratione juſtitiæ coram hominibus accipiatur: aliam in voce *Fidei*, quâ fides apud Paulum fidem vivam, apud Jacobum fidem mortuam ſignificet. Quàm hæc confuſa, incongrua, ac ſibi repugnantia? Si enim juſtificatio Jacobo ſit declaratio fidei coram hominibus, & tamen fides ab eo accipiatur non pro fide vera ac viva, ſed falſa ac mortua; annon inde ſequetur, Jacobum dicere, fidem falſam ac mortuam coram hominibus declarari bonis operibus? Quô quid abſurdius? Hôc ſtrictim notatô, iſtam interpretationem ſeorſim atq; à priore diſtinctam conſiderabimus.

§. 3. Primò igitur quod dicunt, fidem intelligi à Jacobo, quæ mortua ſit ac ſine operibus, hâc lege concedimus, ſi etiam fateantur omnem fidem per ſe mortuam eſſe, & non niſi ex operibus vitam ſuam accipere, h. e. ſine operibus nihil apud Deum valere ad ſalutem; quod certè Apoſtolus apertè docet. Atqui illud non ſibi volunt adverſarii; quippe qui ſtatuant, fidem eſſe aliquam, quæ, etſi ab operibus ſejungi non poſſit, ejuſmodi tamen eſt naturæ, ut vim quandam in ſe habeat juſtificandi, quam nullâ ex parte debeat operibus. Senſus igitur eorum eſt, Jacobum loqui de fide tali, quæ in genere fidei imperfecta ſit, ac verâ fidei naturâ planè careat; verbô dicam, quæ fidei tantùm larva ſit, non ipſa fides.

§. 4. Sed hæc eorum interpretatio immane quantum à textu Apoſtoli abhorret! 1ò. enim Jacobus fidem, de qua loquitur, ut bonam probat, v. 19. *Tu credis Deum unum eſſe? καλῶς ποιεῖς, bene facis.* Ergo de fide ſimulata nequaquam intelligendus eſt. 2ò. Fidem, de qua loquitur Jacobus, ex parte hominem juſtificare ipſe concedit, v. 24. Atqui ex fide ſimulata, & quæ non vera ſit, homo ne omnino quidem juſtificari dici poteſt. Reſpondet hîc Paræus *Explicat. dubiorum c. 3. ad Rom. dub. 9. in reſp. ad obj. 3.* ‘ Apoſtolum non affirmare, ſed negare, fi‘ dem juſtificare ſolam, h. e. ſolitariam, ſeu ‘ operi-

‘ operibus vacuam : nec partiri justificatio-
‘ nem inter opera & fidem, sed totam operi-
‘ bus tribuere, fidei totam derogare ; ideóq;
‘ non dicere : *videtis eitam operibus*, sed
‘ *videtis operibus justificari hominem, & non*
‘ *fide tantùm.* Mira certè responsio ! Nam 1. Apostolus non dicit, fidem non justificare *solam*, vel *quæ sola est*, sed non justificare *solùm*, ἐκ ἐκ πίστεως μόνον. 2. Si dicas adverbium μόνον poni pro adjectivo μόνης, res eòdem redibit. Quippe manifestum erit, Apostolum statuere, fidem, de qua loquitur, etsi non solam & sine operibus, operibus tamen conjunctam justificare ; quod de fide falsa ac fucata nullo modo dici potest. 3. Deniq; illud non potuissem non imprimis mirari, quod Paræus dicit, justificationem à Jacobo totam operibus tribui ; nisi meminissem virum doctum existimasse, justificari apud Jacobum idem valere, quod justum ostendi coram hominibus. At siquis sanæ mentis post rationes modò in contrarium à nobis allatas ita senserit, eum deditâ operâ cæcutire mihi persuasissimum est. 3ò. Apostolum non tantùm fucatæ, sed & veræ fidei solitarium justificandi officium detrahere, hôc argumento planum fiet : Fides ea, quæ in Abrahamo erat, proculdubio vera erat fides, non fidei larva ; at fides ipsa Abrahami sine operibus ipsum justificare non valuit : dicitur enim ex operibus justificari, v. 21. 4ò. ac postremò : Disertè loquitur Apostolus de ea fide, quæ aliquando cooperatur operibus, atq; ex operibus ad finem (justificationis sc.) perducta est, v. 22. quæ fucatæ fidei nullo modo aptari possunt. Locum hunc superiùs vindicavimus. Verbô igitur dicam : De ea fide manifestè disputat Jacobus, cui nihil defit præter bona opera, & quæ, si ei addantur bona opera, hominem sine dubio Deo gratum ac salvum reddet. Jam verò fucata fides est imperfecta in genere fidei, neq; potest operibus bonis conjungi, iisve additis vera fieri.

§. 5. Ad argumenta jam veniamus, quibus interpretationem suam adstructum eunt adversarii. Duo tantùm proferunt, quæ considerationem mereantur. Primò objiciunt : Apostolum loqui de tali fide, quæ in ipsis etiam Dæmonibus reperiatur ; ac proinde nequaquam de vera fide intelligendum esse. Resp. Veram, h. e. non fucatam fidem & assensum in Diabolis esse, certum est ; cùm id testetur Apostolus, ac ratio ipsa confirmet. At fides hæc iis nihil prodest, quia nullam in iis charitatem efficit. Hoc autem ideo : tum quòd nôrint se irrevocabili decreto à gratia Evangelii secluso, tum quòd ita penitus depravata sit eorum natura, ut iis forsan (etiamsi spes veniæ affulgeret) Deum ama & bonum aliquod velle aut facere planè impossibile sit Vis ergo argumenti Apostolici hæc est : Fidem atq; assensum habent ipsi Diaboli, quibus tamen ea fides nihil prodest ; quia sc. pietatem in iis post se non trahat : pari ratione tu, quisquis es, qui fidei tuæ confidis, ex ea nullum fructum percipies ; nisi opera fidei adjungas. Instabis : vera fides est saltem vera virtus ; neq; id diffiteri volunt, qui sufficere eam ad justificationem negant : at nulla in Diabolis reperitur vera virtus ; ergo neq; vera fides. Sed responsio non est admodum difficilis : Eadem enim fides, quæ in homine virtus est, ut in Diabolis existit, omni virtute caret. Ratio videtur satis manifesta : Objectum fidei sive res credendæ à Diabolis tantâ ac tam irrefragabili evidentiâ apprehenduntur, ut iis credere ipsis planè necessarium sit, adeóq; nulla laus, neq; virtus. At non eodem modo in homine fides efficitur ; quippe etiamsi objecta fidei nobis proponantur ut summè credibilia atq; ejusmodi argumentis confirmata, quæ æquis judiciis & ingeniis non planè pertinacibus abunde sufficere possint ; non tamen eâ nobis evidentiâ res credendæ ingeruntur, ut iis assentiri omnino necèssarium sit : tum enim nullos infideles reperire esset inter Evangelii auditores, quos tamen (proh dolor !) nimis multos esse experientia testatur. Hæc credendi libertas in homine facit, ut fides in ipso virtus sit atq; actus obedientiæ laudabilis, quæ in Diabolis nullam meretur laudem, quia libertate istâ careant. Non parum firmari videtur hæc responsio ex ipso Jacobo, qui illam ipsam fidem, quam in Diabolis reperiri concedit, in homine tamen laudat. *Tu credis*, inquit, *unum Deum esse*, καλῶς ποιεῖς, *bene facis* ; q.d. Est quidem fides hæc laudanda virtus ; at non sufficit, ad salutem nihil valet, nisi ei addantur charitatis opera.

Vide Estium in l. 3. dist. 23. §. 5.

Vide Tho. Bradward. de causa Dei, lib. 1. capit. 1. Coroll. par. 32. p. 59. & H. Grot. de verit. Religionis Christ. lib. 1. in fine, & Scholasticos generatim.

§. 6. Altera adversariorum objectio ex v. 17. & 20. & 26. hujus capitis depromitur : Mortua fides non est vera fides ; at fides, contra quam disputat Jacobus, dicitur ab eo mortua : Ergo, &c. Resp. Mirum certè meritò videri debet, viros doctos tali argumentô pugnare ; cùm nullus sit Jacobi locus, qui universam eorum interpretationem luculentiùs evertat. Cuivis id liquebit, qui verba v. 26. sine gratia, sine odio expenderit : ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα χωρὶς πνεύματος νεκρόν ἐστιν, οὕτω καὶ ἡ πίστις χωρὶς τῶν ἔργων νεκρά ἐστι, i. e. *Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est.* Observa enim hîc, 1ò. Cùm fides sine operibus à Jacobo dicitur νεκρὰ, vocem illam νεκρὰ non tam ad ipsam fidei *naturam* respicere, quàm ad *effectum*

fectum ejus; h. e. non significare, fidem sine operibus non esse veram fidem, sed talem fidem effectu suô carere, i. e. apud Deum nihil quicquam valere, ad justificationem vel salutem hominis nequaquam prodesse. Clarè id liquet ex v. 14. coll. cum v. 17. ubi ἡ πίστις δὲ δύναται σῶσαι, & ἡ πίστις νεκρά ἐστι, idem valent. Deinde illud manifestiùs adhuc apparet, ex v. 16 & 17. inter se collatis, ubi in protasi similitudinis ab Apostolo usurpatæ legimus, τί τὸ ὄφελος; in apodosi verò, πίστις νεκρά ἐστι. Idem ergo apud Jacobum significant *mortuum esse*, & *nihil prodesse*. 2ò Observandum est, non dicere Apostolum: *Sicut homo sine spiritu mortuus est*; sed, *sicut corpus sine spiritu mortuum est*. Unde evanescit frivola ista quorundam objectio: Homo mortuus non est homo, sed cadaver tantùm hominis; ergo fides mortua non est fides, sed quoddam fidei cadaver. Non enim comparat Apostolus fidem mortuam cum homine mortuo, sed cum corpore mortuo. Sicut ergo corpus mortuum verè & propriè corpus est; ita fides mortua verè & propriè fides est. At corpus mortuum nihil agit, nullam vitæ actionem exercet; ita neq; fides mortua quicquam prodest, aut ad salutem hominis confert. 3ò Corpus, si spiritu informetur, vivum fit corpus, & actiones vitæ exercet; ita fides ea, de qua loquitur Jacobus, per opera ipsi addita, viva efficitur fides, atq; ad salutem prodest: quod de fide falsa nemo sanæ mentis dixerit. Quippe tali fidei deest vera fidei natura, quam ab operibus mutuari non potest. Breviter: quod verum corpus non est, animæ jungi non potest, neq; per illud actiones vitæ potest anima exercere; eôdem planè modô, quæ fides vera non est, ei ut bona opera addantur, omnino est impossibile. 4ò ac postremò, ex hac Jacobi similitudine illud saltem manifestum est, bona opera in justificationis ac salutis negotio idem fidei præstare officium, quod corpori anima, quod ad vitam attinet; h. e. quemadmodum anima facit, ut corpus vivat, atq; actiones vitæ exerceat; ita bona opera efficiunt, ut fides vivat, h. e. ad salutem valeat. Cùm enim fidem *mortuam esse*, & fidem *non posse salvare* vel *nihil prodesse*, idem significent, ut modò ostendimus; ex regula contrariorum sequitur, fidem *vivere*, & fidem *prodesse* ac *salutem operari*, idem etiam significare.

§. 7. Quid his opponi ab iis possit, qui fidem esse unicum justificationis instrumentum, opera nihil in isto negotio agere docent, meritò mireris. Sed audi *Cameronem*, &

——— *Si Pergama dextrâ*
Defendi possint, certe hâc defensa videbis.

Primò interrogat vir doctus in Jac. 2. v. 26. nec sine indignatione aliquâ: *Utrùm qui hanc Jacobi similitudinem rigidè urgent, cùm spiritus sit causa vitæ corporis, dixerint etiam opera esse fidei causam?* Resp. Ludit vir doctissimus in quæstione sua; non enim necesse est, ut qui dicunt, spiritum esse causam vitæ corporis, affirment opera esse causam fidei: imo si illud dicerent, simili, quô utitur Apostolus, abuterentur. Non enim vel dicit, vel innuit Jacobus, spiritum esse causam corporis, sed spiritum esse causam vitæ corporis: Pari ratione opera bona non sunt causa fidei; at sunt causa vitæ fidei, h. e. efficiunt, ut fides hominis ad justificationem prosit, ejúsq; salutem operetur, quod per se & sine operibus præstare nequeat. Atq; illud asserere non veremur, cùm idem Jacobus ipse apertè doceat. Pergit *Camero* interrogare: *An perinde dicemus, motum tribui fidei per opera, ac animam corpori motum tribuit?* Resp. Omnino. Nimirum motus ille fidei, quô ad salutem pertendit, operibus debetur, sine quibus fides hominem σῶσαι, ad salutem producere haudquaquam valeat. Atque hoc etiam à Jacobo in terminis docetur, v. 14. Deniq; rem suam concludit Vir magnus hôc Argumento: *Certissimum est Apostolum dicere, fidem συνεργεῖν τοῖς ἔργοις: at corpus animæ συνεργεῖν, nemo satis sanus dixerit.* Resp. 1. Si totum concederemus argumentum, quid inde sequeretur? Nempe similitudinem Apostoli rei, de qua agit, per omnia non quadrare. At quid isthuc tam mirum esset? Certè nullum fere simile excogitari potest adeo usquequaq; aptum ac concinnum, ut non alicubi claudicet. Sufficit quòd similitudo Apostoli scopo ipsius principali illustrando aptè inserviat: nempe ostendere, fidem per se nihil ad salutem valere; ast operibus additis, ad finem suum, salutis scilicet, pertingere: planè quemadmodum corpus sine anima mortuum est, neq; agere omnino potest; sed verò animâ ipsi adjunctâ vivit, atq; actiones vitales exercere valet. 2. Sed quid, obsecro, absurdi in eo esset, siquis diceret corpus animæ συνεργεῖν, an ad Anticyras continuò relegandus esset? Certè corpus aliquo sensu animæ συνεργεῖν, nemo satis sanæ mentis negaverit. Etsi enim anima sit omnium actionum fons ac principium, corpus tamen etiam animæ cooperatur, atq; adjungitur tanquam instrumentum, quô in actionibus suis pleriſq; edendis anima utitur, ac sine quo, ut actiones istas anima perficiat, planè impossibile est. Ita oculus,

lus, manus, pes, cæteræq; corporis organicæ partes animæ subserviunt, ut instrumenta in effectione earum actionum, quæ singulis earum conveniunt: neq; potest anima exercere actionem videndi, ambulandi, &c. nisi mediante oculo, pede, &c. Itaq; hîc etiam quadrat similitudo. Etsi enim charitas sit virtus illa, quam in salutis negotio Deus imprimis respiciat, quæq; sola ex gratioso Dei fœdere necessariô secum nexu salutem trahat; tamen necesse est, ut huic charitati etiam fides subserviat, quippe *sine qua impossibile sit placere Deo*, Heb. 11. v. 6. Nihilominus sicut corpus animæ ita in agendo subservit, ut tamen in se nullam agendi vim habeat, quam ab anima non mutuatur; ita fides sic charitati ad salutem cooperatur, ut in & per se nihil ad salutem valeat, sed eatenus tantùm, quatenus charitate perficitur. Sed in re inutili nimiam posuimus operam.

§. 8. Unicam solummodo observationem, quæ magis usui erit, adjiciam; nempe ex hac ipsa Apostoli similitudine optimè stabiliri distinctionem illam fidei, quam Nostrates pleriq; temere exagitant (vix alia certè de causa, quàm quia à Pontificiis usurpata sit) in *informem* & *formatam*. Optârim certè, ut cæteræ omnes Scholasticorum distinctiones tam essent S. Scripturis consentaneæ. Est enim *fides informis* Apostolo velut corpus inanime, & *fides formata* velut corpus animatum. Sic ergo utrinq; vera fides, sicut utrinq; verum corpus. At verò sicut corpus inanime nihil agit; sic fides bonis operibus non animata nihil ad salutem prodest. Laudanda certè erat Buceri, viri optimi, moderatio, qui hac in parte nullam Pontificiis litem intendendam censuit. Verba ejus, ut observatu digniſſima, describere hîc non gravabor. Ita se habent in Psal. 11. edit. Argentorat. ‘ Non possum non sanius judicium op-
‘ tare quibusdam, qui eò nostro sæculo plu-
‘ rimos admodum turbârunt hôc paradoxo,
‘ solâ nos fide salvari: cùm viderent tamen
‘ huc hoc rapi, ac si justitiam solâ animi
‘ existimatione finirent. Quæ jam illa cha-
‘ ritas, quæ huic malo unô verbulô mederi
‘ dedignatur? Ut dicerent, *fide formatâ*
‘ justificamur: aut, per fidem bonorum o-
‘ perum voluntatem, ac ita justitiam conse-
‘ quimur: aut, fides fundamentum ac radix
‘ est justæ vitæ, ut Augustinus dixit: neq;
‘ veris enim quisquam offendendus est. Hæc ille. Ad hanc autem distinctionem rectè intelligendam observandum est, cùm Apostolus opera fidei formam statuit, considerari ab ipso opera in sua radice, h. e. non tam in externo effectu, quàm interno affectu, seu bona voluntate & charitate, quæ forma est fidei, (quatenus sc. justificat) sicut anima corporis. Sentit enim Jacobus, fidem operandi voluntate destitutam mortuam esse; sicut corpus animâ privatum mortuum est.

Atq; de secunda Jacobi interpretatione hactenus.

CAP. III.

Expenditur tertia sententia eorum, qui Jacobo & Paulo inter se conciliandis distinctionem quandam justificationis in primam & secundam adhibent. Breviter ostenditur, sententiam istam tum falsum supponere, tum ab utriusq; Apostoli scopo alienam esse. Idem fit judicium de quarta atq; ultima Josuæ Placæi sententia, de duplici accusatione, à qua in justificatione absolvimur ac liberamur.

§. 1. TErtia conciliandi ratio, à nobis breviter expendenda, eorum est, qui distinctione quâdam justificationis in *primam* & *secundam*, hanc inter Paulum ac Jacobum ἐναντιοφάνειαν facilè sublatum iri arbitrantur. Nimirum initium justificationis statuunt fide solâ sine operibus obtineri secundum Paulum; continuationem verò, perfectionem, ac complementum justitiæ non nisi ex operibus fieri; atq; id solummodo à Jacobo doceri. Hanc interpretationem pleriq; Pontificii Scriptores magni faciunt; neq; eam suo sensui accommodatam respuunt nonnulli ex Reformatis Theologis. Suo inquam sensui accommodatam; quia Pontificii per justificationem primam intelligunt primæ gratiæ infusionem, quæ fit per fidem eam, quâ cor purificatur; Reformati verò, qui istâ distinctione utuntur, per primam justificationem volunt pri-

mum hominis in Dei favorem atq; amicitiam introitum atq; ingreſſum, quem fide ſolâ obtineri Paulum docere exiſtimant.

§. 2. Verùm enimvero utriq; in hac diſtinctione tum falſum ſupponunt, tum ab utriuſq; Apoſtoli ſcopo longiùs aberrant. Falſum ſupponunt Pontificii, eò quòd vocabulum juſtificationis in Paulinis diſputationibus, pro habitualis gratiæ infuſione accipi pro conceſſo ſumant; cui tamen non niſi ad Græcas Calendas probando erunt. Reformati verò hôc falſo nituntur fundamento, quòd primam juſtificationem fide ſolâ ſine operibus homini contingere arbitrentur, quod nequaquam concedi debet. Nemo enim (ut ſuprà argumentis omni exceptione majoribus evicimus) vel ad primam juſtificationis gratiam pervenire poteſt, qui pœnitentiæ opera non præſtiterit. Haud tamen diffitebor, opera ea, quæ primam juſtificationem præcedunt, longè minora ac pauciora eſſe iis, quæ jam juſtificatum ſequuntur. Etenim poſt juſtificationem DEUS, in flagrantiſſimi amoris ſignum, uberiorem Spiritûs ſui menſuram in nos effundit, quâ opera egregia ac verè Heroica producere valeamus: atq; ita qui fuerant צדיקים, fiunt & חסידים in ſummo gradu, ut eleganter Grotius *Vot. pro pace.* p. 22. Atq; in hunc ſenſum (ut optimè nos monet idem Grotius, *in Annot. in Conſult. Caſſand. ad Art.* 4.) intelligenda ſunt cùm multa, quæ Veteres de juſtificatione ex fide ſola dixerunt; tum imprimis illud Auguſtini, ferè in omnium ore jactatum: *Bona opera ſequuntur juſtificatum, non præcedunt juſtificandum.* Nimirum intelligendus eſt Auguſtinus non de operibus quibuscunque, ſed de longa ac jugi operatione; ut ſenſus ejus ſit, pauciora ac minora eſſe opera, quæ juſtificandum præcedunt, quàm quæ juſtificatum ſequuntur. Abſq; hoc grano ſalis axioma illud (adeo ab omnibus decantatum) à manifeſta falſitate vix ac ne vix quidem purgari poſſit.

§. 3. Reliquum eſt, ut, quàm hæc conciliatio, ut ea à Theologis tum Reformatis tum Pontificiis intelligitur, ab utriuſq; Apoſtoli ſcopo atq; inſtituto aliena ſit, breviter oſtendamus. Ad Jacobum quod attinet, tantum abeſt, ut fidei ſoli ſine operibus prima ab ipſo juſtificatio concedatur, ut fidem per ſe, tanquam rem vanam, inutilem, ac planè mortuam rejiciat penitus *. Si verò Paulum ſpectes, non magis quadrat hæc conciliatio ad ea, quæ ab ipſo diſputantur. Ex tota enim diſputationis ejus ſerie manifeſtum fit, opera, qualia ab ipſo intelliguntur, non tantùm à juſtificatione prima, ſed à ſecunda, atq; adeo (ut ſuperiùs indicavimus) ab ipſa ſalute removeri. Nihil itaq; feliciùs ceſſit hæc tertia conciliandi ratio.

§. 4. Reſtat quarta atq; ultima Sententia, quam Viro docto, Joſuæ Placæo, video mirificè placuiſſe; nec ſatis ſcio, annon ſit ei propria ac peculiaris. Eam ſic explicat Theſ. Salmur. vol. 1. de Juſtif. Theſ. 41. *Opponitur juſtificatio accuſationi: à duabus autem accuſationibus premimur in foro divino. Primùm objicitur, nos eſſe peccatores; h. e. reos violatæ conditionis, quæ fœdere legali lata eſt. Deinde objicitur, nos eſſe infideles; h. e. non præſtitiſſe conditionem fœderis gratiæ, videlicet fidem. Ab accuſatione priori ſolâ fide juſtificamur, quâ Chriſti gratiam ac juſtitiam amplectimur; à poſteriori juſtificamur etiam operibus, quatenus iis fides oſtenditur. Ad poſteriorem accuſationem reſpiciens Jacobus, affirmavit meritò, ex operibus juſtificari hominem, & non ex fide tantùm; Paulus verò reſpiciens ad priorem, ſolâ fide hominem juſtificari contendit.* Sic ille. Sed (ut alia taceam non pauca, in hac ſententia meritò culpanda) fallitur tum in Theſi, tum in Hypotheſi ſua Vir eruditus. In Theſi quidem, quòd ſtatuat, fidem eſſe totam atq; integram fœderis Evangelici conditionem; opera autem conſiderari ſolummodo ut fidei ſigna atq; argumenta: quod falſiſſimum eſſe, jam antè liquidò probavimus. In Hypotheſi verò, quod ſentiat, opera à Jacobo tanquam ad juſtificationem illam poſteriorem neceſſaria, fidem à Paulo ut ad juſtificationem priorem ſufficientem admitti; quod utrumq; à vero alienum eſſe modò oſtendimus, ac de Paulo mox pleniſſimè demonſtraturi ſumus. Neq; igitur ad hujus nodi ſolutionem quicquam confert hæc ultima ſententia.* † Meliora quæramus.

---

* *Exemplum quoque Meretricis Rahab, ver.* 25. *allatum, ſatis oſtendit, Jacobum ipſam primam hominis, etiam infidelis, juſtificationem diſputatione ſuâ complexum eſſe.*

† *Eam prolixiùs refutavit Clariſs. Auctor in Examine Cenſuræ, Reſp. ad Animadverſ. XV.*

ANNO-

ANNOTAT.

Ad CAP. III.

Ad §. II.

Illud Auguſtini, fere in omnium ore jactatum] Iſti Auguſtini dicto cùm clariſſimam lucem afferant verba ſuprà laudati, & nunquam ſatis laudandi, Gulielmi Forbeſii in Conſiderationibus pacificis de Juſtificatione Lib. I. cap. 3. §. 3. ea hìc annotare operæ pretium duxi: ‘ Quod, *in-* ‘ *quit*, ad nauſeam uſq; ex Auguſtino de Fi- ‘ de & Operibus cap. 14. repetunt (*Bona* ‘ *opera ſequi juſtificatum, non autem præcedere* ‘ *juſtificandum*) næ illi mentem Auguſtini ‘ nunquam ſunt aſſequuti. Loquitur eô loci ‘ Auguſtinus de operibus juſtitiæ, quæ per- ‘ cepta & profeſſa Fide (ut ipſe ait) fi- ‘ delibus deinde diligenter toto vitæ curſu ‘ præſtanda ſunt, ſeu de operibus illis, quæ ‘ per juſtitiam habitualem, *i. e.* in ipſa ju- ‘ ſtificatione infuſam, inhærentem, & perma- ‘ nentem efficiuntur, atq; ſic ſpeciali quâdam ‘ ratione dicuntur bona opera; non autem ‘ de iis, quæ per Spiritûs S. gratiam aſſi- ‘ ſtentem & præparantem fiunt ante & ad ‘ juſtificationem peccatoris. *&c.* Nimirum in his *juſta* agunt fideles; in illis *juſtè*, ut Ariſtoteles in Ethicis diſtinguit.

CAP. IV.

Ad veram nodi ſolutionem via ſternitur. Paulus ex Jacobo, non Jacobus ex Paulo interpretandus. Duplex apud Paulum ambiguitas: altera in voce Fidei, *in voce* Operum *altera. Quid per fidem Paulus intelligat. Fidem ipſi denotare univerſam illam, quæ Evangelio exhibetur, obedientiam, argumentis clarè oſtenditur. Grotii argumento pro contraria parte reſpondetur.*

§. 1. EXpenſis aliorum de conciliatione inter Paulum & Jacobum ſententiis, iiſque non ſine evidentiſſimis rationibus, rejectis; tempus eſt, ut tandem de vera ac genuina hujus nodi explicatione videamus.

§. 2. Ac primò quidem ex iis quæ jam diximus, illud fundamenti locô ſtatui poteſt: rationi longè convenientius eſſe, ut Paulum ex Jacobo, quàm ut Jacobum ex Paulo interpretemur *. Præterquam enim quòd verba Jacobi ſint adeo diſerta, clara, ac perſpicua, ut, qui de eorum ſenſu dubitat, nodum planè in ſcirpo quærere meritiſſimo jure dicendus ſit; illud etiam notatu haud indignum eſt, quod Veterum multi (eóſq; inter Auguſtinus cenſent, Epiſtolam Jacobi, & Johannis primam, & Judæ, & eam quæ Petri ſecunda dicitur, ſcriptas adverſus eos, qui Paulinas Epiſtolas pravè interpretantes, fidem dicebant ſine bonis operibus ad ſalutem ſufficere. Cui ſententiæ fidem faciunt ultima Epiſtolæ illius, quæ Petro adſcribitur, verba; ubi δυσνόητά τινα affirmat in Paulinis Epiſtolis reperiri, à peſſimis hominibus in peſſimum ſenſum uſq; ad perniciem ſuam diſtorta. Certè enim, ſi rem probè expendas, nullam invenies in Epiſtolis Paulinis doctrinam, quæ pravis interpretationibus ſit magis expoſita, vel quæ revera, à primis uſq; ſeculis in hunc ipſum diem, pejores paſſa fuerit, quàm hæc ipſa, de juſtificatione ex fide ſola ſine operibus, diſputatio. Idem quoq; probabile fit ex eo, quòd Jacobus ejusdem Abrahami exemplô utitur, ut probet opera ad juſtificationem requiri, ex cujus exemplo Paulus intulerat, juſtificari hominem

Expende etiam ejuſdem Epiſtolæ cap. 1. v. 5,6,7,8.

* *Vidè Examen Cenſura Reſp. ad Animadverſ.* I.

minem per fidem ſine operibus, Rom. 4. per totum.

§. 3. Utut ſit, de Jacobi ſenſu planè conſtat; quicquid aut ambiguitatis, aut obſcuritatis ſit, id totum in Paulinis Epiſtolis quærendum. Ea verò in Pauli verbis ambiguitas vel in vocabulo *juſtificationis*, vel in nomine *fidei*, vel deniq; in voce *operum* ſtatuenda eſt. Ad vocabulum *juſtificationis* quod attinet, ſatis (ut arbitror) jam evicimus*, illud in Paulinis Epiſtolis hunc ſenſum obtinere, ut ſignificet actionem Dei, more Judicis, hominem abſolventis, juſtúmque pronuntiantis, atq; ad præmium vitæ æternæ acceptantis. De hôc igitur nulla manet controverſia. Reliquum eſt, ut ambiguitas vel in nomine *fidei*, vel in voce *operum* ſita ſit. Ac profectò in utroq; vocabulo, prout à Paulo uſurpatur, latet Homonymia. Qualis ea ſit, jam oſtenſuri ſumus.

* *Diſſert. 1. cap. 1.*

§. 4. Primò igitur, quid per *fidem* intelligat Paulus, quæri poteſt, ac debet. Ad cujus quæſtionis ſolutionem, quod ſuperiùs ſtrictim notavimus, hîc fuſiùs à nobis explicandum ac demonſtrandum eſt: ſc. fidem, cui juſtificatio à Paulo tribuitur, pro unica ac ſimplici virtute nequaquam ſumendam eſſe, ſed integram Fœderis Evangelici conditionem denotare, h. e. ſuo ambitu omnia Chriſtianæ pietatis opera complecti. Rectè enim Zegerus: ‘ Abſoluta & perfecta fides, ‘ cujus frequentior eſt in Scripturis mentio, ‘ ea eſt, quâ non modò Deo, & Deum cre- ‘ dimus, verùm etiam in Deum, h. e. cre- ‘ dendo pio affectu pariter & effectu in De- ‘ um tendimus, & ab illo pendemus. Atq; ‘ hæc ſimul ſpem, charitatem, & bona opera ‘ complectitur’. Et paulò poſt: ‘Hîc igi- ‘ tur memineris oportet, quòd ubicunq; ‘ Paulus, vel alia Scriptura ſacra fidei tri- ‘ buit juſtificationem, ſalutem, vitam, aut ‘ aliquid hujuſmodi; de fide loquatur viva ‘ & perfecta, h. e. quæ ſpem, charitatem, ‘ bona opera complectitur’.

In præf. ad Annot. ad Ep. Pauli.

§. 5. Hoc unum ſi evicerimus, reliqua apud Paulum longè erunt faciliora. Ac primò quidem id clarè liquet ex locis nonnullis inter ſe collatis, in quibus Paulus ſui ipſius interpretem manifeſtè agit. Gal. 5. 6. *In Chriſto Jeſu neq; circumciſio quicquam valet, neq; præputium, ſed fides per charitatem efficax.* Et cap. 6. 16. *In Chriſto Jeſu neq; circumciſio quicquam valet, neq; præputium, ſed nova creatura.* 1 Cor. 7. 19. *Circumciſio nihil eſt, & præputium nihil eſt, ſed obſervatio præceptorum Dei.* Quis hæc legens adhuc dubitare poſſit, quid per fidem Paulus voluerit? Nimirum luce clarius eſt, fidem, cui juſtificatio ab ipſo tribuitur, non niſi eam eſſe, quæ per charitatem ſit efficax, quæ eadem planè ſit cum nova creatura, deniq; quæ obſervationem mandatorum Dei in ſe contineat. Huc refer loca, in quibus fides à Paulo per obedientiam exponitur. Sic Rom. 10. 16. *Sed non omnes Evangelio paruerunt. Eſaias enim dicit: Domine, quis credidit ſermoni noſtro?* Quis non videt, hîc πιστεύειν, *credere*, & ὑπακούειν εὐαγγελίῳ, *parere Evangelio*, apud Paulum idem prorſus ſignificare? Si quis autem dubitat, quid Paulo ſit ὑπακούειν εὐαγγελίῳ, conſulat Rom. 15. v. 18. ubi Phraſis iſta exponitur per ὑπακοὴν λόγῳ καὶ ἔργῳ obedientiam oris & operis. Hinc etiam paſſim legimus περὶ ὑπακοῆς πίστεως, *de obedientia fidei*, h. e. de obedientia illa quæ ex fide proficiſcitur. Rom. 1. 5. & 16. 19, 26. 2 Cor. 7. 15. & 10. 5, 6. Confer etiam 1 Pet. 1. 2, 22.

§. 6. Deinde hoc ipſum ex eo manifeſtum fit, quòd Apoſtolus, cùm de fide ſola, à charitate disjuncta, loquitur, eam nihili planè faciat. 1 Cor. 13. 2. *Si habeam omnem fidem, charitatem autem non habeam, nihil ſum.* Quod hîc excipiunt nonnulli, Paulum loqui ſolummodo de fide miraculorum, non de perfecta fide, prorſus ineptum eſt. Nam, 1º De omnigena fide diſertè loquitur: ἐὰν ἔχω πᾶσαν τὴν πίστιν &c. Sic πᾶσαν γνῶσιν ibidem dicit pro omni genere cognitionis: ſic & πᾶσα θλῖψις 2 Cor. 1. 4. 2º Fides miraculorum eſt ſummus fidei gradus, nec datur ulla fides, quæ ſit mera fides, atq; à charitate disjuncta, major aut nobilior. Qui enim in tantum Chriſti Evangelio credit, & Chriſto confidit, ut per hanc fidem vel ſumma miracula efficere valeat, ejus certè tum aſſenſus, tum fiducia ad ſummum gradum pervenerunt. Cùm igitur concedunt ii, quibuſcum diſputamus, fidem miraculorum per ſe nihil apud Deum valere, eâdem operâ fatentur, nullam eſſe omnino fidem nudè conſideratam, quæ ad hominis ſalutem quicquam conferat. Mens certè Apoſtoli clara eſt: Si habeam omnigenam fidem, uſq; ad eum fidei gradum, quô miracula efficiantur; imo ampliùs adhuc, eum miraculorum fidei gradum, ut non tantùm minora, ſed & maxima miracula, qualis eſt montium immenſæ molis tranſlatio, præſtare valeam; nihil tamen ſum, h. e. nihil ſum ſecundum eſſe gratiæ, ut Aquinas: vel nihil ſum in eſſe divini conſortii, ut Cajetanus: vel deniq; (quæ omnia eódem recidunt) nihil mihi prodeſt hæc fides ad vitam æternam, niſi ei etiam charitatem addidero. 3º Illud, opinor, nullus inficiabitur, Paulum hîc loqui de

de charitate non quacunque, sed de vera & Evangelica. Quam si conferat cum aliis donis mortuis, friget amplificatio. Quid enim magni sit, si vera charitas præferatur vel non sanæ cognitioni, vel ementitæ prophetiæ, vel non veræ fidei? Hoc nimirum (ut scitè Erasmus) perinde sit, quasi si quis volens exaggerare robur Tauri, componat illum cum Leone vel mortuo, vel dentibus atq; unguibus exarmato. Certum est igitur, Paulum veram & Evangelicam charitatem amplificandi gratiâ conferre cum veris ac perfectis donis Spiritûs, & cognitionis, & prophetiæ, & fidei. 4° atq; ultimò, Apostolum sub finem capitis, nempe v. ult. agere de vera & perfecta fide, in confesso est. Necesse est igitur ut statuamus, de eadem agi initio capitis, cùm disputatio continua sit; alioquin Apostolus diceret ἀνανόλωθα. *In locum.*

§. 7. Multùm hîc agitatur quæstio, an vera fides à charitate possit separari? Ad me quod attinet, partem quæstionis affirmativam verissimam esse, nullus dubito. Rationes ex hoc ipso loco satis manifestæ sunt. Nam 1. Contraria sententia (ut alicubi diximus) suppositionem Apostoli ineptam facit. 2. Certum est, cognitionem & prophetiam, quæ ab Apostolo in eodem cum fide censu ponuntur, à charitate sejungi posse. Sed (ut quod res est dicam) controversiam hanc, ad causam nostram quod attinet, ἀπεριδιώτον esse omnino judico. Sive enim statuas, veram fidem charitatem sibi indivulsam comitem habere, sive contrarium definias; illud saltem ex Apostoli verbis manifestum est, nullam esse omnino fidem, quæ ad salutem hominis quicquam valeat, nisi quæ, & quatenus charitate perficiatur. Eandem enim certè fidem, quæ, si à charitate divelli potuisset, nihil prodesset, etiam charitati adjunctam nihil per se valere, nullam justificandi vim aut virtutem habere, quam charitati non debeat, manifestum est. Sed illud obiter.

§. 8. Deniq; fidem, cui justificationem tribuit Paulus, obedientiam in se complecti vel hinc patet; quòd ipse alicubi præceptorum Dei observationem ad justificationem esse necessariam disertè statuat. Locus est Rom. 2. 13. *Non enim qui audiunt legem, justi sunt apud Deum, sed qui legem præstant, justificabuntur.* Legem hîc ad ea præcepta restringi, quæ moralia sunt, h. e. universalis ac perpetui juris, ex toto Apostoli contextu liquet. Hujus autem legis observationem ad justificationem esse omnino necessariam, Apostolus in terminis affirmat. Excipit quidem Calvinus, & post eum alii, Paulum hîc loqui ad hominem, non verò κατὰ ἀληθειαν ac rei ipsius veritatem. Verba Calvini sunt: *Tantùm urget apud Judæos Apostolus illud, de quo meminerat, legis judicium: quod non possint per legem justificari nisi legem impleant; si transgrediantur, paratam mox esse illis maledictionem.* Imo paulò superiùs hæc verba (pro more suo) indignabundus effundit: *Qui hôc loco abutuntur ad erigendam operum justitiam, etiam puerorum cachinnis sunt dignissimi.* Verùm enimvero hujusmodi dicta puerô potiùs, quàm tantô virô, digna fuissent. Etsi enim his verbis Apostolum Judæos imprimis (quippe qui legis hujus æternæ clariùs sibi revelatæ cognitione superbirent, atq; adeo nudâ istâ cognitione, quasi ipsis ad salutem sufficeret, nimiùm sibi placerent) perstringere non diffiteamur; nulli tamen dubitamus, quin hæc ipsa verba ad omnes, qui justificari volunt, atq; eâdem legis cognitione imbuti sunt, indiscriminatim pertineant; & non ad hominem, sed ad rei ipsius ipsissimam veritatem dicta sint. Rationes ex ipso textu sunt manifestæ. Nam primò, si quæ dicit Apostolus v. 6, 7, 8, 9, 10, 11, viz. *Deum unicuiq; secundum opera ipsius redditurum, illis, qui in perseverantia operum bonorum gloriam quærunt, vitam æternam; contentiosis verò & immorigeris iram & indignationem: afflictionem & conturbationem futuram omni homini qui operatur mala, Judæis primùm dein Gentilibus; gloriam verò & honorem & pacem omni operanti bona, Judæis primùm dein Gentilibus: &c.* Si, inquam, hæ sententiæ non ad hominem, sed ad rem dictæ sint, non Judæos solùm respiciant, sed ad omnes sine discrimine pertineant; (illud verò quis ausit negare?) tum dubio procul verba v. 13. eòdem etiam referenda sunt, siquidem per causativam particulam γὰρ cum antedictis connectantur, nec plus dicant quàm in iis continetur. Rectè enim Bucerus: *Nititur hoc dictum eô, quòd Deus reddet cuiq; secundum facta sua. Hinc enim est, ut Deus his qui faciunt legem, h. e. qui seriò student legi, rependat vitam æternam.* Deinde cùm supponit Calvinus, agi hic de justificatione sub conditione impossibili, viz. siquis legem præstet, clarè refellitur ex v. 16, qui v. 13. omnium fere Interpretum consensu adjungi debet, cæteris παρενθετικῶς interpositis. Ibi enim dicitur hanc legis factorum justificationem actu & reipsâ futuram esse in die judicii. * *In locum.*

M Legat

* *Sed quicquid de connexione versûs 16. cum versu 13. statuatur, hic certè cohæret cum proximè præcedenti versu 12. imo rationem ejus subnectit, quod ibidem dicitur; nempe illos qui in lege peccaverunt, per legem judicandos esse:* Non enim, *inquit*, qui solùm audiverint, sed qui fecerint insuper legem, à judicio condemnationis erunt immunes. *Quæ ratio nulla est, nisi hoc reapse fiat.*

Legat quiſquis dubitat, ac ſine gratia, ſine odio cujuſquam, integram periodum expendat, atq; hanc eſſe ipſiſſimam Pauli mentem mirum eſt nî fateatur. Quid ergo, inquies? Numquis legem Dei facere poſſit? Reſpondebit hîc Bucerus: *Sicut in præcedentibus operari bona vel mala, eſt bono vel malo ſtudere, animô incumbere & intentum eſſe; ita facere legem, aut eſſe legis patratorem, nihil aliud eſt, quàm legi deditum eſſe, legem meditari, in eo eſſe, ut legi vita omnis conformetur. Hoc nimirum, quod ubiq; Dominus in lege ſua requirit.* Confer Rom. 13. 10. Gal. 5. 14. Jac. 2. 8. Verbô dicam: eadem eſt hæc Pauli ſententia cum illa Jacobi, ad Evangelium tantùm magis accommodata, Jac. 1. 22. *Factores eſtote ſermonis & ne auditores ſolùm, falſâ ratiocinatione voſmetipſos fallentes.* Cui addas Chriſti ipſius dicta, Mat. 7. 21, 24, Jo. 14. 21. & 13. 17. Priùs autem quàm illuſtrem hunc locum miſſum faciam, viſum eſt, quæ ad eum ſcribit doctiſſimus Eſtius, commemorare: *Sanè*, inquit, *videri poteſt, Paulum idcirco tam diligenter commendare voluiſſe bona opera, ut ad juſtitiam ac vitam æternam neceſſaria, quò Lectorem præmuniret, ne ſequentem ipſius doctrinam, quâ juſtificationem tradit ex fide ſine operibus, malè intelligendo offendiculum pateretur, aut in errorem incurreret.* Certè eatenus ſaltem ei lubens aſſentior, ut credam, non ſine magna Dei providentia id factum fuiſſe.

§. 9. Videor mihi etiam alium locum vidiſſe, ubi obedientia mandatorum Dei ad juſtificationem neceſſaria à Paulo diſertè ſtatuitur. Is eſt Rom. 6. 16. *An neſcitis, quòd cui ſiſtitis vos ſervos ad obediendum, ejus ſervi eſtis cui auſcultatis,* ἤτοι ἁμαρτίας εἰς θάνατον, ἢ ὑπακοῆς εἰς δικαιοσύνην, *ſive peccati ad mortem, ſive obedientiæ ad juſtitiam?* Hypallagen hîc eſſe cenſet Paræus, ut verba, *obedientiæ ad juſtitiam*, ponantur pro *juſtitiæ ad obedientiam.* Sed quæ ſit hîc hujus figuræ neceſſitas, planè non video; imo talis Hypallage manifeſtam in Pauli verbis antitheſin tollit. Nulla enim inter *obedientiam* ac *mortem* per ſe eſt oppoſitio. Interpretationem itaq; verborum expeditam ac facilem hanc eſſe judico, ut vox *obedientia* metonymicè ſumatur pro lege Evangelica cui obeditur, vocabulum verò δικαιοσύνη ſenſu ſatis uſitato pro δικαίωσις accipiatur; atq; ita textus ſic exponatur: *An neſcitis, cui ſiſtitis vos ſervos ad obediendum, ejus ſervi eſtis, cui auſcultatis, ſive peccati ad mortem, ſive Evangelii ad juſtificationem vitæ?* Certè δικαιοσύνη ut τῷ θανάτῳ opponitur non niſi juſtificationem, aut huic aliquid ſimile ſignificare poſſe videtur. Sed illud à nobis mantiſſæ loco additum fuit, cùm ex antedictis ſatis pateat, fidem à Paulo accipi pro univerſa mandatorum Chriſti obedientia.

§. 10. Hanc tamen Pauli interpretationem rejicit Grotius in Præfat. ad Annot. in Epiſt. ad Roman. ubi, commemoratâ priùs aliorum ſententiâ de ſignificatione vocis *Fidei* apud Paulum, hanc etiam noſtram deſignat, reprobatq; his verbis: *Alii per fidem intelligunt omnem illam, quæ Evangelio exhibetur, obedientiam. Atqui neq; hoc cum Pauli locutione congruit; is enim dilectionem præfert fidei* 1 *Cor.* 13. 2 *& fidem dicit opus ſuum per dilectionem exequi Gal.* 5. 6. *apertè à fide dilectionem, quæ præcipua pars eſt iſtius obedientiæ, diſtinguens.* Sed nihil nos lædit hoc Viri doctiſſimi argumentum. Neque enim negamus nos, fidem alicubi ab Apoſtolo à charitate ejuſq; operibus apertè diſtingui; affirmamus ſolummodo, Paulum, cùm fidei ſoli juſtificationem ac ſalutem tribuit, licèt fidem ſolam nominet, cætera etiam omnia intelligere, quæ fidem ſequi ſolent. Idq; ex iis ipſis locis, ubi fidem à charitate diſtinguit, liquere credimus. Cùm enim ibi fidem à charitate diſjunctam apud Deum nihil quicquam valere affirmet Apoſtolus, hinc ſolidè colligimus, ipſum, cùm aliàs fidei fere omnia tribuit, fidem intelligere verâ charitate informatam: alioquin enim ſibi ipſi contradiceret.

CAP.

CAP. V.

Fundamentum ejus locutionis, quâ fides pro universa, quæ Evangelio exhibetur, obedientia accipitur; nempe, quòd sit & initium, & radix totius Evangelicæ justitiæ. Exponitur locus ad Rom. cap. 10. ver. 11. coll. cum v. 12, 13. Eâdem fere de causâ universa pietas, cognitio sive scientia appellatur in S. Scripturis. Causa, cur Paulus in descriptione conditionis, quæ ex parte nostra ad salutem requiritur, nomine fidei tam libenter uti soleat, ulteriùs investigatur. Ea duplex potissimum est: ut istius conditionis 1. Exprimatur facilitas; 2. Tollatur meritum.

§. 1. HOC probè stabilito ac fixo, fortean operæ pretium erit, causas hujusmodi locutionis à Paulo usurpatæ investigare. Fundamentum, quô hic loquendi modus nititur, superiùs indicavimus; nempe, quòd fides sit initium, & radix totius Evangelicæ justitiæ, sine qua nulla virtus salutifera in homine possit existere, quæq; adeo, si vis ejus non impediatur, alias quascunq; virtutes (velut filum acus) post se trahat: ut Paulus, cùm omnem illam, quæ Evangelio exhibetur, obedientiam *fidei* nomine exprimit, tropô utatur ei haud multùm absimili, quô apud Latinos Scriptores *audire* vel *auscultare* dicitur pro *obtemperare*, ut in illo Terentii Andr.

Act. 1. Scen. 3. *Pamphilúmne adjutem, an auscultem seni?*

quam Metonymiam antecedentis pro consequente solemus appellare. Quanquam fides respectu cæterarum virtutum non sit merum antecedens, sed, ut sæpe diximus, causa, etsi non sola, aut necessaria; adeoq; hoc loquendi genus ad Metonymiam etiam efficientis referri possit. Appositissimum, nî fallor, huic rei explicandæ locum habemus Rom. 10. v. 11. coll. cum v. 13, 14. ubi locus Scripturæ ab Apostolo citatus v. 11. *Quisquis credit in eum,* (Dominum *sc.*) *non pudefiet*; ex alia Scripturæ sententia sic exponitur v. 13. *Quisquis invocaverit nomen Domini,* (h.e. ex animo Dominum coluerit) *salvus erit.* Invocationem enim divini nominis hîc, ut alibi sæpe (confer Psal. 14. 4. & 53. 4. Isa. 43. 22. Jer. 10. ult. 1 Cor. 1. 2.) totum atq; integrum divini Numinis cultum significare manifestum est: ut Paulus, cum fidei salutem tribuit, fidem eam velit, quæ cultum Dei (in Christo sc. atq; ex præscripto Evangelii ejus) sibi conjunctum habeat. Cur igitur, inquies, totum illud fidei solius nomine exprimere voluit Apostolus? Rationem mox ipse innuit v. 14. *Quomodo igitur invocabunt eum, in quem non crediderunt?* Nempe sine hac fide nemo Deum in Christo potest ritè colere, & hæc fides cultum istum parere apta nata est: fieri omnino non potest, ut colat, qui non credit; fieri vix potest, ut non colat, qui credit. Observandum autem hîc (ὡς ἐν παροδῳ) quòd tria hæc ab Apostolo in eodem commate posita, *invocatio, fides,* & *auditus* sive cognitio, singula quidem ad salutem sint necessaria sub diversa tamen ratione. Scil. cognitio & fides necessaria sunt necessitate (ut ita dicam) mediatâ, cultus verò iste immediatè; h. e. cognitio & fides ideo tantùm necessaria sunt, quòd sine iis nemo cultum præstare possit, qui Deo ad salutem gratus sit; cultus verò ipse illud demum est, quod necessarium sit per se, ac salutis effectum (vi sc. fœderis Evangelici) proximè attingat. Sed illud obiter.

§ 2. Porro hâc eâdem de causâ pietas, quæ ad salutem requiritur, nomine *cognitionis* sive scientiæ non rarò in Scripturis denotatur, ut Joh. 1. 10. & 8. 19, 55. & 17. 3. Phil. 3. 8. 1 Joh. 2. v. 3, 4, 13, 14, 20. & c. 4. v. 6, 7, 8. & c. 5. v. 20. Imo huic cognitioni justificatio ipsa disertè tribuitur Isa. 53. 11. *Cognitione sui justificabit multos servus meus justus.* Nimirum, ut rectè Forerius in locum: ‘Est ‘ quoddam cognoscere Deum seu Christum ‘ in Scripturis, quod non est sine iis omnibus, quæ Catholica Doctrina ad justificationem dicit necessaria; est, inquam, quædam cognitio, quam *affectivam* vocant Scholastici, quæ non minus habet amoris, quàm ‘ fidei; quæ vera & integra est sapientia.’ Ideo autem universam pietatem cognitionis solius nomine comprehendere solet Scriptura,

ra, tum quòd sine solida Dei divinæq; voluntatis cognitione nemo verè pius esse possit; tum imprimis quòd cognitio ista ad pietatem magno sit & adjumento & incitamento: quæ ratio fidei multò magis convenit.

§. 3. Atq; hæc sola ratio etsi sufficere potuisset, cùm tamen mecum cogitem, quàm frequens sit apud Paulum Metonymia ista, ac scopum Paulinæ disputationis accuratiùs perspiciam, Apostolum ulteriùs respexisse facilè crediderim. Sentio itaq; causam, cur Paulus in descriptione conditionis, quæ ex parte nostrî ad salutem requiritur, nomine *fidei* tam libenter uti soleat, duplicem potissimùm esse. Prima est, ut istius conditionis exprimatur facilitas. Quippe facile est credere id ad quod fides hæc respicit, & ex quo pietas, quæ hôc nomine comprehenditur, penè necessariò nascitur: Nempe hominem mortalem ex mortuis resurgere posse, & in cœlum ascendere, imo etiam reipsâ resurrecturum, atq; in beatas sedes migraturum esse, si Deo paruerit. Id enim Christi ex mortuis resurrectione, atq; in cœlos ascensione, quarum rerum fides apertissimis documentis nobis est facta, manifestè fuit comprobatum. Hoc verò si credatur firmiter, (adde, & seriò expendatur) pietatem illam, quam Deus à nobis postulat, penè, si non prorsus, necessariò in nobis efficit, ut inter alia docet nobilis ille Johannis locus, 1 Epist. c. 3. v. 3. *Et quisquis habet hanc spem in eo, purificat se, sicut ille purus est.* Et hæc quidem causa, cur fidei nomine conditio nobis à Deo imposita exprimi soleat, intelligi fortasse potest ex cap. 10. ad Rom. v. 6. & seq. ubi Apostolus, ostendere volens facilitatem justificationis Evangelicæ præ justificatione legali, postquam dixisset v. 5. *Moses enim scribit justitiam quæ est in lege, quòd qui fecerit ea, in iis vivet*, statim subjungit: *Illa verò quæ ex fide est justitia, ita dicit: ne dicas in corde tuo*, &c. *Sed quid dicit? Prope te verbum est in ore tuo, & in corde tuo, &c.* Quasi dicat: Justitia quidem illa, quæ in lege est, præscribit multa & gravia præcepta, sed nulla continet vitæ æternæ promissa, quibus ad ea præstanda quis animetur; tantùm dicit: Si hæc feceris, vives, h. e. longævus eris, vitam ages hîc diuturnam ac felicem; de vita æterna ne γϱ῀ quidem dicit. At justitia fidei longè facilior est: quippe quæ tum præcepta ejusmodi tantùm contineat, quæ suâ ipsorum honestate nobis commendantur; tum imprimis, ad præcepta illa præstanda, maximis certissimísq; promissis nos exstimulet. Fundamentum ac radix hujus Evangelicæ justitiæ, atq; ex qua pullulare apta nata est, nihil aliud est quàm fides ejusmodi, quâ firmiter credas, hominem posse ascendere in cœlum, & ubi in abyssum descenderit, inde posse reverti. Atqui id Christi in cœlum ascensione, ejusq; morte, & ex ea resuscitatione adeo manifestè est demonstratum, ut siquis negare velit, perinde faciat, ac si Christum è cœlis vellet deducere, & negare, vel ipsum esse mortuum, vel ex mortuis rediisse. Sed id ita manifestum est, ut Deus hoc veluti animis nostris & cordibus inseruisse videatur, ut id credamus, & in ore nostro posuisse, ut id fateamur. Quare cum ea tam sint manifesta, ex quibus evidenter pendet veritas eorum, ad quæ fides nostra primò respicit, & ex quibus pietas penè necessariò nascitur, ut facillimum sit ea credere; sequitur, etiam ipsam nostram fidem ac pietatem esse facilem. Cùm enim facile est id, unde alia quodammodo pendent, etiam cætera omnia sunt facilia. Certè hæc loci hujus interpretatio, meô quidem judiciô, aliis omnibus præferenda videtur, ut maximè facilis, expedita, ac Pauli ibidem scopo conveniens. Huic porro loco lucem non exiguam affert alter ille sancti Johannis, 1 Epist. c. 5. v. 3, 4, 5. *Hæc est enim charitas Dei, ut præcepta ejus observemus: & præcepta ejus gravia non sunt. Quoniam quidquid natum est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria nostra quæ vincit mundum, nempe fides nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit Jesum esse filium Dei?* Quibus verbis ostendit Apostolus tum facilitatem præceptorum Evangelicorum, tum facilitatem eam fide illâ niti, quâ Jesum credimus esse filium Dei, &, quod inde sequitur, promissa ejus in Evangelio data certissima esse; breviter, facilitatem præceptorum ex certitudine promissorum Christi eorumque fide oriri. Quasi dicat: Præcepta Christi in se quidem gravissima videri possunt, & humanæ infirmitatis modulum excedentia; (ea præsertim quæ abnegationem nostrî, & crucis tolerantiam postulant) sed promissa etiam ejus maxima & certissima si respicias, evanescit statim difficultatis species; apparet illico, præcepta ista præstatu esse facillima. Etsi enim certamen nobis sit cum mundo, i. e. cum illecebris, pravis exemplis, periculis, & malis è mundo ingruentibus, quæ à præscripta in Evangelio semita avocare nos apta nata sunt; si tamen excellentissima illa promissa, vincentibus facta, firmâ ac vividâ fide amplectimur, paratam ac facilem habemus de mundo victoriam. Atque hæc de facilitate, quæ prima potest esse causa, cur *fidei* nomine in hoc negotio utatur Paulus.

§. 4. Secundò, sequitur altera ejus rei causa, quæ est, ut hôc nomine, obedientiæ istius,

istius, quæ à nobis in Evangelio exigitur, meritum excludatur. Etenim *fidei* vocabulum primô quasi conceptu suô gratiam sonat, meritúmq; prorsus omne excludit; idq; triplici ratione. 1ò. Quia supponit revelationem & vocationem à parte Dei, ex mera gratia priùs homini concessam, quàm homo obedientiam Deo præstet; adeoque hominem non præstitisse eam obedientiam, quæ *fidei* nomine exprimitur, suâ sponte, vel propriô ingeniô ac studiô; sed Deum ex mera & mira sua bonitate hominem antevertisse, voluntatem suam modô extraordinariô ipsi revelando. Scil. nemo unquam à jactis mundi fundamentis viam salutis ingressus est, nisi Deo duce ac monstratore, hoc est, per fidem. Atq; hæc insignis est differentia inter *naturæ* justitiam & *fidei*. Hanc præstat homo gratiosâ Dei revelatione ac vocatione præventus atq; excitatus, adeóq; Deo authori acceptam referre debet: cujusmodi fuisse Abrahami, de quo tantopere gloriabantur Judæi, obedientiam multis contendit Apostolus, quemadmodum postea suô locô monstrabitur. Istam verò qui præstat justitiam, αὐτοδίδακτον, à seipso edoctus, ac proprio Marte, nullo magistro ac monstratore efficit, ac proinde laus ejus (si laude digna sit) in hominem ipsum redundare videtur. Hoc est, quod voluit Apostolus, quoties *opera* opponit *vocationi divinæ*, ut Rom. 9. 11. 2 Tim. 1.9. & Vir Apostolicus, Clemens Romanus, cum in Epistola ad Corinthios, nos omnes, qui ex beneplacito Dei per Christum vocati sumus, servari dicit, ὃ διὰ τῆς ἡμετέρας σοφίας ἢ συνέσεως, ἀλλὰ διὰ πίστεως, δι' ἣν πάντας τοὺς ἀπ' αἰῶνος ὁ παντοκράτωρ Θεὸς ἐδικαίωσε. Quod Clementis testimonium postea commodiore loco integrum dabimus. Gratia autem hujus divinæ vocationis multò illustrior fuit in iis hominibus, (ad quos Paulus suas scripsit Epistolas) quibus Evangelium Apostolorum ore, Deo ipsis per stupenda miracula testimonium præbente, annuntiatum fuit. 2ò. Vocabulum *fidei*, quô Evangelica obedientia exprimitur, ideo meritum excludit, quòd supponit non modò revelationem divinam, sed etiam talia promissa, à Deo revelante facta, quæ hominem suâ vi atque efficaciâ ad obedientiam istam fortiter exstimulent; quæq; adeo omnem istam obedientiam, quæ ex eorum fide suscipitur, longè exsuperent. Cùm itaq; pietatem, quam Deo præstamus, *fidei* nomine exprimimus, ideo nempe quia ex fide ea promanet, eô ipsô significamus, eorum, quæ fide apprehendimus, h. e. promissorum tantam vim fuisse, ut eam in nobis propter præstantiam suam & certitudinem parerent; adeóq; pietatem istam Deo tanquam primo ac potissimo authori, à cujus benignitate ea promissa sint profecta, vel hôc etiam nomine esse adscribendam. Huic certè rationi non parum roboris accrescit ex loco illo nobili, 2 Pet. 1. 4. Δι' ὧν τὰ μέγιστα ἡμῖν καὶ τίμια ἐπαγγέλματα δεδώρηται, ἵνα διὰ τούτων γένησθε θείας κοινωνοὶ φύσεως, ἀποφυγόντες τὴν ἐν κόσμῳ ἐν ἐπιθυμίᾳ φθορᾶς. Hîc θεία φύσις, h. e. eximia illa sanctitas, quâ Dei quodammodo similes efficimur, & quæ à mundi fordibus atq; inquinamentis nos liberat, accepta refertur τοῖς μεγίστοις καὶ τιμίοις ἐπαγγέλμασι, *maximis illis ac pretiosis promissis*, quæ ex immensa Dei bonitate nobis in Christo donantur; ideo scil. quòd fide horum promissorum divina hæc pietas in nobis efficiatur. Huc etiam pertinent loca illa, in quibus regeneratio nostra & cœlestis nativitas verbô Evangelii fieri dicitur, 1 Pet. 1. v. 23. coll. cum v. 25. Jac. 1. 18. & alibi. His enim in locis per *verbum* promissa præsertim in verbo contenta ut intelligamus, consentaneum est. Deniq; huc vel imprimis referenda est illa Petri δοξολογία & εὐχαριστία magnificentissima, 1 Pet. 1. 3. *Benedictus esto Deus, & Pater Domini nostri Jesu Christi, qui ex multa sua misericordia regenuit nos in spem vividam per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis.* Ubi resurrectio Jesu Christi, prout ejus fides certissimis documentis est facta, medium statuitur, quô à Deo renati sumus εἰς ἐλπίδα ζῶσαν, h. e. (ut ego quidem existimo) in *spem* illam *vividam*, quæ purificationem, de qua loquitur S. Johannes, post se trahere soleat: ac propterea tota salutis nostræ gloria & honos Deo ac Patri Domini nostri Jesu Christi, atq; effusissimæ ejus misericordiæ, qui ejus fidei argumenta nobis tam evidentia suppeditaverit, à Petro in solidum tribuitur. Inter promissa autem Evangelica maximè eminet Spiritûs Sancti promissum, quod fide apprehensum cætera omnia promissa reddit efficacia, eámq; in nobis justitiam operatur, quam à nobis Evangelium postulat. Vide Gal. 3. 14. Atq; hâc ratione obedientia fidei significat ejusmodi obedientiam, quam homo præstat, fretus gratiâ atq; auxilio Spiritûs divini, h. e. Spiritûs Christi, atq; opponitur justitiæ isti, quæ ab homine in statu sive Legis, sive meræ naturæ, sine inspiratione divina, propriis viribus efficitur.

ἀνθρώπων ἢ ἐλπεῖς ὅτι σώζειν, ὅτε ἐγνώρισεν· αὐτὸς ἢ ἐκυρίευσεν ἐπέθηκε ἢ διαστέως· ἢ μόνη θεὸν ἐδόξασε συγχάρητε. *Justin. Epist. ad Diog.*

§. 5. 3ò. Deniq; vocabulum *fidei* meritum excludit & hâc ratione, quòd fides, quatenus ad promissionem gratuitam refertur, μισθαποδοσίαν expectat ex sola gratia Dei promittentis. Atq; hæc (nî fallor) præcipua causa est, quamobrem Spiritus Sanctus universam, quæ à nobis in Evangelio postulatur, obedientiam *fidei* nomine soleat exprimere, nempe,

ut voce iſtâ indicetur, obedientiam, quam nos Deo præſtamus, non impetrare juſtitiam ſive ſalutem *ſuâ vi aut merito*, ſed *vi pacti* ſeu *promiſſionis gratuitæ*, quæ fide apprehenditur. Hoc eſt, quod indicare videtur S. Paulus, cum *Legem* opponit *promiſſioni*, Gal. 3. 18. εἰ γὰρ ἐκ νόμου ἡ κληρονομία, οὐκ ἔτι ἐξ ἐπαγγελίας· τῷ δὲ Ἀβραὰμ δι' ἐπαγγελίας κεχάρισται ὁ Θεός. i. e. *Nam ſi ex Lege eſt hæreditas*, (nempe *vitæ æternæ*) *non jam eſt ex promiſſione: Atqui Abrahamo per promiſſionem gratificatus eſt Deus hæreditatem.* Quibus verbis (ut rectè notavit Beza) tacitè occurritur reſponſioni Judæorum ad illud, quod Apoſtolus verſu præcedente dixerat; nempe Promiſſionem, quæ Abrahamo quadringentis & triginta ante latam Legem annis facta eſt, non potuiſſe per Legem iſtam abrogari. Dicere enim poterant Judæi: Fatemur promiſſionem non abrogari Legis pactô, ideóq; Legem cum promiſſione conjungimus. Imo, inquit Paulus, ſtare hæc duo ſimul non poſſunt: nempe, ut hæreditas ex Lege ſimul & promiſſione detur; cùm juſtitia Legis (loquitur κατ' ἄνθρωπον, v. 15.) meritum inducat & gratiam excludat, adeóq; gratuitæ promiſſioni repugnet, nempe ſi Lex juſtificandi causâ data fuiſſet. Notanda eſt ἔμφασις in voce κεχάρισται, quæ à χάρις deducitur, adeóq; à Beza rectè vertitur, *gratificatus eſt*. Confer. Rom. 4. v. 13, 14, 15. Quia verò promiſſio vitæ æternæ, in Evangelio facta, in meritoria Jeſu Chriſti ſatisfactione fundata eſt, ac ſanguine ipſius pretioſiſſimo ſancita, ideo fidei obedientia perpetuò reſpicit ad Chriſtum, tanquam ad unicum propitiatorem; cujus tam in vita quàm in morte perfectiſſima obedientia ſola effecerit, ut imperfecta & languida noſtra obedientia Deo ad ſalutem placeat, vitæq; æternæ præmium reportet. Rectè igitur Melanchthon in Locis præcipuis Theologicis de voce fidei: *Cum dicimus, Fide juſtificamur, monſtramus Filium Dei ſedentem ad dextram Patris, interpellantem pro nobis; propter hunc dicimus nobis donari reconciliationem, detrahimus meritum reconciliationis noſtris virtutibus, quæcunq; aſſunt.* Atq; hâc ratione Evangelica obedientia, *fidei* nomine expreſſa, eam obedientiam eaq; opera omnia excludit, quæ gratuitæ promiſſioni fiduciæq; in Chriſto Mediatore repugnant, hoc eſt, quæ cum fiducia & opinione meriti noſtri fiunt. Sed hæc omnia pleniorem lucem accipient ex iis, quæ poſtea dicturi ſumus, cùm ad analyſin Paulinæ diſputationis ventum fuerit. Hæc interim de ſenſu vocis *fidei* apud Paulum dixiſſe ſufficiat. *Vid. Rom. 3. 24, 25.* *Corp. Theol. p. 424.*

ANNOTAT.

Ad CAP. V.

Ad §. IV. & ſequ.

E*Tenim fidei vocabulum primô quaſi conceptu ſuô gratiam ſonat.*] Clara ſunt hanc in rem ipſius Apoſtoli verba, meritò annotanda, Rom. IV. 16. διὰ τοῦτο ἐκ πίστεως ἵνα, κατὰ χάριν. *Ideo ex fide, ut ſecundum gratiam.* Notatu quoq; digna ad illuſtrandam tertiam Reverendi Auctoris noſtri rationem §. 5. traditam, verba Cardinalis Toleti, in Cap. III. ad Roman. Annot. 17. *In fide magis manifeſtatur, hominem non propriâ virtute, ſed Chriſti meritô juſtificari. Sicut enim in aſpectu in ſerpentem Deus poſuit ſanitatem in deſerto, quia aſpectus magis indicabat ſanari hominem virtute ſerpentis, non operis alicujus proprii aut medicinæ alicujus; ita fides oſtendit, juſticari peccatores virtute & meritô Chriſti, in quem credentes ſalvi fiunt, non propriâ aliquâ ipſorum virtute aut meritô. Ea cauſa eſt, cur fidei tribuatur juſtificatio maximè à S. Paulo, qui à juſtificatione, legis opera, & humanum meritum aut efficaciam excludere, & in ſola Chriſti virtute & merito collocare nitebatur; idcirco meminit fidei in Chriſtum. Hoc nec pœnitentia, nec dilectio, nec ſpes habent: fides enim immediatiùs & diſtinctiùs in eum fertur, cujus virtute juſtificamur.* Rectè verò monet in ſequentibus, S. Paulum poſitâ fide non excluſiſſe reliquas diſpoſitiones, ſeu actus preparatorios ad juſtificationem, de quibus Diſſert. I. cap. 2. ſatis dictum eſt.

Ad Grot. Mat. 17.

CAP.

CAP. VI.

Quid per opera intelligat Paulus. Ex præcedentibus colligitur, ipsum de operibus loqui non quibuscunque, sed certi cujusdam generis ; nempe de operibus Legis Mosaicæ. Idq; ex scopo Paulinæ disputationis in Epistola tum ad Romanos, tum ad Galatas evincitur. Legem dein Mosaicam ita oppugnat Paulus, ut etiam dogmata Judæorum ipsi addita perstringat. Deniq; quia etiam cum Gentium Philosophis ipsi res erat, contra opera quoque Legis naturalis, h. e. ex meris naturæ viribus profecta, obiter & quasi aliud agendo disputat.

§. 1. ALtera ambiguitas apud Paulum in voce *operum*, ut diximus, latet. Et sequitur quidem illud ex eo, quod modò posuimus ; nempe, *fidem* in Paulinis Epistolis universa Christianæ pietatis opera complecti. Hôc enim positô, manifestum fit, opera, quæ Paulus à justificatione excludit, non qualiacunque, sed certi alicujus generis esse. Cujusmodi autem ea sint, distinctè exponere, non minimi fortasse negotii res est ; imo hic labor, hoc opus est : ad ipsum difficultatis apicem jam perventum est.

§. 2. Quò itaq; feliciùs hunc nodum expediamus, illud imprimis diligenter inquirendum, quis sit Apostoli scopus in suis contra opera disputationibus. De scopo autem illo optima judicandi ratio est, ut qui fuerint adversarii, quibuscum hanc litem habuerit Paulus, accuratè notemus. Optimè enim Isidorus Clarius in Rom. 3. v. 20. *Si cogitaremus, quæ versaretur eo tempore controversia, non erit admodum difficile, scopum assequi hujus Epistolæ. At sine hac consideratione luditur opera.*

§. 3. Rem totam sic paucis accipe. Evangelium Jesu Christi, à prima ipsius ad Judæos prædicatione, gravi hôc præjudiciô ab iis oneratum fuit, quòd scil. religioni & legi, quam à Deo ipso, mediatore Mose, miraculis multis magnisq; confirmatam acceperant, è diametro fere repugnaret. Huic calumniæ (talis enim revera erat) se opponit, ac legem suam luculenter defendit Christus ipse in celebri, quam ad Discipulos habuit, concione Matth. cap. 5, 6 & 7. apertè professus, se non venisse νόμον καταλῦσαι, *ut legem destrueret*, sed πληρῶσαι, *ut eam perficeret*. Quippe illa, quæ in lege sunt (ut Justinus loquitur) φύσει καλὰ, καὶ εὐσεβῆ καὶ δίκαια, perfecit Christus, explicando ea clariùs, quàm antè unquam explicata fuerant, & præceptis quibusdam exactioribus muniendo, & in eorum obsequium animos redigendo promissorum magnitudine & certitudine, Spiritûsq; sui obsignatione. Ritus autem implevit Christus & consummavit, id exhibendo, cujus causâ erant reperti, quodq; ritus ipsi figurabant. Delevit autem eosdem eo ipso implemento ac consummatione ; non tam tollendo legis vinculum, quàm causam subtrahendo, propter quam lex ea nata erat, & cui morienti ex primævo decreto erat commoritura.

Ad. Grot. in Mat. 17.

§. 4. Hæc tamen Judæi noluerunt intelligere, sed Dei finem ac propositum in danda lege nescientes, eámq; sempiternam fore somniantes, doctrinæ longè melioris revelatione contemptui habitâ, mortuis, imo jam penè mortiferis suis ceremoniis mordicus adhæserunt. Nimirum ita secum ipsis statuebant, legem, quâ jam tum fruebantur, indubitatò divinam fuisse atq; ab ipso Deo profectam ; ídq; documentis omni exceptione majoribus demonstratum : summæ itaq; imprudentiæ atq; adeo impietatis rem fore, cum lege nova, diversa, nedum contraria, qualiscunq; tandem ea esset, aut quocunq; prætextu incrustata, ipsam commutare. Hâc animi persuasione præmuniti, etiam qui inter Judæos erant melioris luti, contra Christi miracula, in iis licèt Dei ipsius digitus satis conspicuus esset, animum planè obfirmârunt ; iisq; tanquam tentationibus, à Deo iis ad probandam ipsorum in lege sua constantiam immissis, repugnârunt. Cæteri, pro suo quisq; ingenio, facilè prætextus invenerunt, quibus eadem miracula rejicere jure viderentur.

§. 5. Hoc certè præjudicium quamplurimos inter Judæos ab Evangelio Christi amplectendo retinebat. Neq; id solùm ; sed etiam

tiam qui ex iis miraculorum Chriſti evidentiâ convicti, Evangelio ipſius crediderunt, tantâ tamen legis Moſaicæ reverentiâ tenebantur, tantô rituum patriorum amore, ut vix ac ne vix quidem ab iis ſe divelli paterentur. Unde factum fuit, ut à nonnullis, etiam poſtquam ſua Chriſto nomina dederunt, Lex adhuc Moſaica retenta fuerit. Nimirum neq; ut Evangelium Chriſti tot tantíſq; miraculis confirmatum reſpuerent, neq; (ex altera parte) ut à lege Moſaica, quam à Deo eſſe planè ac plenè perſuaſi erant, deſciſcerent, animum ullo modo ſuum potuerunt inducere. In hôc bivio diu hærentes, tandem huc devenerunt, ut utramq; Legem, tum Moſaicam, tum Chriſti, conjungendas decernerent: ſimili planè nexu, quô Mezentius apud Virgilium vivis hominibus cadavera putida ligâſſe fingitur.

§. 6. Atq; eventu prorſus infelici. Huic enim zeli Judaizantium Chriſtianorum flammæ oleum addere non deſiêrunt peſſimi quidam Doctores, qui, licèt & ipſi Chriſtianiſmum profiterentur, rebus tamen in Eccleſia turbandis invigilabant, & nec Legem Moſaicam, neq; Chriſti aliàs curabant, quàm ut ex utraq; quæſtum ſuum facerent: donec tandem eò furoris deventum eſſet, ut Lex Moſaica non tantùm Judæis fidelibus, ſed & Gentibus ad fidem Chriſti converſis ad ſalutem obſervatu planè neceſſaria ſtatueretur. Id miras in Eccleſiis converſarum Gentium turbas excitavit, adeo ut ſacrum ab Apoſtolis concilium hac ipſa de re Hieroſolymis celebraretur: in quo tandem lis à parte Gentium deciditur, atq; iis exoptatiſſima à ritibus Moſaicis manumiſſio autoritate Apoſtolicâ decernitur. Ex hoc ſaluberrimo decreto fluxerunt pax, conſolatio, atq; in fide Chriſti confirmatio, non tantùm ad Eccleſias illas, in quibus hos motus primùm ac præcipuè excitârunt infeliciſſimi Doctores; ſed & pari gaudio perfuſæ erant, quotquot eſſent Gentium Eccleſiæ, quibus à Judaizantibus Chriſtianis eadem moleſtia crearetur. Verbo dicam: hôc Moſaici jugi terriculamentô ſublatô, quæ priùs ab Evangelio tali onere impedito abhorruerunt, jam tum ad fidem Chriſti turmatim confluxerunt Gentes. Itaq; Eccleſiæ confirmabantur fide, & exuberabant numerô quotidie, Act. 16. 4, 5.

§. 7. Aſt (proh dolor) non diu permanſit florentiſſimus hic Eccleſiarum Gentilium ſtatus. Etenim non multum temporis effluxit, ex quo peſſimi iſti operatores, canes iſti Circumciſionis (hôc nomine ab Apoſtolo jure merito nuncupati, Phil. 3. 2.) denuo ſurrexerunt, atq; in alta pace ſecuras in cauſa Chriſti oves miſerè ac ferociori jam crudelitate deprædati fuerunt. Ita factus eſt ultimus Eccleſiarum Gentilium ſtatus priori deterior. Etenim jam penè totum Chriſtianiſmum corruperat hoc Judaicum fermentum. Ubiq; ferme inter Gentes reviviſcunt priùs mortuæ & tantùm non ſepultæ ceremoniæ. Duæ erant imprimis Eccleſiæ, ut videtur, ubi maximè prævaluerunt iſti Legis Doctores, Romanorum ſc. ac Galatenſium. Quarum in poſteriori ita fere univerſa peſſum dederant pacis Eccleſiaſticæ turbatores, ut mitiſſimo Apoſtolo hoc votum extorſerint: *Utinam etiam abſcindantur, qui vos inquietant*, Gal. 5. 12. Gal. 5. 9.

§. 8. In hos igitur Chriſtianiſmi inter Gentes corruptores, zelô Dei accenſus, inſurgit magnus Gentium Apoſtolus. Atq; ut pernicioſam eorum doctrinam radicitus evelleret, & omnem iis in poſterum de lege gloriandi anſam præſcinderet; (ſimulq; Judæos, adhuc à fide Chriſti prorſus alienos, & in Lege ſpem ſalutis ſuæ unicam collocantes, vel ad veritatem pertraheret, vel os ſaltem iis occluderet) de toto atq; integro Fœdere Moſaico diſputationem, quaſi ex profeſſo, inſtituit, ejus originem, naturam, finem deniq; & uſum latè aperiens: multíſq; argumentis, in utraque, tum ad Romanos, tum ad Galatas, Epiſtola confirmans, Dei propoſitum nequaquam fuiſſe, ut lex iſta pro fœdere vitæ ac ſalutis æternæ haberetur: per ipſam neminem unquam ad veram juſtificationem perveniſſe, neminem poſthac perventurum. Quibus ſic explicatis, nemo eſt, (ut opinor) qui non videat, opera, quæ oppugnat Paulus, imprimis de operibus in lege Moſaica præſcriptis intelligenda eſſe. Quod etiam ab ipſo Apoſtolo nonnunquam exprimitur; nempe, ubicunq; fere non ἔργα ſimpliciter, ſed ἔργα νόμου nominat.

§. 9. Illud porro apprimè notandum, Apoſtolum ita legis Moſaicæ opera oppugnare, ut ſimul etiam eâdemq; operâ, quas legi aſſuerunt inter Judæos Scribæ & Phariſæi, corruptiſſimas ſententias rejiciat. Nimirum Lex Moſaica, ex ſe ſatis imperfecta, horum Doctorum gloſſis vaníſq; interpretamentis diluta, multò adhuc imperfectior evaſerat, quàmq; habuerat vim, eam fere totam amiſerat. Tot diſtinctionibus, tot diſpenſationibus præcepta Dei enervârunt, ut jam legem in lege fruſtra quæſiviſſes, atq; eò deventum eſſet, ut religio populi Dei, diviníſq; oraculis inſtructi, penè infra Paganiſmum, melioríſq; Philoſophiæ rudimenta ſubſiſteret. Erat jam tempus, ut manum ſuam exereret Jehova, cùm ita planè irritam feciſſent homines legem

Legem ſuam, Pſal. 119. 126. Idq; per Chriſtum fecit, qui in ſua ad Diſcipulos concione, Matth. 5, &c. hiſce Phariſæorum dogmatis ſe opponit, ſuoſq; ita ſeriò monet v. 20. *Niſi abundaverit veſtra Juſtitia plus quàm illa Scribarum & Phariſæorum, nequaquam ingreſſuri eſtis in Regnum cœlorum.* Legis peritos (ut bene monet Grotius) Chriſtus nominat, ut Judæorum eruditiſſimos; Phariſæos, ut peculiaris ſanctimoniæ famâ nobiles, & quorum ſecta erat in Judaiſmo ἀκριβεστάτη, Act. 26. 5. Eôq; oſtendit, miſerum tunc temporis ac planè deploratum fuiſſe Eccleſiæ Judaicæ ſtatum, quòd in ipſa Lege ſua interpretanda primarii eorum doctores & ductores tam fœdè turpiterq; erraverint. Neq; vero ſimile eſt, Phariſæorum doctrinam jam Pauli ætate meliorem factam fuiſſe. Steterunt procul dubiô vanis hiſce commentis pervicaciſſima recutitorum gens, iiſq; mordicus adhæſerunt. Idque, ſi non aliunde pateret, vel ipſius Pauli exemplô ſatis manifeſtum fit; utpote qui ante converſionem ſuam, (ut de ſe ipſo teſtatur, Gal. 1.14.) fuit περισσοτέρως ζηλωτὴς τῶν πατρικῶν παραδόσεων. Erat ergo Juſtitia, quam ex Lege quærebant Judæi, non tam Legis, quàm ſua: non ea, quam Deus ab ipſis poſtulavit, ſed quam ſibi ipſis ſtultè imaginati ſunt, ſuôq; ipſorum cerebellô procuderunt. Eôque etiam nomine à Paulo meritò vocatur ἰδία αὐτῶν δικαιοσύνη, oppoſitè ad δικαιοσύνην Θεοῦ, Rom. 10. 3.

§. 10. Deniq; quia Apoſtolo non tantùm cum Synagogæ Magiſtris, ſed etiam cum Gentium Philoſophis res erat, opera etiam ad normam Legis naturalis directa, atq; ex viribus meræ naturæ profecta exagitat, eaque ad ſalutem nihil quicquam valere affirmat. Illud verò demonſtrando (cum Juſtitiæ ſuæ non adeo confiderent Gentes) haud multùm laborat Apoſtolus; obiter tantùm, & paucis, & quaſi aliud agendo, perſtringere contentus.

Eſt hæc Paulinæ diſputationis Summa: ad hanc normam, quæcunq; contra operum Juſtitiam tum in Epiſtolis ad Romanos & Galatas, tum alibi ab ipſo dicta occurrunt, exigenda ſunt.

CAP. VII.

Argumenta, quibus ipſam Moſis Legem à Juſtificatione rejicit Paulus, enucleantur. Diſputatio Apoſtoli etiam ad præcepta Legis, quæ vocantur, moralia pertingit; at non ſimpliciter conſiderata, ſed eatenus tantùm, quatenus pars erant conditionis in Fœdere Moſaico præſcriptæ. Hinc argumenta duplicis generis; vel quæ ad totam Legem pertinent, vel quæ partem ejus tantùm ritualem reſpiciunt. Argumentum primum univerſam Moſis Legem æquè reſpiciens, à defectu gratiæ condonantis ſive remiſſionis peccatorum. An Lex Moſis ſub ulla conſideratione Lex obedientiæ uſquequaq; perfectæ dici potuerit? Et an hôc fundamentô argumentatio Apoſtoli, Rom. 3. 20. & Gal. 3. 10. nitatur? Pars quæſtionis negativa argumentis adſtruitur. Argumentis contrariæ partis reſpondetur.

§. 1. VErùm enimvero non ſatis eſſe duximus, ſcopum & Propoſitum S. Pauli in diſputatione de operibus, qualiaq; opera intelligat, generatim indicâſſe; diſtinctiùs hîc omnino ac particulariùs agendum. Cùm enim tum opera Legis Moſaicæ, tum dogmata Judaica iſti addita, non omnia ejuſdem generis fuerint; operæ pretium erit, ut quæ opera, quæ Judæorum dogmata, quibuſq; rationibus utraq; ab Apoſtolo oppugnentur, enucleatiùs explicetur.

§. 2. Ad Legem ipſam quod attinet, ex duabus maximè partibus ea conſtat, moralibus ſc. ac ritualibus præceptis; utraq; procul dubiô reſpexit Paulus. De præceptis enim Legis Moſaicæ etiam quæ moralia ſunt (quicquid contradicant nonnulli) Paulum agere, nimis manifeſtum eſt ex ipſius verbis, Rom. 3. 20. *Propterea ex operibus Legis nulla caro in conſpectu ejus juſtificabitur; per Legem enim eſt cognitio peccati.* Unde colligi poteſt, Legem, cujus opera excludit Paulus, eam eſſe, per quam ſit cognitio peccati:

quod de Lege morali in Decalogo ſcriptâ dici, extra controverſiam eſt. Sic enim ſe ipſe Apoſtolus exponit, Rom. 7. v. 7. citans illud ex Decalogo: *Non concupiſces.* Quin & in ipſo capite fere per totum de Lege imprimis morali apertè agit. Sic quod cap. 3. 31. ejuſdem Epiſtolæ dicit: *Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit; ſed Legem ſtatuimus*, minùs commodè intelligas de Lege ceremoniali, quæ per fidem Chriſti ſtatui vix dici poſſit. Illud quoq; capitis ſequentis: *Lex enim iram operatur: ubi enim non eſt Lex, nec prævaricatio*; de Lege morali præcipuè veritatem habet. Nam prævaricationes pleræq; omnes ſunt contra Legem moralem. Ad opera igitur etiam Legis moralis procul dubiô pertinet Apoſtoli diſputatio.

§. 3. Interea tamen & illud addendum, æquè clarum eſſe, opera Legis moralis à Paulo non ſimpliciter a Juſtificatione ſecludi; ſed eatenus tantùm, quatenus in Fœdere Moſaico præſcripta erant, ac pars conditionis iſti Fœderi annexæ fierent: verbô dicam, quatenus à gratia Evangelii ſejuncta conſiderari poterant. * Doctiſſimus Eſtius nodo huic ſolvendo hanc adhibet diſtinctionem:

In Rom. 3. 20.

" Notandum eſt (*inquit*) opus Legis bifariam ſumi: vel pro opere quod Lex præ-
" ſcribit, quale opus verè bonum eſt; de
" quo cap. 2. *Factores Legis juſtificabuntur*;
" vel pro opere quod fit ex Lege, id eſt, ex
" ſola Legis cognitione, & non ex fide.
" Quô poſteriori modô loquitur hîc Paulus
" de operibus Legis, ea nimirum intelligens
" quæ quis facit ſolâ Lege adjutus. Cujuſ-
" modi erant quæ faciebant & adhuc faci-
" unt Judæi, non exiſtimantes gratiam Red-
" emptoris ad juſtè vivendum eſſe ſibi nec-
" eſſariam. Qualiacunq; enim ea ſint, ad
" veram juſtitiam nihil conducunt. Hoc
" quippe eſt, ex operibus Legis neminem ju-
" ſtificari coram Deo." Et veriſſimum quidem eſt, per opera Legis intelligere plerumque Apoſtolum opera vi Legis facta, eademq; imprimis opera à Juſtificatione ſecludere: interim æquè certum eſt, ex operibus Legis moralis, etiamſi rectè fiant, imò ad amuſſim Legis exacta ſint, ad veram Juſtificationem neminem poſſe pervenire per *Fœdus Moſaicum*; quippe quod veram Juſtificationem, h.e. cum æternæ vitæ donatione conjunctam, nullam præſtet. Jngens illud beneficium ex ſolo gratiæ fœdere, Mediatoris ſanguine ſancito proficiſcitur. Adeoq; ſi Fœdus Moſaicum reſpicias, etiam opera Legis moralis à Juſtificatione omnino excludenda ſunt, atq; ab Apoſtolo revera excluduntur. Sed fuſiùs hæc demonſtrabimus, cùm ad argumenta Apoſtoli deveniemus, cujus integram de operibus diſputationem (quò ſenſus ejus luculentior appareat) prolixè ac membratim explicare decrevimus.

§. 4. Argumenta igitur, quibus ipſam Legem oppugnat Paulus, in duas claſſes diſpertiri poſſunt. Altera eorum erit, quæ ad totum atq; integrum Fœdus Moſaicum pertingunt: Eorum altera, quæ Legem ceremonialem imprimis reſpiciunt. Ac prioris quidem generis duo ſunt maximè argumenta, quibus pugnat Apoſtolus, à duplici Fœderis Moſaici defectu deſumpta; à defectu ſc. gratiæ, tum condonantis, tum adjuvantis.

§. 5. Primum Apoſtoli argumentum, integrum Fœdus Moſaicum reſpiciens, deducitur à defectu, quô Fœdus illud laboravit, gratiæ condonantis, ſive remiſſionis peccatorum. Ubi Apoſtolus oſtendit tam Judæorum, quàm Gentilium univerſalem reatum, omneſq; ac ſingulos iis teneri peccatis, quorum venia nulla ſive remiſſio, vera quidem ac perfecta, in Lege iſtâ ſperanda eſſet. Hunc eſſe Pauli ſcopum in cap. 3. Epiſt. ad Roman. clarum eſt. Ibi enim poſt longum peccatorum, cùm Judæis, tum Gentibus in Lege intentatorum, deſcriptum catalogum v. 10. & deinceps, tandem v. 20. hanc concluſionem infert: *Propterea ex operibus Legis nulla caro juſtificabitur in conſpectu ejus*, ſc. Dei. Eòdem etiam referenda ſunt, quæ Apoſtolus diſputat in Epiſt. ad Galat. cap. 3. ubi hâc etiam ratione probat, omnes, qui ſub Lege ſunt, maledictioni eſſe ſubjectos, quia ſcriptum eſt: *Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ in libro Legis ſcripta ſunt, ut ea faciat v.* 10.

§. 6. Verùm hîc in ipſo limine ſentio me in graviſſimam difficultatem dilapſum. Quæritur enim, an hæc Apoſtoli argumentatio eô fundamentô nitatur, quod ſtatuat, Legem Moſaicam, quatenus ea Judæis data erat, fuiſſe Legem obedientiæ uſquequaq; perfectæ atq; omnibus numeris abſolutæ, ac proinde præſtatu impoſſibilem? atq; an hâc ratione Apoſtolus concludat, homines omnes ex Lege iſtâ peccatores, & per, ac propter peccata ſua mortis ac maledictionis æternæ reos eſſe, adeoq; neminem per eandem Legem juſtificari poſſe? Ita quidem ſentiunt plerique, affirmantes, Legem Moſis omnes eos, ad quos pertinebat, (ſi non abſolutè, ſub conditione tamen

* *Conſer de his Examen Cenſura Reſponſ. ad Animadverſ.* XX. §. 1. *& Apol. contra Tullium Sect.* VIII. §. 6.

tamen, viz. nisi ad Fœdus Evangelicæ gratiæ confugerent) obligâsse, idq; sub periculo æternæ mortis, ad absolutissimam obedientiam, hoc est, talem, quæ omnem & omnimodam in supremo gradu ἀναμαρτησίαν complectitur, etiam eam quæ perpetua est, & omnem imperfectionem, infirmitatem, inadvertentiam excludit per omnem vitam. Sed horum sententiæ ut subscribam, persuaderi non possum, ob rationes, quas mox redditurus sum. Interim, ad totius hujus controversiæ statum rectiùs percipiendum, illud imprimis accuratissimè tenendum est, hæc duo, *aliquem à Deo indignum haberi, qui justitiæ atq; æternæ vitæ præmium reportet, & dignum aliquem a Deo judicari, qui æternæ mortis supplicio plectatur,* διὰ παθῶν differre. Ad prius illud, scil. ut quis indignus à Deo habeatur, qui æternæ vitæ præmium reportet, sufficit, quòd omnimodâ istâ, quam modo descripsi, ἀναμαρτησίᾳ careat. Potest enim Deus, idq; jure merito, homini ob minimam imperfectionem æternæ vitæ præmium denegare. Imò potest Deus, si velit, absolutissimæ etiam obedientiæ, si omnino actu illa in homine aliquo reperiretur, immensum illud vitæ æternæ bonum detrahere, utpote quod donum Dei merè gratuitum sit, neq; ullis ullius creaturæ meritis deberi possit. Ad posterius illud, nempe, ut quis æternæ mortis supplicio dignus à Deo judicetur, requiritur omnino, ut eam obedientiam non præstiterit, quam præstare potuit. Unde sequitur, neminem ob defectum absolutissimæ justitiæ reum æternæ mortis, hoc est, cruciatuum ac pœnarum, quæ post hanc vitam manent, jure merito agi posse; cùm talis justitia homini simpliciter in hac vita impossibilis sit. Manifestum autem est, Apostolum in disputatione, de qua agitur, probare voluisse, tam Judæos, quàm Gentes indiscriminatim, ob non præstitam Legis Justitiam, non modò æternæ vitæ præmio indignos, sed & ὑπόδικους τῷ Θεῷ, iræ divinæ ac morti æternæ obnoxios fuisse, idq; ità ἵνα πᾶν τὸ στόμα φραγῇ *ut omnibus os obstrueretur*, Rom. 3. v. 19. hoc est, ut tam Gentes quàm Judæi essent ἀναπολόγητοι, ut suprà 1. 20. & 2. 1.* Quid autem (ut *Episcopii* hîc verbis utar) magis absimile à vero, quàm Apostolum reos voluisse agere homines mortis ac condemnationis, id est, justissimæ pœnæ, ob violatam aut non servatam Legem, quam non violare aut servare iis impossibile prorsus esse judicâsset? Neq; credibile est, quenquam adversariorum Pauli fuisse, qui non ultro illi largiturus fuisset, neminem hominem esse posse, qui Legem sic exactè ac semper servet, ut nunquam vel in minimo delinquat, ac proinde sic ex Lege neminem justificari posse; & qui non simul Apostolo objecturus fuisset, malè homines omnes reos formaliter agi pœnæ, quando certum est, impossibile iis esse, ut culpam evitent, id est, Legem perfectâ & perpetuâ istâ ratione servent. Fundamentum horum omnium illud est, quòd Justitiæ divinæ repugnet, ut quisquam ad planè impossibilia (sub periculo præsertim æternæ mortis) teneatur.

Resp. ad 4. quæst. quæst. 20.

§. 7. Quod hîc excipiunt nonnulli, Deum in primo homine ante lapsum dedisse nobis vires, ad absolutissimam illam obedientiam præstandam sufficientes; nos verò vires istas peccatô, quod is in nostrâ omnium personâ perpetravit, amisisse, ac proinde etiam nunc à nobis talem obedientiam, idq; sub periculo æternæ mortis, Deum meritissimo jure posse exigere: hoc, inquam, nimis absurdum est. Cùm enim homo per lapsum vires, quas amisit, non efficienter (ut loquuntur) sed meritoriè, hoc est, per actum Dei pœnalem, easdem ab ipso subtrahentis, amiserit, ut eandem obedientiam istis viribus amissis, etiam nunc ab homine Deus exigat, ab ejus tam Sapientiâ, quàm Justitiâ perinde alienum videtur, ac siquis Magistratus, alicujus ob crimen aliquod pedibus excisis, ipsi primùm mandaret, ut aliquò iret, deinde quòd non iret, capitali ipsum supplicio afficeret. Absit, ut talia de Deo optimo maximo, sapientissimo vel cogitemus.

§. 8. Ad Legem Mosaicam veniamus. Eam verò perfectæ obedientiæ Legem fuisse, multò minùs verisimile est. † Quod ut manifestum fiat, accuratè observandum (quod à Grotio notatum fuit) Legem veterem duplicem omnino σκέσιν habuisse, seu dupliciter spectari posse, 1° Carnaliter & secundùm literam, quà instrumentum fuit πολιτείας Judaicæ. 2° Spiritualiter, quà σκιὰν εἶχε τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, Heb. 10. 1. In hac posteriori σκέσει, cùm Lex nihil aliud fuerit, quàm ipsum Evangelium typis adumbratum, nemo satis sanæ mentis eam fuisse perfectissimæ obedientiæ Legem dixerit, eô sc. sensu, quô Lex perfectæ obedientiæ in hac controversia intelligitur. Reliquum est igitur, ut sub priori consideratione Legem Mosis fuisse perfectissimæ obedientiæ Legem affirmemus. Atqui illud statuere mirè esset absurdum, quia

De satisf. Christi, c. 10. p. 183, 184.

---

* *Præ aliis verò locis id probat vers.* 10. *cap.* 3. *ad Galat. ubi Apostolus ait, eos qui ex operibus Legis sunt,* ὑπὸ κατάραν εἶναι, sub maledicto esse.

† *Vide Examen Censuræ, Respons. ad Animadvers.* xvii. *ejusq; Appendicem pererudítam.*

quia 1ò in eâ Lege Judæis Sacrificia Deus diſertè imperâſſe legitur, quibus delicta, quæ ex Legis contemptu atq; elatâ manu non fierent, expiarentur, uti legere eſt, Num. 15. à v. 22. ad v. 29. incluſivè. Jam verò ubi aliqua peccatorum venia conceditur, ibi perfectæ obedientiæ exactio locum habere non poteſt: ſunt enim hæc ἀσύγκατα. 2ò Tantum abeſt, ut Lex Moſaica à Judæis perfectam obedientiam poſtulârit, ut nimis manifeſtum ſit, nonnulla in ea Lege iis à Deo propter σκληροκαρδίαν ipſorum permiſſa fuiſſe, quæ vix, ac ne vix quidem à peccato excuſari poterant. In hoc cenſu ponenda ſunt imprimis Polygamia ac licentia divortii ob cauſas leviores. Quâ de re vide Deut. 24. 1, &c. coll. Mat. 19. 3. *&c.* Concludo igitur, cùm per Legem Moſaicam carnaliter ſpectatam multa Judæis peccata remiſſa fuerint, quædam (quæ nobis ſaltem Chriſtianis peccata cenſentur) etiam diſertè permiſſa, extra controverſiam poni debere, Legem iſtam eô modô conſideratam, obedientiam perfectam atq; omnibus numeris abſolutam nequaquam exegiſſe.

§. 9. Non deſunt tamen argumenta, quibus nonnulli hypotheſin iſtam veram eſſe probare conantur, atq; inde Paulum impoſſibilitatem Juſtificationis per Legem Moſaicam collegiſſe. Ea ſcrupulosè expendemus, viſuri, num quid ſolidi in ſe habeant, quod tam apertæ veritati præjudicare debeat. Duo imprimis adferunt.

§. 10. Primum eorum argumentum deſumptum eſt ex loco paulò ſuperiùs à nobis allegato, nempe Gal. 3. 10. *Quotquot ex operibus Legis ſunt, ſub maledictione ſunt. Scriptum eſt enim: maledictus eſt quiſquis non manſerit in omnibus, &c.* Ubi (inquiunt) manifeſtum eſt, Apoſtolum impoſſibilitatem Juſtificationis ex Lege Moſaica inde colligere, quòd per Legem iſtam nemo à maledictione liber ſit, qui non omnibus Legis ejuſdem mandatis perfectè functus fuerit. Reſp. Non neceſſe eſt, neq; conveniens, ut in loco citato phraſis iſta, *in omnibus permanere*, ſignificet perfectiſſimam obedientiam, ſive omnimodam ἀναμαρτησίαν, qualem antea deſcripſimus; cum talis obedientia homini carne circumdato impoſſibilis ſit, neq; æquitati divinæ conſentaneum videatur, ut quis ob ejus defectum æternæ maledictioni obnoxius fiat. * Eſt igitur citati teſtimonii ſenſus: Omnem eum eſſe maledictum, i. e. execrabilem, & pœnis à Lege intentatis obnoxium ac devotum, qui non perſeveranter omnia faciat atque obſervet, quæ Lex præſcribit obſervanda. Cenſetur autem omnia facere, qui à fine Legis non aberrat, qui eſſentialia Legis (ut diximus) ſarta tecta conſervat, ſive (ut alii loquuntur) qui cuſtodit ea omnia Legis præcepta, quæ continent *ſubſtantiam vitæ*: cujuſmodi ſunt omnia, quæ in maledictionibus à Moſe exprimuntur Deut. 27. verbô dicam, qui nihil ſciens prudens contra Legem Dei in ſe admiſit, etiamſi fortaſſe in aliquibus ſive ex ignorantia ſive inadvertentia deliquerit.

§. 11. Magnam huic textui lucem affert locus ei geminus ſancti Jacobi, cap. 2. v. 10. *Quicunq; totam Legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus,* πάντων ἔνοχος, h. e. pœnæ & maledictioni Legis tranſgreſſoribus intentatæ obnoxius, Quis non videt, locum hunc Jacobi, teſtimonio à Paulo citato per omnia reſpondere? At nihil certius, quam hæc Jacobi verba de omnimoda ἀναμαρτησίᾳ nequaquam eſſe interpretanda, cùm de ea Legis obligatione manifeſtè loquatur Apoſtolus, quæ ad nos etiam Chriſtianos pertineat. Statuendum eſt igitur, offenſionem hîc intelligi non quamcunque, ut quidam voluerunt, etiam leviſſimam, de qua loquitur Jacobus, cap. ſeq. *In multis offendimus omnes*; atq; iterum: *Siquis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Etiamſi enim vox πταίσει videatur de lapſu aliquo loqui leviori; tamen ex loci contextu & ratione ipſa manifeſtum eſt, Jacobum loqui non niſi de ejuſmodi peccatis, quibus quis Legem ſciens prudens tranſgreditur. Ipſa ratio hunc ſenſum poſtulat. Quomodo enim verum eſt, eum, qui totam cæteroquin Legem ſervaverit, ſi in verbo otioſo, aut riſu immoderato imprudenter offenderit, omnium reum fieri? Contextus Apoſtoli idem docet. Nam primò ea tantùm peccata diſertè nominat, quæ graviora ſunt, qualia homicidium, adulterium, v. 11. Deinde ratio, quâ dictum ſuum confirmat, ibidem expreſſa hanc interpretationem exigit: *Quia qui dixerit, ne mœcheris, dixerit etiam, ne occidas.* Quaſi dicat: cùm omnium Legum divinarum eadem ſit ratio, eadem autoritas, qui unam iſtarum violat, & ſciens prudens tranſgreditur, is eô factô omnium autoritatem convellit ac ſpernit; nec videtur ideo cæteras ſervare, quia earum autoritatem tantam eſſe arbitretur, ut violare eas ſit nefas, ſed quia adversùs eas non ita peccare libeat. Cur enim aliàs non obſervaret & illam, quam violat, Legem,

* *Ad clariorem hujus loci intellectum conſule (ſi placet) quæ à nobis dicta ſunt, hujus Diſſertationis, c. 16. §. 7, 8, 9.*

gem, cum eadem sit illius, quæ cæterarum est autoritas; siquidem ab eodem Legislatore est lata, à quo cæteræ omnes suam autoritatem habent? Quòd si illi ita liberet peccare adversùs cæteras leges atq; hanc unam, quam violat; æquè facilè id videretur facturus. Loquitur igitur manifestè Jacobus de iis peccatis, quæ contra finem Legis atq; autoritatem Legislatoris fiunt. Cui consentaneum est, quod scribit Augustinus ad Hieronymum, quem in Epistola satis prolixa hôc ipsô de locô consulit. Summa est: eum, qui in uno offendit, esse omnium reum, quia contra Charitatem facit, ex qua tota Lex pendet, & Prophetæ. *Nam*, inquit, *meritò fit omnium reus, qui contra illam facit, ex qua pendent omnia.*

§. 12. Regeret fortean aliquis: Esto; exponatur eô modô Jacobi locus. Atqui eadem interpretatio Pauli scopo in illo ad Galatas loco nullô modô convenit. Cùm enim non aliâ ratione probet Apostolus, omnes, qui sub Lege sunt, maledictioni subjectos esse, nisi quia scriptum est: *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, &c.* satis manifestè innuit, neminem in omnibus permanere posse, sive Legem absolutissimam obedientiam postulasse, quæ à nemine præstari possit. Resp. Omnino nego in argumentatione Apostoli illud innui; quod ut manifestum fiat, revocetur ea ad formam Syllogisticam, hôc modô:

Maledictus est, qui non permanserit in omnibus, quæ Lex præcipit;
At quicunq; ex operibus Legis sunt, non permanent in illis omnibus:
Ergo quicunq; sunt ex operibus Legis, sub maledicto sunt.

Nimirum disertè loquitur Apostolus de iis, qui ἐξ ἔργων νόμου, sunt, v. 10. h. e. qui in Lege justitiam quærunt, vel ignoratâ, vel spretâ gratiâ Evangelii: quos opponit iis qui ἐκ πίστεως sunt v. 9. h. e. qui Evangelio credunt, ejusq; gratiam amplexantur, quiq; benedictionem Abrahami, Promissum Spiritûs, quô Legis justitiam implerent, ejusdemq; adeo κατάραν effugerent, sortiti sunt, v. 14. De illis quidem innuit, eos in omnibus, quæ Lex præcipit, nec permansisse, nec permanere potuisse: de his verò nequaquam ita statuit. Verbô dicam: contra possibilitatem Legis, quatenus ea ut Lex, h. e. sub pœna mortis æternæ nobis imponitur, vel unquam à lapsu primi hominis humano generi imposita fuit, per gratiam Evangelicam in omnibus implendæ, ne verbulum unquam dixit Apostolus; imò possibilitatem illam sæpiùs apertè agnoscit, ut postea videbimus.

§. 13. Restat alterum adversariorum argumentum (quô tanquam invictissimô gloriantur) desumptum ex loco illo celebri, Deut. 6. 5. *Itaq; diliges Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis.* Vides hîc, inquiunt, summam ac perfectissimam Dei dilectionem ab omnibus in Lege requiri. Resp. Qui hôc pugnant argumentô, suô se gladiô jugulant. Cùm enim dilectionem hîc aliam non postulet Deus, quàm quæ ex toto corde, ex toto animo, atq; *ex omnibus viribus* fiat, manifestum fit, nil à nobis præter aut supra vires nostras (eâ scil. gratiæ mensurâ, quam Deus unicuiq; nostrûm in hac vita communicat, vel certè communicare paratus est, adjutas) postulari. Certum autem est, posse nos omnes ex omnibus viribus nostris obedire Deo; quia manifesta esset ἀντιλογία, non posse nos aliquid pro viribus præstare. Veritas hujus responsionis his rationibus firmissimè stabilitur: 1ô Quòd promittat Deus, se populo suo daturum, quod hîc postulat; circumcisurum scil. cor eorum, ut diligant eum ex toto corde, &c. Deuter. 30. 6. 2ô Quod Deus ipse testetur, fuisse qui eum hôc modô dilexerunt. Sic de Aza Rege & totô populo dicitur, quod *quæsiverint Dominum in toto corde, & in totâ animâ suâ*, 2 Paral. 15. 2. De Davide legimus, quod *secutus Deum fuerit toto corde, faciens quod bene placitum erat in conspectu ejus*, 1 Reg. 14. 8. Sed insigne est testimonium, quod de Josia Rege præbet Spiritus sanctus, quòd *reversus fuerit ad Deum in omni corde suo, & in totâ animâ suâ & IN UNIVERSA VIRTUTE SUA JUXTA OMNEM LEGEM MOSIS.* 2 Reg. 23. 35. Nimirum id toto corde, totis viribus dicitur fieri, in quo quis præcipuum studium & cogitationem ponit; quomodo dicimus aliquem totum esse in literis, ut rectè Estius, quem super hac quæstione consulas in Sent. l. 3. dist. 27. §. 6, 7, 8.

§. 14. Illud jam huic Disputatiunculæ pro coronide adjiciam, sententiam hanc nostram de possibilitate implendi Legem (quatenus ea ut Lex imposita à Deo hominibus unquam fuerit) dogma esse non novitium, sed veterum omnium, qui antequam purioris ac primitivæ doctrinæ rivulos turbâsset controversia Pelagiana, scripsere, communi calculô ac suffragiô comprobatum. Author Quæst. & Respons. ad Orthodoxos (inter opera Justini) in Responsione ad Quæst. 103. (quæ est: *Quomodo Deus quæ supra vires sunt imperans, hoc est, ut ne peccemus, peccantem subjicit tormentis*; *cùm homo Legem im-*

plere non poſſit? teſtante Apoſtolo: Non juſtificabitur ex operibus Legis omnis caro) hæc habet obſervatu digniſſima: Τί δέ ἐϛι πᾶσα ἡ κατὰ τὸν νόμον δικαιοσύνη; Τὸ ἀγαπᾶν τὸν Θεὸν μᾶλλον ἑαυτὸν, τὸν πλησίον δὲ ὡς ἑαυτόν· ὅπερ οὐκ ἔϛιν ἀδύνατον ἀνθρώποις βουληθεῖσι. Τὸ ἕν, ἐξ ἔργων νόμου μὴ δικαιωθῆναι πᾶσαν σάρκα, οὐ διὰ τὸ μὴ δύνασθαι τὰ ἀδύνατα λέγει, ἀλλὰ διὰ τὸ μὴ βούλεσθαι τὰ δυνατά. Τῇ γὰρ βουλήσει πρὸς τὰ δυνατὰ κεχρήμεθα, οὐ πρὸς τὰ ἀδύνατα. Τοῖς δὲ δυνατοῖς καὶ ἐφ' ἡμῖν ὖσιν, ὁ ἔπαινος ἢ ὁ ψόγος γίνεται πραχθεῖσιν ἢ μὴ πραχθεῖσι. τὸ δὲ διὰ τὸ μὴ αἱρεῖσθαι, καὶ οὐ διὰ τὸ μὴ δύνασθαι, ἁμαρτάνομεν ἄνθρωποι. *i. e.* "Quæ verò eſt "univerſa ſecundùm Legem juſtitia? Di"ligere Deum ſupra ſeipſum, & proximum "ut ſeipſum; quod impoſſibile non eſt "hominibus voluntatem ad id adjungenti"bus. Quocirca illud, *ex operibus Legis* "*non juſtificatum iri omnem carnem*, non "propterea dicit (Apoſtolus) quòd præ"ſtare impoſſibilia non poſſimus, ſed quod "facere poſſibilia non velimus. Voluntate "namq; ad poſſibilia utimur, non ad impoſ"ſibilia. Nam operibus, quæ poſſibilia "ſunt, & in poteſtate noſtra ſita, ſi vel fi"ant, vel non fiant, aut laus debetur aut "vituperatio. Eò autem quòd non veli"mus, non eò quòd non poſſimus, omnes "peccamus homines." Baſilius Magnus Homil. in illud Moſis, *Attende tibi ipſi*, ſententiam eorum, qui præcepta Legis impoſſibilia eſſe præſtatu affirmant, ut impiam ac minimè tolerandam rejicit. Verba ſunt: Ἀσεβὲς ἓν τὸ λέγειν, ἀδύνατα εἶναι τὰ τοῦ πνεύματος παραγγέλματα. *Impium eſt aſſerere, præcepta Spiritûs S. impoſſibilia eſſe obſervatu.* Eadem Chryſoſtomi mens fuit. Nam Hom. 18. in Mat. ait: Μὴ τοίνυν ἀδύνατα εἶναι νομίζωμεν τὰ ἐπιτάγματα. Καὶ γὰρ μετὰ τοῦ συμφέροντος σφόδρα ἐϛὶν εὔκολον, ἂν νήφωμεν. *Ne igitur impoſſibilia putemus eſſe præcepta, quæ certè & utilia nobis ſunt, & valde facilia, ſi totâ utiq; mente vigilemus.* Similia habet Homil. 8. de Pœnitentia, item in Pſalm. 101. Neq; aliter ſenſerunt Catholici pleriq; qui poſt & contra Pelagium ſcripſerunt. Imò & Auguſtinus ipſe (utcunq; aliàs in controverſia iſta ſatis infelici nimiùm incaluerit) non dubitabat fateri, Deum poſſibilia mandâſſe, & quidem ſenſu iſto, quòd & ſingula, & omnia ſinguli omneſq; fideles implere valeant. Quid, quòd juxtà cum Baſilio contrariam ſententiam impietatis, adeoq; blaſphemiæ condemnat? Nam Serm. 191. de tempore, hæc habet verba: *Execramur etiam blaſphemiam eorum, qui dicunt, impoſſibile aliquid homini à Deo eſſe præceptum; & mandata Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in communi poſſe ſervari.* Vide Voſſii Hiſt. Pelag. lib. 5. part. 1. Antitheſ. 6. *

CAP. VIII.

Vera argumenti Apoſtolici fundamenta aperiuntur; quæ duo ſunt: 1. *Tam Judæos, quàm Gentes indiſcriminatim, atq; omnes ex utràq; natione univerſim, gravium peccatorum reos fuiſſe, atq; adeo judicio atq; iræ divinæ obnoxios.* 2. *Nullam in Lege Moſaica veram ac perfectam peccatorum remiſſionem, ſive ab ira divina ac morte æterna peccatis debitâ liberationem promitti. Hinc quomodo concluſionem ſuam inferat Apoſtolus, oſtenditur.*

§. 1. EX iis, quæ jam diximus, abunde ſatis liquere arbitror, Legem Moſaicam perfectiſſimam obedientiam, h. e. omnem & omnimodam in ſupremo gradu ἀναμαρτησίαν ſub periculo æternæ mortis non requiſiviſſe: neq; huic hypotheſi argumentationem Apoſtolicam ſuperſtructam eſſe. Reſtat, ut quâ tandem ratione concluſionem ſuam probet Apoſtolus, diſpiciamus. Exiſtimo igitur (ſalvô meliore judiciô) hanc Apoſtoli ratiocinationem duobus maximè fundamentis niti. *Vide Epiſcop. Reſponſ. ad 64. quæſtion. Quæſt. 20.*

Primò, tam Judæos quàm Gentes indiſcriminatim, atq; omnes ex utraq; natione uni-

* *Conſer ſuperiùs Annotata ad Diſſert. prioris cap.* 3. §. 4. *& Appendicem Reſponſionis ad Animadv.* xvii. 8. *ſeqq.*

universim, gravium peccatorum reos fuisse, atq; adeo judicio & iræ divinæ obnoxios. Illud de Judæis imprimis, nec non omnibus, qui in Lege justitiam quærebant, innuitur (ut capite præcedente diximus in responsione ad argumentum primum) in loco illo, Gal. 3. 10. Sed fusè de omnibus indiscriminatim idem demonstratur, Rom. 3. Ubi gravium multorum criminum actionem tum Judæis, tum Gentibus intendit Apostolus.

§. 3. Ut autem totus istius loci contextus rectiùs intelligatur, duo apprimè observanda sunt: alterum ad actionem ipsam pertinens; alterum personas, quibus actio intenditur, respiciens.

1ò. Ad ipsam actionem quod attinet, notandum, eam esse de peccatis non quibuscunq; etiam levissimis; sed de peccatis magis propriè sic dictis, * h. e. gravioribus atq; æternâ morte dignis. Clarè id liquet, (1.) Ex verbis, quibus thesis ab Apostolo in capite præcedente probata, & in hoc ipso capite ampliùs demonstrata exprimitur, v. 9. Προητιασάμεθα, *antè causati sumus, & Judæos, & Græcos omnes ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι, sub peccato esse.* Ubi phrasis illa, ὑφ' ἁμαρτίαν εἶναι, manifestè significat *sub peccati esse dominio*, seu *gravibus peccatis addictum esse.* Qualis quisquis est, ab Apostolo dicitur πεπραμένος ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν *venditus sub peccato*, infrà cap. 7. v. 14. (2.) Ex toto Apostoli contextu, in quo peccata, quæ enumerantur, omnia gravioris sunt generis, ut cuivis eum inspicienti facilè patebit.

§. 4. 2ò. Si de personis quæras, quibus actio intenditur, ii sunt tam Gentes, quàm Judæi, v. 9, 19, 23. sed utriq; in statu, quô erant ante & citra gratiam Evangelii, spectati. Quod vel ex scopo Apostoli manifestum est, cui id erat propositum, ut utrosq; tum Judæos, tum Gentes de reatu & miseria sua convictos, ad gratiam Evangelii quærendam atq; amplexandam accenderet. Contendit igitur Paulus, tum Gentes, tum Judæos, in statu isto consideratos, omnes sub peccato esse. Dices: At erant nonnulli saltem inter Judæos, qui ante fidem Christi vitam egerunt sanctam & inculpatam, atq; à vitiis istis, quæ hîc recenset Apostolus, & eorum similibus alienissimam: quales fuerunt Zacharias, Elizabeth, Simeon, Anna, aliiq; Resp. Fateor; imò nullus dubito, quin inter Gentes etiam fuerint nonnulli, qui à vitiis hîc memoratis abhorruerint, atq; adeo virtutem ac justitiam, quà ipsis cognita erat, sincerè coluerint & ex animo. Atq; ut in ea sim sententiâ, & recta ratio suadet, & autor mihi est Apostolus ipse, qui illud ipsum non obscurè docet hujus Epistolæ, cap. 2. v. 14,15,26,27. Verùm quia de Judæis tantùm procedit objectio, de iis solùm respondebimus; Lectori interim illud relinquentes, ut eandem responsionem Gentibus etiam (mutatis mutandis) accommodet. Dico igitur 1. quòd Pii isti inter Judæos fuerunt oppidò pauci, & ad cæteros comparati quasi gutta in mari. Ideoq; eorum non magna ab Apostolo habenda erat ratio; sed æquum fuit, ut numerosissimæ impiorum turbæ (ut nonnemo loquitur) suffragaretur rarissima bonorum paucitas. Et certè locutiones ejusmodi universales, qualibus hic utitur Apostolus, creberrimè occurrunt in Scripturis, quas tamen hyperbolen continere manifestum est. Vide Joan. 3. 32. Isa. 66. 23. Joel 2. 28. Act. 2. 17. Ps. 14. 2, 3. & 145. 14, 15. Phil. 2. 21, &c. 2. Pauci illi, qui sub Lege justi fuerunt, non ex Lege justitiam suam acceperunt, sed illam debuerunt acceptam gratiæ Evangelicæ; quæ etiam ante Evangelii promulgationem per omnia retrò sæcula (parciùs quidem ac rariùs) vim suam exeruit. Verbô dicam: Spiritu ducebantur non Legis, sed Evangelii, adeoq; inter eos qui ἐκ πίστεως, *ex fide* sunt, non ἐξ ἔργων νόμου, *ex operibus Legis*, censeri meruerunt. Unde Autor Epistolæ ad Hebræos egregia omnia piorum, qui in Veteris Testamenti Historia clarescunt, opera non à Lege, sed à fide profecta esse ostendit. 3 Vero simile est, etiam paucos illos non ita semper totum vitæ suæ curriculum gessisse, quin aliquando in peccata aliqua, aut peccatum saltem aliquod gravius ac morte dignum prolapsi fuerint. Imò pro certo illud habendum est; siquidem de iis ipsis viris, quibus in Vet. Test. divinæ Legis inculpata & perfecta observatio tribuitur, disertè tamen legitur, quòd aliquando in peccata quædam, eaq; enormia & morte dignissima inciderint; uti de Aza 2. Paral. 16. per totum, de Davide 1 Reg. 15. 5. de Josia 2. Paral. 35. 22. Atq; in hunc sensum interpretandum existimem, quod apud Apostolum sequitur, v. 32. *Omnes peccârunt, & destituuntur gloriâ Dei.* Nimirum propositio illa planè universalis videtur, ut neminem excipiat qui non peccatorum quorundam, vel peccati alicujus gravioris, sive aliquando, sive aliquandiu reus fuerit.

§. 5. Atq; hoc videtur esse illud ipsum, quod Scriptura passim asserit, nominatim 1 Reg. 8. 46. *Non enim est homo, qui non pec-*

* *Omnis mundus, i. e. maxima pars hominum, pœnas gravissimas meruit, non ob aliquid agnatum. (h. e. non ob naturæ imperfectionem) sed ob facta perfida & crudelia, &c.* Grot. in Rom. 3. v. 19.

peccat. Et 1 Joan. 1. 8. *Si dixerimus, nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus, & veritas in nobis non eſt.* Et v. 10. *Si dixerimus, nos non peccâſſe, mendacem facimus eum, & ſermo ejus non eſt in nobis.* Quam orationem de peccatis propriè dictis, non de levioribus culpis duntaxat intelligendam, & prorſus univerſalem eſſe, res loquitur, & quæ deinde in illa Epiſtola, c. 2. v. 1, 2. adduntur. Ubi tamen & illud notandum, ſanctum Johannem in tempore loqui præterito: *Si dicamus ὅτι οὐκ ἡμαρτήκαμεν, nos non peccaſſe*, ſc. ante Evangelii cognitionem. Nimirum voluit ſanctus Apoſtolus, ut Chriſtiani, ad quos ſcribit, ab ingrati animi crimine ſedulò ſibi caverent, neq; quòd à vitiis purgati eſſent, vel ſibi ipſis, vel Legi, ſive Moſis, ſive naturæ, ſed gratiæ tantùm Evangelicæ tribuerent. Alioquin non videtur negare, poſt Evangelii notitiam acceptamq; ipſius gratiam potuiſſe quoſdam eſſe ſine peccato,* ita ut *peccati* vox ab ipſo ſumitur, non ut meras ignorantias, aut ſubitos motus ſignificet, ſed ut eos actus malos, qui tractum habent (ut loquitur Grotius) & deliberationem non antevertunt. Imò illud poſſibile eſſe non obſcurè innuit, 1 Epiſt. c. 2. v. 1. ubi Chriſtianos ſeriò hortatur, ne peccent. Regeret fortè aliquis, Apoſtolum in capite prædicto, v. 8. uti etiam tempore præſenti: *Si dicamus ὅτι ἁμαρτίαν οὐκ ἔχομεν, nos peccatum non habere*, &c. Innuit igitur, neminem vel poſt fidem Evangelii à peccatis iſtis magis propriè ſic dictis purum eſſe, vel eſſe poſſe. Sed facilis eſt reſponſio. Nam ἁμαρτίαν ἔχειν & ἁμαρτάνειν ſeu ἁμαρτίαν ποιεῖν non idem ſignificant. † Quippe ἁμαρτίαν ἔχειν (ut rectè Grotius) non eſt, nunc in peccato eſſe, ſed ob peccata priùs commiſſa reum vel eſſe, vel poſſe fieri, ut manifeſtiſſimè apparet ex Joan. 9. 41. & 15, 22, 24. Senſus ergo eſt: Si dicamus, nos ante notitiam Evangelii non graviter peccâſſe, eaq; propter mortis æternæ reos fuiſſe, atq; adeo etiamnum reos fore, niſi ſuccurreret gratia & miſericordia Evangelii, planè mendaces & turpiter ingrati ſumus in Evangelium ac veritatem illam, quam profitemur. Quid multis? Manifeſtus eſt ſui interpres Johannes ipſe, cùm quod priùs dixerat, ἁμαρτίαν ἔχομεν, poſtea non per ἁμαρτάνομεν in præſenti, ſed ἡμαρτήκαμεν in præterito exponit. Sed ad Paulum revertamur.

§. 6. Ex iis quæ diximus apparet, primæ hypotheſeos, quâ nititur Apoſtoli argumentum, ſummam hanc eſſe: Judæos, nedum Gentes, ſi longè maximam eorum partem ſpectes, planè ſub peccati dominio fuiſſe, turpiſſimiſq; vitiis mancipatos. Qui verò fuerunt ex utraq; natione optimi & ſanctiſſimi, non ita vitam ſuam inſtituiſſe, quin aliquando in peccata aliqua, vel peccatum ſaltem aliquod gravius & morte dignum inciderint: atq; adeo omnes tum Judæos, tum Gentes indiſcriminatim ac ſine exceptione ὑπόδικους τῷ Θεῷ, v. 19. iræ divinæ ac morti æternæ obnoxios fuiſſe.

§. 7. Alterum, quod in argumento ſuo ſupponit Apoſtolus, illud eſt: nullam in Lege Moſaica veram ac perfectam peccatorum remiſſionem, ſive ab ira divina ac morte æterna peccatis debitâ liberationem promitti. Huc ſatis manifeſtè reſpexit Apoſtolus, v. 20. prædicti capitis, ubi deductâ ex priori tantùm hypotheſi concluſione ſuâ, ſc. *neminem ex operibus Legis in conſpectu Dei juſtificari poſſe*; mox & hanc alteram (ſine qua tota ejus argumentatio infirma fuiſſet) ſubjungit his verbis: Διὰ γὰρ νόμου ἐπίγνωσις ἁμαρτίας, *Per Legem enim (eſt) cognitio peccati.* Quæ ſententia procul dubiô excluſivè eſt intelligenda, hôc modô: per Legem tantùm eſt cognitio peccati, non remiſſio; per Legem ergo nulla eſt juſtificatio.

§. 8. Non me latet eſſe nonnullos (quibus in ea ſententia præivit Origenes) qui hanc clauſulam de Lege non Moſis, ſed Naturæ interpetandam cenſent. Sed falluntur. Nam 1ò. quamvis multi ante Legem ſcriptam habuerint agnitionem malefactorum ſuorum, accuſantibus ipſos ſuis conſcientiis; obſcurior tamen & imperfectior erat ea notitia. Nam lumen naturale rationis ita peccatô fuit obnubilatum, ut multa, quæ peccata ſunt, non putarentur eſſe peccata; multa quoq; levia ducerentur, quæ gravia ſunt. At verò per Legem, à Deo datam & tabulis inſcriptam, multò clarior & perfectior acceſſit peccati cognitio; nec ſolùm quatenus rectæ rationi peccatum repugnat, verùm etiam quà Dei offenſa eſt, & à Deo graviter puniendum: quod utrumq; per ſolam Naturæ Legem pauci, nec niſi imperfectè, poterant cognoſcere. Confer Rom. 7. 7. 2ò. Si de Lege Naturæ partem hanc interpreteris, non perinde contra Judæum valebit; qui dicere poterit:

---

* Οἱ μὲν ἓν ἀρχῇ ὄντες], (nempe ἀναμάρτητοι) ἀδύνατοι· οἱ δὲ ἐκ μεταβολῆς, σπανίως εἰσὶν εὑρισκόμενοι, οἵτινες ἐκ τῆς προσηλυθέναι λόγῳ σώζονται, τοιοῦτοι γίγνονται, ἐκεῖ δὲ τοιοῦτοι ὄντες, τῷ λόγῳ προσέρχονται. χωρὶς γὰρ λόγου, καὶ ταῦτα τελείου, ἁμάρτανον, ἀναμάρτητον γενέσθαι ἄνθρωπον. *Origen. cont. Celſ. l. 3. p. 153. edit. Spenc.*

† *Hoc eſt enim non habere peccatum, reum non eſſe peccati.* Aug. T. 7. de nupt. & concup. lib. 1. cap. 26.

terit : etsi per Legem Naturæ tantùm peccati cognitio sit, Legi tamen divinæ, quam ipse accepit, amplius esse tribuendum. Dices : At si tantùm de Lege Mosis scriptâ verba Apostoli interpreteris, nihil ea contra Gentiles valebunt ; quippe quibus cum Lege ista nihil fuerit commune. Sequitur igitur clausulam illam de utraq; Lege, tum Mosis, tum Naturæ exponendam esse. Resp. Nequaquam : nam 1. si solummodo de Lege scripta Apostolum intelligas, manebit adhuc argumentum ejus contra Gentes firmissimum ; quippe à majori ad minus ductum, hôc modô : Si Lex à Deo data, tanquam Legis naturalis per peccatum obscuratæ quædam interpres, explicans eam ac renovans, justitiam præstare non potuit ; multò minùs id potest sola Lex naturalis. Quare si ex operibus Legis scriptæ nemo Judæus justificatur, consequenter intelligendum relinquitur, multò minùs Gentilem justificari posse ex operibus Legis naturæ. Sed 2. quod de Lege Mosaica concludit Paulus, ad Gentes quàm maximè pertinet ; quippe ex quibus plurimi, qui Evangelio crediderant, Doctorum vel Judaicorum, vel Judaizantium præstigiis in tantam Legis Mosaicæ admirationem adducti essent, ut sanctissimum Christi Evangelium vel planè contemnerent, vel minùs æstimarent. Imò horum imprimis ex Gentibus miserè seductorum gratiâ Apostolus operosam hanc contra Legem Mosis disputationem procul dubiô susceptit.

§. 9. Porro hunc Legis Mosaicæ defectum, quòd scil. nullam ab ira divina peccatis debitâ liberationem promiserit, clariùs ostendit Apostolus ad Gal. 3. v. 10. ubi omnes, qui sunt ex operibus Legis ὑπὸ κατάραν εἶναι, *sub maledicto esse* pronunciat ; h.e. ita sententiâ Legis maledictoriâ obstrictos, ut iis nulla omnino ex ipsâ Lege libertatis spes affulgeat. Quod apertiùs adhuc docet v. 13. ostendens, Christum solum, qui κατάρα pro nobis factus est, ἐκ τ῀ κατάρας τ῀ νόμε, *ab hac Legis maledictione* nos redemisse.

§. 10. Diximus autem exertè, Legem Mosis nullam peccatorum veram ac perfectam remissionem continere : quia satis nôrim, veniam aliquam (qualis qualis erat) peccatis, iisq; voluntariis & gravioribus, in Lege Mosaica datam fuisse. Quamvis enim peccata, quæ per superbiam, rebellionem manifestariam, aut elatâ, ut Scriptura loquitur, manu fierent, nullis sacrificiis expiari poterant, sed morte citra misericordiam aut veniam mulctabantur, nisi specialis gratia Dei interveniret, ut Num. 15. v. 25, 26, &c. manifestè legere est : inter ista tamen peccata (ut optimè notavit Vir doctissimus) censenda non sunt ea omnia, quæ voluntaria sunt, aut sponte deditâq; aliquô modô operâ fiunt ; sed ea tantùm, quæ Dei præceptorum impio contemptu, aut contumacis animi protervitate contrahuntur ; proinde quibus pœna mortis à Deo constituta est. Qui contrà sentiunt, in aperto errore versari, patet ex eo, quòd videamus, Deum etiam ordinare sacrificia pro istiusmodi peccatis, qualia sunt, non restituere depositum, per fraudem alicui aliquid ereptum ire, repertam alterius rem negare, idq; juramentô interpositô, Lev. 6. v. 2, 3, 4, &c. Remissio itaq; in Lege Mosaica peccatis, iisq; gravioribus concessa erat. At qualis ? Externa, civilis, temporaria, quæq; tantùm ad vitam hanc carnalem spectabat. *Episcop. Institut. Theol. l. 3. c. 3. Sect. 2*

§. 11. Nam Lex, quatenus erat instrumentum civilis societatis, ad beatitudinem πολιτικὴν ordinatum, longævam iis vitam pollicebatur, qui secundùm Legem viverent, Lev. 18. 5. ut e contrà violentam ejus transgressoribus mortem minabatur ; ut cognoscimus ex Exod. 20. 7. Verùm misericors Deus, summus νομοθέτης, ne peccantium supppliciis populus omnis deleretur, statuit, ut quædam atrocissima quidem delicta (quæ vitæ & consuetudini hominum civili, & politiæ isti Θεοκρατικῇ, cujus tutandæ gratiâ Lex Mosaica instituta erat, apertum bellum indixerunt, qualia idololatria, homicidium, adulterium, &c.) non nisi morte expiarentur ; sed pro hominibus carne immundis, aut peccato non ita atroci contaminatis victimæ mactarentur, itaq; pœna mortis temporariæ, quam homo commeruit, in bestiam transferretur. Præbebant itaq; sacrificia Mosaica carnalem tantùm ἀπολύτρωσιν, quatenus ex instituto divino liberabant quidem à morte aut violenta, aut immaturâ ; nullum autem contra mortem ipsam remedium adferebant. Verbô dicam : non præstabant ejusmodi remissionem, quæ cum donatione vitæ æternæ conjuncta esset ; quippe cujus in Lege Mosis nulla mentio, nedum promissio facta fuerit.

§. 12. Huc clarè respexit divinus Autor Epistolæ ad Hebræos, cap. 9. ubi de sacrificiis in Lege præscriptis locutus, negat ea potuisse τελειῶσαι κατὰ τ῀ συνείδησιν τ῀ λατρεύοντα, v. 9. h. e. ab interno atq; æterno peccati reatu in conspectu Dei hominem liberare ; sed profuisse tantùm πρὸς τ῀ τ῀ σαρκὸς καθαρότητα, ibid. v. 13. *ad carnis purgationem*, i. e. ut homo exteriùs à pœna ac

morte corporali liberaretur. Eòdem etiam referenda ſunt, quæ alibi multis argumentis contendit ſanctus Scriptor: ſc. *perfectionem à Sacerdotio Aaronico*, i. e. à ſacrificiis ab iſtis Sacerdotibus oblatis, *nullam eſſe ſperandam.* c. 7. 11. *Legem nihil*, i. e. neminem, *perfectum reddidiſſe*, ibid. v. 19. *Legem non potuiſſe ad eam accedentes*, h. e. cultum in eâ præſcriptum obſervantes, *perfectos* ac conſummatos *reddere*, c. 10. v. 1. Quibus in locis per *perfectionem* imprimis intelligit Auctor plenam ac perfectam h. e. æternam à peccatis omnibus, non ſolùm levioribus, ſed & graviſſimis, abſolutionem: quam per Legem Moſaicam præſtari, meritiſſimo jure negat.

§. 13. Qui hæc probè teneat, ei non obſcurum erit, quâ de causâ Apoſtolus Legi Moſis Juſtificationem detrahat; nempe, non quia perfectiſſimam atq; adeo impoſſibilem obedientiam, tanquam conditionem Juſtificationis, poſtulet; quin potiùs quòd nullam omnino veram Juſtificationem, h. e. cum vitæ æternæ donatione conjunctam, ſub quavis conditione concedat.

§. 14. Ex his itaq; præmiſſis ſuam tandem concluſionem infert Apoſtolus: ſc. neq; Judæos, neq; Gentes (quos ſub verbis, πᾶσα σὰρξ, comprehendit) per Legem Moſis juſtificari poſſe ἐνώπιον τῦ Θεῦ, *in conſpectu Dei*, v. 20. Quæ verba ſignanter & emphaticè addita ſunt; quia concedenda erat Legi ſua quædam δικαίωσις, ſed apud homines, & quæ ad temporalem tantùm felicitatem proderat, non ad Regnum cœlorum obtinendum. * Quod optimè explicat Auctor Commentariorum, qui Ambroſio tribuuntur, his verbis: *In Gal. 3.* *Verum eſt, quia nemo per Legem juſtificatur, ſed apud Deum; juſtificatur autem apud mundum, ut ſecurus ſit in vitâ præſenti. Si autem apud Deum juſtificari vult, ſequatur fidem; alioquin hîc ſecurus, reus erit in futurum.*

§. 15. Tota igitur hæc Apoſtoli argumentio hôc Syllogiſmo comprehendi poteſt:

Nemo per Legem Moſis in foro Dei juſtificari poteſt, qui eorum peccatorum reus ſit, quorum nulla in foro Dei remiſſio per Legem iſtam conceditur:
Atqui omnes (tam Judæi, quàm Græci) eorum peccatorum rei ſunt, quorum nulla in foro Dei remiſſio per Legem Moſis conceditur:
Ergo nemo (neq; Judæus, neq; Græcus) per Legem Moſis in foro Dei juſtificari poteſt. †

Hinc porro infert Apoſtolus, & Judæis, & Græcis confugiendum eſſe ad aliud plenioris miſericordiæ fœdus; nempe fœdus illud in Chriſti Jeſu ſanguine ſtabilitum, in quo non temporalis tantùm, ſed αἰωνία λύτρωσις καὶ σωτηρία, Heb. 5. 9. & 9. 12. pleniſſima ac perfectiſſima omnium peccatorum, etiam graviſſimorum, remiſſio, cum vitæ æternæ donatione conjuncta, omnibus iis promittitur, qui ex fide in Chriſtum à peccatis iſtis ex animo reſipuerint, ſeq; Deo & ſanctæ vitæ dicaverint. Nimirum idem hîc tam in Gentes, quàm Judæos urget Paulus, quod aliàs Judæos imprimis ſeriò monuerat, Act. 13. 28, 29. his verbis: *Notum igitur ſit vobis, fratres, annuntiari vobis remiſſionem peccatorum per iſtum (Chriſtum ſc.) & ab omnibus, à quibus non potuiſtis per Legem Moſis juſtificari, per hunc credentem quemvis juſtificari.* Ubi duo videtur Apoſtolus affirmare, nempe, non tantùm per Jeſum remiſſionem peccatorum, ſpiritualem ſc. (quam Lex non omnino conceſſit) annunciari; ſed & credentem juſtificari in ipſo ab omnibus, à quibus nemo per Legem Moſis (ne carnaliter quidem) juſtificari poterat. Ac de primo Apoſtoli argumento hactenus.

---

* *Hæc carpenti Adverſario breviter reſpondit Cl. Auctor in Examine Cenſuræ Reſponſ. ad Animadverſ.* XVIII.

† *Hôc Syllogiſmô ipſiſſimam Apoſtoli argumentationem contineri, aliquot argumentis adſtruxit doctiſſimus Auctor in Examine Cenſuræ Reſponſ. ad Animadverſ.* XIX.

CAP.

CAP. IX.

Alterum Apostoli Argumentum ab infirmitate Legis, sive à gratiæ auxiliaris defectu in Lege sumptum. Loca quædam eò spectantia notantur. Imprimis cap. 7. Epistolæ ad Romanos latiùs aperitur. Clarè ostenditur, Paulum ibi agere de homine sub Lege constituto, & Evangelii gratiâ destituto. Argumentis pro contraria parte respondetur. Exponitur locus ad Galat. 5. v. 17.

§. 1. ALterum Argumentum, quô Paulus impossibilitatem Justificationis ex Lege Mosaica liquidò demonstrat, quodque totam Legem ex æquo respicit, sumitur ab altero fœderis istius defectu, gratiæ scilicet adjuvantis sive auxiliaris. Nempe sicuti Lex vetus nullam præteritis peccatis veniam indulsit plenam ac perfectam; ita neque auxilium futuris præcavendis sufficiens suppeditavit. Multus est in hôc argumento ac frequens Apostolus, ostendens: Legem ex se valde infirmam esse, viribusque planè destitutam, quibus miseri homines à peccati dominio atque inolitâ peccandi consuetudine ad veram, Deo gratam, ac salutiferam Justitiam perducantur. *

§. 2. Huc pertinet locus ille nobilis Rom. 8. 3. Τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου, ἐν ᾧ ἠσθένει διὰ τῆς σαρκὸς, ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ υἱὸν πέμψας ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, καὶ περὶ ἁμαρτίας, κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί. Τὸ ἀδύνατον τοῦ νόμου, bene transtulit Latinus: *Quod impossible erat Legi.* Casus enim patrius talibus adjectivis additus idem valet, quod dativus. Ἐν ᾧ valet hîc *quia*, vel *in quantum.* Ἠσθένει, *infirma erat, minus potuit.* Διὰ τῆς σαρκὸς, *quia caro*, i. e. *carnales hominum affectus vires ejus retuderunt.* Ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας, *in similitudine carnis peccato obnoxiæ.* Καὶ περὶ ἁμαρτίας, *propter peccata*, ut idem significet, quod διὰ τὰ παραπτώματα, Rom. 4. v. 25. vel, ut alii: *Sacrificium pro peccatis*, ut Heb. 10. 6. & 13. 11. Κατέκρινε τὴν ἁμαρτίαν ἐν τῇ σαρκί. h. e. *per carnem suam morti traditam interfecit peccatum:* vel, *per oblationem illam carnis suæ interfecit peccatum in carne nostra.* Κατακρίνειν enim hîc per Metonymiam antecedentis pro consequente dicitur pro *interficere*, sicut κατάκριμα pro *morte*; quia damnati interfici solent. *Interfecit* verò, i. e. interficiendi nobis vires præstitit. Interficere est efficientiam adimere. Simplicissimus itaque loci sensus hic est: Lex nullo modo potuit carnales hominum affectus reprimere, aut à vi ac tyrannide peccati inhabitantis ipsos liberare, atque ad veram Justitiam perducere. Hoc præstare potuit ac revera præstitit solus Dei Filius, qui non solùm meritô mortis suæ mortem æternam peccatis nostris debitam à nobis abstulit, sed & ejusdem mortis vi atque efficaciâ effecit, ut nos ipsi peccato morereremur, ac Deo veræque Justitiæ viveremus, vel ut mox sequitur v. 4. *ut Justitia Legis impleretur in nobis.*

Vide Grotium in locum.

§. 3. Idem voluit Auctor Epistolæ ad Hebræos, cum ἀθέτησιν προαγούσης ἐντολῆς, *abolitionem præcedentis mandati* necessariam esse concludit διὰ τὸ αὐτῆς ἀσθενὲς καὶ ἀνωφελὲς, *propter ipsius infirmitatem atque inutilitatem* cap. 7. v. 18. Ἐντολὴ enim poni videtur pro tota congerie ἐντολῶν, præceptorum Mosaicorum, seu pro tota Lege Mosis: etsi de Lege imprimis ceremoniali sermo ibi fiat. Quod apertiùs adhuc docet Divinus ille Scriptor cap. 8. v. 7. ubi de toto atque integro fœdere Mosaico locutus, dicit ipsum non fuisse ἄμεμπτον, omnino *inculpabile*, seu ab omni prorsus defectu liberum, adeoque innuit, fœdus illud defectu aliquo laborâsse. Qualis autem defectus iste fuerit, ex verbis Jeremiæ ostendit v. 9. quod scilicet infirmum erat pactum illud, iisque destitutum auxiliis, quibus Fœderatos in officio contineret, atque efficeret, ut in mandatis ipsius persisterent. Cum enim Deus apud Prophetam dicat, se ideo fœdus Mosaicum aboliturum, aliudque in ejus locum suffecturum, quod Judæi in fœdere isto non perstitissent; manifestè innuit, illud ipsum, quòd populus Judaicus in fœdere

* *Adversarium negantem, quod Apostolus istô usus fuerit argumentô, refutavit Vir Reverendus in Examine Censuræ, Respons. ad Animadvers.* XX.

fœdere divino non perſtiterit, non ſolùm ex populi vitio, ſed ex aliquo fœderis ipſius defectu accidiſſe. Quæ enim aliàs pactum ipſum tollendi neceſſitas? Quid opus novô?

§. 4. Sed non neceſſe eſt, ut ad hanc rem illuſtrandam loca hinc illinc, quaſi carptim, proferamus; cùm ad manum ſit integrum Epiſtolæ ad Romanos caput, in quo materiam hanc ex profeſſo tractat Apoſtolus, caput ſcilicet ſeptimum. Ubi poſtquam magnum illud aperuerat myſterium (primo omnium Apoſtolorum ipſi inter multa divinitus patefacta 2 Cor. 12. revelatum) nempe non ſolùm Gentes converſas, ſed etiam ipſos Judæos, qui Chriſti fidem amplexi eſſent, non ampliùs obligari vinculô Legis per Moſen datæ, ſed ab ea obligatione perinde liberos eſſe, ac mulier libera eſt à matrimonii vinculo, mortuô maritô, verſibus quatuor prioribus; incipit tandem v. 5, 6. quale quantumque ſit hoc beneficium ac privilegium oſtendere, ut Judæos ad illud ambabus (quod aiunt) ulnis amplexandum accenderet. Verba ſunt: Ὅτε γὰρ ἦμεν ἐν τῇ σαρκὶ, *Quando ſub carnalis Legis pædagogia eramus*, (ſic enim verba iſta exponenda eſſe, patet ex antitheſi ad ſequentia: Νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου) τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν τὰ διὰ τοῦ νόμου, (Supple cum Chryſoſtomo φαινόμενα, aut γνωριζόμενα, vel etiam γινόμενα) ἐνηργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσι ἡμῶν, *perficiebantur in membris noſtris univerſis*, εἰς τὸ καρποφορῆσαι τῷ θανάτῳ *ut ex Lege hunc ſolummodo fructum percepe-rimus, ut per peccata contra eam admiſſa æterna morti ſimus obnoxii.* Νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου, *Nunc verò liberati ſumus à Lege*, ἀποθανόντος ἐν ᾧ κατειχόμεθα i. e. *ſolutô Legis vinculô, quô antea tenebamur*, ὥστε δουλεύειν ἡμᾶς ἐν καινότητι πνεύματος, καὶ οὐ παλαιότητι γράμματος, i. e. *ut non ampliùs in carnalibus ceremoniis atque externis tantùm exercitiis ſanctiſſimo ſerviremus Numini; ſed ad veram illam vitæ novitatem, atque internam animi puritatem, quæ veteris Legis finis ac complementum erat, perveniremus.*

§. 5. Obſervandum eſt hîc, quod Apoſtolus non contentus dicere, Legem non valuiſſe ad pravos hominum affectus tollendos, rem in contrarium deducat ſuo more; ut probet, non ſolùm Legem ad auferendas malas cupiditates non profuiſſe, ſed & per accidens iis excitandis atque inflammandis inſerviiſſe. Illud innuit his verbis: Τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν τὰ διὰ τοῦ νόμου. Scilicet affectus iſti mali non ſolùm per Legem innotuerunt, ſed & ex Lege aliquomodo ortum ſuum, aut ſaltem incrementum ſumpſerunt. Quippe Adam ille noſter vetus, & voluptuarius peccati animus, inhibitione Legis irritatior factus, ut ſuopte ingenio nititur in vetitum, vim ſuam cœpit exerere, dum rei vetitæ deſideriô furit ardentiùs atque inſanit. Vel, ut alii volunt, quia Lex quædam peccata, præſertim interna, qualis eſt cupiditas rei vetitæ, nullis pœnis coercebat, hinc homines, ἀφορμὴν λαβόντες v. 8. *arreptâ anſâ* atque occaſione peccandi, ſecurè & cum ſpe impunitatis, hujuſmodi internis immunditiis fræna laxarunt. Utut ſit, certum eſt, Apoſtolum ſtatuere, Legem Moſaicam huic pravæ cupiditatis morbo non tantùm remedium nullum adhibuiſſe, ſed etiam morbum iſtum, ex quo Lex lata erat, in pejus fuiſſe dilapſum.

§. 6. Hoc autem dictum quia Judæis odioſum poterat videri, iiſque anſam præbere fugillandi Apoſtolum, quaſi doceret, Legem eſſe cauſam peccati, atq; ob id malam; ideo v. 7. objectionem hanc prudenter anticipat diluitque, oſtendens: Legem hîc ab omni culpa per ſe alienam eſſe, quippe quæ omne id quod Legis eſt, præſtiterit, prohibendo peccata, imò & interna peccati deſideria, quæ, abſque Lege eſſet, peccata fuiſſe, homines vix ac ne vix quidem, agnoviſſent. Quid ergo? quod homines poſt latam Legem pejores evaſiſſent, id ex genio Legis non acciderat, ſed vitiô hominum ipſorum, ſacroſanctâ Lege abutentium. In his immoratur Apoſtolus uſque ad v. 13. ubi novam objectionem ex prioris ſolutione ortam proponit his verbis: *Ergóne quod bonum eſt, mihi factum eſt mors*, i. e. cauſa mortis? Reſpondet Apoſtolus: μὴ γένοιτο, *abſit*, ut cauſa mortis dicatur, cùm ſit tantùm occaſio quædam; neque id data, ſed arrepta. Sed peccatum eſt verè ac propriè cauſa mortis illius, ſive potiùs carnales hominum vitiis mancipatorum affectus, Legi πνευματικῇ contrarii ac repugnantes: unde factum eſt, ut cum nôrint Legem, atque adeo ipſi obedire vellent, cupiditatibus tamen abrepti non poſſint v. 14, 15. Deinde ab hoc ipſo argumentum trahit, quô ſanctitatem Legis vindicaret; quod ſcilicet ipſimet mali homines eam, dum tranſgrediuntur, approbent, conſcientiâ ſuâ ob peccata contra eam admiſſa ipſos ſurdis verberibus flagellante v. 16. Atque in hac lucta inter mentem & membra, inter conſcientiam & carnem hominis ſub Lege conſtituti, & gratiâ Evangelicâ deſtituti (figuratè

ratè quidem & in propria persona) magnificentissimis verbis describendâ pergit Apostolus usque ad finem capitis. Exinde autem cap. 8. 1, 2. repetit ea, quæ dixerat cap. 7. v. 5, 6. (unde usque ad initium capitis octavi, ad respondendum objectioni v. 7. capitis septimi factæ, manifestam digressionem fecerat? nempe, tum vinculum Legis Mosaicæ solutum esse, neminemque propter non observatas ejus ceremonias damnatum iri, qui modò viam illam vitæ spiritualis in Evangelio præscriptam incedat v. 1. tum omnes verè Christianos per Evangelium ab isto peccati dominio esse liberatos, à quo ut liberarentur per Legem Mosaicam, nulla erat vel spes vel possibilitas, v 2, 3, 4.

§. 7. Est hæc hujus capitis Analysis sive resolutio adeo facilis ac perspicua, ut mirum sit, ac penè prodigii instar habendum, reperiri viros doctos, qui Apostolum in posteriori ejus parte statum hominis regeniti ac sub gratia Evangelica constituti describere somnient. Ea certè sententia, præterquam quòd à sensu omnis fere Antiquitatis ante Augustinum aliena sit, imò & ab ipso Augustino aliquando rejecta fuerit, * laborat etiam gravibus incommodis (ne quid gravius dicam) atque absurditatibus planè palpabilibus.

§. 8. Primò enim supponit, Apostolum sermonem hîc interserere planè ἀπροσδιόνυσον & ab instituto suo remotissimum. † Etenim luce clarius est, ipsum circa initium capitis loqui de inefficacitate Legis ad homines à peccati dominio liberandos; imò ostendere tantum abesse, ut Lex id præstet, ut econtra vim pravæ cupiditatis irritet atque augeat. Ex ea doctrina, non ex ulla alia nascuntur objectiones, quas Apostolus v. 7. & 13. discutiendas suscipit. Est autem omnino absurdum atque abhorrens, Apostolum objectionibus ex Legis inefficacitate in iis, qui gratiâ Evangelii carent, descriptione & repræsentatione statûs sui sub Evangelio respondere. Deinde, cum in confesso sit apud omnes, Apostolum à v. 7. usque ad v. 14. loqui de statu hominis, qui est sub Lege; quænam, obsecro, idonea ratio vel fingi potest, cur statuamus, eum in versu 14 & 15. mutare institutum? præsertim cùm verba versûs 14. manifestam antedictorum rationem contineant, ut ex causativa particula γὰρ, quâ versus iste superioribus connectitur, clarè liquet. Jam verò objectio v. 13. proposita hæc erat: rem esse miram, ut Lex ea, quæ suâ naturâ sancta & bona est, causa mortis cuiquam esse possit. Ad eam igitur objectionem dissolvendam, quid quæso, faciet, quod versibus sequentibus comprehenditur, si Apostolus ibi de regeneratione sua loquitur; quandoquidem in statu regenerationis suæ non ampliùs sub Legis dispensatione constitutus est, neque quicquam commercii cum ea habet? Ratiocinatio illa, quæ conditionem hominis sub Evangelio degentis repræsentat, eóne quicquam pertinet, ut ostendatur, Legem non esse causam mortis iis, qui vivunt sub œconomia legali? Instituatur paraphrasis v. 13, 14. & sequentium ad normam hujus interpretationis, & pro mirè concinnata Apostolici sermonis serie arenam planè sine calce reperies. *

Vide Amyrald. Consider. cap. 2. ad Roman: p. 23, 24.

§. 9. Quod ergo objici solet de mutatione temporis in v. 14. adeo leve est, ut meritò pudeat, viros graves tali argumento pugnare. Quid enim? quia Apostolus à tempore præterito ad præsens transiit, ideone statuendum erit, ipsum etiam à proposito suo in materiam ab eo remotissimam recessisse? Quis nescit, hanc temporum mutationem, vel in eodem orationis contextu, omnibus fere Scriptoribus satis familiarem esse; maximè cum res, de qua agitur, eadem, quæ erat, adhuc maneat? Quid, quod ratio hujus mutationis ex ipso contextu satis manifesta sit? Apostolus enim v. 9. hominem hîc repræsentatum consideraverat in eo statu, quô erat, priusquam Legem accepisset. Deinde in sequentibus usq; ad v. 14. eventum ostendit qui homini isti post acceptam Legem contigit; quod sc. & majoris culpæ reus & graviori pœnæ obnoxius per Legem factus fuerit. Hucusq; igitur par erat, ut Apostolus præterito tempore uteretur. At vers. 14. causam ostendit, cur ex Lege aliud in homine consequatur, quàm id, quod per se Lex propositum habet. Alia, inquit, est natura Legis, alia hominum, qui sub Lege sunt. Lex est spiritualis, à Deo Spiritu profecta, & spiritualem vivendi rationem præscribens; at homo sub Lege constitutus carnalis est, & carnis affectibus planè mancipatus. Non autem conveniebat, ut Apostolus causam

* *Plurima S. Patrum nomina atq; testimonia allegata vide in Apologia contra Tullium Sect.* IX. §. 3. *seqq.*

† *Confer dictam Apolog. contra Tullium Sect.* IX. §. 11. *ubi hoc argumentum ab ejus exceptionibus vindicatur.*

‖ *Paraphrasin talem ipse Auctor instituit, hocq; argumentum contra Tullium prolixè defendit in Apologia Sect.* IX. §. 12. *seqq.*

præſentem commonſtrans, in tempore loqueretur præterito, aut diceret: *Lex erat ſpiritualis, ſed ego eram carnalis*: quin dicendum erat potiùs in præſenti: *Lex eſt ſpiritualis, ego ſum carnalis*; ut cuivis rem attendenti facilè liquebit. *

§. 10. Neq; iſta ſententia ſermonem affingit Apoſtolo ἀπεροδιόνυσον tantùm, ſed & ipſi contrarium ac repugnantem. Certè enim quæ de perſona in hoc capite deſcriptâ dicuntur, ita ex diametro repugnant iis, quæ paulò antè cap. 6. & poſtea ſtatim cap. 8. nec non alibi, homini regenito ab Apoſtolo tribuuntur, ut luci cum tenebris, vitæ cum morte, cœlo cum inferis meliùs conveniat, quàm his ſecum invicem. De homine hîc deſcripto dicitur: *Ego ſum carnalis*, verſ. 14. At de regenito dicitur, quod *non ſecundùm carnem ambulet, ſed ſecundùm Spiritum*, cap. 8. v. 1. De homine hîc deſcripto dicitur, quod *peccato planè mancipatus ſit*, inſtar eorum, qui venditione toti traduntur in Domini alicujus imperium ac poteſtatem verſ. 14. (cui ſimile de Achabo non tantùm Regum, ſed & mortalium fere peſſimo dicit Scriptura 1 Reg. 21. 20.) At de regenito affirmatur, quod *liberatus à peccato, ſervus factus ſit juſtitiæ*, cap. 6. 18. Homini hîc deſcripto cognitionem quidem, atque inefficacem boni velleitatem tribuit Apoſtolus; facultatem verò, quod bonum eſt, faciendi omnino detrahit, verſ. 18, 19. At de regenitis omnibus affirmat Apoſtolus, quod in iis Deus & τὸ *velle*, & τὸ *perficere* operetur, Phil. 2. verſ. 13. et de ſeipſo, quod per gratiam Chriſti omnia potuerit, *Phil.* 4. 13. Denique de homine hîc deſcripto dicitur, quod *Lex membrorum captivum eum reddat Legi peccati*, verſ. 26. At de regenito affirmatur mox cap. 8. 2. quod *Lex Spiritûs vitæ in Chriſto liberaverit eum à Lege peccati & mortis.* †

Ubi in Græco eſt: ἐπράδη ποιήσειν τὸ πονηρόν.

Paræus in Rom. 7. v. 14.

§. 11. Quod nonnulli dicunt: *Paulum de ſe hæc omnia jure affirmare potuiſſe, reſpectu infirmitatum iſtarum, quibus & ſanctiſſimi obnoxii manent, quamdiu in carne vivunt, licèt iis non ſint lethales, quoniam reluctantibus & deplorantibus eas non imputantur, ſed remittuntur propter Chriſtum*; illud (inquam) omni probabilitatis ſpecie caret. Quis enim credat, *hominem carnalem eſſe, peccati vernam, ad faciendum, quod bonum eſt, inhabilem, Legi peccati captivum duci, Legi peccati ſervire*; quis, inquam, credat, his omnibus nihil aliud ſignificari, quàm infirmitates iſtas, quæ vel ſanctiſſimis in hac vita adhærere ſolent? Quibus verbis poterat Paulus hominis ſtatum peſſimis vitiis mancipati ſignificantiùs exprimere? Quantô intervallô diſtat hæc phraſium iſtarum interpretatio, à manifeſto & ubique aliàs in S. Scripturis uſitato earum ſenſu? Denique quid eſt, ſi hoc non ſit, Pauli verba σρεβλῶσαι, ac vim S. Scripturis manifeſtam facere?

§. 12. Age, jam ratiunculas illas, quibus contraria interpretatio propugnari ſolet, diſcutiamus. Eas proponit ac pro virili defendit Paræus in explicatione hujus capitis: 1ò. " Manifeſtum eſt, *inquit*, de ſe, non de " alio loqui Apoſtolum, quia continuat que- " relam de ſe, in prima perſona per totos " duodecim verſus: *Ego ſum carnalis*, &c. " Nec apice ullo innuit, de alio ſibi ſer- " monem eſſe. Nimis ergo audax erit fi- " ctio, & depravatio manifeſti textûs, ſic " torquere verba: *Non ego ſum*, ſed, *alius* " *quidam eſt carnalis*, &c." Reſp. Frigidum ſane argumentum, magnô fervore prolatum. Quis enim in Paulinis epiſtolis adeo peregrinus eſt, ut neſciat, hunc μεταχηματισμὸν, quô in ſua perſona, quæ ad alios pertinent, exprimere gaudet, eſſe figuram Apoſtolo ſatis familiarem? || Certe luculentiſſimum hujus loquendi formulæ exemplum habemus, 1 Cor. 4. v. 3, 4. coll. cum v. 6. Ibi enim Apoſtolus apertè dicit ſe μετασχηματίζειν. Similia vide Rom. 3. 7. 1 Cor. 6. 12, 15. & 10. 23, 29, 30. Gal. 2. 18. Nec malè à Veteribus notatum, hoc Schema Apoſtolo tunc uſitatiſſimum fuiſſe, cùm modeſtiæ causâ res odioſas ſic exprimere voluerit. Sic Chryſoſtomus: Ἀεὶ τὰ φορτικὰ ἐπὶ τῶ οἰκείῳ προσώπῳ γυμνάζει. Et Hieronymus ad Danielem: " Peccata populi, " quia unus è populo fuit, enumerat perſonâ ſuâ: quod & Apoſtolum in Epiſtola " ad Romanos (*ad hunc locum veroſimiliter* " *alludit*) facere legimus."

In explic. cap. 7. ad Rom. dub. 4. p. 492, 493, 494.

v. 9.

§. 13. Urget Paræus: " Reperiri quidem " in Scripturis perſonarum Enallagen; ſed " eam quovis loco ex textu facilè liquere, " hîc vero nullo modô liquere." Imò verò, inquam ego, ſi ullo in loco liquet, certè hîc liquidò liquet. Ut enim taceam allata jam argumenta, quæ hanc figuram planè neceſſariò poſtulant; cum Apoſtolus ſatisfacere vellet iſti objectioni, Legem eſſe cauſam peccati, atque reſpondere, tantum abeſſe, ut peccati cauſa ſit, ut ea ſola peccati naturam ac-

Ubi ſupra.

---

* *De iis quæ hâc Sect.* IX. *continentur, confer laudatam Apologiam loc. cit.* §. 15.
† *Hujus Sectionis Argumentum, ejuſque deductionem egregiè defendit Auctor loco cit.* §. 16 & 17.
|| *De his vide dictam Sect.* IX. §. 19.

accuratè solidéque demonstret; ait se, absque Lege esset, quid sit concupiscentia, nunquam fuisse cogniturum, & olim cùm esset χωρὶς νόμου, *sine Lege*, eam à se minimè fuisse cognitam, vers. 9. Equidem illud, *esse* χωρὶς νόμου, in Apostoli scriptis Gentilium statum & conditionem significat, vel eorum, qui Lege scriptâ carent, ut opponitur eorum conditioni, qui vivunt sub œconomia legali. Vivere enim χωρὶς νόμου & ἀνόμως vel ἄνομον, idem significant. Vide Rom. 2. 12. & 1 Cor. 9. 20. 21. Nunquam autem certè Apostolus eô modô sine Lege fuit, siquidem Judæus erat genere, à teneris unguiculis Gamalielis discipulus, qui Legis doctrinam unà cum lacte suxerat. Necesse est igitur, ut statuamus, Apostolum in sua persona voluisse repræsentare statum Judæorum: primò quales fuerint χωρὶς νόμου, *ante Legem latam*; dein, quales facti sint ἐλθόντος δὲ ἐντολῆς, *postquam Lex data esset*. Quod si sermonem ab hac personarum Enallage auspicatus est, quæ ratio nos eò inducat, ut credamus, eum ab illa destitisse in versibus sequentibus? *

v. 9. §. 14. Respondet hîc Paræus: "Paulum "dicere, se χωρὶς νόμου fuisse, non quod Le- "gem non haberet, aut ignoraret; sed quia "negligentiùs consideraret, non intelligens "concupiscentias omnes per eam damnari "tanquam mortalia peccata." Sic verba illa, ἐλθόντος τῆς ἐντολῆς, *veniente præcepto*, ita exponit: "Id dicit sibi venisse, non quod "priùs non habuerit, sed quod priùs non "intellexerit. Quæ enim habemus, nec in- "telligimus, quasi non habemus." Sic ille. Sed quis jam depravationis manifesti textûs reus sit, judicet æquus Lector. Nam 1° quis unquam dixerit, eum sine Lege esse, qui cùm Legem habeat, nec ignoret, eam non penitiùs intellexerit? Sacra certè Scriptura ita nunquam loquitur. Unicum exemplum postulo. 2° Quid sibi velint verba ista, ἐλθόντος δὲ ἐντολῆς, in proclivi est statuere ex loco huic gemino, Rom. 5. 20. Νόμος δὲ παρεισῆλθεν, ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα. Quis non agnoscit locum, de quo agitur, huic planè similem? Quod enim hîc dicitur, νόμος παρεισῆλθεν, ibi exprimitur per ἐλθόντος δὲ ἐντολῆς. Quod hîc, ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα, ibi, ἡ ἁμαρτία ἀνέζησε. At ingressum Legis in loco Rom. 5. non spiritualem Legis intellectum, sed primum ejus in mundum ingressum, sive hominibus dationem significare, nimis manifestum est: idem ergo significat adventus præcepti in loco altero. 3° denique quæro, quô tempore Paulus se *sine Lege*, h. e. sine vera Legis intelligentiâ vixisse affirmet? Huic quæstioni ex professo respondet Paræus in explicatione dubii tertii hujus capitis, his verbis: *Aut de prima, aut de media, aut de præsente sua ætate loquitur. De præsenti quod non loquatur, constat. Nec de pueritia sua. Effecta enim, quæ tribuit peccato & Legi, in pueritiam non cadunt: nec loquitur de elementari tantùm Legis notitia; sed qualis est adultorum, imò Doctorum Legis, de quibus suprà, cap. 2. vers. 17. De ætate igitur mediâ, quam in Pharisaismo exegit, eum loqui manifestum est.* Et in sequentibus contendit, Paulum per totum illud tempus dictô sensu *sine Lege* fuisse. Ex his autem Paræi verbis sic argumentor: Si Paulus, quamdiu in Pharisaismo vixerit, sine Lege fuit; ergo tum demum ad eum venit præceptum, cùm ad fidem Christi adductus fuerit. Atqui illud verbis Pauli ipsius clarè repugnat, qui dicat, *veniente præcepto, peccatum in se revixisse, se verò mortuum fuisse; Legem ei in mortem cessisse; peccatum, arreptâ ex Lege occasione, ipsum occidisse*, vers. 9, 10, 11. Quæ omnia Paulo ad Christum converso accidisse, nemo satis sanæ mentis dixerit. Sed ita nimirum Viri docti, dum claris Scripturæ verbis vim inferunt, crucem etiam sibi ipsis & Lectoribus suis solent figere, quâ suspensi utrique hæreant. Ex his autem liquere arbitror, plusquàm apice aliquô innui, Apostolum in hoc capite non de se loqui, sed alienam personam sustinere. Atque ad primum argumentum plus satis.

§. 15. Secundò objicit idem Vir doctus: "Velle bonum, nolle malum, odisse pecca- "tum, non est nisi renatorum. Apostolo in "hac lucta adjacet velle bonum, v. 15, 18, 21. "nolle & odisse malum, v. 15, 16, 19, 20. "Ergo loquitur de se, & de se etiam rena- "to." Resp. Velle quidem bonum fortiter & constanter, certôque animi decretô ac propositô, non nisi renatorum est. At de tali volitione manifestum est Apostolum non loqui, sed tantùm *de velleitate quadam*, levique & evanido boni desiderio, quale (proh dolor!) in nimis multis, qui boni non sunt, reperiri solet. Verum esse, quod dicimus, hinc liquet, quod Apostolus discrimen hîc statuat inter duo illa τὸ θέλειν & κατεργάζεσθαι καλόν, *velle bonum & bonum perficere* v. 18. Quum autem duo ista sic distingvuntur & opponuntur inter se, adeo ut facultatibus nostris attribuatur quidem τὸ *velle*, τὸ *perficere* haudquaquam; *velle* significat inclinationem quandam ac propensionem duntaxat, non autem

Vid. etiam Calvin. in locum.

Vide Amyrald. Consider. cap. 7. ad Roman. p. 41.

* *De hujus & sequentis Sectionis argumento vide Apolog. l. c. §. 25.*

tem voluntatem definitam, vehementem, abſolutam & conſtantem: talis enim certè voluntas actionem poſt ſe neceſſariò trahit. Ait ergo Paulus, inclinari ſe quidem ac propendere bonum versùs; at non ita definitè tamen, & vehementer, & conſtanter ac perſeveranter id velle, ut actio ſequatur: neque id ſe aſſequi poſſe confirmat. Iſne igitur eſt regenerationis illius propè divini viri ſtatus, ut ad pietatem & virtutem leviter inclinetur; nunquam tamen id à ſe impetrare queat, ut earum officiis defungatur? Idem fere eſto judicium de odio illo peccati, de quo loquitur Apoſtolus. Concedatur enim certè phraſi iſti quantumlibet magna emphaſis; attamen nemo malum odit eô ipsô momentô, quô id perpetrat. Nunquam quiſquam concupiſcentiæ illecebris ad peccandum pertractus fuit, qui peccaret invitus: iſta enim directè inter ſe pugnant, ut quiſquam invitus peccet, & tamen concupiſcentiâ ad peccandum pelliciatur. Omne igitur iſtud odium, quô homo hîc repræſentatus malum proſequebatur, ſpectat ad illud tempus, quô concupiſcentia vel nondum in ipſo, objectorum præſentiâ, commota erat; vel nondum rationis repugnantiam ſuperaverat. Poſtquam concupiſcentia prævaluit, prorſus neceſſe fuit, ut toto illo tempore, quô rationem ſubjectam tenuit, odium illud mali ceſsârit. Egregiam verò laudem, ſic eſſe regeneratum, ut malum odio habeamus, cùm nulla nos perturbatio, nulla appetitûs commotio ad id perpetrandum impellit: id verò ſtatim ac mali committendi occaſio ſeſe obtulit, noſque ad id perpetrandum ſollicitavit aliqua cupiditas, ex animo diligamus! Quis neſcit, hocce mali odium non rarò etiam in peſſimis reperiri? Quis autem miretur, hujuſmodi luctam in Judæo, Lege Dei imbuto, reperiri, qui eandem etiam in Pagano inveniat? Locus eſt inſignis Senecæ Epiſt. 52. *Quid eſt hoc, Lucili, quod nos aliò tendentes aliò trahit, & eò, unde recedere cupimus, impellit? Quid colluctatur cum animo noſtro, nec permittit nobis quidquam ſemel velle? Fluctuamus inter varia conſilia: nihil liberè volumus, nihil abſolutè, nihil ſemper.* Et tritum eſt illud Poetæ, Medeam ita loquentem inducentis:

Vide Amyrald. p. 38, & 37.

——*Video meliora proboque,*
Deteriora ſequor ——

Ut non incommodè Pagano homini hæc verba tribuerit Lactantius: *Volo equidem non peccare, ſed vincor: indutus enim ſum carne fragili & imbecillâ. Hæc eſt, quæ concupiſcit, quæ iraſcitur, quæ dolet, quæ mori timet. Itaque ducor incertus; & pecco, non quia volo, ſed quia cogor. Sentio me & ipſe peccare; ſed neceſſitas fragilitatis impellit, cui repugnare non poſſum.* *

De verâ Sapien. l. 4. c. 24.

§. 16. Unum illud addam: Sumatur hîc deſcriptio hominis renati ab ipſo Paræo data: *Renatorum*, inquit, *eſt, Peccatum nolle & aliquando facere, bonum velle & plerumque facere*; & ſi, hæc deſcriptio homini in hôc capite repreſentato cum ulla veritatis ſpecie aptari poſſit, obtineat (per me licet) Paræi interpretatio. At quomodo, quæſo, is peccatum ita nolit, ut aliquando tantùm faciat, qui peccati planè mancipium ſit? Quomodo is bonum ita vult, ut plerumque faciat, qui, quomodo bonum faciat, οὐχ ἑυρίσκει h. e. (ut ex antitheſi ad præcedens verbum παρακεῖται liquet) à quo bene agendi vis ac facultas longiſſimè abſit? Unde ipſe Paræus ad v. 19. *Non enim facio bonum quod volo &c.* concedit, etſi non perpetuò, tamen ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ejuſmodi ἐναντιώσιν, (quâ ſcilicet bonum quod voluit, non fecerit, malum fecerit, quod noluit) paſſum fuiſſe Apoſtolum, & pati renatos: ita egregiè ſibi ipſi contradicens.

Explic. dub. 4. in reſp. ad arg. 2.

§. 17. Tertiò objicitur: " Conſentire " Legi quod bona ſit, & in Lege delectari, " eſt renatorum proprium, Pſal. 1. 2. & 119. " 77, 103. Apoſtolus in hac lucta conſentit " Legi quod bona ſit, v. 16. & in Lege de- " lectatur v. 22. Loquitur igitur ut renatus." Reſp. Quod ad conſenſum attinet Legi divinæ præbitum, nihil manifeſtius eſt, quàm illum regenitis cum irregenitis communem eſſe. Qui id negat, pari jure neget, eſſe ullum hominis irregeniti contra dictamen conſcientiæ peccatum. Quoties enim quis peccat contra conſcientiam, eam Legem tranſgreditur, quam in animo ſuo convictus eſt bonam eſſe, nec violari debere. Hoc igitur argumenti membrum ab ipſo communi ſenſu atque experientia ſatis liquidò refellitur. Alterum objectionis membrum diſcutiamus. Atque hîc miros canunt triumphos adverſarii, quaſi victoriâ jam potiti. Sic enim Paræus in verba illa: *Delector enim Lege Dei.* " Hôc deſideriô, *inquit*, manifeſtè ſe ab in- " continentibus Philoſophorum diſcernit, & " ſe ſpiritualem teſtatur, licèt carnalem pri- " ùs dixerit: neque enim quiſquam, niſi ſpi- " ritualis, Lege Dei delectatur." Sed hoc aliquid, quô tumet Vir doctus, planè nihil eſt. Nam 1mò Συνήδομαι τῷ νόμῳ, idem planè

* *Quæ contra hanc Sectionem objecit D. Tullius, refutata vide in Apologia contra ipſum Sect.* IX. §. 21, 22, 23.

nè videtur esse ac σύμφημι τῷ νόμῳ, v. 16. quod significat *consentire Legi*; * ut hîc sit Metonymia consequentis pro antecedente, *gaudere* pro *approbare*; quia quæ approbamus, iisdem etiam gaudere solemus. Unam certè & eandem Legis approbationem variis vocibus exprimit Apostolus. Sic infrà v. 25. τῷ νοὶ δουλεύειν νόμῳ *mente servire Legi Dei*; ubi *servire* non est actu atque opere ipso obedire Legi; (id enim mentis non est) sed consentire Legi tanquam justæ, sanctæ & bonæ, atque agnoscere omnimodam ipsi obedientiam deberi. Hanc autem Legis approbationem etiam in irregenitum cadere, modò vidimus. 2°. Concessô, vocem hanc *delectationem* propriè dictam notare, Paræum id nihil juvat. Quid enim, si, ut bonum velle irregenito competere ostendimus, sic etiam bonô gaudere ac delectari in eundem cadere affirmemus? Certè nihil novum aut à prioribus diversum affirmaremus. Quatenus enim quis quid vult, eatenus etiam eô gaudet ac delectatur: nec possunt hæc à se invicem disjungi. Quid, quod S. Scripturæ hoc gaudium etiam in irregenitis aliquando reperiri disertè testantur? Sic Herodes dicitur conciones sancti Baptistæ ἡδέως, *suaviter*, ac non sine magna animi voluptate *audivisse*, Marc. 6. 20. Judæi dicuntur ἀγαλλιασθῆναι ἐν τῷ φωτὶ αὐτοῦ, *præ gaudio exultâsse in luce ejusdem* Johannis, Joan. 5. 35. Temporarii *verbum cum gaudio suscepisse*, Mat. 13. 20. Qui in locis istis dicunt, non veram ac solidam Legi Dei condelectationem intelligi, sed fluxam atque evanidam; cur non vident eandem responsionem æquè, imò multò magis, huic loco accommodam esse. Certè enim homini hîc repræsentato non firmam & constantem in Lege Dei delectationem tribuit Paulus, sed ejusmodi, quæ, cum offerant sese carnis illecebræ, ab iis adeo vincitur atque absorbetur, ut miser homo tandem Legi peccati, quæ est in membris, planè captivus abducatur, vers. 22, 23. Hujusmodi autem Legi divinæ condelectationem homini irregenito quis invideat? quis tribuat regenito?

§. 18. Objicitur quartò: " Soli renati " habent hominem interiorem, i. e. novum: " Apostolus in hac lucta habet hominem in- " teriorem (nam secundùm eum ait, se de- " lectari Lege Dei) Loquitur igitur ut re- " natus. " Resp. Argumentum hoc falsô nititur suppositô, sc. hominem interiorem & novum idem apud Apostolum significare; quod à vero longissimè abest. † Nam (ut optimè notat Grotius), non idem est ὁ ἔσω ἄνθρωπος, & ὁ καινὸς, hic idem ὁ ἔξω & ὁ παλαιός. Vetus & novus homo nomine subjecti significant ejus qualitates; at cum dicitur ὁ ἔσω & ὁ ἔξω ἄνθρωπος, nomen totius per Synecdochen datur partibus. Itaq; ὁ καινὸς ἄνθρωπος est homo renovatus; ὁ παλαιὸς homo corruptus, h. e. in statu peccati constitutus. Ὁ ἔσω ἄνθρωπος est anima rationalis; ὁ ἔξω corpus cum affectibus corporeis. Liquet illud ex 2 Cor. 4. 16. ubi cum per hominem exteriorem manifestum sit Apostolum intelligere corpus suum, quod inediâ, vigiliis, carcere, verberibus, omne genus afflictionibus maceratum indies infirmabatur; planum est etiam hominem interiorem, alteri oppositum, significare animam rationalem, partem Apostoli meliorem, quæ nullis afflictionibus labefactari potuerit, quin potiùs ex iisdem melior evaserit, novaque indies pietatis incrementa acquisiverit. Nimirum potuerunt quidem Pauli persecutores corpus ejus flagris cædere, tormentis exercere, imò & occidere; at nihil amplius potuerunt. Non potuit eorum malitia ad animam ipsius pertingere; quippe quæ in secura Dei solius custodia ἔξω βέλους, extra periculum posita fuerit. Confer Luc. 12. 4, 5. Sic qui hîc ὁ ἔσω ἄνθρωπος, vocatur etiam ὁ κρυπτὸς τῆς καρδίας ἄνθρωπος, 1 Pet. 3. 4. ubi exterior corporis ornatus opponitur interiori ornatui hominis occulti in corde, i. e. animi. Præterea simul hîc ponuntur in eodem homine homo interior & exterior; at ubi novus est homo, ibi vetus esse desiit. Manent quidem nonnullæ veteris hominis reliquiæ etiam in renovatis: sed reliquiæ istæ nunquam (quod sciam) nomine veteris hominis in Scripturis veniunt; siquidem vetus homo notat corpus peccati (ut ita dicam) completum cum omnibus atque integris suis membris. Postremò manifestum est, συνήδεσθαι τῷ νόμῳ κατὰ τὸν ἔσω ἄνθρωπον, vers. 22. idem esse quod τῷ νοὶ δουλεύειν τῷ νόμῳ, vers. 25. Idem ergo est ὁ νοῦς & ὁ ἔσω ἄνθρωπος, *mens & interior homo*. At mentem esse in unoquoque homine, nemo nisi mentis inops negârit. Hæc Paræus pro more suo satis fastuosè contemnens, vocat frivolas ratiunculas. At certè quæ ab eo iis respondentur, adeo sunt frivola, ut pigeat ea commemorare: statim ac leguntur, refutantur. Duo præterea à doctissimo Grotio in hunc locum annotata addam. Quorum prius est: Apostolum hîc loqui ex usu aliorum Scriptorum. Qui hîc ὁ ἔσω ἄνθρωπος, *In Loc.*

* *Hæc carpenti Tullio respondit Cl. Auctor in laudata Apologiâ l. c.* §. 24.
† *Distinctionem interioris & novi hominis ulteriùs probatam vide ibidem* §. 25.

à Philone (librô, *pejorem inſidiari meliori*, inſcriptô) vocatur ὁ ἄνθρωπος ἐν ἑκάστῃ τῇ ψυχῇ κατοικῶν. Ubi & eum eſſe ait, qui ἀφανῶς ἡμᾶς ἔνδοθεν ἐλέγχει. Et libro de Agricultura eundem vocat τὸν ἠγεμόνα ἄνθρωπον, additque: ἄνθρωπος, ὁ ἐν ἑκάστῳ ἡμῶν, τίς ἂν εἴη πλὴν ὁ νοῦς. Et libro περὶ τῆς εἰς προπαιδεύματα συνόδου dicit, Deum à nobis laudari debere, ἐπὶ τῷ νῷ, ὃς κυρίως ἄνθρωπός ἐστιν ἐν ἀνθρώπῳ, κρείττων ἐν χείρονι. Imò Paulus hîc cum vulgo loquitur. Nam & Plautus dixit *ſalutem interioris hominis*. Poſterius illud, à Grotio * etiam obſervatum, hoc eſt: locum hunc à vetuſtiſſimo Patre, Tertulliano, in eundem planè ſenſum exponi. Sic enim ille libro de Reſurrectione: "Ita vocabulum *homo* conſociatarum dua-"rum ſubſtantiarum quodammodo fibula "eſt; ſub quo vocabulo non poſſunt eſſe niſi "cohærentes. Porro Apoſtolus *interiorem* "*hominem* non tam animam, quàm men-"tem atque animum intelligi mavult, i. e. "non ſubſtantiam ipſam, ſed ſubſtantiæ ſa-"porem."

§. 19. Objicitur quintò: "Ingemiſcere "de ſua miſeria ob vim peccati, deſidera-"re liberationem, agnoſcere & celebrare "gratiam Dei per Chriſtum, non eſt niſi "renatorum: Apoſtolus ſuſpirat & gra-"tias agit de liberatione per Chriſtum, v. "24, 25. Loquitur igitur ut renatus."

Reſp. Si verba v 24, 25. quibus nititur hoc argumentum, accuratiùs expendantur, ſtatim apparebit, ea pro adverſariis nihil facere; quin potiùs ſententiam noſtram apertiſſimè confirmare. Apoſtolus enim v. 24. addit exclamationem, ſive ταλαιπωρίαν, homini, qualem in verſibus præcedentibus deſcripſerat, convenientem; miſerum &, ſi Legem ſpectes, planè deſperatum ejus ſtatum oſtendens. Deinde v. 25. gratiam Dei per Chriſtum celebrat, quâ ſolâ à miſerrimo hoc ſtatu tum ipſe liberatus fuerit, tum aliis liberationis via & facta fuerit, & patefacta. Quæ εὐχαριστία per παρενθήκην eſt legenda, quaſi dicat: Miſerrimus ſane eſt hominis ſub Lege conſtituti, quem in ſuperioribus deſcripſi, ſtatus; quippe qui corpori mortis, h. e. peccati dominio, atque ob id morti ipſi ſubjectus ſit. At gratiæ immortales & habendæ, & agendæ ſunt Maximo illi atque Optimo Deo per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, cujus ope atque interventu tum ipſe ab hoc corpore mortis liberationem conſecutus ſim; tum alii, ſi ad mei exemplum Evangelium ejus amplexentur, liberationem ſint conſecuturi. Nam (ut mox cap. 8. verſ. 3, 4.) dicit, *quod Legi impoſſibile erat propter carnem, Deus ſuô ipſius Filiô miſsô &c. interfecit peccatum in carne, ut Juſtitia Legis impleretur in nobis.* Vide jam, ſi non hæc invictiſſimum pro noſtra ſententia argumentum præbeant.

Status hominis in hôc capite deſcripti eſt ſtatus miſeriæ, ſtatus peccati ac mortis, ſtatus denique à quo quicunque Chriſti ſunt, liberantur:

At ſtatus renatorum non eſt hujusmodi:

Ergo, ſtatus renatorum non eſt ſtatus hominis in hôc capite deſcripti †

§. 20. Sextum atque ultimum argumentum à verbis iſtis verſûs ultimi deſumunt: Ἄρα οὖν αὐτὸς ἐγὼ τῷ μὲν νοῒ δουλεύω νόμῳ Θεοῦ &c. Sic enim in verba iſta Paræus: "Quod dicit, αὐτὸς ἐγὼ, *ipſe ego*, dubitatio-"nem omnem tollit, quòd non de alio, "ſed de ſeipſo, nec de præterito, ſed de "præſente ſtatu, qualis erat, dum hæc ſcri-"beret, loquatur Apoſtolus. *Ego ipſe*, in-"quit, non alius aliquis præter me; *ſervio*, "inquit, non *ſervivi*." Pergit: "Nimis "igitur protervè Julianus Pelagianus olim "de alio quodam nondum renato loqui "finxit Apoſtolum. Viderint proinde, qui-"bus Juliana Gloſſa adeo arridet, quomo-"do ab hac protervia ſe liberent." Reſp. Nimis fuit temerarius Paræus, qui ex levicula hac Grammatica ineptia ſententiam tot tantiſq; ſuffultam argumentis, tam confidenter rejecerit, ejuſq; patronos proterviæ arguerit. At fefellit etiam Grammatica ſua Virum magnum. Etenim, ut de præſenti tempore nihil dicam (cùm illud ineptum eſſe cavillum priùs oſtenderimus) non eſt neceſſe, ut αὐτὸς ἐγὼ, reddatur, *ipſe ego*; cùm meliùs verti poſſit, *ille ego*, i. e. homo is, quem ſub primæ perſonæ pronomine deſcripſi, ut optimè notavit Grotius. || Itaque tantum abeſt, ut pronomen αὐτὸς Apoſtolum de ſeipſo loqui evincat, ut contrarium inde de-

* *Cui conſentit Origenes*: ἄνθρωπος, τουτέστι ψυχὴ χωμένη σώματι, λεγομένη ὁ ἔσω ἄνθρωπος *&c. cont. Celſ. l.* 7. *pag.* 357. *Edit. Spenceri. Vide & l.* 2. *p.* 88. *lin.* 25. *ejuſdem editionis.*

† *Quæ hâc Sectione continentur, contra Tullium defenſa vide in Apolog. contra ipſum Sect.* IX. §. 26. *&* 27.

|| *Hoc aſſertum reprehendenti D. Tullio reſpondit Cl. Auctor loc. cit.* §. 28.

deduci possit. Nam de se Apostolus si locutus fuisset, verosimiliter ἐγὼ simpliciter dixisset; neque enim opus fuisset aliâ adjectione. At quia alium quempiam in sua persona hactenus descripserat, (interfertâ tantùm παρενθετικῶς sui ipsius nomine breviculâ gratiarum actione, initio hujus commatis) idcirco majoris perspicuitatis gratiâ αὐτὸς ἐγὼ, *ille ego* dicit; ut etiam hæc ultima verba non de seipso (ut immediatè præcedentia) sed de eodem illo homine in superioribus delineato intelligerentur.

§. 21. Porro hæc ultima Apostoli verba ἔμφασιν habent ad probandum illud, in quo hactenus per totum fere caput laboraverat, maximè efficacem, & pro epilogo sunt, brevissimè summam totius præcedentis sermonis repetente. Ἄρα οὖν &c. Quasi dicat: Ut igitur digressionem hanc (à v. 7. hucusque continuatam) tandem claudam, cum unus idemque ille homo, quem hactenus in propria persona depinxi, carne quidem abreptus Legi peccati serviat, mente tamen atque animi ipsius judiciô Legi Dei consentiat, ipsique velit obedire; vel hinc manifestum fit tum illud, (cui contrarium v. 7. objiciebatu) scilicet Legem in se suâque naturâ ab omni culpa liberam esse, quin & bonam, puram, ac sanctam esse, ut quod maximè; quippe cujus sanctitatem vel iidem illi, qui eam transgrediuntur, suæ ipsorum conscientiæ calculô comprobent: tum illud etiam (quod v. 5. docuimus, & ex quo hæc objiciendi ansam arripere poterant adversarii) scilicet Legem, licèt in se sanctam, esse tamen, propter carnales hominum affectus, vim ejus retundentes, ad ipsos à peccati dominio liberandos planè inefficacem; utpote quæ intellectum quidem cognitione peccati instruat, at nullas vires carni domandæ, dominioque peccati frangendo pares submministret.

§. 22. Quod addit Paræus de Juliano Pelagiano, vereor ne eô fine ab ipso dictum fuerit, ut hinc odium sententiæ nostræ apud imperitos conciliaret; quasi scilicet monstrosus esset quidam fœtus, ab insigni aliquo Hæresiarcha in lucem primùm editus: cùm tamen hanc fuisse sententiam Origenis, & Græcorum Patrum fere omnium, & ex parte Latinorum ante Augustinum, atque adeo ipsius aliquando Augustini, & ipse satis nôv. 14. rit, & alicubi in hoc ipsum caput aperte fateatur. Sed hujus Scholæ disputatoribus omnes à se, in unico licèt S. Scripturæ capitulo, diversum sentientes inter infames continuò Hæreticos censere, solenne est. Liceat interea mihi piis Grotii verbis uti: *Deo* v. 19. *laus sit, quod optimi, i e. trium priorum sæcu-lorum, Christiani hunc locum, sic ut oportet, intellexerint, dictante illo Spiritu, per quem vita ipsorum regebatur.*

§. 23. Atque in hac gratiarum actione desiisset nostra, de cap. 7. ad Romanos disputatio, nisi, præter allata jam ex ipso capite argumenta, restaret adhuc ratio altera à loco parallelo deducta, quæ (meô quidem judiciô) est omnium, quæ pro sententia adversariorum adduci possunt, speciosissima. Locum obiter tangit Paræus, sed urget ex professo Estius.* Is est ad Galat. 5. 17. Ἡ γὰρ σὰρξ ἐπιθυμεῖ κατὰ τοῦ πνεύματος, τὸ δὲ πνεῦμα κατὰ τῆς σαρκὸς, (ταῦτα δὲ ἀντίκειται ἀλλήλοις) ἵνα μὴ ἃ ἂν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε. i. e. *Caro enim concupiscit adversùs Spiritum, Spiritus verò adversùs carnem (hæc autem inter se opposita sunt) ut non, quæ velletis, eadem faciatis.* "Quæ verba, *inquit Estius*, "us, cum persimilia sint iis, quæ in cap. "7. ad Romanos leguntur: *Video aliam Le-*"*gem in membris meis, repugnantem Legi men-*"*tis meæ*; &, *non enim quod volo, hoc ago*; "&, *velle adjacet mihi, perficere autem bo-*"*num non invenio*; atque ad renatos haud du-"biè pertineant: satis profectò ostendunt, "etiam hunc locum (nempe cap. 7. ad Ro-"manos) ad personam hominis renati ac "spiritualis esse referendum, cui cum car-"ne bellum est intestinum & continuum." *In Rom. 7. v. 14.*

Resp. 1. Mira certè meritò videri debet interpretandi ratio, ex quavis verborum similitudine in loco aliquo Scripturæ, sensum alteri loco affingere, à manifesto scopo ac proposito Autoris in loco isto omnino alienum. Abunde autem evicimus, scopum Apostoli in cap. 7. ad Romanos illum esse, ut ostendat inefficacitatem Legis à gratia Evangelii sejunctæ ad vim peccati frangendam, eôque nomine miserum hominis statum sub Lege tantùm constituti. Qualiscunque igitur sensus sit loci ad Galat. 5. certum est, Apostolum in cap. 7. ad Romanos de homine per gratiam Evangelii renato nullo modô agere. Sed 2. nec similitudinem in locis istis, quam Estius sibi imaginatus est, agnoscimus. Imò si quis utrumque locum accuratè expendat, latum inter ea discrimen videbit. Conveniunt quidem in hôc, quòd in utroque lucta quædam in homine describitur; at lucta ista longè diversissima, seu *luctatores*, seu luctæ & certaminis *eventum* respicias.

§. 24. Ad *Luctatores* quod attinet, ij sunt in cap. 7. ad Romanos, appetitus sensitivus, & ratio sive intellectus, cognitione Legis imbutus, ab Apostolo dicti *Caro & interior Homo, Caro & mens, Lex membrorum & Lex mentis.* At Galat. 5. certamen est inter

inter *Carnem & Spiritum*, ſcilicet Spiritum Chriſti, ut ex v. 18. coll. Rom. 8. 14. apparet, i, e. animum hominis, luce & gratiâ Evangelii donatum. Apprimè enim obſervandum eſt, Apoſtolum in toto iſto certamine, quod deſcribit cap. 7. ad Rom. de Spiritu Chriſti ne γρῦ quidem dicere; mentem ſolummodò, & Legem mentis, & interiorem hominem carni opponens. At contrà cap. 8. ad Roman. (ubi ſtatum renatorum per gratiam Evangelii manifeſtè deſcribit) de carne & Spiritu ubique agit, & in hoc ad Galat. locô; non ampliùs vel mentem ſimpliciter, vel Legem mentis, vel interiorem hominem nominans. Quod manifeſtum eſt indicium, in ſeptimo iſto capite Apoſtolum de homine agere, cui nullum ſuppetit adversùs carnem auxilium, præterquam ratio ſive intellectus, notitiâ Legis inſtructus, quique proinde Spiritu Chriſti omnino caret.

§. 25. Ad luctæ & certaminis *Eventum* quod ſpectat, non dicit hîc Apoſtolus, hominem per gratiam Evangelii renatum, non poſſe bonum, quod velit, perficere, nedum carni, ſive Legi peccati in carne, ſive Legi membrorum captivum duci, ſive peccati mancipium eſſe; quæ omnia de homine ſub Lege conſtituto cap. 7. ad Romanos dicit. Imò, ſi verba ejus attendas, contrarium planè de renatis hîc ſtatuit. Quod manifeſtum fiet, ſi verba illa, ἵνα μὴ ἃ ἂν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε, * referantur ad membrum proximè præcedens, ſcilicet, τὸ δὲ πνεῦμα κατὰ τῆς σαρκὸς (verbis ταῦτα δὲ ἀντίκειται ἀλλήλοις, interpoſitis παρενθετικῶς) atq; ita exponantur non de bonis Spiritûs, ſed malis carnis operibus, hôc modô: Caro quidem concupiſcit adversùs Spiritum; at contrà Spiritus etiam concupiſcit adversùs carnem, atque ejuſmodi in vobis imperium exercet, ut non faciatis mala iſta, quæ alioquin per carnem facere velletis. Eſt hîc Grotii ſenſus, qui mihi certè clariſſimus videtur. Nam 1ò longè convenientius eſt, ut ultima commatis verba ad membrum ptoximè præcedens, quàm ad partem remotiorem referantur, ut cuivis vel mediocriter rem attendenti facilè liquebit. 2ò. Senſus hîc optimè quadrat ſcopo & contextui Apoſtoli. Nam v. 13. Galatas hortatus, ne Evangelii libertatem arriperent, ut datam carni occaſionem, præſcribit iis in remedium inimicæ carnis, ut Spiritu ambulent. V. 16. *Hoc autem dico, ambulate in Spiritu, & cupiditates carnis non perfeceritis*, (verba enim, καὶ ὃ μὴ τελέσητε, non eſſe imperativè reddenda, optimè oſtendit Grotius in locum.) Mox ratio ſequitur v. 17. *Caro enim concupiſcit adversùs Spiritum, Spiritus autem adversùs carnem &c. ut non quæ velletis, ea faciatis.* Quaſi dicat: etſi carnem versùs propendetis, ejuſque deſideria haud illubenter perficere velletis, ſi tamen eſtis ſub imperio & ductu Spiritûs Chriſti, fieri non poteſt ut cupiditatibus iſtis morem geratis. Dat quidem operam caro, ut in obſequium ſuum vos trahat, ſed non poteſt; nam & Spiritus etiam concupiſcit adversùs carnem, & magnus eſt ille Spiritus, & prævalebit, efficietque, ut non perficiatis iſta carnis deſideria, quæ alioquin facere velletis. Niſi ita hæc verba exponantur, concipi vix poteſt, quomodo rationem contineant hortatûs præcedentis; imò propoſitioni ratio contradiceret. Finge enim Apoſtolum ita locutum fuiſſe: *Ambulate in Spiritu, & carnis cupiditates non perfeceritis: nam Spiritus & caro ſibi invicem repugnant, ut bona quæ facere velletis, facere non valeatis.* Quàm hæc incongrua & ſibi repugnans oratio! Nam illud certè, quod caro ita Spiritum vincat, ut impediat nos ab iis, quæ Spiritus dictat, perficiendis, tantum abeſt, ut idonea ſit ratio, cur in Spiritu quis ambulet, ut contrarium planè ſuadeat. Quid enim attinet in Spiritu ambulare, ſi Spiritus ille adversùs tyrannidem & dominium carnis nihil valeat? At ſecundùm Grotii interpretationem, contextus Apoſtoli, ut vidimus, clarus eſt & conſpicuus, & ſibi optimè conſentiens.

* *Sunt qui verba iſta referunt ad utrumque membrum præcedens, quibus haud magnopere repugno. Vid.* Crel. *in loc. &* Hamond.

§. 26. Si quis tamen contra rationes tam manifeſtas contendere velit, clauſulam illam, ἵνα μὴ ἃ ἂν θέλητε, ταῦτα ποιῆτε, ſignificare ejuſmodi in Spiritum carnis victoriam, quâ per carnem quis bona, quæ Spiritus dictat, præſtare non poſſit; ei neceſſe erit ſtatuere, Apoſtolum ad Galatas hîc loqui non ut ſalutiferâ nativitate donatos, ſed, licèt cognitione Evangelii illuminatos, & Spiritu Chriſti quadantenus affectos, ſub carnis tamen dominio adhuc manentes, & cum Lege quàm Evangelio plus commercii habentes. De verè enim renatis apertè dicit hôc ipsô capite Apoſtolus: *Si Spiritu ambuletis*, (quod faciunt omnes renati *Rom.* 8. 1.) *opera carnis non perfeceritis v.* 16. *Si Spiritu ducimini* (quod de renatis etiam omnibus affirmat Apoſtolus *Rom.* 8. 14.) *non eſtis ſub Lege v.* 18. i. e. ut jam majores annis facti, non opus habetis Lege. adoleſcentiæ cuſtode. Confer verſ. 23. Sed apertiſſimè loquitur verſ. 24. *Qui Chriſti ſunt, carnem crucifixerunt cum affectibus & cupiditatibus.* Saltem hæ ſententiæ manifeſtè oſtendunt, Apoſtolum in cap. 7. ad Roman. de verè per Evangelium renatis non agere. Qui enim in Spiritu ita ambulant, ut carnis cupiditates non perficiant, qui Spiritu ducuntur, deniq; qui carnem crucifixerunt cum omnibus, quomodo illi dici poſſunt carnales,

nales, peccati mancipia, Legi peccati in membris captivi, Legi peccati servire, quæ omnia de homine in cap. 7. ad Rom. descriptô disertè affirmantur? Ut locus hic ad Galat. adversariorum de capite controverso sententiam (quòcunq; se verterint) manifestè destruat.

§. 27. Atque hæc de sensu cap. 7. ad Roman. in quo eò diutiùs immorati sumus, tum quod ibidem argumentum Apostoli ab infirmitate Legis ex professo tractetur; tum quod contrariâ interpretatione admissâ, causa, quam agimus, manifestè corruat. Si enim inefficax ista boni velleitas, quæ sola homini in capite isto repræsentato tribuitur, totum illud sit, quod gratia Christi in nobis efficiat; tum certè de honore & eximia illa Evangelii præstantia, de bonorum operum sanctæq; vitæ necessitate actum omnino est: velle bene vivere sat erit, re ipsâ bene vivere non erit necesse.

CAP. X.

Argumentum Apostoli ab infirmitate Legis distinctiùs explicatur. Lex duplici auxiliô caruit, sc. promissô vitæ æternæ, ac donô Spiritûs Sancti. Quantus fuerit prior ille defectus. Loca nonnulla proferuntur eò spectantia. Dubia quatuor in istâ materiâ solvuntur.

§. 1. ARgumentum Apostoli ab infirmitate Legis generatim exposuimus. At verò quia in hôc cardine ratiocinatio Pauli contra Justificationem ex Lege penè tota vertitur; idcirco operæ erit pretium, rem hanc paulò enucleatiùs exponere.

§. 2. Observandum est igitur, Legem veterem duplicis gratiæ auxiliaris defectu laborasse, externæ sc. atque internæ. Per externam gratiam intelligo promissum vitæ æternæ; per internam verò donum Spiritûs Sancti: quibus utrisque caruit fœdus Mosaicum.

§. 3. Quod ad prius illud attinet, non exiguum erat impotentiæ Legis indicium, quòd promissiones ejus & comminationes, in quibus vis Legis cujuscunque sita est, non erant nisi temporales ac terrenæ. Has enim facilè contemnere ac posthabere possunt homines affectibus suis, adeo ut ipsis indulgere malint, quàm tali spe aut metu adduci, ut ab iis complendis sibi caveant. Virtus quidem res est suâ pulchritudine amabilis, sed ardua tamen, nec sine labore improbo ac studiô pertinaci acquirenda. Torpescit autem labor, flaccescit studium, quod spe majoris præmii non refocillatur. At studio virtutis haud sufficit præmium, quod vitæ hujus cancellis circumscribitur. Nam vita brevis est, ars hæc (si qua alia) bene vivendi longa. Perit magna vitæ pars, antequam revera vivere didicimus. Quod si non esset, mortua tamen est spes illa, quæ morte finitur: frigidum solatium, quod mors gelida brevi occupatura est: denique inquieta quies, quam subinde amara lethi indies propiùs absentis recordatio interturbat. Verbô dicam: non multùm movebunt veri æstimatoris animum bona illa, quæ non sine labore parta, nec sine cura custodita, nec sine tædio fruenda, tandem derepente diffluunt, ac fugiunt possessorem, morti ipsum relinquentia; quæ eò acerbior esse solet, quò vita, quam morte commutamus, fuit suavior. Non potuit igitur Lex Mosis, quæ nihil ultra hanc vitam boni promiserit, studium virtutis sincerum, ardens, constans, indefessum in hominibus efficere. *

§. 4. Sed est aliquid præterea. Lex Mosis eô ipsô quòd promissa & minas tantùm temporales continebat, ad ingenerandum hominibus genium atq; ingenium humile ac sordidum atque à vera ac genuina pietate planè alienum apta nata erat. † Præcipuæ

* *Adversus hæc vehementer invectum Adversarium fortiter repulit doctissimus Auctor in Examine Censuræ Respons. ad Animadvers.* XXI.

† *Hæc verba ab acri censura* Gatakeri, *nec non à corruptela D.* Tullii *vindicavit Cl. Auctor in Examine Censuræ Respons. ad Animadv.* XXII. *& in Apologiâ contra* Tullium *Sect.* VIII. §. 7.

pietatis partes hæ ſunt: abnegatio noſtri, crucis tolerantia, aſſidua oratio, futuræ vitæ meditatio, uſus bonorum vitæ hujus ſobrius ac moderatus. Quî autem fieri poterat, ut hujuſmodi pietatem efficeret in hominibus Lex iſta, quæ ad terrena tantùm commoda ac mundanas delicias mentem atque animum ipſorum alligaverit? Quî animum ad Deum ſemper elevare, preces ad ipſum aſſiduas fundere poteſt, qui felicitatem in terris repoſitam habet? Ejus certè animus terræ affigitur, qui quicquid habet expetendum, illic putat collocatum. Ubi theſaurus noſter, ibi cor noſtrum eſſe teſtatur ipſa Veritas. Non poteſt autem ad Deum ſeſe erigere animus, quin ſe ſimul à terris abſtrahat, atque in cœlum elevet. Deinde quî temperantiam & eximiam quandam animi ac corporis puritatem ſectari poterat, qui virtutis ſuæ mercedem in bonorum corpori ſervientium perfruitione collocabat? Quorſum enim ultra neceſſitatem promittebatur bonorum caducorum abundantia, ſi ad voluptatem iis non licebat uti? Præterea quâ ratione avaritiæ penitus valedicere poteſt, qui in opibus, omniq; bonorum affluentiâ laborum ſuorum fructum ponit? Poſtremò, quî fieri poteſt, ut crucem æquô animô toleret, qui ſpe malorum triſtium evitandorum ad virtutem adductus eſt?

§. 5. Hinc certè fit, ut ſi præceptorum Moſaicorum rationem ad iſta tempora accommodatam conſideres, animadvertas eam iſti pietatis præmio apprimè fuiſſe conſentaneam: præcepta promiſſis mirè quadrabant. Etſi enim Deus etiam perfectiorem illam pietatem populo ſuo in Lege non paucis indiciis ſignificârit; quam tamen legibus latis pœnâque ſancitis exigebat, religio erat rudis admodùm, tenuis, puſilla, anguſta. Quàm multa illis permiſſa, quæ nobis Chriſtianis vel omnino non liceant, vel parùm conveniant? Quot eximia pietatis officia, quæ in Lege vel leviter tantùm perſtricta, vel obſcuriùs ſignificata, vel omnino præterita? Quod adeo verum eſt, ut precatio ipſa, primarium pietatis officium, in quod nobis Chriſtianis aſſiduè incumbendum eſt, nuſpiam in Lege univerſaliter i.e. toti populo atque omni tempore præſcripta legatur. Sacerdoti quidem ſummo diſertè præſcribitur, ut pro populo toto oraret, & oratione certâ populo benediceret, uti manifeſtum eſt ex Numer. cap. 6. verſ. ultimis. Imò & populo, conſummatâ decimatione, precandi formula præſcribitur, Deut. 26. 12, 13, 14, 15. Ut in manifeſto fuiſſe errore videatur doctiſſimus Epiſcopius, cùm dicat, nuſpiam & nunquam in Lege precationem populo præſcriptam legi. Illud tamen veriſſimum eſſe credo, præceptum de precatione expreſſum atque univerſale, h.e. quod ad omnes omni occaſione pertineat, in Lege Moſaica nullum dari. Ideoque Rabbini inter 613. præcepta clarum atque expreſſum hujuſmodi, de precando & invocando Deum, præceptum nullum allegant, * ut ab eodem Epiſcopio obſervatum eſt; ſed ex generali iſto verbo עבד i.e. *colere*, vel *ſervire Exod.* 23. 25. illud extundunt, ad Cabalam ſuam & oralem Legem hîc confugientes. Sed illud obiter. *Inſtitut. Theol. l. 3. Sect. 3. c. 1. p. 61.*

§. 6. Hunc autem Legis Moſaicæ defectum, quod ſcilicet nullum habeat futuræ vitæ promiſſum, non uno in loco perſtringit Apoſtolus. Atque hûc quidem nonnulli referunt textum priùs laudatum Rom. 8. 3. ubi dicit Apoſtolus, impoſſible fuiſſe Legi, liberare homines à peccati dominio, *eò quod infirmabatur per carnem* i.e. inquiunt illi, quod non niſi promiſſa carnalia continebat. Sed quia in poſteriori ejuſdem commatis clauſula, huic oppoſitâ (ubi Chriſtus dicitur id præſtitiſſe, quod Lex non potuit, interfeciſſe ſcilicet peccatum in carne) vox σὰρξ alio ſenſu, i.e. uſitato, manifeſtè ſumitur; ideo communis interpretatio videtur mihi potiùs eligenda. Magis appoſitus eſt locus ille capitis præcedentis v. 5. ubi Lex Moſis appellatur σὰρξ i.e. *caro*. Nam verba illa, ὅτε ἦμεν ἐν σαρκὶ, exponenda eſſe, *cum eſſemus ſub Lege*, manifeſtum eſt ex antitheſi, quam habent ad v. 6. nec non ex ſcopo Apoſtoli in toto capite, nempe, deſcribere ſtatum hominis ſub Lege poſiti. Lex autem Moſaica *caro* videtur dici, non tantùm quia pleraque ejus præcepta carnalia tantùm erant atque externa; verùm etiam, quia promiſſa, quibus Lex iſta ſancita erat, non ultra vitam hanc carnalem ſpectabant. In eundem ſenſum exponit Grotius verba Apoſtoli 2 Cor. 3. ubi de novi fœderis ſupra vetus præſtantiâ ex profeſſo agens, veterem Legem appellat διακονίαν τῦ θανάτυ, *miniſterium mortis* v. 7. quia ſcilicet omnia ejus promiſſa morte terminabantur ſine ulla ſpe reſtitutionis. Sic v. 6. dicitur Lex Moſis ἀποκτείνειν *occidere*; nempe, ut notat idem Grotius, ſicut Hebræis החיה *vivificare* dicitur de eo, qui aliquem non interfecit; (ut Exod. 1. 17. Jud. 8. 19.) ſic

* *Vide inſigne teſtimonium ex Coſroes libro perantiquo productum ab Arnold. Poleub. in Præf. ad operum Epiſcopii Theol. partem alteram.*

sic *interficere* dicitur, qui hominem morti relinquit, nec ab ea liberat. Sed, ut verum fatear, crediderim phrases istas διακονία θανάτε & ἀποκτείνειν aliud quippiam significare: nempe Legem Mosis scriptam, si sola sit ac Spiritu destituta, occidere, h. e. eos, quibus data est, iræ divinæ mortique æternæ reddere obnoxios; non suô quidem vitiô, sed ob carnis infirmitatem. Quem sensum manifestè comprobant, quæ Apostolus alibi de Lege dicit, scilicet Rom. 7. v. 8, 9, 10, 11. & cap. 4. v. 15. Clariora videntur Apostoli verba Gal. 3. 12. *Lex non est ex fide, sed qui fecerit ea, in iis vivet*: h. e. Lex neque fidem postulat, neque ea promittit, quæ fidem propriè dictam (quæ est ἔλεγχος ὧν βλεπομένων Heb. 11. 1. confer & Rom. 8. 24.) postulant; quippe ejusmodi tantùm promittit bona, quæ in ipsum sensum incurrunt, & ad vitam hanc aspectabilem pertinent: de futura vita ne γεὺ quidem dicit, nullis vitæ hujusmodi promissis ad pietatem nos extimulat; sed postulat, ut præcepta ejus faciamus, non additô talis promissi incitamentô: tantùm dicens, *vives*, h. e. vitam ages hîc fœlicem ac prosperam, ut ex Lev. 18. 5. apparet. Sed apertissimus est locus ille ejudem capitis v. 21. Ἐι γὰρ ἐδόθη νόμος ὁ δυνάμενος ζωοποιῆσαι &c. *Si data esset Lex, quæ posset vitam dare, revera ex Lege esset justitia.* Dicitur Lex id dare vel facere, quod promittit. Sensus ergo est: Si Lex habuisset promissa vitæ, nempe æternæ, tunc etiam homines per Legem, veram ac spiritualem justitiam, vel veram ac perfectam Justificationem, hoc est, cum vitæ æternæ donatione conjunctam, assequi potuissent. At longè aliter se res habet: Lex promissa tantùm continet ad hanc vitam spectantia; adeoque neque ad veram pietatem homines adducere, nec perfectâ Justificatione ipsos donare potis est.*

§. 7. His ex Paulo allatis concinunt, quæ à divino Auctore (quisquis ille fuerit) Epistolæ ad Hebræos de hoc ipso argumento dicta sunt. Illustris est locus, Heb. 7. 19. Οὐδὲν γὰρ ἐτελείωσεν ὁ νόμος, ἐπεισαγωγὴ δὲ κρείττονος ἐλπίδος, δι' ἧς ἐγγίζομεν τῷ Θεῷ. Singula fere verba hîc expendenda sunt: Vox τελειῶν, ut sæpiùs diximus, notat *expiationem*, eamq; perfectissimam, omnium peccatorum, etiam gravissimorum; & pœnarum non modò temporalium, sed etiam æternarum. Οὐδὲν, ut superiùs etiam notavimus, ponitur pro οὐδένα, neutrum pro masculino. Ἐπεισαγωγὴ κρείττονος ἐλπίδος quid sit, dubitatur. Nonnulli enim referunt hæc verba ad ipsam Legem, hôc modô: *Nihil enim perfecit Lex, sed fuit introductio spei melioris*; i. e. inquiunt, ad rem longè meliorem, sc. Christum. Sed primò, hæc interpretatio antithesin tollit inter Legem & Evangelium, quæ hîc manifesta est. Deinde præpositio ἐπὶ in ἐπεισαγωγὴ significat posterius aliquid, ut in ἐπιδιατάσσεται, Gal. 3. 15. Malè igitur ab iis vertitur ἐπεισαγωγὴ *introductio*, cùm significet, *superintroductio* sive *post-introductio*. Post-introductio autem spei melioris ponitur pro *Spes melior pòst introducta*; ut manifestè hîc designetur Evangelium, in quo melior illa spes revelatur. Repetendum autem est hîc vox ἐτελείωσεν è superioribus. Postremò ἐγγίζειν, ut à Grotio notatum est, propriè est vox Sacerdotalis, Ezekiel 4. 13. & 43. 19. Significat autem hic ἐγγίζειν τῷ Θεῷ, per fidem, pœnitentiam, novæq; vitæ susceptionem ad Deum accedere, ipsique in Hostiam vivam, sanctam placentemque nos ipsos quasi offerre. Vide Jac. 4. 8. Soph. 3. 2. Innuunt autem manifestè hæc postrema verba causam ac rationem, cur spes ista ab Evangelio introducta, & melior sit, & ad perfectam expiationem nos adducat: quod scilicet appropinquare nos faciat Deo, favorem ejus precibus ambiendo, toto corde ipsi serviendo, ipsiusque mandatis in omnibus obtemperando. Cùm autem hôc modô Deo appropinquamus, Deus in vicem nobis appropinquat, h. e. arctissimô amoris vinculô nos complectitur, peccata omnia nobis per Sacrificium Filii sui plenissimè ac perfectissimè condonat, vitâque nos donat æternâ. *Si enim Deo appropinquamus, appropinquabit ipse nobis*, Jac. 4. 8. Lex autem, quia hâc meliori spe caruit, non potuit ad Deum eô modô nos adducere, ideoque nec perfectæ expiationis participes reddere. Hanc autem rem disertiùs adhuc exponit idem Auctor cap. 8. quando Fœdus novum i. e. Evangelium, quô spes melior introducta est, præstantius Fœdus vocat, quàm Fœdus legale, quia præstantioribus promissis sancitum est v. 6. Plura loca his non absimilia proferre non esset admodum difficile; sed prudenti Lectori hæc sufficiant. Dubia jam nonnulla ac ζητήματα hâc de re, solutu non indigna, proponemus ac discutiemus.

Vide Jac. Capel. in Locum.

§. 8. Primò quæritur, an in V. Testamento nullum omnino extet vitæ æternæ promissum? De eo enim à nonnullis dubitatur. Resp. Huic quæstioni optimè mihi videtur

* *Confer de hoc Apostoli loco Examen Censuræ, Respons. ad Animadv.* XIX. §. 6.

detur reſpondere Auguſtinus *, diſtinguens nomen Veteris Teſtamenti: nam eô intelligi ait aut pactum illud, quod in monte Sinai factum eſt, aut omnia quæ in Moſe, Hagiographis, ac Prophetis continentur. Si vetus Teſtamentum poſteriori ſenſu accipiatur, concedi forſitan poſſit, eſſe in eo nonnulla futuræ vitæ non obſcura indicia; præſertim in libro Pſalmorum, Daniele & Ezekiele: quanquam vel in his libris clarum ac diſertum æternæ vitæ promiſſum vix ac ne vix quidem reperias. Sed hæc, qualiacunque erant, non erant niſi præludia & anticipationes gratiæ Evangelicæ; ad Legem non pertinebant. Lex enim quatenus ab Apoſtolo in ſuis cum Judæis diſputationibus conſideratur, propriè deſignat pactum in Sinai factum. Vide Gal. 4. v. 24. Illud autem promiſſa habuit terrena, & terrena tantùm, ut videre eſt Exod. 23. 25, 26. Lev. 26. 3. & Deut. 7. 12, 13. & 18. 2. &c. Si quis contrà ſentiat, ejus eſt locum dare, ubi æternæ vitæ promiſſio extat: quod certè impoſſibile eſt. Verum eſt quidem, terrena illa promiſſa, data Legi operum, ſigna fuiſſe eorum bonorum, quæ Legem Spiritûs ſequebantur, atque hæc ſub illis Dei ipſius intentione fuiſſe comprehenſa. Verum eſt etiam, extare quædam in ipſa Lege promiſſa generalia ſeu generalibus terminis facta, in quibus vitam æternam non tantùm contineri poſſe, ſed & intentione divinâ contentam fuiſſe manifeſtum eſt: cujuſmodi ſunt, *Ego ero Deus tuus, & ego benedicam vobis, &c.* Hiſce enim promiſſis ſic generatim conceptis atque enuntiatis contineri poſſe quælibet bona, etiam ea, quæ non niſi poſt mortem eveniunt, quis dubitat? Deum enim velle Deum alicujus eſſe, quid aliud eſt, quàm Deum velle divinâ benevolentiâ aliquem complecti? Divina autem benevolentia, ſive quæ Deô digna eſt, quid eſt aliud, quàm benevolentia ſumma, & quâ major ulteriorque dari non poteſt; proinde benevolentia duratione longiſſima i. e. æterna; effectu potentiſſima, proinde à morte atque interitu liberans? Sub his autem verbis Dei intentione comprehenſam fuiſſe vitam æternam, ex interpretatione ipſius Chriſti ejuſque Apoſtolorum manifeſtum eſt. Vide Mat. 22. 31, 32. Heb. 11. 16. 2 Cor. 6. v. 16, 17, 18. coll. cap. 7. v. 1. Apoc. 21. 3, 7. Verùm hæc non ſufficiunt, ut dicamus, vitam æternam in Fœdere Moſaico promiſſam fuiſſe. Nam primò, promiſſa, præſertim Fœderi annexa, debent eſſe clara ac diſerta, & ejuſmodi, ut ab utraque parte ſtipulante intelligi poſſint. Promiſſa autem hæc typica & generalia, non additâ aliunde interpretatione, penè impoſſibile erat, ut quis iſto ſenſu intelligeret. De typis conſtat. Ad generalia promiſſa quod attinet, cùm generalia omnia obſcuriora ſint, imprimis quando ſunt permixta innumeris penè ſpecialibus promiſſis, per quæ ad certam quandam bonorum ſpeciem reſtringi videntur, ut hîc ſe res habet; fieri vix potuit, ut quis generalia iſta promiſſa aliter quàm ut cumulum bonorum ſpecialium continentia intelligeret, aut ultra vitæ hujus ſpatium extenderet. Deindè vitæ hæc æterna typis adumbrata, ac promiſſis generalibus comprehenſa non data fuit (ut modò innuimus) externæ iſti juſtitiæ in litera Legis exactæ; ſed ſpirituali illi puritati ac pietati, cujus altera iſta externa tantùm umbra fuit. Sicuti enim ſub corticè bonorum temporalium latuerunt bona æterna; ita etiam religio corporalis in Lege præſcripta, umbra fuit & typus ſpiritualis juſtitiæ in Evangelio clariùs revelandæ. Verbô dicam: Lex carnaliter & ſecundùm literam ſpectata nec ſpiritualem juſtitiam exegit, nec vitam æternam promiſit: ſpiritualiter verò conſiderata erat ipſiſſimum Evangelium; nec de ea hôc modô ſumptâ, controverſiam hîc ullam movet Apoſtolus.

§. 9. 2°. An igitur, inquies, fuerunt ſub Lege, qui vitam æternam ſperarent? Reſp. Qui meliores erant & perſpicaciores in populo Judaico, veroſimile eſt eos ſeu generalium promiſſionum vi, ſeu temporalium bonorum levi æſtimatione, ſeu divinæ bonitatis intuitu, ſeu animæ ſuæ, melioris quàm caduci boni appetentis, conſideratione, ſeu Enochi exemplo (cui ſequiori ævo acceſſit Eliæ raptus) ſeu Patriarcharum traditione, (quibus Deus multis indiciis ſpem futurorum bonorum fecerat, in quorum indiciorum genere non minimum erat & illud, quod multi eximiè boni terreſtris felicitatis expertes vixerint, quod argumentum latè exequitur Scriptor ad Hebræos cap. 11.) ſeu aliis rationibus adductos credidiſſe, Deum, præter ſpecialia iſta bona ad hanc vitam pertinentia, & Legibus Moſaicis comprehenſa, etiam alia poſt mortem cultoribus ſuis fidis largiri velle. Imò ſtatuendum illud omnino eſt, ne viros ſanctos eximioſque in populo Dei ſuûm inſtar tum vixiſſe, tum devixiſſe credatur. Nec refert, quòd hujus fidei vix ac ne vix quidem ulla in Canonicis V. T. Scripturis mentio fiat. Nam certum eſt, Abrahamum filium promiſſionis, mactare juſſum non recuſâſſe, hâc ratiocinatione ſuſtentatum, Deum

Vide Epiſc. ſcop. ſupra.

Annot. Matth. XV. 20.

Ibidem.

* *Locum ac verba ipſa S. Auguſtini vide in Examine Cenſuræ, Reſpons. ad Animadv.* XXI. §. 5.

um potentiâ tantâ præditum esse, ut filium jam mortuum in vitam revocare, eumque ei redivivum restituere posset. Certum, inquam, illud est, quia divinus Autor Epistolæ ad Hebræos id disertè testatur, cap. 11. 19. Hujus tamen verè admirandæ fidei, atque Evangelicæ suppâris, in historia Abrahami nec volam, nec vestigium reperias.

§. 10. Præterea floruerunt singulis sæculis in populo Judaico Viri Dei ac Prophetæ cælitus edocti, quos, inter tot arcana ipsis patefacta, mysticum hunc Legis sensum penitus ignorâsse, nihilque de futura vita intellexisse, nemo prudens suspicabitur. Cùm autem nefas sit vel cogitasse, Viros optimos sapientiam, quâ ipsi pollebant, aliis invidisse, credendum omnino est, eos, sicubi idoneos invenerint Auditores, evolvisse iis obtecta in Lege mysteria, singulisque tantum aperuisse, quantum captus ipsorum & utilitatis ratio ferebat. In publicis autem concionibus Prophetæ ac Sapientes ita loquebantur, ut nec in contemptum adducerent arcana sanctioris disciplinæ, & tamen Auditorem attentum ad investigandi sollicitudinem excitarent. Atque hinc natum arbitratur maximus Grotius discrimen antiquitus inter Judæos celebratum, scriptæ Legis, & Legis oralis, quam & קבלה i. e. παράδοσιν seu *Traditionem* vocant; utramque dicentes à Mose profectam: non quòd res aliæ fuerint in traditione quàm in Lege scriptâ; sed quod ea quæ in Lege scriptâ occultiùs continebantur, studiosis indagatoribus enodaret accuratior interpretatio.

Annot. Matth. XV. 20.

§. 11. Atque hæc quidem docendi ratio apud populum crassior, limatior apud τὰς προκόψαντας, obtinuisse videtur (ut notavit idem Vir incomparabilis) usque ad ea tempora, quæ Babylonicum exilium sunt secuta. Tum verò primus omnium Daniel de resurrectione egit apertiùs; quem secutus est & Ezekiel. Hinc incipiunt Sapientes, quos חכמים vocant, qui humanitus, non divinitus instructi, Prophetis, sed impari authoritate, successerunt. Hi verò ex Daniele doctrinam resurrectionis vitæque futuræ propalàm, & apud universam Judæorum multitudinem promulgârunt; donec tandem circa Macchabaica tempora ea doctrina pridem è latebris educta, inter popularis religionis principia, ipsosque fidei Judaicæ Articulos locum obtinuerit, ut ex eorum temporum Annalibus manifestum est. Vide 2 Mac. 7. v. 9, 23, 26. coll. Heb. 11. 35.

Ibidem.

§. 12. Si causam quæris, cur ab exilio primùm Babylonico doctrina hæc arcanis Judæorum eruta, in apricum prolata fuerit, rationem satis ingeniosam atque accommodam reddit Grotius. Nempe grave tum periculum imminebat, ne gens Judaica solita ea tantùm audire, quæ in sensum caderent, ablatô Imperii sui splendore, gemens sub externo dominatu, damni, cruciatûs, mortis denique metu sollicita, à veri Dei cultu deficeret; adeoque planè necessarium erat, ut populus adversùs tentamenta præmuniretur: quod fieri satis non poterat, nisi palàm Dei causâ morientibus propositâ spe vitæ melioris. Nec fructu suo caruit ea doctrina. Hâc enim κρείττονος ἀναστάσεως spe animati Macchabaicis temporibus quamplurimi, pro Legis studiô exquisitissimas mortes pertulerunt, ut Macchabæorum Historia nos docet, & à Scriptore Epistolæ ad Hebræos locô modò laudatô annotatum est. Huic & altera addi possit ratio non contemnenda, quòd scilicet Evangelii tempora tum appropinquabant. Hanc autem οἰκονομίαν & hunc ordinem in dispensando misericordiæ suæ fœdere tenuit Dominus, ut quò propiùs temporis progressu ad plenam exhibitionem accedebatur, eò majoribus illud revelationis incrementis illustraret, majorque indies lucis amplitudo se exereret, donec tandem, nubibus omnibus discussis, Sol justitiæ Christus universum terrarum orbem ad plenum illuminavit. Quam rationem etiam Grotius ipse alibi expressit: *Ubi suprà.*

" Cùm jam, *inquit*, appeteret tempus me- *Discuss.*
" lioris fœderis, voluit Deus per Prophe- *p.* 14.
" tas & Sapientes venturo Soli auroram
" quandam præmittere præviam. " Quò iterum respexit, cùm omne tempus post reditum ex Babylone aptissimâ certè appellatione *vestibulum Evangelii* nuncupavit. *In Annot. ad Eph.* 2. *v.* 12.

§. 13. 3ò. Ex solutione prioris nova oritur quæstio: quô scilicet sensu Christus *vitam atque immortalitatem in lucem produxisse* dicatur, 2. Tim. 1. 10. cùm ex antedictis pateat, doctrinam futuræ vitæ inter Judæos multis ante Christum annis communiter receptam fuisse? Resp. 1. Textus hic forsitan intelligi possit de gentibus Evangeliô illuminatis, quas priùs fuisse τὰς ἐπαγγελίας ἐλπίδα μὴ ἔχοντας, καὶ ἀθέους ἐν τῷ κόσμῳ disertè testatur Apostolus Eph. 2. v. 12. Atque in hunc sensum manifestè inclinant verba immediatè sequentia v. 11. εἰς ὃ ἐτέθην ἐγὼ κήρυξ καὶ ἀπόστολος καὶ διδάσκαλος (N. B.) ἐθνῶν. Dices: At fuerunt inter ipsas gentes, qui de vita post hujus conspicuæ vitæ interitum spem habebant aliquam. Fateor: quin & Gentes fere omnes moratiores, ipsasque adeo barbaras opinio quædam de immortalitate animarum ac veluti fama pervaserat. Interim: 1. Non pauci ex ipsis Philosophis aliter *Vide Grotium in Annot. ad l.* 1. *de ver. Rel. Christ. p.* 38, 39.

ter ſenſerunt. Epicurus & ejus de grege porci qui erant, futuram vitam planè deridebant. Imò & Ariſtoteles ipſe de animæ immortalitate vel nihil omnino, vel obſcurè ſaltem ſcripſit. 2. Qui huic dogmati vel imprimis favere videbantur, multùm de eo hæſitarunt, illudque opinati ſunt potiùs quàm crediderunt. Teſtimonia hâc de re appoſitiſſima videre eſt apud Grotium in Annot. ad lib. 2. de ver. Rel. Chriſt. p. 54. 3. In re ipsâ explicandâ variæ erant ac diſcrepantes eorum ſententiæ. Stoici animas putabant manere, ſed non ultrà quàm ad tempus ἐκπυρώσεως. Pythagorici μετεμψύχωσιν propugnârunt, de qua Poeta quidam:

Morte carent animæ, ſemperque priore relictâ
Sede, novis domibus vivunt, &c.

Et

——Muta ferarum
Cogit vincla pati, truculentos ingerit urſis,
Prædoneſque lupis, fallaces vulpibus addit.
Atque ubi per varios annos per mille figuras
Egit, lethæo purgatos flumine tandem
Rurſus ad humanæ revocat primordia formæ.

Platonici demum (diviniſſima Philoſophorum ſecta) veluti rotationem quandam ſtatuerunt, animaſque hominum perpetuis vicibus nunc beatas, nunc verò miſeras fieri. Ut verè de Philoſophis generatim Juſtinus Martyr in colloquio cum Tryphone: Οὐδὲν οὖν ἴσασι περὶ τούτων οἱ φιλόσοφοι, οὐδὲ γὰρ ὅ τί ποτέ ἐστι ψυχὴ, ἔχουσιν εἰπεῖν. i.e. *Nihil horum nôrunt Philoſophi: neque quid ſit anima, valent dicere.* 4. Denique qui inter gentes de vita futura nonnihil locuti ſunt, uni tantùm hominis parti, animæ ſcilicet, eam reſtringebant; de corporis reſurrectione ne ſomniantes quidem. Unde legimus, Paulum Apoſtolum, Athenis de reſurrectione diſputantem, à Philoſophis, tanquam rem abſurdam narrantem, ſannis ac ludibriis exceptum fuiſſe. Act. 17. 18, 32.

P. 222. Edit. Morell. Pariſ. 1636.

§. 14. 2. Interim tamen verba citati textûs ipſis etiam Judæis jure aptari poſſe manifeſtum eſt. Huic enim doctrinæ, quà ab ipſis cognita erat, lucem attulit Chriſtus triplicem. 1ò Lucem peremptoriæ deciſionis. Nimirum ſicuti inter Gentium Philoſophos immortalitatem animarum alii aſſerebant, alii negabant; ita etiam apud Judæos dogma tanti ad pietatem momenti erat τὸ ἀμφισβητούμενον. Aiebant Phariſæi, ſed negabant Sadducæi; quippe nihil recipientes, niſi quod totidem verbis in ſacris Scripturis expreſſum reperirent: Phariſæis contrà ferme nihil afferentibus, quô probarent quod contenderent, præter Cabalæ ſeu traditionis authoritatem. Poterant quidem Phariſæi locum Danielis adducere, neque ejus authoritatem aſpernari auſi fuiſſent Sadducæi; (illos enim præter Pentateuchum cæteros omnes Prophetas repudiâſſe, ſpiſſum eſſe errorem ex Joſephi Hiſtorici verbis malè intellectis natum, liquidò, meâ quidem ſententiâ, demonſtravit magnum illud literarum lumen, Joſephus Scaliger.) Sed locus unicus, iſque talis, qui ſub luxuriantis prophetici ſtyli prætextu facilè eludi poterat, & de liberatione tantùm ex Babylonica captivitate intelligi, argumentum erat pertinacis Sophiſtæ ori occludendo haud ſufficiens. Inter diverſæ igitur Scholæ certamina fluctuantibus multorum animis, doctrinam de reſurrectione & futuro ſeculo tradebat Chriſtus, Prophetarum Princeps, verbis diſertiſſimis, idque Dei nomine, eamque tanquam rem certam miniméque dubiam publicè omnibus annuntiabat.

Conſule Grot. in locum.

§. 15. 2ò. Addidit etiam huic doctrinæ Chriſtus lucem claræ ac dilucidæ explicationis. Quippe naturam futuræ vitæ etiam ipſi Judæorum Magiſtri in pleriſque turpiter ignorârunt. Cujus rei teſtis eſt locupletiſſimus Maimonides ipſe, qui in explicatione capitis 10. tractatûs Sanhedrim initiô ſic (vertente Pocockio noſtro) loquitur: *Scias eorum, qui Legem amplectuntur, ſententias de beatitudine quam aſſecuturus eſt homo mandata iſta, quæ præcepit nobis Deus per manus Moſis Doctoris noſtri, præſtando, & de miſeria, quæ nos ob earum tranſgreſſionem conſequetur, pro diverſitate intellectuum valde diſcrepare; quin & multùm in hac materia confundi intellectus, adeo ut vix reperias quempiam cui hoc argumentum liquidò innotuerit: imò haudquaquam reperies de eo ſermonem ab aliquo liberiùs inſtitutum, qui non ſit admodum confuſus.* Ut quòd de ſequioris ævi Rabbinis, qui poſt Maimonidem vixerunt, pronuntiat eruditiſſimus Pocockius, de iis etiam, qui ipſum longè anteceſſerunt, haud minùs verè dici poſſit: quod ſcilicet *haud aliud fere reperias, de quo pluribus eorum inter ſe conveniſſe aſſeras, quàm credendum & expectandum eſſe aliquid, quod reſurrectio audiat, de re ipſa ſingulis fere diverſa aſſerentibus, &c.* De impiorum exitu res erat, ut & hodie eſt, planè incerta: alii reſurrecturos credebant, aliis contradicentibus. Quod ad piorum felicitatem attinet, credebant multi eam fore diuturnam quidem, at non æternam. Deinde felicitatem illam craſſam, terrenam, atque ex bonorum corpori ſervientium affluentiâ conflatam ſomniârunt. Quemadmodum enim nunc dierum Thalmudiſtæ epulas

Vid. Grot. in Mat. 5. 20.

Not. M. cel. com. p. 87, 88.

epulas sibi fingunt, in quibus Behemothum & Leviathanem & Bariuchne, bovem, piscem, avem sint esitaturi; (de qua fabula vide Buxtorfium cum Judæis bellè ludentem) ita Christi quoque tempore Judæi vitam quidem post hanc felicem, sed huic nostræ similem, animô conceperant. Unde Josephus Essenorum sententiam (sectæ inter Judæos πνευματικωτάτης) exprimens de futuri sæculi felicitate, iisdem fere verbis utitur, quæ olim apud Græcos de fortunatis insulis canebantur. Nam bonis dari ait τὸ ὑπὲρ ὠκεανὸν δίαιταν καὶ χῶρον, ὅτε ὄμβροις, ὅτε νιφετοῖς, ὅτε καύμασι βαρυνόμενον, ἀλλὰ ὃν ἐξ ὠκεανοῦ πρᾶὺς ἀεὶ ζέφυρος ἐπιπνέων ἀναψύχει. Hinc nata erat captiosa ista Sadducæorum interrogatio Christo proposita, de muliere, quæ septem fratres successivè maritos habuit, cuinam istorum post resurrectionem denuo reddenda esset, Mat. 22. 28. Nimirum Sadducæi, Pharisæorum Antagonistæ, à Christo credebant doceri resurrectionem ex iisdem hypothesibus, quibus nitebantur Pharisæi. Ii autem inter alias corporis voluptates, etiam conjugii usum in futura vita mansurum existimârunt. Hæc tam crassa, tam caliginosa, clarâ ac spirituali luce donavit Christus; de pœnis impiorum apertè agens, piorumque præmia statuens non tantùm diuturna, sed & æterna: & quidem non qualiacunque, sed quæ in Angelorum consortio, Deique ipsius conspicua ac beatifica visione ac fruitione consisterent.

Synag. Judaic. c. 36. p. 535.

Αλλος. l. 2. c. 12.

§. 16. 3ò. Denique, quod omnium maximum est, attulit Christus huic doctrinæ lucem firmæ obsignationis, multis magnisque miraculis fidem ejus hominibus faciendo, in quibus maximum illud erat, quod mortuos in vitam palàm revocaverit, ipseq; se, post mortem obitam, vivum multis ostenderit. Quô factô, nihil ab æquis animis ad hanc rem confirmandam ampliùs desiderari poterat. Jam enim evidenter constabat, *statutum esse diem, quô justè judicaturus est (Deus) orbem terrarum per eum virum, quem definiit; fide ejus rei palàm factâ omnibus, illo ex mortuis suscitato*, ut solidè argumentatur Apostolus, Act. 17. 31.

§. 17. Quartô atque ultimô in locô quæri fortasse potest: quomodo per Legem non potuissent ad veram justitiam adduci Judæi, qui futuræ vitæ spem ex Lege concepissent? Resp. Præterquam quod spes ista vacillans admodùm & confusa erat, illud imprimis in causa fuit, quòd Judæi in externa Legis justitia, cui nunquam erat promissa, vitam hanc æternam quærebant. Hinc enim factum fuit, ut hâc spe ad veram illam ac Deo dignam pietatem adducti non essent; quippe arbitrati, alterâ illâ corporali Legis justitiâ se felicitatem istam adepturos. Pernicioſum hunc Judæorum errorem notavit Christus ipse Joh. 5. v. 39. Ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν· καὶ ἐκεῖναί εἰσιν αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ. Per αἱ γραφαὶ hîc etsi intelligi possint omnia V.T. scripta, peculiariter tamen designari videntur Scripta & Lex Mosis, ut colligere est ex v. 45, 46. Sensus ergo est: Plus æquô Legi Mosis tribuitis; existimatis enim Legis præcepta observantibus promitti vitam æternam, atque directè eam vitam illis libris contineri. At verò si scripta ista non tantùm legitis, sed & attentô animô expenditis (hoc enim significat ἐρευνᾶτε) facilè agnoscetis, ea vobis me quasi digitô ostendere, vosque ad me dirigere, tanquam fontem ac datorem hujus vitæ, atque ad spiritualem illam justitiam, quam ego doceo, ut unicam vitæ ejusdem adipiscendæ viam. Ac profectò magna erat Judæorum perversitas, quod in promissis Mosaicis mysterium agnoscentes, ipsi tamen præceptorum literæ mordicus adhæserint; cùm facilè videre potuissent, inter literam promissi & literam præcepti, & è contra inter spiritum promissi & præcepti χάσιν esse prorsus necessariam. Atque hæc de defectu in Lege Mosis gratiæ auxiliaris externæ, promissi scilicet vitæ æternæ, dicta sunto.

Vid. Grot. in locum, atque etiam Maldonatum.

CAP.

CAP. XI.

Altera Legis Moſaicæ infirmitas, quòd Spiritûs S. donô caruerit. Loca quædam illud ipſum teſtantia explicantur. Solvuntur etiam eâ de re Quæſtiones duæ. Oſtenditur, Apoſtolum Juſtificationem ex Evangelio, oppoſitè ad Legem, adſtruere apodicticô argumentô à donis illis Spiritûs S. conſpicuis, quæ fidem Evangelii in primæva Eccleſia paſſim ſequebantur. Lux inde affertur Grotii obſervationi ſatis frequenti, Spiritum ſc. Sanctum in N.T. poſt fidem poni.

§. 1. REſtat ut breviter agamus de altero illo in Lege gratiæ auxiliaris defectu, auxilii nimirum interni, h. e. doni Spiritûs Sancti. Sane erat impoſſibile, ut ad ſpiritualem juſtitiam adducerentur homines per eam Legem, quæ ipſis nullum Spiritûs auxilium vel promiſerit, vel dederit. Abſque enim divina illa ac potente Spiritûs S. vi atque efficacia fieri omnino non poteſt, ut quis à vitiis purgetur, aut à dominatrice vi ac tyrannide peccati liberetur; nedum ut ad egregiam illam ſanctitatem, ad opera illa verè Heroica, quæ tantô præmiô, quantum eſt æternæ vitæ donum, aliquatenus conveniant, alacri conſtantiq; animô feratur.

§. 2. De hoc fœderis Moſaici maximo defectu paſſim etiam loquitur Apoſtolus. Nimirum hôc nomine miniſterium Legis appellat διακονίαν γεγράμματος, 2 Cor. 3. 6. quia ſc. miniſtratio erat merè externa, non tantùm ex præceptis externis & carnalibus conflata, ſed omni internâ ἐνεργείᾳ atque efficaciâ prorſus vacua. In hunc ſenſum ſe pleniùs explicat verſ. 7. cùm de Lege iterum dicit, quod ſit διακονία τοῦ θανάτε ἐν γράμμασιν ἐντετυπωμένη ἐν λίθοις, *miniſterium mortis in literis poſitum atque informatum lapidibus*. Dicitur enim Lex miniſterium in literis poſitum & informatum lapidibus, tum quia præcepta ejus erant maximam partem externa; tum imprimis quod exteriùs tantùm propoſita erant, nullâ Spiritûs vi atque efficaciâ comitata, quæ ad interiorem hominem atque ad ipſum cor penetraret. Evangelium contrà hôc ornat elogiô, quod ſit διακονία πνεύματος, verſ. 6. *miniſterium Spiritûs*; quia ſc. præcepta ejus ſint tum ſuâ naturâ ſpiritualia, tum imprimis magnâ Spiritûs vi atque efficaciâ interiùs in cordibus hominum impreſſa atque inſculpta. Apoſtolum enim, cùm Evangelium appellat διακονίαν πνεύματος, non modò genium ac naturam ipſius Evangelicæ doctrinæ, (ut multi putant) ſed & vim hanc divini Spiritûs, ipſam individuo nexu comitantem, reſpicere, luce clarius eſt ex loco illo, 2 Cor. 3. 3. ubi de Evangelio à Corinthiis, ipſius miniſteriô, fide acceptô dicit Apoſtolus, quod ſit ἐπιſολὴ χριſτοῦ ἐγγεγραμμένη, οὐ μέλανι, ἀλλὰ πνεύματι Θεοῦ ζῶντος, οὐκ ἐν πλαξὶ λιθίναις, ἀλλὰ ἐν πλαξὶ καρδίας σαρκίναις, *Epiſtola Chriſti inſcripta, non atramentô, ſed Spiritu Dei vivi; non in tabulis lapideis, ſed in carneis tabulis cordis.* Quæ poſteriora verba manifeſtè alludunt ad diſcrimen inter miniſterium Legis & Evangelii, in hôc præcipuè poſitum, quod Lex exteriùs tantùm data ſit, ac ſcriptis tabulis conſignata; Evangelium verò interiùs adminiſtratum, ac Spiritu Dei vivi in ipſis hominum cordibus inſcriptum. In hunc etiam ſenſum procul dubiô interpretandus eſt Apoſtolus, Rom. 8. 2. cùm de Evangelio, oppoſitè ad Legem, (de qua capite præcedente fusè egerat) locutus, vocat illud νόμον τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς ἐν Χριſτῷ Ἰησοῦ, *Legem Spiritûs vitæ* ſeu vivificantis *in Chriſto Jeſu.* Hîc enim τὸ πνεῦμα τῆς ζωῆς non reſpicere ipſam Legis Evangelicæ naturam, ſpiritualibus præceptis atque ad ſpiritum hominis penetrantibus conſtantem (quod video nonnullis placuiſſe) manifeſtum eſt; quia Spiritus ille dicitur eſſe non in ipſa Lege Evangelica, ſed in Jeſu Chriſto, ſc. tanquam capite, atque ab eo in Eccleſiam, corpus ejus, derivatus. Dicitur autem (nî fallor) Evangelium Lex hujus Spiritûs, quia tum in Evangelio promiſſus ſit, tum illud individuô nexu comitetur. Ad hæc per Spiritum ipſius Chriſti, non per nudam Evangelii doctrinam, liberari homines à Lege peccati ac mortis, niſi

volumus

volumus apertè Πηλαγιανίζειν, omnino fatendum est. Quid, quod si hæc interpretatio admittatur, Lex Mosis, quà moralia præcepta continet, perinde atque Evangelium, dici possit ministerium ac Lex Spiritûs; cùm, teste Apostolo, Rom. 7. 14. suâ sit naturâ πνευματικὴ *spiritualis*, & spiritualem justitiam doceat. His omnibus clarissimam lucem affert locus ille, Gal. 3. vers. 14. ubi κατάρα τῦ νόμυ *maledictioni Legis*, de qua mentionem fecerat versu præcedente, opponit Apostolus εὐλογίαν τῦ Ἀβραὰμ, *benedictionem Abrahami*, eamque benedictionem exponit per ἐπαγγελίαν τῦ πνεύματ@ *promissum Spiritûs*, seu Spiritum promissum. Promissum igitur Spiritûs sancti magnum est illud fœderis Evangelici privilegium, in quo ejus ἀξιοχὴ supra Legem ac summa excellentia præcipuè sita sit. Pro coronide adjiciam testimonium sancti Johannis, Evangelii ejus cap. 1. vers. 17. ὁ νόμ@ διὰ Μωσέως ἐδόθη, ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια διὰ Ἰησῦ Χριστῦ ἐγένετο. Ubi (ut notat Grotius) in transcursu confodit Apostolus dogma Ebionis, Jesum Mosi posthabentis, jam ipsius tempore Ecclesiæ Christi nimis notum. Ἀλήθεια autem opponitur umbris Legis: χάρις præcipuè est copia illa Spiritûs passim in Christianos effusa, statui veteris Legis incognita. Drusio enim, qui χάρις hîc non per חן, sed חסד *benignitas*, h. e. *gratuitus Dei favor*, exponendum censet, repugnant verba, vers. 14, & 15. quæ de gratia illa, quâ plenus est Christus, quæq; ex ejus plenitudine in nos dimanat, apertè loquuntur.

§. 3. Jam hîc etiam quæstionem unam & alteram solvendam exhibebimus. 1ò. Quæritur: An nullum omnino extet in Lege Mosis Spiritûs Sancti promissum? Resp. Legem, si per eam intelligas pactum in monte Sinai factum, & Mediatore Mose populo Israelitico datum, (quæ, ut modò diximus, est maximè propria ac genuina ipsius in Paulinis epistolis notio atque acceptio) nullum Spiritûs sancti promissum continere, manifestum est. Si, inquam, per eam intelligas Pactum in Sinai factum; quia in Hagiographis & Scriptis propheticis, quæ nomine Legis & Veteris Test. laxiùs sumptô non rarò veniunt, de Spiritu Sancto tum ex gratia divina promisso, tum precibus hominum impetratô passim legimus. Imo & in Mosaicis Scriptis, licet non in ipso Mosaico fœdere, Promissum (nî fallor) satis clarum de gratia Spiritûs Sancti Israelitis à Deo danda reperire est. Ejusmodi certè est illud Deut. 30. vers. 6. *Circumcidet Jehova Deus tuus animam tuam & animam seminis tui, ad diligendum Jehovam Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Etenim circumcisionem cordis, præsertim ejusmodi, quâ ad Deum toto corde diligendum homines præparentur, non sine magna Spiritûs sancti vi atque efficaciâ fieri posse, apud omnes, qui à Pelagio diversum sentiunt, in confesso est. Sed hoc etiam ad Evangelicam Justitiam pertinebat, quam sub cortice externorum rituum & ceremoniarum latitantem primùm Moses ipse, dein Prophetæ alii digitô quasi commonstrârunt. Justitia enim fidei, quæ in Evangelio πεφανέρωται, olim erat χωρὶς τῦ νόμυ καὶ τ προφητῶν μαρτυρυμένη, ut disertè affirmat Apostolus Rom. 3. 21. Dixi autem, exertè hanc Spiritûs sancti promissionem in ipso Mosaico fœdere non haberi. Addam aliquid amplius, partem eam fuisse Novi Testamenti, ab ipso Mose promulgati. Nam fœdus cum Judæis sancitum Deut. 29. & seq. (in quo hæc verba reperiuntur) planè diversum fuisse à fœdere in monte Sinai facto, adeoque renovationem continuisse pacti cum Abrahamo initi, h. e. fœderis Evangelici tum temporis obscuriùs revelati, multis argumentis demonstrari potest. 1ò. Disertè dicitur cap. 29. vers. 1. verba, quæ ibidem sequuntur, fuisse *verba fœderis, quod Deus præcepit Mosi, ut pangeret cum Israelitis, præter fœdus illud, quod pepigerat cum illis in Chorebo.* Qui renovationem tantùm hîc intelligunt fœderis in monte Sinai facti, nugas agunt, quin & textûs ipsius apertissimis verbis contradicunt. Neque enim verba fœderis in Sinai facti repetita ac renovata ullo sensu dici possunt verba fœderis, quod Deus sancivit præter illud, quod in monte Sinai pepigerat. 2ò. Disertè dicitur, hoc fœdus idem prorsus fuisse cum eo, quod Deus juramentô sanciverat cum Israelitici populi majoribus, Abrahamo puta, Isaaco & Jacobo, ejusdem cap. vers. 12, 13. Quod fœdus ipsum Evangelicum fuit, obscuriùs revelatum, ipso Apostolo Paulo interprete, Gal. 3. 16, 17. 3ò Nonnulla hujus fœderis verba citat Paulus, ut verba fœderis Evangelici, quæ fidei Justitiam manifestò præ se ferant. Vide Rom. 10. 6. & seq. coll. Deut. 30. 11. & seq. Haud me fugit esse nonnullos, qui statuunt, hæc Mosis verba ab Apostolo ad fidei Justitiam per allusionem tantùm accommodari; sed fidem non faciunt, cùm Paulus verba ista manifestò alleget ut ipsissima verba Justitiæ fidei, h. e. fœderis Evangelici, in quo Justitia ista revelatur. Atque, ut verum fatear, semper existimavi, allusiones istas (ad quas confugiunt quidam, tanquam ad sacrum suæ ignorantiæ asylum) plerumq; aliud nihil esse, quàm sacræ Scripturæ abusiones manifestas. Sed non necesse erat, hôc saltem in locô, ut tali κρησφυγέτῳ uterentur. Nam 4ò. quæcunque

in hôc fœdere continentur, in Evangelium mirè quadrant. 1. Quod ad præcepta attinet, præſcribuntur hîc ea tantùm, quæ ad mores pertinent, & per ſe honeſta ſunt; illorum rituum, qui, ſi verba ſpectes, pueriles videri poſſent, quorumque totum fœdus legale fere plenum eſt, nullâ factâ mentione. Addas: totam illam obedientiam, quæ hîc requiritur, ad ſincerum ſedulumq; ſtudium Deo in omnibus obediendi referri. Vid. c. 30. v. 10, 16, 20. 2. Ad promiſſa quod ſpectat, plenam hîc omnium peccatorum, etiam graviſſimorum, remiſſionem poſt peractam pœnitentiam repromittit Deus cap. 30. verſ. 1, 2, 3, 4. quæ gratia in fœdere legali nuſpiam conceſſa eſt, ut ſuprà fuſiùs oſtendimus. Deinde gratia Spiritûs ſancti, quâ corda hominum circumcidantur, ut Jehovam diligant ex toto corde atque ex tota anima, hôc in locô, de quo agimus, (nempe prædicti capitis verſ. 6.) clarè promittitur. Hui! quàm procul ab uſitata Moſaicorum ſcriptorum vena! 5°. Fœdus illud, de quo prædixit Jeremias cap. 31. & ſeq. fœdus eſſe Evangelicum, negârit Chriſtianus nemo; cùm divinus Auctor Epiſtolæ ad Hebræos idipſum expreſsè doceat, cap. 8. verſ. 8, & ſeq. Jam quæ de pacto iſto prænuntiat Propheta, omnia huic fœderi Moabitico ad amuſſim reſpondent. Appellat ſuum fœdus Jeremias fœdus novum, ab eo, quod cum Majoribus populi Iſraelitici Ægypto exeuntibus pepigerat Deus, omnino diverſum: idem etiam de Moabitico fœdere dicit Moſes. Cauſam reddit Jeremias, cur novum Deus pactum, Sinaiticum aboliturus, molitus fuerit; nempe quod Iſraelitæ, præpotentiore gratiâ deſtituti, Sinaiticum illud irritum feciſſent, præceptis ejuſdem non obtemperando, verſ. 32. Eandem cauſam & Moſes manifeſtè deſignat: *Nondum* (inquit) *dederat vobis Jehova mentem ad cognoſcendum, & oculos ad videndum, & aures ad audiendum, uſq; ad diem hunc*, Deut. 29. verſ. 4. Q. d. *Pactum priùs vobiſcum pepigerat Deus, in quo voluntatem ſuam præceptis, tum promiſſis, tum minis, tum demiq; miraculis omne genus ſatis ſuperq; communitis, vobis ipſis patefecerat. Sed vidit fœdus illud parum vobis profuiſſe; vidit vobis opus eſſe efficaciore adhuc gratiâ, quâ nempe corda veſtra circumcidantur, &c. ideoque novum fœdus meditatur, in quo gratiam illam efficaciſſimam vobis adſtipulaturus ſit.* Eandem autem cordis circumciſionem procul dubiô deſignant verba Jeremiæ verſ. 33. prædicti capitis: *Indam Legem meam menti eorum, & cordi eorum inſcribam eam.* Porro remiſſio iſta omnium peccatorum, quæ pœnitentibus promittitur à Moſe Deut. 30. verſ. 1. & ſeq. à Jeremia etiam clarè exprimitur prædicti cap. verſ. 34. *Ero propitius iniquitatibus eorum, & peccatorum ipſorum & tranſgreſſionum ipſorum non recordabor amplius.* Denique Jeremias claritatem oſtendit adeoque facilitatem præceptorum, quæ in novo ſuo fœdere continebantur, ob quam Dei populo non opus eſſet laboriosâ diſquiſitione, aut exactiori diſciplinâ, ut præcepta iſtius fœderis cognoſcerent implerentque, ejuſdem capitis v. 34. Idem Moſen quoque voluiſſe manifeſtum erit, ſi verba ejus Deut. 30. v. 11. & ſeq. cum iis, quæ Apoſtolus ad eundem locum differit Rom. 10. v. 6. & ſeq. accuratiùs perpenderis. Mihi certè clara videntur omnia. 6° ac poſtremò, ut res hæc tota extra omnem controverſiæ aleam ponatur, ipſi Hebræorum Magiſtri ea, quæ Deut. 29. & deinceps continentur, ad Meſſiæ tempus omnino referenda cenſuerunt. Teſtem advoco fide digniſſimum P. Fagium, qui ad Deut. 30. v. 11. hæc annotat: *Diligenter obſervandum eſt, ex conſenſu Hebræorum caput hoc ad Regnum Chriſti pertinere. Unde etiam Bechai dicit, hôc locô promiſſionem eſſe, quòd ſub Rege Meſſiah omnibus, qui de fœdere ſunt, circumciſio cordis contingat, citans Joelem c. 2. 28.* Fagio conſentit Grotius in ejuſdem capitis v. 6.

In his ideo prolixiùs immorati ſumus, tum ut vel hinc manifeſtum fieret, omnia quæ in Moſaicis Scriptis continentur, ad Fœdus Moſaicum, propriè ſic dictum, nequaquam pertinere, adeoque quàm vera ac prorſus neceſſaria ſit diſtinctio Auguſtini, (de qua aliquoties jam dictum eſt) Legem veterem κατ' ἐξοχὴν ſumptam ad ſolum Pactum in monte Sinai factum reſtringentis; tum imprimis ut exinde etiam clarè eluceret optima ac ſapientiſſima Dei οἰκονομία, quam in diſpenſando gratiæ ſuæ fœdere uſurpare viſum ipſi fuerit. Pepigerat Deus cum Abrahamo Fœdus illud gratioſum multis ante latam legem annis; cui poſtea placuit ipſi ſuperaddere Pactum aliud, è multis, iiſque operoſis, ritibus ac ceremoniis conflatum, quibus rudem & carnalem Abrahami poſteritatem, recèns ex Ægypto eductam, adeoque Paganicis ritibus ac ſuperſtitionibus nimis addictam, in officio contineret, i. e. ab Ethnicorum idololatrico cultu arceret. Quod optimè expreſſit Tertullianus (adversùs Marcion: 2.) his verbis: *Sacrificiorum onera, & operationum & oblationum negotioſas ſcrupuloſitates nemo reprehendat, quaſi Deus talia propriè ſibi deſideraverit, qui tam manifeſtè exclamat:* Quò mihi multitudinem ſacrificiorum veſtrorum? &, Quis exquiſivit iſta de manibus veſtris? *ſed illam*

lam Dei industriam sentiat, quæ populum, pronum in idololatriam & trangressionem, ejusmodi officiis religioni suæ voluit adstringere, quibus superstitio sæculi agebatur, ut ab ea avocaret illos, sibi jubens fieri quasi desideranti, ne simulacris faciendis delinquerent. Conf. Gal. 3. 19. Sed prævidens sapientissimus Deus, fore, ut hoc ipsius propositum populus obtusi pectoris non intelligeret, post latam istam carnalem Legem, præcepit Mosi, ut Israelitis novum fœdus promulgaret, seu potiùs ut vetus illud, cum Abrahamo ante multos annos initum, (quod spiritualem imprimis Justitiam exigebat, & gratiâ ac misericordiâ plenum erat) renovaret: ut hinc tandem cognoscerent Judæi, Pactum Abrahamiticum etiam post latam Legem ritualem adhuc viguisse, adeoque pro fœdere habendum fuisse, cui unicè salus ipsorum inniteretur. Conf. Gal. 3, 17. Quis hîc cum Apostolo non exclamet: Ω βάθος πλούτου καὶ σοφίας, καὶ γνώσεως θεοῦ. Rom. 11. 33. Sed hæc obiter, etsi haudquaquam frustra. Pergo.

§. 4. 2°. Hinc solvi possit & altera quæstio: An scilicet Spiritus Sanctus V. Testamenti temporibus datus fuerit? Resp. Omnino: neque enim aliàs tot viros pios ac sanctos sub Lege Mosis fuisset reperire. Sed 1° datus erat Spiritus sub Lege quidem, at non ex Lege; quippe hæc gratia mutuò erat accepta, ac sumpta de gratia Evangelica. Hinc Spiritus promissus, dicitur à Paulo in eo, quem modò laudavimus, locô εὐλογία Αβραὰμ, *benedictio Abrahami*, non Mosis Gal. 3. 14. quia scilicet ingens hoc beneficium ex promisso Abrahæ facto, non ex Mosaico fœdere, i. e. ex Evangelio, non ex Lege effluxit.

§. 5. 2°. Deinde, etsi Spiritum suum largitus est Deus ipsum rogantibus tam sub veteri, quàm sub novo Testamento, magnô tamen discrimine id factum fuit. Legis enim temporibus dedit Dominus Spiritûs sui gratiam parcè admodùm ac restrictè; sub Evangelio largiter atque effusissimè. Hinc tempore N. Fœderis dicitur Deus ἐκ ἐκ μέτρου διδόναι *non admetiri*, sed effundere Spiritum, primùm in caput Christum, deinde in Ecclesiam, corpus ejus, Joh. 3. 34. Jam enim Spiritum ἐξέχεεν ἐφ' ἡμᾶς πλουσίως, ad Tit. 3. 6. Vide & Joh. 7. 38. Act. 2. 17. Hûc etiam refero locum illum S. Johannis satis celebrem Joh. 1. 16. ubi qui sub Evangelio vivunt, dicuntur ἐκ τοῦ πληρώματος Χριστοῦ accepisse χάριν ἀντὶ χάριτος *gratiam super gratiam*, h. e. *gratiam abundantem*, sive *gratiam gratiâ cumulatam*. Sic enim verba illa interpretanda esse censeo; ut hîc χάρις ἀντὶ χάριτος idem planè sit, quod Siracides χάρις ἐπὶ χάριτι dixit cap. 26. 18. χάρις ἐπὶ χάριτι γυνὴ αἰσχυντηρὰ καὶ πιστὴ, *gratia cumulata est pudica & fidelis uxor*; q. d. Pudicitia quidem in uxore magna est Dei gratia; si autem accesserit & fidelitas, talis uxor gratia cumulata est, quippe cujus pudicitiæ, thesauro ex se satis amplo, fidelitas etiam, rara mulierum virtus, quasi in cumulum addatur. Negat quidem Beza, se reperisse unquam hanc particulam ἀντὶ ita usurpatam ab idoneo aliquo Autore. Sed opportunè huic occurrit nobisque succurrit Davenantius noster, qui meminit ab amico suo doctissimo Dunæo hunc usum hujus propositionis observatum fuisse apud Theognidem hisce versiculis:

De Just. actuali c. 61. p. 614.

Τεθναίμην δ', εἰ μή τι κακῶν ἄμπαυμα μετείμην,
Εὑροίμην, δοίης τ' ἀντ' ἀνιῶν ἀνίας.

Moriar, si nullum levamentum malarum curarum invenero, dederisque calamitates super calamitates.

§. 6. Objiciet hîc fortasse aliquis, extitisse sub Lege nonnullos Spiritûs Sancti donis instructissimos quibuscum vel pauci, vel nulli in Ecclesia Christiana sint conferendi; quô in censu fuerunt Moses ipse, David, ac Prophetæ omnes.

Resp. 1. Horum numerus perpusillus erat: non autem quid in paucos gratiæ contulerit Dominus, hîc quæritur; sed quam erga populum Judaicum ordinariam dispensationem secutus sit. 2. Paucis istis sub Lege evaserunt quamplurimi sub Evangelio donis Spiritûs Sancti atque admirabili vitæ sanctitate pares, imò longè superiores; quô in numero fuerunt Apostoli ac plerique primorum temporum Christiani. 3. Nunquam tanta ullis tunc contigit Spiritûs S. gratia, quæ non sæculi obscuritatem ac statum infantilem aliquâ ex parte resiperet. Hinc qui inter Prophetas V. T. primas tenuerunt, τοῦ μικροτέρου ἐν βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν ab ipso Christo postponuntur, Mat. 11. 11. nimirum amplitudine ac perspicuitate revelationis & notitiæ de liberatione humani generis: namque id ante Johannem mysterium fuit, Johannis tempore cœpit illucescere, post Christi passionem & resurrectionem & missum Spiritum Sanctum meridianâ luce clariùs patuit. Confer Mat. 13. 17. 1 Pet. 1. 10, 11, 12.

§. 7. 3°. Denique, (quod quæstioni propositæ, quà argumentationem Apostoli spectat, plenè, imò cumulatè satisfacit,) etsi

etſi datus erat olim in & ſub Lege Spiritus Sanctus, exhibitô tamen Evangeliô, non ampliûs Legis ſectatoribus impertiebatur; ſed eorum erat privilegium, qui relictâ Lege, fidem Evangelio habuerunt. Deſeruit ſanctiſſima Columba Moſis Arcam, ac pedem ſedemque fixit in Chriſti Eccleſia. Literam dereliquit Spiritus, velut corpus anima, evaſitque jam Lex verè mortua litera. Cujus rei manifeſtum erat indicium conſpicua Spiritûs Sancti dona à Synagoga ad Eccleſiam tranſlata, cum in die Pentecoſtes non fulgur & tonitru & horrore plena tempeſtas, (ut olim hôc ipſo die datâ è monte Sinai Lege veteri) ſed vis ingens divini Spiritûs cœlitus delapſa, & linguarum ignitarum forma aſpectablis ſuper Apoſtolis reſideret, ac paulò poſt in ipſum vulgus Chriſtianorum dona eadem miraculoſa paſſim ac liberaliter effuſa eſſent: Legis interim cultores nullo manente Spiritu, niſi Spiritu ſoporis, Rom. 11. 8. digno utique iis Spiritu, qui corpore ipſo oblatô, umbram deperirent.

§. 8. Atque ita de improviſo incidimus in illud ipſum, quod ad extremum notandum reſervavimus: Apoſtolum ſcilicet alicubi doctrinam ſuam de Juſtificatione per fidem, ſine Moſaicæ Legis operibus, ſtabilitum ire conſpicuis iſtis & miraculoſis Spiritûs Sancti donis, quæ fidem Evangelio habitam paſſim ſequebantur. Argumentô hoc planè apodicticô utitur Paulus ad Galat. cap. 3. v. 2. hâc ἐρωτήσει· *Hoc ſolum velim diſcere ex vobis, ex operibus Legis Spiritum accepiſtis, an ex auditu fidei?* De Spiritu enim miraculorum loqui hîc Apoſtolum patet ex v. 5. *Qui igitur ſubminiſtrat vobis Spiritum, & efficit virtutes in vobis, ex operibus Legis, an ex auditu fidei id facit?* Quaſi dicat: Tantum huic rei, de qua nunc interrogo, reſpondete, & ſatis eſt ad vos revincendos: dona illa Spiritûs eximia, quæ accepiſtis, habuiſtis ex Circumciſione & cæteris factis Legis, an ex auditu fidei? Quod ſi ex fide in Chriſtum (quod inficiari non audebitis) omnia hæc bona eſtis aſſecuti, (ut de ingratitudine nihil dicam) quæ eſt hæc veſtrûm inſania, ab Evangelio, argumentô tam evidente atque in ipſum ſenſum incurrente, comprobatô, deſciſcere? Hinc cùm in Hieroſolymitano Concilio magna illa agitaretur quæſtio, an Circumciſio & cæteri ritus Moſaici Gentibus ad Chriſtum converſis imponendi eſſent? Petrus Apoſtolorum Princeps hôc uno argumentô negativam quæſtionis partem adſtruxit, quod ſcilicet Cornelio, iiſque qui cum eo erant, gentium primitiis, ipſius miniſteriô evangelizatis dona hæc Spiritûs Sancti conſpicua à Deo data eſſent. Hôc enim factô, inquit Petrus *, ὁ καρδιογνώστης Θεὸς ἐμαρτύρησεν αὐτοῖς, δοὺς αὐτοῖς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, καθὼς καὶ ἡμῖν, *Scrutator cordium Deus teſtimonium illis præbuit* (quod ſcilicet ſine circumciſione ipſi placerent) *dando ipſis Spiritum illum Sanctum, æquè ac nobis*, qui nempe circumciſi ſumus, ac Moſis inſtituta obſervamus. Teſtimonium enim illud fuiſſe Spiritum donorum miraculoſorum, ex ipſa hiſtoria liquet Act. 10. 46. Hinc etiam quibus inter Gentes poſt fidem Evangelio habitam Spiritus hic datus erat, σφραγίζεσθαι dicuntur, & quaſi arrhabonem quendam à Deo accepiſſe, ſcilicet gratiæ ipſius in præſenti, futuræque gloriæ. 2 Cor. 1. 22. Eph. 1. 13. & 4. 30. His enim in locis, ut & alibi ſæpe, per Spiritum intelligi dona hæc Spiritûs conſpicua, vel hinc manifeſtum eſt, quod Apoſtolus Spiritum illum apertè deſignet, & quaſi digitô monſtret, ipſumque in teſtimonium proferat, tum iis, ad quos ſcribit, tum aliis quibuſcunque, de veritate Evangelicæ doctrinæ convincendis abunde ſufficiens; ut de Spiritu hôc Gentibus impertitô non incommodè dici poſſint, quæ de Circumciſione locutus eſt Apoſtolus, quod ſcilicet fuerit σφραγὶς τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως τῆς ἐν ἀκροβυστίᾳ, *ſigillum Juſtitiæ fidei, quam præputiati habuerunt.* Rom. 4. 11.

* Alls 15, 8.

§. 9. Hæc autem (ut obiter id dicam) lucem afferunt obſervationi, quæ doctiſſimo Grotio mirificè adeo placuit, ut eam ex quovis fere loco colligendi anſam arripuerit: ſc. Spiritum S. in N. T. ſæpiſſimè poni poſt fidem. Vera enim eſt hæc obſervatio, ſi de copioſa hac donorum conſpicuorum effuſione, quæ primævæ Eccleſiæ propria erat, intelligatur; vel etiam de pleniori illa Spiritûs menſurâ, quam per & poſt fidem charitate formatam etiam nunc accipiunt fideles Interim ſpecialem aliquam Spiritûs divini operationem fidem efficacem ſemper præcedere, certum eſt; nec credo aliam fuiſſe ſummi Viri mentem, etſi nonnullis in locis verba ejus nimis crudè concepta videantur.

CAP.

CAP. XII.

Consectaria duo ex iis, quæ in tribus præcedentibus capitibus de infirmitate Legis explicantur, deducta. Quorum prius est: Apostolum ejusmodi tantùm opera à Justificatione ἁπλῶς secludere, quæ sine gratia Evangelii, vi Legis Mosaicæ, & (consequenter) naturalis facta sunt. Id porro triplici argumentô ex ipsis Pauli epistolis demonstratur. Tribus Paræi argumentis pro contraria parte ita respondetur, ut lux inde clarior deducto consectario accedat.

§. 1. IN explicando Apostoli argumento ab infirmitate Legis sumpto si cui fortè nimis prolixi visi sumus, expendat, oro, quantopere hæc conducant tum ad Paulum rectiùs intelligendum, tum ad doctrinam Jacobi de Justificatione ex operibus firmiùs stabiliendam: quod utrumque ut intelligat, jam operam dabo.

§. 2. Ad prius illud quod attinet, quisquis ea, quæ diximus, penitiùs intellexerit, facilè is videbit, opera, quæ Paulus à Justificatione simpliciter * excludit, ejusmodi tantùm esse, quæ sine gratia Evangelica perficiuntur vi Legis Mosaicæ, vel etiam naturalis. (Nam quæ adversus Legem Mosaicam disputat Paulus, multò fortiùs, ut jam alicubi notavimus, contra Naturæ Legem militant.) Est illud evidentissimum ex antedictis consectarium. Cum enim Paulus hôc imprimis argumentô pugnet contra Justificationem ex Lege sive Mosis, sive Naturæ, quod uraque ista Lex iis viribus planè destituta sit, quibus homines ad justitiam veram, Deo dignam, ipsiq; gratam adducantur; manifestè hinc sequitur, ab ipso istam solummodò justitiam eaq; opera à Justificatione excludi, quæ ab infirmitate humana in statu sive Legis, sive Naturæ proficiscuntur.

§. 3. Sed hoc ipsum aliis etiam rationibus ex ipso Paulo petitis liquidò constat. Ac primò quidem non leve, aut contemnendum hujus rei Argumentum mihi videtur, quod Apostolus, contra operum justitiam disputans, *opera* simpliciter nominet, nullo additô nisi *Legis* epithetô; nunquam verò (quod sciam) *bona* opera à Justificatione excludat. Hôc ipso enim non obscurè innuit, se opera tantùm ex ingenio viribusq; humanis profecta, omnique supernaturali bonitate destituta rejicere. Fateor, ab ipso alicubi nominari ἔργα τὰ ἐν δικαιοσύνῃ *opera justitiæ*, Tit. 3. 5. sed ibidem se explicat verbis immediatè sequentibus: ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, *quæ ipsi* (h. e. *ex propriis viribus*) *fecimus*. Sed de hoc loco mox pleniùs acturi sumus. Hinc Eph. 2. opera, quæ à salute excludit Apostolus, ἔργα, *opera* simpliciter appellantur, vers. 9. quæ verò opera tanquam ad salutem necessaria admittit, quibusque perficiendis gratiâ Christi præparari nos & quasi creari affirmat, καλὰ ἔργα *bona opera* dicit, vers. 10.

§. 4. 2°. Ex tota Apostolicæ disputationis serie illud manifestum fit, ipsum ejusmodi tantùm opera rejicere, quæ admissa hominibus gloriandi seque coram Deo efferendi materiam præbere viderentur. Vide Rom. 3. 27. & 4. 2. Eph. 2. 9. Id verò de operibus, quæ proprio Marte, sine gratiæ adjutorio efficimus, dici tantùm posse, quis non videt? Quæ enim quis opera gratiâ divinâ tum præveniente excitatus, tum comitante adjutus præstat, Deo optimo maximo deberi, eorumque gloriam in ipsum, tanquam summum ac primum Authorem, redundare manifestum est. Bona hæc, quæ præstamus, opera, non tam opera nostra sunt, quàm Dei ipsius in nobis. Nemo autem coram Deo jure gloriari possit eâ de re, quam Deo debet. At (inquit Paræus) finguntur hæc gratiæ opera procedere simul ex vir- *In Solut. dub. 3. c. 3. ad Rom. p. 221.*

* *Quid hâc voce* simpliciter *indigitet Auctor, explicat suprà Cap.* VII. §. 3. *& in Examine Censuræ Respons. ad Animadvers.* XX. §. 1. *inque Apologia contra Tullium Sect.* VIII. §. 6.

virtute liberi arbitrii, ita ut huic aliquâ ex parte debeantur. Reſp. Bona noſtra opera gratiâ Dei præeunte, libero arbitrio famulante fieri, non eſt fictio noſtra, ſed ipſa veritas, quam & Sacræ Scripturæ innumeris fere in locis apertè teſtantur, & recta ratio nos docet, ac denique univerſi trium optimorum ſæculorum Scriptores unanimi conſenſu agnovere. Neque tamen liberum hoc arbitrium impedit, quò minùs tum juſtitia noſtra, tum inde ſecuta ſalus Deo, tanquam primo, imò & unico autori tribuenda ſit; cum illud ante & citra gratiam divinam ne tantillum quidem ex ſe & à ſe habuiſſet boni, nempe quod verè bonum eſſet, atque ad ſalutem valeret. Quicquid boni voluntas poſſit, id gratiæ in ſolidum debet; tantùm quod poſſit & malè agere, ex ſe habet. Sine iſta voluntatis libertate tantum abeſt, ut bona noſtra opera fiant, ut ne bona quidem eſſe poſſint, aut ad præmium ordinari, magis quàm brutorum actiones, aut etiam motus inanimatorum. Poſitâ autem hâc libertate gloriam divinæ gratiæ non ita iri diminutum, quin Deo autori accepta referenda ſint, quæcunq; facimus bona opera, ex ipſa (nî fallor) adverſariorum confeſſione argumento ἀκαταλύτῳ evicturi ſumus.

§. 5. Quippe etiamſi ſtatuant illi, primam hominis ad Deum converſionem operatione divinæ gratiæ planè irreſiſtibili fieri, agnoſcunt tamen unanimi conſenſu, in actibus bonis ſubſequentibus, ſaltem quibuſdam, ejuſmodi arbitrii libertatem, quâ renatus ita bene agat, ut poſſit non agere, imò ſæpe non bene agat, cum poſſit. Diſerta ſunt imprimis verba Theologorum noſtrorum in judicio ſuo Synodo Dordracenæ exhibitô. Ibi enim ad art. 3 & 4. de converſione, quà denotat actum hominis ſe ad Deum convertentis, locuti, hæc habent verba, Theſ. 3. " Deus homi-
" nem converſum & fidelem non ita ſemper
" movet ad bonos actus ſubſequentes, ut
" tollat ipſam voluntatem reſiſtendi, ſed
" quandoq; permittit illum vitiô ſuô defi-
" cere à ductu gratiæ, & in particularibus
" multis actibus concupiſcentiæ ſuæ pa-
" rêre." Et in explicatione ejuſdem Theſeως addunt: " Non deeſt quidem per to-
" tum vitæ noſtræ curſum motus & ductus
" Spiritûs divini; ita tamen ut gratiæ deeſ-
" ſe poſſimus, imò ut nimis ſæpe deſimus,
" ac ſubinde concupiſcentiis noſtris liberè
" turpiterq; pareamus." Quod probant ex locis illis, Gal. 5. 17. Eph. 4. 30. Deniq; inter Theſes heterodoxas hanc damnant, (ut certè meritò damnanda eſt, atque ad inferos, unde prodiit, releganda) Theſ. 4. *Hominem non poſſe plus boni facere, quàm facit, nec plus mali omittere, quàm omittit.* Et in explicatione contendunt, Theſin iſtam falſam eſſe, ſive de homine irregenito intelligatur, ſive etiam de renato. His autem poſitis, quæro: Utrùm bona iſta opera ſubſequentia, quæ ita liberè ab homine renato fiant, ipſi gloriandi materiam præbeant, annon potiùs eorum honos & gloria in Deum autorem referenda ſit? Poſterius illud dubiô procul ſtrenuè affirmabunt adverſarii, à priori toto animo abhorrebunt. Concedant igitur neceſſe eſt, concurſum liberi arbitrii cum gratia divina in operibus bonis non impedire, quò minùs eorum honos Deo in ſolidum debeatur; neq; homini ipſi ullam in ſeſe gloriandi materiam præbere. Neque enim alium liberi arbitrii concurſum in ullo bono opere ſtatuimus, quàm ipſi adverſarii in multis bonis operibus agnoſcunt. Sed hæc obiter: pergo.

§. 6. 3°. Denique, hanc eſſe Pauli mentem (nempe, ut rejiciat opera tantùm abſq; gratia Evangelii facta) vel ex iis ipſis locis, in quibus opera in univerſum omnia imprimis excludi videantur, rem accuratiùs perpendenti facilè liquebit. Proferantur loca iſta, atque agmen ducat Textus ille nobilis, qui contra Juſtificationem ex operibus argumentum planè Herculeum ſuppeditare nonnullis videtur, atque in eorum diſputationibus proram penè ac puppim facit. Is eſt ad Philipp. c. 3. ubi cùm omnia alia (modò Chriſtum lucrifaceret) ſe pro retrimento duxiſſe dixiſſet Apoſtolus v. 5. addit v. 9. καὶ ἐυρεθῶ ἐν αὐτῷ, μὴ ἔχων ἐμὴν δικαιοσύνην, τὴν ἐκ νόμου, ἀλλὰ τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ, τὴν ἐκ Θεοῦ δικαιοσύνην. Quam hîc reprobet, quamque ſuſpiret juſtitiam Apoſtolus, cuivis ſine partium ſtudio ejus verba expendenti in aperto erit. Ad prius quod attinet, appellat juſtitiam iſtam, *juſtitiam ſuam*, τὴν ἐμὴν δικαιοσύνην, h. e. ex ſuis viribus profectam: neque enim juſtitiam illam, quam in ipſo gratia Chriſti effecerat, ſuam dicere fuiſſet auſus, quin potiùs Chriſto autori gratô animô accepta mtuliſſet. Deinde ne cui mens ejus dubia eſſet, apertiùs adhuc loquitur τὴν ἐκ νόμου, *eam quæ ex Lege eſt*, h. e. eam, quæ per Legem humanâ ope ſine gratia Evangelii parari poſſit. Denique hanc Legis juſtitiam diſtinctè ac per partes verſibus præcedentibus expoſuerat. Summa hæc eſt: quòd non paucis carnalibus Legis privilegiis ornatus erat, quòd omnia Legis ritualia accuratè obſervaverat, quòdque à peccatis gravioribus, quibus pœna in Lege annexa fuit, planè inſons erat; ut ſecundùm Legis iſtius judicium omnino ἄμεμπτον *inculpabilem* ſe dicere non vereatur. Jam ſecundô in locô, quam exoptet juſtitiam Apoſtolus, non minùs evidens eſt; nimirum τὴν διὰ πίστεως Χριστοῦ,

Χριστῦ, τὴν ἐκ Θεῦ δικαιοσύνην ἐπὶ τῇ πίστει, h.e. *justitiam illam, quam per fidem Christi Deus in nobis operatur, & propterea ut opus suum approbat.* Optimè enim hîc Estius: "Non, "inquit, nostram vocat justitiam, quæ *in* "*nobis est*, sed quæ *à nobis*; sicut & Dei "justitiam, quæ *à Deo* est, non quæ *in Deo*, "& quâ Deus ipse justus sit." Neq; enim in Textu dicitur δικαιοσύνη Θεῦ *justitia Dei*; (quanquam si ita esset, genitivus Θεῦ causam efficientem denotaret, ut Rom. 10. 3. sed) ἡ ἐκ Θεῦ δικαιοσύνη, *illa quæ ex vel à Deo est justitia.* Qualis autem sit hæc, quæ â Deo per fidem est, justitia, verbis immediatè sequentibus v. 10. distinctiùs etiam explicat Paulus: τῦ γνῶναι αὐτὸν καὶ τὴν δύναμιν τῆς ἀναστάσεως αὐτῦ &c. *ut cognoscam eum* (*Christum* scilicet) *& vim resurrectionis ejus, & communionem perpessionum ejus, dum conformis fio morti ejus.* Obtinet hîc communis Theologorum regula, verba scilicet *notitiæ* i Scripturis sæpissimè connotare affectus. Cognoscere igitur Christum ejusque mortem & resurrectionem est in se sentire re ipsâ & experiri vim mortis ac resurrectionis Christi ejusmodi, quâ quis peccato ipse moriatur, inque novam ac sanctam vitam resurgat. Confer Rom. 6. per totum. Atque hæc cognitio dubiô procul est τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως Χριστῦ *supereminens* illa *Christi cognitio*, quam tanto affectu anhelat v. 8. hujus capitis. Certè vix potuit Apostolus (meô quidem judiciô) suam de utraque justitia, Legis & Evangelii, mentem apertiùs exprimere.

§. 7. Ad locum illum jam venio, quem modò strictim notavi, scilicet Tit. 3. v. 5,6. Οὐκ ἐξ ἔργων τῶν ἐν δικαιοσύνῃ, ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, ἀλλὰ κατὰ τὸ αὐτῦ ἔλεος ἔσωσεν ἡμᾶς διὰ λουτρῦ παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίυ, ὃ ἐξέχεεν ἐφ' ἡμᾶς πλουσίως, &c. Si quæras, cujusmodi opera à Justificatione ac salute excludat Apostolus, clarè hîc respondet ipse: ἃ ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, pronomine ἡμεῖς emphaticè addito: *quæ fecimus ipsi*, h. e. ex propriis viribus. Deinde operibus hujusmodi ex humano ingenio profectis opponit gratiam illam Dei, ex mera sua misericordia in nos per Christum largiter effusam, quâ regeneramur ac renovamur, quâque solâ operibus verè bonis idonei reddimur: quodque prioribus ademerat, his concedit operibus, h. e. per hæc, non illa, nos servatos affirmat. Cùm enim dicit Paulus, servari nos διὰ ἀνακαινώσεως πνεύματος ἁγίυ *per renovationem Spiritûs Sancti*, intelligit omnes illas virtutes ac bona opera, quæ à corde per Spiritum Sanctum renovatô fluunt. Quippe nuda potentia, facultas, sive (ut loqui amant quidam) habitus infusus cujusvis gratiæ, puta fidei, spei, charitatis, &c. neminem salvat; sed actus cujusque virtutis, seu virtutes ipsæ. Hæc autem Apostoli verba plenè ac perfectè describunt totum salutis ac Justificationis humanæ negotium. Exprimitur enim hîc 1ò. Causa salutis προηγουμένη, scilicet ἔλεος Θεῦ, mera Dei misericordia, quæ & χρηστότης καὶ φιλανθρωπία Θεῦ, Dei bonitas & philanthropia appellatur v. 4. 2ò. Causa προκαταρκτικὴ, διὰ Ἰησῦ Χριστῦ, Christus ejusque meritum. 3ò. Medium sive conditio salutis obtinendæ, quæ exprimitur 1. negativè, οὐκ ἐξ ἔργων, ὧν ἐποιήσαμεν ἡμεῖς, non per opera, quæ fecimus ipsi ex propriis viribus; 2. affirmativè, ἀλλὰ διὰ λουτρῦ παλιγγενεσίας, per regenerationem illam ac renovationem Spiritûs S. quam in Baptismo accipimus. Porro ex hoc Textu clarè liquet, Apostolum à salutis ac Justificationis negotio non rejicere omnem inhærentem justitiam (quippe per justitiam, quæ in nobis per renovationem Spiritûs S. efficitur, servari nos differtè statuit,) sed illam solummodò justitiam, quæ ita in nobis inhæret, ut *à nobis* sit, h. e. ex propriis viribus proficiscatur. Postremò ex his in proclivi est conjicere, quid sibi velit Apostolus, cum v. 7. concludat, nos δικαιωθῆναι τῇ τῦ Θεῦ χάριτι, *justificari gratiâ Dei*; quod scilicet solâ Spiritûs S. gratiâ gratis à Deo per Christum nobis impertitâ ea præstare valeamus, quibus ex pacto Evangelico ad Justificationem æternamque salutem pervenitur.

§. 8. Huic geminus est locus ille (quem etiam modò laudavimus) Eph. 2. v. 8,9,10. Τῇ γὰρ χάριτί ἐστε σεσωσμένοι διὰ τῆς πίστεως (καὶ τῦτο οὐκ ἐξ ὑμῶν, Θεῦ τὸ δῶρον) οὐκ ἐξ ἔργων, ἵνα μή τις καυχήσηται. Αὐτῦ γάρ ἐσμεν ποίημα, &c. Per fidem hîc intelligo obedientiam Evangelio præstitam; cujus fides specialiter sic dicta non tantùm initium est, sed & radix ac fundamentum: quam interpretationem rationibus satis firmis jam antè munivimus; ne quis hîc nos id petere, quod in quæstione est, arbitretur. Hanc autem obedientiam ne quis sibi tribueret, sollicitè ab Apostolo cautum est; ideóque addit: *Hoc autem* (nempe illud ipsum, quod credidistis) *non ex vobis ipsis*; *est enim Dei donum.* Quomodo id verum sit, mox distinctiùs exponit; interim pergit: *Non ex operibus, ne quis glorietur*, i. e. non ex operibus, quæ proprio Marte, sine gratia Dei edidistis; sic enim (aliàs nequaquam) materia aliqua gloriandi in vobis ipsis superesse videretur; ut ἐξ ἔργων hîc idem valeat, quod ἐξ ὑμῶν. Denique totum illud, quod priùs dixerat, *gratiâ scilicet ipsos servatos, per fidem, idque ex dono Dei, non ex operibus*, confirmat explicatque his verbis:

bis : *Opus enim ejus* (nempe *Dei*) *ſumus, utpote creati in Jeſu Chriſto ad opera bona, quæ antè præparavit Deus, ut in iis ambularemus.* Conjungit ſe hîc in primâ perſonâ cum Epheſiis Apoſtolus, cùm tamen quæ dicit, ad ipſos imprimis ſpectent. Senſus ergo eſt : Tantum abeſt, ut propriis veſtris operibus abſque gratia Dei ſervati ſitis, ut è contra non ſine admiranda planè gratiæ divinæ vi atque efficaciâ denuo quaſi à Deo formati ſitis, atque ex rudi iſta mole, in qua ignorantiæ ac peccati tenebris olim obſiti jacuiſtis, veluti creati in id, ut opera jam verè bona, quibus ad Juſtificationem atque æternam ſalutem pervenitur, proferre valeatis. Nulla igitur relinquitur vobis gloriandi materia ; vobis, inquam, ſaltem, quibus non vulgaris gratia, imò ὑπερβάλλον πλῆτος τῆς χάριτος, ut dicit v. 7. contigit. Etſi enim hoc Apoſtoli argumentum ad omnes juſtificatos pertinet, eſt tamen in eo aliquid ſingulare (ut ex contextu patet) quòd Epheſios, priùs Gentiles, propiùs reſpicit ; quorum ex idololatria, ac turpiſſimis Paganiſmi vitiis in lucem Evangelii evocatio opus erat Dei eximium ac planè extraordinarium.

§. 9. His locis addi poſſunt ea, in quibus operibus gratioſam Dei vocationem opponit Paulus, ut Rom. 9. 11. ubi electio hominis ad ſalutem fieri dicitur ἐκ ἔξ ἔργων, *non ex operibus*, ἀλλ' ἐκ τῦ καλῦντος, *ex vocante.* Hîc enim manifeſtum eſt, Apoſtolum ea ſolummodò opera rejicere, quæ quis ſuâ ſponte facit, nequaquam verò ea, quæ præſtat homo à Deo gratis vocante præventus atque excitatus : neque enim iſta vocationi divinæ repugnant. Confer 2 Tim. 1. 9.

§. 10. Sic etiam cum χάριν & ἔργα *gratiam & opera* ita inter ſe opponat Apoſtolus, ut illam hæc, hæc illam deſtruere affirmet Rom. 11. 6. Sole meridiano clarius eſt, ab ipſo iſtiuſmodi tantùm opera intelligi, quæ abſque gratia fiunt : certè enim opera gratiæ gratiam non deſtruunt. Neque ad rem facit, ſi dicas, per gratiam, quæ operibus hîc à Paulo opponitur, non intelligi gratiam Dei quoad effectum, ſed quoad affectum, i. e. gratuitum Dei favorem. Eſto enim : nihilominus manet illud verum, opera gratiæ, ſive quæ gratiâ Dei in nobis operante fiunt, nullatenus deſtruere gratiam ſeu favorem illum Dei, quô nos complectitur ; ſed illum ipſum apertè ſtabilire. Gratia enim illa, quâ perficiuntur ejuſmodi opera, à gratuito Dei favore profluit, atque eâ ipsâ de causâ *gratiæ* nomine inſignitur. Neque enim gratia dici poſſit, quod ex gratuito Dei favore non procedit ; ut rectè hîc cum Paulo argumentemur : Si ex gratiæ operibus ſervamur, ergo ex gratia ; ἐπεὶ ἡ χάρις ἐκ ἔτι γίνεται χάρις, *alioquin gratia non amplius eſſet gratia.*

§. 11. Ex his jam locis liquere arbitror, Apoſtolum, cum juſtificari nos ac ſalvari gratis, gratiâ, ſine operibus, omnemque gloriandi materiam in toto hoc negotio penitus excluſam eſſe, toties contendat, hôc imprimis fundamentô niti, quòd quicquid boni ad Juſtificationem ac ſalutem æternam conſequendam à nobis præſtitum ſit, id totum ex gratia Dei, gratis nobis per Chriſtum datâ, promanet, ipſique acceptum referri debeat : ac proinde mentem ipſius fuiſſe, opera ſolummodò ex libero hominis arbitrio, gratiâ Evangelii deſtitutô, profecta à ſalutis ac Juſtificationis negotio excludere ; ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

§. 12. Hiſce autem ſatis luculenter à nobis, ut arbitror, demonſtratis acriter repugnat Paræus, multis contendens, hanc Pauli interpretationem corruptam eſſe gloſſam, atque omnia univerſim opera, tam quæ ex fide & gratia Evangelii, quàm quæ ſine ea facta ſunt, à Juſtificationis negotio ab Apoſtolo penitus excludi. Argumenta ejus (demptis iis, quæ ad hominem ſunt ; quippe quæ Stapletoni aliorumque Jeſuitarum Hypotheſibus oppoſita, ac proinde ad nos nihil quicquam ſpectantia) hæc fere ſunt. *In Rom. 3. dub. 6. p. 220, 221.*

§. 13. Argumentum 1. " Operibus malis, vel non bonis, non neceſſe fuit Apoſtolum detrahere Juſtificationem ; hoc enim per ſe fuit in confeſſo : At omnia opera ſine gratia & ſine fide ſunt mala, vel non bona : Abſurdum eſt igitur ſtatuere, Apoſtolum contra ejuſmodi opera diſputare. " Reſp. Argumentum hoc (pace tanti viri dixerim) nihil aliud eſt, quàm ineptum Sophiſma. Etiamſi enim operibus malis vel non bonis neminem juſtificari in confeſſo ſit ; opera tamen ſine gratia Evangelii facta mala vel non bona eſſe, apud eos, quibuſcum Paulo lis erat, tantum abeſt, ut in confeſſo fuerit, ut è contra illud ipſum fuerit τὸ κρινόμενον inter Paulum ipſoſque. Strenuè negabant hi ; affirmabat ille, multis argumentis contendens, ante & citra gratiam Evangelii nihil quicquam ab homine præſtari poſſe, quod verè bonum ſit, Deove ad ſalutem æternam gratum acceptumque.

§. 14. Arg. 2. " Abrahami & Davidis " opera non erant ſine gratia & fide facta : " At

" At hæc etiam à Justificatione excluduntur,
" Rom. 4. Falsum est igitur, quod sola o-
" pera sine gratia & fide facta excludantur."
Resp. De Davide non necesse est, ut multùm laboremus, cùm Apostolus ibi loci testimonium tantùm ex illo citet, quô probet, quod de Abrahamo priùs dixerat. Ad Abrahamum verò quod attinet, supponit in hoc argumento Paræus, quod in quæstione est, ipsum sc. spectari ab Apostolo, qualis erat post revelationem vocationemque divinam ipsi factam. Si enim statuamus, considerari à Paulo Abrahamum, qualis erat ante extraordinariæ vocationis gratiam, tum manifestè concidit totum Paræi argumentum. Posterius autem illud verum esse, non obscurè liquet ex capitis citati vers. 1 ubi totius de Abrahamo in sequentibus, saltem usq; ad vers. 9. controversiæ status ex professo ponitur his verbis: τί ὂυν ἐρῦμεν; Αβρααὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν ἐυρηκέναι κατὰ σάρκα; *Quid igitur dicemus? Abrahamum patrem nostrum invenisse, quod ad carnem attinet?* Duplici quidem ratione construi possunt hæc verba, primò, notâ interrogationis ad ἐρῦμεν positâ, ut τί ὂυν ἐρῦμεν sit tantùm quæstionis introductio, (ut cap. 6. 1. & 7. 7. & alibi) verba sequentia quæstio ipsa introducta, hôc modô: *Quid igitur dicemus? nempe, an dicemus, Abrahamum patrem nostrum invenisse secundum carnem?* Et tum ἐυρηκέναι idem valebit, quod ἐυρηκέναι χάριν Luc. 1. 30. vel δικαιοσύνην, quæ vox jam præcesserat; & tacita negatio fuberit interrogationi ejusmodi: *Minimè verò.* Sic Grotius. Secundò possunt ita legi hæc verba, ut τί conjungatur cum ἐυρηκέναι, & ad ipsam quæstionem referatur ad hunc modum: *Quid igitur dicemus Abrahamum patrem nostrum invenisse* (h. e. *consecutum esse*) *secundùm carnem?* Cui interrogationi responsio subintelligenda est: *nihil sanè qvicquam*, vel aliquid simile. Sed res hæc haud tanti est, ut de ea multùm litigemus; siquidem utrobiq, sensus idem maneat.

§. 15. Majoris momenti est quæstio ista, utrum verba κατὰ σάρκα conjungenda sint cum ἐυρηκέναι vel cum τὸν πατέρα? Origenes, Ambrosius, & Latini quidam codices vetusti, quos secutus & Erasmus, κατὰ σάρκα referunt ad τὸν πατέρα. Sed (meô quidem judiciô) pessimè. Nam, primò, lectio hæc (fatente Erasmo) fidei Græcorum Exemplarium plerorumque (dicere, opinor, potuisset omnium) repugnat. Deinde si Hyperbaton in Græco sermone statuas, adhuc desiderabitur articulus: legendum enim esset (ut notat ipse Erasmus) τὸν πατέρα ἡμῶν τὸν κατὰ σάρκα. Denique (quod sententiam istam maximè urget) si hôc modô legatur textus, falsum suberit Apostoli verbis; fingeretur enim ita dixisse: *Quid igitur dicemus, patrem nostrum secundùm carnem Abrahamum à Deo consecutum fuisse?* nihil sanè. At hoc falsissimum est; nam multa & magna consecutus est Abrahamus. Necesse est igitur, ut limitatio addatur, nempe κατὰ σάρκα. Sed vide hîc, quò studium partium viros alioquin doctos rapiat. Paræus enim, allegatâ interpretatione istâ, hæc verba subjungit: *Quam facilè amplector contra Sophistas, ne cavillentur, Justificationem detrahi operibus Abrahæ tantùm iis, quæ fecit secundùm carnem, h. e. ante conversionem & sine fide.* Sed quid est, si hoc non sit, Sophistam agere? Maneat ergo κατὰ σάρκα referendum esse ad ἐυρηκέναι, non ad τὸν πατέρα, ac proinde interrogationem Apostoli in negativam hanc propositionem esse resolvendam: *Pater noster Abrahamus nihil à Deo consecutus est, vel nullam cum Deo inivit gratiam*, h. e. *non fuit justificatus, secundùm carnem.* *In locum.*

§. 16. Illud unum restat inquirendum, quid per κατὰ σάρκα intelligat Apostolus. Atque hîc duplicem tantùm interpretationem dari posse video; vel primò, ut κατὰ σάρκα idem valeat, quod per circumcisionem & opera externa & carnalia, quam interpretationem multi Interpretes sequuntur: vel secundò, ut κατὰ σάρκα significet *ex viribus naturæ sine gratia.* Et sic propositionis negativæ hic erit sensus: Abraham non fuit justificatus apud Deum operibus ullis ex propriis viribus profectis, ac liberô suô arbitriô citra gratiam divinam præstitis. Posteriorem interpretationem lubens amplector ob has rationes: primò, quia hæc est usitatissima acceptio vocis σὰρξ in Novo Testamento, quæ frequenter spiritui, gratiæ, revelationi divinæ opponitur. Vide Mat. 16. 17. Gal. 1. 10. Deinde, quia controversia de circumcisione novâ quæstione ab Apostolo disertè proponi videtur v. 9. Denique huic negativæ propositioni ita intellectæ optimè quadrant argumenta, quibus ipsam in sequentibus confirmat Apostolus. Quod ut Lectori pateat, age, ea breviter percurremus.

§. 17. Primum ejus argumentum habemus v. 2. Ἐι γὰρ Αβρααὰμ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη, ἔχει καύχημα, ἀλλ' ὐ πρὸς τὸν Θεόν. Continent hæc verba rationem negationis præcedentis ab effectu negato: Si Abraham ex operibus sine gratia factis justificatus fuisset, habuisset aliquam apud Deum gloriandi materiam, quasi id ex se præstitisset,

quod in Dei judicio præmium reportaret. Atqui certum eſt, Abrahamum, quamcunque laudem meruerit apud homines, nullam gloriationem habuiſſe apud Deum: Non ergo operibus juſtificatus fuit Abraham. Verba enim πρὸς τὸν Θεὸν intelligenda ſunt cum ἔχει καύχημα in majori; & vice versâ, verba ἔχει καύχημα repetenda ſunt cum ὁ πρὸς τὸν Θεὸν in minori: quippe argumentum eſt à remotione conſequentis ad remotionem antecedentis. Haud me fugit, Veterum nonnullos argumentum Apoſtoli aliter formare, nempe hôc modo: Si operibus, i. e. factis externis, juſtificatus eſt Abraham, non habet gloriationem apud Deum; cùm externa ejuſmodi juſtitia, utut hominibus glorioſa appareat, in Dei tamen conſpectu ſordeſcat; At gloriationem habuit Abrahamus apud Deum, i. e. ab ipſo Deo fuit approbatus: ergo Abraham non eſt operibus juſtificatus. Miror, ſummos interpretes, Eſtium & Grotium, hanc Patrum expoſitionem ſecutos eſſe. Etiamſi enim concluſio ſit de mente Apoſtoli, præmiſſæ tamen (ut rectè Paræus) textui nullô modô quadrant. Major enim in textu eſt affirmans abſque negatione: Si eſt operibus juſtificatus, ἔχει καύχημα; cùm major propoſitio, quam ponunt Patres, negans ſit. Minor contrà, quam aſſumunt Veteres, affirmans eſt, cùm in textu ſit negans: ἀλλ' ὁ πρὸς τὸν Θεόν. Qui dixerit, verſiculum ſecundum totum ad majorem argumenti propoſitionem pertinere, næ is Syllogiſmum Apoſtoli mirè ellipticum fecerit, utpote ex una tantùm propoſitione conſtantem, nec minori, neque concluſione expreſſâ. Præterea manifeſtè loquitur Paulus de eadem gloriatione, quam paulò ante cap. 3. v. 27. per Legem fidei omnino excluſam eſſe, diſertè affirmaverat; quamque adeo Abrahamo, quem per illam fidei Legem juſtificatum fuiſſe, ubique contendit, tribuere non potuit: niſi velimus, ipſum in eodem orationis contextu pugnantia ſcripſiſſe. Diſtinctio enim Toleti inter καύχημα, quam vocem hîc uſurpat Paulus, & καύχησις, quâ ſuprà uſus erat, ut hæc jactantiam ſive gloriationem propriam (ut loquitur) notet, illa verò idem, quod laus aut approbatio ſignificet, perquam puerilis eſt, nulloque ſubnixa fundamento. Verum eſt quidem, quod dicit Grotius, eſſe aliquod καύχημα juſtum & licitum, etiam apud Deum, infrà cap. 5. v. 2, 3, 11. 1 Cor. 1. 31. & 2 Cor. 10. 17. At verò æquè certum eſt, ſolitum eſſe Apoſtolum, quoties de Juſtificationis negotio, ut hîc, agitur, omnem omnino gloriationem rejicere. Quid, quod ſecundùm hanc interpretationem Apoſtolus ſibi ipſi in terminis contradiceret? Fingeretur enim ita diſputaſſe: Si Abrahamus ex operibus juſtificatus fuit, h. e. juſtus in Dei conſpectu vel factus, vel habitus (utrô enim ſenſu vocem δικαιοῦσθαι hîc interpreteris, parum refert) tum ab hominibus tantùm laudem meruit, nullam vel laudem, vel mercedem, à Deo reportavit. Annon hoc perinde eſt, ac ſi dixiſſet Apoſtolus: Si Abraham ex operibus juſtificatus fuit, non fuit juſtificatus? Si dixeris, *juſtificari* hîc accipi pro *juſtum cenſeri ab hominibus*, reclamat totus Apoſtoli contextus, in quo de Juſtificatione hominis in conſpectu ipſius Dei quæſtionem agitari, clarius eſt quàm ut probatione indigeat. Deinde ſic etiam inepta erit in verbis Apoſtoli ταυτολογία, nempe talis: Si ex operibus Abraham approbatus fuit ab hominibus, tum ab hominibus tantùm approbatus fuit, non coram Deo. Hâc autem ratiocinatione quid abſurdius?

§. 18. Obiter autem hîc notandum, quòd ἐξ ἔργων & κατὰ σάρκα idem apud Apoſtolum ſignificent, & fatentibus Bezâ & Piſcatore, & regulis Syllogiſticis id neceſſariò poſtulantibus. Syllogiſmus enim Apoſtoli, ut vidimus, eſt hujuſmodi: Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet de quo glorietur apud Deum; At Abraham nihil habet, de quo glorietur apud Deum: ergo non eſt operibus juſtificatus. Concluſio hujus Syllogiſmi planè eadem eſſe debet ac propoſitio, cui probandæ argumentum allatum erat, v. 1. poſita, quæ fuit: *Abraham non eſt juſtificatus ſecundùm carnem.* Idem eſt igitur κατὰ σάρκα, quod ἐξ ἔργων. Unde etiam efficitur, per opera apud Paulum non intelligi opera ex gratia profecta; quippe quæ nullo ſenſu dici poſſint fieri, vel eſſe, κατὰ σάρκα.

§. 19. Pergit argumentando Apoſtolus, idque ex teſtimonio Scripturæ, v. 3. *Quid enim dicit Scriptura? Credidit Abraham Deo, & illud imputatum eſt ei in juſtitiam.* Allatum eſt hoc teſtimonium ad probandum vel propoſitionem v. 1. poſitam, nempe Abrahamum non fuiſſe juſtificatum per opera è ſuôpte ingenio profecta: vel aſſumptionem præcedentis argumenti v. 2. ſcilicet Abrahamum nihil habuiſſe, de quo in Juſtificationis negotio gloriaretur apud Deum. Et profectò utrique iſti rei declarandæ pulchrè inſervit.

§. 20. Referri poteſt ad probationem propoſitionis v. 1. poſitæ ad hunc modum: Si ex

ex se & ante vocationem divinam bona ulla opera feciſſet Abrahamus, quibus Juſtificationem adeptus ſit; Scriptura certè eorum operum mentionem feciſſet, iiſque Juſtificationem ejus tribuiſſet. Atqui illud non facit Scriptura, ſed contra juſtitiam ei imputatam fuiſſe oſtendit non niſi per ac poſt fidem ejus, promiſſis divinis, ex mera gratia priùs ipſi factis, habitam; ex qua proinde fide quicquid unquam eximii fecerit Abrahamus, profectum eſt: non igitur juſtitiam adeptus eſt κατὰ σάρκα, i. e. ex operibus ullis ante & citra fidem factis. Vel ſic: Teſtimonium juſtitiæ, Abrahamo in Scripturis datum, fidei ejus atque inde natæ obedientiæ diſertè tribuitur: nullam igitur vel laudem, vel juſtitiæ mercedem conſecutus eſt Abrahamus κατὰ σάρκα, ex operibus ante & citra fidem factis. Apprimè enim hîc notandum, Apoſtolum fidem Abrahami opponere operibus ejus non quibuſcunque, etiam ex fide profectis (illa enim in fide ejus cenſentur, ut fructus in ſemine) ſed iis tantùm operibus, quæ præſtitit κατὰ σάρκα v. 1. h.e. ſuis viribus, ante gratiam divinam ipſi factam.

§. 21. Sed hoc Scripturæ teſtimonium referri etiam poteſt ad probationem aſſumptionis v. 2. poſitæ; nempe, Abrahamum nihil habuiſſe, de quo in Juſtificationis negotio apud Deum gloriaretur. Imò hûc imprimis referendum eſſe liquet non modò ex cauſativa particula γὰρ, quæ innuit verſiculum hunc prioris ἀιτιολογίαν continere; verùm etiam ex ſequente ſermone v. 4, 5. ubi ex citato teſtimonio apertè colligit Apoſtolus, mercedem Abrahamo imputatam fuiſſe non ex debito, uti operantibus tribui ſolet, ſed ex mera gratia; ac proinde nihil habuiſſe Abrahamum, de quo in Juſtificationis negotio gloriaretur apud Deum.

§. 22. At quâ ratione, inquies, id colligit Apoſtolus ex allegatis Scripturæ verbis? Reſp. Nonnulli putant vim argumenti ſitam eſſe in ſignificatione vocis ἐλογίσθη, quaſi λογίζεσθαι Apoſtolo idem eſſet ac λογίζεσθαι κατὰ χάριν, & ſignificaret gratioſam acceptationem; retributionem ex juſtitia, vel nunquam, vel non niſi impropriè. Unde Eraſmus verbum λογίζεται v. 6. interpretatur, *acceptum fert*, ſubjungens: *Eſt autem acceptum ferre, pro accepto habere quod non acceperis; quæ apud Jureconſultos, nî fallor, vocatur acceptilatio.* Atque hanc Eraſmi interpretationem ſeqvuntur multi Interpretes doctiſſimi, Apoſtoli argumentum ita formantes: Si Abrahamo merces ex debito retributa eſſet, non diceret Scriptura, Deum ipſi *imputâſſe juſtitiam*, (ſiquidem *imputatio* notat donationem gratuitam) At dicit Scriptura, Deum Abrahamo *imputâſſe juſtitiam*; ergo &c. Sed hæc interpretatio mihi non placet; cùm ex Scripturis liqueat, verbum חשב, cui reſpondet λογίζομαι, uſurpari etiam de imputatione alicujus rei in peccatum, ſive in pœnam peccati 2. Sam. 19. 19. quam imputationem ex juſtitia fieri, nemo negârit. Quin & eadem vox frequenter in Scripturis ſignificat veram & juſtam de re aliqua æſtimationem ſive judicium, ut Deut. 2. 11. 20. Quid, quod Paulus ipſe, idque hôc ipſo in loco, vocem hanc uſurpat de retributione ex debito v. 4. Ibi enim verbum λογίζεται, ἀπὸ κοινῶ repetendum eſſe cum κατὰ τὸ ὀφείλημα, nimis manifeſtum eſt. Cenſeo itaque collectionem Apoſtoli, quâ infert ex textu citato, Juſtificationem Abrahami fuiſſe merè gratuitam, haud niti nudâ ſignificatione vocis ἐλογίσθη, ſed partim naturâ rei, quæ Abrahamo in juſtitiam imputari dicitur; partim priori ſtatu & qualitate perſonæ, cui imputata erat.

§. 23. Res, quæ Abrahamo in juſtitiam imputari dicitur, erat fides, indeque nata obedientia. Fidei autem obedientia, ut aliquoties diximus, ipsâ ſui notione meritum omnino omne excludit. Supponit enim gratioſam Dei revelationem credenti priùs factam, atque adeo promiſſa talia, quæ ſuâ excellentiâ credentem fortiter extimulent ad obedientiam illam Deo præſtandam, ſub cujus conditione bona promiſſa acquirenda ſunt, quæque univerſum iſtum laborem, (quantus quantus ſit) qui ex eorum fide ſuſcipitur, non tantùm exæquent, ſed & longiſſimè ſuperent. Ita planè ſe res habuit in exemplo Abrahami: Credidit quidem ille Deo, ſed priùs ſe Deus ipſi gratioſè ac modô planè extraordinariô revelaverat Act. 7. 2,3. Juſſui divino paruit, ad longum, moleſtum, periculoſum iter vocanti; atqui alas itineri addidit Deus ipſe, bona tam ingentia promittens, quæ ſuâ ſpe vel decrepitum ſenem juvenili robore perfunderent, atque ad moleſtiam quantamcunque alacriter ferendam animarent. Quicquid igitur Abrahamus laude dignum effecit, id totum gratioſæ revelationi, ac liberaliſſimis promiſſis, ipſi à Deo ex mera ſua miſericordia factis, acceptum referri debet. Nulla igitur Abrahamo gloriandi materia, nullum meritum. Hûc reſpexiſſe videtur Apoſtolus v. 5. ubi, cum id, quod v. 4. de operante negatum erat, ipſi ſcilicet mercedem imputatam eſſe κατὰ χάριν, repetendum eſſet in ſequenti oppoſitione, ac de credente affirmandum hôc modô: *At credenti merces imputatur ſecundùm gratiam*; planè aliter facit Paulus: *Credenti* (inquit) *fides ejus imputatur in juſtitiam.* Quaſi diceret: Eô ipsô, quòd fides ejus

ejus imputatur in juſtitiam, Juſtificatio ejus eſt merè gratuita; cùm fides per ſe gratiam ſonet, & meritum excludat.

§. 24. Hîc autem (ſed ὡς ἐν παρόδῳ) aliquantiſper inhærendum verbis Apoſtoli v. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur ex gratia, ſed ex debito.* Qui locus, ut clariùs intelligatur, duo inquirenda ſunt; primò, quid ſignificet vox ἐργαζόμενῳ; dein, quid ſibi voluerit Apoſtolus, cùm τῷ ἐργαζομένῳ mercedem κατ' ὀφείλημα reddi affirmat? Ad prius illud quod attinet, ὁ ἐργαζόμενῳ eum indigitat, qui operatur ex ſe ſuiſque viribus, nullis gratiæ divinæ auxiliis adjutus. Nam is mihi videtur propriè dici ὁ ἐργαζόμενῳ. Qui enim per gratiam Dei operatur, non tam is operatur, quàm gratia Dei in ipſo, 1. Cor. 15. 10. Gal. 2. 20. Et hunc ſenſum firmat loci contextus. Præterquam enim quòd Apoſtolus (uti vidimus) diſputationem ex profeſſo inſtituit de operibus Abrahami, quæ præſtitit κατὰ σάρκα, initiô capitis; illud quoque adprimè obſervandum, quòd ὁ ἐργαζόμενῳ hîc directè opponatur τῷ πιστεύοντι, h. e. ei qui operatur ex fide divinorum promiſſorum, atque adeo cujus opera gratiæ divinæ, quæ ipſum maximis & liberaliſſimis promiſſis ad operandum excitavit (additâ magnâ Spiritûs efficaciâ, quæ etiam non niſi poſt ac per fidem accipitur) deputanda ſint. Jam ſecundô in locô, ad verba illa κατὰ τὸ ὀφείλημα quod ſpectat, ut ea ſtrictè ac rigidè accipiantur, nulla ratio patitur. Nemini enim, licèt perfectiſſimè operanti, idque ex meræ naturæ viribus, merces vitæ æternæ propriè deberi dici potuiſſet. Ne ipſi quidem primo homini, ſi perſtitiſſet in ſua innocentia, neque ullo unquam peccato fœdus divinum violâſſet, id potuiſſet tribui. Verbô dicam: nulli creaturæ, licèt excellentiſſima ea ſit, excellentiſſimoque modô operetur, illud competat, ut vitæ æternæ præmium ei ex ſtricto jure debeatur. Præterquam enim quòd bonum æternæ vitæ ſit abſolutiſſimum, immenſum, infinitum, atque adeo omnia omnium creaturarum opera infinitis gradibus tranſcendens; illud etiam Apoſtoli ἐρώτημα tale eſt, ut ei à nemine reſponderi poſſit: τίς προέδωκεν αὐτῷ, καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ; Rom. 11.35.

Certô igitur certius eſt, hæc Apoſtoli verba, *operanti autem merces non imputatur ex gratia, ſed ex debito,* non abſolutè ac ſimpliciter intelligenda eſſe, ſed comparatè; ut ſignificet Apoſtolus, mercedem ei, qui eô, quem diximus, modô operatur, non ex tam mera ac pura puta Dei gratia tribui, quàm ſi credenti, h. e. ex fide operanti, detur. Senſus itaque verborum Apoſtoli hic eſt: Ei quidem, qui operatur, h. e. nativis viribus ſine Dei gratia Deo obtemperat, ac juſtitiam præſtat, ſi merces à Deo vitæ æternæ retribueretur, videretur ea quaſi ex debito dari, & ſupereſſet tali operanti ſaltem aliqua gloriandi ſpecies: at cùm imputatur merces ei, qui non operatur, ſed credit, i. e. qui nihil ex ſe operatur, ſed ex fide, & poſt fidem Deo ſe gratioſè revelanti habitam; illuſtris hîc apparet gratia Divina, ἐξεκλείσθη ἡ καύχησις, *excluſa eſt gloriatio,* Rom. 3. 27. meritum omne humanum foràs ejicitur. Imò conſpicitur hîc χάρις ἀντὶ χάριτος, *duplicata Dei gratia:* primò, quod hanc fidei obedientiam gratiâ ſuâ, omne ejus meritum antevertente, in homine efficiat; dein, quod eandem obedientiam, quam ipſe in homine effecerit, in juſtitiam ei imputet, præmiôque immenſô afficiat, haud aliter, quàm ſi ex ſe illam præſtitiſſet.

§. 25. Conſiderat etiam Apoſtolus in hâc ſua argumentatione ſtatum priorem & conditionem perſonæ, nempe Abrahami, cui fides hæc in juſtitiam imputata erat. Erat is ἀσεβὴς, *impius,* & gravibus peccatis implicatus, ideoque ſignanter dicit Paulus, Abrahamum credidiſſe ἐπὶ τὸν δικαιοῦντα τὸν ἀσεβῆ, *in eum, qui juſtificat impium:* eô innuens, tantum abfuiſſe, ut Abrahamus ante vocationem divinam bonis ullis operibus Deum promeruerit, ut è contra maximorum peccatorum reus fuerit; adeoque miram fuiſſe Dei miſericordiam, tum quòd tanto peccatori ſeipſum ſingulari planè ratione revelaverit, ipſumque vocârit ad ſui cultum; tum quòd ipſum revelanti credentem, vocanti obſequentem, non tantùm peccatorum iſtorum veniâ beaverit, ſed & maximis inſuper præmiis affecerit. At quænam, inquies, fuit iſta Abrahami ante vocationem ſuam impietas? Reſpondeo: Idololatria impietatum maxima, ut apertè teſtatur ipſa Scriptura Joſh. 24. v. 2, 3, &c. Neque enim audiendi ſunt, qui magno conatu loco iſti alium ſenſum affingere, atque Abrahamum ab hoc turpiſſimo ſcelere vindicare, neſcio quibus argutiis, ſtudent. Verba textûs ſatis manifeſta ſunt: dicit enim Deus numerô multitudinis, *Patres Ebræorum ſerviiſſe Diis alienis;* exprimit autem quos intelligat, *Thare, Patrem Abrahami, & Patrem Nachoris,* ita ut tres illos patrem cum liberis in eadem categoria ponat. Poſtquam etiam dixiſſet: *Servierunt Diis alienis,* addit: *Et aſſumpſi Patrem veſtrum Abrahamum v. 3.* evidenter indicans, in beneficiis erga Iſraelitas hoc commemorari, quòd, cùm Majores eorum, nempe uterque Iſraelis avus Paternus & Maternus, Abraham & Nachor, cum Patre ſuo in Chaldæa degentes, alios Deos colerent,

rent, Deus Abrahamum ex mera sua misericordia, nullô ejus meritô assumpsit, eique hæreditatem & hæredem dedit: ut locus hic claram argumento Apostoli lucem afferat.

§. 26. Videtur etiam his verbis Paulus tacitô quidem, at fortissimô argumentô perstringere Judæorum arrogantiam, qui ἐξ ἐθνῶν ἁμαρτωλὸς, peccatores & idololatras Gentiles, Gal. 2. 15. licèt ad verum Deum in Christo per fidem, pœnitentiam, novæque vitæ susceptionem conversos averssarentur; & nisi vel longâ & jugi operatione probatos, vel saltem circumcisione & sacrificiis purgatos, ad Justificationis gratiam nequaquam admitterent. Ostendit enim his verbis Apostolus, Abrahamum Patrem ipsorum (atque in eo quidem ipsos) eôdem planè modô ex idololatria & Deorum falsorum cultu vocatum fuisse, & statim post fidem promissis Dei habitam, atque obedientiam vocationi divinæ præstitam, (etiam non adhuc susceptâ circumcisione, ut mox ostenditur) Deo fuisse gratum acceptumque. Quis non hîc miretur divinum Apostoli ingenium! Interim ad omnes justificatos hoc pertinet, cùm nemo sit, qui gravium peccatorum ante acceptam gratiam non sit reus, quique proinde veniâ & remissione divinâ non indigeat. Quod optimè probat Apostolus testimoniô ex Davide allatô v. 6, 7, 8. deinde ad controversiam de circumcisione transit v. 9.

§. 27. In hoc Abrahami exemplo diutiùs forsitan immorati sumus, quàm proposita objectio postularet; at non temerè aut inconsultò id fecimus. Cùm enim Abrahamus hîc à Paulo consideretur, ut Pater fidelium, ac magnum illud justificatorum omnium exemplar v. 11, 12. fieri non potest, quin probè intellectô Apostoli sermone de ipsius Justificatione, lux inde magna disputationi huic de Justificatione universæ accrescat. Accedit, quòd hinc clarè eluceat concordia inter Jacobum & Paulum, cùm ex eodem Abrahami exemplo hic hominem justificari sine operibus, ille justificari hominem ex operibus concludat. Nempe considerat Abrahamum Paulus κατὰ στάσιν, qualis erat ante vocationem; Jacobus verò ut gratiâ & vocatione divinâ jam donatum. Justificationem ejus operibus ante fidem factis ille detrahit; tribuit hic operibus ex fide profectis: nulla hîc inter Apostolos contradictio. Quod fusè explicat Augustinus *Tom.* 4. *lib.* 83. *Quæstionum, quæst.* 76. Claudam hunc de Abrahamo sermonem insigni testimoniô S. Clementis Romani, Pauli συνεργῦ & συνχρόνυ, adeoque sensum Apostoli optimè edocti, qui, in genuina ad Corinthios Epistola, ad omnes justificatos, quod hîc de Abrahamo dicit Apostolus, accommodans sic loquitur: Καὶ ἡμεῖς ἐν διὰ θελήματος αὐτοῦ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ κληθέντες, οὐ δι' ἑαυτῶν δικαιόμεθα, οὐδὲ διὰ τῆς ἡμετέρας σοφίας, ἢ συνέσεως, ἢ εὐσεβείας, ἢ ἔργων ὧν κατειργασάμεθα ἐν ὁσιότητι καρδίας, ἀλλὰ διὰ τῆς πίστεως, δι' ἧς πάντας τοὺς ἀπ' αἰῶνος ὁ παντοκράτωρ Θεὸς ἐδικαίωσε. Nimirum cùm Paulus Abrahamum ejusque filios fide solâ sine operibus justificari contendit, ejusmodi tantùm opera (si Clementi interpreti credimus) excludit, quæ ex propria hominis sapientia, intelligentia, pietate, sanctitate, h. e. ex libero ejus arbitrio, gratiâ Christi destitutô, profluunt. Ac sane opera, quæ ex fide gratiaque proficiscuntur, à Justificatione non excludi per Christi Evangelium, non uno in loco nos docet Vir idem Apostolicus. Nam paulò superiùs de eodem Abrahamo locutus, hæc habet: τίνος χάριν εὐλογήθη ὁ πατὴρ ἡμῶν Αβραάμ; οὐχὶ δικαιοσύνην καὶ ἀλήθειαν διὰ πίστεως ποιήσας; i. e. *Cujus gratiâ Abraham pater noster benedictus fuit? nonne quia justitiam & veritatem per fidem operatus est?* Quin & alibi remissionem peccatorum, h. e. Justificationem, non nisi ex præceptorum Dei per charitatem impletione obtineri, disertis verbis ostendit: Μακάριοι ἐσμὲν, ἀγαπητοὶ, εἰ τοῖς προστάγμασι τοῦ Θεοῦ ἐποιήσαμεν ἐν ὁμονοίᾳ ἀγάπης, εἰς τὸ ἀφεθῆναι ἡμῖν διὰ ἀγάπης τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν. γέγραπται γὰρ· Μακάριοι ὧν ἀφέθησαν αἱ ἀνομίαι, καὶ ὧν ἐπεκαλύφθησαν αἱ ἁμαρτίαι· μακάριος ἀνὴρ οὗ οὐ μὴ λογίσηται κύριος ἁμαρτίαν, οὐδὲ ἔστιν ἐν τῷ στόματι αὐτοῦ δόλος. i. e. *Beati sumus, dilecti, si præcepta Domini in Charitatis concordia impleverimus, ut per Charitatem peccata nostra nobis remittantur. Scriptum enim est: Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum, neque est in ore ejus dolus.* Ubi etiam apprimè observandum est, S. Clementem colligere, veram Charitatem ejusdemq; opera ad remissionem peccatorum, h. e. ad Justificationem, necessariô requiri, ex iisdem Davidis verbis, quibus B. Paulus Justificationem ex fide sola voluit adstruere. Neque temerè hîc ratiocinatus est Vir Apostolicus; cùm verba Davidis liquidò ostendant, nemini beatitudinem remissionis peccatorum contingere, qui non sit ab omni fuco doloq; immunis, h. e. verâ atq; infucatâ charitate erga Deum proximumq; suum inflammatus.*

Pag. 40.

Pag. 65.

Psal. 32.

* *Paulo antè quoq; hæc habet verba:* Ἀγάπη κολλᾷ ἡμᾶς τῷ Θεῷ· ἀγάπη καλύπτει πλῆθος ἁμαρτιῶν.

§. 28. Arg. 3. Reſtat ultimum Paræi argumentum, quô probare nititur, etiam opera verè bona, atque ex fide profecta, à Juſtificatione excludi. " Si, *inquit*, bona opera " nulla fiunt niſi à juſtificatis (ſeqvuntur " enim juſtificatos, non præcedunt juſtifi- " candos, ait Auguſtinus) falſum igitur, " quod ipſa juſtificent coram Deo: juſti- " ficarent enim jam juſtificatos." Reſp. De Auguſtini effato ſuperiùs * diximus, quantum ſufficere putamus. Ad Hypotheſin verò hujus argumenti quod attinet, nempe nullum opus verè bonum præcedere poſſe Juſtificationem; ea eſt & falſiſſima, & periculoſiſſima. Eâ enim conceſsâ, ſequeretur 1ò. Deum juſtificare homines impios adhuc manentes, in peccato hærentes, ab omni ſanctitate alienos; quod ab horrenda blaſphemia propè abeſt, & multis Scripturæ locis diſertè repugnat. Vid. Exod. 34. 7. 1 Reg. 8. 32. Prov. 17. 15. Pſ. 5. 4, 5. & 11. 4, 5, 7. Eſai. 48. 22. & 57. 22. —— Sequeretur 2ò. ne ex fide quidem hominem juſtificari poſſe; fides enim eſt bonum opus. Si itaque nullum opus verè bonum præcedat Juſtificationem, neq; fides præcedit, ac proinde fide juſtificari dici non poſſumus: juſtificaret enim jam juſtificatos. Nec juvabit hîc Paræum uſitatum iſtud σοφὸν φάρμακον, ſc. fidem juſtificare non quatenus eſt opus bonum, ſed ut inſtrumentum apprehendendi Chriſtum. Non enim illud hîc quæritur, an fides, quatenus eſt opus bonum, juſtificet; ſed an fides ſit bonum opus, & an præcedat Juſtificationem: quod utrumque apud ſanos omnes, nî fallor, in confeſſo eſt. Si autem fides ſit opus bonum, & Juſtificationem præcedat, ſequetur, falſum eſſe, nullum opus verè bonum præcedere poſſe Juſtificationem. Sequeretur denique 3ò. opera pœnitentiæ non eſſe opera verè bona, cùm ea præcedere Juſtificationem ſive remiſſionem peccatorum, & Scripturæ (ut ſuperiùs oſtendimus †) apertè teſtentur, & Proteſtantes omnes ſaniores libenter agnoſcant. Res eſt, nulla opera verè bona præcedere poſſe gratiam Dei, cum ſine gratia illa ne præſtari quidem poſſint. At poſſunt opera bona præcedere Juſtificationem, imò & revera præcedunt; quippe datur gratia ante Juſtificationem, ut præſtentur ea, quibus ad Juſtificationem perveniatur.

§. 29. Eſt & altera in hoc Paræi argumento Hypotheſis perinde falſa ac prior, nempe, jam juſtificatos non poſſe ampliùs juſtificari; quippe certum eſt (quod etiam antè || oſtendimus) Juſtificationem eſſe actum continuum, neq; ante obitum perfectum ac conſummatum. Etiamſi igitur per pauciora illa & minora pœnitentiæ opera ad primam Juſtificationis gratiam pervenimus; tamen ſi tempus adhuc bene operandi conceditur, omnino neceſſaria ſunt opera gratiæ ſubſequentia ad acceptam Juſtificationem conſervandam, atque ad finem uſque perducendam. Gratia enim Dei in Chriſto per fidem ac pœnitentiam adepta, continuô inſuper bene operandi curſu non cuſtodita amittitur. Diſerta ſunt ac ferme innumera Scripturæ loca, quæ id docent: inter alia conſule, Mat. 18. 32, 33, 34, 35. Joan. 15. 3, 4, 5, 6, 7, 9, 10. Rom. 11. 19, 20, 21, 22. Gal. 3. 3, 4. Heb. 3. 14, & 10. 23, 24, 26, 35, 36. 2 Jo. v. 8.

---

* *Cap. 3. hujus Diſſertationis §. 2. ubi etiam vide Annot.*
† *Diſſert. I. cap. 2. §. 6, & 7.*
|| *Cap. 1. hujus Diſſertat. §. 5.*

ANNO-

ANNOTATA

Ad CAP. XII.

§. III. *seqq.*

§. 1. ALiquot Argumenta, ex ipsius S. Pauli Epistolis deprompta, attulit Vir Reverendus, probaturus ea, quæ Apostolus à Justificatione excludit, ἔργα non esse opera, quæ homo præstat excitatus gratiâ Divinâ, eum à peccatis ad justitiam convertente, atque interiùs renovante, sed opera ductu Legis, sive Naturæ, sive Mosis, ex solis humani arbitrii viribus profecta, eaq; externa, in quibus justitia non modò Gentilium, sed & inter Judæos Scribarum atq; Pharisæorum consistebat. Atqui cùm hoc præcipuum omnis de Justificatione controversiæ sit caput, unam atq; alteram pro hâc Thesi rationem ex ipso 4 Capite Epistolæ ad Romanos petitam addere libet. Nimirum istis operibus hominem justificari negat Paulus, quorum ne quidem præsentia in eo, qui justificatur, est necessaria. Id quod innuit Apostolus Rom. III. 21 & 28. istis formulis, χωρὶς νόμου, & χωρὶς ἔργων νόμου· clariùs autem docet cap. 4. v. 5 ubi ait: Τῷ δὲ μὴ ἐργαζομένῳ κ. λ. *Ei verò qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat impium, reputatur fides ejus ad justitiam.* Atqui pœnitentiam agere, ac opera ei congrua, DEO adjuvante, facere, necessariò à peccatore justificando requiritur, ut ipsi solius fidei justificantis Patroni confitentur. Non igitur talis pœnitentia, quiq; ex ea procedunt boni actus, sunt ista, contra quæ Paulus disputavit, opera. Si verò quis nihilominus pertinaciter contendere velit, Apostolum sub ἐργαζομένῳ etiam ex gratia DEI operantem complecti, is tali Syllogismô ad absurdum deducendus est:

Ei qui non operatur, fides reputatur ad justitiam;

Qui DEO ad pœnitentiam invitante, eam tamen non agit, est is qui non operatur:

Ergo ei qui DEO ad pœnitentiam vocante, eam tamen non agit, fides reputatur ad justitiam.

Quæ Conclusio cum sit absurdissima, Minor Propositio quoq; talis existat necesse est; siquidem Major est ipsissima Apostoli enuntiatio.

§. 2. Porro ad supradictam Thesin nostram confirmandam ex Psalmo XXXII. quem Apostolus contra Justificationem per opera allegavit, tale deduco argumentum:

Opera quæ à Justificatione excluſit Apostolus, Psalmô XXXII. ad beatitudinem hominis & remissionem peccatorum haud requiruntur, aut ibidem memorantur;

Atqui integritas cordis et confessio peccatorum Psalmô XXXII. ad beatitudinem hominis & remissionem peccatorum requiruntur, ac expressè ibi memorantur:

Ergo integritas cordis & confessio peccatorum non sunt ea opera, quæ à Justificatione excluſit Apostolus.

Major propositio ex ipsa Apostoli argumentatione deducitur: Minoris veritas ex citati Psalmi contextu patet; siquidem vers. 2. post ista quæ Paulus allegavit verba: *Beatus, cui non imputaverit Dominus peccatum*, immediatè sequitur: *Et in spiritu ejus non est dolus.* Deinde vers. 3 & 5. *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea, dum clamarem totâ die. — Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi. Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino; & tu remisisti impietatem peccati mei.*

§. 3. Si ulteriùs in capite 4. Epist. ad Romanos progrediamur, hæc vers. 13. nobis occurrunt verba: *Non enim per Legem promissio Abrahæ aut semini ejus, ut esset hæres mundi; sed per justitiam fidei.* Ex quibus liquet, Apostolum Mosaicæ quidem Legis opera à Justificatione removere, utpote quibus nulla talis promissio annexa est, qualis Abrahamo facta fuit; supponere autem utiq; quod nos justificemur per istam justitiam, per quam Abrahæ & semini ejus promissio hæreditatis mundi obtigit.

git. Atqui hanc eſſe juſtitiam operum ex fide & gratia DEI profectorum, ex duobus Geneſeos locis conſtat. Ita enim Cap. XVIII. v. 17, 18. 19. DEUS loquitur: *Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum, cùm futurus ſit in gentem magnam & robuſtiſſimam, & benedicendæ ſint in illo omnes nationes terræ? Scio enim, quod præcepturus ſit filiis ſuis & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam Domini, & faciant judicium & juſtitiam, ut adducat Dominus ſuper Abraham omnia, quæ locutus eſt ad eum.* Magis inſignia adhuc ſunt DEI ad Abrahamum poſt oblationem Iſaaci verba Genes. XXII. 16, 17, 18. *Per memetipſum juravi, dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cœli, & velut arenam, quæ eſt in littore maris: poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum ſuorum, & benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ.* Atqui hunc inter alios locum reſpexiſſe Paulum, dum promiſſionem Abrahæ & ſemini ejus factam memorat, patet ex Hebr. VI. 13, 14, 15. *Abrahæ namq; promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem juraret majorem, juravit per ſemetipſum, dicens: Niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et ſic patienter expectans, adeptus eſt repromiſſionem.* Promiſſio itaq; facta eſt Abrahæ, quia *fecit* hanc rem, & non pepercit filio ſuo, & quia *obedivit* voci Dei; ut adeo ex *factis* ſive operibus juſtificatum fuiſſe Abrahamum, dum Iſaacum immolare voluit, meritò ex illo ipſo loco docuerit Jacobus. Confer Annotata ad hujus Diſſertat. Cap. 1.

§. 4. Deniq; illa etiam, quæ Apoſtolus verſ. 2. cap. 4. ad Romanos de Abrahamo habet verba, aliud adhuc pro Theſi noſtrâ argumentum ſuppeditant: *Si enim*, inquit, *Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet gloriam, ſed non apud Deum.* Quæ à quibuſdam Viris doctis, & ab ipſo doctiſſimo Auctore noſtro §. 17. hujus Capitis diverſimodè quidem explicata, mihi planè videntur reſponſionem continere ad quæſtionem verſ. 1. propoſitam: *Quid ergo dicemus Abraham patrem noſtrum inveniſſe ſecundum carnem?* atq; id velle, quod Abraham per circumciſionem carnis, aliaq; ejuſmodi opera externa, juſtitiæ laudem reportaverit, non tamem coram DEO, ſed coram hominibus. At verò de internis à Divina Gratia elicitis actibus, deq; circumciſione cordis tale quid dici nequit; ſiquidem de eo qui hâc præditus eſt, homine Apoſtolus præcedenti cap. 2. vers. ult. contrarium planè pronunciat: *Cujus*, inquit, *laus non eſt ex hominibus, ſed ex DEO.* Plura ex aliis Pauli & S. Scripturæ locis argumenta haud profero, quòd hæc rem ſatis clarè demonſtrent iis, qui perverſô judiciô aut præjudiciô non ſunt præpediti. Qui verò alterutrô laborant, iis convincendis nec centum forte ſuffecerint rationes.

CAP.

CAP. XIII.

Consectarium alterum ex argumento Apostoli ab infirmitate Legis elicitum, nempe, tantum abesse, ut à Paulo necessitas bonorum operum ad Justificationem tollatur, ut è contrà scopus ipsius sit ostendere, veram operum justitiam esse omnino ad Justificationem necessariam; atque Evangelium esse unicum illud efficax instrumentum, quô ad justitiam illam adduci quis possit. Loca quædam eò spectantia notantur. Primarium inter Legem & Evangelium discrimen ostenditur.

§. 1. REstat, ut alterum illud superiùs indicatum breviter etiam explicemus; nempe, quantum ex hoc Apostoli argumento roboris doctrinæ Jacobi de Justificatione ex operibus accrescat. Res certè in aperto est, nec longâ, aut operosâ probatione indiget.

§. 2. Nimirum tantum abest, ut à Paulo necessitas bonorum operum ad Justificationem consequendam tollatur, ut è contrà scopus ipsius sit, duo hæc ostendere: 1ò. Veram operum justitiam esse omnino ad Justificationem necessariam. Quippe cùm hôc imprimis argumentô pugnet Apostolus contra Justificationem ex Lege, quòd ea per se impar sit hominibus ad veram operum justitiam adducendis, manifestè supponit (ut cum Scholâ loquar) sine tali justitia neminem ad Justificationem pervenire posse. Nisi enim illud supponatur, argumentum ejus omnino invalidum esse, cuivis mediocriter rem attendenti liquebit. 2ò. Evangelium esse unicum illud efficax instrumentum, quô ad justitiam illam pervenire quis possit. Quod enim Legi detrahit Apostolus, concedit Evangelio. Infirma erat Lex Mosis, nec poterat hominem justificare, quia iis ipsum auxiliis destitutum reliquit, quibus pietatem illam assequeretur, sine qua Deo Sanctissimo ad salutem placere sit prorsus impossibile. E contrà Lex Christi potentissima est, ac miseris peccatoribus ad Justificationem perducendis abunde sufficiens: quippe quæ omnia ad eandem illam pietatem in ipsis efficiendam necessaria affatim suppeditet, tum vitæ æternæ lucem apertissimè revelando, atq; adeo ipsius fidem apertissimis documentis faciendo; tum imprimis gratiam Spiritûs S. non tantùm necessariam, sed & copiosam atq; abundantem largiendo.

§. 3. Est hic evidentissimus hujus argumenti scopus, ut in eo explicando multis testimoniis evicimus; quibus & hæc addas. Cùm cap. 8. ad Roman. v. 1. dixisset Apostolus, nullam esse condemnationem iis, qui in Christo Jesu sunt, h. e. qui Evangelio credunt, plenè ac perfectè esse justificatos; hanc subjungit rationem, v. 2. *Lex enim Spiritûs vitæ in Christo Jesu liberavit me à Lege peccati & mortis*, h. e. Spiritus ille Christi vivificus, qui Evangelium comitatur, liberavit me primùm à peccandi consuetudine, dein à morte æterna, quæ consuetudinem illam necessariò sequitur: manifestè ostendens, ideo per solum Evangelium liberari nos à reatu peccati, h. e. justificari, quia ex illo solo promanat gratia illa efficacissima, quâ à peccati dominio liberati, piæ sanctæq; vitæ asseramur. Quæ enim hîc commentatur Paræus, meræ sunt nebulæ, quibus veritatem ipso Sole clariorem obfuscare nititur. Quid enim? Legem peccati exponit de Lege Mosis. At Legem Dei appellari ab Apostolo Legem peccati, plusquam dura esset locutio. Quid, quòd hæc interpretatio verbis Apostoli, vers. 22, 23, 25. præcedentis capitis, manifestè repugnat? Ibi enim Lex peccati Legi Dei directè opponitur, ac de vi illa dominatrice peccati in carne membrisque residente, ac Legi Dei repugnante exponitur. Hoc ipsum quoque clariùs adhuc liquet ex vers. 3, & 4. hujus octavi capitis; ubi ostendit Apostolus, illud, quod Legi ἀδύνατον erat, Christum præstitisse; nempe ut peccatum in carne interficeretur, & δικαίωμα *justitia Legis impleretur in nobis, non secundùm carnem, sed secundùm Spiritum ambulantibus.* Audi hîc iterum Paræum, ita hæc verba exponentem: *Ut maledictioni Legis maledictâ morte crucis Christi satisfieret, & ea satisfactio nobis imputaretur, non secus*

atque in nobis impleta fuiſſet. Quid hâc interpretatione audacius? Nam, primò, exponit Paræus δικαίωμα Legis per maledictionem ejus, quod de juſtitia in Lege præſcriptâ intelligi debere, & res ipſa loquitur, & ex hujus Epiſtolæ cap. 2. verſ. 26. clarè liquet. Deinde interpretatur locum de juſtitia quadam quæ extra nos ſit, nobiſque tantùm imputata; cùm Apoſtolus diſertè dicat, hanc Legis juſtitiam impleri ἐν ἡμῖν, *in nobis.* Denique Apoſtolum audire recuſat ſe liquidò explicantem, quomodo hæc Legis juſtitia in nobis impleatur, in hôc ſc. *quod non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm Spiritum ambulemus.*

§. 4. His locis convenienter meritò interpretati ſunt Antiquorum nonnulli locum illum Rom. 3. ult. ubi Apoſtolus objectionem contra ſuam de Juſtificatione doctrinam proponit diluitque his verbis: Νόμον οὖν καταργοῦμεν διὰ τῆς πίστεως; μὴ γένοιτο, ἀλλὰ νόμον ἱστῶμεν. Nempe (ut notant Chryſoſtomus & Auguſtinus) fides dicitur *ſtabilire Legem*, quia gratiam impetrat, quâ Lex impleatur. Quippe Legis firmitas, impletio, conſummatio potiſſimùm in obſervatione præceptorum ejus ſita eſt. Et revera Lex gratiâ Evangelii deſtituta, ſuô locô, ſuô honore ſtare non poterat; quin ab hominibus carnis affectibus mancipatis contempta & quaſi conculcata jacuit: additâ autem hâc gratiâ, ſedem & veluti ſolium recuperavit, ac jus ſuum finemque primarium, nempe ad obedientiam ipſi præſtandam homines adducendi, obtinuit.

§. 5. Plura loca his adſtipulantia haud difficile eſſet proferre, niſi in re jam fuſiùs probatâ id ſupervacaneum eſſet. Illud tantùm coronidis loco adjiciam, liquere hinc, quodnam ſit inter Legem per ſe ſpectatam atque Evangelium præcipuum diſcrimen; hoc ſcilicet, quod Evangelium largiatur gratiam, juſtitiæ illi præſtandæ neceſſariam, quam Lex tantummodò oſtendit. In hôc potiſſimùm eximia illa Evangelii ſupra Legem ἐξοχὴ ac præſtantia ab Apoſtolo manifeſtè ſtatuitur. Hinc ſumma illa, quibus Evangelium exornat, Elogia, quòd ſit διακονία πνεύματος, νόμος πνεύματος ζωῆς, δύναμις Θεοῦ, δύναμις Θεοῦ εἰς σωτηρίαν &c. Hæc utinam ſeriò expendiſſent Reformatorum Theologorum plerique, qui de diſcrimine Legis & Evangelii multa ſcripſerunt, *quique* (ut falsè Grotius) *in hac de Juſtificatione controverſiâ triumphant, quaſi incognitam plurimis ſæculis lucem è cœlo detuliſſent.*

Vide Heb. 8. 10, 11.

Vot. pro pac. ad Art. 4. p. 21.

CAP.

CAP. XIV.

Loca quædam, in quibus Apostolus Legem imprimis ritualem oppugnat, indicantur. Externum & ritualem Legis cultum à Justificatione ita rejicit, ut in ejus locum internam ac spiritualem Evangelii justitiam substituat. Argumentum inde contra Solifidianos invictum.

§. 1. DE Argumentis Apostoli ad totam Mosis Legem (ne exceptâ quidem eâ parte, quæ præcepta continet moralia) spectantibus fusè egimus. Quod proximô in locô considerandum venit, de Legibus atque institutis Fœderis Mosaici ceremonialibus, pauculis expediemus.

§. 2. Controversia de circumcisione & ritibus Mosaicis famosa, atque Apostoli ævô nimis agitata, ex professo proponitur Ep. ad Rom. cap. 4. Ubi postquam in superioribus beatitudinem hominis in remissione peccatorum consistere, testimoniô ex Davide allatô probaverat Paulus; mox v. 9. statum quæstionis disceptandæ format his verbis: *Ista igitur beatitudo, in circumcisionem* solummodò, *an et in præputium cadit?* q. d. Num igitur circumcisio & cæteri ritus Mosaici ad Justificationem planè necessarii sunt, an sine iis Justificatio obtineri potest? Ritus istos nequaquam esse necessarios, luculenter ostendit in sequentibus. In hunc etiam scopum manifestè collimat tota fere ad Galatas Epistola, in qua conclusio, quam in se probandam suscipit Apostolus, clarissimis hisce verbis exponitur cap. 5. 6. *In Christo Jesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed fides per charitatem perfecta.* Atque iterum, paucis mutatis, cap. 6. 15. *In Christo Jesu neque circumcisio quicquam valet, neque præputium, sed nova creatura.*

§. 3. Argumenta, quibus hanc Thesin confirmat Apostolus, non necesse est ut explicemus, cùm de operibus Legis ritualis, an & quatenus à Justificatione excludantur, nulla jam inter Christianos lis sit & controversia.

§. 4. Unicum illud (utpote ad propositum nostrum quàm maximè spectans) observandum duxi; viz. Apostolum opera Legis ritualia & externa ita à Justificatione excludere, ut his opponat internam animi puritatem, atque ea opera quæ à corde fide purificatô veràque charitate inflammatô fluunt; adeo ut quod illis eripit, his largiatur; illa ad Justificationem, ad salutem nequaquam necessaria, hæc omninò: illa nihil, hæc multùm admodum valere statuat.* Patet illud ex locis sæpiùs citatis Gal. 5. 6. & 6. 15. & 1 Cor. 7. 19. Quibus hæc addas loca illustria & seriâ attentione digna, Col. 2. 11, 12, 13. Rom. 2. 28, 29. Philipp. 3. 2, 3. Hinc Argumentum formamus contra Solifidianos ἀκατάλυτον·

Quatenus Paulus opera ritualia & externa ut non necessaria rejicit, eatenus opera spiritualia & interna, ut necessaria admittit;

Sed opera ritualia rejicit ut non necessaria ad Justificationem:

Ergo opera spiritualia, ut ad Justificationem necessaria admittit.

§. 5. Ac profectò non alio fine externam illam justitiam in Lege præscriptam pœnis adeo severis exigebat Deus, quàm ut hinc manifestum fieret, justitiam illam spiritualem, in Evangelio clariùs revelandam, atque alterâ illâ adumbratam, æquè, imò multò magis, esse necessariam. Non minùs nobis necess-

* *Hæc, & ea quæ sequuntur, prolixiùs diduxit Vir Reverendus in Apologia contra D.* Tullium *Sect.* VIII. §. 4.

neceſſaria eſt * circumciſio cordis, quàm Judæis erat circumciſio carnis: ſine hac illos ab externa populi ſui communione exſcindebat Deus; ſine illa nos à ſpe ſalutis ac Regnô cœlorum excluſurus. Nullus iis ad Dei templum ejuſque Sacra erat aditus, niſi ab omni corporali immunditia lavatis; nobis niſi ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs purificatis, ac ſanctimoniam in timore Dei ad finem perducentibus nullus patet in Sacrarium cœleſte & ἀχειροποίητον introitus. Si ab illis exegit Deus pecudum ſanguinem atque adipem, à nobis multò magis poſtulat, ut nos ipſos ipſi Hoſtiam vivam, ſanctam, placentem, cultum illum noſtrum rationalem ſiſtamus; imò, ſi opus ſit, pro veritate ipſius teſtandâ noſtrum ultro fundamus ſanguinem: & ſic in cæteris. Qui igitur neceſſitatem bonorum operum ad Juſtificationem ex claris Evangelii præceptis nondum edocti ſunt, Moſen adeant, vel per obſcura ejus rudimenta de errore ſuo turpiſſimo revincendi.

CAP. XV.

Notantur dogmata Judaica, de ratione Juſtificationis ac ſalutis obtinendæ, à Paulo perſtricta. Primus eorum error, quòd vel nimiam humano arbitrio vim ac libertatem tribuerint, vel ſaltem gratiæ Divinæ neceſſitatem ignorârint. Quod ex Rabbinis & Joſepho ipſo oſtenditur. Inſignis Jacobi locus cap. 1. v. 13. & ſeqq illuſtratur.

§. 1. AUdivimus Apoſtolum adversùs ipſam Moſis Legem per ſe ſpectatam prolixè diſputantem, ut quæ Legis opera oppugnet Paulus, quibuſque cauſam ſuam agat argumentis, jam cuivis, ut opinor, ſatis manifeſtum ſit. Iis tamen, quæ hactenus diſſeruimus, clariorem adhuc (nî fallor) lucem attulerint, quæ de corruptis Judæorum dogmatibus ultimô in locô, ad fidem noſtram liberandam, dicturi ſumus. Certè enim ad quamvis diſputationem rectè intelligendam haud parùm refert, occultos adverſariorum, quibuſcum diſputatur, ſuper controverſâ materiâ ſenſus, & collaterales, (ut ita dicam) quas tuentur, Hypotheſes probè cognoſcere. Has enim prudentem diſputatorem inter argumentandum aliquoties reſpicere, atque identidem tacitè perſtringere, à vero non abſimile eſt. Hìc autem rem non agemus incertis conjecturis, neque quicquam Judæis affingemus, quod ex probatis ipſorum Scriptoribus eos revera ſenſiſſe, non liquidò conſtare credimus.

§. 2. Primus igitur Judaicæ Synagogæ error, iſque capitalis, ac fons penè cæterorum omnium is fuit, quòd nimiam quandam voluntati atque arbitrio humano vim ac libertatem attribuerint; vel ſaltem gratiæ divinæ neceſſitatem non agnoverint. Nimirum putabant, proprias naturæ vires, additô tantùm Legis adminiculô, velut commonitoriô quôdam, ipſis ſuffecturas ad juſtitiam atque adeo vitam æternam comparandam.

§. 3. Celebris eſt & perantiqua Sapientum ſententia, in ipſo Talmude alicubi commemorata, quæque in diverbium fere inter Judæos abiit: הכל בידי שמים חוץ מיראת שמים i. e. *omnia ſunt in manu cœli, excepto timore Dei.* Cujus dicti ſenſum Rabbi Saadia Gaon (ita κατ' ἐξοχὴν dictus) hunc eſſe ait, quod ejuſmodi in anima ac voluntate humanâ libertas ſita ſit, quæ quodammodo ab ipſo Deo ſit independens; atque hanc fuiſſe communem Rabbinorum ſententiam, non veretur aſſerere. *In Lib. Sepher Emun.*

§. 4. Idem etiam dictum citat, & ſuô calculô comprobat Maimonides in octo capitulis, commentario ſuo in Pirke Aboth præmiſſis, cap.

* *Hinc Juſtinus, cordis circumciſionem, cum fide Chriſti conjunctam, conditionem eſſe in nova Lege ad Juſtificationem hominis neceſſariò requiſitam, docet. Nam in Dialogo cum Tryph: poſtquam ex Gen 15. 6. probâſſet, Abrahamo adhuc incircumciſo juſtitiam fuiſſe imputatam, hæc ſubjungit:* Καὶ ἡμεῖς ἓν ἐν ἀκροβυσίᾳ τῇ σαρκὸς πεσόντες τῷ Θεῷ διὰ τὸ Χριστοῦ, καὶ περιτομὴν ἔχοντες τὴν ὠφελοῦσαν ἡμᾶς τοὺς κεκτημένους, τοῦτ' ἐστι τὴν καρδίας, δίκαιοι καὶ εὐάρεστοι τῷ Θεῷ ἐλπίζομεν φανῆναι, *pag.* 320. *Edit. Paris,* 1636.

Versionis Pocockianæ p. 236. cap. 8. de indole humana : *Quod* (inquit) *ad sententiam illam, quæ apud sapientes habetur*, omnia sunt in manu Dei *&c. est illa certè vera.* Et paulò pòst sententiam istam ita explicat : *P. 237. & 238.* *Præcepta & interdicta legalia sunt de factis, in quibus homini est electio, ut faciat ea, vel non faciat ; atque in ista parte animæ est timor Domini, nec est in manu Dei, sed permissa libero hominis arbitrio.*

§. 5. Quin & multa sunt, quæ in eo ipso capite de voluntatis libertate audacter asserit Maimonides, velut in opprobrium gratiæ divinæ : *Pag. 234.* *Scias* (inquit) *rem, in quam consentiunt & Lex nostra, & Græcorum Philosophia, verisque probationibus confirmatam esse, hominis actiones omnes in ipsius potestatem traditas esse, sine ulla omnino ad eas coactione, neque esse exterius aliquod impellens, quod ipsum ad virtutem aut vitium inflectat, præter unam temperaturæ dispositionem, quâ fit ut res illi facilior sit, aut difficilior.* En! quàm bellè concordent (fatente Maimonide) in hac de libertate arbitrii controversiâ Hebræorum Magistrorum placita cum Philosophia Græcorum. Nihil magis viderunt de gratiæ necessitate isti altè sapientes, quàm ipsi Ethnici & Pagani. Imò certè minùs. Maimonides enim nihil esse asserit, quod hominem extrinsecus ad virtutem inflectat, præter unam temperaturæ dispositionem, quâ fit ut virtus ei facilior sit ; de gratia & auxilio divino ne γρὺ quidem dicit : cujus tamen necessitatem Plato, Pythagoras, & plerique Philosophi veteres constanter agnoverunt. Plato Menone : Ἐι δὲ νῦν ἡμεῖς παντὶ τῷ λόγῳ τούτῳ καλῶς ἐζητήσαμέν τε καὶ ἐλέγομεν, ἀρετὴ ἂν εἴη, ὅτε φύσει, ὅτε διδακτὸν, ἀλλὰ θείᾳ μοίρᾳ παραγιγνομένη. Jamblichus cap. 28. de Pythagora : Γελοῖον ποιοῦσιν οἱ ἄνθρωποι, ἄλλοθεν πόθεν ζητοῦντες τὸ εὖ, ἢ παρὰ τῶν Θεῶν &c. Seneca Epist. 41. *Animum excellentem, moderatum &c. cœlestis potentia agitat : non potest res tanta sine adminiculo Numinis stare.* Atque iterum : *Nulla sine Deo mens bona est.*

§. 6. Sed ad Maimonidem redeo, cujus de temperaturæ dispositione sententia ex ipsius verbis in ipso initio ejusdem capitis manifestior adhuc est : *Fieri non potest* (inquit) *ut producatur homo ab ortu suo naturâ vel virtute vel vitiô præditus ; uti neque possibile est, ut producatur naturâ artis alicujus practicæ peritus : hoc autem fieri potest, ut producatur aptus natus sive ad virtutem aliquam, sive vitium, adeo ut actiones eò spectantes faciliores ipsi sint, quàm quæ ad alia &c.* Nimirum homo, ex sententia magni Doctoris, eôdem planè modô naturâ comparatus est ad virtutem salutarem & artem practicam : neutram quidem ab ortu actu ipso habet, utraque tamen disciplinâ & usu acquirenda ; quod tum demum faciliùs fiet, cùm accesserit bona naturæ indoles, & temperaturæ dispositio. Atque hîc quidem εὐκρασίαν temperamenti conferre dicit ad virtutem faciliùs acquirendam ; haud negans, fieri posse, ut qui pessimâ temperaturæ dispositione laborat, longô usu & assuefactione sapiens bonusque evadat. Alibi tamen sui oblitus (quod Scriptoribus istis πολυγεάροις non rarò usu venit) affirmat, bonam vel non malam naturæ indolem ad virtutem acquirendam esse omnino necessariam : et quibusdam ejusmodi à nativitate temperamentum contingere, quod nullâ omnino exercitatione possit corrigi. Sic enim More Nevochim part. 1. cap. 34. *Sunt quidam, qui à principio nativitatis suæ ejusmodi temperamentum nacti sunt, cum quo perfectio nullô modô potest consistere ; ut E. G. Qui cor habet vehementer calidum & forte, iræ fræna ponere non potest, etiamsi summam adhibuerit exercitationem,* &c. *Ita reperies quosdam, qui sunt leves & inquieti, quorum motus inordinati & perturbati, de corruptione compositionis & malitiâ temperamenti, quod nequit corrigi, luculenter testantur. In talibus hominibus nunquam videtur intelligentia perfecta, ac proinde cum illis aliquid tentare velle in hoc negotio, mera est stultitia.* Sed illud obiter. *Vide sequentia p. 233.*

§. 7. Pergit Maimonides capite citatô suum illud αὐτεξούσιον stabilire. *Summa* (inquit) *rei est, ut credas Deum, sicut voluerit ut esset homo erectâ staturâ, lato pectore, digitis præditus, ita etiam voluisse ut pro libitu suo moveretur & quiesceret, & actiones sub electione cadentes, nullo ipsum ad eas cogente, vel ab iisdem cohibente, faceret ; uti in libro veraci explicatum est, ubi hanc sententiam explicans dicit : Ecce homo factus est ut unus è nobis, ad sciendum bonum & malum, &c. Paraphrasis autem Chaldaica ita interpretatur sensum, ut vis verborum,* ut unus ex nobis ad sciendum bonum & malum, *hæc sit : quod ipse jam factus fuerit unus in mundo, scil. species, cui nulla alia similis esset, quæ cum ipsa hôc respectu, qui jam illi contigit, communicaret. Quisnam autem fuit ille ? scil. quod ipse pro arbitrio suo nota haberet bona & mala, ut utrum eorum vellet facere, posset, &c.* Et mox in sequentibus affirmat : *Illud necessariò sequi existentiam hominis, scil. ut pro arbitrio suo actiones bonas aut malas præstet quandocunque voluerit, &c.* Ac paulò pòst : *Ipsum* (hominem sc.) *oportet assuefacere se actionibus* *P. 241 & 242.* *Gen. 3. 22.*

bonis, quibus acquirantur ipſi virtutes, malas autem fugere, quò amoveantur ab ipſo vitia, ſi in ipſo fuerint. Neque dicat: Inſedit mihi affectus, qui mutari non poſſit; *cùm omnis affectus mutari poſſit, & à bono in malum, & à malo ad bonum, atq; hoc ipſius arbitrio permiſſum ſit.*

§. 8. Rurſus illud fundamenti locô ſtatu-
Pag. 253. it: " Libero hominis arbitrio permiſſas eſſe
" actiones ſuas, ut quicquid libuerit facere,
" faciat, & quicquid noluerit facere, non
" faciat; (niſi hôc ipsô ob delictum aliquod,
" quod commiſerit, punierit ipſum Deus,
" ut tollat arbitrium ipſius) atque acquiſiti-
" onem virtutum & vitiorum penes ipſum
" eſſe. Quare oportere ipſum ſe ad acquiren-
" das virtutes excitare, cùm non ſit exterius
" aliquod impellens, quod ipſum ad eas im-
" pellat: Atq; hoc eſſe quod dicunt (ſapi-
" entes) inter hujus libri monita: Si non
" ego mihi, quis mihi?" Tandem putido
Pag. 257. huic de indole humana ſermoni finem impo-
nit his verbis: " Conſtat ergo ex his omni-
" bus, quæ diximus, actiones hominis ipſius
" arbitrio permiſſas eſſe, ac penes ipſum eſ-
" ſe, ut ſit vel virtute præſtans, vel ma-
" lus, *&c.*"

§. 9. Fateor his omnibus Maimonidem imprimis oppugnatum ire ſententiam eorum, qui coactionem & fatalem quandam actionibus humanis neceſſitatem impoſuerunt. Sic enim ipſe profitetur non longè ab initio ejuſdem capitis: " Hoc autem ideo tibi decla-
" ravi, ne futilia iſta, quæ falsò commini-
" ſcuntur Aſtrologi, pro veris habeas, cùm
" à nativitatibus ſuis homines virtute aut
" vitiô præditos conſtitui aſſerant, eoſq; ad
" actiones iſtas neceſſariò & vi adigi." Sed

Incidit in Scyllam, dum vult vitare Charybdin.

Dum enim futilia Aſtrologorum rejicit, impia & blaſphemiæ plena ex ſuo profert; atque ita coactionem tollit, ut ejus locô abſolutam quandam ἀυτεξουσίαν & ejuſmodi arbitrii libertatem, quæ à gratia & operatione divinâ omnino independens ſit, manifeſtè ſubſtituat.

§. 10. Dices: Fuerunt hæc Rabbinorum ſequioris ævi placita, ex quibus de veteri Judæorum doctrina judicium ferre iniquum, vel ſaltem temerarium eſt. Fateor: quin nec illud ibo inficias, Maimonidis & modernorum Judæorum de libero arbitrio ſententiam in aliquibus diverſam fuiſſe à veterum quorundam opinione; ita tamen ut tam hi quàm illi pariter in Divinam gratiam fuerint injurii. Aſcendamus igitur ad ipſa Chriſti & Apoſtolorum tempora.

§. 11. Religio Judaica tum temporis in duas potiſſimùm ſectas diviſa erat, Sadducæorum & Phariſæorum. Eſſeni enim vix inter Judæos numerandi; utpote qui (ut rectè Baronius) Schiſmatici fuerint, & Schiſmate ſuo à cæteris diviſi, h. e. à Phariſæis, Sadducæis, & cæteris Judæis univerſis. Neque enim ſacrificabant in Templo, eò quòd ſanctioribus (ut ipſi putabant) in conventibus ſuis ceremoniis uterentur: quin & extra urbem, in vicis à celebritate locorum remotiſſimis plerumq; degebant. Ideoq; * de iis nulla in Scripturis mentio, ſed nec, quod nonnulli putant, inſinuatio: quanquam eos Chriſti ſæculô extitiſſe inter Judæos, ex Joſepho & Philone liquidò conſtet.

§. 12. Ad Sadducæos autem quod attinet, ex eodem Joſepho apertiſſimum eſt, ſtatuiſſe eos independentem arbitrii libertatem, qualem à Maimonide & poſterioribus Rabbinis ſenſam vidimus. Dicebant enim, referente Joſepho, lib. 13. Originum, (Ἅπαντα ἐφ' ἡμῖν αὐτοῖς τίθενται, ὡς καὶ τ' ἀγαθῶν αἰτίους ἡμᾶς αὐτὰς γινομένους, καὶ τὰ χείρω ταῖς ἡμετέραις ἀβελίαις λαμβάνοντας.) *Omnia in noſtra poteſtate ſita eſſe, ut & bonorum autores nos ipſi ſimus, & mala ex propria ſtultitia & temeritate eligamus.* Et ἁλωσ. l. 2. c. 12. Τὸν Θεὸν ἔξω τοῦ δρᾶν τι κακὸν ἢ μὴ δρᾶν (ſic enim legendum, non ἐφορᾶν, recte monet Grotius), τίθενται. *Negabant Deum autorem fuiſſe, ut quis vel peccet, vel à peccato abſtineat.* Rurſus in ſequentibus de iiſdem Sadducæis: φασὶ δὲ, ἐπ' ἀνθρώπων ἐκλογῇ τότε καλὸν, καὶ τὸ κακὸν προκεῖσθαι, καὶ τὸ κατὰ γνώμην ἑκάστῳ τούτων ἑκατέρῳ προσιέναι. i. e. *In electione hominis poſitum dicebant cùm bonum, tum etiam malum, & unumquemque pro arbitrio ſuo ad utrumlibet accedere.* Hujus tamen ſectæ diſciplinam ſequebantur pleriq; omnes illi Pontifices, qui per Chriſti Domini œconomiam & Apoſtolorum tempora altaribus adſtabant.

§. 13. Si de Phariſæis quæras, videntur illi in contrario fuiſſe errore, liberum arbitrium penitus tollentes, omniaq; fatali cuidam neceſſitati ſubjicientes. Sic enim diſertè Joſephus

---

* *Cauſam aliam aſſignat Grotius, Vot. pro pac. p. 95. Cur eorum* Eſſenorum *mentionem Chriſtus non faciat, cauſas attuli quòd inſtituta illorum eſſent pia, & quòd ex illis maximè Chriſtus novum ſibi collegit populum.*

Josephus Antiqu. lib. 18. cap. 2. Πεφάνθαι εἱμαρμένῃ τὰ πάντα ἀξιῶσι, *Credunt omnia Fatô fieri.* Sunt tamen alia nonnulla Josephi loca, in quibus aliter sensisse Pharisæos videtur statuere, de quorum sensu fervet adhuc inter doctos lis & controversia. Drusius, à seipso dissidere Josephum, audacter affirmat. Montacutius noster, falsum esse quod scripsit, dicere non dubitavit. Baronius pronuntiat, Pharisæos omnia Fato tribuisse: Sed Baronium errâsse contendit Casaubonus, ex ipso Josepho ostendere aggressus, Pharisæos mixturam quandam Fati & liberæ voluntatis credidisse, quôcum etiam Grotius videtur sensisse. *In Mat. 22. 23.*

§. 14. Sub incudem revocemus loca illa Josephi, quæ huic liti ansam præbuerunt. Ἅλωσ. lib. 2. cap. 12. Εἱμαρμένη τε καὶ Θεῷ πεφοάπτωσι πάντα, καὶ τὸ μὲν πρᾶξιν τὰ δίκαια, καὶ μὴ, κατὰ τὸ πλεῖσον ἐπ' ἀνθρώποις κεῖσθαι· βοηθεῖν δ' εἰς ἕκαστον καὶ τ' εἱμαρμένην. Cui comparandus est alter Josephi locus, lib. 13. Orig. cap. 9. ubi Pharisæorum sententiam fuisse dicit: τινὰ καὶ ὃ πάντα τ' εἱμαρμένης εἶ) ἔργον· τινὰ δ' ἐφ' ἑαυτοῖς ὑπάρχειν, συμβαίνειν τε καὶ γίνεσθαι. Ecce omnes rerum eventus inter hæc tria, Deum, Fatum, liberum hominis arbitrium quasi distribuerunt. Quid tribuerint singulis, inquirendum. Ad Deum quod attinet, de partibus ejus in rerum eventu quid senserint Pharisæi, non satis exprimit Josephus, tantùm dicens, Deo & Fato ipsos omnia tribuisse. Videntur mihi sensisse, nihil à Deo immediatè & de novo fieri, sed tantùm mediante εἱμαρμένῃ illâ, ab ipso priùs in rerum creatione stabilitâ; eôdem planè modô, quô Maimonides interpretatur dictum illud Sapientum, Omnia fieri voluntate Dei: "Quod ad dictum (*inquit*) omnibus notum, cui & similia reperiuntur in dictis Sapientum, nec non literis consignata, scil. Ut surgat homo vel sedeat, omnesq; ejus motus fieri voluntate atque arbitrio ejus; est hæc sententia vera, sed certô modô, idque ut, si projiciente quopiam lapidem in aerem, qui deorsum descenderet, dicamus, descendisse illum voluntate Dei, verum est hoc dictum: quia voluit Deus, ut terra tota in centro esset, ideoq; cùm sursum projecta fuerit aliqua ejus pars, ea centrum versùs moveretur; non quod Deus nunc demum, cùm mota fuerit hæc terræ pars, voluerit ut deorsum moveretur. Atque hâc de re discrepant Scholastici, quos audivi dicentes, voluntatem esse in omni re, de tempore ad tempus, perpetuò. Nos autem non ita sentimus; verùm voluntatem fuisse sex diebus creationis, & exinde res omnes juxta naturas suas continuò fluere, quemadmodum dicit: *Quod fuit, idem est quod erit, & quod futurum est, jam fuit; non est quid novum sub Sole.*" Imò (quod miraculi instar habendum est) ipsa, quæ vocantur, miracula negat immediatâ aliquâ Dei seu voluntate, seu providentiâ fieri, sed ex occultis suis causis, in rerum creatione priùs dispositis, suo tempore quasi exsilire, cum insanientibus suis Sapientibus non veretur asserere. Hæc enim apud eum mox sequuntur: *Atque hoc est, quod Sapientes adegit, ut dicerent de omnibus miraculis, quæ ab ordinario rerum cursu deflectunt, quæ vel fuerunt, vel vi promissi futura sunt, præcessisse de ipsis voluntatem sex diebus creationis, & tum temporis naturæ rerum istarum inditum fuisse, ut contingeret, quod in illis contigit; quod cum tempore illi constitutô contigit, visum est esse rem recens productam, non autem ita revera esse.* Addit: *Ac multum in hanc sententiam locuti sunt in Mishdrash Koheleth, atque alibi. Porro è dictis ipsorum in hunc sensum est:* * Mundus secundùm ordinem suum procedit. *Quin & reperies ipsos semper in omnibus sermonibus suis sedulò cavere, ne voluntatem* Divinam *in singulis rerum ac temporum momentis statuant, &c.* Atque hanc fuisse ipsissimam Pharisæorum mentem, ex Josephi verbis liquet, cùm mox dicit, ipsos credidisse, βοηθεῖν εἰς ἕκαστον τ' εἱμαρμένην, *Fatum ad singulos eventus auxilium conferre.* Nempe statuebant, nihil præter, supra, aut contra suam illam εἱμαρμένην à Deo fieri. In altero autem Josephi loco, omnes rerum eventus suis causis assignantes, statuunt Pharisæi, quædam Fato quidem omnino tribuenda, quædam etiam libero hominis arbitrio; nihil autem affirmant à Deo immediatè fieri. Multò igitur minùs ex Josepho constat, Pharisæos specialem illam Dei providentiam, quæ gratiam & opem ad singulos bonos actus necessariam submini-strat, agnovisse; quod tamen Grotius ex Josepho apertissimum esse, idq; ab ipso alibi ostendi asserit, annotata sua ad Mat. 22. v. 23. ubi hæc Josephi loca citat, nî fallor, indigitans. *In Luc. 18. 11.*

In octo Capitul. cap. 8. de indole humana. p. 239. & 240.

§. 15. De Fato jam videamus. Eò dubiô procul intellexerunt Pharisæi ordinem & κατάσασιν Cœli, astrorum, & causarum secundarum ex iis pendentium, à causa omnium prima constitutam ac stabilitam; quam δεύτερον τάγμα appellat Josephus, Sadducæorum

---

* עולם כמנהגו הלך

rum ex adverſo de Fato ſententiam ſic exprimens ἀλλως l. 2. c. 12. Σαδδυκαῖοι ᾽ὸ τὸ δεύτερον τάγμα, τ̃ μὲν εἱμαρμένην, παντάπασιν ἀναιροῦσιν, &c. At quid demum huic Fato conceſsêre Phariſæi? nempe, τινὰ εἱμαρμένης εἶναι ἔργον, *quædam fatali omnino neceſſitate evenire*; ſcilicet non ſolùm *res merè naturales, in quibus non eſt homini liberum arbitrium, v. g. ut ſit procerus aut brevis, &c.* de quibus ſolùm interpretatur Maimonides dictum illud Sapientum: *Omnia ſunt in manu Cœli, &c.* verùm etiam *quædam ex iis quæ ſub electionem hominis cadunt, v.g. ut hanc talem in uxorem ducat, ut ſint hæ opes in manu ipſius, &c.* ad quæ dictum illud Sapientum extendendo, multùm errâſſe homines, ait idem Maimonides. Nempe de his ſolum, quæ ſub electione cadunt, inter Phariſæos & Sadducæos quæſtio erat. Atque hinc (ut id obiter notem) inter modernos etiam Judæos mos obtinuit, ut ad nuptias vocati viro & fœminæ matrimoniô jungendis bonam fortunam optarent hâc formulâ: מול טוב q. d. *Sit bona vel fauſta planeta:* (ſic enim exponendam vocem *Mazal* docet Maimonides) quæ etiam verba deſponſatæ puellæ annulo ſolebant inſcribere, ut notat Munſterus ad Geneſ. 30. v. 11.

In octo Capit. cap. 8. de indole humana, p. 237, 238.

More Nevochim part. 2. c. 10.

§. 16. Interim agnoſcebant Phariſæi τινὰ ἐφ᾽ ἑαυτοῖς ὑπάρχειν, συμβαίνειν τε καὶ ἢ γίνεσθαι, *quædam etiam in noſtro arbitrio ſita eſſe, ut fiant, vel non*; καὶ τὸ μὲν πράττειν τὰ δίκαια, καὶ μὴ, κατὰ τὸ πλεῖον ἐπ᾽ ἀνθρώποις κεῖσθαι. *Juſta verò facere, vel ſecus*, plerumque *in hominis poteſtate eſſe.* Ut in iis actibus, qui ſub virtutem aut vitium cadunt, Fatum minùs agere, hominis verò arbitrium imprimis conſpici exiſtimârint: quanquam neque hi omnes, ex mente Phariſæorum, in hominis erant poteſtate; dicebant enim, *plerumque*, non *ſemper*. Porro vel ex hiſce actibus, qui liberô fiunt arbitriô, Fatum non voluerunt Phariſæi omnino excluſum; dicebant enim: βοηθεῖν εἰς ἕκαστον τ̃ εἱμαρμένην, *Fatum ad ſingulos actus auxilium conferre.*

§. 17. Interim dicere maluerunt: Fatum *juvare*, quàm *cogere*. Quod Rabbi Abraham Zachuth etiam teſtatur, de Phariſæis ſic ſcribens: *CreduntPlanetam juvare; nihilominus relinquitur liberum arbitrium in manu hominis.* Atque ex hoc potiùs veterum Phariſæorum ſenſu, quàm ex Maimonidis, aut Neoterici alicujus Rabbini placitis interpretandum judico dictum illud Sapientum, de quo ſæpiùs meminimus: *Omnia ſunt in manu Cœli, excepto timore Dei*, h. e. omnia ſunt fatali aſtrorum imperio ſubjecta, ſolô hominis arbitriô excepto, in iis rebus, quæ ad religionem pertinent.

§. 18. Eſtque hæc plauſibilior ſententiæ Phariſaicæ deſcriptio, utpote à Joſepho, qui & ipſe Phariſaicæ ſectæ favebat, facta. Ex qua tamen non obſcurè liquere credo, Phariſæos, quicquid in contrarium obtenderunt, conſequenter omnem arbitrii libertatem ſuſtuliſſe. Statuerunt enim, ut ex ipſo Joſepho vidimus, liberum hominis arbitrium in quibuſdam actibus, etiam ad religionem pertinentibus, fatali aſtrorum vi atque efficaciâ conſtringi. Si in quibuſdam, cur non in omnibus? Certè enim in ſingulis actibus eadem eſt arbitrii, eadem cœli vis. Et ſi vel unico fatalis catenæ annulo humana voluntas religetur, de libertate ejus actum omnino & conclamatum eſt. Præterea dicebant, Fatum ad ſingulos actus juvare; ex quo ſequitur, nihil ab homine præter aut contra ſuum fatum fieri ſive bonum, ſive malum. e.g. Detur aliquis ab ortu ſuo peſtilenti Sydere afflatus, adeoque δυσκρασίᾳ laborans; Quæro, an homo iſte malus neceſſariò evaſurus ſit? Si ſit, per Fatum ergo tollitur liberum hominis arbitrium: Sin accidere poſſit, ut bonus fiat, ſequetur, eum contra Fatum ſuum agere poſſe, ac proinde Fatum ad ſingulos actus auxilium non conferre. Nec mirum eſt (ut rectè doctiſſimus Montacutius noſter) hoſce Hypocritas, Legis Divinæ interpolatores, improbos & ſceleribus coopertos, juſtè à Deo relictos, in profanas, contrarias ac repugnantes ſententias abiiſſe: præſertim cùm & hodie inter Chriſtianos reperiantur non pauci, Viri alioquin pii & docti, qui abſolutum atque irreſiſtible Dei decretum (Fatum Phariſaicum abſit ut iis impingam) cum arbitrii libertate componi poſſe exiſtiment. Denique admodum difficile eſt in lubrico hoc Aſtrologiæ ſtudio pedem figere. Qui hæc ſemel arcana ingreditur, neſcit quouſque progrediatur: qui aliquid aſtris concedit, tandem omnia tribuet. Quod & in hodiernis Aſtrologis videmus, qui fiduciâ hujus ſuæ ſcientiæ eòuſque fere procedunt, ut quicquid ſingulare, imò & miraculoſum, ac prorſus extraordinariâ Dei virtute factum unquam eſt, aſtrorum ſitui ac viribus tribuant. Hi tamen nihil habent in ore frequentiùs, quàm

Append. p. 262.

Aſtra regunt homines, ſed regit aſtra Deus.

Et

——— *Sapiens dominabitur aſtris.*

More Nevochim. Par. 3. c. 8.

His motus rationibus arbitror, ſimplicem veritatem ſcripſiſſe Joſephum, cùm in loco primùm citato de Phariſæis ſimpliciter pronuntiat, πρόσεσθαι εἱμαρμένῃ τὰ πάντα ἀξιῶσι, *exiſtimaſſe eos omnia fato fieri:* ac proinde multò

Vid. Grot. in Mat. 22. v. 23. multô certius esse, lapsum fuisse Grotium & Virum illum undequaque doctissimum, quem sequi profitetur, quàm in Pharisæorum sententia explicanda lapsum Epiphanium, qui eos per Astrologiæ studium, omnia fatali necessitati subjecisse asserit; præsertim cùm ante Epiphanium Justinus, qui Apostolorum ætati vicinus fuit, in Dial: cum Tryphone eundem Judæis errorem impingat.

Pag. 370. edit. Paris. 1636.

§. 19. Ad propositum redeo. Ex iis, quæ diximus, nimis manifestum est, Pharisæos & malas suas actiones malo fato imputâsse, & quicquid in bonis actibus libero hominis arbitrio detraxerunt, non gratiæ divinæ, sed fatali astrorum vi atque efficaciæ tribuisse, ac credidisse, ad salutarem virtutem Planetam quàm Spiritum, bonam indolem quàm novam naturam, εὐκρασίαν temperamenti quàm ἀναλαίνωσιν & παλιγγενεσίαν Spiritûs Divini, plus contulisse. Atque hoc ipsum Pharisæum in Parabola voluisse credo, cùm gratias Deo agit, quod non esset sicut Publicanus, &c. Frustra enim sunt, qui confestim inde colligunt, Pharisæos gratiæ necessitatem agnovisse. Videtur enim Pharisæus hoc, quòd bonus esset, providentiæ isti divinæ tribuisse, quæ feliciorem ipsi in nativitate sua, quàm Publicano, cœli & Astrorum κατάσασιν, indeque natam εὐκρασίαν temperamenti & εὐφυίαν ingenii concesserit. Quod singulare prorsus Dei donum censuit & ipse Maimonides, illud mirô acumine ex Prov. 31. 10. extundens: *Quod autem inquit Solomon*: mulierem strenuam quis inveniat? *perspicua & clara est parabola; quod videlicet, cum homini contingit materia bona & conveniens, quæ ei non prævalet, nec dispositionem ejus corrumpit ac destruit, pro singulari dono Dei sit agnoscendum & habendum.* Rationem mox subdit: *Materia bona & conveniens facilè regi potest.*

More Nevochim. Par. 3. c. 8.

§. 20. Hunc Pharisæorum pestiferum errorem ad Judæos scribens Jacobus videtur mihi satis manifestè perstringere cap. 1. v. 13, 14, 15, 16, 17, 18. Cujus periodi versibus tribus prioribus monet Judæos, ne tentati, h. e. tentatione victi (verbum enim πειράζεσθαι intelligendum hîc cum pleno effectu, ut Gal. 6. 1. quo etiam sensu activum πειράζειν sumitur, 1 Cor. 7. 5. 1 Thes. 3. 5.) malas suas actiones fatali cuidam necessitati, atque adeo Deo, qui eam stabiliret, tribuerent; sed, ut oportuit, suo ipsorum arbitrio concupiscentiâ illecto ascriberent. Verba sunt: *Nemo, quum tentatur, dicat: à Deo tentor. Nam Deus tentari malis non potest, nec quemquam ipse tentat. Sed unusquisque tentatur, dum à propria cupiditate abstrahitur & inescatur. Deinde cupiditas, postea-quam concepit, parit peccatum: peccatum verò peractum gignit mortem.* Quàm hæc εἱμαρμένη Pharisaicæ quadrabant! Constat enim eorum de fato doctrinam, si non directè, saltem consequenter, peccati autorem Deum feciisse. Si enim nihil fiat nisi juvante Fato, (quod dicebant Pharisæi) sequitur nihil mali ab homine fieri, ad quod Fatum, adeoque Deus autor Fati non contribuat, & neminem rectè agere posse Fatô contranitente. Præterea Sadducæorum sententia dubiô procul Pharisæis erat opposita: at illi posuerunt τὸν Θεὸν ἔξω τοῦ δρᾶν τι κακὸν, & mala nos facere ἐξ ἡμετέρας ἀβελίας dixerunt. Contrarium ergo statuebant Pharisæi. In sequentibus eosdem Judæos hortatur Apostolus, ut caveant, ne bonas suas actiones fatali illi astrorum imperio tribuerent. Verba ex fonte petemus, quia mirè sunt emphatica: Μὴ πλανᾶσθε, ἀδελφοί μου ἀγαπητοί. πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον ἄνωθέν ἐστι, καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων, παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα. Μὴ πλανᾶσθε, mos est loquendi (ut notat Grotius) ubi falsas opiniones, quæ aut irrepsêre in quorundam animos, aut irrepere possent, amoliri volumus; ut 1 Cor. 6. 9. & 15. 33. Gal. 6. 7. 1 Joh. 3. 7. At quænam ista opinio, à qua Judæis tantum erat periculi? scil. ex fatali vi astrorum, non per gratiam Dei ex libero ejus beneplacito in nos dimanantem, salutarem hominibus virtutem contingere. Hunc errorem mirâ elegantiâ perstringit in iis, quæ sequuntur. Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ &c. Vera & perfecta virtus, h. e. quam salus comitatur, (quippe imperfectas quasdam ad virtutem dispositiones ab ipsa nativitate hominibus contingere non negat) è cœlo & astris non defluit, sed ἄνωθεν, à superiore fonte, ab eo, qui astris sublimior est, ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων, ab eo qui *Pater* est, h. e. Creator, *luminum* sive stellarum. Ἄνωθεν hîc idem significat, quod גבה שמים Job. 22. 12. *Annon Deus in altitudine cœli? & aspice caput siderum, ut excelsa sunt.* Ubi *in altitudine Cœli* est, *in cælo altissimo*, quod *cœlum cœlorum* à Davide, & *cœlum tertium* ab Apostolo vocatur. Nam tres cœli in sacris, infimum, medium, & supremum. Infimum continet omnes tres regiones aeris: Medium complectitur illud, in quo Sol, Luna, sidera & stellæ: In supremo est solium Divinæ Majestatis. Itaque verborum Jobi sensus hic est: *Vide, quàm excelsum sit cœlum illud, in quo stellæ emicant; & tùm considera, quantò excelsior sit Deus ille, qui longè sublimiori throno insidens, caput siderum ac stellarum calcat.* Πατὴρ τῶν φώτων est in Scri-

pturis ἅπαξ λεγόμενον. Eſt tamen, nî fallor, in vetere Teſtamento, ubi aſtra vocantur בני אלהים *Filii Dei*, nempe Job. 38. 7. *Cum canerent ſimul ſtellæ matutinæ, & vociferati ſunt omnes Filii Dei.* Ubi per *Filios Dei* in poſteriori commatis parte Hebræi communiter *ſtellas* intelligunt. Neque ulla eſt in ea interpretatione ταυτολογία, cum in priori membro *ſtellæ matutinæ* non quaſcunque ſtellas, ſed *lucidiſſimas* ſignificent: nam בקר ſæpè idem, quod אור. Stellæ itaque matutinæ (juxta Hebræos) ſunt ſeptem miniſtrantes, h. e. planetæ, quæ & כוכבי אור *ſtellæ luminis* vocantur, Pſal. 148. 3. Sed ad noſtram interpretationem ſtabiliendam non neceſſe eſt, ut has ſubtilitates aucupemur. Nam τὰ φῶτα ad literam ſonant *lumina*, & vi articuli *certa quædam lumina*, & per Synecdochen *cœleſtia*. Πατὴρ eſt Hebræis *creator*, ſive *auctor*, ut Πατὴρ τῶν πνευμάτων, Heb. 12. 9. Simili appellatione Philo Judæus * Θεὸν λόγον dixit ὑπερουράνιον ἀστέρα, πηγὴν τῶν αἰσθητῶν ἀστέρων *aſtrum ſupercœleſte, fontem aſtrorum ſenſibilium*, & πανάυγειαν, ἀφ' ἧς ὁ ἥλιος καὶ ἡ σελήνη καὶ οἱ ἄλλοι πλανῆτές τε καὶ ἀπλανεῖς, ἀρύονται, καθ' ὅσον ἐκάστῳ δύναμις, τὰ πρέποντα φέγγη, *Univerſalem ſplendorem, à quo Sol, Luna, cæteraque ſtellæ tam fixæ, quàm erraticæ hauriunt ſingulæ, pro viribus, convenientes ſibi ſplendores.* Hic ſenſus verborum πατὴρ τῶν φώτων ſimpliciſſimus eſt & literalis, cui comparati cæteri omnes æquo judici violenti videbuntur ac diſtorti: ut non poſſim non mirari, in tanta doctiſſimorum & κριτικωτάτων Interpretum copia, neminem adhuc (quod ſciam) reperiri, qui in hanc noſtram interpretationem inciderit; præſertim cùm voces, quæ ſequuntur in hoc commate, ſint (vel ipſis notantibus) omnes Aſtronomicæ. Παρ' ᾧ ἢ ἐκ ἑνὶ παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα, q. d. Sol ipſe, Luminarium Cœleſtium princeps, ſuas habet παραλλαγὰς ſive παραλλάξεις; aliter conſpicitur in ortu, aliter in meridie, aliter in occaſu. Præterea habet τροπὰς, annuos à nobis abſceſſus, quos *Solſtitia* dicimus, Græci τροπὰς. Pro iis abſceſſibus alias nobis umbras jacit, quod eſt ἀποσκιάζειν. At Deus ille, à quo virtus omnis ſalutaris deſcendit, ut aſtris (quibus tanta nonnulli tribuunt) atque adeo Sole ipſo ſuperior eſt; ita lux ejus infinitis gradibus perfectior. Non oritur ille, neque occidit, neque abſcedit: mera lux eſt, ſine umbræ mixturâ. Tandem huic eleganti ſermoni finem imponit divinus Scriptor v. 18. Βουληθεὶς ἀπεκύησεν ἡμᾶς λόγῳ ἀληθείας &c. q. d. Quòd fideles & pii ſumus, non evenit ex fatali aliqua neceſſitate, ſed liberrimo Dei per Chriſtum beneplacito: neque id debetur εὐκρασίᾳ iſti temperamenti, quæ ἐξ εὐταξίας Cœli in noſtrâ nobis nativitate obtigit; ſed ἀνακαινώσει καὶ παλιγγενεσίᾳ, novæ & cœleſti illi nativitati, quam per Evangelium effecit in nobis Spiritus divinus. Omnia certè clariſſima mihi videntur; ſed judicent eruditi.

Vid. Grot. in loc.

* περὶ τῆς κοσμοποιΐας, p. 6. Edit. Pariſ. 1640.

§. 21. Ut tandem ſermoni huic ſatis prolixo finem imponam, perſpicere hinc quivis poſſit, quàm craſsâ ac profundâ gratiæ ignorantiâ laborârint univerſi Judæorum Magiſtri: Sadducæis ſtatuentibus abſolutam arbitrii αὐτοεξουσίαν, Phariſæis fato & aſtris divinæ gratiæ honorem deferentibus: adeoque quàm neceſſariam navârit operam Paulus, qui gratiæ divinæ vim atque efficaciam, & arbitrii & naturæ humanæ viribus oppoſitam, toties & tam magnificis verbis prædicet.

CAP.

CAP. XVI.

Secundus Judæorum error, quòd spem salutis suæ posuerunt in civili illa justitia, quæ in Lege disertis pœnis sancita erat. Hinc factum, ut substiterint in obedientia, vel 1. *negativa, vel* 2. *externâ, vel ad summum* 3. *partiali ac dimidiatâ. Quorum singula ex S. Scripturis & Hebræorum Scriptis explicantur ac demonstrantur.*

§. 1. ALter Judæorum error crassissimus quidem, at quem maxima eorum pars errârunt, is fuit, quod justitiâ quâdam civili, quâque pœnas in Lege intentatas effugerent, contenti, de perfectiori illa pietate, in Lege etiam insinuatâ, præstandâ non cogitârint, neq; ad sanctitatem illam eximiam, quam omnes sinceri Numinis cultores affectare debent, adspirârint.

§. 2. Videtur hic eorum error è priori quodammodo natus, atque ei, veluti in subsidium, additus. Conceptâ enim inani illâ in animo de viribus suis fiduciâ, intererat eorum, imò planè necessarium erat, ut justitiam etiam quandam sibi fabricarent viribus istis commensuratam, h. e. tenuem, pusillam, angustam: ita in Legem Dei crudelitatem exercentes non dissimilem ei, quâ refert Plutarchus Procrusten usum fuisse in suos hospites; nimirum ne Lex vires ipsorum excederet, Legem ipsam ad suum modulum exigentes, atque ipsius perfectioni detrahentes, ut perfectionem istam suam sartam tectam conservarent. Fieri tamen potest, ut è contrà error iste Judæorum suprà commemoratus, de sufficientia suarum virium sine specialis gratiæ adjutorio, inde profectus fuerit, quod justam Divinæ Legis amplitudinem non intellexerint; quin potiùs obedientiam in eâ præscriptam, dilutam, angustam, facilem sibi imaginati, suis viribus plus æquô tribuerint, nec præpotentioris gratiæ necessitatem agnoverint; ad instar ejus, qui hostem sibi stramineum sistens, magnos inde sumit animos, atque ex facili sibi spondet victoriam.

§. 3. Verùm undecunque error hic profectus sit, Judæos ita errâsse, ex ipso Paulo, qui & doctrinam Judaicam à summo Legisperito Gamaliele hauserat, & Pharisaicæ sectæ nomen dederat, cognosci possit. Is igitur quô tempore Pharisæus erat, vixisse se ait inculpatum, quod ad justitiam attinebat eam, quæ est in Lege, Phil. 3. 6. Ubi *Legis* nomen (ut rectè Grotius) palam est ita usurpari, quomodo dixit Seneca, *exiguum esse quiddam, ad Legem bonum esse.* Eam nimirum Legem intelligit Apostolus, quam in cognoscendis causis Ebræi Judices sequi tenebantur, qui neque animum poterant introspicere, neque verò ad punienda omnia secus facta, sed ea duntaxat, quæ societatem civilem præcipuè læderent, potestatem acceperant. Ideo igitur se secundùm Legis justitiam ἄμεμπτον esse dicit, quòd nullum crimen in se admisisset, propter quod judicio Legis externo, aut pœnæ alicui in Lege constitutæ, ac per Judices irrogandæ fieret obnoxius. Certè enim vix alio sensu se, quod ad Legis justitiam attinet, inculpatum vixisse in Pharisaismo, dicere vel potuisset, vel ausus fuisset. Hanc tamen qualemcunque justitiam & se olim ante fidem suam magni fecisse, non obscurè fatetur, vers. 7. & à Contribulibus suis, etiamnum in Judaismo versantibus, tanquam egregium aliquod, de quo gloriari poterant, summo in pretio habitam fuisse innuit, vers. 4. *In Mat. 5. ver. 20.*

§. 4. Ex hoc impurissimo fonte non paucæ Judæorum de obedientia Deo præstanda pessimæ opiniones manârunt. Paucas ex multis annotabimus. 1°. Hinc factum est, ut in religione plerumq; negativâ acquieverint, satis esse existimantes, si à delictis, præsertim enormibus, abstinerent, opera interim pietatis & charitatis, Deo proximoq, debita parum curantes: h. e. in peccatis commissionis, quæ vocantur, evitandis præcipuam operam posuerunt, omissionis peccata susq; deq; habentes; quippe negativis præceptis pœna utplurimùm annexa erat, affirmativis admodum rarò. Hinc legimus Pha-

Phariſæum Deo gratias egiſſe, quod non eſſet, ſicut reliqui homines, raptores, injuſti, mœchi, vel etiam ut è longinquo orans Publicanus, Luc. 18.11. in magna laude ponentem, non eſſe in ſceleratiſſimorum numero. At quid boni fecerat Thraſo iſte ſuperbus? Nihil habuit, quod coram Deo prætenderet, præter frivola quædam ac merè externa opera: *Jejuno* (inquit) *bis hebdomade, decimo quæcunque poſſideo*, verſ. 12. Quâ de causâ Clemens Alexandrinus Phariſaicam & Chriſtianam juſtitiam hôc modô explicat: Ἐὰν μὴ πλεονάσῃ ὑμῶν ἡ δικαιοσύνη πλεῖον τ῀ γραμματέων καὶ φαρισαίων, τ῀ κατ' ἀποχὴν κακῶν δικαιωμένων, σὺν τῷ μετὰ δ῀ ὧν τέλειοι τελειώσεως, καὶ τῷ τ῀ πλησίον ἀγαπᾷν καὶ ἐνεργεῖν δύνασθαι, οὐκ ἔσεσθε βασιλικοί. Nimirum Phariſæi erant tantùm κατ' ἀποχὴν κακῶν δικαιούμενοι, juſti, quod ad abſtinentiam à criminibus attinet. Egregiam vero laudem! Quid enim vel Poeta Ethnicus?

Lib. 6. Strom. p. 696.

> *Nec furtum feci, nec fugi, ſi mihi dicat*
> *Servus, habet pretium; loris non ureris, aio.*
> *Non hominem occidi; non paſces in cruce corvos.*

Ex hac tamen à gravioribus peccatis abſtinentia, non tantùm impunitatem ſibi promiſerunt, ſed & meritum ſomniârunt delirantes Phariſæi. Hinc Rabbinorum iſtud è tripode oraculum (Miſhnah lib. Kidduſhin). *Quiſquis à violatione præcepti abſtinuerit,* ניתנים לו שכר כעושה מצוה *præmium ei tribuetur, quaſi præceptum obſervâſſet.*

§. 5. 2ò. Ex hoc fonte effluxit peſſimum illud Phariſæorum dogma, quô delicta cordis (puta invidiam, ſuperbiam, avaritiam, iracundiam, deſideria immunda, &c.) parvi penderent; illa tantùm quæ in factis externis conſpicitur, juſtitiâ contenti. Nimirum (ut optimè Grotius) quanquam ſcirent, Legem latam à Deo, mentium inſpectore, qui & ex animo ſe diligi vellet, & pravas cupiditates interdiceret; tamen quia talibus præceptis pœna nulla diſertè erat appoſita, ideo ea habuerunt pro conſiliis potiùs quàm præceptis, aut certè partim quotidianis victimis, partim annuô Sacrô piaculari ita putabant eas labes expurgari, ut nulla earum memoria apud Deum reſtaret. Utut ſit, certè non tantùm Iudæorum vulgus, ſed & Scribas & Phariſæos ipſos in turpiſſimo hoc errore fuiſſe, nimis manifeſtum eſt. Hinc Chriſtus ipſe Mat. 5. Phariſaicis dogmatibus ſua opponens ſanctiſſima præcepta, affirmat v. 21,22. quod cùm Phariſæi ea tantùm pro delictis haberent, quæ ſolent legitimis pœnis coerceri, ideoque ab homicidio abſterrerent homines, quia homicidas gladiô feriri, Lex imperâſſet; ipſe tamen voluerit, ut etiam iracundiam caverent diſcipuli ſui, certò perſuaſi, ei quoque propoſitam eſſe pœnam in ſæculo altero non minùs gravem, quàm ea eſt, quam hîc homicidæ ſuſtinent: quòd ſi quis iracundiæ maledicentiam adjunxerit, eum pœnam iſtâ graviorem laturum, qualis eſt pœna lapidationis, à magno Synedrio irrogari ſolita: aut etiam ſi atrocior fuerit maledicentia, exquiſitiores cruciatus paſſurum, quales eſſe ſolent eorum, qui in valle Hinnomi lentis ignibus uſtulantur. Hanc enim eſſe ſimpliciſſimam ejus loci paraphraſin, non temerè dixit Grotius. Simili planè modô dilutam Phariſæorum ſeptimi præcepti interpretationem perſtringit Chriſtus v. 27,28. oſtendens violati illius præcepti reum eſſe, non ſolùm qui externum adulterii actum perpetrat (quod putârunt & docuerunt Phariſæi) ſed etiam, qui in conſpectam aliûs uxorem impurô fertur deſideriô. Hinc etiam toties & tam acriter Phariſæos iſtos avaritiæ, ſuperbiæ, aliarumque internarum impuritatum increpuit Dominus, ut videre eſt Luc. 16. 13, 14. & 18. 10. Mat. 23. 25,26,27,28.

In Mat. 5. verſ. 20.

§. 6. Poſtremò hanc fuiſſe ipſam Judæorum ſententiam, ex probatis ipſorum Scriptoribus luce clariùs apparet. Duo tantùm teſtimonia à Grotio, atque ante eum ab aliis citata (at ea quidem appoſitiſſima) in medium proferam. Prius eſt illud Joſephi, qui in Phariſaiſmo, ut ipſe fatur, accuratè inſtitutus, Polybium Hiſtoricum reprehendit, quod mortem Antiochi adſcripſerit cogitato quidem, at non perpetrato Sacrilegio; hæc verba ſubjungens: τὸ γὰρ μηκέτι ποιῆσαι τὸ ἔργον βουλευσάμενον, οὐκ ἦν τιμωρίας ἄξιον, h. e. *Cùm non perpetrârit, quod in animo habuerat, ſcelus, ſupplicium haud commeritus eſt.* Sed apertiùs adhuc loquitur magnus ille Ebræorum Magiſter, David Kimchi, qui verba iſta Pſal. 66. 18. *Iniquitatem ſi vidiſſem in corde meo, non exaudiſſet Dominus*, planè contra manifeſtam Davidis ſententiam ita interpretatur: " Etiamſi viderim iniquitatem in " corde meo, quam vel paratus eſſem in " actum producere, utut illa ſit coram Deo, " ac ſi eam labiis protuliſſem, tamen non " audiet eam Dominus: q. d. non ducet " mihi eam ſceleri. Cogitationem enim pra- " vam Deus non habet vice facti, niſi con- " cepta fuerit in ipſius fidem ac religionem." Proh pudor! Quam hæc διδασκάλια τῶν Ἰσραὴλ indigna? Quippe omnia animi decreta, quæ quò minùs implerentur, penes hominem non ſtetit, exceptâ ſolâ defectione à Judaiſmo, ſtatuit à Deo non imputari, neque pro peccatis duci.

Vid. Cornel. à Lap. in Mat. 5.

§. 7.

§. 7. 3ò. Πρῶτον illud ψεῦδος & alium errorem procreavit, quô eorum præceptorum, quæ nullis pœnis disertis sancita erant, mutilatam quandam & (si ita loqui liceat) partialem obedientiam plusquam sufficere credebant cæci illi cæcorum duces. Nimirum satis Legi fieri credentes, si præcepta sub pœna mortis exacta custodirent, quicquid in cæteris præstiterint, pro supererogatione quadam ducebant. Miram hanc doctrinam tradunt Judæorum Magistri in Mishnah, lib. Maccoth, sect. ult. ubi docent, ideo tam ingentem præceptorum numerum in Lege datum esse Judæis, (quippe præcepta 613. enumerant) ut ex iis, quæ vellent, sibi seligerent, quibus præstandis vitam æternam promererent. Sic enim locum illum explicat Obadias de Bartenora: *Quisquis vel unum aliquod ex 613. præceptis sincerè observaverit*, הנה זכה בה לחיי עולם הבא *ecce is illud præstando vitam merebitur æternam.* Ubi cùm *vel unum aliquod præceptum* dicit, intelligendum puto de iis præceptis, quæ pœnâ mortis non erant sancita: illa enim universa absolutè esse ad salutem observatu necessaria, fieri vix potuit, ut non crederent Judæi. Etsi non negârim, quædam Rabbinorum dicta contrarium sensum postulare videri; nec mirum sit, Magistros istos, justô Dei judiciô occæcatos, in errores vel absurdissimos incidisse.

§. 8. Notum est & tritum apud Iudæos axioma, à Maimonide commmemoratum: העוסק במצוה פטרמן המצוה, *Qui operam dat præcepto, liber est à præcepto.* Cui geminum est illud: אין מעבירין על המצות, *Non licet præcepta transilire.* Quod ita exponit Maimonides: *Quisquis operam dat uni alicui præcepto custodiendo, ab eo non debet desistere, ut ad aliud præceptum observandum transeat.* Diserta sunt etiam verba Hebræorum Doctorum in Mishnah, lib. Kidd. cap. 1. sect. 10. כל העושה מצות אחת וכו *Quisquis unum aliquod præceptum observaverit, ei bene erit, & dies ejus perpetuabuntur & possidebit terram &c.* Non me latet, dictis hisce Rabbinorum plusquam crudis à Maimonide aliisq; granum salis adhiberi; sed & ipse sal insipidus est. Statuunt enim necessarium esse, ut bonum illud opus, quod quis præstat, tale sit & tanti, ut illo addito, merita ejus præponderent malis actionibus: quâ positâ conditione, de salute securum eum esse jubent. Quâ de re qui plura Rabbinorum testimonia legere volet, consulat Smitthæi nostri (viri Rabbinicæ eruditionis peritissimi) inter selectos sermones Anglicè conscriptos, Dissertationem de legali Justitia, ejusdemque imprimis caput secundum.

§. 9. Insulsum hoc & impium scholæ Pharisaicæ commentum redarguere videtur Dominus noster Mat. 5. v. 19. his verbis: *Quisquis solverit unum ex mandatis hisce minimis, atq; ita docuerit homines, minimus vocabitur in Regno cælorum &c.* Quàm hæc ad Pharisæos pertinebant, qui multa Dei præcepta (paucis quibusdam curatis) & ipsi susque deque habebant, & aliis, ut idem facerent, autores & magistri erant? Ideoque mox sequitur v. 20. *Dico enim vobis, nisi abundaverit justitia vestra plus quàm Scribarum & Pharisæorum, &c.* Nec minùs apertè Jacobus ad Judæos, Christianos jam factos, scribens cap. 2. v. 10, 11. *Qui totam Legem servat, in uno autem transgreditur, toti Legi obnoxium se reddidit &c.* q. d. Cavete vobis à mutilata illa præceptorum observantia, quam olim in Judaismo versantes, à Magistris vestris didicistis: longè enim aliam Dominus ille, cujus nunc discipuli estis, obedientiam à vobis postulat; nempe, ut omnibus & singulis ejus mandatis custodiendis sincerum sedulumque studium adhibeatis. Hanc Jacobi interpretationem (quæ certè sponte mihi sese obtulit) video Paulo Burgensi Judæo etiam placuisse, ut & doctissimo interpreti Estio; qui etiam eòdem refert ista Pauli verba, Gal. 3. 10. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, &c.*

§. 10. Hujus autem doctrinæ, aliàs satis periculosæ, & maximum certè periculum in eo situm erat, quòd plerique hunc sibi delectum permissum credentes, ex præceptis Dei ea maximè sibi observanda sumerent, quæ minora erant ac præstatu facilia, quæq; carni suæ erant minùs ingrata, aliis longè majoris momenti susque deque habitis. Quod & à Pharisæis factum esse testatur Christus ipse, Mat. 23. 23. ubi notatur τὸ ἀκριβὲς eorum in observando decimandi præcepto, quòd vel minutiora olera (quæ an Lex comprehendisset, controversum erat) non solvere iis religio erat, iis interim neglectis, quæ erant τὰ βαρύτερα τȣ̃ νόμȣ, qualia judicium, misericordia & fides.

CAP. XVII.

Tertius error Judæorum, imprimis Phariſæorum, quòd in frivolis quibuſdam ritibus atque inſtitutis πατεροπαραδόσεις *juſtitiam ponerent, iiſque ſumma Dei mandata poſtponerent. Item quartus atque ultimus, quòd larvatâ iſtâ juſtitiâ contenti, de Meſſia non cogitarent, qui meliori ipſos juſtitiâ impertiret. Denique ex iſta dogmatum Judaicorum deſcriptione conſectaria quatuor ad Paulum rectè intelligendum perutilia deducuntur.*

§. 1. PORro non minima Judæorum, imprimis Phariſæorum, ſtultitia erat, quòd juſtitiam ſtatuebant in frivolis quibuſdam, atq; adeo ridiculis operibus, ritibus & ceremoniis, ſuô cerebellô procuſis; quibus etiam tantum tribuebant, ut iis ipſa Dei præcepta, eaque maximi momenti, poſthaberent. Hujus generis erat ante cibum ac poſt reditum à foro aut cœtu hominum frequentiori (ubi perſonæ reive alicujus immundæ contactu facile iis erat pollui) accurata ac ſollicita manuum lavatio, Marc. 7.3. In qua eam ἀνιβειαν obſervârunt, ut ſe laverint μέχρι τῦ ἀγκῶνος, *ad cubitum uſque*, ut rectè, meô judiciô, πυγμῆ exponit Theophylactus. Nempe iis mos erat, manus inter lavandum in altum attollere, & digitis contractis ſuperfuſam aquam excipere, quam neceſſe fuit inde ad cubitum uſque defluere. Quin & lotiones poculorum, & lagenarum, & vaſorum æris, (teſtacea enim frangebant, ſi polluta crederent) & lectorum, ſummâ cum religione obſervabant; ut teſtatur Marcus ibid. v. 4. addens etiam diſertè, fuiſſe alias multas id genus nugaciſſimas ceremonias, quas ſedulò cuſtodiendas à Senioribus acceperant. De quibus multa legere eſt in libris Judæorum, eorumque qui de moribus ipſorum ſcripſerunt; quas hîc etiam recenſuiſſem, niſi meminiſſem ejus, quod Poeta cecinit:

Turpe eſt difficiles habere nugas,
Et ſtultus labor eſt ineptiarum.

§. 2. Phariſæos autem in frigidis hiſce ritibus juſtitiam collocâſſe, liquet ex citato capite v. 5. ubi dicuntur ob eos neglectos, diſcipulos Chriſti criminis quaſi piacularis arguiſſe. Quin & eos ceremonias iſtas Dei ipſius mandatis, iiſque maximis prætuliſſe, Chriſtus ipſe teſtatur verſ. 8. ubi dicit ipſos neglexiſſe mandatum Dei (dilectionis ſcil. mandatum Dei κατ' ἐξοχὴν dictum) ut traditiones iſtas ſuas obſervarent: quippe ridiculis quidem iſtis, at operoſis ritibus ſummè intenti, præceptum illud maximi momenti parùm curabant; quod ipſum ſatis fuit mali. At deinde gradu facto, Chriſtus inſuper demonſtrat, fuiſſe quaſdam eorum παραδόσεις, quæ non tantùm averterent ab internæ pietatis ſtudio, verùm etiam directè repugnarent præceptis à Deo traditis; ut ſolet ſuperſtitio in pejus procedere, verſ. 9, 10, &c. Hæ autem traditiones fuerunt procul dubiô in earum numero, quas à Patribus ipſius acceptas ſe ante fidem ſuam ardentiſſimô zelô affectâſſe teſtatur Paulus, Gal. 1. 14.

§. 3. Quartò, in hac ſordida juſtitia (quis non miretur?) ſecurè & ſuaviter acquieſcentes Judæi, eamque non minùs apud Deum quàm apud homines valere credentes, de ſeriò expetenda peccatorum remiſſione non erant ſolliciti; neque verò expurgandis animis extirpandiſque vitiis iſtis, quæ inter homines diſſimulari ſolent, operam navabant; neq; (hinc fundi Judæorum calamitas) Meſſiâ tali opus putabant, qui medicinam afferret ei parti, quam ipſi ægrotare non ſentiebant. Vide Mat. 9. 10, 11, 12. Joh. 5. 39, 40. & 9. 39, 40, 41. Meſſiam quidem expectabant, at qualem ipſi ſibi finxerunt; nempe, Regem quendam glorioſum, vi, & armis, & opibus præpollentem, qui à jugo Romanæ ſervitutis Judaicam Gentem liberaturus eſſet, ac Regnum Davidis ſuper omnia orbis terrarum imperia evecturus. Meſſiam autem morte ſuâ peccata ipſorum expiaturum adeo non credebant, ut ipſum mori, iis probroſum videretur; unde Crux Chriſti dicitur fuiſſe Judæis σκάνδαλον, *offendiculum*, 1. Cor. 1. 23. Legem Moſis in ipſo finem & complementum ſuum habiturum, ipſumque doctrinæ ſuæ luce Spiri-

Spiritûsque efficaciâ homines ad justitiam illâ, quam sibi ipsis stultè imaginati sunt, imò quam Legis ipsius litera præscripserat, longè sublimiorem perducturum, ne somniârunt quidem; quippe magni illius mysterii profundâ laborantes ignorantiâ, Christum scilicet futurum τέλος τῦ νόμυ εἰς δικαιοσύνην, finem, perfectionem ac complementum Legis, ut deinde per ipsum solum fierent veræ justitiæ participes, quotquot in eum credituri essent, Rom. 10. 4.

§. 4. Atque is fuit Judæorum in hac de Justificatione & operibus doctrinâ sensus, quô, ad institutum nostrum quod attinet, sufficienter explicatô, consectaria inde nonnulla ad rem, quam præ manibus habemus, haud prorsus inutilia deducemus. Ac primò quidem hinc constat, toto eos cœlo à scopo Apostoli aberrare, qui statuunt eum contra obedientiam ἀναμάρτητον, usquequaque perfectam atque omnibus numeris absolutam, disputare, tanquam dogma inter Judæos receptum defensumque. Ex iis enim, quæ diximus, manifestum fit, eos ab hac persuasione tam longè abfuisse, ut è contrà intra obedientiam nimis imperfectam substitisse contenti fuerint.

§. 5. 2ò. Hinc patet, doctrinam istam, quam Apostolo affingunt Solifidiani, à scopo ipsius esse etiam alieniſſimam. Statuunt enim, Apostolum docere, bona opera ad Justificationem nequaquam esse necessaria. At cui, quæso, fini, cui bono apud Judæos serviret ejusmodi disputatio? Certè quidem parùm necesse fuit, ut necessitatem bonorum operum deprimeret apud eos, qui de bonis operibus, de vita in conspectu Dei ritè instituendâ, jam suâ sponte nimis incurioſi erant. Sanctissimo Apostolo multò magis conveniebat calcaria cessatoribus istis addere, necessitatem veræ justitiæ sinceræque sanctimoniæ rigidè urgendo, eosque ad expurganda vitia, ista præsertim interna, in quibus planè consopiti jacuerunt, acriter exstimulando; quod & revera facit. Quid, quòd eundem illum Solifidianismum, quem putant nonnulli Apostolum in suis contra Judæos disputationibus defendere, ipsi Judæi (mutatis quidem mutandis) acriter atque animosè propugnârunt? Constat enim eos existimâsse, omnem Israelitam, qui modò professionem Judaismi & fiduciam fœderis cum Abrahamo initi non abjecisset, partem tandem habiturum in altero sæculo, i. e. in vita æterna: quæ certè, mutatô tantùm Judaismi nomine in Christianismum, est ipsissima Solifidianorum nostrorum sententia.

§. 6. Hanc certè sententiam Maimonides audacter ac rotundè enuntiat, Tract. de pœnitent. cap. 3. *Improbi omnes, quorum peccata exuperant bona ipsorum opera, judicabuntur secundùm mensuram peccatorum suorum ita exuperantium; ac postea partem habebunt in futuro sæculo:* שכל ישראל יש להם חלק לעולם הבא i. e. *Eò quòd omnes Israelitæ partem habituri sunt in futuro sæculo.* Axioma autem illud: *Omnes Israelitæ partem habebunt in futuro sæculo*, ex Mishnah desumptum est Tract. Sanhedrim cap. 10. ubi ut receptissima inter Judæos sententia proponitur; pauculis tamen ex ea universalitate exceptis: viz. *Qui negat in vitam revocandos esse mortuos: Legem esse à Cœlo: qui libros extraneos legit: qui adsusurrat plagæ verba Exod. 15. 26. denique qui nomen Tetragrammaton suis literis pronuntiat.* Insignis quoque sententia est, quæ è Thalmud Judæorum citatur à Munstero: שאברהם יושב על פתחי של גיהנם שלא להניח לירד פושעי ישראל בגיהנם *Abraham sedet juxta portas inferni, & non permittit ullum iniquum Israelitam descendere ad infernum.*

Vide Maimon. in explicatione istius capitis.

In Marc. 3. v. 9.

§. 7. Istam autem antiquitus inter Judæos obtinuisse sententiam, docet nos Justinus Martyr, qui τὴν πρώτην τῶν ἀποστόλων διαδοχὴν attigerit, quique disciplinam Iudaicam, qualis ejus ætate doceretur, habuerit (si quis alius) perspectissimam. Is in Dialog. cum Tryph. (prope finem) postquam dixisset, Iudæos non potuisse veram sapientiam percipere, eò quòd ex fonte Dei vivo non bibissent, sed ex fractis cisternis, & aquam continere non valentibus, mox subjungit: Εἰσὶ δὲ λάκκοι πρότετριμμένοι, καὶ ὕδωρ μὴ συνέχοντες, ὃς ὤρυξαν ὑμῖν οἱ διδάσκαλοι ὑμῶν αὐτῶν, ὡς καὶ ἡ γραφὴ διαῤῥήδην λέγει· διδάσκοντες διδασκαλίας, ἐντάλματα ἀνθρώπων. Καὶ πρὸς τέτοις ἑαυτὸς καὶ ὑμᾶς βεκολόσιν, ὑπολαμβάνοντες ὅτι πάντως τοῖς ἀπὸ τ σπορᾶς τ κατὰ σάρκα τ Αβραὰμ ἔσι, κἂν ἁμαρτωλοὶ ὦσι, καὶ ἄπιστοι, καὶ ἀπειθεῖς πρὸς τὸν Θεὸν, ἡ βασιλεία ἡ αἰωνία δοθήσεται· ἅπερ ἀπέδειξαν αἱ γραφαὶ ἐκ ἔνται. i. e. *Sunt autem cisternæ fractæ, aquam non continentes, illæ, quas vobis foderunt ipsi Rabbini vestri, prout apertis verbis Scriptura ait:* Docentes doctrinas mandata hominum. *Qui insuper & seipsos, & vos decipiunt, existimantes eis universim, qui ex satu, secundùm carnem, Abrahæ sunt, quamvis peccatoribus, & infidelibus, & erga Deum immorigeris, Regnum æternum datum iri; quæ non consistere sacræ demonstrârunt literæ.* Et paulò pòst veram remissionis seu Justificationis obtinendæ rationem, Judæorum aliorumque, hâc ex parte iis adstipulantium, somniis oppositam, his verbis pandit referatque:

Pag. 369.

que: Τοῦτο δέ ἐστιν, ὡς μελανοήσας ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασι, τῶν ἁμαρτημάτων παρὰ τῷ Θεῷ λάβῃ ἄφεσιν, ἀλλ' οχ' ὡς ὑμεῖς ἀπατᾶτε ἑαυτοὺς, καὶ ἄλλοι τινὲς ὑμῖν ὅμοιοι κατὰ τοῦτο, οἳ λέγουσιν, ὅτι κᾂν ἁμαρτωλοὶ ὦσι, Θεὸν δὲ γινώσκουσιν, ἐ μὴ λογίσηται αὐτοῖς κύριος ἁμαρτίαι. i. e. *Id autem eſt hujuſmodi, quòd qui à peccatis reſipuerit, remiſſionem is illorum ſit conſecuturus: non ita tamen, ſicuti vos ſeducitis voſmet ipſos, & alii itidem vobis hâc in re perſimiles, qui dicunt, etiamſi peccatores ſint, non imputaturum tamen eis eſſe Dominum peccatum, ut modò Deum agnoſcant.* Ubi in verbis illis, καὶ ἄλλοι τινὲς ὑμῖν ὅμοιοι κατὰ τοῦτο, dubiô procul Gnoſticæ factionis ſectatores perſtringit, quos errorem iſtum turpiſſimum errâſſe, docet nos Irenæus paſſim *. Certè ego perſuaſiſſimum habeo, Jacobum Apoſtolum (ad Judæos ſcribentem) adverſus iſtam tum Judæorum, tum Judaizantium Gnoſticorum peſtiferam doctrinam, totam illam diſputationem de fide & operibus, quæ ejus Epiſtolæ cap. 2. continetur, inſtituiſſe. Sed iſtud obiter.

* *Vid. lib. 1. c. 1. ejuſdem libri, cap. 20. & Feuardentii notas in utrumque locum.*

§. 8. Miræ autem hujus inter Judæos receptæ opinionis non obſcura indicia reperire eſt in aliis N. T. ſcriptis. Vide Mat. 3. v. 8, 9, 13. Ioh. 8. 39. Rom. 9. 6. Ex profeſſo autem hanc ſententiam oppugnat Paulus Epiſt. ad Rom. cap. 2. fere per totum, ubi ſcopus ejus eſt oſtendere, fruſtra Judæos circumciſioni ac fœderi divino confiſos eſſe, dum turpiſſimis vitiis indulgerent, ac de vita ſua ad normam divinæ Legis exigendâ nihil quicquam eſſent ſolliciti. Conſule imprimis v. 9,10,11,12,13. & v. 17. uſque ad finem capitis. Qui igitur fidem ſolam ſine bonis operibus ad Juſtificationem ſufficere, tantô conatu contendunt, ne ſcilicet ad Judaiſmum accederent, in ipſum jam (cum veteribus Gnoſticis) ματαιότητι ac ſtultitiæ Judaicæ βαθει inciderunt.

§. 9. 3°. Ex iis, quæ diximus de Judaicis dogmatibus, cauſam porro conjicere licet, cur Apoſtolus juſtitiam illam Legis, contra quam diſputat, non contentus ſimpliciter rejicere, tam contemptuoſis inſuper epithetis proſequatur. Cùm enim Phil. 3. privilegia illa, quæ adhuc in Phariſaiſmo verſatus, ſummo habuit in pretio, commemorâſſet (in quibus maximum illud erat, quod ſecundùm Legis juſtitiam ἄμεμπτος fuerit) mox addit v. 8. ſe, Chriſtô jam cognitô, omnia iſta exiſtimâſſe non tantùm ζημίαν εἶναι, *detrimentum* eſſe, ſed & σκύβαλα, *retrimentum* ſive ſtercora. Videtur enim σκύβαλον dici, quaſi κυσίβαλον, ut ſignificet illud, quod ex inteſtinis animantium canibus projicitur: vox certè res viles ac ſordidas ſignificat. Cui autem veroſimile fiet, Apoſtolum de vera Legis juſtitia tam contumelioſè loqui voluiſſe? Sed nimirum de juſtitia illa humana, negativa, externa & hypocritica, dimidiata, frivola loquitur, quam ex inſtitutione Phariſaica didicerat: quam quidem ipſi jam fide illuminato, vileſcere, ſordeſcere, ac ſtercoris inſtar fœtere, nemo mirabitur, qui ea, quæ modò diximus de juſtitia Judaica, expenderit.

§. 10. 4°. Poſtremò, ex hac dogmatum Judaicorum deſcriptione clarè elucet ſcopus Apoſtoli in universa ipſius contra Judæos diſputatione. Nimirum totus in eo eſt, ut miſeri homines in peccato revera hærentes, at in larvata quadam juſtitia ſecurè, &, quod dici ſolet, in utramque aurem dormientes, tandem expergefierent; & miſeriam ſuam agnoſcentes, ac pro certo ſtatuentes, verum eſſe illud, quod Dominus noſter iis dixerat, ſcilicet niſi juſtitia ipſorum longè major eſſet illâ, quam docuerunt Scribæ & Phariſæi, eos nequaquam in Regnum cœlorum ingreſſuros Mat. 5. 20. ad Chriſtum Mediatorem ſupplicum more confugerent; tum maximorum peccatorum, quorum adhuc rei tenebantur, veniam ab ipſo conſecuturi, tum gratiam Spiritûs & Evangelii ipſius impetraturi, quâ à peccati dominio liberati, ad veram illam ac ſpiritualem juſtitiam, ſine qua Deo ad ſalutem nemo gratus eſſe poſſit, pervenirent. Verbo dicam: Judæos non arcet Apoſtolus à vera operum juſtitia, ſed à falſa & fucata retrahit, ut ad veram perduceret.

CAP.

CAP. XVIII.

Epilogus, brevem exhibens totius operis ἀνακεφαλαίωσιν, *nec non serium Lectori monitum, ut à quadruplici errore in hâc de Justificatione controversiâ sedulò sibi caveat.*

§. 1. AD umbilicum usque suscepti operis σὺν Θεῷ tandem pervenimus. Tempus est, τὴν κορωνίδα ἐπιτιθέναι, & manum de tabula tollere. Hæc sunt, quæ de conciliatione inter Apostolos Jacobum & Paulum dicenda habui, non pro rei atque argumenti merito, sed quantum per ingenii, temporis, otii nostri angustias licitum erat.

§. 2. Summa hæc est: Rejicit à Justificatione Apostolus Paulus opera; 1. ritualia, quæ Lex ceremonialis præscripsit; 2. moralia, quæ nativis hominum viribus in statu sive Legis, sive meræ naturæ fiunt, ante & citra gratiam Evangelii; 3. Judaica, sive futilem illam justitiam, quam docuerunt Judæorum Magistri; 4. denique universa à Christo Mediatore divulsa, quæque suâ vi vel citra respectum ad Fœdus gratiæ, Christi sanguine stabilitum, salutem sempiternam assequerentur. Neque ex hujusmodi operibus ulla adstruit Jacobus, ut ex tota ejus Epistola manifestum est. E contrà opera moralia, ex gratia Evangelii profecta, vi Fœderis Evangelici ad æternam hominis Justificationem ac salutem efficaciter valere, atque omnino esse necessaria, non tantùm non negat Paulus, sed & in eo fere totus est, ut evincat. Atq; hoc unum illud est, quod contendit Jacobus.

§. 3. Propositum etiam mihi erat, ad calcem hujus operis Schema totius de Justificatione doctrinæ, ad mentem utriusq; Apostoli concinnatum, Lectori exhibere. Sed in præsenti saltem labore isto supersedendum duxi, tum ne longiùs excurreret oratio, tum imprimis quòd ea in hisce Dissertationibus sparsim diximus, quæ prudenti ac sedulo Lectori sufficere possint. Tantùm Lectorem serió velim admonitum, ut à quadruplici errore in hac de Justificatione maximi momenti controversiâ sedulò sibi caveat.

§. 4. 1°. Aure atque animô abhorreat ab isto Pontificiorum quorundam (quorundam, inquam, quia quosdam aliter sentire, ingenuè fatendum est) pernicioſissimo errore, qui bonis justorum operibus ex condigno, hoc est, propter intrinsecam eorum bonitatem ac dignitatem, præmium cæleste deberi, asserere non verentur. Certè enim qui ejusmodi operum meritum adstruunt, Christianorum nomen haud sunt meriti. Ac fidenter pronuntiare ausim, vix ac ne vix quidem gratiam Christi sensisse aut novisse, qui horrendam istam opinionem animô penitus imbiberunt. Animi modestia est ipsissimus Christianismi animus; quô quisquis careat, Christiani cadaver est, non verus vivusq; Christianus. Quid autem ab hac modestia longiùs abhorret, quàm superba ista meriti præsumptio? Equidem si quid tale meritum esset, eorum esset, qui de meritis suis nihil vel dicunt, vel cogitant; quique, ut Cyprianus loquitur, *in Ecclesia semper gloriosè & granditer operati sunt, & opus suum Domino nunquam* imputaverunt.* Huic etiam sententiæ manifestè reclamat scopus atq; institutum Apostoli Pauli in suis de Justificatione disputationibus; quippe qui totus fere in eo sit, ut meritum omne humanum destruat, omnemque gloriæ ansam superbis istis operum suorum institoribus præscindat. Quod enim hîc excipiunt meritorum Patroni, Apostolum operibus tantùm sine gratia factis meritum detrahere, insulsum nimis commentum est. Etenim Sole meridianô clarius est, Apostolum ideo operibus sine gratia factis Justificationem ac salutem detrahere, quòd ex iis admissis meritum quoddam

Epist. ad Lapsos.

* Imputare, *in Latino sermone, cùm ad benefacta refertur, non est acceptum, sed expensum ferre. Vide* Gros. *in Annot. ad Luc.* 17. *v.* 7.

ſequi videretur, aliquamque gloriæ anſam arripere homines ſibi potuiſſent : è contrà idcirco operibus ex gratia profectis Juſtificationem ad ſalutem concedere, quòd hâc ratione meritum omne humanum evaneſcat, omnis gloriandi materia in homine ipſo ſublata ſit, totaq; ſalutis noſtræ gloria & honos in Deum redundet autorem : ut quô argumentô Sophiſtæ noſtri condignitatem operum ſtabiliunt, eôdem Paulus eorundem meritum evertat, quòd ſcil. ex gratia trahant originem.

§. 5. Caveat itaq; quiſquis ſaluti ſuæ conſultum velit ab imputatrici iſta ſuperbia ; neq; Deum optimum maximum ad calculos vocet, tanquam ſibi ullatenus debitorem. Meminerit jus illud, quod habent bona juſtorum opera ad vitam æternam, in pacto ac promiſſo Evangelico unicè fundari ; pacti autem illius & promiſſi fontem eſſe meram ac miram Dei Patris per Jeſum filium ſuum miſericordiam. Quod eleganter, ut ſolet, exprimit Bernardus in iſta Apoſtoli verba, 2 Tim. 4.8. *Quod reliquum eſt, repoſita eſt mihi juſtitiæ corona, &c. Eſt* (inquit) *quam Paulus expectat, corona juſtitiæ ; ſed juſtitiæ Dei, non ſuæ : juſtum quippe eſt, ut reddat, quod debet ; debet autem, quod pollicitus eſt.* Addas : *pollicitus autem eſt, quod voluit*, ex ſuo nempe per Jeſum Chriſtum beneplacito. Auguſtini illud notum eſt in Pſalm. 109. *Fidelis Dominus, qui ſe nobis debitorem fecit, non aliquid à nobis accipiendo, ſed omnia promittendo* ; ut & illud Fulgentii in Prolegom. lib. ad Monimum : *Seipſum ſuâ largitate dignatus eſt facere debitorem.* Quanquam & hæ locutiones ab improprietate vix excuſari poſſunt ; ideoque Thomas aliique Scholaſtici dicere maluerunt, Deum promiſſis non debitorem effici nobis, ſed ſibi, h. e. decreto voluntatis ſuæ, quatenus, ut promiſſis ſtet, ejus convenit veritati.

§. 6. Ab hoc potiſſimùm errore, de merito bonorum operum in Juſtificationis negotio, cavere voluit filios ſuos Sancta Mater, Eccleſia Anglicana, in Articulo ſuo undecimo, cujus hæc ſunt verba : *Juſti reputamur in conſpectu Dei propter merita tantùm Domini ac Servatoris noſtri Jeſu Chriſti per fidem, non propter opera vel merita noſtra. Quare ſolâ fide nos juſtificari, doctrina eſt ſaluberrima & conſolationis pleniſſima, ut in Homilia de Juſtificatione hominis fuſiùs explicatur.* Verba diſerta ſunt : *Propter merita tantùm Domini noſtri, &c. non propter opera vel merita noſtra.* Additur quidem, *per fidem* ; propterea quòd ad hominis Juſtificationem neceſſaria imprimis ſit fiducia de meritis Jeſu Chriſti, cum meritorum noſtrorum perfectâ abrenuntiatione conjuncta : quippe ſine iſta animi debitâ modeſtiâ fieri omnino non poteſt, ut opera noſtra, quantiviſcunq; aliàs pretii ſint, Deo ad ſalutem placeant. Hoc illud ipſum eſt, quod etiam Auguſtani (quorum Confeſſionem, utpote omnium Reformatarum nobiliſſimam atque antiquiſſimam, ita tum hîc, tum alibi, ſecuti ſunt Eccleſiæ noſtræ Proceres ; ut qui iſtam ignorat, is Articulorum noſtrorum mentem ac ſententiam vix rectè percepturus ſit) in Articulo viceſimo *de fide* voluerunt. Ubi pœnitentiam (quæ opera omnia Juſtificationem hominis præcedentia complectitur) ad Juſtificationem omnino eſſe neceſſariam agnoſcunt, & nihilominus fide nos juſtificari aſſerunt ; hôc nimirum ſenſu, quòd nulla prorſus ſit contritionis ſeu pœnitentiæ noſtræ condignitas ad promerendam Juſtificationis gratiam, quòdque propter Chriſtum ſolum donetur nobis remiſſio peccatorum, quòd denique omnes Chriſtiani, qui juſtificari volunt, hâc de re debeant eſſe perſuaſiſſimi. Verba ſunt : “ Quan- *Tom. I. p. 16.*
“ quam contritio ſeu pœnitentia neceſſaria
“ eſt, tamen ſentiendum eſt, donari nobis
“ remiſſionem peccatorum, & fieri nos ex in-
“ juſtis juſtos, id eſt, reconciliatos ſeu acce-
“ ptos & filios Dei, gratis, propter Chri-
“ ſtum, non propter dignitatem contritionis
“ aut aliorum operum præcedentium aut ſe-
“ quentium. Sed fide hoc beneficium acci-
“ piendum eſt, quâ credere nos oportet,
“ quod propter Chriſtum nobis donentur re-
“ miſſio peccatorum & Juſtificatio. Hæc ſen-
“ tentia firmam conſolationem perterrefactis
“ mentibus affert. ” Quis non agnoſcit, *Pag. 17.*
hæc Auguſtanæ Confeſſionis poſtrema verba undecimi noſtri Articuli verbis planè gemina eſſe ? Eadem dicunt Auguſtani in 4to Articulo his verbis : “ Cum Evangelium ar-
“ guit peccata noſtra, corda perterrefacta
“ ſtatuere debent, quod gratis nobis propter
“ Chriſtum donentur remiſſio peccatorum,
“ & Juſtificatio per fidem, quâ credere &
“ confiteri debemus, hæc nobis donari pro-
“ pter Chriſtum, qui pro nobis factus eſt
“ hoſtia, & placavit Patrem. Quanquam
“ igitur Evangelium requirit pœnitentiam,
“ tamen ut remiſſio peccatorum certa ſit,
“ docet eam gratis donari, hoc eſt, non pen-
“ dere ex conditione dignitatis noſtræ, nec
“ dari propter ulla præcedentia opera, aut
“ dignitatem ſequentium. Fieret enim in-
“ certa remiſſio, ſi ita ſentiendum eſſet,
“ tum demum nobis contingere remiſſionem
“ peccatorum, poſtquam eam præcedentibus
“ operibus meriti eſſemus, aut ſatis digna eſ-
“ ſet pœnitentia. ” Ubi obiter & illud diligenter obſervandum eſt, Auguſtanos Theologos,

logos, cùm toties urgent fidem, quâ credimus, nobis gratìs donari remissionem, &c. non hoc voluisse, unumquemque debere credere, sibi in particulari peccata esse remissa, & hanc solam esse fidem justificantem; (quemadmodum non pauci ex iis, qui Augustanam se Confessionem sequi profitentur, mentem eorum perperàm acceperunt) sed id tantùm voluisse significare, nobis, quandocunque justificamur, remissionem contingere gratis, non ex merito operum nostrorum, & hoc ab omnibus justificandis creditu necessarium esse. Verba clara sunt: *Credere & profiteri debemus, hæc nobis donari propter Christum, &c.* Hanc autem esse ipsissimam Ecclesiæ etiam nostræ in Articulo suo 11°. mentem ac sententiam, siquis adhuc vel omnino neget, vel saltem de eo dubitet, en! testem exhibebo omni exceptione majorem, ipsam nempe Ecclesiam, Articulum istum ex professo ac verbis disertissimis ita explicantem

Tom. 1. *p.* 16. part. 2. Homil. de salute: " Effatum hoc, " *justificari nos fide tantùm, gratis, absque o-* " *peribus*, dicitur in eum finem, ut tollatur " prorsus meritum omne operum nostrorum, " quippe quæ nullatenus possint Justificati- " onem nostram à Deo mereri; utque iis " verbis planissimè exprimatur infirmitas ho- " minis, Deique bonitas, maxima nostrî i- " psorum imbecillitas, Deiq; vis ac potentia, " imperfectio operum nostrorum, Christique " Servatoris nostri gratia exuberantissima: " itaque meritum Justificationis nostræ Chri- " sto soli, ac pretiosissimæ sanguinis ipsius " effusioni in solidum deferatur." Clariùs adhuc mentem suam exprimit Ecclesia nostra

Pag. 17. in eâdem Homil. paulò pòst: " Vera intel- " ligentia hujus doctrinæ (justificari nos gra- " tis ex fide, absque operibus) vel, (justificari " nos ex solâ fide in Christum) non est, hunc " actum nostrum, quô in Christum credi- " mus, sive hanc fidem in Christum, quæ in " nobis est, nos justificare, nobisve Justifica- " tionem nostram mereri: (id nimirum i- " dem esset, ac si affirmaremus, justificari nos " actu aliquo, seu virtute, quæ in nobis ipsis " est). Verùm recta intelligentia ac sensus " hujus doctrinæ hic est: quòd, etiamsi ver- " bum divinum auscultemus, eique fidem " habeamus; quanquam præsto in nobis " sint fides, spes, charitas, reverentia ac ti- " mor Dei, iisque adjiciamus opera quanta- " cunque, meritô tamen omnium harum vir- " tutum, fidei, spei, &c. omniumq; bonorum " operum, quæ vel fecimus, vel in posterum " faciemus, vel facere possimus, renuntian- " dum nobis sit, ut quæ longè imbecilliora " atque imperfectiora sint, quàm ut remissi- " onem peccatorum nostrorum, sive Justifi- " cationem nostram mereantur: ideoque fi- " dendum nobis sit soli Dei misericordiæ ac " sacrificio illi, quod semel pro nobis in cru- " ce obtulit summus Sacerdos noster ac Ser- " vator Jesus Christus, Dei filius, ut eô ipsô " (*sacrificiô*) obtineamus gratiam Dei ac re- " missionem peccati nostri, tum originalis in " Baptismo, tum omnium actualium pecca- " torum, à nobis post Baptismum commis- " sorum, si modò per veram atque infuca- " tam pœnitentiam ad ipsum revertamur." Quid manifestius dici potuisset? Ecclesia enim nostra hîc palàm profitetur, se doctrinâ illâ suâ, *justificari nos ex fide sola*, non illud voluisse, vel fidem solam sine operibus ad Justificationem sufficere, vel fidei præ cæteris virtutibus ullam in Justificationis negotio efficaciam vel dignitatem tribuendam esse; sed hanc ipsius mentem esse: quòd ad meritoriam Justificationis nostræ causam attinet, tum fidei, tum cæteris quibuscunqne virtutibus, sive operibus, oportere nos nuntium remittere, ac soli divinæ misericordiæ ac meritis Servatoris nostri confidere. Imò ita bonorum operum meritum negat, ut interea eorundem necessitatem, ad Justificationem impetrandam, satis apertè fateatur, agnoscens, veram atq; infucatam pœnitentiam remissionis obtinendæ conditionem esse prorsus necessariam. His autem planè gemina habent Augustani, Art. 20. de Fide: " Cum igitur " dicimus, *fide justificamur*, non hoc intelli- " gimus, quòd justi simus propter ipsius vir- " tutis dignitatem: sed hæc est sententia, " consequi nos remissionem peccatorum & " imputationem justitiæ per misericordiam " propter Christum." Et paulò pòst in eodem Articulo: " Paulus verò, cùm in- " quit, *fides reputatur ad justitiam, &c.* lo- " quitur de fiducia misericordiæ promissæ " propter Christum. Estq; sententia, homi- " nes justos pronuntiari, id est, reconciliari " per misericordiam, non propter dignitatem " propriam. Sed hanc misericordiam, pro- " missam propter Christum, oportet fide ac- " cipi. Jam bonas mentes nihil offendet no- " vitas Paulinæ figuræ, *Fide justificamur*; si " intelligant propriè de misericordia dici, " eamq; veris & necessariis laudibus or- " nari, &c." Vides in quem scopum Augustani in sua ista doctrina, *gratis ex fide sola justificamur*, collimârint; nempe ut condignitas operum nostrorum deprimeretur, ac Dei misericordia Christiq; meritum meritis suis laudibus ornarentur. Quin & disertè profitentur, locutionem Paulinam, *Fide justificamur*, non propriam, sed figuratam esse. Similiter Ecclesia nostra Homil. de salute part. 3. *P.* 18, 19.

Verum quidem est, opera nostra nequaquam nos justificare, si de Justificatione propriè

priè loquimur, " hoc eſt, non mereri re-
" miſſionem peccatorum noſtrorum, neque
" ex injuſtis nos juſtos facere in conſpectu
" Dei; ſed Deum ex infinita ipſius miſeri-
" cordia per meritum tantùm Filii ſui Jeſu
" Chriſti nos juſtificare. Nihilominus quia
" Fides rectâ viâ nos ad Chriſtum remittat,
" ad veniam peccatorum conſequendam no-
" ſtrorum, cumque per fidem, à Deo nobis
" datam, promiſſum miſericordiæ divinæ re-
" miſſioniſque peccatorum noſtrorum am-
" plectamur (quod nulla alia ex virtutibus
" noſtris ſive operibus propriè facit) ideo
" dicere ſolet Scriptura, fidem abſque operi-
" bus juſtificare." Ex quibus verbis clarè elucet, quid ſummum illud ſit, quod in negotio Juſtificationis ex Eccleſiæ noſtræ ſententia fidei diſtinctè tribuendum ſit; nempe quòd, licèt cæteræ virtutes non minùs neceſſariæ ſint ad hominis Juſtificationem, quàm ipſa fides, ac fides propriè nihilô plus agat in iſto negotio, quàm alia virtus; quia tamen ex omnibus virtutibus fides una promiſſum amplectitur Evangelicum, quô juſtificamur,* ideo non incommodâ locutione ipſi ſoli Juſtificatio noſtra tribui poſſit ac ſoleat: viz. per Metonymiam quandam, quâ actus ponitur pro objecto circa quod verſatur. Vidit hoc, adeoque iſtam Confeſſionis Auguſtanæ doctrinam ſuô calculô comprobavit ipſe Caſſander, qui in ſua ad prædictum Articulum Conſultatione hæc adnotavit: " Quod autem Prote-
" ſtantes paſsím urgent, ſolâ nos fide juſtifi-
" cari, tolerabilius eſt, cùm interpretantur
" ſe in *Fidei* nomine gratiam, quæ ei ex ad-
" verſo reſpondet, intelligere; ut idem ſit,
" ſolâ fide juſtificari, quod ſolâ gratiâ, non
" ex operibus (h. e. non ex merito operum)
" juſtificari." Equidem hoc illud eſt, quod voluerunt Proteſtantes omnes ſaniores. Sic Confeſſio Wurtembergica in Articulo de Juſtificatione: " Credimus & confitemur,
" quòd ad faciendam & exercendam juſtiti-
" am Deo gratam, *neceſſaria ſint* hæ virtu-
" tes, Fides, Spes & Charitas, & quòd ho-
" mo has virtutes non ex ſe concipere poſ-
" ſit, ſed concipiat ex favore & gratia Dei,
" quòdque fides operetur per dilectionem.
" Sed ſentimus, à verè Apoſtolica & Catho-
" lica doctrina longiſſimè abhorrere eorum
" ſententiam, qui docent, hominem fieri
" Deo acceptum, *& reputari coram Deo ju-*
" *ſtum propter has virtutes*, ac in judicio Dei
" meritis harum virtutum confidendum eſſe.
" Homo enim fit Deo acceptus, & reputatur
" coram eo juſtus, propter ſolum filium Dei
" Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum per
" fidem: *& in judicio Dei non eſt ullo earum*
" *virtutum, quas nos habemus, merito*, ſed ſolo
" *merito* Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod fit
" noſtrum per fidem, confidendum. Et quia
" coram tribunali Dei, ubi de vera & æter-
" na juſtitia ac ſalute agitur, *nullus planè lo-*
" *cus eſt meritis* hominum, ſed tantùm mi-
" ſericordiæ Dei, & meritis ſolius Domini
" noſtri Jeſu Chriſti, qui fide à nobis acci-
" pitur; idcirco ſentimus, Veteres ac Ma-
" jores noſtros *rectè dixiſſe*, nos coram Deo
" ſolâ fide juſtificari." Sic etiam luculentiſſimè Collocutores Confeſſionis Auguſtanæ in Colloquio Ratisbonenſi altero: " Super- *Pag. 69.*
" eſt, quòd voce (ſolâ) utimur, ac dicimus
" homines ſolâ fide juſtificari. Id enim ca-
" lumniantur quidam, ac ſi intelligeremus
" inanem quandam de Chriſtiana religione
" opinionem ad ſalutem hominis ſufficere,
" ſine omni hominis ad placita Dei regene-
" ratione, ſine pœnitentia, & ſine ſtudio bo-
" norum operum, & quaſi per hanc vocem
" (ſola) excluderemus à fide ſpem & chari-
" tatem. At nos, cùm prædicamus fidem ju-
" ſtificantem, ſimul quæ illa ſit, explicamus,
" & clarè teſtamur, quòd ea fides in Chri-
" ſtum vera non ſit, cui deſint pœnitentia
" peccatorum, ſpes, & charitas, & ſtudium
" bonorum operum. Cumque dicimus cum
" S. Patribus, nos ſolâ fide juſtificari; de-
" claramus id idem pollere, atque Apoſtoli
" verbis dicere, juſtificari nos gratis & ſine
" operibus. *Ut hæc vox (ſola) excludat*
" *bona opera, & alias virtutes, non ab homi-*
" *ne juſtificato, ſed â vi merendi remiſſionem*
" *peccatorum & vitam æternam*; ut dicere,
" *nos juſtificari fide ſolâ*, aliud non ſit, quàm
" *juſtificari nos nullis noſtris, ſed ſolis Chriſti*
" *meritis, quæ donata nobis fide apprehendi-*
" *mus. Et quia hic germanus uſus eſt hujus*
" *vocis, & vetus Eccleſia eâdem voce ad ædi-*
" *ficationem fidei uſa eſt, non eſt noſtrum, eam*
" *concedere iis, qui gratiæ Dei per laudem*
" *humanorum operum detrahere conantur.*
" Sicut nec S. Patres olim cedere voluerunt
" vocem ὁμοούσιον Arrianis, cùm videbant id
" aliquam impietatis illorum commendatio-
" nem & veritatis obſcurationem allaturum.
" *Eccleſia enim Chriſti ut rerum, ita & verbo-*
" *rum Domina eſt* hactenus, ut ad ædificati-
" onem fidei in Chriſtum omnibus & rebus
" & verbis utatur." Eadem dicunt iidem Collocutores in Reſponſ. ad replicat. 21. Collocutorum alterius partis. Dixerant Collocutores Pontificii: " Vocem (ſola) vos *Pag. 252.*
" ipſi, & præſtantiores veſtri ordinis viri ju- *253.*
" dicâſtis ſcandaloſam, ac proinde omitten-
" dam: cur igitur hanc non & modò, &
" perpetuò condonatis paci publicæ, & ædi-
" ficationi? Chriſtiani certè hominis eſt
" omne ſcandalum vitare, quoad omnino
" poſſit. Jam hæc vox (ſola) eſt magnæ
" offenſionis multis hominibus, nec eſt in
" Scri-

* *Vid. quæ à nobis dicta ſunt hujus Diſſert. c. 5. §. 5.*

Pag. 19. ex edit. Grotii.

Syntag. Confeſ. p. 144.

Corpus Theolog. p. 244. & Syntagm. Confeſſion. p. 81.

Corpus Theolog. p. 424.

" Scripturis tradita; quamobrem omitti pot-
" est sine ullo doctrinæ salutaris detrimento.
" Est igitur officii vestri, eam missam facere."
Quibus, postquam nonnulla præmiserant in explicationem & defensionem istius vocis, respondent Collocutores nostræ partis: " *Ni-*
" *hilominus si qui pii homines istâ voce of-*
" *fenderentur*, qui rem ipsam admitterent,
" nos scilicet justificari solâ Dei gratiâ &
" Christi meritô, nullâ nostrâ virtute, nullô-
" que nostro meritô, his voce istâ nolumus
" esse molesti, aut offendiculo, quâ aliàs per-
" rarò utimur, sicut nec in Confessione no-
" strâ posita est. *Atqui eam propterea abji-*
" *cere, usumq; ejus damnare, id ut fas esse*
" *non potest, ita requirere id à nobis nemo*
" *debet.* Omnium autem minimè iis hanc
" vocem concedere licet, qui ex ea conces-
" sione conentur hominibus eum confirmare
" errorem, quô non est alius nocentior, Ju-
" stificationem non constare nobis solâ Dei
" gratiâ, & solô Christi meritô, verùm et-
" iam aliquâ ex parte nostris virtutibus &
" operibus, Justificationem inquam vitæ, &
" fiduciam salutis æternæ. *Nec vox illa*
" *ὁμοούσιον est in Scripturis his elementis ex-*
" *pressa, tamen quia id &c.*" Similiter e-
andem doctrinam explicat Repetitio Augustanæ Confessionis, scripta Anno Domini M. D. LII. ut exhiberetur Synodo Tridentinæ: atque edita primùm nomine Confessionis doctrinæ Ecclesiarum Saxonicarum; generali denique Ecclesiarum atque Academiarum, quæ Augustanam Confessionem secutæ sunt, suffragiô confirmata; quæ in Loco de remissione peccatorum & Justificatione sic docet: " Itaque & correlativè intelli-
Corpus Theolog. p. 244. & Syntagm. Confession. p. 81. " genda est hæc oratio, *fide justificamur*, hoc
" est, fiduciâ Filii Dei justificamur, non
" propter nostram qualitatem, sed quia ipse
" est propitiator, in quo cor acquiescit &c."
Et mox: " Hîc & de particula exclusiva
" dicendum est; toties repetit Paulus voca-
" bulum *gratis*, quâ voce certissimum est
" excludi conditionem meritorum nostro-
" rum. Ideo in Ecclesiis nostris dicimus:
" *solâ fide justificamur*; quod sic intelligimus
" & declaramus: gratis propter solum Me-
" diatorem, non propter nostram contritio-
" nem seu alia nostra merita donamur re-
" missione peccatorum & reconciliatione.
Pag. 252. 253. " Etsi enim contritio antecedit consolatio-
" nem, & dilectio Dei, & aliæ virtutes mul-
" tæ cum fide, seu hâc fiduciâ, simul accen-
" duntur; tamen hæ virtutes non sunt cau-
" sa seu meritum remissionis peccatorum,
" nec propter eas persona placet &c." Sic
Corpus Theolog. p. 424. denique ipse Melanchthon in Loc. præcipu-
is Theolog. de vocabulo *Fidei:* " Quare cùm
" dicitur: *Fide justificamur*; non aliud dici-
" tur, quàm quòd propter Filium Dei acci-
" piamus remissionem peccatorum, & repu-
" temur justi, & quia oportet apprehendi
" hoc beneficium, dicitur fide, id est, fiduciâ
" misericordiæ promissæ propter Christum.
" Intelligatur ergo propositio correlativè:
" *Fide sumus justi*; id est, per misericordiam
" propter Filium Dei sumus justi seu acce-
" pti. Nota enim est natura relativorum
" nominum. Et ut amor, timor, & alia quæ-
" dam affectuum nomina sunt relativa se-
" cundum dici; ita & fiducia. Nec insulsas
" reprehensiones indoctorum hîc pertimesco.
" Et quod objiciunt quidam, huic fiduciæ ad-
" junctam esse dilectionem, non repugno.
" Sed cùm dicimus: *fide justificamur*; mon-
" stramus Filium Dei sedentem ad dextram
" Patris, interpellantem pro nobis: propter
" hunc dicimus donari reconciliationem, de-
" trahimus meritum reconciliationis nostris
" virtutibus, quæcunque assunt." Et tamen postea suô locô dicitur, dilectionem & alias virtutes in renatis existere oportere. " Ac in
" summa, cùm accusamur in hôc dogmate,
" quòd dicimus, Fide justificari hominem,
" tantùm ideo accusamur, quòd dicimus, nos
" propter Filium Dei accipere reconciliati-
" onem, non propter nostram dignitatem, &
" quòd hoc credendum sit, seu quòd hâc
" fide vel fiduciâ apprehendendum sit bene-
" ficium, & opponendum meritum Christi
" peccato nostro, & damnationi nostræ, &
" quòd in hac fide seu fiducia intuente Fili-
" um Dei, Deus invocandus sit." Has autem sententias esse ipsam Evangelii vocem, & perpetuum veræ Ecclesiæ consensum, certissimum est. Idem in eodem libro de Fide agens, quatenus ea pars est pœnitentiæ: *Corpus Theolog. p. 536.*
" Contritio sine Fide est horribilis pavor &
" dolor animi fugientis Deum, ut in Saule,
" Juda. Quare non est bonum opus. Sed
" contritio cum Fide, pavor & dolor est ani-
" mi non fugientis Deum, sed agnoscentis ju-
" stam iram Dei, & verè dolentis, quòd ne-
" glexerit aut contempserit Deum, & acce-
" dentis tamen ad Deum, & petentis veniam.
" Talis dolor fit bonum opus & sacrificium,
" ut loquitur Psalmus: *Sacrificium Dei spi-* *Ps. 51.*
" *ritus contribulatus, cor contritum & humili-*
" *atum, Deus, non despicies.* Et tamen nec-
" esse est taxari & abjici opinionem, quæ
" finxit, homines contritione mereri remis-
" sionem peccatorum, seu dari remissionem
" propter dignitatem contritionis. Sed reti-
" nenda est vox Evangelii, quæ clamat, gra-
" tis remitti peccata propter Filium Dei.
" Hæc exclusiva retinenda est, ut Christo
" debitus honos tribuatur; item ut mentes
" perterrefactæ teneant certam consolatio-
" nem. Nam adigerentur ad desperationem,

" ſi ſentire deberent, ſe non habere remiſ-
" ſionem, niſi dolor ſatis dignus & ſufficiens
" eſſet. Hæc ſimplex ſententia multos la-
" byrinthos diſputationum tollit. "

Et his autem teſtimoniis Sole meridiano clarius eſt, quàm perperàm omnino veterum Proteſtantium doctrinam, de Juſtificatione ex ſola Fide, acceperint plerique ſequioris ævi Proteſtantes, qui eos Fidei præ cæteris virtutibus propriè dictam inſtrumentalitatem in negotio Juſtificationis tribuiſſe exiſtimârunt. Merum hoc eſt ſomnium. Nam ex ipſorum doctrina, jam fuſiùs à nobis explicatâ, liquidò liquet, nihil illos propriè dictæ efficaciæ, adeoque nec inſtrumentalitatis, Fidei præ cæteris virtutibus, quod ad officium juſtificandi attinet, adſcripſiſſe; ſed id tantùm voluiſſe, Fidem ex omnibus virtutibus unam reſpectum connotare ad gratuitam Dei miſericordiam, per Chriſtum promiſſam, quæ primaria Juſtificationis noſtræ cauſa eſt, ideoque figuratâ quidem, ſed non incommodâ locutione dici poſſe, nos ſolâ fide juſtificari; eam deniq; locutionem omnino retinendam eſſe, propterea quòd accommodatiſſima ea ſit ad exprimendam gratiam & miſericordiam illam Dei per Chriſtum, quâ juſtificamur, adeoque ad omnia hominum merita à negotio Juſtificationis prorſus ſummovenda. Quod Anglicanæ Eccleſiæ Patres optimè exprimunt, Homil. de ſalute, part. 3. *Hanc loquendi formulam uſurpamus, ſubmiſſuri noſmet ipſos coram Deo, omnemq; gloriam Chriſto Servatori noſtro, qui ſolus eâ dignus eſt, delaturi.* Certè Eccleſia noſtra (utcunque mentem ipſius Rogerſius & alii audaculi Articulorum noſtrorum, adeoque multis in locis infœliciſſimi interpretes aliter acceperint) iſtam fidei inſtrumentalitatem apertiſſimis verbis denegavit, Homil. de ſalute part. 2. Sic enim ibidem loquitur: *Juſtificatio non hominis officium, ſed Dei eſt, &c.* Et mox: *Juſtificatio Dei ſolius officium eſt, quod nos illi non reddimus, ſed ab eo accipimus, &c.* Indeq; ſtatim expreſsè concludit, quod ad actum atq; officium ipſum juſtificandi attinet, nihilô plus fidei, quàm cæteris virtutibus tribuendum eſſe; quemadmodum ex ipſis verbis ibidem ſequentibus, jamq; à nobis ſuperiùs allegatis manifeſtum eſt. Ac ſane conſequentia Sole clarior eſt: ſi enim juſtificatio Dei ſolius actus atq; officium ſit, certiſſimum eſt, neq; fidem, neq; aliud quicquam noſtrî in Juſtificationis negotio propriè dicti inſtrumenti vicem ſupplere poſſe; cùm omne inſtrumentum ejuſmodi, quà tale, cum cauſa efficiente principali neceſſariò concurrat; quemadmodum alicubi in Diſſertationibus noſtris * jam adnotavimus.

p. 19.

p. 17.

Summam rei paucis complectar: Cùm veteres Proteſtantes docuerunt, ſolâ nos fide juſtificari, illud non ita intellexerunt, quaſi per eam fidem excludendæ eſſent cæteræ virtutes, cæteraque bona opera, tanquam ad Juſtificationem obtinendam nullô modô neceſſaria, aut quaſi fides plus aliquid ageret in ipſo Juſtificationis negotio, quàm cæteræ virtutes; ſed propoſitionem iſtam eatenus tantùm ut veram recipi voluerunt, quatenus vox *fidei* denotat talem obedientiam, quæ cum fiducia de meritis Jeſu Chriſti, ac meritorum noſtrorum perfecta abrenuntiatione, conjuncta eſt, quæque adeo ea opera omnia excludit, quæ cum fiducia & opinione meriti noſtri fiunt. Hoc eſt, quod voluit Melanchthon in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ ad quæſtionem, quid ſit fides juſtificans: *Facilè poteſt cerni diſcrimen inter fidem & inter juſtitiam Legis. Fides eſt λατρεία, quæ accipit à Deo oblata beneficia; Juſtitia Legis eſt λατρεία, quæ offert Deo noſtra merita. Fide ſic vult coli Deus, ut ab ipſo accipiamus ea, quæ promittit & offert.* Quod luculenter explicavit eruditiſſimus Ludovicus Crocius in Syntagm. lib. 4. cap. 7. *Fides etiam ſola juſtificat, quatenus notat obedientiam quandam, expectantem promiſſionem, ut donum gratuitum, quomodo formaliter quidem conſiſtit in applicatione promiſſionis; quam tamen & præcedunt diſpoſitiones aliquæ ad hunc ipſum fidei actum, & ſequuntur fructus: unde plures virtutes vel actus cùm antecedentes, tum conſequentes connotat, et opponitur illi obedientiæ, quæ non expectat promiſſionem tanquam donum omnino gratuitum, ſed ut mercedem propoſitam ſub conditione operis alicujus, præter acceptationem & gratitudinem debitam, quæ ſuâ naturâ in omni donatione, quamvis gratuitâ, requiri ſolet. Et hujuſmodi obedientia peculiariter* opus *ab Apoſtolo, & Latinis propriè* meritum *dicitur. Et qui hâc conditione obediunt,* operantes *vocantur, Rom.4.4. Atq; ſi ita hæc propoſitio exponatur, ea quidem opera quæ cum fide conſiſtere nequeunt, id eſt, quæ fiunt cum fiducia & opinione meriti, prorſus excluduntur, ita ut non ſolùm negentur juſtificare, ſed & adeſſe tam in juſtificato, quàm in juſtificando.* Hæc ille, quibus ne verbum quidem addendum duxi. Diligenter autem obſervandum eſt, quæ hactenus Eccleſiæ noſtræ attulimus teſtimonia, ea omnia ex Homilia de

Vide Diſſ. ſcrt. 2. c. 5. ſect. 5.

pag. 92.

pag. 122. Vid. etiam Conrad. Bergii Praxin Catholic. div. Can. Diſſert. 7. p. 973, & 982, 983, 984, 985.

* *Diſſert.* 1. *cap.* 2. §. 9.

de Justificatione sive salute hominis desumpta esse; ad quam quidem Homiliam, ut fusiorem Articuli 11. explicationem inde petamus, Ecclesia nostra, idq; in eo ipso Articulo, nos ex professo remittit. Quis jam restat dubitandi locus? De sensu Articuli undecimi quæritur; ad Homiliam de salute hominis eo ipso Articulo remittimur. Quid ibi Ecclesia? Iterum & sæpiùs profitetur, idq; verbis disertissimis, se meritum solummodò bonorum operum in eodem Articulo ire oppugnatum. Neq; certè indignum est observatione nostrâ, è triginta novem Articulis Ecclesiæ Anglicanæ, triginta & octo nudè & sine explicatione ullâ proponi; hunc verò unum, de Justificatione hominis, traditum esse non sine hac cautione expressâ, ut fusior ac plenior ejusdem explicatio ex Homilia de Justificatione petenda sit. Nimirum magnopere solliciti erant Patres sanctissimi, ne quis, ejus Articuli verbis superstitiosè nimis inhærens, in periculosos ea sensus detorqueret: quod & hodie (proh dolor!) à nimiò multis factum esse vidimus. Adeoque mirum est, quàm anxiè, quàm curiosè in ea ipsa Homilia providerint Viri optimi sapientissimique, ne doctrina sua, de Justificatione ex sola fide, aliter à quoquam acciperetur, quàm in eum sensum, quem modò explicavimus; nempe, ut per eam, præsumptione omni meritorum nostrorum penitus sublatâ, gratia Dei Christiq; Servatoris nostri merita suô honoris atq; existimationis gradu, h. e. summô, placidè fruerentur. Ac de merito bonorum operum hactenus.

Vide imprimis Homil. de salut. part. 3. in ipso initio.

§. 7. Prætervectus igitur istam Pontificiorum Charybdin, Scyllam ex adverso positam remis velisque devitet Christianus Lector. Errorem volo Antinomorum ac Solifidianorum, qui necessitatem bonorum operum ad æternam hominis Justificationem ac salutem omnino negant. De pessima ista hæresi illud imprimis observandum est, Auctores ejus, dum operum necessitatem rejiciunt, ne meritum inducant, eô ipsô meritum bonorum operum revera stabilire. Quorsum enim negant bona opera necessaria esse ad Justificationem ac salutem? Quia scil. isthôc concessô, Justificatio ac salus nostra esset κατ' ὀφείλημα, *ex debito*, non κατὰ χάριν, *ex pura puta Dei gratia*. Annon ex hac ipsorum ratiocinatione manifestò sequitur, bonis hominum operibus meritum quoddam semper inesse? Hoc autem illud ipsum est quod contendunt Pontificii. Sed illud obiter. Necessitas autem bonorum operum eôdem fulcitur tibicine, quô valor eorundem atq; efficacia. Nempe valent ad Justificationem ac salutem ideo tantùm, quòd conditio sint, cui in Evangelico fœdere, ex mera Dei gratia, Justificatio ac salus promittitur. Atqui ob illam ipsam causam esse etiam necessaria meritò concludimus; cùm nemo ex pacto Evangelico justificetur, aut salutem adipiscatur, qui ejus pacti conditionem non impleat. Res est: Deus infinitâ suâ motus bonitate, ut nobis insigniter benefaceret, sed obstantibus peccatis, quæ pœnam merebantur, constituit, ut Christus, volens ex sua erga homines charitate, cruciatus gravissimos & mortem cruentam atque ignominiosam ferendo, pœnas penderet pro peccatis nostris, ut salvâ divinæ suæ justitiæ demonstratione, beneficia sua hominibus communicaret eô modô, quô sapientiæ ipsius consultum videretur. Quô factô aperta est miseris peccatoribus cœli janua; oblata est peccatorum venia, vitaq; æterna; neq; oblata tantùm, sed & constitutô fœdere, optimis atq; æquissimis conditionibus sancitô, consignata: quod quidem fœdus Evangelium vocatur. A toto hoc negotio excludenda sunt non tantùm opera nostra, sed & ipsa fides, adeòq; omne quod nostrum est. Sed hæc à Justificatione diversa sunt; ad satisfactionem ac salutis impetrationem omnino pertinent. Stabilitô autem hoc fœdere, ut quis beneficiorum, quæ comprehendit, fiat particeps actu ac reipsâ, requiritur omnino, ut conditionem in eo præscriptam præstet; eâq; præstitâ (aliàs nequaquam) ex pacto isto justificatur. Conditionem autem istam non tantùm fidem, sed & pœnitentiam studiumq; bonorum operum comprehendere, multis & testimoniis, & rationibus evicimus. Non eum hic locum habet Christi meritum, quem multi perabsurdè ac periculosè admodum somniârunt. Non enim meruit Christus, neq; in id justitia ejus nobis imputatur, ut à conditione fœderis Evangelici (fide puta, pœnitentiâ, bonorum operum studio) ab ipso præscriptâ absolveremur; sed meruit, ut sub ista æquissima quidem conditione salutis fieremus participes: quin & meruit gratiam, quâ conditionem eandem præstare valeamus. Maximopere esset optandum, ut hæc distinctio inter *impetrationem salutis*, ejusdemq; per fœdus Evangelicum *applicationem* (utcunq; satis obvia videatur, tamen) à plerisque Theologis rectiùs intelligeretur; quippe quæ probè intellecta, multas magnasque in hac controversiâ lites facilè diremptura esset.

§. 8. Hæc quæ de absoluta bonorum operum necessitate disseruimus, certissima sunt. Nihilominus & hîc etiam cautione aliquâ Lectori Christiano opus erit, ut accuratè distinguat inter Justificationem primam ac secundam, adeoque inter bona opera, quæ ad hanc illamque necessariò requiruntur.

tur. Atque hîc ſtatuendum omnino eſt, ad primam Juſtificationem opera tantùm interna fidei, pœnitentiæ, ſpei, charitatis, &c. eſſe abſolutè neceſſaria; cætera verò externa opera, quæ in factis externis, ſive in actuli ſingularum virtutum, quas modò enumeravimus, exercitio conſpiciuntur, ſigna tantùm eſſe fructuſque pietatis internæ, & Juſtificatione poſteriora, eâq; demum lege præſtanda, ſi non deſit opportunitas. Hoc dubiô procul illud eſt, quod voluit Eccleſia noſtra in Articulo duodecimo, in quo dicit opera eſſe fructus fidei, & veluti ſigna quibus fides dignoſcitur, quæque Juſtificationem hominis conſeqvuntur. Per opera enim hîc intelligi omnino debent opera externa, ſive actualis illa obedientia, quæ tractum ſeriemque factorum conſpicuorum ſecum ferat. Illud certiſſimis argumentis demonſtrari poteſt. Nam 1º Eccleſia diſertis verbis docet, pœnitentiam, charitatem, timorem Dei, &c. cum fide illa, quæ Juſtificationem præcedit, neceſſariò & inſeparabiliter atq; omni temporis momento conjungi. Sic enim Homi-
pag. 16. lia de ſalute, part. 2. Veterum explicat ſententiam, ex fide ſola homines juſtificari, ſtatuentium: *Nihilominus hæc ſententia, juſtificari nos ex ſola fide, non ita ab iis intelligitur, quaſi fides illa, quâ juſtificamur, ullo temporis momento ſola in homine eſſet, aut verâ pœnitentiâ, ſpe, charitate, reverentiâ ac timore Dei deſtituta, &c.* 2º. Pœnitentiam ſpeciatim ubique inculcat Eccleſia noſtra, ut diſpoſitionem ad veniam peccatorum conſequendam neceſſariò prærequiſitam. Sexcentis illud teſtimoniis demonſtrare potuiſſem: ſed minùs honorificè de Eccleſia noſtra ſentit, qui, utrùm hæc ſit ipſius doctrina, vel dubitare auſit. 3º. Opera, quæ duodecimus Eccleſiæ Articulus Juſtificatione poſteriora eſſe affirmat, ejuſdem generis procul dubiô ſunt cum iis, quæ verbis in eodem Articulo immediatè præcedentibus fructus fidei appellantur, quibuſque fides exteriùs manifeſtari dicitur, in fine Articuli. Jam certô certius eſt, Eccleſiam noſtram per opera, quæ fidei fructus ac ſigna eſſe affirmat, intelligere opera tantùm externa, quæ foras ab hominibus conſpiciuntur, quæq; fidei noſtræ, h. e. internæ pietatis, (quæ aliàs Dei ſolius oculis ſubjecta eſt) ſinceritatem ita extrinſecus prodit, ut ea ab hominibus etiam quodammodo cognoſci poſſit. Etenim quis ſanus dixerit, per internas virtutes, contritionis, ſpei, charitatis, &c. tanquam per ſigna fidem oſtendi? Scilicet virtutes iſtæ non minùs internæ ſunt atque à conſpectu hominum remotæ, quàm eſt ipſa fides. Si dicas, Eccleſiam hîc loqui de notificatione fidei noſtræ non coram aliis, ſed nobis ipſis, res eòdem redibit: nam & hoc eſſet ignotum per æquè ignotum demonſtrare; cùm internæ iſtæ virtutes æquè ac fides noſtra nobis etiam ipſis ignotæ ſint. Itaque ſenſus Eccleſiæ manifeſtus eſt, nempe veram & vivam fidem, h. e. quæ cum fiducia in Jeſum Chriſtum conjunctum habet ſincerum obediendi propoſitum, (ita enim aliquoties ſe ex profeſſo explicat Eccleſia noſtra Homiliâ de fide part. 1.) non niſi per facta tali fidei reſpondentia tum nobis ipſis, tum aliis demonſtrari. Siquis tamen in tanta adhuc luce cœcutiat, en! ſpecillum ei porrigit ipſa Eccleſia in ſecunda parte Homil. de Fide, quæ in hoc argumento tota verſatur. Ibi, poſtquam in ſuperiori Homilia docuiſſet, fidem vivam ſpem, charitatem, timorem Dei comprehendere, pergit deinceps oſtendere, quomodo ſingulæ iſtæ virtutes internæ per facta externa earum naturæ reſpondentia probari ac demonſtrari debeant. Inter alia dicit, *à Chriſto ipſo multis in locis* pag. 26. *doceri, fidem, ſpem, & charitatem, ſine bonis piiſq; operibus ſtare ac conſiſtere non poſſe.* Atque in fine, *non modò charitatem, ſed* pag. 27. *& Dei timorem bonis operibus probari, juxta dictum Sapientis: Reverentia Domini de-* Eccles. c. *pellit peccata; atq; iterum: Qui reveretur* 1. v. 21. & c. 15. *Dominum, facturus eſt opera bona.* Quis jam v. 1. dubitet, an per opera hæc intelligat Eccleſia opera tantùm externa? Certè enim virtutes ſpei, charitatis, timoris divini, ſunt ipſæ opera interna.

§. 9. Quartò ac poſtremò: In hunc etiam ſenſum non obſcurè ſe explicat Eccleſia noſtra, Homil. de bonis operibus part. 1. prope finem, ubi hiſce utitur Chryſoſtomi verbis è ſermone de Fid. & Leg. & Sp. S. *Sine operibus fidelem poſſum oſtendere, & vitâ, & Regnô donatum. Nemo ſine Fide vixit. At Latro tantùm credens, juſtificatus eſt. Nec mihi dicas, tempus rectè vivendi non habuit. Neque enim id eſt de quo diſputo; ſed hoc apertum feci, fidem etiam per ſe ſolam ſervare. Nam certè ſi ſupervixiſſet fidei, & bene operari neglexiſſet, excidiſſet à ſalute.* De externis tantùm operibus, ſeu piis factis, loqui hîc Chryſoſtomum, & ex eo Eccleſiam noſtram, cœcus eſt qui non videat. Nam, primò, de iis operibus hæc verba manifeſtè loquuntur, ſine quibus fidelis ad Regnum cœleſte, vitamque æternam poſſit pervenire. Atqui ſine virtutibus internis Fidei, Spei, Charitatis, &c. neminem iri ſalvatum, apud omnes ſanos in confeſſo eſt. Deinde, Latro, unà cum Servatore noſtro in cruce paſſus, in exemplum hîc adducitur. Atqui certum eſt, latronem iſtum non modò fide, ſed & pœnitentiâ peccatorum ſuorum, ac ſincerâ adver-

sùs

sùs Christum sociúmque suum charitate præditum fuisse. Denique, de iis tantùm hîc agitur operibus, quæ fidelis tempore atque occasione intercluſus exercere nonnunquam non possit. Sic Chrysostomi mentem explicat Ecclesia verbis immediatè sequentibus: *Audivistis Chrysostomi sententiam, ex qua intelligere possitis, neque Fidem esse sine operibus, (si modò adsit opportunitas) neque opera sine Fide ad vitam æternam prodesse.* Jam opera tantùm externa sunt, quæ commodô tempore atque occasione indigent; internis virtutibus nullum tempus occurrit. Sic alibi se explicat ipse Chrysostomus ad Rom. 9. v. 10. ψυχῆς ἀρετὴν δεῖ ζητεῖν, ἣν καὶ πρὸ τῶν ἔργων ὁ Θεὸς οἶδε. *Animi virtus quærenda est, quam & ante opera Deus novit.* Cui geminum est illud Hieronymi ad 12. Mat. *In Lege opera requiruntur, quæ qui fecerit, vivet in iis: in Evangelio voluntas quæritur, quæ etiamsi effectum non habuerit, tamen præmium non amittit.* Rectè itaque monuit Grotius, in dictis Veterum, quibus per fidem, etiam ante opera, justificari homines affirmant, fidem eam intelligi, quæ propositum obediendi Deo, & nunc Evangelio, accensum Dei & proximi dilectione, si nondum exactissimâ, certè sincerâ, includat: quod dicitur toto corde credere, Act. 8. 37. Talis autem Fides (pergit idem Grotius) quam statim mors subsequitur, sine operibus dicitur: non quòd non pias cogitationes comites sibi habeat, sæpè & dicta & facta aliqua pia, sed quòd tractum seriemque factorum conspicuorum (id enim τὰ ἔργα pluraliter dicta significant, quod πολιτείαν vocant Græci sæpè, sæpissimè autem Chrysostomus) tempore intercluſa non ediderit. Summam autem totius hujus doctrinæ idem Vir incomparabilis alibi dilucidè admodum & succinctè explicavit his verbis: *Ubi Fides ad eum devênit gradum, ut sincerum pariat obedientiæ propositum, quod esse non potest sine dilectione Dei & proximi, quanquam ea dilectio multum adhuc recipere profectûs potest; ei qui talis est, id est, Fidem habet formatam, Fidem non in solo intellectu, sed & in voluntate consistentem, ut Melanchthon, jam planè condonantur peccata, &, si talis moriatur, jus habet ad vitam æternam atque cœlestem, quia Deo pro summa sua bonitate ita visum est. Si verò vita post id conceditur, ad jus illud retinendum requiritur jugis pia operatio, & imprimis abstinentia ab omnibus illis * criminibus, quæ conscientiam vastant, & à Regno cœlesti hominem excludunt. Est enim condonatio plena & jus ad vitam æternam datum hâc lege atque omine. Hæc est doctrina Apostolorum, Veterumque omnium.* Addo ego: *Et Ecclesiæ etiam nostræ*; quæ constanter docet, gratiam Justificationis, per Fidem vivam priùs adeptam, non nisi continuô insuper bene operandi cursu posse custodiri. Patet illud ex verbis Chrysostomi de fideli Latrone suprà allatis, quæ & citat & suô calculo comprobat Ecclesia nostra: *Certè si supervixisset Fidei, & bene operari neglexisset, excidisset à salute.* Sic in secunda parte Homil. de salute, Veterum sententiam, quâ justificari nos gratis docent, explicat his verbis: *Cùm dicunt, justificari nos gratis, non illud volunt, posse nos deinceps otio indulgere, nihilve in posterum à parte nostra requiri, &c.* Denique Ecclesia nostra in Articulo 16. expressè docet: *Postquam acceperimus Spiritum Sanctum, posse nos in peccatum labendo à gratia data recedere.* Eandem & hîc etiam doctrinam tradunt Augustani, qui in Articulo 11. *Damnant Anabaptistas, qui negant semel justificatos, iterum posse amittere Spiritum Sanctum.* Et in Articulo vicesimo de operum obedientiâ docent: *Eos, qui admittunt peccata mortalia, non esse justos, quia Deus requirit hanc obedientiam, ut resistamus vitiosis affectibus. Qui autem non repugnant, sed obtemperant iis contra mandatum Dei, & admittunt actiones contra conscientiam, hi sunt injusti, & neque Spiritum Sanctum, neque Fidem, id est, fiduciam misericordiæ, retinent.*

In prior Annot. ad Jac. 2. v. 14.

In Annot. ad Consult. Cassand. ad Art. 4.

*Quænam illa sint, docendunt loca 1 Cor. 6,9,10. & Gal. 5. 19, 20, 21.

Pag. 16.

§. 10. Jam huic disceptationi pro coronide subjiciam insigne testimonium Viri longè doctissimi, atqui Anglicanæ Ecclesiæ dignissimi Præsulis, qui sanam, Orthodoxam, adeoque Ecclesiæ nostræ, in hac controversia, doctrinam & optimè novit, & fideliter retinuit, ac denique contra Bellarmini aliorumque Pontificiæ partis Strophas & machinas, si quis alius, fæliciſſimè propugnavit. Is est Magnus ille Davenantius, Sarisburiensis Episcopus, qui in eruditissimis suis Disputationibus de justitia habit. & actuali cap. 31. quicquid vel hîc, vel alibi in Dissertationibus nostris de bonorum operum necessitate adseruimus, duabus thesibus brevibus quidem illis, sed luculentis, sic explicat confirmatque.

Vide & cap. 30. Thes. 1. Arg. 2.

Conclusio quinta: "Bona quædam opera "sunt necessaria ad Justificationem, ut con- "ditiones concurrentes vel præcursoriæ, li- "cèt non sint necessaria, ut causæ efficientes "aut meritoriæ. In his bonis operibus "numero illa interna, quæ apud Deum mágni momenti sunt, quamvis in hominum "oculos non incurrant; utpote dolere de "peccato, detestari peccatum, humiliter se "Deo subjicere, ad Dei misericordiam con- "fugere, in Christo Mediatore spem figere,

 "novæ

" novæ vitæ propoſitum inire, aliaque conſi-
" milia. Divina enim miſericordia non juſti-
" ficat ſtipites, hoc eſt, nihil agentes, neque
" equos & mulos, hoc eſt, recalcitrantes, &
" libidinibus ſuis obſtinatè adhæreſcentes;
" ſed homines, eoſdemque compunctos &
" contritos, ac Verbi Spiritûſque divini du-
" ctum ſequentes——Atque hîc notan-
" dum: quando dicimus aliquid neceſſarium
" eſſe ad hoc vel illud obtinendum, ex ipſa
" vi verborum non innuitur neceſſitas cauſa-
" litatis, ſed ordinis. Quamvis itaque con-
" ceſſero hanc propoſitionem, opera bona
" ſunt neceſſaria ad Juſtificationem; non pot-
" eſt ſtatim inferri, eſſe neceſſaria ut cauſas,
" multò minùs ut meritorias. Verbi causâ,
" ſi dixero, ad obtinendam Equeſtrem digni-
" tatem neceſſarium eſſe, adire aulam Regiam,
" atque coram Rege in genua ſe demittere;
" ineptè quis inde intulerit, ipſam acceſſio-
" nem ſive adgeniculationem eſſe cauſas me-
" ritorias obtentæ hujus dignitatis: Ita &
" de illis omnibus operibus ſtatuendum eſt,
" quæ ex parte noſtrâ dicuntur ad Juſtifica-
" tionem obtinendam neceſſaria.

" *Concluſio ſexta.* Bona opera ſunt neceſ-
" ſaria ad Juſtificationis ſtatum retinendum
" & conſervandum, non ut cauſæ, quæ per
" ſe efficiant aut mereantur hanc conſerva-
" tionem; ſed ut media ſeu conditiones, ſine
" quibus Deus non vult Juſtificationis gra-
" tiam in hominibus conſervare. Atque hîc
" eadem opera recenſeri poſſint, quæ in Con-
" cluſione præcedente deſignavimus. Nam
" uti nemo recipit Juſtificationem illam ge-
" neralem, quæ liberat à reatu omnium præ-
" cedentium peccatorum, niſi concurrente
" pœnitentiâ, fide, novæ vitæ propoſito, ali-
" iſque ejuſdem generis actionibus; ita ne-
" mo retinet ſtatum à reatu liberum reſpe-
" ctu peccatorum conſequentium, niſi medi-
" antibus iiſdem actionibus, credendi in De-
" um, invocandi Deum, mortificandi car-
" nem, aſſiduè pœnitendi & dolendi de pec-
" catis aſſiduè admiſſis. Ratio, cur ex parte
" noſtrâ neceſſariò requirantur hæc omnia,
" illa eſt, quòd hæc abeſſe non poſſunt per-
" petuò, ut non adeſſe incipiant illorum op-
" poſita, quæ pugnant cum natura juſtificati.
" Nam ſi ſuſtuleris fidem in Deum & invo-
" cationem, ſuccedunt infidelitas, & con-
" temptio divini Numinis: ſi dempſeris ſtu-
" dium mortificationis, & exercitium pœni-
" tentiæ, irrumpunt concupiſcentiæ domi-
" nantes, & peccata vaſtantia conſcientiam.
" Quia igitur Deus non vult incredulos, ob-
" ſtinatos, carnales, frui beneficiô Juſtifica-
" tionis, requirit aſſidua opera fidei, pœni-
" tentiæ, mortificationis; quorum præſen-
" tiâ quaſi foras extruduntur, & procul ar-
" centur, incredulitas, obſtinatio, ſecuritas,
" aliaque gratiæ juſtificantis venena, atque
" particularium peccatorum particularis
" condonatio obtinetur. Hinc Paulus ad
" Rom. 8. 13. *Si ſecundùm carnem vixeritis,*
" *moriemini.* Et ad Hebræos 3. 12. *Videte*
" *ne fortè ſit in aliquo veſtrûm cor malum &*
" *infidele, diſcedendo à Domino,* &c." Atque
hæc de neceſſitate bonorum operum, quæ ideo
ex Articulis imprimis atque Homiliis noſtris
fuſiùs diſſerui, ne quis poſthac ex Antinomo-
rum fæce in ſanctiſſima Eccleſiæ noſtræ do-
ctrina peſtiferæ ſuæ hæreſeos patrocinium
quæreret.

§. 11. In hac porro quæſtione ſedulò ca-
vendum eſt Pelagii hæretici dogma, atque
ita credenda bonorum operum neceſſitas, ut
agnoſcatur etiam, idque animitus, præpoten-
tioris gratiæ adjutorium prorſus neceſſarium
eſſe, ut quis opera verè bona, hoc eſt, ad ſa-
lutem grata præſtare valeat. Ex gratiâ pro-
fluit juſtitiæ noſtræ initium, augmentum,
complementum. Dat gratia peccatoribus fi-
dem & pœnitentiam; dat fidelibus bonam
vitam; dat bene viventibus perſeverantiam;
dat perſeverantibus juſtitiæ coronam. Ita ne-
mo eſt, cui hæc gratia non ſit ad juſtitiam
neceſſaria; eâ indiget peccator, juſtitiam ut
acquirat; juſtus, ne amittat. Ita gratia Dei
in omnes, & per omnia principatum obtinet.
Scilicet rectè monuit Cœleſtinus ad Epiſcop.
Gall. cap. 12. *Omnium bonorum affectuum at-*
que operum, & omnium ſtudiorum, omniumque
virtutum, quibus ab initio fidei attenditur,
Deum profiteamur autorem, & non dubitemus,
ab ipſius gratia omnia hominum merita præve-
niri &c. Paulinarum certè Epiſtolarum u-
tramque fere paginam complet divinæ gratiæ
præconium: crederes Propheticâ quâdam
πολήσει adverſus Pelagium ſcriptas. Quin
& Jacobus noſter, utut bonorum operum aſ-
ſertor ſtrenuiſſimus, omnimodam tamen gra-
tiæ neceſſitatem apertè agnoſcit, gratuitam
ſuperni Patris donationem, tanquam omnis
ſalutiferæ virtutis bonæq; operationis fontem
unicum, digitô commonſtrans: quin & à
contrario errore, ut periculoſiſſimo, Chriſti-
anis omnibus omni curâ cavendum docet,
c. 1. v. 16, 17, 18. Certiſſimè itaque defini-
vit Synodus Arauſicana, Can. 7. *Si quis per*
naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalu-
tem pertinet vitæ æternæ, cogitare ut expedit,
aut eligere, ſive ſalutari, id eſt Evangelicæ,
prædicationi conſentire poſſe, confirmat abſque
illuminatione & inſpiratione Spiritûs Sancti,
&c. hæreticô fallitur ſpiritu, non intelligens
vocem Dei, in Evangelio dicentis: Sine me ni-
hil poteſtis facere; *& illud Apoſtoli:* Non
quod

quòd idonei sumus cogitare aliquid boni ex nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Et Can. 22. *Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum. Si quis autem habet homo veritatem atque justitiam, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo, quasi guttis quibusdam irrorati, non deficiamus in via.*

Consule Articulos Ecclesiæ nostræ 10. & 16.

§. 12. Nostris igitur diffisi viribus, Deum Patrem veneremur, tanquam omnis boni fontem; Christum amplexemur, ut gratiæ canalem, per & propter quem vult Pater illam ad nos derivari. Ipsi jugiter adhæreamus; ex ejus plenitudine assiduis precibus exhauriamus χάριν ἀντὶ χάριτος, *gratiam gratiâ cumulatam.* Ab ipso unicè pendeamus; oculos ad ipsum elevemus, ὡς τὸν τῆς πίστεως ἀρχηγὸν καὶ τελειωτὴν Heb. 12. 2. Hôc nixum fundamentô immotum stabit ædificium; sin nostris ipsorum viribus innitimur, infirma erit, citò corruet universa operum nostrorum, utut in conspectu hominum glorioſa, compages. *Sit itaque* (ut cum B. Hieronymo loquar) *totus nostri sermo ad Deum oratio: tota oratio & deprecatio extorqueat clementiam Creatoris; ut qui nostris viribus & studiô salvari non possumus, illius misericordiâ servemur.*

Lib. 3. Dialog. adv. Pelag. p. 302

§. 13. 4ò ac postremò: Dum castra fugimus Pelagianorum, gratiæ necessitatem agnoscendo, videndum omnino est, ne in βάθος Manichaicæ ματαιότητος incidamus, liberum arbitrium atque humanæ industriæ cooperationem tollendo. Media, Regia via hîc etiam ingredienda, ut neque ad sinistram, neque ad dextram declinemus; quod tum demum fiet, si statuamus, cum gratia, sed sub gratia tamen, conspirare amicè arbitrii libertatem. Nempe tritum quidem, sed & scitum est illud Augustini dictum (Epist. 46. ad Valent.) *Si non est Dei gratia, quomodo salvat mundum? & si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?* Cui simile habet Bernardus (de gratia & lib. arb.) *Tolle liberum arbitrium, non erit quod salvetur; tolle gratiam, non erit unde salvetur.* Neque igitur ita arbitrii urgenda libertas, ut inimici fiamus gratiæ; nec gratia sic prædicanda, ut liberum tollatur arbitrium. Ab utro horum errorum majus periculum sit, haud facile dictu est. " Neque enim (Vossii τῷ πάνυ verbis hîc utor) excitabit ignaviam nostram, " qui libertatem negat; nec fræna injiciet " superbiæ, qui gratiæ munus ignorat. Ad " hæc non minùs prædicari debet Dei justi- " tia, quæ certè absque libero arbitrio nulla " est, atque ejusdem misericordia, quam la- " befactant gratiæ inimici. Majus autem " videtur imminere periculum ab iis, qui ar- " bitrii libertatem, quàm qui gratiam ne- " gant; (*ut tandem concludit Vir ille doctis- " simus.*) Nam error eorum, qui gratiam impugnant, statim improbô se tumore prodit; " eôq; ubi Evangelii lux clarissimè fulget, vix " alios aggredi audet, quàm homines indo- " ctos ac profanos; quales inscitia stultaq; " sui fiducia facilè constrictos tenet: præser- " tim si typhus accesserit gloriæ sæcularis. " At optimus & modestissimus quisq; magis " eorum fraudibus obnoxius est, qui, quod " de Chaldæis in Polycratico suo scribit Jo- " annes Sarisburiensis, *fatalem quandam nec- " essitatem rebus imponunt sub prætextu humi- " litatis & reverentiæ Dei; timentes, ne fortè " ipsius evacuetur dispositio, nisi rerum eventus " necessitas comitetur:* qui error humilitatis " ac pietatis velô tectus, quantò occultiùs, " tantò periculosiùs in animis hominum gras- " satur. " Aurea certè sunt illa Augustini verba, ab eodem clarissimo Viro laudata, in Johan. Homil. 53. *Quosdam nimia suæ voluntatis fiducia extulit in superbiam: & quosdam nimia suæ vocationis diffidentia dejecit in negligentiam. Illi dicunt: Ut quid rogemus Deum, ne vincamur in tentatione, quod in nostra est potestate? Isti dicunt: Ut quid conemur bene vivere, quod in Dei est potestate? O Domine, O Pater, qui es in cœlis, ne nos inferas in quamlibet istarum tentationum, sed libera nos à malo.* Verè etiam & ex sensu veterum omnium (Grotio judice) dixit Tertullianus: *Non est bonæ & solidæ fidei, per omnia ad voluntatem Dei referri, & ita adulari sibi quenquam, dicendo, nihil fieri sine nutu ejus, ut non intelligamus esse aliquid in nobis ipsis. Cæterùm excusabitur omne delictum, si contenderimus, nihil fieri in nobis sine Dei voluntate,* nempe, ut rectè Grotius, *prædeterminante.*

Pet. Pelag. lib. I. p. I.

§. 14. Sed divinum planè est illud Apostoli monitum ad Philippenses, cap. 2. vers. 12, 13. *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem conficite; Deus enim est, qui efficit in vobis & ipsum velle, & agere, pro gratuita sua benevolentia:* q. d. Operemini salutem vestram cum summa animi modestia & humilitate; (ita enim interpretantur Veterum plerique μετὰ φόβου καὶ τρόμου, ut idem sit, quod μετὰ ταπεινοφροσύνης) cum nihil ex vobis ipsis in salutis vestræ negotio præstare valeatis, ac necesse sit, ut gratia Dei in vobis, ac vobiscum operetur. Vel: Operemini salutem vestram summo cum tremore ac sollicitudine, ne gratiæ Dei desitis, Spiritumq; ejus extinguatis, qui si vos deserat & derelinquat, actum est de salute vestra. Vel: Operemini salutem vestram summo cum studio ac diligentia,

gentia, ac nolite diffidere, ac ſi virium inopiâ non poſſitis id, ad quod hortor, implere; Deus enim in toto hoc negotio vobis cooperaturus eſt, & pro benevolo ſuo affectu ad difficultates omnes perrumpendas adfuturus. Quoviſcunq; modô verba Apoſtoli interpreteris, certè irreſiſtibilem gratiæ operationem funditus evertunt. Quorſum enim tam ſeria Apoſtoli adhortatio, ut ſalutem noſtram operemur, ſi non operari non potuiſſemus?

§. 15. Modum quidem concurſûs gratiæ divinæ cum humana voluntate exactè definire, ac dicere, quid ſola præſtet gratia, quid cum & ſub gratia liberum agat arbitrium, non exiguæ difficultatis res eſt. Imò hoc ipſum inter Θεῦ βάθη & ἀνεξιχνιάςους τὰς ὁδὰς non immeritò fortaſſis à viris doctis ac piis reponitur. Ideoq; Sereniſſimi Regis noſtri authoritate ac ſummâ prudentiâ cautum eſt, ne quis noſtratium Theologorum pro concione aggrediatur ἀνεκδιήγητον illud myſterium explicare. Sed modum rei utcunq; ignoremus, res ipſa certè firmiter credenda eſt.

§. 16. Atq; hæc ſunt, Chriſtiane Lector, quæ tibi, animo penitus infigenda, viſum eſt nobis quaſi inculcare, ne vel noſtras Diſſertationes minùs rectè intelligeres, vel in hac maximi momenti quæſtione, tuæ ſalutis periculô, à vero aberrares.

Τᾶυτ' ἰδὼς σοφὸς ἔσθι, μάτην δ' Ἐπιχθόνιον ἔαστον
Πᾶ τὸ κενὸν ζητεῖν, καί τινες αἱ μοναδες.

Tricas Scholaſticas, operoſas nugas, doctas ineptias permitte aliis, quibus eaſdem ſectari & cordi & curæ eſt: Tu, hæc ſi noveris, ſapiens eris; ſi & vitam agas hiſce conſentaneam, beatus.

Trin-uni Deo, Patri, Filio & Spiritui Sancto, ſit laus, honos & gloria, in Sæcula Sæculorum. Amen.

Poſtſcriptum Authoris ad Lectorem.

SCIAS velim, (benevole Lector) Diſſertationes haſce unà cum Præmonitione præfixa, ante aliquot annos à me (tunc admodum juvene *) conſcriptas, præloque fuiſſe deſtinatas. Cauſas, cur ſeriùs prælô exierint, nunc non eſt narrandi locus. Penè autem me facti jam pœnitet, quòd immaturum opus tandem aliquando in lucem prodire permiſerim; præprimis cùm materia, quam tractamus, & ſubactiori judiciô, & exactiori curâ ſit digniſſima. Sed planè doleo macerorque, Scriptiunculam ex ſe nimis imperfectam, ac de Authoris ſui imbecillitate ſatis teſtantem, tam fœdis inſuper mendis dicam? an portentis Typographicîs (quà ab interpunctione, quà in verbis) deturpatam eſſe. Mihi verò ipſi prælo adeſſe nunquam licuit; & manum noſtram ſatis intricatam, ubi feſtinamus, Typographum ſubinde fefelliſſe, mirum non eſt. His malis candor tuus (L. Æ.) ſolus remedio erit. Itaq; maximô opere te oro, ut hoc ſtudii noſtri Theologici Tyrocinium in æquam bonamq; partem accipias: Errata ſimul Typographica, quæ ſubjiciuntur, graviora manu tuâ corrigendi laborem non refugiens: itidem cætera (recenſioni noſtræ tumultuariæ ſi quæ fortè ſupererint) nobis benignè condonans. Iterum vale.

---

* *Vide Apolog. contra Tullium Sect.* VIII. §. 5.

CAPI-

CAPITULA
UTRIUSQUE
DISSERTATIONIS.

DISSERTATIONIS Prioris.

INTRODUCTIO.

Suscepti operis difficultas. Methodus observanda. Pag. 1.

CAP. I.

Sensus Jacobi exponitur. Quid significet δικαῖον in N. T. Multis testimoniis evincitur, vocem istam accipi sensu forensi pro justum censere seu pronunciare. Particula ἐκ apud Jacobum notat tantùm causam sine qua non, sive conditionem præcedaneam. Pag. 2.

Annotata ad Cap. I. Pag. 5.

CAP. II.

Conclusio Jacobi argumentis adstruitur. Argumentum primum ab aliis Scripturæ testimoniis. Quorum duæ Classes; Prima eorum, quæ de obedientia ac sanctitate, tanquam ad Justificationem necessariâ, generatim loquuntur: Altera eorum, quæ opera pœnitentiæ speciatim postulant. Occurritur exceptioni Adversariorum. Fidei & pœnitentiæ idem est in Justificationis negotio respectus. Utraq; conditio tantùm sive instrumentum morale. Quæ sit illa fides, cui tantum in Scripturis tribuitur. Quô respectu fides cæteris præstet virtutibus. Pag. 8.

Annotata ad Cap. II. Pag. 12.

CAP. III.

Argumentum secundum à notione Justificationis. Justificatio tria involvit: Judicem, Reum, Legem. Quæ sit illa Lex, ad cujus normam Justificatio vel condemnatio nostrî peragenda sit, ostenditur. Argumentum inde formatur. Pag. 17.

Annotata ad Cap. III. Pag. 19.

CAP. IV.

Argumentum tertium natura à ipsius fidei. Tres fidei actus à Theologis vulgò assignati (notitia, assensus, fiducia) expenduntur. Ostenditur, nullum ex iis esse, cui Justificatio necessariô nexu conjuncta sit. Pag. 21.

CAP. V.

Argumentum quartum à processu Dei in ultimo judicio. Judicium Dei in futuro sæculo per omnia respondet Justificationi Divinæ in hac vita. Opera nostra in judicio Dei spectantur non ut mera fidei signa, sed ut pars, eaq; maxima, conditionis in Fœdere Evangelico præscriptæ. Pag. 24.

Annotata ad Cap. V. Pag. 26.

CAP. VI. & ultimum.

Argumentum quintum atq; ultimum ab implicata Adversariorum confessione. Duæ hypotheses à Reformatis Theologis unanimi consensu comprobatæ. 1 *Fidem eam, quæ justificat, vivam, h. e. bonorum operum fœcundam esse debere.* 2 *Opera bona esse ad salutem omnino necessaria. Ex utraq; hypothesi necessitas bonorum operum ad Justificationem evincitur.* Eâdem pag. 26.

Capitula utriusq; Differtationis.

DISSERTATIONIS Posterioris.

CAP. I.

VAriæ Theologorum sententiæ de conciliatione inter Jacobum ac Paulum proponuntur. Refutatur prima opinio eorum, qui de Justificatione fidei hominis coram hominibus aliis, non de Justificatione hominis ipsius coram Deo, Jacobum interpretantur. Pag. 31.

Annotata ad Cap. I. Pag. 33.

CAP. II.

Expenditur secunda sententia eorum, qui Jacobum de falsa & fucata, Paulum de vera ac viva fide loqui arbitrantur. Multis argumentis obruitur ista opinio. Satisfit objectionibus Adversariorum. Pag. 34.

CAP. III.

Expenditur tertia sententia eorum, qui Jacobo & Paulo inter se conciliandis distinctionem quandam Justificationis in primam & secundam adhibent. Breviter ostenditur, sententiam istam tum falsum supponere, tum ab utriusq; Apostoli scopo alienam esse. Idem fit judicium de quarta atq; ultima Josuæ Placæi sententia, de duplici accusatione, à qua in Justificatione absolvimur ac liberamur. Pag. 37.

Annotata ad Cap. III. Pag. 39.

CAP. IV.

Ad veram nodi solutionem via sternitur. Paulus ex Jacobo, non Jacobus ex Paulo interpretandus. Duplex apud Paulum ambiguitas; altera in voce Fidei, in voce Operum altera. Quid per Fidem Paulus intelligat. Fidem ipsi denotare universam illam, quæ Evangelio exhibetur, obedientiam, argumentis clarè ostenditur. Grotii argumento pro contraria parte respondetur. Eâdem pag. 39.

CAP. V.

Fundamentum ejus locutionis, quâ Fides pro universa, quæ Evangelio exhibetur, obedientia accipitur; nempe, quòd sit & initium, & radix totius Evangelicæ justitiæ. Exponitur locus ad Roman. cap. 10. *v.*11. *coll. v.* 12, 13. *Eâdem fere de causâ universa pietas cognitio sive scientia appellatur in S. Scripturis. Causa, cur Paulus in descriptione conditionis, quæ ex parte nostrî ad salutem requiritur, nomine Fidei tam libenter uti soleat, ulteriùs investigatur. Ea duplex potissimùm est, ut istius conditionis* 1. *Exprimatur facilitas.* 2. *Tollatur meritum.* Pag. 43.

Annotata ad Cap. V. Pag. 46.

CAP. VI.

Quid per Opera intelligat Paulus. Ex præcedentibus colligitur, ipsum de operibus loqui non quibuscunq; sed certi cujusdam generis, nempe de operibus Legis Mosaicæ. Idq; ex scopo Paulinæ disputationis in Epist. tum ad Roman. tum ad Galat. evincitur. Legem dein Mosaicam ita oppugnat Paulus, ut etiam dogmata Judaica ipsi addita perstringat. Deniq; quia etiam cum Gentium Philosophis ipsi res erat, contra opera quoq; Legis naturalis, h. e. ex meris naturæ viribus profecta, obiter & quasi aliud agendo disputat. Pag. 47.

CAP. VII.

Argumenta, quibus ipsam Mosis Legem à Justificatione rejicit Paulus, enucleantur. Disputatio Apostoli etiam ad præcepta Legis, quæ vocantur, moralia pertingit: at non simpliciter considerata; sed eatenus tantùm, quatenus pars erant conditionis in Fœdere Mosaico præscriptæ. Hinc argumenta duplicis generis; vel quæ ad totam Legem pertinent, vel quæ partem ejus tantùm ritualem respiciunt. Argumentum primum, universam Mosis Legem æquè respiciens,

Capitula utriusq; Dissertationis.

ciens, à defectu gratiæ condonantis, sive remissionis peccatorum. An Lex Mosis, sub ulla consideratione, Lex obedientiæ usquequaq; perfectæ dici potuerit; & an hôc fundamentô argumentatio Apostoli, Rom. 3. & Gal. 3. 10. nitatur? Pars quæstionis negativa argumentis adstruitur. Argumentis contrariæ partis respondetur. Pag. 49.

CAP. VIII.

Vera argumenti Apostolici fundamenta aperiuntur; quæ duo sunt: 1. Tam Judæos, quàm Gentes indiscriminatim, atq; omnes ex utraq; natione universim, gravium peccatorum reos fuisse, atq; adeo judicio & iræ Divinæ obnoxios. 2. Nullam in Lege Mosaica veram ac perfectam peccatorum remissionem, sive ab ira divina ac morte æterna peccatis debitâ liberationem promitti. Hinc quomodo conclusionem suam inferat Apostolus, ostenditur. Pag. 54.

CAP. IX.

Alterum Apostoli argumentum ab infirmitate Legis, sive à gratiæ auxiliaris defectu in Lege sumptum. Loca quædam eò spectantia notantur. Imprimis cap. 7. Epist. ad Rom. latiùs aperitur. Clarè ostenditur, Paulum ibi agere de homine sub Lege constituto, & Evangelii gratiâ destituto. Argumentis pro contraria parte respondetur. Exponitur locus ad Gal. 5. 17. Pag. 59.

CAP. X.

Argumentum ab infirmitate Legis distinctiùs explicatur. Lex duplici auxiliô caruit, scil. promissô vitæ æternæ, ac donô Spiritûs S. Quantus fuerit prior ille defectus. Loca nonnulla proferuntur eò spectantia. Dubia quatuor in ista materia solvuntur. Pag. 69.

CAP. XI.

Altera Legis Mosaicæ infirmitas, quòd Spiritûs S. donô caruerit. Loca quædam illud ipsum testantia explicantur. Solvuntur etiam eâ de re quæstiones duæ. Ostenditur, Apostolum Justificationem ex Evangelio, oppositè ad Legem, adstruere apodicticô argumento à donis illis Spiritûs S. conspicuis, quæ fidem Evangelii in primæva Ecclesia passim sequebantur. Lux inde adfertur Grotii observationi satis frequenti, scil. Spiritum S. in N. T. post fidem poni. Pag. 76.

CAP. XII.

Consectaria duo ex iis, quæ in tribus præcedentibus capitibus de infirmitate Legis explicantur, deducta. Quorum prius est: Apostolum ejusmodi tantùm opera à Justificatione ἁπλῶς secludere, quæ sine gratia Evangelii, vi Legis Mosaicæ, & (consequenter) naturalis facta sunt. Id porro triplici argumentô ex ipsis Pauli Epistolis demonstratur. Tribus Paræi objectionibus ita respondetur, ut lux inde clarior deducto consectario accedat. Pag. 81.

Annotata ad Cap. XII. Pag. 91.

CAP. XIII.

Consectarium alterum ex argumento Apostoli ab infirmitate Legis elicitum. Nempe, tantum abesse, ut à Paulo necessitas bonorum operum ad Justificationem tollatur, ut è contrà scopus ipsius sit ostendere, veram operum justitiam esse omnino ad Justificationem necessariam; atq; Evangelium esse unicum illud efficax instrumentum, quô ad justitiam illam adduci quis possit. Loca quædam eò spectantia notantur. Primarium inter Legem & Evangelium discrimen ostenditur. Pag. 93.

CAP. XIV.

Loca quædam, in quibus Apostolus Legem imprimis ritualem oppugnat, indicantur. Externum & ritualem Legis cultum ita rejicit à Justificatione Apostolus, ut in ejus locum internam ac spiritualem Evangelii justitiam substituat. Argumentum inde formatur contra Solifidianos ἀκαπάλυτον. Pag. 95.

CAP XV.

Notantur dogmata Judaica de ratione Justificationis ac salutis obtinendæ, à Paulo perstricta. Primus eorum error, quòd vel nimiam humano arbitrio vim ac libertatem tribuerint, vel saltem gratiæ necessitatem ignorârint. Quod ex Rabbinis & Josepho ipso ostenditur. Insignis Jacobi locus cap. 1. v. 13. & seq. illustratur. Pag. 103.

CAP.

Capitula utriuſq; Diſſertationis.

CAP. XVI.

Secundus Judæorum error, quòd ſpem ſalutis ſuæ poſuerint in civili illa juſtitia, quæ in Lege diſertis pœnis ſancita erat. Hinc factum, ut ſubſtiterint in obedientia, vel 1. Negativâ, vel 2. Externâ, vel ad ſummum 3. Partiali ac dimidiata. Quorum ſingula ex S. Scripturis & Hebræorum Scriptis explicantur ac demonſtrantur. Pag. 103.

CAP. XVII.

Tertius error Judæorum, imprimis Phariſæorum, quòd in frivolis quibuſdam ritibus atq; inſtitutis παλαιοπαραδότοις juſtitiam ponerent, iiſq; ſumma Dei mandata poſtponerent. Item quartus atq; ultimus, quòd larvatâ hâc juſtitiâ contenti, de Meſſia non cogitarent, qui meliori ipſos juſtitiâ impertiret. Deniq; ex iſta dogmatum Judaicorum deſcriptione Conſectaria quatuor ad Paulum rectiùs intelligendum perutilia deducuntur. Pag. 106.

CAP. XVIII.

Epilogus, brevem exhibens totius operis ἀνακεφαλαίωσιν, nec non ſerium Lectori monitum, ut à quadruplici errore in hac de Juſtificatione controverſiâ ſedulò ſibi caveat. Pag. 109.

EXAMEN CENSURÆ:

SIVE

RESPONSIO

AD QUASDAM

ANIMADVERSIONES,

Antehac ineditas,

In Librum, cui Titulus:

Harmonia Apoſtolica, *&c.*

PER

GEORGIUM BULLUM,

Anglicanæ Eccleſiæ Presbyterum.

ACCESSIT

Apologia pro *Harmonia* ejúſque Authore, contra Declamationem *Thomæ Tullii* S. T. P. in Libro nuper Typis evulgato, quem *JUSTIFICATIO PAULINA*, &c. inſcripſit.

Per eundem.

Acceſſere in hac Editione Annotata quædam *I. E. GRABE.*

LONDINI,

Impenſis *Richardi Smith*, ad Inſigne Angeli & Bibliorum extra **Temple-Bar.** MDCCIII.

Imprimatur

Hic Liber, cui Titulus, *Examen*, &c.

Antonius Saunders, *Reverendiſſimo Archi-Epiſcopo Cant. à Sacris Domeſticis.*

Ex Ædibus *Lambethanis*,
Octob. 16. 1675.

AD
LECTOREM.

JAM fere ſeptennium eſt, Lector humaniſſime, ex quo in lucem edidi Diſſertationes duas, de Conciliatione Apoſtolorum Pauli & Jacobi *ſuper Juſtificationis Articulo, quibus* Harmoniæ Apoſtolicæ *Titulum feceram. Circiter annum autem (ſi memini) poſtquam Liber evulgatus eſt, venit ad manus meas exemplar ejus unà cum Animadverſionibus ad libri marginem, manu Theologi cujuſdam, mihi tum prorſus ignoti, ſcriptis, annexis etiam ad calcem Libri ſchedis quibuſdam, quæ Animadverſiones itidem, ab eadem manu profectas, continerent. Cæterùm ille Theologus ſuas iſtas Animadverſiones non ad me directè tranſmiſit; ſed priùs ipſas Reverendiſſimis quibuſdam Eccleſiæ noſtræ Præſulibus communicandas curavit: datis ſimul ad eoſdem literis, quibus μάλα τραγῳδῶς (tanquam* Hannibal *eſſet ad portas) de novis, neſcio quibus, & pernicioſiſſimis, adeóque Decretis Eccleſiæ* Anglicanæ *Reformatarúmque omnium contrariis dogmatibus, à me aſſertis, conqueſtus eſt: optimóſque Patres porro vehementer hortatus eſt, ut tanto malo támque ingenti ſcandalo maturè obviam irent, ſuámque authoritatem opponerent. Ab eorum uno (is fuit Reverendus admodum Pater ac Dominus* Gulielmus Nicholſonus, *nuper* Glouceſtriæ *noſtræ Epiſcopus, jam ἐν τοῖς μακάρεσι cujus nomini Diſſertationes meas conſecraveram) tandem miſſus eſt ad me Liber, notis marginalibus onuſtus, unà cum chartis illis annexis.*

Perlectis Animadverſionibus, poſt paucos menſes (ſcil. horis ſubciſivis, utque per alia negotia liceret) ad eas Reſponſionem, quam nunc publici juris facio, conſcripſi, præfato Reverendo Præſuli, & quibus ipſe vellet, communicandam. Sed cùm iſta primùm (pro more) feſtinante calamo, & characteribus vix poſtea à meipſo abſque memoriæ ope legendis exarâſſem; non potui ſtatim à meipſo impetrare, ut nitidiùs ea deſcribendi penſum (quô laboris genere haud aliud mihi moleſtius eſſe ſolet) ſuſciperem: præſertim cùm non inſtaret mihi Antiſtes Reverendus, ut id facerem; (utpote qui ſæpiùs profeſſus eſt, ſe Animadverſiones iſtas haud magni feciſſe) aliiſq; ipſe ſtudiis tum intentus eſſem. Interea autem temporis vitâ ceſſit, atque ad Beatorum ſedes migravit Sanctus ille Præſul, dulce decus & præſidium noſtrum: quo mortuo, omnem deinceps ſchedas iſtas deſcribendi, nedum in publicum emittendi, curam abjecimus.

Verùm exeunte ante annum, & quod excurrit, Reverendi Viri Thomæ Tullii *S.T.P. Libro,* Juſtificatio Paulina *inſcripto, & in me propriè directo; poſtquam diu me ceſſantem vehementer urſiſſent amici quidam pii & docti, ut reſponſum aliquod ad librum ederem; cœpi tandem de neglectis chartis deſcribendis & expoliendis denuo cogitare. Nimirum videbam, in Libro Doctoris, ſi demas partem ejus declamatoriam, &* Diſſertatiunculam *annexam, de ſententia* Pauli *in cap. 7. ad* Romanos, *nihil fere reliquum fore, cui jam in* Examine *Animadverſionum iſtarum non eſſet ſatisfactum. Quare viſum eſt Examen illud præmittere; deinde ipſi ſubjungere* Apologiam *contra declamatoria iſta Viri Reverendi, quæ & reſponſum ad annexam ejus Diſſertatiunculam contineret. Quòd autem* Apologia *noſtra ſeriùs ac non niſi poſt mortem D.* Tullii, *cui oppoſita eſt, in lucem prodierit, id partim diutinæ hæſitationi noſtræ, an reſponſum aliquod omnino reddendum eſſet, partim tædio deſcribendi Examen, quod præmittendum duxeram, partim denique (& præcipuè) operarum moræ in eo ipſo Examine imprimendo imputandum eſt. Equidem haud mihi volupe erat cum mortuis confligere, nedum eorum cineri inſultare; imò alieniſſima eſt à moribus noſtris iſta barbaries. Hinc, quamprimùm de morte Viri Reverendi inaudieram, ejus manibus parcere cupiens, è ſchedis Apologiæ noſtræ nondum impreſſis non pauca in ipſum acriùs dicta (cùm vera eſſent, & nimis neceſſaria quibuſdam amicis*

meis

Ad Lectorem.

meis visa, tamen) delenda curavi ; plura lubens deleturus, si absque gravissima (non mea dicam, sed) veritatis injuria id fieri potuisset. Sed illud M. Basilii *in mentem veniebat Epist.*63. *ad* Neocæsarienses : χρὴ πρὸς τὰς διαβολὰς μὴ ἀπροσιωπᾶν, οὐχ ἵνα τῆς ἀντιλογίας ἡμᾶς αὐτὰς ἐκδικῶμεν, ἀλλ' ἵνα μὴ συγχωρήσωμεν εὐοδωθῆναι τῷ ψεύδει, καὶ τὸς ἠπατημένους μὴ ἐναφῶμεν τῇ βλάβῃ. i. e. Ad calumnias tacendum non est, non ut contradicendo nos ipsos ulciscamur, sed ne falso inoffensum progressum permittamus, aut eos qui seducti sunt, damno quô afficiuntur, inhærere sinamus.

Illud porrò monendum, Appendicem ad Examen Animadversionis 17. *à me nuper scriptam, seu potiùs ex aliis chartis meis descriptam fuisse, atque eo consilio ibi additam, ut D.* Trumanno *occurrerem, qui Anglicè edidit adversus me Librum,* Conatus corrigendi invalescentes quasdam opiniones, doctrinæ Ecclesiæ Anglicanæ contrarias, *inscriptum. Quisquis autem appendicem illam dissertationem unà cùm responsionibus nostris ad Animadversiones* 18, 19, 20, 21, 22, 23. *attentè legere, & cum D.* Trumanni *Libro conferre non gravabitur, is facilè perspiciet (nisi me fallit conjectura) ipsa Libri Fundamenta à me jam eversa esse. Quòd si tamen viros pios & eruditos refutationem ejus pleniorem à nobis requirere intellexerimus, ipsam, cùm paratam jam habeamus, confestim dabimus.*

Quòd autem ad molem, quam vides, excreverit hæc defensio nostra, doleo equidem ; sed quô pactô tamen id incommodi effugerem, planè nesciebam. Cùm enim multa ab Adversariis contra veritatem, quam defendimus, vehementer objicerentur, aut silendum prorsus erat, aut multa itidem reponenda. Ex iis verò, ad quæ respondeo, si Doctioribus quædam levioris esse momenti, adeóque refutatione vix digna videbuntur, integrum est ipsis ea præterire & negligere. Interim cogitent illi velim, ex Lectoribus meis non paucos fortasse futuros, quibus vel minutiora ista non minimum injiciant scrupulum. Horum infirmitati volui, etiam cum existimationis meæ jactura apud delicatioris fastidii Legentes, consulere.

Cæterùm dum hæc nostra sub prælo erant, prodiere Joannis Tombs Beudliensis Angli *in Harmoniam nostram* Animadversiones : *opusculum, in quo Authoris confidentia cum inscitia ita certare videtur, ut utra superior, sit difficile dictu. Non est autem quòd sibi metuat Author*
* P. 81. & p. 226. *ille à* Bulli cornibus & insultibus ; (* *ipsius sunt facetiæ, quas Exteri quidem vix intelligent, ridebunt verò Nostrates*) *siquidem* Bullus *animalia istiusmodi oblatrantia contemnere dudum didicit. Verùm ut seriò agam in re seria, Viri illius vicem me miseret, qui, dum in alieno opere tam importunè curiosus est, quæ ipse contra morem Infantes Christianorum baptizandi, in Ecclesia Catholica ubique receptum, protervè nimis scripsit, post tot annos, à viris etiam doctis toties refutatus, recognoscere & retractare neglexerit. Ut sua tandem curet, ut, quantum apud Nostrates Anabaptisticæ Factionis nefarium schisma & hæresin scriptis suis promoverit, seriò secum cogitet, ac de gravissimo peccato tempestivam agat & condignam pœnitentiam, ex animo precor & exopto.*

Quod unum restat, te, Lector benevole, rogatum velim, ut in hisce nostris legendis & dijudicandis, depositô præjudiciô & partium studiô, candorem, qui hominem Christianum decet, adhibeas.

Vale.

EXAMEN

EXAMEN CENSURÆ:

SIVE

RESPONSIO

AD QUASDAM

ANIMADVERSIONES, *&c.*

PRÆFATIO CENSORIS.

SPecioſus titulus hujus libri deſideriô me accendit, ut acquirerem; veritatis ſtudium & ſpes perpulit, ut acquiſitum avidè delibarem. Primô verò intuitu occurrit, quod diſplicuit. Vix oculis meis credidi. Certum mihi illico fuit, totum accuratè perluſtrare. Ipſa dogmatis novitas me perculit; ſed audax Apoſtoli ἐναντίωσις, tanto cum molimine fabricata, me obſtupefecit. Non potui, dum diſſertationes has à carceribus ad metam percurrerem, meipſum cohibere, quin quod Scripturæ & Rationi ejus lumine irradiatæ abſonum viſum eſſet, animadverterem. Pace tuâ, Vir eruditiſſime, liceat mihi, quod ſentiam, liberè eloqui. Has autem ſtricturas tibi, mi frater, animadvertendas exhibeo, & Superiorum meorum judicio cenſendas, humiliter ſubjicio.

RESPONSIO ad Præfationem.

§. 1. Non erat, mi Cenſor, quòd tu ſaltem ſpecioſum libri titulum mihi exprobrares, qui ſcriptiunculam de eadem materia, nuper typis evulgatam, (perpaucarum certè paginarum, iiſque anguſtiis coarctatam, quibus vix tibi difficillimos controverſiæ nodos omnes attingere, nedum pro rei merito explicare liceret) eodem penè titulo exornaveris. Uter noſtrûm ſpecioſo titulo Lectorem illuſerit, ad æquum arbitrum, me lubente, cenſendum retuleris.

§. 2. Miror autem, quid te moverit, ut in ipſo limine Animadverſionum tuarum de innocuo ſcripto tantas tragœdias excitares. *Primô*, inquis, *intuitu occurrit tibi, quod diſplicuit: vix oculis tuis credidiſti: libro accuratè perluſtrato, obſtupuiſti.* Bone Deus! Quid feci? Quid docui? Liber, quid monſtri ſecum portat? Hic ſcopus, hoc libri inſtitutum, ut oſtendatur, Bona Opera ex Fide profecta, & cum Fide conjuncta, conditionem eſſe (neque enimaliud, aut altius quicquam de quacunque noſtra virtute tecum, qui cauſalitatem efficacem in Juſtificationis negotio Fidei tribuis, auſim pronunciare) neceſſariò præſtandam, ut quis ex pacto Evangelico, Chriſti Mediatoris ſanguine impetrato ac ſancito, juſtificetur. Hanc eſſe *Jacobi* doctrinam contendo; *Paulum* his nihil contrarium docuiſſe confirmo. Ubique autem merito omni omnium operum noſtrorum ita palàm abrenuntio, ut qui meritum propriè ſic dictum propugnat, vix pro Chriſtiano agnoſcam. In Juſtificationis ac Salutis negotio, meritoriæ Jeſu Chriſti obedientiæ, cujus mors ejus complementum fuit, maxima quæque tribuo lubentiſſimus. Hæc ſola juſtitiæ divinæ fecit ſatis: hæc ſola Deum ſanctiſſimum, juſtiſſimum, nobis peccatoribus propitium reddidit: hæc ſola effecit, ut Deus nobis ſub optima illa atque æquiſſima conditione ſalutem, eámque cœleſtem atque æternam, (quam aliàs nullâ ratione aſſequi potuiſſemus) polliceretur. Denique conſtanter doceo, ſine gratia atque ope

Spiritûs Divini, eâque efficaciſſimâ, (atque ex eodem Chriſti crucifixi latere profluente) eam fœderis Evangelici conditionem præſtare poſſe neminem. *Pelagii* hæreſim quovis anathemate digniſſimam cenſeo. Quid, quod ex B. *Pauli* ſermonibus ita gratiæ auxiliatricis divinæ laudes paſſim celebro, ut tibi eô nomine penè moleſtus ſim? Quis jam expectâſſet, ut qui talia docet, ab homine Chriſtiano & Catholico tam indignis modis vapularet? Quis hominem ita ſentientem, *impudentiſſimum*, *veſanum*, *impium*, *blaſphemum*, (quibus Elogiis me paſſim exornas) pronuntiet? Certè nemo ſobrius negaverit, me Catholici dogmatis, in hac de Juſtificatione controverſia, ſaltem τὸ ὑπερέχον tenere. Quòd ſi in conſectariis & conſentaneis, ut loquuntur, erraverim, (quod tamen tu nondum oſtendiſti) æquum eſt, ut mihi ignoſcat, quiſquis ſeipſum hominem, & humani nihil à ſe alienum eſſe, ſenſerit.

§. 3. Cæterùm, quod hîc in ipſo præfamine, ut & poſteà in Animadverſionibus ſæpiùs, doctrinæ novitatem mihi objicis, ad id reſpondeo. Τῶν Φιλαρχαίων, qui ſoli, quæ vetus, quæ nova ſit doctrina, ritè judicare poſſunt, conſcientiam intrepidus appello, utrùm in Libro, quem tuis convitiis dilacerandum tibimet propoſuiſti, quicquam reperiatur, quod à ſententia abeat veteris Eccleſiæ Catholicæ: cujus judicium & conſenſum, in Scripturis interpretandis, dogmatiſque ex iiſdem colligendis, religiosè nos ſequi jubet expreſſo Canone Eccleſia noſtra Anglicana. * Sed mirum & novum tibi videtur, quicquid cum arbitrariis definitionibus Syſtematicorum tuorum (è quorum penu Theologiam tuam omnem hauſiſſe viſus es) minùs convenit. Hinc dogmata Veterum ſalutifera, tanquam nova, rejicis & reſpuis; nova verò pro veteribus amplecteris & exoſcularis. Utinam ex monito ſaperes pientiſſimi juxtà ac eruditiſſimi Doctoris *Johannis Felli*, viri inter præcipua Academiæ Oxonienſis ornamenta numerandi; qui in fine Præfationis ad ſuam *Clementis* Romani Editionem, Theologiæ ſtudioſos ſeriò hortatur, ‘ Ut (ſiquidem oraculi fi-
‘ dem & dignationem mereatur effatum il-
‘ lud, *id verum, quod primum*) pigris
‘ turbidiſque illorum lacunis, qui ſe mo-
‘ dernos Theologos dici volunt, inſuper
‘ habitis, fontes requirant perennes & lim-
‘ pidos, atque ultra Ethnicæ Theologiæ
‘ fidem ſacros & Numine plenos.’ Pergit Vir
‘ optimus: ‘Par quidem eſt, ut nova ſequan-
‘ tur Novatores; eis verò, quibus Eccle-
‘ ſiæ primitivæ ſincera placent dogmata,
‘ non minoris ævi Scriptores utique place-
‘ bunt: ſeſe etiam genuinos Eccleſiæ Filios
‘ hôc indiciô & notâ planè characteriſticâ
‘ comprobabunt, quod ſanctiſſimos ejuſdem
‘ Patres unicè colant & revereantur. Sed quid de Veteribus loquor? Ad ipſos quoque recentiores provoco. Quot tibi recenſere poſſum nomina, in orbe noſtro Anglicano fulgentia ſydera, qui ante nos eam, quam fugillas, doctrinam impunè & ſine ἑτεροδοξίας notâ ſcriptis ſuis tradidernnt, adeóq; ex profeſſo propugnârunt, ſolis fere Novatoribus & Schiſmaticis oblatrantibus? Cave ne mihi eorum numerum ineundi onus (quod & tibi fore ingratiſſimum auguror) imponas; ſerióque tandem cogita tecum, quos quantóſq; viros per mea latera confodias.

§. 4. Perridiculum autem certè eſt, quòd me audacis adverſus Apoſtolum *Paulum* ἐναντιώσεως accuſas; neque enim ego *Paulo* magis contradico, quàm *Jacobus* ipſe, h. e. ne omnino quidem. Conciliationem ἐναντοφανείας in ſcriptis Apoſtolicis, ejúſque maximi momenti, optimô conſiliô (Deus novit) molitus ſum: quô conatu ſi Viris doctis & piis omnino diſplicuerim, (quod tibi ſæpiùs licèt affirmanti ne credam, multa prohibent) ſcis, me non primum hôc auſu excidiſſe. Gaudeo autem, te quicquid in Diſſertationibus noſtris Scripturæ aut Rationi abſonum viſum eſſet, inter legendum animadvertiſſe. Nam hinc colligere mihi in promptu eſt, nihil in iſtis Diſſertationibus reperiri, quod poſt *Ariſtarchi* judicium, vel Scripturis, vel Rationi adverſetur. Certè enim quæ in hac Cenſura tua mihi objicis, ea vel rem acu non tangere, vel rationibus aut nullis, aut leviſſimis confirmata eſſe, comperio. Quot etiam Diſſertationum noſtrarum paragraphos, adeóque capita integra, in quibus vis & robur cauſæ noſtræ ſitum eſt, vel alto ſilentio præteris, vel leviter admodum perſtringis? Quàm hæc non arroganter, ſed verè à me dicta ſint, nôrunt qui Diſſertationes meas cum tuis ad eaſdem Animadverſionibus contulere.

§. 5. Utâre verò, per me licet, mi Cenſor, παῤῥησίᾳ tuâ, & quod ſentias, liberè eloquare; ſed ut liberum & ingenuum hominem decet, ſine convitiis & calumniis: à quibus ſi inter ſcribendum abſtinuiſſes, fraternæ charitatis officio, quod obtendis, rectiùs, vel tuâ ipſius conſcientiâ judice, defunctus fuiſſes. Ad ſtricturas autem tuas, quas mihi animadvertendas exhibuiſti, ſeriò animum adverti; nihílque tandem à te animadverſum reperio, cujus me pœnituiſſe oporteat. Cæterùm in hac reſponſione nolim

* *Collect. Canonum Can. Eliz. ab. de Concionator.* p. 19.

lim expectes, me κατὰ πόδας te secuturum: hoc quippe nihil aliud esset, quàm Lectoris patientiâ abuti,& bonas horas malè collocare. Quot enim Animadversiones tuæ meras calumnias spirant? quot assertiones tuas nudas sine ulla probatione continent? quot denique earundem rerum molestâ repetitione Lectorem obtundunt? Itaque quod in istis ad rem quovis modo pertinet, idque solum, sub examen nostrum semel revocandum censuimus. Quicquid autem vel hîc, vel alibi à me scriptum sit,judicio sanctæ matris, Ecclesiæ Anglicanæ, lubentissimus,& summa cum animi demissione subjicio; utpote cujus me Filium hactenus obsequentissimum præstiterim, & quoad in vivis ero (Deo adjuvante) præstiturus sim.

ANIMADVERSIO I.

AD LIBRI PROOEMIUM.

IN Procœmio libri mei, rei, quam explicandam susceperam, tractandæ hanc methodum ut commodissimam mihi propono: 1. Ut conclusionis *Jacobi* cap. 2. tum sensum breviter exponam, tum veritatem argumentis aliquot adstruam. 2. Deinde ut *Pauli* Epistolas aggrediar, ejusque consensum cum *Jacobo* in Justificationis capite liquidò demonstrem. Hìc tu ad oram libri hæc ad verbum notas: *Methodi istius rationem non assequor. Iniquum enim est, ut* S. Jacobi *locus unus sit mensura tot dissertationum prolixarum, quas* B. Paulus *instituit, argumentis variis, iisque nervosis usus, ut Justificationem peccatoris assereret ex fide sine operibus, fidem operibus opponens in justitiæ procuratione; & idcirco textus iste præferatur, quasi lux aut lampas,* B. Pauli *sermonibus, utpote obscurioribus, lumen illatura.* Tertullian. adv. Prax. *Oportet ex pluribus intelligi pauciora.*

RESPONSIO ad Animadversionem I.

§.1. Primô impetu satis ostendis, mi Censor, quàm in certaminis progressu iniquum mihi adversarium temet præstiturus sis. Ipsa scil. methodus nostra tibi displicet. Quàm malesana hæc carpendi libido! Fac enim, me utriusque Apostoli doctrinam rectè & bonâ fide exposuisse, quid est, quod de methodo conqueraris? Quid refert à *Jacobo*, an à *Paulo* Dissertationum mearum initium capiam, modò neutri Apostolo injuriam faciam? Verùm, inquis, *iniquum est, ut* S. Jacobi *locus unus sit mensura tot Dissertationum prolixarum, quas* B. Paulus *instituit.* Esto. Quid hoc ad me, qui multis è Scripturâ desumptis argumentis, iisque luculentissimis, stabilitâ priùs *Jacobi* conclusione, *Paulum* aggredior, ejus consensum cum *Jacobo* firmis rationibus, ex ipsis Epistolarum ejus visceribus (ut ita dicam) petitis, demonstrans? Fateor quidem, me in ea esse sententia, ut putem, ex una *Jacobi* Dissertatione in cap. 2. Paulini sensûs interpretationem satis evidenter colligi posse. Hinc est quod alicubi * scripserim, rationi longè convenientius esse, ut in hac controversia *Paulum* ex *Jacobo*, quàm ut *Jacobum* ex *Paulo* interpretemur. Video hoc dictum tibi valde displicuisse. Sed oportuit te rationes attendisse, quibus hanc meam sententiam confirmo. Eas hìc in gratiam Lectoris repetendas atque à cavillis tuis vindicandas esse censui.

§. 2. Primum nostrum argumentum inde sumitur, quòd sermo *Jacobi* clarus sit & perspicuus, verbáque ejus tam diserta, ut qui de eorum sensu dubitat, nodum planè in scirpo quæsivisse meritissimô jure dicendus sit: contrà disputatio *Pauli* obscura, perplexa & intricata. In Scripturis verò interpretandis nota est regula, è clarioribus obscuriora loca exponenda esse. Hîc quod de *Jacobi* perspicuitate dixi, insciтè aut malignè vellicas, à me interrogans: *Num omnes docti & pii, qui de* Jacobi *verborum sensu dubitârunt, adeo malè otiosi fuere, ut nodum in scirpo quærerent?* Respondeo. Quòd viri illi pii & docti de *Jacobi* verborum sensu dubitârunt, in causa fuit præconcepta opinio de Justificatione ex Fide sola, simplici virtute, quam ex *B. Pauli* verbis perperam intellectis (ut in tanta obscuritate,

In notis ad p. 73.

---

* Harmon. Apost. Differt. II. Cap. IV. . 2.

te, niſi ſcopus Apoſtoli ſedulò attendatur, facilis eſt lapſus) hauſerant. Ut hanc tuerentur, ſimulque inter duos Apoſtolos pacem componerent, nullum non lapidem movêre: & Paulinæ diſputationis ſenſum ſe aſſecutos fuiſſe pro certo habentes, ſuis σοφοῖς φαρμάκοις apparentem *Jacobi* ἐναντίωσιν amoliri ſtuduerunt. Etenim invidiam, quæ ex magnis nominibus apertiſſimæ alioqui veritati ſolet oboriri, deprecatus, Lectoris pii, docti, & à præjudiciis liberi cujuſvis conſcientiam appello, annon ſermo *Jacobi* clarus, perſpicuus ac diſertus ſit? Certè in concluſione Apoſtoli, quâ ſtatuit, *ex operibus juſtificari hominem, & non ex fide tantùm*, nullum reperitur vocabulum, nullus (barbarâ Scholaſticorum dictione uti liceat) terminus, de cujus ſenſu ex ipſo Apoſtolici ſermonis contextu non apertiſſimè conſtet. Quæris, de qua Juſtificatione loquatur *Jacobus?* manifeſtum eſt eum non loqui de ſola declaratione juſtitiæ apud homines, ſed etiam de Juſtificatione hominis ipſius in conſpectu Dei. Loquitur enim diſertè de ea Juſtificatione, quâ quis φίλος Θεοῦ, ipſius Dei amicus fiat, v. 23, quâque ipſi à Deo juſtitia imputetur (ibid.) quâ denique jus ad ſalutem ipſi donetur, v. 14. Vide Harm. Apoſt. Diſſert. poſter. cap. 1. §. 6. & 7. Dubiumne tibi eſt, quam fidem intelligat Apoſtolus? veram vult & in ſuo genere perfectam, qualis *Abrahami*, v. 21. 22. Hanc negat ſine Operibus ad Juſtificationem illam ex Evangelico fœdere obtinendam ſufficere. De quibus Operibus intelligendus ſit *Jacobus*, quæſtio nulla eſt: de Operibus ex Fide & gratia Evangelii profectis, ſive de Operibus cum Fide cooperantibus, eamque perficientibus, diſertè loquitur v. 22. Itaque ſermonem *Jacobi* clarum & perſpicuum eſſe, meritò affirmavi. Quod & fatentur illi ex adverſariis noſtris, qui Epiſtolam *Jacobi* è Canone Sacrarum Scripturarum (audaci quidem atque impio facinore) eliminârunt. Quare enim id fecerunt? Scil. ex *B. Pauli* diſſertationibus, non eâ, quâ par erat, diligentiâ perpenſis, in eam ſententiam adducti fuerant, ut crederent, ſolâ Fide, quatenus voce illâ virtus Fidei ſimplex, à cæteris virtutibus Evangelicis diſtincta, intelligitur, hominem juſtificari. Huic ſuæ opinioni temere conceptæ *Jacobi* diſputationem veluti ex diametro oppoſitam eſſe probè intelligentes, ac videntes doctrinam ejus cum iſta ſententia nullâ arte, σοφῷ φαρμάκῳ nullo, conciliari poſſe, nodum hunc planè Gordianum iis viſum, quem ſolvere non poterant, diſſecare aggreſſi ſunt, authoritatem ejus Epiſtolæ, cui *Jacobi* nomen inſcribitur, vel in dubium vocando, vel apertè rejiciendo: quemadmodum in Prœmio libri noſtri obſervavimus. Atque hactenus de *Jacobi* perſpicuitate.

§. 3. Quod de Paulini ſermonis obſcuritate affirmo, penè ad furorem uſque te provocat. Nam ad paginam libri mei 74. ſic ſcribis: *Impium eſt inſtitutum, Paulum obſcuritatis arguere, & ne deſint nubes, fingere & offundere. Diſſertatio iſta eſt nimis ſimilis fumo, qui ex infernali puteo exortus, Solem & aerem obtenebravit, Apocal. 9. v. 2.* Quis autem te hîc iræ atque indignationis tuæ fumum (ex quo puteo exortus ſit, ipſe videris) exhalantem non ſentiat? ſed heus tu! Cave ne impietatis me falsò arguens, veræ impietatis crimen ipſe incurras. Si impius ſit, qui *Pauli* ſermonem obſcurum eſſe dixerit, tum impii fuere *Origenes, Baſilius M. Gregorius Nazianzenus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus*, aliique plurimi in veteri Eccleſia Doctores celeberrimi, qui illud ipſum dicere non dubitârunt. Deſcribitur *Origenis* locus *Philocal.* cap. 9. in quo notat, *videri quaſdam Scripturas* μὴ ἔχειν σύνταξιν, μηδὲ ἀκολουθίαν, *non ſatis aptâ compoſitione & conſecutione cohærere; maximè verò Prophéticas & Apoſtolicas, & inter Apoſtolicas, Epiſtolam præſertim ad Romanos. In quâ*, inquit, τὰ περὶ νόμου διαφόρως ὀνομάζεται, καὶ ἐπὶ διαφόρων πραγμάτων κείμενα· ὥστε δοκεῖν ὅτι οὐκ ἔχει ὁ Παῦλος ἐν τῇ γραφῇ τῆς ἐπιστολῆς τὸ προκείμενον αὐτῷ σκοπόν· *quæ de lege dicuntur, diverſis modis dicuntur, & diverſis rebus imponuntur; ut videatur Paulus in illa Epiſtola ſcopum ſibi propoſitum non aſſequi.* Hanc *Origenis* ſententiam comprobârunt Sancti Patres, *Baſilius Magnus* & *Gregorius Nazianzenus*, utpote à quibus collectio illa locorum Origenianorum, quæ *Philocalia* dicitur, facta fuerit, ἐκλογὰς ἔχων χρησίμους τοῖς φιλολόγοις, *excerpta habens ſtudioſis utilia*, ut loquitur ipſe *Gregorius* in Epiſtola ad *Theodorum Tyanæum* Epiſcopum. *Chryſoſtomus* in 7. ad Romanos: Οὐχ ὅτι ἂν μὴ μετὰ τῆς προσηκούσης ἐυλαβείας τὰς λέξεις ἐκλεξώμεθα, καὶ πρὸς τὸν ἀποστολικὸν ἴδωμεν σκοπὸν, μυρία ἕψεται ἄτοπα. *Vides, niſi, quâ par eſt, curâ, & circumſpectione dicta accipiamus, & ad ſcopum Apoſtoli reſpiciamus, mille abſurditates conſecuturas. Hieronymus* ad quæſtionem Algaſiæ octavam, ex eodem capite ipſi propoſitam, reſpondens, rotundè loquitur: *Totus*, inquit, *hic Apoſtoli locus & in ſuperioribus, & in conſequentibus, imo omnis epiſtola ad Romanos, nimiis obſcuritatibus involuta eſt: & ſi voluero cuncta diſſerere, nequaquam mihi unus liber, ſed magna & multa erunt ſcribenda volumina.* Quibus gemina in eadem reſponſione ad Quæſtiones Algaſiæ paſſim reperias. Denique

Pag. 26. edit. Feuardent.

que hæc obſcuritas ipſum etiam *Auguſtinum* deterruit, ne cœptum opus expoſitionis Epiſtolæ ad Romanos ad umbilicum perduceret, ut ipſe teſtatur *lib.* 1. *Retract. cap.* 25.

§. 4. Porro, ſi impium ſit ejus inſtitutum, qui Paulinis Epiſtolis obſcuritatem tribuerit, tum (horreo blaſphemiam referens) impium fuit *Petri* Apoſtoli inſtitutum, qui 2. Epiſt. cap. 3. v. 16. in iiſdem Epiſtolis δυσνόητά τινα reperiri, diſertis verbis affirmat. Ubi quoque *Petrum* Apoſtoli *Pauli* diſputationem de Juſtificatione ex Fide, oppoſita Legis operibus, imprimis reſpexiſſe, Viri longè doctiſſimi judicârunt: cujus judicii rationes ſatis probabiles ipſe attuli *Diſſert. poſtcr. cap.* 4. §. 2. Eis, quæ ibi dicta ſunt, hæc adjicias. Epiſtolam, quæ *Petri* ſecunda dicitur, ſcriptam fuiſſe adverſus impios quoſdam ejus ætatis Hæreticos, è Schola *Simonis Magi* prodeuntes, præſtantiſſimi Interpretes conſentiunt; quod & ex notis & indiciis non paucis in ipſa Epiſtola apparentibus ſatis manifeſtum videtur. Jam verò liquidò conſtat, *Simonianos* inter alia dogmata ſua Chriſtianis auribus horrenda, & hanc quoque hæreſin propugnâſſe, nempe, Bona Opera ad Juſtificationem ſive ſalutem hominis nequaquam eſſe neceſſaria. Duo hîc *Irenæi* loca illuſtriſſima in medium proferam. Alterum habes *lib.* 1. *cap.* 20. ubi *Simonis* impias hæreſes recenſens, ait, iſtum Diaboli πρωτότοκον docuiſſe, *hos qui in eum &* Selenen *ejus ſpem habeant, ut liberos, agere quæ velint: ſecundum enim ipſius gratiam ſalvari homines, & non ſecundum operas juſtas.* Ubi obiter mecum obſervabis, theſin eorum, qui docerent ſalvari ſive juſtificari (nam Veteres ſaltem nullum inter hæc duo diſcrimen agnoviſſe conſtat) hominem aliter quàm ſecundum Opera juſta, pro hæreſi in primæva Eccleſia habitam fuiſſe. Locus alter extat ejuſdem libri c. 1. ubi *Valentini*, * qui hæreſin *Simonianam* tantùm interpolavit, ſententiam de Juſtificatione hominis deſcribit his verbis: Ἐπαιδεύθησαν τὰ ψυχικὰ οἱ ψυχικοὶ ἄνθρωποι, οἱ δι' ἔργων καὶ πίστεως ψιλῆς βεβαιούμενοι, καὶ μὴ τελείαν γνῶσιν ἔχοντες· εἰ δὲ τοῦτο ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ἡμᾶς λέγουσι. διὸ καὶ ἡμῖν μὴ ἀναγκαῖον εἶναι τὴν ἀγαθὴν πρᾶξιν ἀποφαίνονται· ἄλλως γὰρ ἀδύνατον σωθῆναι· αὐτοὺς δὲ μὴ διὰ πράξεως, ἀλλὰ διὰ τὸ φύσει εἶναι πνευματικούς, πάντη καὶ πάντως σωθήσεσθαι δογματίζουσιν. *Animalibus diſciplinis imbuti ſunt animales homines, qui per Opera & nudam Fidem confirmantur, nec perfectâ cognitione præditi ſunt: quales nos, qui Eccleſiæ fidem profitemur, eſſe aiunt. Ex quo etiam nobis hoc neceſſe eſſe pronunciant, ut probas actiones adhibeamus: neque enim alioqui fieri poſſe, ut ſalutem conſequamur. At ſe non per actionem, ſed quòd naturâ ſpirituales ſint, omnino ac ſine ulla dubitatione ſalvos fore affirmant.* In quo *Irenæi* loco plana ſunt omnia, niſi verò quis in verbis illis διὰ πίστεως ψιλῆς hæreat. Sed nodus facili negotio expediendus; ſcilicet, πίστις ψιλὴ non Operibus opponitur, (nam per hanc Fidem operibus conjunctam ſe βεβαιῶσθαι Catholicos dicentes *Valentiniani* irriſerunt) ſed γνώσει τελείᾳ *Perfectæ Cognitioni*, quam ſibi impudentiſſimi hæretici arrogârunt. Quippe (ut ex verbis proximè præcedentibus apud *Irenæum* apparet) ſe jam conſummatos, non Fide merâ, ſed certâ atque immediatâ Cognitione myſteria omnia divina aſſecutos fuiſſe gloriabantur. Ex hoc autem loco apparet, Chriſtianos ejus ſeculi, qui Eccleſiaſticæ doctrinæ adhæſerunt, tenuiſſe, non Fide ſolâ, ſed per Opera & Fidem ſimul hominem βεβαιοῦσθαι· (quibus verbis quid Catholici intellexerint, prudenti Lectori in proclivi erit conjicere) ex adverſo Hæreticos docuiſſe, hominem, ſi non per meram Fidem, certè per Cognitionem perfectam, abſque bonis Operibus juſtificari ac ſalvari poſſe. Nemini autem dubium eſſe poteſt, quin huic ſuæ hæreſi ex *B. Pauli* Sermonibus patrocinium quæſiverint; ſiquidem & aliàs, idque ſine omni fere ſpecie ac colore Paulinis eos teſtimoniis ad deliria ſua confirmanda abuſos eſſe, ex *Irenæo* conſtat. Quæ cùm ita ſint, cui non admodum veriſimile fit, *Petrum* huc imprimis reſpexiſſe, cùm dixerit, quædam eſſe in Paulinis Epiſtolis δυσνόητα, quæ homines iſti ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι in ſuam ipſorum perniciem diſtorſerunt?

§. 5. Ex his autem omnibus manifeſtiſſimum fit, impium non eſſe inſtitutum, *Paulo* obſcuritatem tribuere, in iis præſertim diſputationibus, quas de Juſtificatione inſtituit. Sed quid multis opus eſt? Cauſas ipſas hujus obſcuritatis aſſignârunt Interpretes doctiſſimi. Prima eſt ſermo *Pauli* ſæpe abruptus, ſæpe interciſus, nec tam fluens præmeditatô ordine, quàm divino quodam impetu ruens. Quod & ab *Irenæo* olim obſervatum fuit his verbis: *Quoniam autem Hyperbatis frequenter utitur Apoſtolus, propter velocitatem ſermonum ſuorum, & propter impetum qui in ipſo eſt Spiritûs, ex multis eſt invenire.* Lib. 3. cap. 7. Deinde, quòd veterum ac novorum inter *Hebræos* Magiſtrorum ſententias obiter magis attingit Apoſtolus, apud eos quibus notæ eſſent, quàm explicat. Quibus & illud accedit, quòd objectiones Judæorum, ad quas re-

Pag. 26. edit. *Feuardent.*

* Aut potiùs *Ptolemæi*, (qui diſcipulus fuit *Valentini*,) ac *Scholæ Valentinianæ*.

reſpondet, non evolvit, ſed, ut illis quibus ſcribebat ſatis cognitas, ictu tranſverberat. His quoq; & alias obſcuritatis cauſas in proclivi eſſet annumerare, ſi iſtis nunc vacaremus. Te verò, cui cæteris omnibus oculatiori tam perſpicuæ viſæ ſunt Paulinæ diſſertationes, *Origenis* ad *Celſum* verbis liceat afLib. 3. p. 122. *Edit. Cantab.* fari: Πρῶτον σαφήνισον Παύλῳ τῷ πρὸς Ρωμαίους ἐπιστολῶ· καὶ ἐναντίσας τῷ βελήματι ἐκφύσης ἐν αὐτῇ λέξεως, δεῖξον ὅτι νενόηκας τὰς Παύλῳ λόγους. Hoc ſi præſtiteris, palmam tibi inter Sacræ Scripturæ interpretes, docti (opinor) omnes lubentiſſimi conceſſerint. Atque hactenus de primo noſtro Argumento, quô liquidò probatur, rationi longè convenientius eſſe, ut *Paulum* ex *Jacobo*, quàm ut *Jacobum* ex *Paulo* interpretemur.

§. 6. Altera ratio, quâ id ipſum confirmatum ivimus, à Traditione atque opinione Veterum petita eſt; qui ſenſerint, Epiſtolam *Jacobi* (quâ parte de Juſtificatione agit) ex profeſſo ſcriptam fuiſſe adverſus eos, qui Paulinas Epiſtolas pravè interpretantes, Fidem dicebant ſine bonis Operibus ad Juſtificationem ſive ſalutem hominis ſufficere. Cujus Traditionis veritatem rei ipſius evidentia, ſepoſitâ ipſorum authoritate, ſatis demonſtrat. Unde enim (obteſtor te) oriri potuit error iſte Chriſtianorum, quibuſcum diſputat *Jacobus*, de Juſtificatione ex Fide unica ac ſimplici virtute ſine Operibus, niſi ex Paulinis diſſertationibus perperam intellectis? Cauſa ejus erroris alia probabilior ne fingi quidem poteſt. Quid autem æquius, quid ſatius, quàm ut *Pauli* Epiſtolas interpretemur ex analogia ſermonis, quem B. *Jacobus* eô conſiliô inſtituit, ut pravas earundem Epiſtolarum interpretationes averruncaret? Hîc in ipſo argumento nihil habes, quod carpas. Tantùm de verbis illis meis: *Idem quoque probabile fit ex eo, quòd* Jacobus *ejuſdem* Abrahami *exemplô utitur, ut probet, opera ad Juſtificationem requiri; ex cujus exemplo* Paulus *intulerat, Juſtificari hominem per Fidem ſine Operibus*, Rom. 4. De his, inquam, verbis hunc in modum me compellas: *Quid vis? num* Jacobum Paulo *contradicendi ſtudiô ſcripſiſſe opinaris? Quorſum hanc ſuſpicionem ſuſcitas?* Verùm tu, bone vir, quid vis, qui Animadverſiones ad librum noſtrum pollicitus, has nugas & quiſquilias meras Lectori tuo propinas? Dic, obſecro, ſerióne ſuſpicaris, me verbis illis voluiſſe, *Jacobum Paulo* contradicendi ſtudiô ſcripſiſſe? me, inquam, id voluiſſe, qui *Diſſertationem* libri mei *ſecundam* ſatis prolixam huic conſilio totam impenderim, ut monſtrarem, nihil in controverſia de Juſtificatione vel *Jacobum Paulo*, vel *Paulum Jacobo* contradixiſſe; quique hoc ipſum *Abrahami* exemplum ab utroque Apoſtolo rectè atque appoſitè uſurpatum eſſe oſtenderim? Recognoſce verba mea *Diſſert.* 2. *cap.* 12. *n.* 27. ubi eis, quæ in Expoſitione Paulini ſermonis de *Abrahamo* ad *Rom.* c. 4. prolixè diſſerui, inter alia hanc concluſionem ſubjicio: *Accedit, quòd hinc clarè eluceat concordia inter* Jacobum *&* Paulum, *cùm ex eodem* Abrahami *exemplo hîc hominem juſtificari ſine Operibus, ille juſtificari hominem ex Operibus concludat. Nempe conſiderat* Abrahamum Paulus *κατὰ σάρκα, qualis erat ante vocationem*; Jacobus *verò, ut gratiâ & vocatione divinâ jam donatum. Juſtificationem ejus Operibus ante fidem factis ille detrahit; tribuit hic Operibus ex Fide profectis. Nulla hîc inter Apoſtolos contradictio.* Hæc, inquam, verba recognoſce, & pudeat te, Animadverſionem, tam futilem dicam, an malitioſam? calamo tuo excidiſſe. Quin & illud adjiciam, obſervationem iſtam meam quam carpis, ab ipſo *Auguſtino* mutuò eſſe acceptam. Sic enim ille Lib. de 83. Quæſtionib. qu. 76 *Quoniam* Paulus *Apoſtolus prædicans juſtificari hominem per Fidem ſine Operibus, non bene intellectus eſt ab eis, qui ſic acceperunt dictum, ut putarent, cùm ſemel in Chriſtum credidiſſent, etiamſi malè operarentur, facinorosè flagitioſéque viverent, ſalvos ſe eſſe poſſe per Fidem; locus iſte hujus Epiſtolæ* (ſcribit de loco Epiſtolæ *Jacobi* cap. 2.) *eundem ſenſum* Pauli, *quomodo ſit intelligendus, exponit. Ideóque magis* Abrahæ *utitur exemplô, vacuam eſſe Fidem, ſi non bene operetur; quoniam* Abrahæ *exemplô etiam* Paulus *Apoſtolus uſus eſt, ut probaret, juſtificari hominem ſine Operibus Legis.* Cætera apud *Auguſtinum* lectu digniſſima ſunt.

§. 7. Atque ea fuerunt Argumenta, quibus ſatis probatum exiſtimaverim, rationi longè convenientius eſſe, ut *Paulum* ex *Jacobo*, quàm *Jacobum* ex *Paulo* interpretemur. Verùm his omnibus tu demum *Tertulliani* regulam ſatis celebrem opponis: *Oportet ex pluribus intelligi pauciora.* Ejuſdémque regulæ iterum me mones in *Animadverſ. ad cap.* 4. *Diſſert. ſecundæ p.* 73. Huic verò regulæ ſubſumere vidêris: At *Jacobi* locus unus, iſque paucorum verſiculorum ſpatiô concluſus; *Pauli* verò de eodem argumento diſputationes & multæ, & prolixæ. Atque hinc concluſionem tuam noſtræ oppoſitam inferre voluiſti: Ergo rationi longè convenientius eſt, ut *Jacobum* ex *Paulo*, quàm *Paulum* ex *Jacobo* interpretemur. Verùm ſpiſſâ hîc fallaciâ & tibiipſi, & Lectori tuo impo-

imponis, & calculos tuos haud rectè ponis. Nam locus iſte *Jacobi*, quem unum vocas, ſtat integrô Scripturarum (ut ita dicam) exercitu ſtipatus. Scilicet, non Fide ſolâ, ſed & Pœnitentiâ (quæ integrum hominis peccatoris ad Deum redeuntis officium in Evangelio præſcriptum complectitur) opus eſſe, ut peccator à Deo propter Mediatoris Sacrificium pro juſto habeatur, atque ut juſtus tractetur, remiſſis ipſi peccatis omnibus, atque ad ſalutem vitamque æternam jure ipſi donatô, (quæ ſola eſt *Jacobi* doctrina) Scripturæ tam Veteris quàm Novi Teſtamenti palàm & paſſim prædicant. Hoc ipſum notaveram in *Harmonia* ſub initium Argumenti, quô ex aliis Scripturæ teſtimoniis *Jacobi* hypotheſin ſtabilire conatus ſum. Verba hæc ſunt: *Neque enim putandum eſt*, S. Jacobum *parodoxum aliquod aut ſibi peculiare dogma venditâſſe. Nihil minùs. Quod loquitur, vox eſt Spiritûs S. ubique idem perſonantis. Idem teſtantur Prophetæ, idem Apoſtoli, idem Chriſtus ipſe. Hæc doctrina ſacrarum Scripturarum utramque fere paginam complet: ut auſim dicere, aliam ullam vix dari poſſe, quæ in Sacris libris tam clarè aſſeritur, aut toties inculcatur.* Quid quòd eandem doctrinam *Paulus* ipſe, idque in iis ipſis Diſſertationibus, ex quibus tu cum aliis multis contrariam hypotheſin aſtruere conamini, ſæpiùs atque apertè aſſerit defenditque, prout *Harmon. Apoſt. Diſſert.* 2. *cap.* 4. *n.* 5, 6, 7, 8, 9, 10. fusè & luculenter oſtendi. Quod verò de Pauli Diſſertationibus in contrarium tot & tam prolixis gloriaris, vanum prorſus eſt. Ut hoc Lectori ſobrio ac φιλαληθεῖ pateat, velim ut hæc duo mecum attentô animô expendat: 1. Juſtificari hominem ex Fide ſine Operibus, à nemine Scriptore Θεοπνεύστῳ in terminis, præterquam ab uno *Paulo*, doceri. Veriſſimam eſſe hanc obſervationem, ex libris, quos *Concordantias* vocant, Lector ſuis ipſe oculis certior fieri poteſt. 2. Juſtificari hominem ex Fide ſine Operibus, nuſquam ab ipſo *Paulo* doceri, niſi ἀγωνιστικῶς & in certamine, quod iniit cum Evangelii hoſtibus, qui *aliâ ratione* quàm ex fœdere Evangelico, vel *non ex hoc ſolo* juſtificari hominem, contenderent; nempe, in Epiſtolis ad Eccleſias *Romanam* & *Galatenſem*, & Actor. 13. 38, 39. ubi ad Judæos quoqe loquitur, eoſque à fiducia fœderis *Moſaici* arcere nititur. Certiſſimam eſſe & hanc obſervationem, ratione, quam modò indicavimus, demonſtrari poteſt. Huic autem obſervationi illud velut *Conſectarium* adjungi poteſt, *Paulum* opponere Fidem non aliis virtutibus Evangelicis; (illud quippe à ſcopo ipſius alieniſſimum foret) ſed voce *Fidei* integram fœderis Evangelici conditionem deſignare, iis rationibus conditionibúſque oppoſitam, quibus vel ſine fœderis Evangelici præſtatione, vel cum ea conjunctis, juſtificari hominem Adverſarii docerent. Sed illud hîc ὡς ἐν παροδῷ· quippe quod jam in *Harmonia* fusè explicavimus, atque iterum in hoc *Examine* commodiori locô retractabimus. Interim ex his duabus obſervationibus, cum iis, quæ diximus de perpetuo Scripturarum tenore, collatis, manifeſtiſſimum fit, *Tertulliani* regulam ſtatuentis, *Oportere ex pluribus Scripturæ locis intelligi pauciora*, pro nobis militare; indeque (ſi alia argumenta deeſſent) neceſſariò ſequi, rationi longè convenientius eſſe, ut *Paulum* ex *Jacobo*, quàm ut *Jacobum* ex *Paulo* interpretemur: ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

ANIMADVERSIO II.

Ad Diſſert. 1. Cap. 1. n. 4. p. 7.

HIC me ſugillas, quòd obiter in expoſitione loci illuſtris Act. 13. v. 38, 39. in *Chriſtum credentes* per *Fide formatâ* prædítos exponam. Verba tua hæc ſunt : ‘ Lubentiſſimè amplector ‘ hanc Paulini ſenſûs expoſitionem. Sed ‘ phraſis, *Fides formata*, non placet. Poſtea ‘ cum Scholaſticis, qui Juſtificationis negotium perplexè tractârunt, & doctrinam ‘ Evangelii putidè corruperunt, loquens, ‘ Fidem charitate formatam eſſe aſſeris. ‘ Parùm Logicè, aut Theologicè. Fides eſt, ‘ Apoſtolo judice, à charitate diſtincta. ‘ Charitas non eſt magis forma fidei, ‘ quàm ſpei, aut timoris Dei, aut pœnitentiæ.

RESPONSIO ad Animadverſionem II.

§. 1. Quô pede cœpiſti, pergis. Carpendi κανόνειαν hîc iterum prodis, dum locutionem innocentiſſimam importunè & non ſuô locô vellicas. Verùm Phraſis, *Fides formata*, quæ tuo palato non arridet, optimo *Bucero*, inter primos Reformatores Theologo primario, placuit ſatis. Is enim, & hanc loquendi formulam, *Fide formatâ juſtificamur*, aliis commendavit, ut veritati conſonam, & paci accommodatiſſimam ; & reprehendit illos Proteſtantes, qui in hac quæſtione veris offenderentur, quemadmodum *Diſſert. 2. cap. 2.* obſervavimus : ubi & hanc phraſin ex ipſis D. *Jacobi* verbis firmiter aſtruxi. Hæc repeto, quia tu, pro more tuo, ſilentiô præteris ; ſatis te feciſſe exiſtimans, ſi contra authoritatem tantam & rationem tam manifeſtam, ſolenne tuum, *Non placet*, nobis occinas. Sed heus tu! Si tantùm diſplicet locutio, *Fides formata*, cur ipſe in Animadverſionibus tuis phraſin, *Fides viva*, toties uſurpas? Certè enim inter has phraſes diſcrimen vel exiguum eſt, vel planè nullum. Puerile autem eſt, (ne quid pejus dicam) locutionem ab altero uſurpatam averſari, dum ipſe paſſim phraſi haud diſſimili atque in idem prorſus recidente liberè utaris.

§. 2. Sed illud tibi inprimis diſplicuiſſe videtur, quòd poſtea *Fidem Charitate formatam* eſſe aſſero. Itaque miſſis velitationibus iſtis, liceat quæſtionem hanc ex profeſſo & liberè diſcutiendam proponere : *An charitas forma fidei juſtificæ rectè dicatur ?* Ego affirmo, tu negas. Ad ſtatum autem quæſtionis intelligendum apprimè obſervandum eſt, Charitatem Fidei *formam* non dici, quaſi ad *eſſentiam* Fidei pertineret, aut Fidem propriè informaret, cùm unus habitus non ſit ſubjectum alterius ; ſed quia per Charitatem actus Fidei hactenus perficitur & formatur, ut ex fœdere Evangelico Deo acceptus fiat, atque ad Juſtificationem ac Salutem hominis proficiat. Illud monueram *Diſſert. 2. cap. 4.* his verbis: *Nullus dubito, quin Charitas rectè dici poſſit Fidei juſtificantis forma. Fidei, inquam, juſtificantis ; quia Fidem per ſe propriam ſuam habere formam, in confeſſo eſt : at Fides quæ & quatenus juſtificat, verâ charitate formetur, omnino eſt neceſſe.* Fruſtra itaque mones, Fidem virtutem eſſe, Apoſtolo judice, à Charitate diſtinctam : neque enim quiſquam ſanus illud negaverit. Ad me verò quod attinet, nôſti quòd ſentiam, Fidem & Charitatem virtutes eſſe etiam ſubjectô diſtinctas, ita ut Fides, eaque in genere Fidei perfecta, in homine reperiri poſſit cui deſit Charitas. Qui autem hoc ſenſu diceret, *charitatem Fidei formam, vel, Fidem charitate formatam eſſe*, & Logicè, & Theologicè ſatis loqueretur. Logicè ; quia ut forma eſt cauſa, per quam res eſt id quod eſt, ita per Charitatem Fides juſtifica fit juſtifica, nempe ex fœdere Evangelico, alioquin hominem ex fœdere illo nequaquam juſtificatura. Nec minùs Theologicè & S. Scripturis convenienter loqueretur. Quid enim aliud dicit *Paulus* in loco illo celebri, *Gal. 5, 6. In Chriſto Jeſu neque circumciſio quicquam valet, neque præputium, ἀλλὰ πίςις δι' ἀγάπης ἐνεργυμένη.*

§. 3.

§. 3. Locum in Dissertationibus sæpiùs allegavi, quem tamen hîc novâ & ampliori luce donare liceat. Participium ἐνεργουμένη, cùm sit vocis Mediæ, Passivè hîc sumendum dixi; proinde πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη exponendum, *Fides per charitatem perfecta*, sive ad effectum perducta. Ac profectò verbum Græcum ἐνεργεῖσθαι vix usquam alibi legitur activâ significatione, ne apud Authores profanos quidem; sed fere semper id significat, quod Latinè dicimus, *agi*, *agitari*, *exerceri*, *effici*, *perfici*, aut quid simile passivum. Unde dicti ἐνεργούμενοι à Dæmone possessi, acti, agitati, ac velut informati. Hujus autem passivæ significationis exempla passim occurrunt in Paulinis Epistolis. Sic *Rom.* 7. v. 5. *Passiones peccatorum, quæ per legem erant*, ἐνεργεῖτο, *efficiebantur*, vel *perficiebantur, in membris nostris.* Ita locum reddidit *Tertullianus, de Resurrectione carnis.* Et sensus manifestus est: *passiones peccatorum, i. e. motus appetitûs ac desideria peccandi, quæ sunt & excitantur per legem, exercebantur, atque ipso opere complebantur in membris nostris.* Sic 2 *Cor.* 1. 6. *Pro vestra consolatione ac salute, quæ efficitur in tolerantia:* ubi activa significatio consistere non potest. Hinc *Chrysostomus* expressè notat, *Paulum* non dixisse ἐνεργόσης, h. est, *quæ efficit*, sed ἐνεργουμένης, i. e. *quæ efficitur.* Similiter 2 Cor. 4. 12. *Mors in nobis* ἐνεργεῖται, *in vobis verò vita.* Ubi miror Interpretes nostros reddidisse [*Death worketh in us.*] Nam qualis hic sensus verborum? Ex contextu patet, germanam Apostoli sententiam hanc esse: ex Evangelii prædicatione in nobis efficitur mors, (nempe pro Evangelio quotidie morimur;) ex eadem autem Evangelii prædicatione in vobis, qui nulla ob id incommoda sentitis, vita efficitur spiritualis & æterna. In his locis manifestum est, verbum ἐνεργεῖσθαι aliô quàm passivô sensu commodè accipi non posse. Cæteris autem, in quibus activam significationem prorsus necessariam esse putârunt nonnulli, passiva optimè convenit. Sic *Eph.* 3. 20. κατὰ δύναμιν τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἡμῖν, *secundùm virtutem quæ in nobis effecta, vel perfecta est.* Nam de virtute Divina jam experta fidelibus loquitur, eamque tanquam argumentum adducit, quô innixi fideles de potentia Divina in posterum securi essent. Sic *Coloss.* 1. *ult.* κατὰ τὴν ἐνέργειαν αὐτοῦ τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἐμοὶ ἐν δυνάμει *secundum efficaciam, quæ agitur*, vel *exercetur*, vel *perficitur in me in virtute.* Sic 1 Thess. 2. 13. λόγον Θεοῦ, ὃς ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν τοῖς πιστεύουσι· *Verbum Dei, quod perficitur in vobis qui credidistis.* Scilicet tum demum in homine, Dei Verbum ἐνεργεῖσθαι, sive *perfici*, dicitur, cùm finem obtinet & effectum sibi destinatum, quæ est Fidei obedientia. Similiter 2 *Thess.* 2. 7. *Mysterium iniquitatis* ἤδη ἐνεργεῖται, *jam agitur*, vel *agi incipit.* Ut nulla hîc sit activæ significationis necessitas. Denique *Jac.* 5. 10. *Multùm valet precatio justi* ἐνεργουμένη, *fervore atque impetu quodam divino acta & incitata.*

§. 4. Itaque, ut ad propositum locum revertar, πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, est, *Fides per charitatem acta, incitata, animata, perfecta.* Neque nova est hæc interpretatio; siquidem *Tertullianus* contra *Marc.* lib. 5. cap. 4. ita locum citat: *Fides quæ per dilectionem perficitur. Tertulliano* consonat Interpres *Syrus*, cujus apud eruditos magna semper fuit authoritas. His autem positis, rogo te, quâ ratione differat phrasis Paulina, πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, à phrasi, quam tantopere averseris, *Fides charitate formata?* Certè discrimen tam exiguum est, ut altera pro alterius versione satis commodâ haberi possit. Nec tamen hâc phrasi solâ innitimur; scopus & sententia loci id evincit quod contendimus, nempe Fidem hactenus per Charitatem perfici & formari, ut sine Charitate ad Justificationem & salutem hominis nihil valeat aut proficiat: quod solum velle nos, cùm Fidem Charitate formatam esse dicimus, te jam monui. Hoc autem ex verbis *Pauli* quàm manifestum fit? Quippe veteres Interpretes, tam Græci quàm Latini ad locum hunc notârunt, (& observatio satis obvia est) cùm Fidem in Christo Jesu aliquid valentem restringit Apostolus addendo, *quæ per Charitatem perficitur*, apertissimè eum innuere, nullam esse Fidem, quæ sine Charitate in Christo Jesu, hoc est, ex fœdere Evangelico, quicquam valeat ad Justificationem & salutem hominis; Fidem verò Charitate perfectam esse (ut loquitur Vir summus) in Christianismo τὸ πᾶν, sive illud totum quod Christi Evangelium postulat. Commentarii vicem in hæc Apostoli verba (si opus esset) supplere potuisset locus illustrissimus *B. Ignatii*, Apostolorum discipuli, adeóque συμμύστου, quem in fronte Harmoniæ meæ præfixi: ὃ δὲν λανθάνει ὑμᾶς, ἐὰν τελείως εἰς Ἰησοῦν Χριστὸν ἔχητε τὴν πίστιν καὶ τὴν ἀγάπην, ἥτις ἐστὶν ἀρχὴ ζωῆς καὶ τέλος· ἀρχὴ μὲν πίστις, τέλος δὲ ἀγάπη· τὰ δὲ δύο ἐν ἑνότητι γενόμενα, Θεοῦ ἐστιν· τὰ δὲ ἄλλα πάντα εἰς καλοκαγαθίαν ἀκόλουθά ἐστι. Quorum verborum (summam doctrinæ, quam defendo, succinctè ac dilucidè exprimentium) hic sensus manifestus est: Initium Justitiæ Evangelicæ est Fides; complementum verò Charitas: hæc autem

duo conjuncta hominem in Jeſu Chriſto, ſive juxta fœdus Evangelicum, τέλειον perfectum, hoc eſt, acceptum Deo ad ſalutem æternam reddunt. Cætera verò omnia, quæ ad ſanctam vitam ac bonorum Operum exercitium quovis modô ſpectant, hæc neceſſariò conſequuntur, atque ex his pendent profluúntque. Hoc & alibi clariſſimè docet idem Apoſtolus *Paulus*, 1 *Cor.* 13. 2. *Si habuero* πᾶσαν πίςιν, *omnem fidem*, *charitatem autem non habeo*, *nihil ſum.* Scilicet ut forma in naturalibus dat *eſſe*, ita Charitas Fidei dat *eſſe* in acceptatione divina; proinde homo, quâcunque Fide præditus, ſine Charitate, quod ad Juſtificationem ac ſalutem attinet, nullus eſt. Locum à frivolis quorundam exceptionibus prolixè vindicavimus, *Diſſert.* 2. *cap.* 4. *n.* 6.

§. 5. Quod ultimo in loco ais, Charitatem eſſe non magis formam *Fidei*, quàm *ſpei*, aut *timoris divini*, aut *pœnitentiæ*, illud demum à te veriſſimè dictum fuit. Certè enim Charitas eſt forma cæterarum omnium virtutum eôdem modô, quô Fidei. Quippe nulla eſt virtus, quæ non per Charitatem perficitur ac formatur hactenus, ut Deo ſit accepta, atque ad ſalutem hominis proſit. Hinc in Diſſertationibus meis alicubi dixi, Charitatem, ſive Amorem Dei, eſſe *virtutem univerſalem*, *quæ cæteras omnes bonitate quaſi perfundit*, *iiſque dignitatem ac gratiam conciliat: ex quo quicquid proficiſcitur*, *illud demum fit Deo gratum acceptumque.* Alibi quoque, nempe *Diſſert.* 2. *cap.* 2. §. 7. affirmo, *Charitatem eſſe virtutem illam*, *quam in ſalutis negotio Deus inprimis reſpiciat*, *quæque ſola ex gratioſo Dei fœdere neceſſariô ſecum nexu ſalutem trahat.* Ibi quidem tu miras tragœdias excitas; quippe ais, *horruiſſe animum tuum*, *novum illud dogma legentem.* Sed jam obſervavi, *novum* tibi videri quicquid in *Syſtematicis* tuis nondum legiſti. Sane dogma, quod novum appellas, ac tantopere exhorreſcis, eſt ipſiſſima *B. Auguſtini* & *Proſperi* ſententia. Nam in Libro Sententiarum ex *Auguſtini* Operibus excerptarum à *Proſpero*, numerô ſeptima hæc eſt: *Dilectio Dei & proximi propria & ſpecialis virtus eſt piorum & ſanctorum, cùm cæteræ virtutes & bonis & malis poſſint eſſe communes.* Si nulla eſt virtus præterquam Charitas, quæ ſanctis cum impiis non ſit communis, conſequentia manifeſta eſt, Charitatem eſſe virtutem illam, quam Deus in ſalutis negotio inprimis reſpicit, &c. Ac ſane, ſi ipſa Fides ex ſe imperfecta ſit, atq; ad ſalutem hominis, niſi δι' ἀγάπης ἐνεργεμένη, nihil valeat, (quod jam liquidò probavimus) quis non videt, idem de cæteris virtutibus multò magis dici poſſe? Itaque quod de Fide dicit *Paulus*, *eam ſine charitate nihil proficere*, ad alias quoque virtutes ab ipſo extenditur; nempe, non modò ad Cognitionem & Prophetiam, ſed ad ἐλεημοσύνην, adeóque ad ipſum Martyrium, 1 *Cor.* 13. Huc reſpexiſſe Apoſtolum, cùm variis virtutibus enumeratis, *Coloſſenſes* hortatur *ſuper omnia induere charitatem*, σύνδεσμον τῆς τελειότητος, *Col.* 3. 14. merito exiſtimavit *Iſidorus Clarius*, ad locum ita ſcribens: *Charitas*, inquit, *nihil eſt aliud quàm res quædam*, *bona omnia in unum colligens*; *nam ea eſt*, *quæ cætera efficit ut ſint bona.* Quàm manifeſtè autem hoc dicit Apoſtolus. *Rom.* 13. 10. & *Gal.* 5. 14. ubi Charitatem πλήρωμα τοῦ νόμου appellat? Hinc enim apertiſſimè conſtat, Charitatem eſſe (uti diximus) virtutem univerſalem, quæ omni præcepto Divino reſpondet, ac ſine qua nullum Dei præceptum ritè ſervari poſſit. Loquitur quidem directè in locis illis Apoſtolus de Charitate erga proximum; ſed dilectio Dei in dilectione proximi includitur, ut cauſa in effectu. Præterea, ſicut dilectio proximi omnia præcepta implet, quæ ad proximum pertinent; ita dilectio Dei præcepta complet omnia, quæcunque ipſum Deum reſpiciunt. Denique, controverſiam hanc totam clariſſimè definivit Chriſtus ipſe, (atque utinam tandem per miſellos homunciones liceret nobis Dei ac Domini noſtri vocem audire, ipſiuſque deciſioni ſtare!) qui diſertis verbis pronuntiavit, *univerſam Legem ac Prophetas ex his duobus mandatis pendere*; nempe, *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo*, *&c.* &, *diliges proximum ſicut teipſum*, Matth. 22. à v. 35. ad v. 40. incluſ.

Harm. Apoſt. Diſſert. 1. cap. 6. ſect. 8.

§. 6. Si quis autem hac de re poſt rationes tam manifeſtas adhuc dubitat, feriâ conſideratione mecum percurrat velim ſingulas virtutes à te commemoratas, nempe, *ſpem*, *timorem*, & *pœnitentiam*; ac videbit nullam ex his eſſe, cui *Charitate* non ſit opus, quâ ita perficiatur ac formetur, ut Deo ad ſalutem accepta fiat. A *ſpe* exordiamur. Hæc virtus, prout à Fide diſtinguitur, ipsâ notione ſuâ Charitatem involvit; ſiquidem in hôc à Fide differt, quòd deſideriô fertur in objectum ſuum, quod Fides nudo aſſenſu apprehendit: Deſiderium autem illud Charitas ſive Amor eſt. Res ita pleniùs demonſtrari poteſt. Sicut nihil ſperatur niſi cognitum ac creditum, unde oportet cognitio & fides ſpem præcedat; ita nihil ſperatur niſi

Idem dixit *Clem. Rom.* Ep. ad *Cor.* p. 110, 112. edit. *Oxon.* 1669. Ἀγάπη κολλᾷ ἡμᾶς τῷ Θεῷ. Et mox: δίχα ἀγάπης οὐδὲν εὐάρεστόν ἐςι τῷ Θεῷ.

nisi amatum, teste *Augustino Enchir.* c. 8. & ratione ipsâ confirmante. Ex quo similiter consequitur, quòd amor spem præcedat, & quidem talis amor, quô Deus cæteris omnibus anteponitur. Nam ut spes non est sine amore, ita spes summi boni, ut summi, (quæ sola ad salutem valet, & de qua sola loquimur) non potest esse sine amore summi boni, ut summi, hoc est, super omnia, quæ est charitas Christiana. Ad *timorem divinum* quod attinet, res manifesta est. Timor Dei sine charitate est timor *Mancipii*, non *Filii*; Timor autem filialis, qui solus ad salutem prodest, quique aliis nominibus *sanctus*, *castus*, *ingenuus*, *amicalis* & *reverentialis* à Scholasticis vocatur, is dicitur, quô quis Deum metuit offendere, & per offensam ab eo tanquam summo bono separari. Hic Timor hominem à peccato abstinere facit, non solo Gehennæ metu, sed etiam virtutis ac justitiæ amore. Hic Timor non modò manum cohibet, sed & cordi imperat. Contrà, servilis timor manum quidem coercet à perpetratione peccati, sed voluntatem peccandi nullâ ex parte corrigit. Denique de tertia virtute à te commemorata, *pœnitentia* scilicet, res æquè manifesta est. Pœnitentia strictè, ut hîc, sumpta, atque à cæteris virtutibus distincta, est dolor de peccatis commissis. Dolor autem iste sine Charitate est tantùm *attritio*, (ut Scholastici loquuntur) non *contritio*, adeóque ad salutem non valet. *Contritio* verò sive verus dolor de peccatis is est, quô quis de peccato suo dolet, non modò quà pœna ipsi ob id debetur, sed etiam quà Dei (Dei, inquam, optimi) offensa est. Itaque hujus doloris comes est sincerum peccati odium, verusque Dei ac justitiæ amor. Unde *Augustinus* ait, (*Serm. 7. de Tempore*) *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei.*

§. 7. Ex his jam omnibus ipse, uti spero, tandem intelliges, quàm non sine justissimis rationibus phrasi, *fides formata*, usus fuerim, & *Fidem charitate formatam* esse dixerim. Si tamen locutiones istæ etiamnum tibi displicent, tecum agentes in posterum Paulinâ phrasi, πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, vel *Jacobi*, πίστις ἐξ ἔργων τελειωθεῖσα, contenti erimus. Neque enim inanibus λογομαχίαις delectamur.

ANIMADVERSIO III.

Ad Differt. 1. Cap. 1. §. 5. p. 7.

HIC veram notionem vocabuli δικαιῶν, prout in hac controversia in Scripturis usurpatur, contra *Grotii* sententiam adserens, hôc argumentô utor: *Vox* δικαιῶν *tam apud* Paulum, *quàm apud* Jacobum *idem planè valet, quod* μισθὸν λογίζεσθαι, δικαιοσύνην λογίζεσθαι, εἰς δικαιοσύνην λογίζεσθαι· *mercedem imputare, justitiam imputare, ad justitiam imputare. Jam Imputationem notare actum Dei hominem justum æstimantis, non justum facientis, nimis manifestum est; neq; id* Grotius *ipse negare aut voluit, aut potuit.* Ad quæ tu hæc ad verbum notas: *Vir eruditus satis commodè statuit, & solidè probavit, Justificationem esse æstimationem hominis justi, qui justus sit* * *aliâ ratione quàm merâ judicis sententiâ. Deus justificat* τὸν ἀσεβῆ, *sed Christi Justitiæ participem per Fidem*, Rom. 4. 5. *Cæterùm mirè hallucinatur, cùm Justificationem cum præmio confundit; & S. Pauli verba non exactè perpendit, cùm* μισθὸν λογίζεσθαι & δικαιοσύνην λογίζεσθαι *idem valere in Apostolo affirmat.* S. Paulus *enim operanti mercedem non ex gratia, sed debito imputari dicit; sed credenti, & non operanti, imputari Fidem in Justitiam*, Rom. 4. 4, 5. *Attende diligenter & perpende, utrùm Apostolus usquam mercedem imputari credenti dixerit; & an locus* Davidis *ferre possit mercedis imputationem, factam illi, cui Fides imputatur ad justitiam absque Operibus v. 6.*

RE-

* Forte legendum, *non aliâ ratione.*

RESPONSIO ad Animadverſionem III.

§. 1. Quid in primo Animadverſionis tuæ membro tibi velis, vix ſatis intelligo, nec multùm meâ refert, intelligam nécne. Nam quicquid ſit, quod ibi dicis, conſenſum tuum & approbationem eorum, quæ à me dicta ſunt, exprimit. Itaque illud ſolum expendendum duxi, quod ſequitur, ubi dicis, *mirè hallucinatum me eſſe, cùm Juſtificationem cum præmio confundo.* Certè hîc ipſe apertè hallucinaris. Neque enim Juſtificationem *cum præmio*, ſed *cum præmii imputatione*, ſive *adjudicatione*, confundo, Apoſtoli *Pauli* authoritate ſatis manifeſtâ fretus. Sed & hoc te malè habet; ideóque alibi in Animadverſionibus plùs decies id in me reprehendis, quòd Imputationem præmii, ſive acceptationem hominis ad ſalutem ac vitam æternam, à Juſtificatione haud ſatis accuratè diſtinxerim. Nam ad pag. 9. *Diſſertationis primæ*, ubi cum Reformatis Theologis penè omnibus Juſtificationem peccatoris ex fœdere Evangelico hunc in modum deſcribo, *Eſt actio Dei more judicis ex lege Chriſti gratioſa abſolventis accuſatum, juſtum pronunciantis, atque ad præmium juſtitiæ, h. e, vitam æternam, acceptantis*, hæc notas: *Hæc de præmio interpolatio eſt intempeſtiva, & nullo Scripturæ loco nixa Juſtificationis explicatio. Vita æterna juſtitiam ſequitur. Sed in abſolutione ab omni peccati culpa & merito mortis, nullus eſt præmio locus, &c.* Et alibi ad pag. 12. quod affirmo, Juſtificari, & Deo ad ſalutem gratum eſſe, idem valere, id dicis, πρῶτον εſſe ψεῦδος, *quod præſumo, non probo, & hôc infirmo tibicine totam molem ædificii mei fultam nutare, & citò labaſcere.* Atque iterum ais, *me ad hanc* Petram *ſæpe pedem collidere.* Itaque plurimùm meâ intereſt hanc ſententiam meam ſolidis argumentis probare, atque à tuis Exceptionibus hîc illic in *Cenſura* ſparſis ſemel vindicare. Quod ut commodiùs faciam, hanc quæſtionem ex profeſſo diſcutiendam propono: *An notio Juſtificationis Evangelicæ neceſſariò includat præmii imputationem, ſive acceptationem hominis ad vitam ac ſalutem æternam?* Vel, *An Collatio juris ad Regnum cœleſte ſit propriè actus Juſtificationis Evangelicæ?* Ego affirmo; tu negas, qui inter Juſtificationem & præmii Imputationem diſcrimen tam latum ſtatuis, ut in *abſolutione ab omni peccati culpa* (quæ ſola, te judice, Juſtificatio eſt) *nullum eſſe præmio locum*, & *præmii adjudicationem à Juſtificatione longè diſtare*, fidenter affirmes ad p. 371. adeóque *actum Juſtificationis extraneum* appelles in notis ad *pag.* 18.

§. 2. Ad ſtatum autem quæſtionis rectè intelligendum illud adprimè obſervandum, non affirmare nos, vocabulum ipſum Juſtificationis per ſe præmii imputationem implicare. Non ſumus tam fungi aut ſtupidi, ut non probè intelligamus, Juſtificationem ibi reperiri poſſe, ubi præmio nullus locus eſt. Qui in *foro humano* furti, homicidii, vel alîus criminis incuſatur, ſi innocens ſit, judicis ſententiâ abſolvitur, i. e. juſtificatur; cui tamen, quòd fur vel homicida non ſit, nullum præmium ſtatuitur. Itaque fruſtra es, cùm ad paginam libri mei 31. à me interrogas: *num idem ſit Judicis actus, reum à crimine liberare, & gratum habere, ſive præmiô dignum cenſere?* Quis enim ſanus illud affirmaverit? Cæterùm in hac quæſtione loquimur (uti ſatis nôſti) de vocabulo Juſtificationis, ad *forum divinum*, & Legem ſive Fœdus Evangelicum, traducto. Juſtificationem autem Divinam, quæque ad normam fœderis Evangelici exigitur, non tantùm abſolutionem à peccatis, ſed & præmii imputationem continere, nulli dubitamus. Juſtificare per ſe ſignificat *juſtum aliquem pronuntiare*, atque *ut talem tractare.* Quem autem Deus juſtum pronuntiat, & ut juſtum tractat, ei non modò remittit peccati debitum; ſed & eum laudat, amat, & præmiô dignum cenſet, ut rectè hîc ſtatuit *Grotius.* Rem totam paucis complectar. Juſtificationis (ut ita dicam) *latitudo* ex Lege cenſenda eſt, ad cujus normam peragitur. Hinc qui in foro humano Judicis ſententiâ à crimine abſolvitur, hoc eſt, juſtificatur, ei præmium non adjudicatur; quia lex tale præmium inſonti nullum ſtatuit. At cùm in foro Divino, homo peccati quidem reus, ſed fide præditus, δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, ex fœdere Evangelico juſtificatur, ei non tantùm peccata remittuntur, ſed & jus ad præmium cœleſte adjudicatur. Quare? Quia Lex Evangelica credenti tale præmium ipſa decernit. Itaque in hoc foro, etiamſi non idem planè ſit reum à crimine liberare, & præmiô dignum cenſere, tamen utrumque actum ſub eodem Juſtificationis Evangelicæ beneficio contineri certum eſt; id quod ſolum affirmavimus. Statu quæſtionis ita poſitô, ſententiæ noſtræ veritas jam ſatis elucet, ut vix opus ſit in hac controverſia diutiùs immorari. Verùm, quia hæc Animadverſio tuæ in librum meum *Cenſuræ* fere prora & puppis eſt, quam ubique penè ad nauſeam repetis, quâque, veluti machinâ quâdam adhibitâ, totam ædificii noſtri molem corruere gloriaris; ideo viſum eſt, rem

Diſcuſſ. 39.

rem hanc fusiùs demonstrare, tum Scripturæ testimoniis, tum rationibus atque argumentis Scripturâ innixis : expensis quoque, prout suis locis occurrunt, objectionibus, quæ à te in contrariam partem afferuntur.

§. 3. Scripturæ testimonia, quæ sententiam meam confirmant, primo in loco adducam. Initium faciam à loco quem in *Dissertationibus* jam attuli, nempe Rom. 4. v. 3. coll. cum v. 4. ubi notavi, Apostolum de Justificatione disputantem, quod priùs dixerat, ἐλογίσθη εἰς δικαιοσύνην, postea hâc phrasi exprimere, μισθὸς λογίζεται. Hinc infero, *imputare aliquid alicui in justitiam*, & *imputare alicui ob aliquid præmium*, ἰσοδυναμοῦντα esse. Hîc ais, *me in Apostolo exponendo hallucinari, cùm ille præmii imputationem neget, quando Fidei imputationem asserit, v.* 5. Itidem in Animadversione, quam præ manibus habemus, notas, *Paulum* dicere : *operanti mercedem non ex gratia, sed ex debito imputaris, sed credenti, & non operanti, imputari fidem ad justitiam.* Verùm egregiè hîc ipse hallucinaris. Neque enim simpliciter negat *Paulus*, credenti mercedem imputari, sed credenti mercedem imputari κατ' ὀφείλημα. Utrique scilicet, tam credenti, quàm operanti, mercedem imputari agnoscit, sed diversâ ratione; alteri ex debito, ex gratia verò alteri. Hic est *Pauli* sensus manifestus. Nam apertè distinguit Apostolus inter imputationem mercedis ex gratia, & ex debito. At quorsum hæc distinctio, si nullam statueret (quemadmodum tu sentis) mercedis imputationem, nisi quæ operanti, hoc est, ex debito, fiat? Cur igitur, inquies, Apostolus id quod v. 4. de operante negatum erat, ipsi scilicet mercedem imputari κατὰ χάριν, non repetit in sequenti oppositione, ac de credente affirmat hôc modo : *At credenti merces imputatur secundum gratiam*; sed planè aliter loquitur : *Credenti fides ejus imputatur in Justitiam?* Respondeo, quia eô ipsô, quòd credenti fides ipsius imputatur in justitiam, satis apparet, mercedem ei non ex debito, sed ex gratia imputari; ac proinde Justificationem ejus esse merè gratuitam : cùm *Fides* per se gratiam sonet, & debitum meritumque prorsus omne excludat. Vide quæ de hoc loco fusè disseruimus *Dissert.* 2. *cap.* 12. §. 22, 23. &c. Ubi tu, loco licèt exigente, ne γοῦ quidem dicis, quod ad hanc rem pertinet. Præterea ibi dicit Apostolus, *mercedem credenti imputari*, ubi dicit, *fidem credenti ad justitiam imputari*. Nam cùm res aut factum quippiam in Scripturis dicitur alicui imputari ad justitiam, certum est, phrasi istâ notari Divinam approbationem, vel, Deum factum illud pro laudabili habere, sive pro tali, cui ex immensa sua bonitate mercedem tribuendam esse statuit. Sic ultio illa, quam zelô Dei accensus de idololatris sumpsit *Phinees*, dicitur *ei in justitiam reputata*, vel *imputata*, Psal. 106. 30. hoc est, à Deo habita pro facto laudabili, ac remuneratione digno. Illud ex ipsa historia liquet *Num.* 25. 12. ubi disertè legimus, Deum propter zelum *Phineæ* mercedem ingentem & ipsi, & posteris ipsius adjudicâsse. Vide doctissimum *Hammondum* in locum Psalmistæ. Hinc autem obiter novum & validissimum sententiæ nostræ confirmandæ argumentum colligimus. Certum est, *hominem justificari ex fide*, & *fidem homini ad justitiam imputari*, pro eodem in Scripturis poni. Illud multis Scripturæ testimoniis inter se collatis adversus *Grotium* ostendi *Dissert.* 1. *cap.* 1. Sed tu hîc cum *Grotio*, quem alioqui cane pejùs & angue oderis, sentire maluisti, (idque contra Theologos Roformatos penè omnes) quàm apertissimæ veritati manus dare. Ideóque duo ista dicis (& dicis tantùm) sensu inter se revera discrepare. Verùm ex Scripturis discrepantiam ostende, & ad loca omnia à me indicata, séque inter collata, responde, si poteris. Interim progredior. Æquè certum est, phrasi, quâ cui quid ad justitiam imputari dicitur, præmii adjudicationem vel imprimis significari. Quid verò ex his sequitur? Scilicet, Justificationem, de qua in Scripturis Novi Testamenti agitur, suo ambitu comprehendere præmii imputationem, sive acceptationem hominis ad salutem vitamque æternam : ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Sed ad alia jam loca progredior.

Harm. Apost. p. 37.

Harm. Apost. p. 8.

§. 4. Locus illustrissimus, quémque nullô artificiô possis eludere, occurrit Rom. 5. v. 18. *Nempe igitur, sicut per unius offensam reatus venit in omnes homines ad condemnationem; ita per unius justitiam beneficium redundavit in omnes homines* εἰς δικαίωσιν ζωῆς, i. e. *ad Justificationem vitæ.* Hîc Justificatio, quæ Fidelibus per Christum contingit, non simpliciter dicitur δικαίωσις, *Justificatio*, vel δικαίωσις ἀπὸ θανάτου, *Justificatio à morte*, seu pœnâ peccati; sed δικαίωσις ζωῆς, *Justificatio vitæ*, hoc est, Justificatio vitalis seu vivifica; quippe quæ non tantùm a morte liberet, sed & vitam cœlestem atque æternam beatitudinem afferat. Apprimè quoque notandum est, Apostolum versu præcedente ex professo celebrare voluisse τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης, *exundantiam gratiæ & doni Justitiæ*, sive Justificationis per Christum; nempe, quòd donum illud Justificationis non consistit vel subsistit in sola

liberatione à morte, quam peccatô meriti ſumus, ſed ulteriùs progreditur, & nobis dat, ut ἐν ζωῇ βασιλεύωμεν, *in vita regnemus per Jeſum Chriſtum*. Quid clariùs dici potuit?

§. 5. Firmum quoque pro noſtra ſententia Argumentum peti poteſt ab iis Scripturæ locis, ubi *hæredem fieri*, nempe Regni cœleſtis, & *juſtificari*, pro eodem ponuntur, ut *Rom.* 4. 13, 14. *Gal.* 3. 18. *coll. verſ.* 21. *Col.* 3. 24. Iſtis verò addi poſſunt textus omnes, in quibus *Juſtificatio*, *Vita*, & *Salus*, promiſcuè uſurpantur, Quæ enim alia ratio hujus promiſcui usûs aſſignari poteſt præter hanc, quòd in Juſtificatione jus ad ſalutem vitámque æternam nobis conferatur? Unicum locum adferam, nempe *Gal.* 3. 11 *Neminem autem per legem juſtificari apud Deum, manifeſtum eſt; quoniam juſtus ex fide vivet.* Ubi probat Apoſtolus, juſtificari hominem non ex Lege, ſed ex Fide, hôc teſtimoniô, quòd homo *ex fide vivit.* Argumentum autem Apoſtoli ſcopæ eſſent diſſolutæ, niſi vera eſſet hypotheſis noſtra, nempe, *juſtificari*, & *jus ad vitam*, nempe æternam, *habere*, ἰσοδυναμοῦντα eſſe. Atque hactenus de Scripturæ teſtimoniis.

Vide *Roman.* 10. 5. *Gal.* 3. 8, 9, 21.

§. 6. His autem expreſſis Scripturæ teſtimoniis duo argumenta adjungam, quæ etiam fundamentis in Scriptura poſitis nituntur, atque ex eadem per manifeſtam conſequentiam deducuntur. 1. Qui ex fœdere Evangelico juſtificatur, is hôc ipſô jus habet ad beneficia omnia, quæ in illo fœdere continentur; Atqui inter beneficia in Evangelico fœdere contenta primarium, & cæterorum omnium complementum, eſt ſalus & vita æterna: Ergo qui ex fœdere Evangelico juſtificatur, eô ipſô jus habet ad ſalutem & vitam æternam. Minor hîc propoſitio extra controverſiam eſt. Ad Majorem quod attinet, his rationibus confirmatur. Primò, ſi ex Juſtificatione Evangelica jus non habemus ad beneficia omnia quæ in Evangelico fœdere continentur, tum Juſtificatio Evangelica eſt quiddam imperfectum; quod Chriſtianis auribus abſonum videbitur. Deinde, quiſquis ex fœdere Evangelico juſtificatur, eum integram fœderis Evangelici conditionem, pro ſtatu in quo eſt, præſtitiſſe oportet. At qui integram fœderis Evangelici conditionem præſtitit, is jus habeat neceſſe eſt ad beneficia omnia in illo fœdere contenta; quippe quæ à conditione illa pendeant. Hîc dico, (quod notandum eſt) quemvis juſtificatum præſtitiſſe integram fœderis Evangelici conditionem, *pro ſtatu in quo eſt.* Quibus verbis hoc volo: Quiſquis fide in Chriſtum δι' ἀγάπης ἐνεργουμένης præditus eſt, is eô momentô præſtitit integram fœderis Evangelici conditionem, quæ in ſtatu, in quo eſt, ab ipſo requiritur, etiamſi jugis & pia operatio adhuc deſit; proinde ex fœdere illo juſtificatur, atque ad omnia fœderis ejuſdem beneficia jus habet. Ab eodem verò, ſi tempus conceditur, jugis & pia operatio, ſive tractus & ſeries factorum conſpicuorum, quam Græci Patres πολιτείαν vocant, requiritur; quod in *Diſſertationibus* meis alicubi notavi. Itaque hæc conditio jugis operationis in Evangelico fœdere non abſolutè requiritur, ſed ex hypotheſi; nempe, ſi Deus vitam largitus fuerit. Denique, *Paulus* ipſe Rom. 4. v. 6, 7. &c. ex *Davide* aſſerit μακαρισμὸν, ſive perfectam *beatitudinem*, *hominis, cui Deus juſtitiam imputat*, hoc eſt, quem Deus juſtificat. Atqui perfectè beatus non eſſet homo à Deo juſtificatus, ſi quô fœderis Evangelici beneficio deſtitueretur; multò minùs ſi ad primarium Evangelii beneficium, vitam nempe æternam, in qua unica beatitudo hominis conſiſtit, jus adhuc haberet nullum.

§. 7. Altera ratio, quæ priorem confirmat, hæc eſt: Apud omnes in confeſſo eſt, hominem juſtificatum, qui eô ipsô temporis momentô, quô juſtificatur, moreretur, proculdubio ſalvum, hoc eſt, æternæ vitæ participem, fore. Atqui omnes vident, hanc hypotheſin certam non fore, niſi certa eſſet noſtra, nempe, in Juſtificatione jus homini ad ſalutem ac vitam æternam conferri.

§. 8. His omnibus ſatis me demonſtrâſſe puto, Juſtificationem hominis peccatoris, quæ in Evangelio promittitur, ſuo ambitu comprehendere non modò abſolutionem à peccatis, ſed & præmii imputationem, ſive acceptationem hominis ad ſalutem ac vitam æternam. Illud mantiſſæ loco addam: ex ſententia tua, ſi vera eſſet, (prout eſt falſiſſima) nempe, Juſtificationem in Scripturis Novi Teſtamenti ab acceptatione ad ſalutem diſtingui, nihil detrimenti cauſæ, quam in libro noſtro agimus, acceſſurum; modò illud concedatur, (quod tu ultrò fateris) duo iſta res eſſe ita inter ſe connexas atque inſeparabiles, ut qui juſtificatur, jus etiam ad ſalutem ſemper habeat. Nam hôc conceſſô, inconcuſſa manent argumenta illa omnia, quibus probo, fidem ſimplicem virtutem ad Juſtificationem non ſufficere, ex eo quòd fides ad id non ſufficit, ut quis Deo ad ſalutem gratus ſit. Nam rerum ita inter ſe connexarum diverſas conditiones ſtatuere, perquàm abſurdum foret. Itaque tota hæc Diſputatio tua tandem in inutilem λογομαχίαν recidat, neceſſe eſt.

ANIM.

ANIMADVERSIO IV.

Ad Dissert. 1. Cap. 1. pag. 10.

DIco, cùm *Jacobus* affirmat, hominem ἐξ ἔργων δικαιοῦσθαι, particulâ ἐκ notari tantùm *conditionem præcedaneam*, quæ vulgò *causa sine qua non* dicitur, licèt revera vix causæ nomen mereatur. Tum addo: *Cùm dicitur homo* ἐκ πίστεως δικαιοῦσθαι, *particula* ἐκ *manifestè hôc sensu sumitur. Quippe ne ipsâ quidem fide, tanquam causâ principali, imo non ut causâ omnino, nisi impropriè dictâ, justificari aliquis dicitur.* Tu verò hîc notas: *Justificari fide*, ἐκ πίστεως, διὰ πίστεως, *cùm dicimur, fidei* ἐνέργειαν *causalem* * *justitiæ, quam per Christum adipiscimur,* ἐναργῶς *exprimitur.*

* Lege, ἐνέργειαν *causalis.*

RESPONSIO ad Animadversionem IV.

Si ego de quacunque alia nostra virtute hæc scripsissem, quàm citò, pro more tuo, exclamaturus fuisses: *horret animus, novum illud dogma legens.* Fidei hîc ἐνέργειαν tribuis Justitiæ causalem, ab ea distinctam, quæ ipsi ut conditioni fœderis Evangelici convenit; nam & hanc ipse agnosco. Sed, ut dixi, conditio est tantùm *causa sine qua non*, quæ vix causæ nomen mereatur. Tu verò altiùs assurgis, & præter istam, aliam ἐνέργειαν Justitiæ verè causalem fidei adscribis. Certè dogma hoc tuum verè novum est. Quæ enim Confessio Reformatarum Ecclesiarum fidei ἐνέργειαν Justitiæ causalem (ut loqueris) tribuit? Saltem Ecclesia nostra ab hoc tuo dogmate longissimè abhorret, quemadmodum *Dissert. 2. cap. ult.* liquidò ostendi. Imo Systematici illi tui, qui Instrumentalitatem, nescio quam, in negotio Justificationis fidei tribuerunt, hîc tamen à te dissentiunt. Quippe illi quidem fidem Justificationis instrumentum esse docent; sed *passivum* tantùm, seu *receptivum*, ut loqui amant: ἐνέργειαν verò Justitiæ causalem tecum fidei adscribere ausi non sunt, adeóque ab ea locutione abhorruerunt. Quàm sibimet consentaneè hac in re locuti sint isti, non laboro; siquidem mihi istic nec feritur, nec metitur. Sufficit monuisse, hanc loquendi formulam, ne apud tuos quidem, satis probatam esse. De *instrumentalitate* autem fidei, quam asseris, postea suô locô fusiùs agemus. Interim memineris, te in Justificationis negotio plus humano operi tribuere, quàm ego ausim ascribere.

ANI-

ANIMADVERSIO V.

Ad Differt. 1. Cap. 2. pag. 14.

INter alia Scripturæ Teſtimonia ad probandam *Jacobi* hypotheſin, verba allego *Petri* Apoſtolorum Principis, *Act.* 10. 34, 35. ἐκ ἔϛι προσωπολήπτης ὁ Θεὸς, ἀλλὰ ἐν παντὶ ἔθνει ὁ φοβούμενος αὐτὸν, καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην, δεκτὸς αὐτῷ ἐϛι. Quæ verba ita διαφορασικῶς expono: *Deus nullius perſonam reſpicit; is omnis & ſolus ei ad ſalutem* δεκτὸς *acceptus eſt, qui ipſum timet, & juſtitiam operatur.* Subjicio: *quid clarius?* Animadverſio verò tua ad hunc locum his verbis concepta eſt: *Revera quod* Petrus, *cui par eſt* Paulus, *dixit, eſt ſatis clarum; ſed nihil ad rem. Qui operatur juſtitiam, Deo* δεκτὸς. *Tu de tuo addis,* ad ſalutem; *quod* Petrus *non dixit. Certè* Cornelius, *qui ob juſtitiam ſuam fuit Deo gratus, nondum fuit ad ſalutem ſatis inſtructus, donec fide in Chriſtum eſſet imbutus. Sed neque pius Centurio, neque alius juſtitiæ operarius, eſt eô nomine juſtus in conſpectu Dei, & omni culpâ purus ob ſuam juſtitiam inhærentem. Cave ne Spiritui Sancto oggannias.*

RESPONSIO ad Animadverſionem V.

§. 1. Quòd *Petrum Apoſtolorum Principem* obiter dixerim, tibi diſplicuiſſe videtur; quanquam cum antiquiſſimis & probatiſſimis in Eccleſia Doctoribus hîc locutus fuerim. Verùm, ut illi, ita egomet, contra Pontificios, lubentiſſimus agnoſco, *Paulum*, aut quemvis alium Apoſtolum, quod vel Apoſtolicum munus, vel Regimen Eccleſiæ attinet, *Petro* fuiſſe parem. Sed illud tecum leviter perſtrinxiſſe ſufficiat. Ais autem, quod *Petrus* dixit, ſatis clarum eſſe, ſed nihil ad rem. Imo, inquam ego, ad rem meam quammaximè pertinet. Si enim nemo Deo ad ſalutem δεκτὸς eſt, niſi qui ipſum timet & juſtitiam operatur, tum nemo niſi qui talis eſt, juſtificatur; ſiquidem *Deo ad ſalutem acceptum haberi*, atque *à Deo juſtificari*, ἰσοδυναμοῦντα ſunt: quod & modò perſpicuè & fusè oſtendi. Verùm ais, illud, *ad ſalutem*, de meo additum eſſe: fateor; ſed additum à me eſt textu & re ipſâ ſuadente. Etenim hominem, qui Deum verè timet, & juſtitiam operatur, etiam ad ſalutem ipſi acceptum haberi, quis dubitat? Cæterùm quod dicis, *Cornelium* (cujus ſcilicet occaſione *Petrus* verba iſta protulit) nondum fuiſſe ad ſalutem ſatis inſtructum, donec fide in Chriſtum imbutus eſſet, illud quidem conſiderationem meretur. Centurionem illum fuiſſe *Judaicæ* religionis Proſelytum, ex eorum claſſe, qui *Proſelytæ portæ* dicebantur, hoc eſt, qui relictâ quidem Idololatriâ, vero *Iſraelitarum* Deo ſeſe dederant, nondum tamen circumciſioni cæteriſque Legis *Moſaicæ* ritibus ac ceremoniis ſe ſubjecerant, (quanquam video eſſe nunc dierum viros doctos, qui illud in dubium vocant) mihi extra controverſiam videtur. Nam præterquam quòd Centurio à *Luca* dicitur εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν Θεὸν, *Act.* 10. v. 1. & μαρτυρούμενος ὑπὸ ὅλης τῆς ἔθνους τῶν Ἰουδαίων, ibid. v. 22. (quæ verba religione Judaicâ illum inſigniter imbutum fuiſſe, non obſcurè indicant: illud quoque vel imprimis obſervationem noſtram meretur, *Petrum* in concione, quam habuit ad *Cornelium* ejuſque familiam, probâſſe, Jeſum eſſe Meſſiam, ex libris Prophetarum, v. 43: quod certè non feciſſet, niſi Centurioni, eiſque qui cum ipſo erant, Scripta Prophetica ſatis & nota atque approbata fuiſſent.

§. 3. Erat ergo *Cornelius* προσήλυτος ad religionem Judaicam, ſed inferioris ordinis, hoc eſt, גר שער *Proſelytus portæ*, non propriè dictus Proſelytus, גר צדק ſive גרית *Proſelytus juſtitiæ*, vel *fœderis*; quippe qui circumciſus non fuerit, uti diſertè legitur *Act.* 11. v. 3. De ſalute autem Proſelytarum hujus ordinis non eadem fuit Judæorum ſententia. Quidam eos à ſpe ſalutis omnino arcebant, ut apparet ex *Act.* 15. v. 1. Plerique verò mitiorem ſententiam ſecuti, pios hoſce ex Gentibus partem in futuro ſæculo habituros, lubentiſſimi crediderunt:

derunt. Cujus sententiæ suæ hanc firmissimam rationem adduxerunt, quòd ipsa circumcisio non erat imperata nisi *Abrahami* posteris, *Gen.* 17. 10, 11, 12. nec Lex *Mosis* nisi *Israelitis*. Hinc in celebri historia de *Izate Adiabenorum* Rege, quæ apud *Josephum* extat *Antiq. lib.* 20. c. 2. legimus, *Izatem* jam à cultu Idolorum ad unum & solum verum *Israelitarum* Deum conversum, hôc non contentum, ulteriùs progredi voluisse, atque ipsam circumcisionem pati ; νομίζοντα μὴ ἂν εἶναι βεβαίως Ιουδαῖον, εἰ μὴ περιτέμοιτο, *existimantem se non esse perfectum* Judæum, *nisi circumcideretur* : hoc verò consilium Doctori ipsius, *Ananiæ*, displicuisse, qui Regem monuerit, δυνάμενον αὐτὸν καὶ χωρὶς περιτομῆς τὸ θεῖον σέβειν, *licuisse ei etiam absque circumcisione Deum piè colere*. Sed quid hac de quæstione senserint *Judæi*, non multùm refert ; cùm apud Christianos omnes in confesso sit, *pios ex Gentibus*, qui verè pii erant, absque circumcisione Deo ad salutem placuisse. Talem autem fuisse *Cornelium*, ipsius Spiritûs Sancti testimoniô liquet, qui hôc ipsum (uti jam monui) elogio ornaverit, quòd fuerit εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν Θεόν. Quin & preces & eleemosynæ ejus dicuntur cœlum ascendisse εἰς μνημόσυνον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, *Act.* 10. v. 4. In quibus verbis (ut notârunt Interpretes eruditi) similitudo est sumpta à suffitu legali, qui propriè vocatur אזכרה, *Græcè* μνημόσυνον. Lev. 2. & alibi. Certè verba significant, *Cornelii* preces & eleemosynas Deo summè gratas & acceptas fuisse ; quod de Operibus hominis extra statum gratiæ & salutis positi dici non potuit. In hoc itaque statu si mortuus esset *Cornelius*, procul dubiô vitam ac salutem æternam consecutus fuisset. Nondum quidem explicitâ Christi fide imbutus erat, quia nondum audiverat Evangelium Christi, plenè ac dilucidè explicatum. Id verò postea simulatque à *Petro* factum fuit, pia anima Jesu Christi fidem avidissimè, atque ambabus (quod aiunt) ulnis amplexa est.

§. 4. Cùm post hæc dicis, neque pium Centurionem, neque alium Justitiæ (ut loqueris) operarium, fuisse justum in conspectu Dei, atque ab omni culpa purum, ob suam Justitiam inhærentem, si per verba illa, *ob suam Justitiam inhærentem*, intelligis, *propter meritum Justitiæ inhærentis*, ἀέρα δέρεις. Quis enim te hîc oppugnat ? Certè non ego, qui ubique merito omnis Justitiæ humanæ abrenuntio, atque in Jesu Christi charissimi Servatoris mei sacrificio, ut unica Justificationis ac salutis meæ causa meritoria, me confidere, palàm omnibus denuntio. Si professioni meæ toties repetitæ non credis, Deum testor καρδιογνώστην, me ista ex animo scripsisse. Post hæc tamen in *Animadversionibus* tuis id mihi vitio vertis passim, quòd ob suam inhærentem Justitiam, sive propter Opera sua, (hoc est, propter meritum Operum suorum) justificari hominem in Dei conspectu doceam. Hoc ad ravim usque ingeminas, cùm nihil præterea dicendum habes. Certè hæc Christianum non decent, nedum Theologum. Si in animo mihi esset, tibi vicem rependere, quàm facilè potuissem hanc calumniam in caput tuum retorquere ? Quantâ verisimilitudine, quàm specioso colore id potuissem ? Quippe *justificari hominem ob*, vel *propter*, *fidem suam*, *fidei* ἐνέργειαν *Justitiæ causalem* tribui debere, *Justificationem nostram in fide nostra fundari*, passim doces. An hinc concludam, te meritum fidei tribuere in Justificationis negotio ? Absit. Credo te aliud voluisse, etsi quid illud sit, planè nesciam.

§. 5. Postremô in loco mones, ut caveam, ne Spiritui Sancto ogganniam. Sed, bone Vir, quid vis ? An cui tua placita non arridٍent, statim is Spiritui Sancto oggannit ? Cave, ne Spiritum Sanctum ut somniorum tuorum Patronum, adeoque authorem, appellando, summæ ipsius Majestati summam injuriam facias. Quod unum hîc restat, Spiritum illum Sanctissimum, ἀδιάκλιτον, unicum veritatis doctorem supplex veneror, ut mihi tibique ad omnem veritatem necessariam nobísque utilem, lumine suo cœlesti, viam monstrare dignetur.

E ANIM.

ANIMADVERSIO VI.

Ad Differt 1. cap. 2. pag. 14, 15.

OBiter *Petri* locum adducens (Epist. 1. cap. 1. v. 2) noto, pulchrè humanæ salutis ordinem ibidem describi; præcedente scilicet ἁγιασμῷ πνεύματος εἰς ὑπακοὴν, *Sanctificatione Spiritûs ad obedientiam*; deinde sequente ῥαντισμὸν αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ, *aspersione sanguinis Jesu Christi*, scilicet ad Justificationem. Hîc Tu: *Quàm ineptè* Petrum *exponis, ut hypothesi tuæ inserviat? Quæro, annon Sanctificatio nostra, perinde atque Justificatio, aspersioni Sanguinis Christi accepta est referenda? Vid.* Tit. 2. 14. Heb. 9. 14. Apoc. 1. 5.

RESPONSIO ad Animadversionem VI.

Quàm verò tu hîc ineptè meam expositionem vellicas, ut malesanæ isti carpendi libidini indulgeas? Scio, Sanctificationem perinde ac Justificationem nostram Christi sanguini deberi; quippe Christus sanguine, hoc est, morte suâ, nobis impetravit non modò Justificationis, sed & Sanctificationis gratiam. Nihilominus qui Sanctificationem nostram Spiritui Christi, remissionem verò peccatorum nostrorum, (quæ Justificationis nostræ pars non minima est) Christi Sanguini ejúsque aspersioni in Scripturis appropriatè tribui non animadvertit, næ is Sacros Libros nunquam eâ, quâ par erat, curâ ac diligentiâ lectitavit. Hujus phraseologiæ sacræ causas investigare nunc non vacat. Si verò ineptus sit, qui hîc in verbis *per aspersionem sanguinis Jesu Christi*, Justificationem, sive remissionem peccatorum, propriè intelligit, tum inepti fuere maximi Interpretes, *Erasmus* & *Estius*; imo (quod nefas dicere) ipse *Calvinus* tuus ineptiit. *Erasmus* in locum: *Sentit illos hoc ipsum debere Deo, quod delecti sint ad Fidei gratiam, quam hîc obedientiam vocat, ut per hanc purgarentur à peccatis aspersione Sanguinis Jesu.* Similiter *Estius*: *Vocatur autem remissio peccatorum, aspersio Sanguinis Jesu Christi; quia per Christi Sanguinem nemo mundatur à peccatis, nisi fuerit eô aspersus; i. e. nisi applicatum sibi fuerit Christi patientis meritum. Quæ quidem aspersio sive applicatio fit per obedientiam Fidei.* Ubi habes (nî fallor) ipsissimam loci sententiam. Denique *Calvinus*: *Videtur obedientiæ nomine intelligere vitæ novitatem, per aspersionem verò Sanguinis Christi, remissionem peccatorum designare.*

ANNOTAT.

Ad Respons. ad Animadvers. VI.

NON possum non ad confirmandum atq; illustrandum sensum loci Apostolici, à Cl. Authore traditum, annotare, quod S. Petrus in inscriptione hujus ad Judæos nuper conversos Epistolæ, præmittens *obedientiam* illorum *aspersioni Sanguinis* JESU Christi, respexerit ad id, quod Moses cum Patribus eorum recens ex Ægypto eductis egit. Nimirum *scripsit Moses universos sermones Domini, & manè consurgens ædificavit altare Domino ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Israel. Misitq; juvenes de filiis Israel, & obtulerunt holocausta, immolaveruntq; victimas*

mas pacificas Domino, boves. Tulit itaque Moses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras; partem autem residuam fudit super altare. Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo, qui dixerunt: Omnia, quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes. *Ille verò sumtum* sanguinem respersit *in populum, & ait:* Hic *est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.* Exod. XXIV. 4, 5, 6, 7, 8. Quemadmodum igitur Moses sanguinem fœderis per sacrificium icti non respersit in populum ad emundationem carnis, nisi postquam is obedientiam pollicitus erat; ita & nos non possumus esse ῥεῤῥαντισμένοι τὰς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς, *adspersi corda à conscientia mala*, Hebr. X. 22. nec *sanguis Christi, qui per Spiritum æternum semetipsum obtulit Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis*, Hebr. IX. 14. nisi priùs firmiter in corde proponamus, & ore promittamus, obedientiam legibus à Christo latis præstandam. Igitur S. Joannes quoque cap. 1. Epistolæ suæ vers. 7. ait: *Si in luce ambulamus, sicut ipse est in luce, societatem habemus ad invicem, & sanguis Jesu Christi, filii ejus, emundat nos ab omni peccato.* Atque hinc factum est, ut jam inde à primis Ecclesiæ primordiis nemo sanguine Christi per Baptismum aspersus fuerit, nisi obedientiam Divinorum mandatorum priùs pollicitus: quod est ipsum συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς θεὸν 1 Pet. III. 21. atque *sponsio salutis*, ut à Tertulliano lib. de Baptismo appellatur. Neque sanguinem novi fœderis in sacrificio Eucharistico bibere datum fuit, nisi ὅτως βιῶντι, ὡς ὁ χριστὸς παρέδωκεν, *ita ut Christus tradidit, viventi*, teste Justino M. Apol. 1. p. 128. nostræ edit. Sic ubique *obedientia aspersionem sanguinis Christi* meritò præcedit.

ANIMADVERSIO VII.

Ad Dissert. 1. Cap. 2. pag. 15. §. 6.

HIc Testimonia Scripturæ profero, in quibus Opera quædam specialia tanquam ad Justificationem omninò necessaria præscribuntur. Atque iis præsertim locis insisto, quæ *pœnitentiam*, sive *resipiscentiam* exigunt, ut conditionem præcedaneam, sine qua nemo peccatorum veniam à Deo obtineat. In tam uberi Testimoniorum segete duobus locis contentus sum, nempe, *Act.* 2. 38. & 3. 19. Dico his in locis præter Fidem, etiam Resipiscentiam à peccatis, & Conversionem ad Deum, ad remissionem peccatorum sive Justificationem necessariò requiri. Tu ad hæc: *Marc.* 1. 15. *Resipiscentiam cum Fide tanquam conditiones Evangelii geminas Christus conjunxit, & malè sit illi, quicunque separet. Sed produc locum, si poteris, qui Justificationem Pœnitentiæ attribuit. Justificatio non est idem, quod remissio peccati. Sapientia justificatur, Deus justificatur, Christus justificatus fuit; sed nullus est hîc locus remissioni. Job justificatus fuit à calumnia Diaboli, & censura iniqua amicorum; neque tamen per peccati remissionem, sed per integritatis probationem. Israelitis Deus ignovit, quos non justificavit*, Psal. 78. 38.

RESPONSIO ad Animadversionem VII.

§. 1. Mirabitur, nullus dubito, cordatus Lector, qui te tuaque nondum intelligit, quid in hac *Animadversione* tibi velis. Sed ego te jam intùs & in cute novi. Hîc causæ tuæ fortuna penè omnis sita est. Hîc si viceris, erit quod de cætero triumphum tibi decernas. Sin etiam hæ tuæ copiæ facilè (quod auguror) in fugam vertuntur & dissipantur, aciem redintegrandi nulla tibi spes restat. Itaque Lectorem obtestor, ut quæ hîc utrinque dicenda sunt, acriori judicio perpendat. Pœnitentiam conditionem esse in fœdere Evangelico necessariò requisitam, fateris; Justificationis verò conditionem esse negas. Non negas, Pœnitentiam ad remissionem peccatorum necessariò requiri; sed ad Justificationem requiri negas: Quippe remissionem peccatorum à Justificatione rem planè diversam esse asseris. Itaque omnis hîc controversia ad quatuor capita revocari potest.

poteſt. 1. *An detur conditio aliqua propriè ſic dicta fœderis Evangelici, quæ non ſit etiam Juſtificationis Evangelicæ conditio?* 2. *An datô, fœderis & Juſtificationis Evangelicæ conditionem eſſe poſſe diverſam, certum tamen non ſit, Fidem & Pœnitentiam unius ejuſdemque beneficii, puta Juſtificationis Evangelicæ, conditiones eſſe.* 3. *An remiſſio peccatorum Juſtificationis Evangelicæ notionem ipſam, ſive definitionem, ingrediatur?* Vel; *An notio Evangelicæ Juſtificationis in ſe neceſſariò includat peccatorum remiſſionem?* 4. *An datô, Remiſſionem peccatorum in Juſtificationis Evangelicæ notione non neceſſariò includi, certum tamen non ſit, utriuſque beneficii, nempe, tum remiſſionis, tum Juſtificationis Evangelicæ, conditionem prorſus eandem eſſe?* Has quæſtiones ſigillatim & propoſito ordine diſcutiemus.

§. 2. Quæſtio prima eſt, *An detur conditio aliqua propriè ſic dicta fœderis Evangelici, quæ non ſit etiam Juſtificationis Evangelicæ conditio?* Illud tu affirmas, dum Pœnitentiam Evangelii conditionem eſſe fateris à Chriſto cum Fide conjunctam, *Marc.* 1. 15. & tamen me impugnas, qui Pœnitentiam Juſtificationis conditionem eſſe dixerim. Sed & alibi te pleniùs explicas, nempe in notis ad libri mei p. 25. ubi hæc verba tua lego: *Sæpe cogor repetere, diſtinguendam eſſe foederis conditionem à Juſtificationis fundamento. Multæ ſunt fœderis Evangelici conditiones; unicum eſt ex parte noſtra fundamentum Juſtificationis; ſcilicet, Authore* Paulo, *Fides.* Hîc *per Juſtificationis fundamentum ex parte noſtra,* (ſi propriè loqueris) conditionem ex parte noſtra ad Juſtificationem requiſitam intelligis. Quippe omne *jus* fundatur in titulo, & titulus eſt *fundamentum juris.* Hunc juris titulum, ſive fundamentum, Theologi in hac queſtione *conditionem* appellant. Quod vocabulum à *Juriſconſultis* quoque uſurpatur, atque ita ab ipſis definitur: *Conditio eſt diſpoſitionis ſuſpenſio ex eventu incerto futuro, ei appoſito.* Ais itaque, cùm multæ ſint Fœderis Evangelici conditiones, unicam tamen Juſtificationis eſſe conditionem, nempe Fidem. Huic tuæ theſi, veluti antitheſin, hanc aſſertionem oppono: *Una eademque eſt conditio propriè dicta Fœderis & Juſtificationis Evangelicæ.*

§. 3. Hìc autem quædam præmittenda, ad ſtatum quæſtionis definiendum neceſſaria. Primò obſervandum, per *conditionem* Evangelii intelligi hîc, non quicquid in Evangelio præcipitur, ſed id ſolùm, quod ſub periculo animæ requiritur; hoc eſt, ex quo vita hominis & ſalus æterna ita ſuſpenditur, ut, eo præſtito, ſalutem homo aſſecuturus ſit, aliàs nequaquam. Scilicet id propriè JCtis conditio dicitur, (uti modò notavi) ex quo *diſpoſitio* ſuſpenditur. Præcipitur in Evangelio, ut ab omni peccato, ὅσον δύναμις, quantum fieri poteſt, abſtineamus; Atqui hoc non requiritur ſub periculo animæ, ſive ſub pœna mortis (ut loquuntur Scholaſtici) irrevocabili; tum enim vel pauci admodum, vel revera nulli ſalutem aſſequerentur. De tali conditione quæſtionem intelligi debere, hinc apparet, quòd controverſia movetur de *Fide* & Pœnitentia; quorum utrumque *ſub periculo animæ requiri* omnes fatentur. 2. Notandum eſt, aliquid requiri poſſe ut neceſſarium ad ſalutem duplici ratione, nempe, vel *abſolutè*, vel *ex hypotheſi.* Abſolutè requiruntur Fides & Pœnitentia, & quæcunque ad harum eſſentiam neceſſariò pertinent; hoc eſt, virtutes Chriſtianæ omnes, in quibus ἡ θεῖα φύσις, ſive cœleſtis nativitas, ſita eſt, quæque ſub iſtis duobus nominibus in S. Scriptura comprehenduntur. Quippe ſine his nemo unquam ſalutem aſſecutus eſt, nemo in æternum aſſecuturus. Fidei verò & Poenitentiæ fructus digni (qui omnes *bonæ vitæ*, ſive *ſanctæ converſationis* nomine ſignificari ſolent) requiruntur ex hypotheſi; nempe, ſi Deus vitam atque opportunitatem conceſſerit. His præmiſſis, duas Theſes, (quæ totidem Argumenta pro ſententia noſtra continent, eaque validiſſima) demonſtrandas propono.

§. 4. Theſis prima: *Nihil in Fœdere Evangelico ſub periculo animæ abſolutè requiritur, quod non ad Juſtificationem requiritur.* Propoſitionem hanc certiſſimæ veritatis eſſe, hâc ratione evidenter demonſtro: Si quid in Fœdere Evangelico ſub periculo animæ abſolutè requireretur, quod non in eodem Fœdere ad Juſtificationem quoque requiſitum ſit, tum fieri poſſet, ut quis omnia ad Juſtificationem requiſita præſtiterit, adeóque juſtificatus fuerit, qui nondum omnia præſtiterit, quæ in Fœdere Evangelico ſub periculo animæ abſolutè requiruntur. Hinc verò ſequeretur, hominem juſtificatum, dum juſtificatus eſt, æternâ ſalute poſſe deſtitui, adeoque in ſempiternum damnari. Hanc autem concluſionem quis Chriſtianus non totô animô averſetur? Res certè clara & manifeſta eſt, neque ulteriori explicatione indiget.

§. 5. Theſis ſecunda: *Nihil in Fœdere Evangelico ſub periculo animæ ex hypotheſi requiritur, quod non eatenus ad Juſtificationem etiam requiritur.* Bonorum Operum tractus ille & πολιτεία (de qua ſæpiùs dixi) ſub pericu-

riculo animæ requiritur ex hypothesi, nempe, si Deus vitam atque opportunitatem concesserit; atque ex eadem hypothesi ad Justificationem etiam requiritur. Qui, gratiâ Dei in Christo per Fidem ac Pœnitentiam adeptâ, non deinceps in continuo bene operandi cursu progreditur, sed peccatis conscientiam vastantibus se polluit, is à jure suo ad salutem excidit, & proinde à Justificatione sua; nisi verò statueris, hominem in statu Justificationis adhuc manentem, è jure salutis posse excidere, quod absurdissimum esse modò ostendi, & per se liquet. Vide quæ diximus *Dissert.* 2. *cap.* 12. *n.* 29. & quæ ex doctissimo *Davenantio* citavimus ejusdem *Dissert. cap.* 18. *n.* 10. Fundamentum autem harum duarum Thesium in hac tertia situm est: *In Justificatione hominis Deus ipsi jus ad salutem confert*; quam Propositionem fusè demonstravi in *Respons. ad Animadvers.* 4am. Hinc enim consequentia est radiis Solaribus descripta: nihil in Evangelio requiri posse ad jus Regni cælestis sive acquirendum, sive retinendum, quod non etiam ad Justificationem sive adipiscendam, sive conservandam, pariter requiratur. Atque hactenus de prima quæstione.

§. 6. Quæstio secunda est: *An datô, Fœderis & Justificationis Evangelicæ conditionem esse posse diversam, certum tamen non sit, Fidem & Pœnitentiam unius ejusdémque beneficii, puta Justificationis Evangelicæ, conditiones esse?* Hic paucis agam. Fidem ad hominis Justificationem necessariò requiri fateris. Quin etiam agnoscis, Pœnitentiam in Evangelico Fœdere necessario requiri; sed ad Justificationem requiri negas. Ego verò Pœnitentiam quoque in Evangelico Fœdere, idque ad Justificationem hominis, necessariò requiri, his argumentis probo. *Primò*, Præceptum Pœnitentiæ in lege Evangelica homini peccatori à statu gratiæ ac salutis adhuc alieno imponitur, ut officium imprimis ab eo præstandum; ut Deum sibi ob peccata iratum atque infensum, propitium habeat, sive ut Deo (quemadmodum tu loqueris) reconcilietur. Hæc est constans & perpetua Sacrarum literarum doctrina, cujus operosa probatio apud Christianos, qui in Scripturis planè hospites non sunt, supervacanea foret. Ideoque ipse in notis ad pag. 7. libri mei disertè fateris, *Pœnitentiam ad reconciliationem à Deo requisitam esse.* Hinc verò ita argumentor: Quicquid ad reconciliationem hominis cum Deo requiritur, ad justificationem hominis requiritur. At Pœnitentia ad reconciliationem hominis cum Deo requiritur: Ergo, &c. Minoris veritatem in terminis ipse agnoscis. Major propositio ita facilè probatur: Si quicquid ad reconciliationem hominis cum Deo requiritur, ad Justificationem hominis non requireretur, tum fieri posset, ut qui omnia, quæ ad justificationem requiruntur, præstitit, adeóque revera justificatus sit, nondum tamen ea præstiterit, quæ ad reconciliationem cum Deo requiruntur, proinde nondum cum Deo reconciliatus sit. Sed falsissimum est consequens; ergo & antecedens. Hominem justificatum, eo ipso quòd justificatur, Deo reconciliatum esse, vix sanæ mentis est, qui negaverit. Hinc ipse, quanquam satis absurdè, negas, hominem justificatum, eo ipso quòd justificatur, Deo ad salutem acceptum haberi; agnoscis tamen, hominem justificatum, idque eo ipso quòd justficetur, à reatu omnium peccatorum absolvi, justumque à Deo pronuntiari; proinde iræ divinæ peccatis debitæ non ampliùs obnoxium esse.

§. 7. Alterum nostrum Argumentum priori vicinum atque affine hujusmodi est: Pœnitentia aut ad Justificationem hominis requiritur, aut non omnino requiritur. Requiri fateris. Si autem requiritur, vel ab homine justificando requiritur, vel ab homine jam justificato. Non requiri Pœnitentiam ab homine jam justificato, evincunt verba Domini nostri de justis hominibus dicentis (*Luc.* 15. 7.) ὅτι χρείαν οὐκ ἔχουσι μετανοίας, *quòd non indigeant pœnitentiâ*; nempe universali illâ, quâ totum vitæ genus mutatur, atque à statu peccati ac mortis in statum gratiæ & salutis fit migratio; de qua sola hîc loquimur. Itaque requiritur hæc Pœnitentia ab homine justificando, atque in ordine ad Justificationem. Justificationem antecedit, & disponit hominem ad Justificationis gratiam accipiendam. Divina enim Misericordia (ut loquitur *Davenantius* noster) non justificat stipites, hoc est, nihil agentes, neque equos & mulos, hoc est, recalcitrantes, & libidinibus suis obstinatè adhærescentes: sed homines, eosdemque compunctos & contritos, ac Verbi Spiritûsque Divini ductum sequentes. Certè prodigii instar habendum est, viros doctos & cordatos in tanta luce cæcutire posse. Transeo ad tertiam quæstionem.

§. 8 Quæstio tertia est: *An Remissio peccatorum Justificationis Evangelicæ notionem ipsam, sive definitionem, ingrediatur?* Sive, *An notio Justificationis Evangelicæ in se includat peccatorum Remissionem?* Ego affirmo, tu negas. In qua tua sententia Patrem doctissimum *T. G.* (cujus laudes, te etiam tacente, lubens prædicâssem) secutum te esse, cognovi ex Opere ejus posthumo & imperfecto, quod haud ita pridem (paternæ existimationi

iſtimationi malè conſulens) typis evulgâſti. Sed liceat hìc mihi (mutato nomine) verbis uti, quæ tu de *Hammondo* noſtro, Viro ſummo, certè Patri tuo ad minimum pari, ſcripſiſti in notis ad libri mei pag. 6. *Doctiſſimus & pientiſſimus* T. G. *cujus memoriam cum honore recolo, non fuit infallibilis, & in hoc argumento ſæpe ceſpitavit.* Vidi ego forte fortunâ Codicem MS. in quo amicum certamen de Juſtificationis controverſia ineunt Theologorum par non ignobile. Ibi reperio Schema Juſtificationis, Patris tui nomen præferens, valde ingenioſum quidem (hoc eſt, Authori ſuo ſimile) & non exiguo labore delineatum ; ſed tale tamen, quod, ſi rem ipſam ſpectes, utrique viro docto diſplicuiſſe comperio. Quod verò in præſenti controverſia ſenſit Vir doctiſſimus, & tu defendendum ſuſcepiſti, certè mirum & novum eſt, atque à ſententia Theologorum Reformatorum penè omnium nimis alienum. Sed ad rem ipſam. In hac quæſtione eventilanda, primùm ſententiam meam adſtruere, deinde tuam & Patris opinionem refellere conabor. Penſum illud prius hâc methodo abſolvam : primò, ſtatum quæſtionis explicabo ; tum ſententiæ meæ argumenta proferam : denique, ad objectiones tuas Patriſque reſpondebo.

§. 9. Primò ad ſtatum quæſtionis quod attinet, 1ò notandum eſt, non affirmare nos, remiſſionem peccatorum omne illud eſſe, quod eſt Juſtificatio ; vel univerſam, quaquaverſus patet, Juſtificationis Evangelicæ notionem complere. *Juſtificare* (prout in hac quæſtione vocabulum uſurpatur in Scripturis N. T.) plus eſt quàm peccata remittere. Nimirùm Juſtificatio Evangelica præmii quoque imputationem continet, ut ſuprà pluribus oſtendi. Itaque illud ſolum affirmamus, remiſſionem peccatorum notioni Evangelicæ Juſtificationis includi & contineri, ſive actum aliquem eſſe Juſtificationis Evangelicæ. Tu verò ex adverſo diſertè affirmas, (in notis ad libri mei p. 18.) *Remiſſionem peccatorum actum eſſe Juſtificationi prorſus extraneum.* 2ò Obſervandum, non affirmare nos, vocabulum Juſtificationis per ſe peccatorum remiſſionem implicare. Scimus & fatemur, Juſtificationem ibi reperiri poſſe, ubi remiſſioni locus ſit nullus. In foro humano, ſi homo culpæ inſons in jus vocatur, per juſti Judicis ſententiam ex lege abſolvitur, hoc eſt, juſtificatur ; cui tamen, utpote criminis experti, nihil remittitur. Itaque fruſtra ſudas probando id, quod nemo ſanæ mentis unquam negavit. Memineris, bone vir, controverſiam moveri de *Juſtificatione Evangelica*, ſive de Juſtificatione hominis peccatoris ex Lege Evangelica. Hìc autem fidenter, & abſque hæſitatione ulla pronuntiamus, Juſtificationem Evangelicam neceſſariò peccatorum remiſſionem in ſe includere, adeóque hominem peccatorem ex fœdere Evangelico juſtificari aliâ ratione non poſſe, quàm per peccati remiſſionem. *Grotius*, pro more ſuo, paucis omnia complectitur, (*lib. de Satisfact. Chriſti* cap. 1.) *Juſtificatio*, (inquit) *ut notum eſt, paſſim in S. Literis, ſed maximè in Epiſtolis Paulinis abſolutionem ſignificat, quæ præſuppoſitô peccatô, conſiſtit in remiſſione peccatorum, ipſo* Paulo *ſemet clarè explicante, præſertim* Rom. 4. 2, & 6. Atque utinam Vir ſummus ab hac maximè genuina Juſtificationis notione non poſtea ad alienam deflexiſſet. 3ò Apprimè notandum eſt, nos, cùm remiſſionem peccatorum Juſtificationis notioni includi & contineri affirmamus, *nudam* & ſimplicem peccatorum remiſſionem non intelligere ; ſed ejuſmodi remiſſionem, quæ interveniente Satisfactione, & ex pacto ſive lege aliqua, & ſub certis conditionibus conceditur. Nimirum de Juſtificatione Evangelica (quod ſæpe cogor repetere) controverſia eſt, proinde de ea peccatorum remiſſione, quæ ex fœdere Evangelico ſanguine Chriſti ſancito, & ſub certis conditionibus, in eodem fœdere præſcriptis & requiſitis, conceditur. Qui ad hæc tria attendit, is facilè ſententiæ noſtræ veritatem perſpiciet, atque objectiones omnes tuas Patriſque in contrariam partem allatas, ſine aliis adminiculis, diluere per ſe potis erit. Nihilominus tamen in eventilatione quæſtionis ſecundùm Methodum propoſitam progrediar.

§. 10. Itaque ſecundô in loco argumenta ſententiæ meæ proferenda ſunt. Hîc autem ſolis Scripturæ teſtimoniis pugnabo. Quippe Juſtificatio Evangelica quid ſit, optimâ & certiſſimâ ratione colligitur ex eis N. T. locis, in quibus ipſa deſcribitur, ac veluti ex profeſſo explicatur. Agmen ducet locus illuſtriſſimus, quem in *Harmonia* allegavi, nempe Act. 13. 38, 39. *Notum igitur ſit vobis, fratres, annuntiari vobis remiſſionem peccatorum per iſtum* ; (Chriſtum ſcilicet) *& ab omnibus, à quibus non potuiſtis per legem* Moſis *juſtificari, per hunc credentem quemvis juſtificari :* πᾶς ὁ πιςεύων δικαιῶται. Dixi *Hammondum* noſtrum meritò cenſuiſſe, ex hoc loco veram notionem vocabuli δικαιῶν in Paulinis Epiſtolis commodiſſimè poſſe colligi. Hæc verò *Hammondi* ſententia tibi non placet. Ideóque (*in notis ad pag. libri mei* 6am) à me interrogas : *Quare, quæſo, notio vocabuli ex textu illo potiùs colligi debet, quàm ex ipſius* Pauli *ſermone prolixo, &*

& ex inſtituto habito, ad Evangelii ſummam, in juſtitia ex fide plurimùm conſtantem, elucidandam? Verùm enimverò, ſive *Hammondum* impugnandi, quô jure, quâque injuriâ, ſive hypotheſin tuam temere præconceptam defendendi nimiô ſtudiô abreptus, non attendiſti, te hîc magni etiam *Calvini* tui (ut alios minorum gentium Theologos taceam, *Calvinum* ſecutos) ſententiam rejeciſſe. Verba ejus ad locum hæc ſunt: *Locus hic facilè demonſtrat, quid valeat alibi paſſim Iuſtificandi verbum.* Ac ſane res manifeſta eſt. Vix alius locus occurrit, in quo notio Juſtificationis Evangelicæ luculentiùs explicetur. Interrogatio autem tua vana eſt, cùm notio Juſtificationis in loco illo tradita, & ipſius *Pauli* ſit, & optimè conveniat cum ejuſdem *Pauli* ſermone prolixo, de quo loqueris. Sed locum ipſum (remotis arbitris, ſeu *Calvino*, ſive *Hammondo*) liberô examine perpendamus. Dico, ex loco illo luce clariùs apparere, Juſtificationem illam, quæ in Evangelio promulgata eſt, gratuitum Dei actum eſſe, quô propter Chriſtum verè credentes, hoc eſt, Fide formatâ prædditos, abſolvit ac liberat à reatu & pœna omnium peccatorum, etiam graviſſimorum, &c. Ac ſane ecquid hôc clarius eſſe poteſt? Dices fortaſſe, (quod & poſtea dicis, neque aliud dicendum habes) *Iuſtificationem à peccatis* hôc in loco ſignificare abſolutionem non modò à reatu & pœna, ſed & ab ipſa noxa & culpa peccati, adeóque à Remiſſione peccatorum longè diſtare. Verùm hâc reſponſione (præterquam quòd manifeſtam abſurditatem defendis, nempe hominem qui peccato ſemel implicitus eſt, ab ipſa peccati culpa poſſe liberari, de quo poſtea fuſiùs) textui ipſi apertiſſimè contradicis, in quo δικαίωσις illa *v.* 39. diſertè exponitur per ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, hoc eſt, Remiſſionem peccatorum, *v.* 38. Nam conſentiunt Interpretes, (ſi unum fortè *Grotium* demas) & per ſe liquet, Apoſtolum idem Remiſſionis beneficium, quod *v.* 38. breviter tantùm expreſſerat, latiùs explicare *v.* 39. oſtendendo tum conditionem ejus, nempe Fidem in Chriſtum, tum præſtantiam ſuper eam, quam Lex *Moſis* indulſit, remiſſionem: quod & in *Harmonia* jam obſervavi.

§. 11. Ab hoc loco ad alterum tranſeo haud minùs illuſtrem, *Rom.* 4. *v.* 6, 7, 8. *Sicut etiam* David *declarat beatum eum hominem, cui Deus imputat juſtitiam abſque Operibus, dicens: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum obtecta ſunt peccata. Beatus vir, cui non imputârit Dominus peccatum.* Quibus verbis probat *Paulus, juſtitiam imputari homini*, ſive juſtificari hominem, *abſque Operibus*, ex *Davidis* teſtimonio aſſerentis beatitudinem hominis, cui Deus remittit peccata. Quæ autem vis Apoſtolici argumenti, niſi ſtatuas, Juſtificationem hominis in Remiſſione peccatorum aliquâ ſaltem ex parte conſiſtere? Si *Juſtificatio* & *Remiſſio Peccatorum* res eſſent tam longè à ſe invicem diſſitæ & remotæ, ut tu ſentis, tum certè Apoſtolus in loco illo à baculo (quod aiunt) ad angulum argumentatus fuiſſet. Cujus adeò ἀλογισίας, ſi à te arguor, præſto eſt, quod mihi ſolamen adferat: Mallem cum B. Apoſtolo errare, quàm tecum rectè ſentire. Cæterùm vide, quàm in Expoſitione hujus loci à ſummis (inter Reformatos) Interpretibus longiùs abeas & diſcedas. *Calvin.* in loc. *His verbis docemur, Juſtitiam* Paulo *nihil eſſe quàm Remiſſionem peccatorum.* Ubi quod *Calvinus* dicit, Juſtitiam nihil eſſe quàm Remiſſionem peccatorum, ex aliis ejuſdem *Calvini* locis exponendum eſt, in quibus apertè fatetur, præter Remiſſionem peccatorum, *Juſtitiæ* etiam *imputationem* in Juſtificationis notione contineri. *Muſculus* in loc. *Tertium argumentum eſt declaratio & confirmatio ſecundi: Juſtificatio eſt Remiſſio peccatorum; ergo Juſtificatio non fit propter noſtram dignitatem & meritum.* Denique *Paræus* in Explicatione Capitis *Dub.* 5. *Quod Apoſtolus Juſtificationem in ſola Remiſſione peccatorum conſtituat, palàm eſt ex v.* 6. *Nam pronuntiare beatum, imputare juſtitiam, remittere peccata, tegere iniquitates, non imputare peccata, Apoſtolo idem valent.* Ubi, ſi cui offendiculo ſit vox *ſola*, ſciat eandem medelam hîc præſtò eſſe, quam modò *Calvini* verbis adhibuimus.

§. 12. Tertius locus clarus & manifeſtus occurrit *Luc.* 18. 13, 14. ubi pro æquipollentibus uſurpantur iſta duo, *eſſe Propitium peccatori*, (quod nihil aliud eſt quàm peccata remittere peccatori) & *Juſtificare peccatorem.* Quum enim Chriſtus commemorâſſet verba Publicani precantis Deum, nempe, *Propitius eſto mihi peccatori*, continenter admonet, quid illâ prece effecerit, inquiens: *Dico vobis, deſcendit ille juſtificatus*, &c. Audi quid ad hunc locum *Calvinus* ſcribat: *Hic locus*, inquit, *perſpicuè docet, quid propriè ſit Juſtificari, nempe ſtare coram Deo, ac ſi juſti eſſemus. Neque enim Publicanus ideo juſtificatus dicitur, quòd novam qualitatem ſibi acquiſiverit, ſed quia inducto reatu & abolitis peccatis gratiam adeptus eſt.* Unde ſequitur, *Juſtitiam in Remiſſione peccatorum eſſe poſitam.*

§. 13. Illuſtris quoque eſt locus *Act.* 26. 17,

17, 18. ubi *Paulus* dicitur à Christo ad gentes missus, *Ut aperiret oculos eorum, & converteret eos à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum; ut remissionem peccatorum, & sortem inter sanctificatos acciperent, per fidem quæ est in eum.* Quis enim dubitat, quin *accipere remissionem peccatorum, & sortem inter sanctos per fidem in Christum,* hîc idem significent quod alibi dicitur, *Justificari per fidem in Christum?* Itaque qui justificatur, eô ipsô quòd justificatur, à Deo per Christum duo hæc beneficia accipit, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, *Remissionem peccatorum*, & κλῆρον ἐν τοῖς ἁγιασμένοις, hoc est, *jus ad hæreditatem cœlestem cum cæteris Sanctis*; quemadmodum suprà multis argumentis ostendi. Hæc duo beneficia totam Justificationis Evangelicæ, quaquà patet, naturam ac notionem complent.

§. 14. Quintum argumentum peti potest à locis quibusdam parallelis; nempe, Eph. 1. 7. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundùm divitias gratiæ ejus.* Col. 1. 14. *In quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum.* Rom. 3. v. 23, 24. *Omnes enim peccârunt*, &c. *justificati gratis ex gratia ipsius per redemptionem quæ est in Christo Iesu.* Rom. 5. 9. *Justificati per sanguinem ejus, servabimur ab ira.* Quod in locis duobus posterioribus dicitur, *justificari per redemptionem, quæ est in Iesu Christo,* & *justificari per sanguinem Christi*, id in prioribus dicitur, *habere redemptionem per sanguinem Christi.* Illud verò iisdem in locis disertè exponit *Paulus* per ἔχειν ἄφεσιν παραπτωμάτων, sive ἁμαρτιῶν, *habere remissionem peccatorum.* Nam verba, *remissionem peccatorum*, per appositionem connectenda sunt cum prioribus ad hunc modum: *In quo habemus redemptionem*, i. e. *remissionem peccatorum.* Atque in hoc omnes Interpretes consentiunt. Jam ex his locis ita inter se collatis omni luce clariùs patet, *habere redemptionem in Christo Iesu*, sive *justificari per redemptionem quæ est in Christo Iesu*, & *habere remissionem in Christo Iesu*, ἰσοδυναμοῦντα esse.

§. 15. Denique sententiam nostram confirmant loca illa, in quibus summa Evangelii his duobus comprehenditur, nempe, *Pœnitentiâ*, & *Remissione peccatorum. Luc.* 24. 47. Christus dicit, oportuisse prædicari ipsius nomine *Resipiscentiam & Remissionem peccatorum apud omnes gentes.* Act. 5. 31. *Hunc* (Christum) *Principem & Servatorem Deus exaltavit dextrâ suâ, ad dandum pœnitentiam Israeli & remissionem peccatorum.* In his locis annuntiatio Evangelii duas habet partes, *postulationem* & *promissionem.* Postulatur Pœnitentia, cujus nomine tota obedientia comprehenditur; promittitur Remissio peccatorum, in qua continetur Justificatio & acceptatio hominis ad salutem æternam. Atqui non contineretur, si, quemadmodum tu sentis, remissio peccatorum actus esset Justificationi planè extraneus. Verùm ut in nomine Poenitentiæ obedientia comprehenditur, quia Poenitentia obedientiæ ejus pars sit præcipua; ita nomine Remissionis tota Justificatio intelligitur, quia Remissio peccatorum Justificationis nostræ pars est non minima. Hinc quoque fit, ut in loco illo celebri *Heb.* 8. 12. omne illud quod à Deo in novo foedere *purè* promittitur, (scilicet promittitur quidem ibidem & Sanctificatio, sive inscriptio Divinæ legis in corde nostro; verùm illa non *purè* promittitur, sed etiam ut officium nostrum aliqua ex parte exigitur, & ad conditionem ex parte nostra requisitam pertinet) his verbis contineatur: *Propitius ero injustitiis illorum & peccatis illorum, & iniquitatum illorum non recordabor amplius.* Cui Deus remissionem peccatorum concedit, eo ipso dat illi omnia. His omnibus satis me demonstrâsse existimo, Justificationem Evangelicam notione suâ includere peccatorum Remissionem; quod mihi demonstrandum erat.

§. 16. Jam tertiô in loco ad Objectiones à te & Patre tuo doctissimo in contrariam partem allatas respondebo. Hîc verò Patris tui vestigia κατὰ πόδας sequar, quæ ab eo in Scripto illo posthumo adversus communem Reformatorum Theologorum sententiam disputantur, accurato examine perpendens. Quod pace tuâ mihi liceat facere; præsertim cùm nihil à te objiciatur, quod à Patre non mutuatus sis, & quædam à Patre tuo afferantur, quæ tu prætermisisti.

§. 17. *Object.* 1. Primum doctissimi Viri argumentum petitur à stricta & maximè propria vocabuli *Justificationis* notione, prout in Scripturis vel V. vel N. Testamenti accipitur. Nunquam, inquit, in libris illis *Justificationis* vocabulum eô sensu usurpatur, quô Remissionem peccatorum significet. Quod probat Inductione quâdam locorum, in quibus vocabulum Justificationis aut ejus conjugata reperiuntur. In iis omnibus, inquit, substituas loco τὸ *justificare*, τὸ *peccata remittere*, loco vocabuli *Justificatio, Remissio peccatorum*, loco τὸ *justificatus, is cui peccata remittuntur*; & videas an sensus satis aptus & idoneus loco, in quo vocabulum occurrit, tandem exurgat, annon potiùs

potiùs ſenſus non modò incommodus, ſed & abſurdus planè emergat. Pro exemplis adfert non pauca Scripturæ loca. Lege, inquit, verba *Judæ* ad *Joſephum*, Gen. 44.16. *Quomodo peccata noſtra nobiſmet condonabimus?* Lege *Moſis* verba de Judicibus, *Deut.* 25. 1. *Peccata remittent juſto, & condemnabunt improbum.* Lege *Davidis* verba ad Deum, *Pſal.* 51. 4. *Ut peccata tibi remittantur, cùm loqueris*; *Iobi* ad amicos, *cap.* 27. 5. *Abſit ut vobis peccata remittam*; Chriſti de filiis Sapientiæ, *Mat.*11. 19. *Sapientiæ peccata remittuntur à filiis ſuis*; Verba Apoſtoli de ſeipſo, 1 *Cor.* 4. 4. *Nullius rei mihi conſcius ſum, ſed non per hoc mihi peccata remittuntur*; vel de Servatore, 1 *Tim.* 4. 16. *In Spiritu remiſſione peccatorum donatus.* Lege, inquit, ad hunc modum loca illa (ut cætera omittam) & ſenſum verbis affinxeris omnino incongruum; imo alicubi planè repugnantem ſententiæ eorum, à quibus verba prolata ſunt. *Reſp.* Specioſa ſatis objectio; ſed quæ ex eis, quæ in ſtatu quæſtionis definiendo jam poſuimus, facilè diluitur. Nam 1. Conceſſimus vocabulum Juſtificationis non neceſſariò aut per ſe remiſſionem peccatorum ſignificare; ſed dicimus, vocabuli illius, cùm ad legem & forum Evangelicum applicatur, eum eſſe uſum, ut remiſſionem peccatorum notione ſuâ includat. Scilicet, *juſtificare* eſt *juſtum pronuntiare.* Hoc propriè de eo dicitur, qui revera juſtus eſt, & culpæ planè expers. Hôc modô homo peccator juſtificari omnino non poteſt. Fieri enim non poteſt ſine manifeſta contradictione, ut revera juſtus & culpæ expers, hoc eſt, talis qui nihil unquam commiſit, à Deo pronuntietur is, qui culpæ ſemel implicitus ſit. Itaque ut vocabulum Juſtificationis, ad forum & legem Evangelicam traductum, & de Abſolutione peccatoris uſurpatum, impropriè ſumatur, neceſſe eſt. Is in hôc foro & ex hac lege juſtificatur, qui à Deo talis pronuntiatur, quem ob juſtiſſimas rationes, inducto reatu & abolitis peccatis, tanquam juſtum tractare, Sapientiæ, Juſtitiæ & Bonitati ipſius viſum ſit. 2. Nullum adfert locum Vir doctiſſimus, in quo de univerſali agitur peccatoris Juſtificatione ex fœdere Evangelico (de qua ſola controverſia eſt) cui regula ipſius commodiſſimè, & ſalvô loci ſenſu genuinô, non poſſit adhiberi. Itaque Inductio eſt manca & imperfecta. In iis omnibus locis, ubi de univerſali agitur Juſtificatione ex lege Evangelica, ſi locô vocabuli *Juſtificatio*, aut ejus conjugatorum, ſubſtituas *Remiſſio peccatorum*, aut ejus vocis conjugatum aliquod, ſenſus optimus & convenientiſſimus exurget. Sic loca omnia, in quibus homo dicitur ex fide juſtificari, commodiſſimâ ratione exponi poſſunt, adeóque exponi debent in hunc ſenſum: Per fidem remittuntur homini peccata, & jus ipſi ad vitam & ſalutem æternam conceditur ex fœdere Evangelico: quam plenam Juſtificationis Evangelicæ notionem eſſe, jam ſat multis argumentis demonſtravi. Imo non pauca attuli Scripturæ loca, in quibus Juſtificatio Evangelica diſertè exponitur per remiſſionem peccatorum: quibus omnibus haud æquum eſt, ut ex hac grammatica Viri licèt doctiſſimi argutiâ præjudicium fiat.

§. 18. *Object.* 2. Remiſſionem peccatorum & Juſtificationem res eſſe diverſas apparet. Quippe indubitatum eſt axioma: Quæ Subjectô differunt, inter ſe differunt. Remiſſionem autem peccatorum & Juſtificationem Subjectô differre, æquè manifeſtum eſt. Nam Juſtificatio ibi reperiri poteſt, ubi Remiſſioni peccatorum non eſt locus; & vice verſâ, ibi eſſe poteſt Remiſſio peccatorum, ubi Juſtificatio nulla eſt. Utrumque probat Vir eruditus exemplis ex ipſa Scriptura deſumtis. Si quis (inquit) me injuriâ affecerit, poſſum ipſi culpam condonare, quem tamen judiciô & ſententiâ meâ non juſtifico. 2 *Sam.* 19. 23. *Col.* 3. 13. 1 *Reg.* 2. 8, 9. Vice versâ, qui injuriæ alteri factæ falsò accuſatur, juſtificari poteſt; cui tamen nihil remittitur, utpote criminis experti, *Deut.* 25. 1. &c.

Reſp. 1. Fatemur ultrò, non pauca exempla occurrere, quæ oſtendunt Remiſſionem ibi reperiri poſſe, ubi Juſtificationi non eſt locus, & vice verſâ. Verùm ſemper memoriâ tenendum, de ſola Remiſſione & Juſtificatione Evangelica quæſtionem moveri. Certè autem hæc duo Subjectô non differunt. Nemini Deus juxta Evangelium peccata remittit, quem non juſtificat; & retro viciſſim, neminem juſtificat, cui peccata non remittit. Exemplum, quod poſtea adducit Vir doctiſſimus, *Iſraelitarum* nempe rebellium, quibus Deus dicitur condonâſſe peccata, quos tamen à Deo juſtificatos non fuiſſe certum eſt, *Pſal.* 78. 37, 38. à candore & judicio ipſius vix expectâſſem: quippe manifeſtum eſt, ibi plenam remiſſionem non intelligi, de qua ſola loquimur. Ideóque ipſe ſe corrigit, ac diſertè fatetur, quod univerſalem hominis ſtatum (ut loquitur) & conditionem attinet, Deum nemini peccata remittere, quem non juſtificat; ut hoc argumentum (vel ipſô Judice) à propoſito alienum ſit. 2. Cùm de Remiſſione Evangelica controverſia ſit, manifeſtum eſt intelligi non *nudam* & *ſimplicem* Remiſſionem, (qualis ea eſt, cùm quis alteri, à quo injuriâ affectus ſit, ſimpliciter offenſam condonat)

nat) ſed Remiſſionem (ut ita dicam) *legitimam*, hoc eſt, quæ ex lege aliqua & ſub certis conditionibus conceditur. Nuda remiſſio non modò non ſemper, ſed ne unquam quidem, idem eſt quod Juſtificatio. Cui peccata ſimpliciter remittuntur, is juſtificatus nullo modo dici poteſt ; ſiquidem Juſtificationem juris vocabulum eſſe conſtat. Contrà Remiſſio legitima, ſive quæ ex lege aliqua & ſub certis conditionibus conceditur, Juſtificatio rectè dicitur, ſemperque idem eſt quod Juſtificatio perſonæ, cui remiſſio ex lege conceditur. Luculentum hujus rei exemplum etiam in rebus humanis occurrit. Rex ſubditis rebellibus & Majeſtatis læſæ reis edictô publicô pollicetur commiſſorum veniam ſub certis conditionibus, puta ſi intra diem præfinitum arma deponant, Regi ſe dedant, ſeque ipſi juramentô Fidelitatis impoſterum obſtringant. Hìc ſubditus rebellis, præſtitâ conditione, delictorum veniam ex lege Principis conſequitur, ſive à crimine perduellionis per eandem legem abſolvitur, hoc eſt, juſtificatur. Talis eſt Juſtificatio Peccatoris ex lege gratiæ per Evangelium promulgatæ. Vide imprimis *Act.* 13. v. 38, 39.

§. 19. *Object.* 3. & ultima. Remiſſio per ſe ſimpliciter & nudè conſiderata eſt actus puræ putæ Gratiæ & Miſericordiæ ; Juſtificatio verò propriè loquendo eſt actus Juſtitiæ, *Deut.* 25. 1. *Pſal.* 82. 3 : Ergo, &c. Prius Antecedentis membrum meritò pro confeſſo ſumit Vir eruditus ; poſterius autem multis argumentis evincit, fuſéque oſtendit, Juſtificationem actum Juſtitiæ eſſe, & non puræ putæ Gratiæ & Miſericordiæ, ex ipſa proprietate vocabuli *Juſtificare*, quod in omni lingua, & communi ac perpetuo hominum uſu, Juſtitiæ notione accipitur.

Reſp. 1. Concedo utrumque Antecedentis membrum, nempe, Remiſſionem nudè conſideratam puræ putæ Miſericordiæ & Gratiæ actum eſſe ; Juſtificationem verò procul omni dubio eſſe etiam actum Juſtitiæ. Quid verò hinc ſequitur ? Illud ſolum legitimè ; nempe, Juſtificationem hominis in nuda & ſimplici Remiſſione non conſiſtere. Et hoc concedo ; utpote qui jam oſtenderim, ubi nuda & ſimplex Remiſſio eſt, ibi Juſtificationi nullum eſſe locum. Neque unquam certè illud negârunt Theologi Reformati, qui Juſtificationem hominis in Remiſſione peccatorum conſiſtere docuerunt ; ut Vir doctiſſimus cum umbra hîc ſua dimicet ! Quæſtio eſt, non utrum Juſtificatio hominis ex fœdere Evangelico conſiſtat in mera & nuda Remiſſione, (quæſtio talis contradictionem implicaret) ſed an Juſtificatio hominis ex fœdere Evangelico conſiſtat in ea Remiſſione, quæ ex eodem fœdere conceditur ? Quæſtionem hanc conſtanter affirmamus ; neque in hoc ſuo argumento, tam prolixè explicato, quicquam adfert in contrarium Vir doctiſſimus. Nam 2. Remiſſionis Evangelicæ, & Juſtificationis Evangelicæ idem eſt ſtatus, conditio eadem. Quatenus Juſtificatio Evangelica eſt actus Juſtitiæ, eatenus actus Juſtitiæ eſt Remiſſio Evangelica. Rurſùs : quatenus Juſtificatio Evangelica eſt actus Gratiæ & Miſericordiæ, eatenus actus Gratiæ & Miſericordiæ eſt Remiſſio Evangelica. Ad prius illud quod attinet, Juſtificationem Evangelicam eſſe actum Juſtitiæ, duobus omnino argumentis probari poteſt : 1. quòd in Satisfactione Chriſti fundatur ; 2. quòd ex lege & ſecundùm legem tranſigitur. At quis non videt iiſdem argumentis conſtare, Remiſſionem Evangelicam eſſe etiam Juſtitiæ actum ? Nam quæſo te, annon Remiſſio Evangelica in Satisfactione Chriſti fundatur, æquè ac Juſtificatio Evangelica ? Vide *Rom.* 5. 9, *coll. Matth.* 26. 28. *Eph.* 1. 7. *Coloſſ.* 1. 14. Annon Remiſſio Evangelica ex lege & ſecundùm legem tranſigitur ? Certè. Quippe ideo dicitur Remiſſio Evangelica, quòd ex Lege Evangelica conceditur, & ſub certis conditionibus in eadem Lege præſcriptis. Hinc Deus, in danda homini pœnitenti Remiſſione peccatorum, *juſtus* ac *fidelis* dicitur, 1 *Joh.* 1. 7. Rurſus, Juſtificationem Evangelicam eſſe quoque, idque imprimis, actum Gratiæ & Miſericordiæ (quanquam Vir doctiſſimus periculosè adınodum hîc diſputet, atque omnem Gratiæ & Miſericordiæ conceptum à Juſtificationis notione ſecludere videatur ; qua de re mox plura) S. Scripturæ apertiſſimè teſtantur. Dicimur δικαιοῦσθαι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι, *juſtificari gratis per gratiam ejus*, nempe, Dei, *Rom.* 3. 24. Ubi inſigni Pleonaſmo utitur Apoſtolus, ut oſtendat, Juſtificationem hominis peccatoris Dei Gratiæ & Miſericordiæ tribuendam eſſe. Confer *Tit.* 3. 7. De Remiſſione peccatorum ſimiliter S. Scriptura loquitur *Eph.* 1. 7. *In quo* (Chriſto ſcil.) *habemus redemptionem per Sanguinem ejus, remiſſionem peccatorum*, κατὰ τὸν πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ, *ſecundum divitias gratiæ ipſius*. Itaque in omnem partem ſe vertat Vir doctiſſimus, nihil reperiet, quod de Juſtificatione & Remiſſione Evangelica non pariter dici ac pronuntiari poſſit.

§. 20. Ita tandem ſententiam noſtram de hac Quæſtione adſtruxi. Reſtat ut tuam & Patris tui opinionem refellam. Quanquam enim, aſſertâ communi doctrinâ, veſtra ſententia per ſe corruit ; è re tamen Lectoris futurum

futurum existimavi, si eam seorsim paucis convellerem & explicarem. Itaque sententia vestra (si vos capio) hujusmodi est. Statuitis, hominem per satisfactionem Christi priùs justum constitui, & non modò à peccati pœna, sed & à culpa, hoc est, pœnæ merito, immunem præstari; dein consequenter pecata ipsi omnia remitti. Verba tua in Schedis ad calcem libri mei annexis (p. 6.) hæc sunt: *Deus in Justificatione peccatoris ex fide agit ut justus judex, quando fidelem, quem Christus justum præstitit per suam obedientiam* (Rom. 5. 19.) *à peccatorum omnium reatu absolvit. Quoniam vera Remissio peccati est Justificationis comes individua, ideo Apostolus* Paulus *ex* Psalmo *probat, hominem justificari Fide sine Operibus, quia homini peccata remittuntur absque Operibus,* Rom. 4. 6, 7, 8. *Deus enim idcirco non imputat Christiano peccatum, quia Christo imputaverat peccata mundi sibi conciliati, & fideli imputat Christi Justitiam, ut Apostolus disertè docet* 2. Cor. 5. 19. Postea in iisdem Schedis, paginâ eâdem affirmas, *Justificare esse à pœnâ ipso merito absolvere, & à culpâ omni immunem præstare.* Atque iterum in iisdem Schedis (pag. 7.) dicis: *Qui justus & insons ob Christi propitiationem, & peccati expiationem censetur, eidem peccata omnia condonari, necessum est vi consequentiæ naturalis.*

§. 21. Dici vix potest, quot quantìsque absurditatibus hæc vestra sententia laboret. Sed tria tantùm notâsse sufficiat. 1°. Hæc sententia necessariò talem Justitiæ Christi Imputationem statuit, quæ nullâ ratione defendi potest; imo quæ Scripturæ & rectæ Rationi veluti ex diametro repugnat. Fatentur Catholici omnes, solam Christi Justitiam, sive obedientiam à Christo præstitam, illud effecisse, ut Deus homini peccatori & pœnitentiam agenti peccata condonare voluerit, ipsumque inducto reatu tanquam justum tractare, jus ipsi ad salutem vitamque æternam donando. Sed vos hôc non contenti affirmatis, Justitiam Christi ita nobis peccatoribus imputari, ut per ipsam revera justi ipsi, insontes, & ab omni non modò pœna, sed & culpa, immunes à Deo censeamur. Verùm Judicium Dei est κατ' ἀλήθειαν. Neque igitur à Deo revera justus, insons & peccati immunis, unquam censeri potest, qui peccato semel implicitus est. De Imputatione verò Justitiæ Christi postea (Deo volente) commodiori locô fusiùs agemus.

§. 22. 2°. Hæc sententia manifestâ contradictione laborat: quippe statuit, homini, qui justus jam constituitur, & ab omni culpa immunis præstatur, peccata postea remitti & condonari. Contradictionem tam crassam quis non utrâque manu palpet? Certè ubi nulla est culpa, ibi culpæ remissioni nullum locum esse posse manifestum est. Itaque

§. 23. 3°. Hæc sententia omnem peccatorum remissionem in ea Dei οἰκονομίᾳ, quâ hominem justificat, funditus tollit & evertit. Illud ex argumento proximè præcedente consequitur. Si ullam peccati remissionem agnoscitis, statuatis necesse est, remissionem istam vel ante Justificationem, vel in ipsa Justificatione, vel denique post Justificationem, concedi. At nullum horum ex sententia vestra statui potest. Ante Justificationem peccata homini remitti, nemo (opinor) sanæ mentis dixerit: In ipsa Justificatione remitti, apertè negatis: Post Justificationem remitti non posse, jam ostendi. Itaque sententia vestra omnem peccatorum remissionem omnino tollit. Sed non opus est, ut consequentiis hîc agam. Quanquam enim de remissione peccatorum passim loqueris; constat tamen te veri nominis remissionem non intelligere. Verba tua in Schedis ad calcem libri mei subjectis (pag. 6.) diserta sunt: *Qui à crimine justificatur, ei nihil remittitur. Remissioni peccati cum Justificatione non convenit.* Verè dico: Horret animus dogma hoc novum, ac periculosum, legens. Hîc ipsa doctrinæ Evangelicæ fundamenta convellis, quæ gratuitum illud Dei beneficium, quod ἄφεσις ἁμαρτιῶν, *Remissio peccatorum*, dicitur, ubique prædicat, & miris laudibus effert atque extollit. Habent jam impii è *Socini* Schola Hæretici, quô ex ore Theologi, qui ὀρθοδοξίας titulô gloriatur, nefandam suam thesin comprobent; nempe, *positâ Christi Satisfactione, remissionem peccatorum non esse gratuitam.* Quippe statuis, positâ Christi Satisfactione, remissionem peccatorum non modò gratuitam non esse, sed planè nullam esse. Sentio tandem, quàm non temere dudum pronuntiaverit Vir longè doctissimus: *Satisfeciisse Christum pro hominum peccatis, doctrinam esse veram & Catholicam; sed mirè à* Calvini *discipulis depravatam; ita ut eorum error errore* Socini *in hac re sit periculosior.* Qui autem venenatæ huic doctrinæ præsentissimum antidotum cupit, adeat *Grotii* librum (ab eruditis omnibus & Catholicis approbatum, ac veluti pro clypeo quodam adversùs ictus *Socini* & tela ominia meritò habitum) *de Satisfactione Christi* cap. 6. Ubi multis & perspicuè ostendit Vir maximus, tantum abesse ut remissio cum antecedente Satisfactione pugnet, ut contrà *omnis satisfactio, (hoc est, solutio* pag. 118, 119, 120, 121, 122, 123, 123. *Ed. Oxon.* 1636.

p. 128. *ſolutio recuſabilis) ideo admittatur ut remiſſioni ſit locus.* Idem in eodem capite contra *Socinum* demonſtrat, " τὸ χαρίζεσθαι non " pugnare omnino cum ſatisfactione quavis; " neque enim pugnare cum ea, quæ & liberè " admittitur, cùm poſſet repudiari, & ad " quam is, qui beneficio afficitur, nihil ipſe " contribuit: quorum utrumque accidit in
p. 129. " Chriſti pro nobis Satisfactione. *Et paulò* " *pòſt*: Condonari, quemadmodum & remitti aliquid rectè dicitur, etiam ubi ſolutio " accedit, ſed talis, quæ ſine actu voluntatis " vim non habeat pariendæ liberationis. " Nam & Principes, cùm capitalium criminum reis veniam concedunt, ſolent & " mulctæ aliquid, & publicam quandam " culpæ deprecationem illis indicere. Neque tamen eò minùs condonare dicuntur " crimina. Quantò ergo juſtiùs ea vox hîc " uſurpari poterit, ubi requiſita ſatisfactio " à nobis non procedit, ſed liberatio contingit planè gratis quoad nos, etſi non gratis abſolutè; Quod Scriptura indicat, " cùm juſtificatos nos dicit gratis, & confeſtim addit διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν " Χριστῷ Ἰησοῦ, Rom. 3. 24.

§. 24. His pro ſigillo addam illuſtriſſimum teſtimonium *Clementis Romani*, Viri Apoſtolici, & tantùm non Θεοπνεύστε in Epiſtola ad *Corinthios*, quæ ab eruditis omnibus pro genuina habetur: Ἀτενίζωμεν εἰς τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἴδωμεν ὡς ἔστι τίμιον τῷ Θεῷ αἷμα αὐτοῦ, ὅτι διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν ἐκχυθὲν, παντὶ τῷ κόσμῳ μετανοίας χάριν ὑπήνεγκεν. i. e. *Sanguinem Chriſti intentis oculis intueamur, & quàm pretioſus Deo ſit ejus Sanguis, conſideremus, qui propter noſtram ſalutem effuſus, toti mundo pœnitentiæ gratiam obtulit.* Digna mihi ſemper viſa ſunt hæc verba, quæ aureis literis exarentur, atque à veræ Theologiæ ſtudioſis æternæ memoriæ mandentur; utpote quæ maximè genuinam Satisfactionis Chriſti notionem ab Apoſtolorum συμφύσῃ explicatam contineant. In præſenti non vacat mihi oſtendere, quàm hoc viri Apoſtolici teſtimonium omnem controverſiam paucis verbis dirimat de Satisfactione Chriſti, adversùs tum impios Sociniſtas, tum alios, qui *Socini Charybdim* vitantes, in *Scyllam* haud certè minùs periculoſam inciderunt. Prudens Lector illud per ſe intelligere potis erit. Duo tantùm inde colligo, quæ ad propoſitum noſtrum quàm maximè ſpectant. 1. Satisfactionem Chriſti neminem ipſô factô liberare, ſed illud tantùm efficere, ut quivis ſub conditione & lege Pœnitentiæ a peccati reatu liberari poſſit. 2. Non obſtante Satisfactione Chriſti, Gratiæ & Miſericordiæ Dei deputandum eſſe, quòd homini peccatori Pœnitentiæ copiam largiatur; vel (ut mox ſe explicat *Clemens*) μετανοίας τόπον concedat, hoc eſt, credentem, & de peccatis pœnitentiam agentem, remiſſione peccatorum beare velit. Ideo ſcil. μετανοίας χάριν dixit, ut gratuitum Dei actum in hoc negotio exprimeret. Hoc verò illud ipſum eſt, quod dicimus, poſitâ Satisfactione Chriſti, remiſſionem peccatorum eſſe gratuitam.

Atque hactenus de tertia Quæſtione, *An notio Juſtificationis in ſe includat remiſſionem peccatorum?* Cujus explicationi ideo diutiùs immorati ſumus, cùm quòd per ſe quæſtio magni momenti ſit, tum imprimis quòd paſſim in *Animadverſionibus* tuis mihi exprobres perperàm intellectam Juſtificationis Evangelicæ notionem, idque mihi πρῶτον ψεῦδος, & variorum errorum fontem ac ſcaturiginem fuiſſe affirmes. Sed uter noſtrûm Juſtificationis Evangelicæ notionem rectiùs acceperit, jam penes æquum Lectorem eſto arbitrium.

§. 25. Reſtat Quæſtio quarta atque ultima, nempe, *An datô, Remiſſionem peccatorum in Juſtificationis Evangelicæ notione non neceſſariò includi, certum tamen non ſit, utriuſque beneficii, nempe tum Remiſſionis, tum Juſtificationis Evangelicæ, conditionem prorſus eandem eſſe?* Hanc Quæſtionem uno verbo expediam. Fateris ipſe, Remiſſionem peccatorum ex Juſtificatione vi naturalis conſequentiæ (ut loqueris) procedere. Quicquid autem ad illud requiritur, quod Juſtificationem neceſſariò conſeqvitur, idem ad ipſam Juſtificationem requiratur neceſſe eſt. Te obteſtor, an ſeriò exiſtimas, aliquid ad Remiſſionem peccatorum neceſſarium eſſe, quod non ſit etiam ad Juſtificationem neceſſarium? Ipſe notas, (ut modò vidimus) quòd Remiſſio peccatorum ſit Juſtificationis comes individua; ideo Apoſtolum *Paulum ex Pſalmo* rectè probâſſe, hominem juſtificari Fide ſine Operibus, quia peccata homini remittuntur abſque Operibus, *Rom.* 4. 6, &c. Annon igitur licuit mihi, Apoſtoli authoritate freto, ita argumentari: Homini abſque Pœnitentia peccata non remittuntur; ergo homo abſque Pœnitentia non juſtificatur? Quippe rationem conſequentiæ ipſe adfers: Remiſſio peccati eſt Juſtificationis comes individua. Itaque ſi hoc tibi concederem, Remiſſionem peccatorum in ipſa Juſtificationis Evangelicæ notione non contineri, (quod falſiſſimum eſſe jam demonſtravi) nihil illud aut emolumenti cauſæ tuæ, aut detrimenti meæ importaret; ut manifeſtum ſit, fruſtra te hîc operam tuam omnem impendiſſe.

ANIM-

ANIMADVERSIO VIII.

Ad Diſſert. 1. Cap. 2. n. 8. pag. 18.

HIC eos, qui Fidem unicum eſſe Juſtificationis inſtrumentum docent, dilemmate quodam urgeo; cujus prius membrum elucidans, ipſos interrogo: *Quomodo etiam Pœnitentiæ opera neceſſaria ſtatuuntur ei, qui Fide ſolâ jam antè juſtificatus fuerit?* Tu ad hæc: *Agè monſtra unum locum, ſi poſſis, ubi Spiritus Sanctus ſtatuit, Pœnitentiæ opera ad Juſtificationem requiri. Scio hoc fieri non poſſe, imo contrarium poſſe. Interim novi & fateor, Pœnitentiæ opera nomine alio, & multiplici, Deum exigere à nobis. Fieri poteſt, ut homo Fidei juſtitiam apiſcatur, qui Pœnitentiæ fructus ferendi opportunitate deſtituitur, morte præreptus.*

RESPONSIO ad Animadverſionem VIII.

Loca quædam ibidem monſtravi ſatis diſerta, in quibus Spiritus Sanctus ſtatuit, Pœnitentiæ opera ad Remiſſionem peccatorum neceſſariò requiri: quibus infinita alia in proclivi fuiſſet adjeciſſe. Remiſſionem verò peccatorum & Juſtificationem ἰσοδυναμοῦντα eſſe, modò apertiſſimum feci. Quando dicis fieri poſſe, ut homo Fidei Juſtitiam apiſcatur, qui Pœnitentiæ fructus ferendi opportunitate deſtituitur, morte præreptus; egregiè Sophiſtam agis. Pœnitentiæ opera duplicia ſunt, vel interna, quæ interiùs, ſive intra ipſa animi penetralia, peraguntur, qualia ſunt, dolere de peccato, deteſtari peccatum, humiliter ſe Deo ſubjicere, ad Dei Miſericordiam confugere, Deum in Chriſto ſuper omnia amare & expetere, novæ vitæ propoſitum inire, & ſimilia; vel externa, hoc eſt, quæ externo etiam opere complentur; cujuſmodi Reſtitutio, Eleemoſyna, &c. Opera Pœnitentiæ prioris generis ſola ad Juſtificationis primæ adeptionem abſolutè neceſſaria ſunt; cætera verò ad Iuſtificationis adeptæ continuationem, ſi Deus homini ea exercendi opportunitatem dederit. Et hæc tamen votô ſaltem ab homine juſtificando præſtari debent; quod votum ſub novæ vitæ propoſito comprehenditur. Hæc quidem in loco, quem carpis, non dico, de utriuſque generis operibus promiſcuè diſſerens; ſed tibi ſi vel mica candoris fuiſſet, facilè agnoviſſes, me illud alibi in *Diſſertationibus* meis diſertis verbis monuiſſe. Sub finem *Diſſertationis* ſecundæ (cap. 18.) quædam ex profeſſo Lectorem moneo, quæ animo ipſius penitus infigenda velim, ne vel noſtras *Diſſertationes* minùs rectè intelligeret, vel in hac maximi momenti Quæſtione ſalutis ſuæ periculo à vero aberraret. Ibidem verò (§. 8.) hæc verba mea legas: *Statuendum omnino eſt, ad primam Juſtificationem opera tantùm interna, Fidei, Pœnitentiæ, Spei, Charitatis, &c. eſſe abſolutè neceſſaria; cætera verò externa opera, quæ in factis externis, ſive in actuali ſingularum virtutum, quas modò enumeravimus, exercitio conſpiciuntur, ſigna tantùm eſſe fructuſque pietatis internæ, & Juſtificatione poſteriora, eâque demum lege præſtanda, ſi non deſit opportunitas.* Vide & *Diſſert. 2. cap. 2. §. 8.* Qui autem dicit, fieri poſſe, ut homo Fidei Juſtitiam adipiſcatur, qui hæc interna Pœnitentiæ opera non præſtiterit, morte præreptus, is in os contradicit Domino noſtro, omnibus Poenitentiam non agentibus ſempiternum & ineluctabilem interitum palàm denuntianti, *Luc.* 13. v. 3. & 5.

ANIMADVERSIO IX.

Ad Diſſert 1. cap. 2. Sect. 9. pag. 19.

HIC dico, quod jactant nonnulli de inſtrumentalitate Fidei in Juſtificationis negotio, nihil quàm meram & inanem ſubtilitatem redolere, &c. Ad hæc in margine notas: *Abſque jactantia cum Spiritu Sancto in Scriptura Sacra ſentimus & loquimur, peccatorem per meram in Chriſto miſericordiam, à Deo Chriſti obedientiam pro nobis præſtitam intuente, juſtificari Fide, ex Fide, & per Fidem, & Fidem in Chriſti ſanguinem officium peculiare præſtare ad Juſtitiam Dei apiſcendam; quod bonis Operibus non modò nullibi tribuit, ſed diſertè detrahit Scriptura. Utrùm hæc influentia ad Juſtitiam apiſcendam ex Dei inſtituto vocanda ſit inſtrumentalitas,* * *litigatio, eſt mera λογομαχία. Res, de qua quæritur, eſt, utrùm bona Opera in eodem loco & pari honore ſint ac poteſtate, ut per & propter ea, perinde ac per & propter Fidem, Deus nos juſtificet? Hoc ego nego cum Apoſtolo, & Apoſtolus probat: Tu ais, & non probas.*

RESPONSIO ad Animadverſionem IX.

§. 1. Qui jactant Fidei peculiarem Inſtrumentalitatem in Juſtificationis negotio, cum Spiritu Sancto in Scripturis non loquuntur. Te enim obteſtor, ut locum monſtres, (ſi poteris) ubi Spiritus Sanctus dicit, Fidem eſſe unicum Juſtificationis Inſtrumentum; qui modus loquendi ſolus hîc à me rejicitur. Atqui (inquis) etſi non idem dicit Spiritus Sanctus, tantundem tamen dicit, cùm juſtificari hominem Fide, ex Fide, & per Fidem, ubique pronuntiet; contrà, nullibi Juſtificationem Operibus tribuat, ſed diſertè detrahat. Hinc enim ſatis liquet, Fidem peculiare officium præſtare ad Juſtitiam Dei aſſequendam; quod ſolum voluerunt, qui Fidem unicum Juſtificationis Inſtrumentum dixerunt. Hîc *Achillem* tuum videre videor; ſed propiùs accedens, merum μαρμολύκειον eſſe ſentio. Falſum illud omne eſt quod præſumis, nempe Juſtificationem in Sacris Scripturis ubique Fidei tribui, nullibi Operibus. Contrà affirmo, Juſtificationem non Fidei ſoli, ſed & aliis Virtutibus tribui; imo aliis Virtutibus tribui ſæpiùs quàm Fidei.

§. 2. Ut hoc manifeſtum fiat, (ſimulque os tuum in poſterum obturetur eandem ubique cantilenam mihi occinentis) velim, ut Lector ſequentes Obſervationes mecum accuratiùs expendat. Iº Meminerit ſuprà à me hæc duo oſtenſa eſſe: 1 Juſtificari hominem ex Fide ſine Operibus, à nemine Scriptore Θεοπνεύστῳ, in terminis, præterquam ab uno *Paulo*, doceri; 2. Juſtificari hominem ex Fide ſine Operibus, nuſquam ab ipſo *Paulo* in terminis doceri, niſi ἀγωνιστικῶς, & in certamine quod iniit cum Judæis aliiſque Evangelii hoſtibus. IIº Obſervet Lector ſtudioſus, apud alios N. Teſtamenti Scriptores Juſtificationem peccatoris ipſo nomine, ſeu vocabulo Juſtificationis admodum rarò exprimi; nempe, in tribus tantùm (niſi me fallit memoria) locis, *Luc.* 18. 13, 14. *Matth.* 12. 37. & apud *Jacobum* Epiſtolæ ipſius cap. 2. ubi contra *Pauli* doctrinam perperàm intelligentes ex profeſſo diſputat. IIIº Notandum eſt, quod *Paulus Juſtificationem* appellat, ab aliis ſacris Scriptoribus plerumque *Remiſſionem peccatorum* indigitari. Hoc ſatis liquet ex iis quæ in Reſponſ. ad ſeptimam *Animadverſionem* (Sect. 8, 9, 10, &c.) diſſeruimus, & abunde patebit SS. Scripturas perſcrutanti. IVº Obſervandum eſt, ubicunque in Scripturis, extra Paulinas Epiſtolas & dictum illud *Pauli*, *Act.* 13. 39. Juſtificatio peccatoris ipſo Juſtificationis nomine expreſſa occurrit, ipſam non Fidei, vel non Fidei ſoli, ſed & aliis Virtutibus tribui. Sic *Luc.* 18. 13, 14. humili peccatoris pœnitentis & ſupplicantis Confeſſioni tribuitur. Sic *Matth.* 12. 37. verbis hominum tribuitur, nempe, ut internæ pietatis & puritatis ipſorum indiciis. A *Jacobo* verò conſtanter non

* Vox *litigatio* ſuperflua, ac proinde delenda videtur.

non Fidei soli, sed Operibus ex Fide profectis, & cum Fide conjunctis adscribitur. Cujus testimonium instar omnium esse debet, cùm is eô consiliô Epistolam scripserit, ut Dissertationibus Paulinis abutentibus occurreret; quod jam sæpiùs monui: ut mirari satis nequeam confidentiam tuam adserentis, nullibi in Scripturis Justificationem Operibus tribui. Vo Denique apprimè notandum est, in iis Scripturæ locis, ubi Justificatio hominis per *Remissionem peccatorum* exprimitur, (quæ propè infinita sunt tam in V. quàm in N. Testamento) ipsam fere constanter Pœnitentiæ tribui, vel ῥητῶς, vel περιφράσει, & circumlocutione aliquâ Pœnitentiam describente. Pœnitentia & Remissio peccatorum συζυγία est in Scripturis notissima & perquam familiaris. Imo his duobus nominibus summa Evangelii, sive eorum quæ Deus in Evangelio, vel nobis pollicetur, vel à nobis postulat, comprehenditur, ut ex *Luc.* 3. v. 3. & 24. v. 47. & *Act.* 5. 31. apparet. Cœcitatis tuæ (liceat tua tibi verba regerere) spontaneæ me miseret, qui hæc tam manifesta videre nolis.

§. 3. Ex his autem observationibus in proclivi est colligere, peculiarem fuisse *Paulo* rationem, tum quare Absolutionem hominis in disputationibus suis nomine *Justificationis* tam penè constanter indigitaverit, quam cæteri sacri Scriptores per *Remissionem peccatorum* fere solent exprimere; tum quare conditionem ejusdem Absolutionis vocabulô *Fidei* significare maluerit, quam alii Scriptores Θεόπνευστοι nomine Pœnitentiæ pleniùs expressêrunt. De posteriori, cur *Paulus* integram Evangelii conditionem vocabulo *Fidei* soleat exprimere, rationes luculentissimas jam attuli *Harm. Apost. Dissert.* 2. *cap.* 5. per totum. Istis & hanc rationem adjicias. *Paulus* Evangelii hostes oppugnat, Judæos imprimis, qui legi *Mosaicæ* pertinaciter adhærescentes, fidem Evangelicæ doctrinæ abnuerunt. His itaq; Fidem ubique inculcat, ut ἔργον ab ipsis necessariò atque imprimis præstandum, (vide *Joh.* 6. 29.) quodque adeo præstitum cætera omnia, quæ Evangelium postulat, facilè per Dei gratiam consecutura essent. Sic *Rom.* 4. 24. dicit, *Justitiam iri imputatum credentibus in eum, qui Iesum à mortuis suscitavit*; hoc est, iis qui Evangelicæ Doctrinæ, Resurrectione Christi à mortuis confirmatæ, fidem habent.: non quòd hæc Fides per se sufficiat ad Justitiam; (quippe veram esse Christi doctrinam credunt & ipsi Diaboli, & contremiscunt) sed quia hâc Fide imprimis opus habuerunt ii, quibuscum *Paulus* disputavit, & ex hac Fide positâ cætera omnia (ut diximus) per Dei Gratiam consecutura essent. Confer *Act.* 8. 37. Ab hac ratione non multùm abludit observatio illa *Clementis Alexandrini*, de solemni Servatoris nostri dicto ad Judæos, quos sanaret, *Fides tua te salvum fecit*, Strom. 6. Τοῖς μὲν γὰρ κατὰ νόμον δικαίοις ἔλειπεν ἡ πίστις· διὸ καὶ τούτοις ἰᾶτο μὲν ὁ Κύριος, ἔλεγεν ἡ πίστις σε σέσωκέν σε. Τοῖς δὲ κατὰ φιλοσοφίαν δικαίοις, οὐχ ἡ πίστις μόνον ἡ εἰς τὸν Κύριον, ἀλλὰ καὶ τὸ ἀποστῆναι τῆς εἰδωλολατρείας ἔδει. Αὐτίκα ἀποκαλυφθείσης τῆς ἀληθείας, καὶ αὐτοὶ ἐπὶ τοῖς πεπραγμένοις μεταμέλονται. i. e. *Nam iis quidem, qui erant justi ex lege, fides deerat. Et ideo cùm eos curaret Dominus, dicebat: Fides tua te salvum fecit. Iis autem qui erant justi ex philosophia, non solùm opus erat fide in Dominum, sed etiam ut discederent à cultu simulachrorum. Jam verò revelatâ eis veritate, ipsi quoque pœnitentiâ ducti sunt propter ea, quæ priùs fecerunt.* Et postea in eodem libro: ὥστε ὅταν ἀκούσωμεν, ἡ πίστις σε σέσωκέν σε, ἐχ ἁπλῶς τὸς ὑπωσδὴν πιστεύσαντας σωθήσεσθαι λέγειν αὐτὸν ἐκδεχόμεθα, ἐὰν μὴ καὶ τὰ ἔργα ἐπηκολούθησεν. Αὐτίκα Ἰουδαίοις μόνοις ταύτην ἔλεγε τὴν φωνὴν, τοῖς νομικοῖς καὶ ἀνεπιλήπτως βεβιωκόσιν, οἷς μένον ἡ εἰς τὸν Κύριον ὑπελείπετο πίστις. i. e. *Quare quando audierimus, Fides tua te salvum fecit, non accipimus eum dicere absolutè, eos salvos futuros qui quomodocunque crediderint, nisi Opera quoque fuerint consecuta. Jam verò Judæis solis hanc dicebat vocem, qui legem tenebant, & vixerant absque reprehensione, quibus sola Fides restabat in Dominum.* Ad prius illud ζήτημα quod attinet, nempe cur *Paulus* in disputationibus suis Absolutionem hominis peccatoris nomine Justificationis tam constanter indigitare soleat, id quoque ex scopo Apostoli colligendum esse censeo. Quippe cùm Adversarii, quibuscum *Paulo* lis intercessit, Justificationem, nescio quam, magis propriè sic dictam (hoc est, ut arbitror, quæ ex accurata Legis *Mosaicæ* juxta literam spectatæ, Sacrificiorum verò & Rituum in eadem Lege præscriptorum imprimis observatione, penderet) defenderent; ideo necesse habuit vocabulô Justificationis inter disputandum uti, idemque adeo ἀπὸ κοινοῦ identidem repetere, & quod legali Justitiæ detraxerat, sub eodem nomine Fidei tribuere: cùm alioqui vocabulum Remissionis, (quô cæteri sacri Scriptores fere delectantur) de Absolutione hominis peccatoris usurpatum, aptiùs inserviisset Divinæ Gratiæ & Misericordiæ in hoc negotio exprimendæ.

p. 663.

Vid. *Matt.* 19, 20. & *Phil.* 3. v. 4, 5, 6.

§. 4. Quod proximô in loco mones, quæstionem, *an Fidei influentia ad justitiam apiscendam ex Dei instituto vocanda sit Instrumentalitas*, meram esse λογομαχίαν, meâ non refert. Viderint illi, qui Instrumentalitatem illam

illam defendendam ſuſceperunt, (qui ſint, probè nôſti) atque eam loquendi formam, quâ homo dicitur ex fide ſola juſtificari, ut unicô Juſtificationis inſtrumentô, aliis obtruſerunt, quos in loco, quem hâc cenſurâ perſtringis, ſolus oppugno. Sed quid audio? Annon ipſe λογομαχίαν iſtam defendis? Annon formulæ illi loquendi ipſius Spiritûs S. authoritatem obtendis? Vix credidiſſem tam citò tibi memoriâ excidere potuiſſe verba tua in notis ad paginam libri mei proximè præcedentem, quibus ſeriò me hortaris, ut caveam, *ne ludibrio habeam Scripturam Sacroſanctam, quæ fidem prædicat eſſe unicum inſtrumentum, quod Chriſti Sanguinem pretioſum, unicum animæ λύτρον, amplectitur.* Quid quod mox paginâ ſequenti iſtam phraſeologiam iterum propugnas? Verba tua ſunt: *Ego verò tam hebes ſum, ut nullam rationem videam, quare fides inſtrumentalis cauſa non mereatur dici.* Quô teneam nodô mutantem *Protea* vultum? Hæc inconſtantia deſperatæ cauſæ, & hominis miſerè laborantis, atque ad incitas planè redacti, certum indicium eſt. Obteſtor te, ut tandem alicubi conſiſtas, & pedem figas, ut habeam, ubi te inveniam. Eſtne fides unicum ex parte noſtra Juſtificationis Inſtrumentum? Si negas, habeo quod in loco illo *Diſſertationum* mearum contendi; ſin affirmas, iterum te rogo, quale Inſtrumentum intelligas? An phyſicum, hoc eſt, propriè dictam Cauſam inſtrumentalem? At fidei efficientiam phyſicam, in negotio Juſtificationis, Argumento tam evidenti (in ipſa pagina *Diſſertationum* mearum, quam hæc *Animadverſio* tua reſpicit) convello, ut tandem tam inſulſi commenti te quoque pudeat: Recognoſce verba tua: *Revera non ſumus tam fungi, ut dicamus, actum creaturæ phyſicam habere efficientiam ad Dei actionem producendam.* Num igitur id tantùm voluiſti, fidem eſſe unicam Juſtificationis conditionem in fœdere Evangelico præſcriptam, quæ Inſtrumentum morale dici ſolet? Neceſſe eſt ut hoc dicas, aut nihil; cùm in hoc negotio præter Inſtrumentum phyſicum & morale, aliud ne fingi quidem poſſit. Itaque hîc tandem conſiſtis. Verba tua in notis ad libri mei p. 19. hæc ſunt: *Aſſerimus fidem, quæ eſt donum Dei, habere ex ordinatione divina efficaciam realem ad Juſtitiam Chriſti impetrandam, ut juſti Dei ſententiâ æſtimemur, & ab omni crimine abſolvamur. Hoc ad Inſtrumentalitatem ſufficit.* Quibus gemina ſunt, quæ mox in notis ad pag. 20. ſcribis: *In re morali non aliud requiritur inſtrumentum, quàm rei ὁμογενὲς.* Idem quoque dicis in hac ipſa *Animadverſione*, cùm fidei Inſtrumentalitatem exponis per *influentiam ad Juſtitiam apiſcendam ex Dei inſtituto.* Ais igitur, fidem eſſe unicum Juſtificationis Inſtrumentum morale, ſive unicam conditionem, ex inſtituto atque ordinatione divina in Evangelico fœdere ſtabilita, ad hoc neceſſariò requiſitam, ut quis juſtificetur. Atqui Pœnitentiam, ſive converſionem hominis à peccatis ad Deum ex vero Dei amore & Charitate, conditionem quoque eſſe, eamque primariam, juxta ordinationem Divinam in Evangelio promulgatam, ad Abſolutionem hominis peccatoris neceſſariò requiſitam, ſi nondum vel in *Diſſertationibus* meis, vel in hoc ſaltem *Examine*, liquidò demonſtravi, certè in poſterum prorſus deſperaverim, me quicquam demonſtrare poſſe.

§. 5. Sed tandem ad verum & genuinum ſcilicet controverſiæ ſtatum, te duce, pervenimus. Ita enim Cenſuram tuam claudis: *Res de qua quæritur, eſt, utrùm bona Opera in eodem loco & pari honore ſint ac poteſtate, ut per & propter ea, perinde atq; per & propter Fidem, Deus nos juſtificet? Hoc ego nego cum Apoſtolo, & Apoſtolus probat: Tu ais, & non probas.* Credo vel neminem prorſus, vel paucos admodum ex iis, quorum cauſam tam prolixè defendendam ſuſcepiſti, huic tuæ quæſtionis explicationi ſtare velle. Solent illi ex profeſſo negare, propoſitionem illam, *ex Fide, ſive per Fidem, juſtificamur*, ita intelligendam eſſe, quaſi propter Fidem, vel propter ipſius virtutis dignitatem, Deus hominem juſtificaret. Similiter & nos omnino negamus, hominem propter Opera, ſive propter Operum dignitatem, juſtificari. Poteſt tamen ſenſu ſatis ſano dici, juſtificari hominem propter Fidem, vel propter Opera, reſpectu nimirum habito ad gratioſum Evangelii fœdus, Chriſti ſanguine ſtabilitum, in quo Juſtificatio & Salus vel Fidei, vel cæteris Operibus gratis promittitur. Item rectè dicitur quævis noſtra virtus in honore ac poteſtate apud Deum eſſe, ſi candidiorem (ut ita dicam) Dei æſtimationem & judicium juxta idem fœdus gratioſiſſimum reſpiciamus. Sic animus lenis ac modeſtus dicitur à *Petro* Apoſtolo ἐνώπιον τοῦ θεοῦ πολυτελὴς, i. e. *in pretio apud Deum eſſe*, 1 Pet. 3. 4. Quin hoc volueris, nullus dubito. Verbis autem tuis ita explicatis, nego te verum quæſtionis ſtatum expoſuiſſe. Neque enim hîc controvertitur, Fideine an Charitatis major ſit æſtimatio apud Deum, major efficacia in Juſtificationis negotio? (quanquam & controverſia iſta facilè dirimi poteſt, uti mox videbimus) ſed quæſtio eſt: An Fides ſola ad Juſtificationem hominis ſufficiat? An non etiam Pœnitentia ſive converſio à peccatis ad Deum, ex ſincero Dei amore profecta, ad hominis Juſtificationem requiratur? Qui primas

primas partes in hoc negotio Fidei, ſimplici virtui, tribuit, quin turpiter ipſum fallat judicium ſuum, non eſt dubium. Nemo tamen ſobriùs paciſque amans ipſi hoc nomine magnopere repugnandum, aut ſerram contentionis cum ipſo reciprocandam cenſuerit, modò Pœnitentiæ quoque neceſſitatem omnimodam ad Juſtificationem hominis agnoſcat. Ubi de hoc convenit, de cæteris citra vel ſuæ, vel aliorum ſalutis periculum, bonis non eadem ſentire licet. Elegantiſſimâ ſimilitudine rem hanc illuſtravit eximius è noſtratibus Theologus. Fingas (inquit) Medicos complures, ad conſilium advocatos de ægri cujuſdam ſanitate procuranda, conſenſiſſe tandem omnes, tria omnino medicamenta prorſus neceſſaria eſſe ad ſanitatem ægri reſtituendam ; hoc ſufficere ægroto deberet, quanquam de propria & ſpecifica horum medicamentorum efficacia Medicis inter ſe peſſimè conveniret, adeóque tot ſententiæ eſſent, quot homines : Ita prorſus, ubi in confeſſo eſt, Fidem, Spem, & Charitatem ad hominis Juſtificationem atque æternam ſalutem ſic planè neceſſaria eſſe, ut ſine horum alterutro ipſi omnino pereundum ſit ; qui verò hæc tria habeat, dum habeat, ejus æterna ſalus extra periculum poſita ſit : hoc ſufficit, &c.

§. 6. Verùm, quia ita tibi viſum eſt, Quæſtionem diſcutiemus, prout à te (imprudenter admodum & tuorum ingratiis) exponitur. Certè quæcunque noſtra virtus in maximo pretio atque honore apud Deum eſt, ei Juſtificatio noſtra (ſi cuiquam noſtræ virtuti) imprimis tribuenda eſt. Quippe certiori indiciô, ſive ſignô manifeſtiori, demonſtrari non poteſt, virtutem aliquam noſtram maximo in pretio apud Deum eſſe, quàm hôc, quòd virtuti illi maximum beneficium, nempe Juſtificationem, ſummæ ipſius Bonitati conferre viſum fuerit. Itaque huc tandem, per me licet, quæſtionem deducas : Utra virtus majori in pretio atque honore apud Deum ſit, Fides, an Charitas, quæ cætera bona Opera omnia profert ? Audi hîc Apoſtolum *Paulum* 1 *Cor.* 13. v. 2. *Si habeam omnem Fidem, Charitatem autem non habeam, nihil ſum.* Et ejuſdem Capitis commate ultimo : *Manet Fides, Spes, Charitas, tria hæc : maxima autem harum Charitas.* Itaque fruſtra es, cùm poſtea ad pag. libri mei 21. hæc notas : *De Fidei præſtantia, quam Charitate inferiorem eſſe fatemur, non contendimus ; ſed de uſu & efficacia Fidei in ordine ad Juſtificationem agimus.* Nam 1. tibi ipſi contradicis. Dixiſti modò, nullum opus bonum pari in honore ac poteſtate apud Deum eſſe cum Fide ; jam Fidem Charitate inferiorem eſſe fateris. Rurſus : Dixiſti modò, quæſtionem eſſe, An bona Opera pari in honore ac poteſtate ſint, ut propter ipſa, perinde atque propter Fidem, Deus hominem juſtificet ? Jam contrà aſſeris, de Fidei præſtantia quæſtionem non moveri. 2. Perabſurdum illud eſt, & contradictione itidem laborat, quòd Fidem virtutem præſtantiſſimam eſſe negas, & tamen peculiarem ipſi uſum atque efficaciam in ordine ad Juſtificationem concedis. Certè enim præſtantiſſima virtus (ut modò diximus) meritò cenſetur, quæ peculiarem uſum & efficaciam habet ad præſtantiſſimum Dei beneficium, Juſtificationem ſcil. obtinendum. Et quæ demum eſt præſtantia illa, quam Charitati concedis, cui omnem uſum & efficaciam in ordine ad Juſtificationem adimis ? 3. Denique Apoſtolo *Paulo* veluti in os contradicis. Docet ille ſatis manifeſtè, Fidem per ſe & ſine Charitate nihil apud Deum valere ; tu verò affirmas, Fidem per ſe omnia apud Deum poſſe, hoc eſt, peculiarem efficaciam habere ad beneficium illud Dei obtinendum, quod cætera omnia complectitur. Vide quæ diximus in Examine *Animadverſionis* ſecundæ. Sed jam me, atque (ut puto) ſobrium Lectorem ſatis tædet harum ſubtilitatum.

ANIMADVERSIO X.

Ad Differt. 1. Cap. 3. §. 3. pag. 24.

DIxeram, *νόμον Βασιλικὸν, Legem Chriſti Regis*, aliud non eſſe quàm ipſiſſimam Legem moralem, prout ipſam Chriſtus expoſuit, perfecit, ſuiſque diſcipulis ut Legem ſuam impoſuit, neceſſariò obſervandam. Quibus hæc verba ſubjungo: " Hoc ideo curioſiùs obſervandum, ne errorem erremus, quem *Lutherus*, & poſt eum noſtratium Theologorum plerique, in diſputationibus ſuis de Juſtificatione contra Pontificios, nimiô contradicendi æſtu abrepti, in Eccleſias Reformatas, maximo earum malo, invexerunt: Scil. Evangelium ex puris putis promiſſis conſtare; Chriſtum dediſſe mundo Legem nullam, id tantùm egiſſè, ut Legem priùs latam exponeret, atque à peſſimis Scribarum ac Phariſæorum commentis aſſereret; Legis moralis uſum eum nunc eſſe unicum, ut per ipſam homines ad Fidem Chriſti adducantur, vel ſaltem, ut ſit arbitraria quædam vivendi regula, cui obtemperare ex gratitudine teneamur, nequaquam verò ſub periculo animæ, aut tanquam conditio novi fœderis ad ſalutem obſervatu neceſſaria nobis impoſita. Ex his principiis incautiùs ab iis poſitis, atque à Theologorum vulgô avidè arreptis, per neceſſariam conſequentiam deducta fluxerunt execrabilia *Antinomorum*, *Libertinorum*, *Familiſtarum*, atque ejuſdem farinæ aliorum dogmata; de quibus fortaſſe boni illi viri ne per ſomnium quidem cogitarunt. " Tu ad hæc: *Theologis noſtratibus meram calumniam impingis. Ubi enim* Whitakerus, Perkinſus, Prideaux, Abbot, Davenant, White, *&c. Evangelium ex puris putis promiſſis conſtare, Chriſtum unicum Legiſlatorem noſtrum nullam legem dediſſe, docent? Ubi hanc farraginem dogmatum ineptorum prædicant? Tu certè eximius & Theologorum vulgô excelſior Vir, incautè admodum loqueris.*

RESPONSIO ad Animadverſionem X.

§. 1. Non hîc cuipiam calumniam impegi, neque incautè admodùm locutus ſum, ſed conſultò; tu verò mea verba perperàm omnino accepiſti. Per *noſtrates Theologos* nequaquam volui Theologos propriè contribules noſtros, ſive *Anglos*, ſed generaliùs Theologos noſtrarum partium, hoc eſt, Proteſtantes à Pontificiis diſcriminatos, quos Theologos, illos noſtrates in diſputationibus ſuis præpoſterô zelô oppugnâſſe, mox diſertim dico. Hîc ſatis Latinè locutus ſum, cùm *Cicero* ipſe dixerit *noſtrates Philoſophos*, pro noſtræ ſectæ Philoſophis, & *noſtratia verba*, pro verbis, quæ ab iis, qui noſtræ facultatis ſunt, uſurpantur. Quod à *Laurentio Valla* obſervatum, Elegant. lib. 2. cap. 40. his verbis: *Noſtrâs, veſtrâs, & cujas, non tantùm patriam nationemque innuunt, ſed etiam partes & quaſi ſectam: ut, veſtrates Philoſophi non ſunt ita populares & favorabiles, ut noſtrates, qui* Epicuri *Scholâ prodierunt. Et, cujates Philoſophi eſtis?* Stoicine? *an* Academici? *an* Peripatetici? *an noſtrates* Epicurei. Cicer. *Putaréſne unquam accidere poſſe, ut mihi verba deeſſent, non ſolùm illa veſtra & oratoria, ſed hæc levia noſtratia?* Multos autem ex Reformatis Theologis, qui contra Pontificios de Juſtificationis controverſia ſcripſerunt, iſtam farraginem dogmatum ineptorum (ut loqueris, cùm dicere debuiſſes, pernicioſiſſimorum) in Scriptis ſuis tradidiſſe, utinam vanus ſit, qui pronunciaverit. Aſt (proh dolor! nimis multa ex eorum Scriptis, iſtis (ſi id fieri poteſt) magis horrenda, dudum Chriſtiano orbi palàm expoſuerunt communes noſtri adverſarii Pontificii; ut fruſtra planè eſſet, qui hoc ulcus operire vellet. Sane autem monet pietas, divinæ gloriæ zelus poſtulat, ut talia, licèt noſtratium, dogmata cum Pontificiis etiam ipſi, quoties occaſio ſe offert, palàm ac liberè damnemus; tum ne iſti (ut eorum eſt ingenium) id Reformatæ ipſi Religioni vitio vertiſſe meritò videantur, in quo à privatis tantùm Doctoribus noſtris peccatum ſit; tum imprimis, ne ſacri miniſterii Candidati noſtri tam peſtiferam Theologiam (quæ paſſim in Libris quibuſdam, in Scholis noſtris

ſtris nimiùm obtinentibus, velut anguis in herba, latet) ingenti ſuo gregíſque ſuæ curæ in poſterum committendi periculo incauti amplexentur. Equidem non ſum mihi conſcius, aliô me conſiliô ſterquilinium iſtud moviſſe.

§. 2. Ad Theologos autem Eccleſiæ Anglicanæ quod attinet, verè tales non eſſent, ſi iſtam dogmatum farraginem defenderent; ſiquidem ſeptimus noſter Articulus in poſteriori ejus parte illa dogmata velut ex profeſſo damnat. Præterea fuere ſemper Theologi noſtri, maximam partem, in veterum & Catholicorum Doctorum Scriptis ita verſati, (utpote in Eccleſia innutriti, quæ poſt ſacra Oracula, Patrum monumenta ſummè veneratur) ut dogmata tam acatholica (ſi ita loqui fas ſit) non potuerint non averſari. Alioquin & exteri Theologi, qui dogmata illa periculoſa in Scriptis ſuis tradidere, fere contra Eccleſiarum ſuarum Confeſſiones graviter peccârunt, quæ in hoc Articulo pleræque omnes ſanæ atque orthodoxæ ſunt.

§. 3. Sed heus tu! Quid ſi luculenter oſtendam, à teipſo talia in his Notis tuis doceri, ex quibus omnis iſta dogmatum ineptorum farrago per neceſſariam conſequentiam deducatur? Certè id præſtatu haud difficile eſt. Agè videamus. Loquor per totum hoc caput de Lege morali à Chriſto tradita, gratiâ Evangelicâ attemperata, & auxiliô Spiritûs Divini comitata. Audiat jam Lector, quid tu de hac ipſa Lege cum aſteriſco mihi, tanquam apprimè obſervandum, & notatu digniſſimum commendes, in Cenſura proximè præcedente: *Nota bene*, inquis, *Legem moralem eſſe legem Operum; ſed memineris, lege Operum non excludi gloriationem, ſed lege Fidei; & ideo nos juſtificari Fide abſque Operibus, ut gloriatio excludatur*, Rom. 3. v. 27, 28. Dici haud facilè poteſt, quot abſurditatibus ſcateat hæc brevis *Animadverſio*. Sed illud tantùm noto, quod ad propoſitum ſpectat. Si Lex moralis, quatenus à nobis hôc capite conſideratur, ſit revera Lex Operum talis, qualis ab Apoſtolo in loco à te allegato intelligitur, quâque gloriatio non excluditur; neceſſaria eſt conſequentia, neminem Chriſtianum, fidelem nullum, ſub Legis moralis, quatenus à nobis ſpectatur, obligatione eſſe: ſiquidem nemini fidelium cum Lege operum, quæ gloriandi anſam præbet, quicquam ſit commune. Iſta verò concluſio omnem illam dogmatum ineptorum farraginem complectitur. Quin & dogmata illa ex ſententia tua de Juſtitia imputata, & ex eo quoque, quòd Legem moralem à Chriſto proponi, ut Juſtificationis noſtræ normam, diſertim negas, conſequuntur; id quod in Examine *Animadverſionum* ἀμέσως ſequentium liquidò oſtendemus.

ANIMADVERSIO XI.

Ad idem caput & numerum, pag. 25.

DICO hîc, illud pro certo ſtatuendum eſſe, Chriſtum in concione, à *Matthæo* capitibus 5, 6, 7. traditâ, Legem moralem non tantùm expoſuiſſe, ſed etiam ut Legem ſuam poſuiſſe; ejuſque obſervationem, gratiâ Evangelicâ temperatam, ab omnibus Chriſtianis tanquam conditionem fœderis ſui omnino neceſſariam poſtulare. Ad hæc (poſt alia, quæ ſuperiùs ſub examen noſtrum revocavimus) tu notas: *Nemo negat, Chriſtiano duplicem eſſe Juſtitiam neceſſariam: unam Chriſti, fideli imputatam; alteram à ſe præſtitam: illa fide obtinetur; hæc operibus exercetur & oſtenditur*. Matth. 5. 16.

RESPONSIO ad Animadverſionem XI.

§. 1. Quis non videt, hanc *Animadverſionem*, ſi locus ſpectetur quem reſpicit, planè ἀπροσδιόνυσον eſſe? Verùm, quia hanc diſtinctionem duplicis Juſtitiæ ubique mihi in Cenſura tua, veluti *Gorgonis* caput, objicis, eâque uti ſoles, ad vim penè omnium argumentorum meorum eludendam; viſum eſt, hîc ſemel (præſertim cùm in tam confuſa *Animadverſionum* tuarum mole locum alium, quô id facerem, commodiorem non potuerim reperire) de iſta diſtinctione paulò fuſiùs diſſerere, atque oſtendere, te & Juſtitiam

tiam imputatam non veram ſtatuere, atque omnem Juſtitiam inhærentem prorſus tollere.

§. 2. De Juſtitia Chriſti nobis imputata primô in loco agendum eſt. Atque primùm de phraſi ipſa, quâ Juſtitia Chriſti nobis imputari dicitur, inquirendum. 1. Certum eſt, locutionem illam in Scripturis nuſquam occurrere. 2. Æquè manifeſtum eſt, ipſam in pleriſque, iiſque nobiliſſimis Eccleſiarum Reformatarum Confeſſionibus omnino deſiderari. De Imputatione Juſtitiæ Chriſti ne γεὺ quidem reperias, vel in noſtra Confeſſione, vel in *Auguſtana*, *Argentinenſi*, *Wirtenbergica*, *Bohemica*, *Belgica* &c. Qui itaque in alterutra harum Eccleſiarum vivit, is vi ſubſcriptionis ſuæ non tenetur iſtiuſmodi locutionem amplecti; ſed liberum ei eſt diſquirere, quatenus phraſis illa Scripturis & rectæ Rationi congruat, aut diſconveniat. 3. Obſervandum eſt, Phraſin illam peſſimè congruere cum locutione Scripturæ notiſſimâ, quâ Fides dicitur homini in Juſtitiam imputari, *Rom.* 4. v. 3, 5, 6, 22, 23, 24. Nam locutio illa ſenſu aliô accipi non poteſt, quàm hôc, quòd Deus in Evangelio Fidem noſtram (nempe δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, ut *Paulus* ipſe ſe explicat) pro Juſtitia noſtra reputat, & præmiô remunerandam cenſet. Non itaque Juſtitia Chriſti, ſed Fides noſtra, nobis imputatur in Juſtitiam. Quare? An propter rei ipſius dignitatem? Abſit: ſed propter ſolam Jeſu Chriſti Satisfactionem meritoriam, quâ à Deo impetravit, ut, ſub hac conditione, Juſtitiæ ac Salutis ſieremus participes. Itaque juxta Scripturas Juſtitia Chriſti propriè id non eſt (N. B.) quod imputatur, ſed id propter quod imputatur nobis Fides noſtra in Juſtitiam. 4. Denique apprimè notandum, (quod dudum obſervavit Vir doctiſſimus) phraſin, quâ Chriſti Juſtitia nobis imputari dicitur, ſi rigidè accipiatur, conſiſtere non poſſe cum illa, quæ propriam & genuinam Eccleſiarum Reformatarum ſententiam exprimit, quâ nempe Juſtitia nobis imputari dicitur propter Chriſti meritum & obedientiam. Nam ſi utrumque in rigore velimus verum eſſe, neceſſe eſt dicamus, *Juſtitiam Chriſti nobis imputari propter Juſtitiam Chriſti*; quæ locutio manifeſtam in ſe habet ἀνωμαλίαν. Sed de phraſi ſatis; de re ipſa jam videbimus.

§. 3. Catholica doctrina eſt, Fidem, Pœnitentiam, Spem, Dilectionem, cæteraſque Virtutes & bona Opera noſtra, nequaquam per ſe aut meritô ſuô ad id valere ut quis juſtificetur, hoc eſt, à peccatis ſuis priùs commiſſis abſolvatur, à Deo tanquam juſtus tractetur, ipſique ad ſalutem vitamque æternam gratus & acceptus habeatur; ſed illud totum unicè deberi meritoriæ Jeſu Chriſti Satisfactioni, utpote quâ ſolâ gratioſum Fœdus (quod *Evangelium* vocatur) impetratum ac ſancitum fuerit, juxta quod ſub æquiſſimis illis conditionibus, Juſtificationis ac Salutis participes fieri poſſimus. Ita Eccleſia noſtra Art. 11. *Juſti coram Deo reputamur, non propter Opera aut Merita noſtra; ſed tantùm propter Merita Domini ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*, &c. Ita Confeſſiones omnes à nobis paulò antè commemoratæ. Neque aliud voluerunt Confeſſiones (quæ pauciſſimæ ſunt) in quibus phraſis illa, *Juſtitia Chriſti nobis imputatur*, κατὰ λέξιν reperitur. Audi *Gallicanæ* Confeſſionis verba, Art. 18. *Credimus totam Juſtitiam noſtram poſitam eſſe in peccatorum noſtrorum Remiſſione, quæ ſit etiam, ut teſtatur* David, *unica noſtra fœlicitas. Itaque cæteras omnes rationes, quibus homines exiſtimant ſe coram Deo poſſe juſtificari, planè repudiamus: omnique Virtutum & Meritorum opinione abjectâ, in ſola Jeſu Chriſti obedientia prorſus acquieſcimus; quæ quidem nobis imputatur, tum ut tegantur omnia noſtra peccata, tum etiam ut Gratiam coram Deo nanciſcamur.* Ubi eatenus tantùm Juſtitiam Chriſti nobis imputari dicunt, ut propter ipſam nos peccatorum Remiſſionem conſequamur, Deoq; ad Salutem grati & accepti habeamur. Quiſquis autem per Imputationem Juſtitiæ Chriſti hoc tantùm ſe voluiſſe profeſſus fuerit, liceat ipſi per me ſuô loquendi modô liberè uti, modò ne aliis eam phraſeologiam obtrudat.

§. 4. Sed palàm eſt, te locutione illâ, quâ Chriſti Juſtitiam nobis imputari dicis, longè aliud voluiſſe. Quippe ſtatuis, Juſtitiam Chriſti ita nobis imputari, ut revera noſtra fiat, noſque ipſam in Chriſto præſtitiſſe à Deo cenſeamur; unde ſit, ut ex illa juſtitia ipſi perfectè juſti, hoc eſt, ab omni peccati non modò pœna, ſed & culpa, immunes propriè denominari poſſimus. Hanc eſſe genuinam tuam ſententiam jam luculenter oſtendi ex ipſiſſimis tuis verbis, citatis in Examine *Animadverſionis* ſeptimæ, §. 20, 23. Quin & aliis præterea in locis in eandem ſententiam loqueris. Sic in *Animadverſione* ſatis prolixâ, ad calcem *Diſſertationis* noſtræ prioris ſubjectâ, dicis, *Deum Chriſti obedientiam fidelibus contuliſſe, ut hujus participes, & ſponſoris ſui divitiis locupletati juſtificarentur.* Similiter in Notis ad pag. libri mei 279. ita ad verbum ſcribis: *Juſtitia Chriſti, quam per Chriſti Satisfactionem impetramus*

tramus nobis à Deo collatam & imputatam, & acceptatam, quasi nostra esset Legis impletio, ita nobis communicatur, ut nos simus Dei Justitia in Christo, 2 Cor. 5. 21. *Itaque & hoc δικαίωμα in nobis esse non minùs verè dicitur, quàm ipsa sanctitas in nobis esse dicitur. Sed diversi sunt inessendi modi; aliter inest qualitas, aliter relatio.* Nescio autem, an hâc tuâ sententiâ dari possit alia magis noxia & periculosa. Certè hîc ipsissima fundamenta jacis pestilentissimæ hæreseos *Antinomorum:* hoc est illud πρῶτον ψεῦδος, ex quo pessimi *Libertini* horrenda sua dogmata per necessariam consequentiam deducunt. Legas Scripta eorum, qui in nupera Ecclesiæ nostræ ἀκαταστασία (nunquam sine lachrymis cogitanda) *Antinomismum* γυμνῇ κεφαλῇ propugnârunt; imprimis Conciones *Tobiæ Crispi*, Theologiæ Doctoratu, in opprobrium Sacrosanctæ Facultatis, insigniti. Pudet me coram exteris dicere, quot *Crispus* ille Christianis auribus abominandas consequentias ex hac assertione tua eliciat, idque collectione tam evidenti, ut fatear, me non posse Scripta ejus ex hypothesi tua refellere; quid tu possis, nescio. Sed missis his hominum monstris, probatu haud difficile est, istam Justitiæ Christi Imputationem, quam defendis, consequenter ipsissima Evangelii fundamenta convellere, atque universam Dei οἰκονομίαν, quæ in novo Fœdere revelata est, penitus evertere. Nam,

§. 5. Primò, Imputatio illa consistere non potest cum Remissione peccatorum ex parte Dei. Illud suprà satis luculenter ostendi (de alia quæstione agens) in Examine *Animadversionis* septimæ, §. 22, 23. Nihilominus operæ fortasse pretium erit, quæ ibi diximus, recolere, atque ad præsentem quæstionem speciatim accommodare. Si ullam peccatorum Remissionem agnoscis, statuas necesse est, Remissionem illam, vel ante Imputationem Justitiæ Christi, vel in ipsa Imputatione, vel denique post ipsam, concedi: sed neutrum horum congruenter sententiæ tuæ statui potest. Ante Imputationem Justitiæ Christi peccata homini remitti, vix sanæ mentis est qui affirmaverit; cùm apud omnes Orthodoxos in confesso sit, peccata non remitti nisi propter Justitiam & Satisfactionem Jesu Christi meritoriam. In ipsa imputatione peccata non remitti juxta sententiam tuam, manifestum quoque est; siquidem Imputatio, quam statuis, cum Remissione peccatorum omnino est ἀσύζυγον. Qui Justitiâ omnibus numeris perfectâ & absolutâ præditus, adeóque culpæ planè expers à Deo censetur, ei hôc ipso Dei actu nihil remitti, omni luce clarius est. Denique, post istam Justitiæ Christi Imputationem peccata homini remitti, dici non potest sine manifesta contradictione. Qui enim jam perfectè justus & culpæ expers à Deo censetur, is neque peccatorum Remissione indiget, neque ejus capax est; cùm Remissio omnis culpam præsupponat. Itaque Imputatio illa Justitiæ Christi, quam defendis, peccatorum Remissionem (quæ est Evangelii pars maxima) tollit funditus, adeóque à piis omnibus meritò rejicienda est.

§. 6. Secundò, Imputatio illa cum Pœnitentiæ ex parte nostra necessariâ postulatione est omnino ἀσύζυγον. Illud ex priore sequitur. Nam Imputatio Justitiæ Christi, quam statuis, eô ipsô quòd Remissionem tollat, Pœnitentiæ quoque mandatum planè irritum facit; cùm inter Poenitentiam & Remissionem peccatorum connexio talis sit, ut altero sublato, necessariò tollatur alterum. Præterea, quid illi opus est Poenitentiâ de peccatis, qui jam Dei sententiâ justus, atq; omnis peccati expers censetur? Quid ei opus erit Justitiâ illâ imperfectâ, qui per Fidem, nescio quam, idque ante omnem veram Poenitentiam, Justitiam legalem, hoc est, perfectissimam atque omnibus numeris absolutam jam nactus sit? Hinc Theologorum illud portentum *Crispus*, quem modò commemoravi, non erubuit, non veritus est palàm apertéque asserere, (scil. principiis suis, (utinam non & tuis) consentaneè satis) nullam Pœnitentiam ab homine requiri ad Remissionem peccatorum impetrandam; (illud scil. cogitatu nefas, & Satisfactioni Christi atrociter injurium) Poenitentiam in Evangelio commendatam nihil aliud esse quàm generosum quendam & spontè conceptum dolorem, quô homo electus impensè dolet, se Deum tam immensè bonum, qui omnia ipsius peccata in Christum jam impegerit, offendîsse; imò non licere cuipiam, Orationis Dominicæ Petitione, *Remitte nobis debita nostra*, uti eâ intentione, ut Remissionem peccatorum obtineat; (hoc nimirum non esset ex Fide orare, quin & oratio talis abominatio esset Domino) sed tantùm ut sensum & notitiam Absolutionis suæ per Christi mortem jam factæ atque impetratæ animô percipiat. Horum scil. paradoxorum (ad quorum sane auditum veteris Ecclesiæ sanctissimi Doctores, si virbii essent, planè exhorrescerent, exclamarentque, ut olim eorum unus: *Deus bone! in quæ nos tempora reservâsti, ut ista patiamur!*) omnium fundamentum est tuum, nempe, Christum in Electorum persona Justitiæ Divinæ satisfeciisse; ut sponsorem, debita nostra

Vide *Crispi Conc.* Vol. 2. p. 282, 283, &c.

omnia jam ſolviſſe; verbô, Juſtitiam Chriſti revera noſtram eſſe, idque ante omnem Pœnitentiam noſtram. Si cauſeris, me ſententiam tuam diris iſtis conſequentiis immeritò atque invidiosè onerâſſe, abs te id unum efflagito, ut intelligibiliter mihi explices, quomodo Pœnitentia juxta hypotheſin tuam ad Remiſſionem peccatorum impetrandam ſit revera neceſſaria; quod ſi feceris, illicò me habebis confitentem reum, atque pedibus tuis demiſſiſſimè advolutum videbis, culpæ veniam abs te obnixè imploraturum.

§. 7. Tertiò, Imputatio illa omnem etiam ipſius Fidei neceſſitatem ad Juſtificationem impetrandam tollit funditus; eâque poſitâ, prorſus neceſſariò ſequitur, Juſtificationem hominis Fide ipſius priorem eſſe; quæ aſſertio eſt ipſiſſima *Antinomiſmi* fæx. Scio te conſequentiam abominaturum; ſed & ſcio, te ipſam non poſſe effugere, ſi tibi conſtare velis. Rem ſic explico. Abſurdè ſtatuitur, Juſtitiam Chriſti revera noſtram fieri per Fidem. Nam ſi noſtra revera ſit, omnino neceſſe eſt, ut noſtra fuerit antequam crederemus; Fides ad hanc rem nihil conferre poteſt. Qui Juſtitiam Chriſti revera noſtram eſſe docent, neceſſe eſt illi cum *Antinomis* ſtatuant, nos ipſos Dei judiciô atque æſtimatione Juſtitiam perfectiſſimam in Chriſto præſtitiſſe, Juſtitiæque Divinæ haud minùs verè ſatisfeciſſe, quàm ſi in propriis perſonis illud feciſſemus : neque enim Juſtitia illa aliâ ratione revera noſtra fieri poteſt. Hinc autem prorſus neceſſariò ſequitur, poſitâ Chriſti Satisfactione, eos omnes, ad quos Satisfactio illa pertinet, ipſô factô (ante omnem ipſorum fidem) à peccatorum reatu liberari ac juſtos conſtitui. Itaque quæro abs te, an Juſtitia Chriſti ideo revera noſtra ſit, quòd Dei judiciô atque æſtimatione nos ipſi Juſtitiam illam in Chriſto præſtiterimus ? Si affirmaveris, tum ſequetur, Juſtitiam Chriſti revera noſtram fuiſſe antequam crederemus, nempe, ſtatim poſt conſummatum Chriſti Sacrificium. Sin aliter ſtatueris, tum manifeſtum eſt, Juſtitiam Chriſti poſtea revera noſtram fieri non poſſe. Poteſt quidem ſalutaris Juſtitiæ & Satisfactionis Chriſti fructus atque effectus ex Fide noſtra ſuſpendi, (adeóque revera ſuſpenditur) ita ut eum non percipiamus, antequam Chriſtum verâ & vivâ Fide amplectamur; Sed ut ipſa Juſtitia Chriſti noſtra revera fiat per Fidem, quæ noſtra non fuerit antequam crederemus, fieri omnino non poteſt. Hoc ſatis perſpexerunt doctiores quidam inter exteros Theologos, qui eam Juſtitiæ Chriſti Imputationem docuerunt, quam tu defendis; propterea que ut ſibiipſis conſentanei eſſent, palàm & apertè aſſeruerunt, Imputationem Juſtitiæ Chriſti omnem noſtram Fidem antecedere. Sic *Piſcator* in Reſp. ad duplicat. cap. 7. pag. 102, 103. *Homines reipſâ ſunt reconciliati Deo, antequam credant.* Sic *Bernhard. Textor* Diſput. de Juſtif. Theſ. 4. pag. 130. *Remiſſio illa peccatorum, ſeu Juſtificatio, in mente Dei Fidem noſtram (quæ eſt noſtra cum Chriſto conjunctio) præcedit. Quapropter dicimus, electos fideles certò ſtatuere, à Deo Patre ſibi imputatam eſſe Satisfactionem Chriſti in Remiſſionem peccatorum; hoc eſt, Deum Patrem iis omnia peccata remiſſiſſe, antequam crederent.* Sic denique *Smoutius* in ſuo *Pater noſter*, quem inſcripſit Synodo nationali, p. 5. *Doctrinam de æterna Electione & Remiſſione peccatorum tutamur contra eos, qui iſti contradicunt, & ſtatuunt, peccata tum demum nobis remitti & tegi, cùm jam credimus & ſuo tempore per fidem juſtificamur; idque eò magis, quia peccata noſtra tegi & remitti oportet, antequam credere poſſimus.* Idem in ſua *Scripturali Aſſertione*, pag. 46. *Remiſſio & non-imputatio peccatorum Dei cognitionem, Fidem, Converſionem, Regenerationem, & cordis Renovationem antecedunt, & efficiunt, quando adhuc mundani ſumus, in peccatis jacemus, & ſanctum Dei nomen profanamus.* Annon hæc doctrina eſt vehementer Evangelica ? Et eandem tamen haud ita pridem *Johannes Maccovius*, SS. Theologiæ Profeſſor in Academia *Franckerana*, editis Scriptis (proh pudor!) ſtrenuè propugnavit. Quin etiam ante paucos annos Vir doctus apud *Belgas* ſeriò conqueſtus eſt, peſtilentiſſimum illud dogma in Eccleſiis ibidem Reformatis valde creviſſe.

§. 8. Quartò denique, Imputatio illa Catholicam doctrinam de univerſali Propitiatione, pro totius mundi peccatis per Chriſti mortem facta, penitus evertit. Si enim Chriſtus, pro quibus mortuus eſt, in eorum perſona Satisfactionem præſtitit, propterea que illi revera juſti & peccati expertes à Deo cenſentur, neceſſariò ſequitur, Satisfactionem illam ad reprobos, quos vocant, nunquam pertinuiſſe. Itaque obſervabis, qui hanc Satisfactionis Chriſti Imputationem defendunt, eos omnes Satisfactionem illam pro univerſo genere humano factam atque oblatam fuiſſe, conſtanter negare. Atqui reſtrictio & limitatio Satisfactionis Jeſu Chriſti ad certas quaſdam perſonas repugnat, tum innumeris Sacræ Scripturæ teſtimoniis iiſque luculentiſſimis, (neque enim pro ullo Fidei noſtræ Articulo allegari poſſunt loca clariora iis, quæ pro univerſali Servatoris noſtri

noſtri Propitiatione afferuntur) tum unanimi veterum Catholicorum Doctorum conſenſui , tum denique, conſtanti & ubique ſibi conſentienti Eccleſiæ noſtræ doctrinæ. Quid multis? Si Chriſtus non eſt pro omnibus mortuus, tum vanum eſt Evangelii præconium, vana quoque eſt Fides, quæ in Evangelio omnibus præſcribitur, quibus illud patefactum eſt. Munus enim prædicandi Evangelium Apoſtolis à Chriſto mandatum fuit his verbis: *Ite & prædicate Evangelium omni creaturæ.* Cujus mandati ea eſt vis eaque latitudo, ut ſi quis unus prædicator poſſet totum orbem obire, atque omnes ac ſingulos mortales convenire, liceret illi cuivis homini Chriſtum offerre, & ſub conditione Fidei Salutem per Chriſtum obtinendam annuntiare & promittere. Vocatio autem ſeria ad credendum præſupponit objectum paratum, in quod credatur. Si enim ille vocaretur ad Fidem in Chriſtum , pro quo Chriſtus non eſt mortuus, Fides in falſum objectum, imo nullum planè, quod talem vocatum attinet, poſtularetur. Perinde enim ſe res haberet, atque ſi Evangelicus prædicator Dæmonem aliquem humanâ ſpecie indutum & inter homines verſantem vocaret ad Fidem in Chriſtum, & promitteret illi, ſi crederet, vitam æternam. Talis vocatio erronea eſſet ex parte vocantis, & inanis ex parte vocati ; quia is vocatur ad credendum in Chriſtum, cui Chriſtus ex ordinatione Dei non eſt applicabilis ; & illi promittitur ſalus ſub conditione, cui, etiamſi credere ſupponeretur, ſalus tamen denegatur ob defectum hoſtiæ & pacti ad illum pertinentis. Porro, ſi Chriſtus non eſt pro omnibus mortuus, tum omnes , ſimulatque illis innoteſcit doctrina Evangelii de Chriſto Redemptore, mortem ob peccata hominum ſuſtinente, non tenerentur eô nomine ad gratitudinem & obſequium Chriſto præſtandum. Nulla enim eſt cauſa, cur dicamus, illos teneri ad gratitudinem, aut quævis obſequia præſtanda, ratione mortis Chriſti, qui ab illo beneficio ſunt omnibus modis excluſiſſimi. Neque igitur quibuſvis, poſt patefactum illis myſterium mortis Chriſti, verè dici poteſt, quod habetur 1 *Cor.* 6. 20. *Empti eſtis pretio : glorificate Deum in corpore veſtro & ſpiritu veſtro.* Neque illud 2 *Cor.* 5. 15. *Pro omnibus mortuus eſt, ut qui vivunt, poſt hæc non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit.* Niſi enim Chriſtus pro omnibus mortuus intelligatur, ſemper erit incertum, & ſæpiſſimè falſum illud fundamentum, cui Miniſtri Evangelii hujuſmodi hortationes ſuperſtruunt. Semper incertum ; quia hominibus conſtare non poteſt, quinam ſint electi. Sæpiſſimè falſum ; quoties nimirum adhibetur non electis, qui ex hoc titulo Redemptionis non tenerentur vivere Chriſto, niſi præſupponatur, Chriſtum illos verè redemiſſe. Denique , ipſe Chriſtus jure mortis ſuæ non poſſet (quod poſſe ipſum diſertè teſtatur Apoſtolus, *Rom.* 14. 9.) in omnes & ſingulos ſibi vendicare ſupremam dominationem, niſi pro omnibus & ſingulis revera mortuus eſſet. Hîc verbis fere uſus ſum Scriptoris è noſtratibus doctiſſimi; qui utinam efficere potuiſſet, ut iſta cum aliâ ipſius hypotheſi concordarent. Itaque Summa eſt : ſublatâ univerſali Propitiatione per Chriſti mortem factâ, ſimul tollitur univerſalis Evangelii prædicatio ; tollitur univerſalis hominum , quibus innotuit Evangelium, obligatio ad Fidem in Chriſtum, & gratum obſequium ipſi, ut Redemptori ſuo, præſtandum ; denique, tollitur univerſale Chriſti redemptionis jure in omnes homines dominium atque imperium ; hoc eſt, totius Evangelii ima fundamenta convelluntur. Unde ſententiam eorum , qui Chriſti Propitiationem ad omnes homines pertinere negant, meritò ut hæreticam planè in Prædeſtinatianis (qui vocati fuere) olim damnavit Concilium *Arelatenſe : Anathema illi, qui dixerit, quòd Chriſtus non pro omnibus mortuus ſit , nec omnes homines ſalvos eſſe velit.* Cui *Arelatenſis* Concilii anathematiſmo paulò poſt ſecuta Synodus *Lugdunenſis* clarè conſenſit. Iterum autem dico, univerſalem Chriſti Satisfactionem conſiſtere non poſſe cum ea Imputatione, quam defendis: ſiquidem tali Satisfactione tantùm jus omnibus commune ad Remiſſionem peccatorum vitamque æternam impetratur ſub certa conditione ; quâ conditione ab aliquo noſtrûm per Gratiam Dei præſtitâ, non ipſa Satisfactio, ſed jus illud Satisfactione acquiſitum revera noſtrum fit. Quod optimè expreſſit Vir longè doctiſſimus verbis illis: *Per Chriſti mortem & actiones impetratum eſt jus omnibus uti volentibus. Id jus ſuum facit, qui vult, prævia & comitante Chriſti ope,* &c. *Satisfactionem imputari qui dicunt , extra Scripturam loquuntur, & obſcurè, & impropriè ; remque implicant magis , quàm explicant. Quid ergo fit ? id quod impetratum erat omnibus , nobis aptamus. De fonte in publicum emiſſo bibimus : implemus conditionem , ſub quâ indulgentia principalis offertur.* Vel, ut verbis iterum utar viri Apoſtolici *Clementis, Sanguis Chriſti pro noſtra ſalute effuſus, ita Deo pretioſus fuit, ut propterea toti mundo Pœnitentiæ Gratiam conceſſerit:* hoc eſt, Chriſtus per obedientiam ſuam uſque ad mortem à Deo impetravit, ut quivis homo ſub conditione Pœnitentiæ delictorum veniam, vitamque adeo ac ſalutem æter-

æternam conſequatur : itaque conditione illâ præſtitâ, non ipſa Chriſti obedientia, ſed Remiſſio & Salus, per obedientiam Chriſti parta & acquiſita, à Deo nobis donatur. Hîc facilia & plana ſunt omnia, quia vera.

§. 9. Ex his autem omnibus ipſe tandem (uti ſpero) videbis, quot quantiſque abſurditatibus prematur ſententia tua de Imputatione Juſtitiæ Chriſti. Nihilominus ut omnis tibi ſcrupulus (ſi fieri id poteſt) eximatur, proximô in loco ad teſtimonia Scripturæ præcipua, ſive à te, ſive ab aliis pro illa Juſtitiæ Chriſti Imputatione adducta, paulò fuſiùs reſpondebo. Primus locus eſt *Rom.* 5. v. 19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi ; ita per unius obedientiam juſti conſtituentur multi. Reſp.* De Imputatione Juſtitiæ Chriſti omnino ne γεὺ quidem hîc dicitur ; nedum de ea Imputatione, quam tu defendis. Tantùm hîc dicitur, nos per unius, ſcil. Chriſti, obedientiam juſtos conſtitui, hoc eſt, propter meritum obedientiæ Chriſti juſtificari ; quod qui negaverit, per me licet, Anathema fiat. Regeres fortaſſe, dici hîc nos juſtos conſtitui per Chriſti obedientiam, planè quemadmodum peccatores conſtituimur per *Adami* inobedientiam : Atqui per *Adami* inobedientiam peccatores formaliter conſtituimur ; ergo, *&c. Reſp.* 1ò. Plerique Interpretes doctiſſimi in priori membro μετωνυμίαν ſtatuunt. Ἁμαρτωλοὶ κατεςάθησαν, hoc eſt, (inquiunt illi) ita tractati ſunt, quaſi peccâſſent actu, nempe, quia addicti ſunt morti. Sic vox *peccatoris* ſumitur 1 *Reg.* 1. 21. Ita quoque accipitur vox *peccatum*, Chriſto attributa 2 *Cor.* 5. ult. uti mox videbimus. Hâc interpretatione admiſſâ, vim hujus argumenti planè nullam eſſe, evidentiſſimè liquet. Verùm 2ò fruſtra eſſet, qui ubique comparationes & ἀντιθέσεις Sacræ Scripturæ rigidè urgeret, ut ſexcentis exemplis demonſtrare facilè potuiſſem. Sufficit, ſi in Summa rei, de qua agitur, ſive comparatio, ſive oppoſitio apta ſit & conveniens, ut hîc ſe res habet : Ut per inobedientiam *Adami* morti addicimur ; ita per Chriſti obedientiam à morte liberamur, atque ad ſpem vitæ immortalis reſtituimur. Quòd ſi comparationem Apoſtoli ad amuſſim exactam eſſe velis, videris ipſe, quid ad argumentum *Bellarmini* ex hoc loco reſpondendum ſit. *Habemus* (inquit ille) *juſtificari per Chriſtum, non eſſe haberi aut pronuntiari juſtos, ſed verè fieri & conſtitui juſtos, per adeptionem inhærentis Juſtitiæ abſolutæ & perfectæ. Nam juſtificare hoc loco eſt juſtum facere, ut patet ex illis verbis*, juſti conſtituentur multi ; *ubi declarat Apoſtolus, quid ſit juſtificari, nempe, fieri juſtum. Idem etiam colligitur ex Antitheſi* Adami *ad Chriſtum. Scribit enim Apoſtolus, ſic nos conſtitui juſtos per obedientiam Chriſti, quomodo conſtituti ſumus injuſti per inobedientiam* Adami : *At* Adamus *injuſtos fecit Injuſtitiâ inhærente*, &c. Jam verò quid ad *Huberianos* reſpondeas, qui ex hac collatione inter *Adæ* inobedientiam & obedientiam Chriſti inferunt, omnes omnino homines per Chriſti obedientiam in ſtatu Salutis actu conſtitui ; planè quemadmodum omnes per *Adami* inobedientiam in ſtatu Mortis actu revera conſtituuntur ? Quomodo *Antinomos* refellas, ex eadem comparatione colligentes, omnes, ad quos Chriſti obedientia pertinet, hoc eſt, Electos, per eandem obedientiam immediatè, abſolutè, & citra ullum eorum actum ſive Fidei, ſive Pœnitentiæ juſtos conſtitui ; planè quemadmodum omnes, quos inobedientia *Adami* involvit, morti addicuntur abſolutè & ſine ullo reſpectu ad proprium aliquod ipſorum peccatum ? Denique comparatio iſta ſi ad vivum reſecanda ſit, quis finis erit iſtiuſmodi argutiarum ? Res eſt : hôc in loco nequaquam diſtinctè explicatur ſive ratio, ſive modus, quô per Chriſti obedientiam juſtificamur ; (ut neque quicquam hîc dicitur de conditione Juſtificationis ex parte noſtra requiſita) ſed ex aliis locis quamplurimis ſatis conſtat, hominem per Chriſti obedientiam hâc ratione juſtificari, quòd Chriſtum vivâ fide amplectens, Remiſſionem accipiat peccatorum, & jus ad vitam æternam in Sanguine ipſius. Vide quæ diximus *in Examine Animadverſionis ſeptimæ*, §. 10, 11, 12, *&c.* Idem quoque non obſcurè colligitur ex hujus ipſius capitis v. 9. collat. v. 16, 20, 21. 3ò. Denique quod Apoſtolus in hoc capite ne cogitaverit quidem de ea Juſtitiæ Chriſti Imputatione, quam tu defendis, hinc apertiſſimum eſt, quòd de communicatione Juſtitiæ Chriſti loquitur, quæ prorſus univerſalis ſit, atque ad omnes omnino homines extendatur, ad quos condemnatio & mors per primum *Adamum* deſcenderat. Verba Apoſtoli, locum controverſum immediatè præcedentia, diſerta ſunt v. 18. *Igitur ſicut per unius delictum in homines omnes condemnatio ; ſic & per unius Juſtitiam in omnes homines Juſtificatio vitæ.* Unde palàm eſt, nihil aliud hôc in loco voluiſſe Apoſtolum, quàm quòd per Chriſti ſecundi *Adami* obedientiam ac mortem, univerſale pactum impetratum ac ſancitum fuerit, juxta quod, ſub conditionibus in eo præſcriptis, omnes primi *Adami* filii univerſim à morte & condemnatione liberari poſſint.

De Juſtif. lib. 2. c. 3.

§. 10.

§. 10. Alter locus iſque palmarius eſt, 2 *Cor.* 5. v. ult. *Eum enim, qui non noverat peccatum, propter nos peccatum fecit, ut nos eſſemus in eo Juſtitia Dei. Reſp.* Neque hîc dicitur, Juſtitiam Chriſti nobis imputari, nedum ita imputari, ut revera noſtra fiat. Si exiſtimas, rem ipſam, quæ phraſi illâ ſignificatur, hôc in locô doceri, multùm falſus es. Quod ut manifeſtum fiat, locus breviter explicandus. 1º. Certum eſt, (quod notant plerique Interpretes doctiſſimi) in utroque membro hujus ἀντιθέσεως abſtractum poni pro concreto, more Hebræo, *peccatum* pro *peccatore*, *juſtitia* pro *juſto*. 2º. Æquè certum eſt, in priori membro ſubaudiendam eſſe particulam ὡς, aut aliquid ſimile : *fecit peccatorem*, i. e. tanquam peccatorem ; hoc eſt, voluit Deus Pater Chriſtum tractari tanquam peccatorem eumque ſceleratiſſimum, ſubeundo nempe mortem Crucis ignominioſiſſimam. Sic *Chryſoſtomus*, *Theophylactus*, *Oecumenius*, &c. Certè res ipſa omnino poſtulat, ut Ellipſis, aut alia figura, in loco ſtatuatur. Nam horrenda eſſet blaſphemia dicere, Chriſtum innocentiſſimum & peccati omnis expertem, adeóque ſanctiſſimum, judiciô atque æſtimatione Patris pro peccatore & ſcelerato revera habitum fuiſſe. Sic alibi dicitur Chriſtus pro nobis κατάρα, *execratio*, factus, *Gal.* 3. 13. Ubi itidem duplex figura ; nam & κατάρα pro κατάρατον, & ſubauditur ὡς : ut ſenſus ſit, Chriſtus ita tractatus eſt, quaſi eſſet, Deo κατάρατον· nihil homini peſſimo in hac vita pejus evenire poterat. Execrationem autem omnem mereretur, qui ἀεὶ εὐλόγητον, *ſemper benedictum* Dei filium, in conſpectu Patris ſui revera κατάρατον, *maledictum*, unquam fuiſſe doceret. 3º. Apprimè notandum, *Juſtitiam Dei* non hîc ſignificare Juſtitiam Chriſti. Nam vox *Dei* hoc in loco, ut alibi ſæpe, κατ' ἐξοχὴν accipitur pro Deo Patre, & à Chriſto manifeſtè diſtinguitur. Itaque cùm, ut diximus, *juſtitia* hîc ponatur pro *juſto*, verba, *ut eſſemus juſtitia Dei in eo*, nempe, Chriſto, omnino exponenda ad hunc modum : ut eſſemus juſti coram Deo, vel, ut à Deo juſti haberemur propter Chriſtum. His poſitis, manifeſtum eſt, locum ita explicandum eſſe : Ut Chriſtus propter nos peccatum ſive peccator factus fuit, ita nos Juſtitia Dei ſive juſti coram Deo facti ſumus propter Chriſtum : hoc eſt, ut propter noſtra peccata Chriſtus tanquam peccator à Deo tractatus fuit, cùm revera peccati expers fuerit ; ita nos propter ejus Juſtitiam & Satisfactionem tanquam juſti a Deo tractamur, cùm revera perfectè juſti non ſimus, ſcil. propter Chriſti Sacrificium remiſſis nobis pœnitentibus peccatis noſtris, conceſſôque jure ad vitam æternam ; ut locus hic Apoſtoli Catholicam quidem doctrinam de Satisfactione Chriſti egregiè confirmet, cum tuâ verò Imputatione nullâ ratione poſſit conſiſtere. Illud *Coronidis* locô adjiciam, tuam hujus commatis expoſitionem omnino repugnare verbis Apoſtoli præcedentibus, *v.* 19. Ibi enim *Paulus* clarè loquitur de Reconciliatione per Chriſti mortem facta, & de non-imputatione peccati, quæ ad mundum ſine reſtrictione pertinet ; unde ſecutum eſt univerſale pactum Gratiæ ac Salutis, quod τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς, *verbum reconciliationis* vocat, idemque ſibi cæteriſque Apoſtolis mundo annuntiandum à Deo mandatum ſive commiſſum fuiſſe, diſertè ait. Verba ſunt: *Nempe, quia Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, non imputando eis offenſas eorum, poſuitque in nobis ſermonem illum reconciliationis.* Interpretatio enim eorum, qui κόσμον hîc de *Electis* exponunt, eſt (ne quid gravius dicam) audax ac temeraria, quæ exemplo planè careat, nullôque Scripturæ locô, ubi conſtat eô ſenſu vocem accipi, confirmari poſſit. Hic fons erroris, quòd bonis viris durum videatur, de toto mundo dici, quòd Deus cum ipſo reconciliatus fuerit, nedum quòd peccata ipſi non imputaverit. Sed ratio nullius planè eſt momenti. Nam Reconciliatio, per Chriſti mortem facta, apud hunc Apoſtolum alibi, etiam impiis & à Statu Gratiæ ac Salutis adhuc alienis diſertè tribuitur, nempe *Rom.* 5. v. 10. Quippe *Reconciliatio illa* nihil aliud denotat, quàm quòd per Chriſti mortem eatenus Divinæ ſit Juſtitiæ ſatisfactum, ut Deus jam non modò pronus ac paratus ſit, ſed & ſancito cum hominibus gratioſo Fœdere ſe obligaverit, ad Remiſſionem omnibus indulgendam, & pacem cum ipſis ineundam, qui per Fidem ac ſinceram Pœnitentiam ad ipſum redire velint ; proinde ex parte Dei nihil jam obſtet, quò minùs homines cum ipſo actu reconcilientur. Actualem enim Reconciliationem hôc in loco non ſignificari, inde manifeſtum eſt, quòd de ejuſmodi mundi Reconciliatione per Chriſti mortem diſertè loquitur Apoſtolus, quæ ipſam Evangelii, ſive verbi Reconciliationis annuntiationem mundo per Apoſtolos factam, nedum Fidem & Converſionem mundi ad Deum anteceſſit. Neminem autem ante Fidem & Converſionem ſuam Deo actu reconciliatum, ſive juſtificatum eſſe, tot locis, ac tam diſertis pronuntiat Scriptura, ut intolerabilis cujuſdam ſive inſcitiæ, ſive pertinaciæ ſit, illud in dubium vocare. Idem de phraſi altera dicendum. Cùm enim Deus in Chriſto *non imputâſſe mundo peccata* dicitur, ſenſus eſt : quòd Deus, cùm jure potuiſſet

tuisset toti mundo peccatis involuto parcere nolle, (quemadmodum maximæ Angelorum peccantium multitudini parcere omnino noluit) adeoque universum genus humanum æternâ morte punire ac perdere funditus; (hoc scil. est, sensu maximè propriô & summô gradu peccata imputare) parcere tamen voluerit, adeoque, per Christi mortem propitius factus, pactum Gratiæ cum hominibus inire, quô credentibus veréque pœnitentibus peccatorum Remissio atque æterna Salus promitteretur; ut, quod hîc Apostolus dicit, Deum propter Christi Propitiationem non imputâsse mundo peccata, idem planè sit, quod Apostoli *Symmysta Clemens* (cujus verba placebunt etiam decies repetita) dixit, *Deum propter effusum Christi Sanguinem toti mundo* μετανοίας χάριν *Pœnitentiæ Gratiam obtulisse.*

§ 11. Tertius locus est 1 *Cor.* 2. 30. *Sed ex ipso vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis Sapientia à Deo, Justitiaque, & Sanctificatio, & Redemptio. Resp.* Acumen tuum aliorumque mirari satis nequeo, qui ex hoc loco Justitiam illam imputatam elicere potueritis. Argumentum vestrum hujusmodi est: Christus factus est nobis à Deo Justitia; ergo Justitia Christi ita nobis imputatur, ut revera fiat nostra, ipsique per ipsam perfectè justi à Deo censeamur. Hanc vestram argumentandi rationem imitati, progredianur ad verba Apostoli proximè sequentia: Christus factus est nobis à Deo Sanctificatio; ergo Christi Sanctitas ita nobis imputata est, ut revera nostra fiat, perque ipsam sancti ipsi denominemur. Sed quis unquam vel fando inaudivit, quis unquam nisi *Antinomus* aut *Libertinus* somniavit de Sanctificatione imputata? Respiciamus ad verba antecedentia: Christus factus est nobis à Deo Sapientia; ergo Sapientia Christi ita nobis imputatur, ut revera nostra fiat, perque ipsam sapientes ipsi denominemur. λῆρος. Sensus loci satis manifestus est; quippe in verbis Apostoli perpetua est Metonymia effecti positi pro causa. Christus est nobis Sapientia, hoc est, per Christum solum verâ & cœlesti Sapientiâ imbuimur: Christus est nobis Justitia, hoc est, per Christum solum justificamur: Christus est nobis Sanctificatio, hoc est, per Christum solum uberiori Spiritûs Sancti mensurâ donamur: Christus est nobis Redemptio, hoc est, per Christum solum à morte quondam vindicandi sumus, quod ἀπολύτρωσις dicitur *Rom.* 8. 23. *Eph.* 4. 30. Nimirum ἀπολύτρωσιν hîc minùs commodè interpreteris de Satisfactione Christi; siquidem ea in verbis Apostoli præcedentibus, *Christus factus est nobis Justitia,* satis intellecta fuerit. Ita locum rectè explicavit *Theophylactus*: *Christus est nobis Sapientia, Justitia, Sanctificatio, & Redemptio, hoc est, sapientes nos, & justos, & sanctos, & liberos efficit.* Et mox: *Primùm sapientes fecit, liberans ab errore, Deique cognitionem dans: deinde justos, peccatorum Remissione datâ: pòst sanctificavit per Spiritum Paracletum; atque hâc ratione perfectam liberationem ab omnibus malis nobis impertiit.* De loco ad *Philippenses* cap. 3. v. 8, 9, 10. dixi, quantum sufficit, *Harm. Apost. Dissert.* 2 *cap.* 12. *n.* 6. Ex his autem, quæ de Imputatione Justitiæ Christi fusiùs disserui, tandem (ut puto) abunde liquet, te Justitiam imputatam non veram statuere.

§. 12. Restat ut alterum illud paucis ostendam; nempe, te Justitiam omnem inhærentem prorsus tollere. Id quoque satis constat ex sententia tua de Justitia imputata: quippe talem Justitiæ Christi Imputationem statuis, quæ cum necessitate inhærentis Justitiæ sit omnino ἀσύστατον, ut jam suprà ostensum est. Sed & aliâ ratione idem evinci potest. Dicis, te Justitiam inhærentem agnoscere: verùm id tibi, centies licèt affirmanti, vix credam. Si dixisses, te Sanctitatem sive bonam qualitatem inhærentem in omnibus justificatis agnovisse, non repugnarem: at Justitiam inhærentem, si consentaneè loqui velis, non poteris agnoscere. Me explico. Justitia inhærens Justitia nostra dici non potest aliâ ratione, quàm quòd per eam justi efficiamur, hoc est, quòd conditio sit Justificationis nostræ in Evangelico Fœdere requisita. Sed hoc tu negas, ac proinde Justitiam omnem inhærentem tollis. Justitia omnis legem, normam, sive regulam aliquam respicit, ad quam exigitur; isque justus est, qui ea præstitit quæ Lex requirit, ad cujus normam judicandus sit. Restat igitur unum illud inquirendum, per quam Legem ex Justitia inhærente illa justi denominemur? Certè per Legem Gratiæ sive Evangelium. Lex Gratiæ dicit: Qui credit & Pœnitentiam agit, hoc est, de peccatis suis ex animo dolet, ea detestatur ac deserit, atque ad Deum in Christo ex vero amore & sincero obedientiæ proposito convertitur, veniam accipiet peccatorum, & jus ad vitam æternam in Christi Sanguine: quique deinceps, si vixerit, dignos Pœnitentiæ fructus ediderit, atque in Justitia & Sanctitate creverit, Gratiam Justificationis adeptam retinebit, quamdiu talis manet, adeóque, si in hoc statu moriatur, æternùm salvus erit. Hæc conditio præstita est Justitia nostra secundùm Legem Evangelicam, quæ ipsam requirit; atque ex ea justi constituimur per

eandem

eandem Legem, hoc, est, non rei non præstitæ conditionis in ea Lege requisitæ. Interim cœcus est, qui non videt hanc Justitiam nostram subordinari (ut ita dicam) Justitiæ Christi, atque ex ea unicè pendere. Quippe Lex, seu Fœdus Evangelicum, in Christi Sanguine fundatum ac stabilitum fuit. Christus à Patre impetravit, ut ex Fœdere tam gratioso judicaremur, & Justitiâ atque Obedientiâ suâ perfectissimâ apud Deum effecit, ut illa nostra, manca licèt & imperfecta, tanquam revera Justitia esset omnibus numeris absoluta, ad salutem accepta haberetur. Hæc plana sunt atque intellectu facilia; quæ verò tu de Justitia tam imputata, quàm inhærente passim in Notis tuis differis, ita intricata & perplexa sunt, ut Lector in iis versatus, veluti in labyrinthum quendam incidisse sibi videatur, unde extricare sese haud facilè poterit.

ANNOTATA

Ad Respons. ad Animadvers. XI.

Ad §. 2.

C*Ertum est, locutionem illam in Scripturis nusquam occurrere*] Omnino nusquam ait Scriptura, *Christi justitiam nobis imputari*; sanus tamen hujus propositionis sensus, à Reverendo Authore in fine §. 3. indicatus, in eâ intimatur. Ast *Christi justitiam nobis imputari ad justitiam, ita ut ex illa verè denominemur justi*, (qui est genuinus controversiæ status) in S. Scripturis neque verbô dicitur, neque reapse docetur. Imo contrarium in illis adstruitur, ut non modò ex iis, quæ num. 3. hujus periodi allata sunt, sed & inde patet, quod ubicunque in Scriptura *justi* dicimur, ad inhærentem nobis justitiam, atque ad ea, quæ ipsi præstitimus, vel præstare debuimus, semper habeatur respectus; (Vide Annotata ad Cap. II. Dissert. I. Harmoniæ Apostolicæ) nunquam autem justitiæ Christi imputatæ ullum occurrat vestigium. Quod enim attinet verba Apostoli Rom. IV. 6. *David dicit beatitudinem hominis, cui Deus imputat justitiam sine operibus*; ibi *justitiam imputatam* quidem audio, non tamen Christi Servatoris, sed impii peccatoris, non quam reapse præstitit, sed quam præstitisse gratis censetur, omnibus ejus prioribus flagitiis novâ vitæ integritate obtectis, ut quasi justus appareat, qui reapse injustus fuit, sed jam conversus justitiam didicit. Ita enim Apostoli locum explanant ipsa Davidis, quæ allegat, verba: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum.* Ex quibus Sole clariùs elucet, *imputare justitiam* ibi non significare, *justitiam Christi peccatori imputare*, quasi ipse eam operatus fuisset; sed *non imputare peccatum impio*, quasi hic illud non commisisset: neque enim ulla præteritorum criminum memoria post seriam atque perfectam conversionem ampliùs apud DEUM habetur. Atque hæc *justitiæ imputatio*, sive potiùs *peccatorum non imputatio* (ut ita dicam) fit quidem propter justitiam Christi, tanquam causam meritoriam; sed non hæc ipsa justitia ita nobis imputatur, ut ex ea verè & propriè justi denominemur & simus; sicut ex iis, quæ jamjam annotabo, ulteriùs patebit.

De phrasi satis.] Placet tamen absurditatem phraseos quâ nos *ex justitia Christi imputata justi esse* dicimur, unô atque alterô argumentô ampliùs ostendere. 1. Modò intimavi, justitiam Christi esse causam meritoriam nostræ Justificationis, ut ab omnibus Orthodoxis conceditur. Atqui causa meritoria spectat ad causam efficientem externam, quæ essentiam effecti non ingreditur; denominatio autem rei fit à forma, quæ est causa interna, & de essentia rei. Justos itaque nos appellare ex justitia Christi, est diversas causæ efficientis & formalis species, imò distincta internarum & externarum causarum genera inter se confundere. 2. Si per justitiam Christi nobis imputatam justi formaliter dicimur, & sumus, tum quoque per ejus erga DEUM amorem nos DEI amantes, per ejus mansuetudinem mansueti &c. formaliter dicimur & sumus. Quicquid enim de genere affirmatur, de omni specie quoque rectè prædicatur. Atqui absonum est posterius; ergo & prius. 3. Si per activam Christi justitiam nobis imputatam justi verè denominamur, & per passionem mortemque

temque ejuſdem nobis imputatam nos patientes vel paſſi, perque mortem ejus mortui verè dicimur. Atqui hoc eſt abſurdum; ergo & illud. 4. Quomodo nobis juſtitia Chriſti, ita Chriſto noſtra peccata à DEO imputata ſunt; ut ipſi imputatæ noſtræ juſtitiæ Patroni crebrò affirmant. Si itaque ex imputata Chriſti juſtitia propriè dicimur & ſumus juſti, qualis ex imputatis peccatis noſtris propriè diceretur & eſſet Chriſtus? Horret animus execrabilem blaſphemiam proferre. Ecce quàm periculoſum eſt καινοφωνίαις indulgere, & terminos, quos Divini atque Eccleſiaſtici Scriptores nobis poſuerunt, movere!

Ad §. 9.

Videbis, quot quantiſque abſurditatibus prematur ſententia tua de Imputatione Juſtitiæ Chriſti.] Iſtis & alia quædam incommoda quæ dictam ſententiam conſequuntur, addere libet verbis Viri judiciô & pietate præcellentis, *Guilielmi Forbeſii*, in Conſiderationibus pacificis ac modeſtis Lib. II. de Juſtificatione cap. 3. §. 8. " Si per juſtitiam " Chriſti imputatam juſti haberemur & " eſſemus, perinde ac ſi propria ſit noſtra " intrinſeca & formalis juſtitia, hæc in- " commoda inde ſequi viderentur. Primò, " ut urgent Romanenſes, non minùs juſti " cenſeri deberemus coram DEO, quàm " ipſe Chriſtus. Hoc quidem diſcriminis " intercedit, quod Chriſtus à ſe,& in ſe, ſeu " *inhærenter* juſtus ſit; nos tantùm precariô & *imputativè* i. e. ab illo & in illo " Nihilominus tamen per Chriſti juſtitiam. " nobis ſic imputatam veriſſimâ Dei æſtima- " tione æquè juſti cenſemur, & ſumus, " quàm ipſe Chriſtus: quod Chriſtianæ " aures vix ferre poſſunt. Certè nec Scri- " ptura, nec Patres, unquam aut uſquam ita " loquuntur. Secundò, omnes qui juſtifi- " cantur, æquè juſtificantur: quia non di- " verſâ participatione juſtitiæ à Chriſto " transfuſæ juſti ſunt, ſed ſolâ imputatio- " ne unius & ejuſdem juſtitiæ Chriſti, quæ " tota ſingulis æquè imputatur. Diſtinctio " hîc adhiberi ſolita ab iis qni huic ſen- " tentiæ favent, ad hoc incommodum vitan- " dum,inter *Juſtitiam Juſtificationis* & *Sanctificationis*, non eſt ſatis ſolida, ut cap. " ſequenti monſtrabitur. Denique hinc " ſequitur, juſtos in hoc ſeculo juſtiores " eſſe, quàm in vita æterna futuri ſint: " quum hîc omnes per ipſam Chriſti juſti- " tiam, omnium longè perfectiſſimam ſibi " imputatam verè coram DEO juſti ha- " beantur, & ſint; illic ſinguli ſuam tan- " tùm habituri ſint,quum nihil ampliùs loci " ejuſmodi Chriſti juſtitiæ imputationi fu- " turum ſit propter perfectionem juſtitiæ " inhærentis, quæ tamen ipsâ Chriſti juſti- " tiâ multò erit inferior.

ANIMADVERSIO XII.

Ad idem caput, Sect. 4. pag. 25, 26.

POſtquam fuſè egiſſem de Lege Chriſti, ad cujus normam judicandi ſunt Chriſtiani omnes, ac probâſſem, Legem illam haud aliam eſſe quàm Legem Moralem, cujus obſervatio, cum Fide Chriſti conjuncta, ex Fide profecta, & Gratiâ illâ Dei & ſummâ Indulgentiâ attemperata, quæ in Evangelio revelatur, ab omnibus ut conditio ad Juſtificationem ac Salutem obtinendam neceſſaria requiritur; tandem argumentum meum inde formo contra *Antinomos*. Verba mea ſunt: *Ex his jam præmiſſis, exurgit tandem contra* Antinomos *ac* Solifidianos *argumentum (meô quidem judiciô) invictiſſimum. Quiſquis à Deo per Chriſtum juſtificatur, per Legem Chriſti abſolvitur; At ſolâ Fide ſine Operibus nemo per Legem Chriſti abſolvitur: Ergo, &c. Minor ſola hujus Syllogiſmi probatione indiget; ea verò ita facilè confirmatur: Quicunque per Legem Chriſti abſolvitur, eam Legem impleat neceſſe eſt; At Fide ſolâ ſine Operibus nemo Legem Chriſti implet; Ergo Fide ſolâ ſine Operibus nemo per Legem Chriſti abſolvitur.* His tu ita occurris: *In hoc argumento, quod invictiſſimum eſſe crepas, eſt amphibologia inſignis, Theologô indigna. Latet dolus in his verbis, Lex Chriſti. Lex Chriſti duo ſignificat: 1 Legem Dei Moralem, quæ à Chriſto non ſolvitur, ſed firmatur, & conſcientiis ut obedientiæ regula præſcribitur, cum obligatione ad obſequium. Sed hæc non proponitur ut noſtræ*

nostræ Justificationis norma, ut Paulus *verbis disertissimis asserit* Gal. 2. 16. 21. 2. *Legem Fidei, ut Apostolus vocat rationem illam peccatorem justificandi, quam Deus in Evangelio per Christum manifestavit,* Rom. 3. 27. *Tu verò hæc duo confundis. Et quia Minor prioris Syllogismi* Pauli *verbis è diametro adversatur,* Rom. 3. 28. *eam probare niteris ludendo in ambiguo. Quicunque per Legem Christi (puta de Justitia Fidei) absolvitur, eam Legem impleat necesse est : At Fide solâ sine Operibus nemo Legem Christi (scil. Moralem) implet : Ergo nemo Fide solâ sine Operibus per Legem Christi Evangelicam absolvitur. Quis non videt Homonymiam & fallaciam ? Etsi Fide solâ sine Operibus nemo Legem Moralem impleat, imò etsi nemo Legem Moralem absolutè impleat, & nemo igitur ex Lege Morali Justitiam assequi possit ; quicunque tamen credit in Deum per Christum, Legem Christi Evangelicam, de Justificatione per Fidem in Christi Sanguine implet, & à peccatorum reatu eô nomine absolvitur. Fides vera & viva est conditio Justificationis unica secundùm Legem Christi Evangelicam. Qui post* Pauli *dissertationem seriò perlectam hoc negat, est impius perinde atque vesanus.*

RESPONSIO ad Animadversionem XII.

§. 1. Animadversio hæc tua mera est atque insignis calumnia. Candorem in Disputationibus, præsertim Theologicis, amavi semper, & secutus sum, ab *amphibologiis* illis, dolis, & malis artibus, tum ubique, tum imprimis in iis, in quibus salus animarum vertitur, quàm longissimè abhorrens. Istiusmodi artificiis causa tua, contra veritatem manifestissimam suscepta, indigere quidem potest ; at veritas, quam defendimus, istis angulis ac latibulis opus non habet. In hoc Capite illud primùm fundamenti loco suppono, (quod apud Reformatos omnes in confesso est) vocabulum Justificationis esse forense, sive juridicum, adeóque primâ suâ notione juris processum connotare : unde infero, in Justificatione nostra, sicut in omni Juris processu, præter alia, Legem imprimis aliquam statuendam esse, ad cuius normam judicium sit peragendum ; adeóque neminem propriè justificari sive absolvi, nisi qui Legem, ad cujus normam judicatur, impleverit. His positis, pergo inquirere, quænam sit illa Lex, cujus judicio nobis Christianis standum sit ? Disertissimô testimoniô *Jacobi* Apostoli ostendo, Legem, per quam judicandi sumus, esse νόμον ἐλευθερίας, *Legem libertatis,* sive νόμον βασιλικὸν, *Legem Regiam,* hoc est, Christi Regis nostri, hæc inter alia jubentem : ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σαυτόν. Tandem concludo, Legem Regiam, de qua loquitur *Jacobus,* & per quam nos judicatum iri affirmat, esse ipsissimam Legem Moralem, prout scil. eam exposuit ac perfecit Christus ipse, atque à Monte (*Sinai* succedaneo) ut Legem suam Discipulis tradidit. Dico & probo, hujus Legis observantiam, Gratiâ Evangelicâ temperatam, ab omnibus Christianis, ut conditionem Fœderis sui omnino necessariam, à Christo postulari. His omnibus præmissis ac stabilitis, demum contra *Antinomos,* (quorum causam Ecclesiæ *Anglicanæ* Theologum suscepisse nollem) ita argumentor : Quisquis à Deo per Christum justificatur, *&c.* ut suprà. In utraque utriusque Syllogismi propositione eandem Christi Legem (sine omni ἀμφιβολίᾳ) intelligendam volui. Tu verò, quia fundamenta argumenti mei evertere non poteras, *amphibologiam* finxisti pro libitu tuo, ut hoc saltem κρησφυγέτῳ ictum teli nostri effugeres.

§. 2. Sed crimen, mi Censor, in caput tuum recidit. Tu dolô malô, eôque multiplici, Lectorem tuum fallis ac decipis ; aut certè ipse falsus ac deceptus es. Nam, 1ò duplicem Christi Legem statuis in Evangelio propositam, nobisque Christianis impositam. Atqui hactenus putârim (densam Theologorum turbam secutus) Christianis unicam esse Legem, quemadmodum & unicum Legislatorem. Equidem quis sanus Theologus unquam somniavit de ista distinctione inter Legem Christi Moralem, & Legem Christi Evangelicam ? Annon Lex Moralis, quatenus est Lex Christi, hoc est, à Christo exposita, suisque imposita Evangeliô (sub qua κρίσει solâ ipsam in hoc Capite consideravimus) est Lex Evangelica ?

§. 3. 2ò. Dicis Legem Moralem à Christo non solvi, sed firmari, & conscientiis ut obedientiæ regulam præscribi, cum obligatione ad obsequium ; sed qualis sit obligatio illa, non explicas. Dic sodes, dic apertè, utrùm ad obsequium Legis Moralis, à Christo firmatæ, sub periculo animæ obligemur, an solô gratitudinis vinculô ? Si hoc affirmaveris, pestiferam *Antinomorum* hæresin amplecteris ; & redeunt absurda illa Dogmata omnia, à quibus tantopere abhorrere te, modò professus es. Sin illud statueris, fateaaris necesse est, Legem illam à Christo proponi, ut nostræ Justificationis normam ; hoc est, Legis sinceram observationem conditio-

nem eſſe in Evangelio ad Juſtificationem neceſſariò requiſitam. Ratio conſequentiæ eſt: quia quatenus quid ſub periculo animæ, & ut neceſſarium ad Salutem requiritur, eatenus idem ut neceſſarium quoque ad Juſtificationem requiritur: quod ſuprà liquidò demonſtravi in Examine *Animadverſionis* ſeptimæ, Sect. 2, 3, 4, 5. Ut verò Lector, quæ ibidem diſſeruimus, quomodo ad præſentem Quæſtionem accommodanda ſint, rectiùs dijudicet, notandum eſt, Legis Moralis à Chriſto traditæ duplicem quaſi obſervationem ſtatui poſſe; alteram, quæ votô & firmô animi propoſitô concipitur, atque internô ſaltem affectu perficitur; alteram, quæ ipſo opere, ſive ſanctâ πολιτείᾳ completur. Prioris generis obſervatio ad Salutem abſolutè neceſſaria eſt; proinde ad id requiritur, ut quis primæ Juſtificationis Gratiam obtineat. Deus enim neminem ad Salutem acceptum habet, proinde neminem juſtificat, qui nondum ad eam Dei & proximi dilectionem pervenit, quæ eſt τέλος τῆς παραγγελίας, *finis præcepti*, 1 Tim. 1. 5. (hoc eſt, finis, quem in Lege ſua Deus intendit, quôque utcunque conſecutô acquieſcit) vel, ut *B. Pauli* verbis iterum utar, qui nondum præditus eſt *Fide per Charitatem perfectâ*. Altera verò illa Legis obſervatio, ad Salutem requiritur ex hypotheſi, ſi Deus vitam dederit; proinde ad Juſtificationis Gratiam retinendam & conſervandam requiritur. Verbô dicam: qui Chriſto Regi ſe devovet, & νόμῳ βασιλικῷ obedientiam per Gratiam Chriſti præſtandam firmô animi propoſitô ſpondet, is ex Fœdere Evangelico jus habet ad Salutem; ſed jus pendens, datum ſub conditione præſtandi actu obedientiam, quam votô ſuſcepit, ſi modò Deus vitam prorogaverit. Unde manifeſtum fit, obſervationem Legis Moralis à Chriſto traditæ, quatenus ad Salutem requiritur, eatenus etiam ad Juſtificationem requiri. Requiritur prima illa Legis obſervatio, ut quis per Gratiam Dei in Chriſto jus ad Salutem acquirat, hoc eſt, juſtificetur; altera verò requiritur, ne quis jure ſuo ad Salutem excidat, hoc eſt, Juſtificationis Gratiam jam adeptam amittat. Itaque in omnem partem te vertas, neceſſe eſt, ut hîc vel argumento meo cedas, vel in caſtra *Antinomorum* (quod abſit) ſecedas.

§. 4. 3°. Peſſimâ fide à te adducitur hypotheſi tuæ probandæ locus Apoſtoli, *Gal.* 2. 16, 21. Nam Apoſtolus ibi non agit de Lege Morali à Chriſto firmata, cujus ſincera obſervatio cum Fide Chriſti conjuncta & ex Fide profecta, ut conditio Salutis obtinendæ neceſſaria, in Evangelio requiritur; ſed vel de Lege Rituali, cujus obſervationem Judaizantes Pſeudo-apoſtoli docuerunt, cum Fide Chriſti neceſſariò conjungendam fuiſſe, ſi quis ſalvus eſſe vellet; vel de *Moſaico* Fœdere integro, à Chriſto Mediatore & Fide in ipſum divulſo. Piget me hæc tam clara & manifeſta, jamque tam fuſè probata, toties repetere.

§. 5. 4°. Periculosè admodum Legem Operum, de qua loquitur Apoſtolus, quamque Legi Fidei opponit, *Rom.* 3. 27. de Lege Morali à Chriſto Diſcipulis traditâ interpretaris. Imò neſcio ſane, an quicquam à profligatiſſimo inter *Libertinos* hâc interpretatione tuâ magis abſurdum, magis noxium ac periculoſum dictum, aut prolatum unquam fuerit. Vide quæ diximus in Examine *Animadverſionis* X. Sect. 3. Unde & hæc interpretatio tua planè ſingularis eſt, neque cujuſquam probati Scriptoris, ne inter *Neotericos* quidem Theologos, authoritate defendi poteſt. Nam illi, cùm Legem Moralem Operum Legem vocant, Legem Moralem intelligunt, non quatenus à Chriſto Diſcipulis ſuis, in Concione à *Matthæo* recitatâ, expoſita impoſitaque fuit; (nunquam ita deſipuerunt) ſed quatenus extra Chriſtum ſpectata, neſcio quam abſolutiſſimæ virtutis atque obedientiæ impoſſibilis ἀκρίβειαν ſub periculo animæ ab homine exigit poſtulatque. Verùm & illi ab Apoſtoli mente (quod pace eorum dixerim) aberrâſſe mihi videntur. Νόμος ἔργων, *Lex Operum* ſive *Factorum*, (ut optimè vetus Interpres) Apoſtolo eſt revera nihil aliud quàm Lex *Moſaica*, carnaliter & juxta literam ſpectata, quæ multiplicia opera externa & Ritualia (ἔργα magis propriè dicta) requirit, quæque, ad ipſa Moralia quod attinet, Juſtitiâ illâ, quæ in externis factis conſiſtit, contenta eſt; utpote quæ tantùm exteriùs perpetratis homicidii, adulterii, *&c.* actibus mortem denuntiet, non ipſis peccatorum internis affectibus. Verum eſſe quod dico, nempe Legem Operum Apoſtolo eſſe Legem *Moſaicam*, carnaliter & juxta literam ſpectatam, apparet ex integro loci contextu, qui continetur v. 27, 28, 29, 30. Verba ſunt: *Ubi eſt ergo gloriatio? Excluſa eſt. Per quam Legem? Factorum? Non; ſed per Legem Fidei. Arbitramur enim juſtificari hominem per Fidem abſq; Operibus Legis. An Judæorum Deus tantùm? Nonne & Gentium? Imò & Gentium. Quoniam quidem unus eſt Deus, qui juſtificat Circumciſionem ex Fide, & Præputium per Fidem.* Ubi hâc ratione probat Apoſtolus, non juſtificari hominem ex Lege Operum, quòd Deus non ſit tantùm *Judæorum*, ſed & *Gentilium* Deus. Quæ ratio manifeſtè oſtendit, cogitâſſe imprimis hôc in loco *Paulum* Legem illam

Vide Gal. 2. ult.

illam Factorum, sive Rituum, quæ ad *Judæos* tantùm pertineret, ac veluti intergerinus paries (*Eph.* 2. 14.) ipsos à *Gentibus* divideret. Neque nova est hæc interpretatio; siquidem locum ita exposuit (ut alios Veteres omittam) antiquus Author Commentariorum, qui *Ambrosio* tribuuntur, tum ubi in ipsum locum scribit, tum alibi. Clara sunt imprimis verba ejus in ipso initio Prœmii in Epistolam ad *Galatas*: *Omnis* (inquit) *credens in Christum, & observans Legem Factorum, malè intelligit Christum. Sicut &* Symmachiani, *qui ex Pharisæis originem trabunt, qui servatâ omni Lege Christianos se dicunt*, &c. *Si enim Deum intelligerent Christum, nihil de Lege Factorum sperarent, id est, de Neomeniis, Sabbato, Circumcisione, & discretione Escarum*, &c. Cui gemina sunt, quæ idem Author scribit in Epist. ad *Galat.* cap. 3. v. 19. *Lex Factorum*, (inquit) *id est*, Moysi *posita est in medio inter cœptam promissionem, & semen, cui facta promissio est, hoc est, inter* Abrahamum *& Salvatorem. Ideo longè data post factam promissionem, ut ipsâ distinctione aliud promissio videretur; ut populum Dei à* Gentibus *segregatum erudiret sub Dei timore, ut dignus fieret ad excipiendam promissionem, quæ est Christus. Lex tamen Factorum ideo dicitur, quia docet, quæ Deo jubente corporaliter fiant de Sacrificiis, de Primogenitis, de Decimis, & de cæteris talibus.* Hæc autem *Lex Factorum* gloriationem non excludebat, ob duplicem rationem. Primùm, quidam erant ex *Judæis*, qui hujus externæ Legis accuratam observationem, tam Moralia quàm Ceremonialia quod attinet, non falsò prætenderent. Talis erat *Paulus*, qui dicit se, quod Justitiam illam Legis externam attinet, planè ἄμεμπτον, *irreprehensum*, fuisse. Talis Juvenis ille, qui, Moralia quod spectat, totum Decalogum ab ipsis fere incunabulis se observâsse gloriatus est, *Matth.* 19. 20. Si itaque ista Legis Factorum observatio, si externa illa Justitia, ad Salutem sufficiisset, fuissent, qui Remissione peccatorum ac Redemptoris Sacrificiô non indiguissent. Deinde, ad hanc externam Justitiam sufficiebat fere humanum arbitrium, neque tam necessaria erat specialis illa Spiritûs Sancti Gratia, quæ in Evangelio, spiritualem Justitiam exigente promittitur. Illud obiter monuisse visum est, quòd observatio haud parvi momenti sit. Pergamus.

Vide *Gal.* 2. *ult.*

§. 6. 5°. In eo certè graviter erras, quòd existimas *Legem Fidei* ideo hôc nomine ab Apostolo appellatam esse, quòd nihil requirat præter Fidem, sive quòd per meram Fidem, simplicem virtutem, impleatur. Lex Fidei non solam Fidem requirit, sed Fidem δι' ἀγάπης ἐνεργουμένην, ipso Apostolo teste, *Gal.* 5. 6. *In Christo Iesu neque Circumcisio quicquam valet, neque Præputium, sed Fides per Charitatem perfecta.* Quid verò sit Fides illa per Charitatem perfecta, idem Apostolus alibi liquidò explicat, nempe 1 *Cor.* 7. v 19. *Circumcisio nihil est, & Præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei.* Ex quibus locis inter se collatis manifestum est, τήρησιν ἐντολῶν Θεῦ, hoc est, sinceram observationem præceptorum Dei, (eorum scil. quæ universalis ac perpetui juris sunt) ab Apostolo sub Lege Fidei comprehendi. Hinc in Ecclesia Christi, quæ Apostolicam ætatem proximè secuta est, pro Catholico atque Orthodoxo habebatur, qui doceret, hominem per moralia Legis præcepta justificari, perinde atque is qui diceret, hominem per Fidem justificari: & duæ istæ locutiones neutiquam secum pugnare judicabantur. Testis locupletissimus est *Irenæus*, *Polycarpi* Viri Apostolici Discipulus, qui lib. 4. cap. 27. in ipso initio sic scribit: *Dominus naturalia Legis, per quæ homo justificatur, quæ etiam ante Legisdationem custodiebant, qui Fide justificabantur, & placebant Deo, non dissolvit, sed extendit, sed & implevit.* Totum Caput lectu dignissimum est. Quid igitur? Lex Evangelica ideo *Lex Fidei* appellatur, quòd obedientia illa omnis, quam requirit, tum ex Fide in Christum proficiscitur; & tanquam ex radice sua germinat; (unde & *obedientia Fidei* disertè dicitur, *Rom.* 16. v. 26. & alibi) tum Gratiâ Spiritûs Sancti, quam Fides impetrat, perficitur, tum denique solâ vi promissionis in Christi Sanguine factæ ac stabilitæ, quam Fides amplectitur, non suô meritô, ad Salutem valet: unde ad Salutem valet, quanquam imperfecta sit. Vide *Harm. Apostol. Dissert.* 2. *cap.* 5. per totum.

§. 7. 6°. Quod dicis, à nemine Legem Moralem impleri, si de perfecta & omnibus numeris absoluta Legis impletione loqueris, (de qua loqui te palàm est) ut verum illud sit, certè ad rem non est. Argumentum meum aliis fundamentis nititur, nempe his duobus. 1. Esse aliquam Legis observationem à nobis requisitam sub periculo animæ, atque ut conditionem Salutis obtinendæ omnino necessariam. * 2. Quæ Legis observatio ad Salutem requiritur, ipsam quoque ad

* *Quæ Legis observatio sit possibilis, quæque absolutè necessaria ad Salutem, fusè ostenditur in* Appendice ad Exam. Animadv. 17. Thes. 5, 6, & 7.

ad Juſtificationem pariter requiri. Poſterius illud fundamentum quàm firmum ſit, jam ſæpiùs oſtendi. Priorem Propoſitionem nemo, niſi qui ſit ex fæce *Libertinorum*, negare auſit : & qui negaverit, diſertiſſimis ipſius Domini noſtri verbis refellitur, *Mat.* 5. v. 19, 20. & 7. v. 21, 24, 25, 26, 27. Summa Legis ab ipſo Chriſto his duobus comprehenditur, nempe, ut diligamus Deum ſuper omnia, & proximum ut noſmetipſos. Hæc autem duo præſtari non modò poſſe, ſed & debere, ab omnibus qui ſalvi eſſe velint, certum eſt. Inſignis eſt *Irenæi* locus, (qui licèt *Marcionitas* imprimis feriat, nimis aptè tamen *Antinomis* quoque noſtris accommodari poteſt) *lib.* 4. *cap.* 26. in ipſo initio : *In Lege igitur & in Evangelio cùm ſit primum & maximum præceptum, diligere Dominum Deum ex toto corde ; dehinc ſimile illi, diligere proximum ſicut teipſum ; unus & idem oſtenditur Legis & Evangelii conditor. Conſummatæ enim vitæ præcepta in utroque cum ſint eadem, eundem oſtenderunt Deum, qui particularia quidem præcepta apta utriſque præcepit ; ſed eminentiora & ſumma, ſine quibus ſalvari non poteſt, in utroque eadem ſuaſit.*

§. 8. 7°. Quod dicis, *Fidem veram & vivam conditionem eſſe Juſtificationis unicam ſecundùm Legem Chriſti Evangelicam*, veriſſimum eſſe agnoſco, modò Fides viva (ut par eſt) definiatur juxta Apoſtolum, *Fides per Charitatem perfecta.* Nam talis Fides (ut dixi) univerſam Chriſti Legem, de qua loquor, implet. Poſtremò, convitia quæ mihi facis, impium me & veſanum appellitans, non moror. Ad iſtiuſmodi maledicta, toties iiſdem exercitatus, jam penè occallui ; optimâ nimirum conſcientiâ fretus, quæ mihi ahenei inſtar muri eſt, ad calumnias omnes inimicorum meorum facilè propellendas. Siſtendi ſunt olim mecum ferocientes adverſarii coram Chriſti Judicis Tribunali, ad quod Tribunal ego (alioquin peccatorum maximus) in hac certè cauſa (de Summa rei loquor) lubens & lætus appello. Interim tu, mi Cenſor, dicti memor eſto Domini noſtri, *Mat.* 12. 37. *Verbis tuis juſtificaberis, & verbis tuis condemnaberis.*

ANIMADVERSIO XIII.

Ad Differt. I. Cap. 4. §. 4. pag. 29.

IN hoc Capite tres Fidei actus à Theologis vulgò aſſignatos (Notitiam ſcil. Aſſenſum, & Fiduciam) expendens, luculenter oſtendo, nullum ex iis eſſe, cui, per ſe ſpectato, Juſtificatio neceſſariò nexu conjuncta ſit. Duos priores Fidei actus, (utpote quibus, vel pauci admodum, vel nulli prorſus, vim juſtificatricem tribuant) leviter perſtringere contentus ſum. Tertium verò Fidei actum, quam *Fiduciam* appellant, fuſiori atque accuratiori Examine perpendo. Cui Examini hæc præfatus ſum : *Reſtat itaque tertius atque ultimus Fidei actus, quam Fiduciam vocant ; & in eo maximam ponunt fiduciam* Solifidiani. *In iis igitur, quæ hîc dicunt, expendendis diutiùs immorabimur. Ac primò quidem operæ pretium eſſet inquirere, quid per Fiduciam iſtam velint. Res enim hæc miris verborum involucris ab iis tegitur, ut penè* Oedipô *opus ſit interprete. Ingens acumen & planè ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς ἀγχινοίας ei lubens detulerim, qui eorum hac de re locutiones intelligibiliter explicare, atque inter ſe conciliare valeat. Experiatur qui dubitat, ac verum eſſe quod dicimus, vel invitus fatebitur.* Ad hæc tu in margine ſcribis : *Etſi opus ſit arduum, rei cujuſlibet definitionem accuratam edere, & Gratiæ ſpiritualis, quæ ſenſus fugit, & intellectum animalem ſuperat, definitio ſit longè difficillma ; non tamen impoſſibile eſt, Fidei ſalvificæ naturam (ut ita loquar) ſive rationem formalem, & actum Fidei juſtificantem intelligibiliter explicare. Quid non ſit, facilius quidem eſt eloqui, quàm quid ſit. Sed & hoc non eſt ἄρρητον. Fidem in aſſenſu mentis Evangelio præbitô, eôque firmiſſimô, non conſtare, probatur ; quia Diabolus incarnatus poteſt hàc Fide imbui, perinde atque Diaboli ipſi tum Deum eſſe, tum Ieſum eſſe Chriſtum credunt.* Simon Magus *convictus de Evangelici verbi veritate, ob operum Apoſtolicorum virtutes, credidit. Hæc verò πληροφορία πίστεως, ſive aſſenſus intellectûs, licèt prævia ſit ad Fidem ſalvificam animi diſpoſitio, eſt tamen Fide vivaci citerior. Idem ſentiendum eſt de Fiducia conditionata, quæ ſæpe inefficax eſt, prævalente carnis à Chriſti jugo averſione.* Quibus & iſta addis

dis paginâ proximè sequenti : *Sine me pro nostra ingenii tenuitate describere, quod intùs experiri plus erit solatii, quam extrà proloqui. Fides Electorum salvifica est voluntatis, ab intellectu irradiato jam lumine Evangelii directa, & Spiritu Sancto mota, inclinatio vivax ad fidendum in Deo per Christum,* 1 Pet. 1. 21. *sive in Christo Mediatore, de salute æterna, sive de venia & vita per Misericordiam Dei & Merita Christi apiscendâ. Actus formalis fidei vivæ est post abjectam spem omnem salutis in mundo & sese, fiduciam corde integro reponere in Deo & Christo de promissionum in Evangelio oblatarum assecutione, propter & per Dei bonitatem, veritatem ac potentiam. Hâc Fide sive Fiduciâ* Abraham *Deo gloriam dedit.* Neque his contentus, jubes me respicere ad paginam vacivam (ut loqueris) libri fronti præfixam, ubi sententiam tuam de Fiducia justificatrice prolixè explicas his verbis: " Agimus de Fidei salvificæ " notione propria, & actu illo peculiari, " quem Scriptura exprimit per τὸ πιστεύειν " εἰς, vel ἐπὶ, τὸν Θεὸν, sive Χριστὸν, & ἐπὶ, si- " ve εἰς, ὄνομα, & ἐν ὀνόματι Κυρίου. Inter- " pretes Græci V. T. sæpissimè utuntur vo- " cabulô ἐλπίζειν εἰς τὸν Θεὸν, pro eodem, " quod Scriptores Novi Testamenti dicunt, " πιστεύειν εἰς Θεὸν, & εἰς Χριστόν. Fidei au- " tem actum primarium, & rationem (ut " ita loquar) formalem esse concipio confi- " dentiam in Deo sive Christo de salute o- " mnimoda, quam Deus per Christum nobis " spondet. Et hæc fiducia, quâ homo in " Deo recumbit, acquiescit, & onus omne, " curamque omnem in Deum revolvit, in " Deo unico suam spem repositam statuens, " & tanquam ad rupem ad Deum refugiens, " & super illo, tanquam super rupe, sei- " psum ædificans, est distincta à credendo, " item ab agendo; & longiùs, scil. duobus " gradibus, dissita à persuasione illa de fa- " vore Dei in peccatorum remissione; quam " πληροφορίαν esse fidem justificantem, qui- " dam perperàm volunt, & tu, Vir clariss- " sime, solidè refellis. Hominem justum " esse oportet, priusquam justificari se nôrit. " At homo est ex fide justus, ideoque fi- " des, per & propter quam quivis justifica- " tur, præcedit suam Justificationis suæ " certitudinem. Hæc persuasio præsuppo- " nit ipsius fidei nostræ notitiam, & resul- " tat per modum Syllogismi ex propositione " Evangelii generali, & assumptione, sive " reflexivâ statûs nostri in fide apprehensio- " ne; unde Christianus se conditionem Ev- " angelii implêsse gnarus, de sua venia & " cum Deo conciliatione statuit. Hæc me- " moro, ut scias, tecum me lubenter sentire, " neque nisi veritatis vi victum à te dissen- " tire. Fidei verò justificantis actum pro- " prium, medium esse statuo inter fiduciam " illam conditionatam, quâ homini persua- " sum est, se salvum fore, si Dei conditioni " se submiserit, &c. & fidei fructum, scil. " obedientiam. Τὰ ἐναντία παρἀλληλα μᾶλ- " λον γνώσιμα, verè dixit Philosophus. Ca- " ro corrupta est non modò incredulitatis " rea, quia verbum Dei non fide & firmo " assensu excipit, sed aspernatur; sed etiam " infidelitate sive potiùs diffidentiâ laborat, " & peccator non audet in Dei Bonitate ac " Potentia securus inniti, & Dei promissis " fidere. Hæc verò cordis infidelis pravitas " est ἀπειθείας mater. Non est opus pro- " lixè referre Israelitarum in eremo rebel- " lionem, & Magnatis *Samaritani* tibi no- " ta exempla. Perpendenti rem liquebit, " vitium diffidentiæ incredulitati esse ma- " lum superadditum. Ex parte jam altera " constat, animam Gratiâ divinâ tactam, & " Spiritûs Sancti vi suavi flexam, ad Deum " conversam esse, & propensione voluntariâ " Deum respicere; & non modò veritati " promissionum assentiri, & quasi velis ple- " nis ad earum amplexum ferri; sed etiam " in Deo fiduciam ponere, & Deo arctissi- " mè adhærere, ut Sanctus *Job* cap. 13. 14. " profitetur, se fisurum in Deo, etsi ipsum " occiderit. Hæc verò fiiducia parit obe- " dientiæ promptitudinem. Viator, qui in " duce gnaro & fido confidit, in via sibi ig- " nota ducem securè sequitur. *Abraham* " Dei Providentiæ gratiosæ innixus, Deum " in terram incognitam cœcâ cum obedi- " entia, sed prudentissimâ, secutus est. Æ- " ger qui Medici peritiam & benevolentiam " novit, si fidere ausit, (nam hæc fiducia " creditionem sequitur contingenter) Me- " dici præscriptis parebit. Sic peccatô la- " borans, si in Misericordia Dei & Christi " Meritis salutem omnem suam sitam cre- " diderit, & in Deum Christumque credi- " derit, *i. e.* fiduciâ recubuerit, Christo lu- " bentissimè obsequetur. Interim radix, " etsi fructuum ferax, si opportunitas exigat " & ferat, distinguenda est ab ipso germi- " ne. Vi promissi: Qui crediderit in ipso, " qui ædificaverit super lapide illo pretio- " so, electo, salvus erit, *Rom.* 10. 11. *Esai.* " 28. 16. *Justus ex Fide vivet*, etsi proximô " momentô moriatur, ut latro fidelis. Fi- " des igitur justificans est fiducia. Nam li- " quidò constat hæc distinctio: verbum ve- " ritatis credimus; rem promissam speramus; " & in promissore fideli ac potente confidi- " mus. Hujus Confidentiæ præcepta passim " occurrunt, *Psal.* 37. 3, 5. *Esa.* 26. 4. " Huic annexa habemus promissione divinâ " beneficia plurima, *Psal.* 2. 12. & 32. 10.

" & 37. 40. Hujus exempla ſplendidà
" nobis proponuntur, *Pſal.* 22. 4. 2 *Chron.*
" 13. 18. Ejuſdem eſt qualitatis actus, quô
" in Deo fidimus de protectione externa in
" hoc ſeculo, & de ſalute æterna in altero.
" Eſt enim ratio fidei communis, quâ ſer-
" vus Dei in divina miſericordia, veritate ac
" potentia, fiduciam ponit, de quovis be-
" neficio promiſſo apiſcendo certiſſimè ſecu-
" rus. Ejuſdem igitur eſt generis fides il-
" la, quâ *David* de victoria & de venia con-
" fiſus eſt in Deo; imò quâ Chriſtus ipſe,
" veniâ non indigus, confidit in Deo; (*Mat.*
" 27. 43.) illa, inquam, fiducia, πεποίθη-
" σις, eſt ejuſdem generis cum fiducia Chri-
" ſtiani, quâ confidit in Deo & Chriſto de
" liberatione à peccatis. Unicum adjiciam
" argumentum, cujus rober expendas ve-
" lim. Petam à lege oppoſitorum. Quan-
" do virtuti opponitur vitium, in quo pec-
" catur, eò quòd affectus malè collocatur,
" tunc actus utrobique eſt idem in genere
" ſuo. Quando homini interdicitur, aut
" vitio vertitur, in ſeſe, ac ſuo vel ingenio,
" vel robore, fidere *Prov.* 3. 5. in divitiis
" & Mammona incerto niti, ut *Iſa.* 52. 7.
" 1 *Tim.* 6. 17. in Principibus mortalibus,
" *Pſal.* 118. 8, 9. & 146. 3. in brachio car-
" neo, *Jer.* 17. 5,7. denique, in ipſa iniqui-
" tate & rapina fidere. *Pſal.* 62. 10. *Eſa.* 47. 10.
" id quod in vitio notatur, eſt nihil aliud
" præter fiduciam. Neque enim quiſquam
" dicitur credere auro, ſed confidere in divi-
" tiis, quando opes ſuas ſecuritatis turrim,
" & fælicitatis ſtatumen reputat, & rebus
" externis innititur. Pari ratione fides in
" Deum & Chriſtum eſt propriè fiducia (vi-
" de *Jer.* 17. 7.) quâ in Dei ac Chriſti Mi-
" ſericordia ac Meritis confidimus. Et
" quamvis varia ſint fidei exercitia, per
" quam Chriſtianus vivit & ambulat, ratio
" tamen eſt communis omnium actuum fidei,
" licèt objecta ſint varia. Sicut ejuſdem ge-
" neris viſu *Iſraelita* & arenam vidit nihil
" profuturam, & Serpentem æneum in palo
" erectum, cujus intuitu ſalutem obtinuit:
" Sic Chriſtianus pari oculô fidei Chriſtum
" reſpicit Redemptorem, & Deum Prote-
" ctorem; & eâdem confidentiâ innititur in
" Dei benignis pollicitis de proviſione ac vi-
" atico ſufficienti, & de venia ac vita æter-
" na. Et hanc fidem in hoc ſenſu ſumptam
" Chriſtus & Apoſtoli eſſe Juſtificationis
" conditionem apertiſſimè docent. Ecce jam
" quàm non inextricabilis ſit difficultas, re-
" cumbentiæ, ſive fiduciæ in Deo notionem
" concipere & explicare, ſi animum adverte-
" rimus ad phraſes Spiritûs Sancti varias, *&c.*

RESPONSIO ad Animadverſionem XIII.

§. 1. In hac Animadverſione verba mea, quæ refutare voluiſti, illuſtri ſane ſpecimine veriſſima eſſe comprobâſti. Dixi, ab iis, qui fiduciam juſtificæ fidei formalem actum ſtatuunt, cùm ad explicationem ſententiæ ſuæ ventum eſt, rem miris verborum involucris tegi, ut penè *Oedipo* opus ſit interprete. Sane autem hôc ſermone tuo quid unquam perplexius? Conabor ad ea omnia, quæ intelligam, candidè, & quâ fieri poteſt perſpicuitate, reſpondere; de cæteris verò quaſi divinâſſe ſufficiat.

§. 2. Primùm, permirum mihi videtur, quòd apertè fatearis, opus eſſe tam arduum & longè difficillimum, notionem illam fidei juſtificæ, quam amplecteris, intelligibiliter explicare. Sane hoc certiſſimo argumento eſt, notionem illam tuam genuinam non eſſe, ſed ſpuriam ac falſam prorſus. Etenim cui ſano perſuaſeris, unicum hominis officium, quô ipſius Juſtificatio æternaque Salus divinâ voluntate ſuſpenditur, explicatu eſſe tam difficile? Semper quidem exiſtimavi, eſſe quædam doctrinæ Evangelicæ myſteria, fide credenda, quæ ad captum imbecillis noſtri intellectûs plenè explicari vix, ac ne vix quidem, poſſunt; at ipſam fidem, quæ nobis ut officium noſtrum præſcribitur, tantum eſſe myſterium, antehac nunquam ſomniaverim. Curator es animarum, & gregem Chriſtianum paſcis; miror autem, quid cum plebe tua agas. Habes dubiô procul (aut cæteris fratribus tuis longè es fælicior) inter auditores tuos quoſdam, qui tardioris ſint ingenii. Quomodo homunciones intelligere poterunt, quod ipſi Doctori ſuo non inerudito intelligibiliter, vel doctis, explicare, tam ſit difficile? Patere, quæſo, ut quod res eſt, dicam. A plana veritatis ſemitâ in avia & abrupta deflexiſti, ſenticetis & dumetis implicitus: itaque viam rectam comiter monſtranti ne iraſcaris. Reſpice Scripturæ loca, in quibus ea fides, quæ ad Juſtificationem ac Salutem valeat, quaſi ex profeſſo explicatur, imprimis textus jam ſæpiùs allegatos, *Gal.* 5. 6. & 6. 15. coll. 1 *Cor.* 7. 19. Videbis (niſi videre nolis) fidem, cui ex Evangelico Fœdere Juſtificatio ac Salus conceditur, nequaquam eſſe ſimplicem virtutem, ſed vocem omnino accipi ſenſu complexô; fidemque adeo juſtificam nihil aliud eſſe, quàm firmum Evangelio aſſenſum in intellectu, per verum Dei & proximi amorem in voluntate efficacem; ſive ejuſmodi

di Evangelio aſſenſum, quem comitatur totius hominis renovatio, animi ſcil. & actionum, vel eorum, quæ in Evangelio præcipiuntur, ſincera obſervatio.

§. 3. Obſervandum eſt, definitionem tuam fidei juſtificæ, ubi propriis verbis traditur, valde mancam atque imperfectam eſſe; ideoque te mox in pleniorem ejus explicationem multis uti verbis, ſed metaphoricis quidem iſtis, quæ, de rei definitione cùm agitur, imperitè adhibentur. Ais, fidei ſalvificæ rationem formalem eſſe *confidentiam in Deo, ſive Chriſto, de Salute omnimoda, quam Deus per Chriſtum nobis ſpondet.* At quis non videt, hanc definitionem nullam exprimere eſſentialem differentiam, quâ fides ſalvifica à fide hypocritarum diſcernatur? Quippe certiſſimum eſt, nimiùm multos in animo ſuo concipere confidentiam de Salute per Chriſtum obtinenda, qui à ſtatu Juſtificationis ac Salutis abſunt quàm longiſſimè. Hujus rei ipſe, ut videtur, gnarus, in umbra locutionum metaphoricarum perfugium quæris. *Hæc fiducia*, inquis, *quâ homo in Deum recumbit, acquieſcit, & onus omne, curamque omnem in Deum revolvit, tanquam ad rupem, ad Deum refugiens*, &c. Scio, ex Metaphoris iſtis quaſdam etiam in Scripturis reperiri; ſed & ſcio, eaſdem ad rem, de qua quæritur, illuſtrandam non adhiberi: ſiquidem in locis, ubi occurrunt, non agitur *de fiducia juſtificante*, ſed *de fiducia hominis juſti*, uti mox patebit. Præterea cùm illud, quod ex parte noſtra ad Juſtificationem requiritur, paſſim in Sacris Oraculis verbis maximè propriis exprimatur, cur, iis relictis, figuratis locutionibus imprimis gaudeas? Ratio in promptu eſt. Definitio illa tua (utpote macra, jejuna & ſquallida nimis) primô aſpectu Lectori diſpliceret, ſi nativis tantùm coloribus exhiberetur; ideoque ceruſſâ Metaphorarum dealbanda erat, ut fucum ipſi faceret.

§. 4. Notatu dignum eſt, inter Metaphoras, quibus uteris ad explicandam fidei ſalvificæ formalem rationem, quaſdam eſſe, quæ in proprium ſenſum reſolutæ, ipſam illam charitatem, ſive ſincerum obedientiæ propoſitum, apertè ſignificant, quod fidei verè juſtificæ complementum ac perfectionem eſſe, ipſe lubentiſſimus agnoſco. Ita confidentiam tuam juſtificatricem deſcripturus, ais, *Animam Gratiâ Divinâ tactam, & Spiritûs Sancti vi ſuavi flexam, ad Deum converſam eſſe, & propenſione voluntariâ Deum reſpicere, quin & Deo arctiſſimè adhærere.* Certè converſio animæ ad Deum in Scripturis denotat Reſipiſcentiam, quæ integram Salutis conditionem ex parte noſtra in novo fœdere requiſitam complectitur, ut ſatis notum eſt. Jam verò illa animæ arctiſſima Deo adhæſio quid aliud ſignificare poteſt, quàm divinam charitatis virtutem, quâ quis ſuper omnia Dei favorem deſiderat, ejuſque ambit amicitiam; certus, ut amicitiam illam acquirat & conſervet, contra omneſ mundi, carnis, & Diaboli tentationes, divinis obſequi præceptis, atque in eo obſequio per Dei Gratiam ad mortem uſque perſeverare? Si iſtis Metaphoris dum uteris, hoc non vis, dic, obſecro, apertè, quid velis. Ita planè impoſſibile eſt, fiduciam aliquam in Deo, ſalutarem Juſtificationis effectum ſecum trahentem, intelligibiliter explicare, quæ non ita explicata verum Dei amorem, ac ſincerum obedientiæ propoſitum, notione ſuâ includat.

§. 5. Fiduciam, quam primarium fidei juſtificantis actum eſſe ſtatuis, *longiùs, ſcil. duobus gradibus, diſſitam eſſe* affirmas à πληροφορίᾳ, *ſeu perſuaſione, de favore Dei in peccatorum remiſſione.* Atqui fiduciam illam ita deſcribis, ut ne uno quidem gradu à πληροφορίᾳ illa diſtare videatur. Nam primò fiduciam illam *confidentiam* appellas. Sed vox illa (præterquam quòd à probatis Scriptoribus plerumque in malam partem accipiatur) perſuaſionem de re aliqua certam atque indubitatam deſignat. Deinde Metaphoræ, quibus uteris, eandem πληροφορίαν innuunt. Nam *hominem in Deo recumbere & acquieſcere, omnem curam* (ſalutis nempe æternæ obtinendæ) *in Deum revolvere, tanquam ad rupem ad Deum refugere, & ſuper illo tanquam ſuper rupe ædificare ſe ipſum*; hæ, inquam, locutiones tuæ quandam animi ſecuritatem de ſalute obtinenda omnino ſignificant. Quid, quòd ejuſmodi ſecuritatem diſertis verbis defendis? Quippe ais poſtea, *rationem fidei communem eſſe, quâ ſervus Dei in Divina Miſericordia, Veritate ac Potentia fiduciam ponit, de quovis promiſſo beneficio apiſcendo certiſſimè ſecurus.* Dic mihi, quid differat hæc certiſſima ſecuritas, quam defendis, à πληροφορίᾳ illa, quam rejicis? Si dixeris, certiſſimam illam ſecuritatem reſpicere tantùm Veritatem ac Potentiam Dei in promiſſis præſtandis, quâ nempe perſuaſum habemus, Deum promiſſis ſuis conſtiturum, ſi modò nos conditionem eorundem præſtiterimus, manifeſtè tergiverſaris. Nam conditionatam iſtam fiduciam ipſe diſtinguis à confidentia illa, cui Juſtificatio tribuenda ſit: & manifeſtum quoque eſt, fiduciam iſtam per ſe ad Juſtificationem non ſufficere. Obiter autem noto, te in verbis proximè à me citatis loqui de fiducia *ſervi Dei* de beneficio promiſſo apipi-

piſcendo. Sed meminiſſe te oportet (mi Cenſor) quæſtionem moveri non de fiducia hominis, qui ſervus Dei jam factus ſit; (quippe ejuſmodi hominem magnam confidentiam de promiſſis Dei apiſcendis jure poſſe in animo ſuo concipere, non neganus:) ſed de fiducia peccatoris è ſervitio peccati ſeſe nitentis extricare, atque ad Dei liberam ſervitutem aſpirantis. Imò tu diſertè loqueris de fiducia, quæ omnem hominis obedientiam, adeóque obedientiæ promptitudinem antecedit, eique fiduciæ Juſtificationem tribuis. At qualis, quæſo, eſt ſervus ille Dei, qui nondum Deo ſervivit, imò qui nondum ad obſequium Dei ſe votô obſtrinxit? Jam verò quam fiduciam poteſt homo ejuſmodi in animo ſuo concipere de promiſſis Dei apiſcendis, præter conditionatam illam, quâ perſuaſum habet, ſe promiſſa beneficia aſſecuturum, ſi conditionem præſtiterit, hoc eſt, modò *ſervus Dei* revera fiat?

§. 6. In Diſſertationibus meis diſtinctione uſus ſum de duplici fiducia: alterâ abſolutâ, quâ quis nullâ conditione ſuſpenſus credit, peccata ſibi actu remiſſa eſſe, ſeque Deo ad ſalutem acceptum haberi; conditionatâ alterâ, quâ quis confidit in promiſſo Evangelico, ſe remiſſionem peccatorum, adeóque ſalutem æternam, per Chriſtum conſecuturum, ſi modò conditionem obtinendæ remiſſionis in Evangelio præſcriptam præſtiterit. Harum utram fiduciam maluerit accipere, cui Juſtificationem hominis tribueret, Adverſario permiſi; certus, neutri Juſtificationem tribui poſſe ſine manifeſta abſurditate. Tu verò utramq; iſtam fiduciam à Juſtificatione rejicis, & fiduciam tamen eſſe quandam, quæ ſit fidei juſtificantis actus primarius, & veluti formalis ratio, pertinaciter defendis. Quippe fateris, me ſolidè refutâſſe ſententiam eorum, qui fidem juſtificantem eſſe abſolutam fiduciam de remiſſione peccatorum jam obtenta ſtatuunt; & nihilominùs Juſtificationem attribuis fiduciæ, quæ à conditionata diverſa ſit. Miror acumen tuum, qui primus Philoſophorum inter duo contradictoria medium aliquod inveneris. Eſtne (quæſo te) fiducia aliqua, quæ neque conditione ſuſpenditur, neque non ſuſpenditur? Si effugium quæſiveris dicendo, fiduciam juſtificatricem, quam defendis, eſſe quidem conditionatam, ſed tamen aliam planè à conditionata illa, quam ipſe deſcripſerim; fruſtra omnino eris. Nam 1. in æternum non poteris explicatam nobis dare fiduciam aliquam conditionatam, quæ nempe mera ſit fiducia, quæ non eadem planè ſit cum fiducia illa conditionata, quam ipſe deſcripſerim. Quicquid deſcriptioni iſti adjeceris, apparebit tandem illud non fidei aut fiduciæ, ſed charitatis, actum eſſe. Illud ipſum in hoc Diſſertationum mearum Capite monueram his verbis: *Certum eſt, conditionatam hanc Fiduciam ad Juſtificationem ac ſalutem hominis nihil quicquam valere poſſe; niſi ſtatuas, eam in voluntatem atque affectus agere, actum aliquem charitatis ex animo eliciendo, atque adeo totum hominem fortiter extimulando ad quærenda bona illa Evangelii, quæ & eſſe credit, & ſe conſecuturum confidit.* Æquum eſt quod poſtulo: proferas tandem aliquando iſtiuſmodi fiduciæ juſtificatricis deſcriptionem, (non metaphoricis, pro more tuo, ſed propriis vocabulis conceptam) atque herbam tibi me illico porrecturum ſpondeo. 2. Affirmari non poteſt, conditionatam illam fiduciam, qualiſcunque demum ea ſit, aut quâviſcunque ratione eam deſcripſeris, ad Juſtificationem ac ſalutem hominis per ſe ſufficere, ſine apertiſſima contradictione. Nam eô ipſô, quòd fiducia illa conditione ſuſpenditur, manifeſtum fit, nihil ipſam valere quicquam ad Juſtificationem ac ſalutem hominis, niſi conditione præſtitâ; alioquin ipſi illi fiduciæ falſum ſubeſſet. E. G. Confido, promiſſo Evangelii innixus, me remiſſionem peccatorum, adeóque ſalutem æternam conſecuturum, ſi modò à peccatis ex animo reſipuerim, meque Chriſto Domino, ſanctæque vitæ juxta Evangelium ejus inſtituendæ dicaverim, neque me aliter veniam ac ſalutem poſſe conſequi. Si jam hæc fiducia per ſe, nondum præſtitâ Reſipiſcentiæ conditione, Juſtificationis effectum contingeret, tum falſa planè eſſet ipſa illa fiducia, quâ nempe perſuaſum habuerim, me remiſſionem peccatorum ſub conditione Pœnitentiæ, neque aliter, conſecuturum; proinde per falſam perſuaſionem homo Juſtificationem ac ſalutem adipiſceretur.

§. 7. Sed fortaſſe effugium hîc quæſiveris in eorum ſententia, qui tenent, fiduciam, quâ juſtificamur, eſſe fiduciam (ut loquuntur) *ſpecialis miſericordiæ; quâ nempe quis credit, atque apud ſe ſtatuit, Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum pro peccatis ipſius plenisſimè ſatisfeciſſe, & per conſequens non ſolùm aliis, ſed & ſibi quoque remiſſionem peccatorum, Juſtitiam & vitam æternam oblatam eſſe, idq; gratis ex Dei miſericordia propter unius Chriſti meritum.* Ita diſertis verbis ſtatuunt ex Reformatis Scriptoribus nonnulli, Viri cæteroquin doctiſſimi; qui etiam docent, hanc fiduciam planè aliam eſſe à conditionata illa, quam ego deſcripſi; neque tamen eandem eſſe cum Fiducia abſoluta, quâ nempe quis credit, peccata ſibi actu remiſſa eſſe. Nam iidem illi Doctores expreſſè definiunt,

actum

actum fidei ſalvificæ, qui eſt cauſa inſtrumentalis Juſtificationis, non eſſe fiduciam veniæ aut remiſſionis peccatorum impetratæ, ſed fiduciam veniæ impetrandæ. Vide *Baronium* noſtrum *Philoſ. Theolog. ancill. Exercit.* 3. *de Fide*, &c. *Art.* 19. *n.* 2. *& Art.* 20. *n.* 1, 2, 3, 5. Si de mente tua ex tam confuſa & perplexa diſputatione judicium fieri poſſet, exiſtimarem, Doctores illos tuam planè & plenè ſententiam expreſſiſſe. Sed ut ex hoc quoque labyrintho facilem Lectori exitum oſtendam; accuratè obſervandum eſt, fiduciam illam, quâ quis ſtatuit, non ſolùm aliis, ſed & ſibi, Remiſſionem, Juſtitiam ac Salutem in Chriſto oblatam eſſe, niti vel 1. Fide Promiſſi generalis, in Evangelio facti; vel 2. Perſuaſione de particulari & abſoluta ſua Electione ad Salutem, in abſcondito pectoris ac decreti Divini factâ, ſibique per immediatam quandam revelationem patefactâ. Si prius velint Doctores illi, ultrò fatemur, quemvis hominem, cui innotuit Evangelium, non modò poſſe, ſed & debere credere, ſibi in particulari Remiſſionem, Juſtitiam, adeóque vitam æternam, in Chriſto ſeriò oblatam eſſe, ſeque Remiſſionem, Juſtitiam, Salutem certò conſecuturum, ſi viam in Evangelio oſtenſam inſiſtit; ſiquidem promiſſio univerſalis eſt. Sed, 1. hæc Fiducia perperam dicitur *ſpecialis Miſericordiæ*, niſi per ſpecialem Miſericordiam, cum *Auguſtana* Confeſſione, intelligas, *Miſericordiam iſtam, quæ ſpecialis purus putus indebituſque favor eſt, & opponitur dignitati contritionis, aut aliorum operum ſeu præcedentium, ſeu ſequentium.* 2. Hæc fiducia alia eſſe non poteſt à conditionata illa fiducia, quâ quis confidit ſe Remiſſionem, Juſtitiam atque æternam Salutem, per & propter Chriſtum conſecuturum, ſi à peccatis ex animo reſipuerit, atque in poſterum Chriſti præceptis obſecutus fuerit. Nam promiſſio univerſalis ſub hac lege facta eſt; neque igitur poteſt homo peccator, nondum juſtificatus, vi promiſſi in animo ſuo concipere fiduciam de Remiſſione ac Salute obtinenda, aliam à conditionata illa, quam ipſe deſcripſi. Res manifeſta eſt. Sin poſterius illud velint, nempe, fiduciam ſpecialis Miſericordiæ, quâ quis credit ſibi in particulari Remiſſionem ac Salutem in Chriſto oblatam eſſe, niti perſuaſione de particulari & abſoluta ſua Electione, ſibi immediatè per Spiritum revelatâ, tum in abſurditates craſſiſſimas impingant neceſſe eſt. Nam (ut cætera taceam) primò hæc ſententia fidem Chriſtianam in merum Enthuſiaſmum convertit, quô nihil periculoſius. Deinde hæc ſententia rectum ordinem, à ſanioribus Theologis omnibus agnitum receptumque, planè nvertit. Nolo hîc de Prædeſtinatione diſputationem ingredi, quam æternùm ſopitam eſſe, ex animo optaverim; quanquam non deſunt Theologi longè doctiſſimi, qui acriter contendant, per dogma Electionis, quale à multis docetur, omnem hominis in foro divino Juſtificationem, quæ in tempore fit, everti funditus. Sed argumentabor ex utrinque conceſſis. Fatentur Theologi omnes ſaniores (tum qui decretum Electionis abſolutum & irreſpectivum eſſe docent, tum qui decretum illud in Chriſto fundari, proinde homines in Chriſto per vivam ac perſeverantem fidem inſitos reſpicere contendunt) notitiam & quaſi ſenſum Electionis noſtræ, (qui in hac mortali vita haberi poteſt) Fidem, Charitatem, Pœnitentiam, adeóque diutinam Mortificationem noſtram conſequi, neque aliter percipi poſſe quàm ex his πτυσμοῖς. Contrà, juxta hanc ſententiam fiducia & perſuaſio de electione noſtra, quaſi primus gradus in ſcala Salutis ſtatuitur, docenturqne homines nondum juſtificati, ante omnem obedientiam ſuam, hanc fiduciam concipere. Sententia tam inepta & abſurda, ut refutatione prorſus indigna ſit; tam verò impia & periculoſa, ut omni odiô & quovis anathemate ſit digniſſima. Neque igitur audiendi ſunt, qui hanc eſſe Eccleſiarum omnium Reformatarum ſententiam, veluti in earundem contumeliam, non dubitârunt aſſerere. Falſum hoc eſſe liquet. Nam 1. certum eſt, Eccleſias pleraſque omnes, quæ *Auguſtanam* Confeſſionem ſequuntur, hoc eſt, *Lutheranas*, (quæ numeroſiſſimæ ſunt) dogma de abſoluta & irreſpectiva Electione non tantùm non admittere, ſed ut planè fictitium reſpuere. Itaque fieri non poteſt, ut ex harum Eccleſiarum ſententia, objectum Fiduciæ Juſtificatricis ſtatuatur ſpecialis illa Miſericordia, quæ in abſoluta Electione fundetur. 2. *Auguſtana* ipſa Confeſſio, quæ inter Reformatas Confeſſiones omnium prima & nobiliſſima eſt, ſpecialem iſtam Prædeſtinationis Miſericordiam ſaltem ad objectum Fidei non pertinere, apertè docet in Capite de *Fide*. Ibi enim *Auguſtani Fidei* objectum faciunt *promiſſionem Miſericordiæ, quæ nobis propter Chriſtum liberatorem contingit*; quam & univerſalem eſſe, diſertè docent. Verba eorum ſunt: *Sicut univerſalis eſt Pœnitentiæ prædicatio; ita & promiſſio Gratiæ eſt univerſalis, & omnes credere jubet, & accipere beneficium Chriſti.* Imò, ut ſpecialem iſtam Electionis Miſericordiam à ſe non intelligi oſtendant, expreſsè addunt: *Non eſt hîc opus diſputationibus de Prædeſtinatione; nam promiſſio eſt univerſalis.* 3. denique, Eccleſia noſtra *Anglicana*, *Art.* 17. expreſsè docet, conſiderationem & perceptionem æternæ Electionis (quam & in

Vide & Paræum lib. 1. *de Juſtificatione, cap.* 13.

Chriſto fieri diſertè ſtatuit) competere ſolummodò *verè piis, & eis, qui ſentiunt in ſe vim Spiritûs Chriſti, facta carnis & membra, quæ adhuc ſunt ſuper terram, mortificantem, animumque ad cœleſtia & ſuperna rapientem.* Atque in fine Articuli homines à curioſis iſtis ſpeculationibus de Prædeſtinatione revocat, & (cum Confeſſionis *Auguſtanæ* conditoribus) ad promiſſionem Evangelii univerſalem amandat his verbis : *Deinde promiſſiones divinas ſic amplecti oportet, ut nobis in ſacris literis generaliter propoſitæ ſunt ; & Dei voluntas in actionibus noſtris ea ſequenda eſt, quam in verbo Dei habemus diſertè revelatam.* Atque hæc (ὡς ἐν παροδῷ) de fiducia ſpecialis Miſericordiæ, ut tibi effugium omne præcluderem, dicenda exiſtimavi. Jam pergo in Examine eorum, quæ in hac Animadverſione ſequuntur.

§. 8. *Fidei juſtificantis actum proprium, medium eſſe* ſtatuis *inter fiduciam illam conditionatam, quâ homini perſuaſum eſt, ſe ſalvum fore, ſi Dei conditioni ſe ſubmiſerit,* &c. *& fidei fructum, ſcil. Obedientiam.* Si hîc per *Obedientiam* intelligis tractum ſeriemque obedientiæ conſpicuæ, fatemur, illud per quod primam Juſtificationem adipiſcimur, (quocunque nomine id ipſum appellaveris) medium quiddam eſſe inter conditionatam fiduciam & ejuſmodi obedientiam. Sed palàm eſt, te per obedientiam voluiſſe ipſam obedientiæ promptitudinem, ſive ſincerum obediendi propoſitum. Ita enim mox loqueris : *Hæc Fiducia parit obedientiæ promptitudinem* &c. *Interim radix, etſi fructuum ferax, ſi opportunitas exigat & ferat, diſtinguenda eſt ab ipſo germine. Vi promiſſi, qui crediderit in ipſo, qui ædificaverit ſuper lapide illo pretioſo, electo, ſalvus erit,* &c. *juſtus ex fide vivet, etſi proximô momentô moriatur, ut latro fidelis. Fides igitur juſtifica eſt fiducia.* Itaque ſtatuis, fiduciam eſſe quandam juſtificatricem, quæ conditionatâ illâ fiduciâ ſit poſterior, & omnem tamen obedientiam, quin & obedientiæ promptitudinem antecedat. Sed hoc, quod ſtatuis, eſt tum valdè abſurdum, tum periculoſiſſimum. Argumenta autem & exempla, ſive ſimilia, quibus miram hanc aſſertionem probare atque explicare niteris, futilia ſunt & frivola ; imò, ſi accuratiùs expendantur, contra te ipſum apertè militant.

§. 9. Ita argumentaris : τὰ ἐναντία ἐναντίων μᾶλλον γνώρισμα, *ut verè dixit Philoſophus. Caro corrupta eſt non modò incredulitatis rea,* &c. *ſed etiam infidelitate, ſive diffidentiâ, laborat,* &c. *Perpendenti rem liquebit, vitium diffidentiæ eſſe incredulitati malum ſuperadditum. Ex parte jam alterâ conſtat,* &c. Reſpondeo, 1. Demus, diffidentiam eſſe incredulitati malum ſuperadditum, quid inde ex regula oppoſitorum ſequetur ? nempe hoc ſolum legitimè, fiduciam eſſe credulitati, ſive aſſenſui, virtutem ſuperadditam. Sed quid tum ? An inde efficitur, (quod tibi probandum incumbebat) eſſe aliquam Fiduciam juſtificatricem, quæ media ſit inter fiduciam conditionatam & obedientiam, ſive obedientiæ promptitudinem ? Nugæ. 2. Sed & falſum eſt, diffidentiam (ſi ipſam à cordis ἀπειθείᾳ, ut par eſt, diſtinxeris) eſſe malum incredulitati ſuperadditum. Diffidentia & incredulitas idem ſunt, ſi modò ad idem objectum, ſcil. promiſſum divinum, referantur. Non credit, ſive aſſenſum non præbet, aliquis promiſſioni divinæ de beneficio aliquo apiſcendo. Hôc ipſô quòd promiſſioni divinæ non credit, ipſi diffidit ; neque hîc inter incredulitatem & diffidentiam diſcrimen aliquod, niſi fruſtra, quæſiveris. Satis hoc patet è notiſſimis, quæ in tranſcurſu commemoras, *Iſraelitarum* ſcil. in eremo rebellium, & Magnatis *Samaritani* exemplis. Non crediderunt, ſive aſſenſum non præbuerunt iſti, hoc eſt, non confiſi ſunt promiſſis divinis ſibi factis ; ut eadem planè fuerit incredulitas & diffidentia ipſorum. Ex hac verò mentis incredulitate ſecuta eſt in ipſis cordis ἀπείθεια, ſive inobedientia, verbis factíſque conſentaneis ſe prodens. Ita prorſus ex altera parte, credulitas, ſive aſſenſus, & fiducia idem ſunt, ſi idem objectum, nempe Promiſſum divinum, reſpiciatur. Credo, ſive aſſenſum præbeo, promiſſioni divinæ de ſalute æterna, mihi per & propter Chriſtum ſub certis quibuſdam conditionibus donandâ ; hoc eſt, confido Deo, mihi ſub iſtis conditionibus ſalutem promittenti. Quis hîc non videt, fidem, ſive aſſenſum meum, & fiduciam res eſſe planè eaſdem, nullâ ratione diſtinguendas ? Ex hoc autem mentis aſſenſu ſive fiducia (ſi per Dei Gratiam efficax fiat) ſequitur cordis (ut ita dicam) εὐπείθεια, ſive prona obedientia, & firmum animi decretum, quô quis ſtatuit, ſe Dei conditioni (ut ipſe loqueris) ſubmiſſurum, ut promiſſi beneficii fiat particeps. Hæc cordis εὐπείθεια eſt (ſi propriè loquimur) fiduciæ effectus, non ipſa fiducia ; quemadmodum contrà cordis ἀπείθεια eſt effectus diffidentiæ, non ipſa propriè dicta diffidentia. Hinc verò liquet, inter diffidentiam, quâ quis non credit, ſive non confidit, Promiſſo Dei in Evangelio de ſalute ipſi ſub certis conditionibus per ac propter Chriſtum donandâ, & illam cordis ἀπείθειαν, quâ quis ſtatuit, ſe conditionibus Evangelii non ſubmiſſurum, ſed in peccatis ſuis perrecturum, nullam eſſe mediam diffidentiam : atque ex alte-

altera parte, inter fiduciam conditionatam, quâ quis eidem promisso divino credit, sive confidit, & cordis εὐθείαν quâ quis seriò animum applicat ad conditionem promissi præstandam, mediam fiduciam esse nullam.

§. 10. Similia, de ægri in Medico, & viatoris in ὁδηγῷ suo fiducia, quibus sententiam tuam probare atque explicare voluisti, à proposito tuo planè aliena sunt; quin & nostræ sententiæ elucidandæ aptissimè inserviunt. Viator homini fido & viæ gnaro, se ipsi in ὁδηγὸν offerenti, credit, hoc est, confidit; proinde si metam itineris seriò velit attingere, ducem in via sibi ignota securè sequitur. Hîc manifestum est, 1. Credere, & confidere ὁδηγῷ, planè idem esse. 2. Nullam esse mediam fiduciam inter fiduciam illam, quâ viator credit & confidit se ad metam itineris perventurum, si viam ab ὁδηγῷ monstratam elegerit, atque illud animi decretum, quô statuit se ejusdem vestigia persecuturum. Quomodo hæc ad propositum accommodanda sint, nemo est qui non videat. Itidem æger Medico, quem artis suæ peritum & probum esse novit, sanitatem ipsi pollicenti credit, hoc est, confidit; atque hinc (si nihil contrarium suadeat) Medici præscriptis paret. Hîc rursus creditio (ut loqueris) & fiducia idem sunt, tantum à vero abest quod dicis, fiduciam sequi creditionem contingenter. Satis quoque hîc liquet, inter fiduciam illam conditionatam, quâ æger credit & confidit se sanitatem suam recuperaturum, si præscriptis à Medico remediis utatur, & illud animi decretum, quô statuit se Medici præscriptis obsecuturum, mediam fiduciam esse nullam. Falsissimum verò est quod absolutè affirmas, ægrotum, qui Medico confidit, præscriptis ejus parere. Non semper paret, qui confidit. Fieri enim potest, ut Medicus abstinentiam in cibo & potu necessariam judicet, adeoque præscribat, quam ægrotus, contrariæ consuetudini inveteratæ mancipatus, ferre non possit, vel certè non velit. Vel fieri potest, ut ægri stomachus malè affectus præscriptum remedium (quod alioquin validum fore non dubitat) nauseet. Denique fieri potest, ut tam acre sit remedium, tantôque cum cruciatu conjunctum, (e. g. si membrum amputandum sit, ne pars sincera trahatur) ut æger delicatus, licèt Medici consilio nequaquam diffidat, mortem tamen mallet quàm remedium. Nescio, an in rebus humanis exemplum aliud dari possit, quod proposito nostro sit magis accommodum. Lethali peccati morbô laboramus omnes. En Medicum cœlitus missum, Iesum Christum Servatorem nostrum. Is nobis salutem eamque æternam gratis pollicetur, si modò ipsius saluberrimo consilio obtemperare, ac præscriptis in Evangelio remediis uti non abnuerimus. Qui Christo pollicenti credit, sive assensum præbet, is eô ipsô Christo confidit; ut discrimen hîc inter assensum ac fiduciam, vel mediam aliquam fiduciam inter hanc ipsam, & firmum illud propositum, quô quis apud animum suum statuit, se viam salutis obtinendæ à Christo monstratam ingressurum, inque eâ ad finem vitæ progressurum, frustra quæsiveris. Fieri autem potest, & sæpissimè (proh dolor) fit, ut qui Christo salutem pollicenti credit & confidit, nondum tamen animum suum eò induxerit, ut viam salutis obtinendæ à Christo ostensam ingredi velit. Hoc nimis verum esse clamat tristis experientia, & clarè testatur Sacra Scriptura, quæ expressè narrat, fuisse multos, qui Christo ejusque Evangelio credidêre, proinde promissis ejus, promulgati ab ipso Evangelii parti non minimæ, confisi fuerunt; quos tamen metus periculi aut infamiæ inter homines à Christi confessione, proinde à salute, abstinuit, *Joh.* 2. 23, 24. & 12. 42. *Paulus* quoque Apostolus apertissimè docet, fieri posse ut quis habeat πᾶσαν πίστιν, i. e. *omnem fidem*, (quæ proculdubiô firmissimum toti Evangelio assensum, adeoque certissimam in promissis Evangelicis fiduciam, complectitur) & à charitate tamen, proinde à salute, planè alienus sit, 1 *Cor.* 13. 2. Confer *Mat.* 7. 21, 22, 23. Ut tuo ipsius exemplo, ægri in Medico fiduciam ponentis, adhuc insistam: sæpe fit, ut qui Medico animarum Christo confidit, præscriptam spiritualis medicinæ rationem, ut carni ingratissimam, aversetur. Postulat Christus, si salvi esse velimus, ut ab inolita peccati consuetudine desistamus, quod ægrè à nobis impetramus. Vitiatum est animi palatum, neque sapit spiritualia magis, quàm ægrotus pilulam amarissimam. Denique, (quod est omnium difficillimum) dextræ hîc manus amputandæ, oculi eruendi, ne totus homo æternùm pereat, *Mat.* 5. 29, 30.

§. 11. Exemplum fidelis Latronis quomodo ad propositum tuum pertineat, non video. Censesne Latronem istum Justificationem ac Salutem adeptum fuisse per meram fiduciam sine omni obedientia, sive externâ, sive internâ, imò sine omni obedientiæ promptitudine? Erras graviter. Audi *Davenantium* nostrum, qui (*de Justit. Act. cap.* 30.) postquam necessitatem bonorum Operum ad Justificationem fusè probâsset, argumentis suis hoc ipsum fidelis Latronis ex-

exemplum ſubjungit his verbis : *Ad extremum, argumenta hæc noſtra exemplô notiſſimô illuſtremus & muniamus. Si quis unquam juſtificatus caruiſſet prorſus omnibus Operibus bonis, hoc potiſſimùm eveniſſet in illo latrone, qui in ultimo vitæ ſuæ actu converſus eſt. At ſi Evangeliſtam* Lucam *conſulamus, inveniemus illum multis & magnis Operibus bonis floruiſſe. Ad externa Opera quod attinet, peccatum ſuum humiliter confitetur, ſocium ſuum ad Dei timorem & pœnitentiam provocat, Chriſtum in Cruce pendentem, deſertum à ſuis, deriſum ab hoſtibus, Regni cœleſtis donatorem agnoſcit. Hæc erant externa Opera, quæ ab illo tum fieri potuerunt, optima & pulcherrima. Si verò ad interna Opera reſpiciamus, procul dubiô de anteactæ vitæ flagitiis verè & ex animo doluit & pœnituit, ſocio etiam ſuo (quod ſpecimen fuit Charitatis) reſipiſcentiam & ſalutem optavit, in Chriſtum Redemptorem firmiter credidit, timorem denique ac amorem erga Deum teſtatus eſt.*

§. 12. Dicis, *liquidò conſtare hanc diſtinctionem. Verbum veritatis credimus ; rem promiſſam ſperamus ; & in promiſſore fideli ac potenti confidimus.* Quid tum ? An inde ſequitur, eſſe aliquam Fiduciam, quæ neque abſoluta ſit, neque conditionata illa quam ipſe deſcripſerim ? Hanc concluſionem ex diſtinctione illa ne per decimam quidem conſequentiam deduxeris. Sed & in hac liquida diſtinctione quædam ſunt, quæ obelum & veru merentur. Primò, malè poſtremô in loco collocatur fiducia in promiſſore fideli ac potente, quæ primô in loco poni debuit. Nam omnis aſſenſus noſter, ſive fiduciâ quam promiſſo alicui habemus, eſt fiducia illâ, quâ in promiſſore fideli ac potente confidimus, poſterior, eique innititur. Ideo ſcil. promiſſis Dei confido, hoc eſt, perſuaſum habeo, Deum promiſſorum ſuorum fidem liberaturum, ſive promiſſa ſua præſtiturum ; quia in ipſo Deo fideli ac potenti confido, ſive de Fidelitate ac Potentia Dei mihi perſuaſiſſimum eſt. Hoc manifeſtum eſt ab exemplis à te adductis. Ideo ægrotus Medici promiſſo de ſanitate ipſi reddenda, ſi præſcriptis utatur remediis, confidit, quia in ipſo Medico, ut probo atque artis ſuæ perito, fiduciam ponit, *&c.* In re perſpicuâ pluribus non eſt opus. Itaque cùm fiduciam in Deo, ſive Chriſto, promiſſore fideli ac potente, tanquam fidei juſtificantis πλεισότητα, ultimô in loco collocas, mirum in modum ineptis. Nam hanc fiduciam in Deo, ſive Chriſto, promiſſore fideli ac potenti, habet, quicunque verbo Dei, ſive Chriſti, aſſenſum præbet, cùm hic aſſenſus ſine fiducia iſta conſiſtere non poſſit. At hunc aſſenſum habere poſſe hominem improbum, atque à ſtatu Juſtificationis adhuc alienum, & ipſe fateris, & ſuprà liquidò probavimus. Deinde, peſſimè & periculoſiſſimè ſpem rei promiſſæ refers ad fiduciam juſtificatricem, ſive ad fiduciam illam, quæ Juſtificationem hominis antecedit. Spes enim nihil aliud eſt quàm expectatio futuri boni : & ſpes Theologica, expectatio futuri boni, hoc eſt, ſalutis æternæ, à Deo aut Chriſto obtinendæ. Hæc expectatio nititur perſuaſione animi, quâ quis perſuaſum habet, ſe vel æternam ſalutem conſecuturum, vel certè conſequi poſſe. Te per *Spem* hîc non intellexiſſe ejuſmodi ſalutis expectationem, quæ eâ animi perſuaſione nititur, quâ quis tantummodò credit, ſe æternam ſalutem conſequi poſſe, hinc manifeſtum eſt, quòd hæc perſuaſio idem planè ſit quod fiducia illa conditionata, quam tanquam ad Juſtificationem hominis non ſufficientem ipſe rejicis. Itaque neceſſe eſt, ut per ſpem hîc volueris ejuſmodi ſalutis æternæ expectationem, quæ inde oritur, quòd quis perſuaſum habet, ſe æternam ſalutem conſecuturum ; quæ quidem expectatio (ut in *Diſſertationibus* meis obſervavi) ſpes magis propriè dicitur in Sacris Literis. Atqui hæc ſpes, ſive expectatio, præſtationem noſtram conditionis ad Juſtificationem requiſitæ, adeoque ipſam Juſtificationem noſtram, conſequitur. Quô enim jure expectet aliquis æternam ſalutem, qui ea omnia, quæ ad Juſtificationem (ſine qua nulla ſalus eſſe poteſt) requiruntur, nondum præſtiterit ? Vides jam (uti ſpero) errores atque hallucinationes tuas in diſtinctione hac, quam liquidam appellas. Nihilominùs ut res adhuc clariùs eluceſcat, veram ac liquidiſſimam diſtinctionem variorum actuum fidei, fiduciæ, ac ſpei Chriſtianæ hîc ponam. Ordo talis eſt. Primùm credimus, Ieſum noſtrum eſſe Chriſtum, Deique Filium veraciſſimum ac potentiſſimum, *Joh.* 9. 35. & 20. 21. *Act.* 8. 37. 1 *Joh.* 4. 15. & 5. 5. Hinc toti ejus Evangelio credimus, ac promiſſis ejus imprimis confidimus. Tum (ſi fides & fiducia iſta in nobis fiat per Dei gratiam efficax) animum ſeriò applicamus ad conditionem earundem promiſſionum præſtandam, agendo ſcil. pœnitentiam de peccatis noſtris, concipiendo firmum obedientiæ propoſitum, Chriſtoque, ut Regi noſtro-noſmet ipſos devovendo. Denique, præſtando conditionem, rem promiſſam ſperamus, quæ ſpes perfectior, aut imperfectior, ſit pro ratione ac modo obedientiæ noſtræ, ſive prout nobis magis minúſve liquidó conſtiterit, nos conditionem præſtitiſſe. Hìc clara ſunt omnia. Vin autem me hæc exemplô quoque à te adductô illuſtrare & confirmare ? Ægro

per-

perſuaſum eſt, Medicum ſuum probum eſſe atque artis peritum. Hinc pollicitationi ejus de ſalute ipſi reddenda, ſi paruerit præſcriptis, confidit. Tum (ſi, ut prudentem decet, propriæ ſaluti conſulit) ſe Medici conſiliis regendum tradit ; ſtatuens, omnia remedia, etiam ingratiſſima, tentaturum ſeſe, ut morbo liberetur. Denique, præſcriptis parendo, de ſanitate recuperanda bene ſperat. Stultus autem atque inſanus eſſet (proinde non niſi ad *Anticyras* relegandus) æger, qui à Medico ſanitatem ſperaret, ipſius conſiliis obtemperare, ac præſcriptis remediis uti nolens. Nimirum hoc tibi πρῶτον ψεῦδος, hic fons errorum fuit, quòd ſpem boni promiſſi, quæ Chriſtiani hominis officium conſequitur, à fiducia promiſſionis, quæ Juſtificationem quidem antecedit, ſed ad ipſam ſola non ſufficit, haud ſatis accuratè diſtinxeris.

§. 13. Fiduciæ paſſim in Scripturis occurrentia præcepta, præceptis annexa maxima promiſſa, denique ejuſdem ſplendida exempla, quæ adducis, nihil quicquam vel tuam cauſam juvant, vel noſtræ officiunt. Nam loca, in quibus præcepta, promiſſa, exempla iſta occurrunt, præterquam quòd bona ad hanc vitam ſpectantia fere reſpiciant, loquuntur etiam apertiſſimè de fiducia hominis juſti, idque in via juſtitiæ Divinâ Bonitate ac Potentiâ nitentis. Hominis autem juſti privilegium eſſe ut poſſit, officium ut debeat, in rebus afflictiſſimis Deo optimo maximo ſecurè confidere, ipſique τὴν ψυχὴν αὐτῶν ἐν ἀγαθοποιΐᾳ ἀπιστεῖν, 1 *Pet.* 4. 19. (cum quo conferendus eſt locus *Pſ.* 37. 3. qui citationum tuarum agmen ducit) huic quoque hominis juſti fiduciæ maxima promiſſa in Scripturis annexa eſſe ; denique, ejuſdem fiduciæ ſplendida exempla in Scripturis occurrere, quis dubitat ? Sed hæc ἀλογισία, ſæpiùs in Cenſura tua ſe prodens, cogit me repetere meum illud, *quid tum ?* Nullam enim hîc video conſequentiam, quæ abſurdæ tuæ hypotheſi quicquam faveat. Iterum memineris, bone vir, horum alterutrum tibi probandum incumbere ; vel 1°, Hominem peccatorem, ac nondum juſtificatum, jure poſſe in animo ſuo concipere fiduciam de æterna ſalute per Chriſtum obtinenda, aliam à conditionata illa fiducia, quam ipſe toties deſcripſi ; vel 2°, Conditionatam illam fiduciam per ſe ad Juſtificationem peccatoris ſufficere. Poſterius illud ipſe negas ; prius nunquam probaveris. Certè præcepta, promiſſa, exempla illa Scripturæ, prout à te allegantur, ἀδὲν πρὸς Διόνυσον.

§. 14. Ad *Achilleum* tuum argumentum jam venio : *Unicum*, inquis, *adjiciam argumentum, cujus robur expendas velim. Petam à lege oppoſitorum. Quando homini interdicitur, aut vitio vertitur*, &c. Sed hoc quoque argumentum, de cujus robore tantopere gloriaris, quiſquis expenderit, planè ficulneum eſſe verè pronuntiaverit. Nam 1° magno conatu nihil agis, cùm multis Scripturæ locis probare niteris, quoties homini interdicitur aliis rebus præterquam Deo fidere, id, quod vitio vertitur, fiduciam eſſe. Quis enim, cui ſinciput ſatis ſanum, negaverit, *fidere* ſignificare *fiduciam* ? 2°. Quod ais, haud rectè dici, aliquem *auro*, &c. *credere*, ſatis ineptum eſt. Nam *credere* aliquando idem ſignificat quod *confidere*. Sic *Virgil. Nimiùm ne crede colori.* Et *Ovid. Moribus & vitæ credidit ille meæ.* Et exempla hujuſmodi apud bonos Authores paſſim occurrunt. 3°. Cùm dicis, *pari ratione fides in Deum eſt proprie fiducia*, paritatem rationis malè inſtituis ; quæ ita potiùs inſtituenda erat : Quando homini interdicitur in ſeſe, &c. fidere, id, quod vitio vertitur, eſt fiducia ; pari ratione, cùm præcipitur homini in Deo ſive Chriſto fidere, id, quod ſub præcepto eſt, itidem eſt fiducia. Non omnis fides in Deum ſive Chriſtum eſt fiducia ; ſed ea tantùm fides, quæ Deum ſive Chriſtum reſpicit ut promiſſorem. Quid verò hinc elicias, quod vel ſpeciem habeat argumenti ad hypotheſin tuam probandam, ne divinatione quidem aſſequi poſſum.

§. 15. Niſi verò volueris, phraſi illâ, *credere in Deum* ſive *Chriſtum*, peculiarem aliquam fiduciam in Scripturis denotari, quæ non competat niſi ad Juſtificationem ac ſalutem credentibus. Ita quidem ſtatuis ſub initium prolixioris tuæ *Animadverſionis* ſuprà recitatæ ; ubi diſertis verbis affirmas, *fidei ſalvificæ notionem propriam, & actum illum peculiarem, Scripturam exprimere per* τὸ πιστεύειν εἰς, *vel* ἐπὶ, τὸν Θεὸν, *ſive* Χριστὸν, & ἐπὶ, *ſive* εἰς ὄνομα, & ἐν ὀνόματι Κυρίου. Sed hic Criticiſmus tuus inanis eſt & falſus ; cùm certum ſit πιστεύειν εἰς Χριστὸν de iis in Scripturis dici, qui ad Juſtificationem ac ſalutem nondum crediderant. Vide loca diſertiſſima, *Joh.* 2. 23, 24. & 12. 42, 43. Phraſis πιστεύειν εἰς τινὰ apud Græcos Scriptores prophanos nuſquam (quod ſciam) occurrit, ſed eſt idiotiſmus linguæ Hebrææ ; quem imitati ſunt Sacri Scriptores Novi Teſtamenti. Obſervandum autem eſt, apud *Hebræos* duplicem eſſe phraſin, *credere alicui, & credere in aliquem* ; in quibus verborum potius diſcrimen eſt, quàm rerum. Sic *Geneſ.* 45. 26. לֹא־הֶאֱמִין לָהֶם, *Non credidit eis. Exod.* 4. 8.

אם לא יאמינו לך והאמינו לקול האת האחרון *Si non crediderint tibi, at credent voci ſigni poſterioris. Deut.* 9. 23. ולא האמנתם לו, *Et non credidiſtis ipſi. Exod.* 14. 31. ויאמינו ביהוה ובמשה עבדו, *Et crediderunt in Dominum, & in Moſen ejus ſervum.* Et Cap. 19. 9. וגם־בך יאמינו, *Etiam in te credent.* His exemplis conſtat, Hebraicè phraſes *credere alicui*, & *credere in aliquem*, promiſcuè uſurpari tam de Deo, quàm de creaturis. Imò tantum abeſt, ut phraſis, *credere in Deum*, fiduciam juſtificatricem per ſe ſignificet, ut aliquando fiduciam ne omnino quidem ſignificet. Sic de *Ninivitis*, *Jonæ* credentibus urbis excidium Dei nomine ipſis denuntianti, dicitur ויאמינו אנשי נינוה באלהים, *Et crediderunt viri Ninive in Deum*, Jon. 3. 5. Ubi manifeſtum eſt, per τὸ *credere in Deum* fiduciam non ſignificari. Nam fiducia promiſſum aliquod ſemper reſpicit; cùm hôc in loco aſſenſus exprimatur, quem comminationi divinæ, de urbis interitu per *Jonam* promulgatæ, *Ninivitæ* præbuerunt. Haud me fugit, *Auguſtinum* alicubi ſubtiliter (pro more ſuo) diſtinxiſſe hæc tria, *credere Deo, credere Deum*, & *credere in Deum*. Sed huic diſtinctioni Pater optimus ſenſum Catholicum & ſanum adhibet; quem ſi tu admitteres, nulla mihi tecum de cætero lis aut controverſia intercederet. Nam *Auguſtino*, *credere in Deum*, nihil aliud eſt quàm *amare Deum*. Ait enim *Tractat.* 29. in *Johan. Non continuò qui credit Deo, credit in Deum: Nam & Dæmones credebant ei, & non credebant in eum. Et de Apoſtolis ipſis poſſumus dicere: credimus* Paulô; *ſed non: credimus in* Paulum. Et ſubjungit: *Quid eſt ergo credere in Deum? credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & ejus membris incorporari.* Denique fidem, quâ in Deum creditur, exponens dicit: *Eam non qualemcunque eſſe, ſed quæ per dilectionem operatur.* Similia ſunt apud *Auguſtinum* in *Expoſit. Pſalm.* 77. & *Serm.* 6. *de verbis Domini*; & *Pſalm.* 130. *Hoc eſt credere in Chriſtum, diligere Chriſtum.*

§. 16. Ita tandem *Animadverſionem* tuam ſatis prolixam Reſponſione quoque prolixâ refutavi. Ex quibus omnibus cordati facilè judicare poſſunt, quàm falsò concluſeris, *fidem in hoc ſenſu ſumptam*, (nempe pro ſimplici fiducia) *Chriſtum & Apoſtolos, eſſe Juſtificationis conditionem*, (unicam ſcil.) *apertiſſimè docere.* Ex his quoque abunde liquet, quàm vanus ſis, cùm, veluti ovans ac triumphum agens, diſputationem tuam his verbis claudis: *Ecce jam, quàm non inextricabilis ſit difficultas, Recumbentiæ, ſive Fiduciæ in Deo*, (quæ ſcil. per ſe atque ante omnem obedientiam noſtram juſtificet) *notionem concipere atque explicare!* Dixerim egomet veriùs: Ecce jam, quàm planè irritus ſit eorum conatus, qui fiduciam aliquam propriè ſic dictam nobis explicatam dare voluerunt, quæ neceſſariô nexu ſalutarem Juſtificationis effectum ſecum trahat.

§. 17. *Coronidis* locô Concluſiones aliquot Lectori proponam, quæ (meô quidem judiciô) veram Doctrinam de Fide & Fiducia Chriſtiana dilucidè ac ſuccinctè complectantur.

Concluſio prima: *Fides & fiducia Chriſtiana, propriè loquendo, differunt tantùm ut generale & particulare: ut fides ſit aſſenſus toti Evangelio, quaquaverſum patet; fiducia verò appelletur aſſenſus ille, quatenus promiſſa in Evangelio facta reſpicit.* Concluſionem hanc ſuprà probavi, (Sect. 9, 10.) quæ & per ſe ſatis manifeſta eſt. Fiducia non ad omnia refertur, quæ in Evangelio traduntur, (neque enim vel minis, vel narrationibus rerum præteritarum, *&c.* propriè dicimur confidere) ſed ad bona tantùm illa, quæ à Deo in Evangelio promittuntur. At fides Evangelii etiam in minis & aliis quibuſcunque aſſertionibus, ſive de rebus futuris, ſive de præſentibus, aut præteritis, atque ad nos etiam nihil pertinentibus, non minùs quàm in promiſſis, verſatur.

§. 18. Concluſio ſecunda: *Cùm fiducia Chriſtiana promiſſiones Dei in Evangelio reſpiciat, promiſſiones verò illæ bona maxima & ſummè deſiderabilia, ab homine ſub certis quibuſdam conditionibus obtinenda, proponant; fierique adeo non poſſit, ut quis promiſſis Evangelicis aſſenſum præbeat, hoc eſt, confidat, niſi qui deſiderium inde aliquale rerum promiſſarum in animo ſuo concipiat: Hinc fiducia Chriſtiana aliquando (voce Fiduciæ latiùs ſumptâ) definitur: Aſſenſus Evangelicis promiſſionibus cum bonorum promiſſorum deſiderio conjunctus.* Hæc *Fiduciæ* definitio in Scriptis Theologorum, qui res Theologicas accuratiùs tractare ſolent, paſſim occurrit. Inter alios conſule *Robertum Baronium, Philoſ. Theol. ancill. Exercit.* 3. *de Fide* &c. *artic.* 19. *n.* 3. ubi Vir doctus, de quæſtione, *An fiducia ſit actus intellectûs*, &c. agens, ita loquitur: *Uterque actus* (nempe tam aſſenſus intellectûs, quàm deſiderium voluntatis) *ad fiduciam requiritur. Nemo enim dici poteſt confidere, ſeu fiduciam habere, de bono obtinendo, niſi & firmam habeat perſuaſionem in intellectu, & deſiderium vel amorem iſtius boni in voluntate.* Quod egregiè explicat *Tilenus* Syntagm. Part 2. Diſp. 38. Theſ. 18. dicens:

dicens: *Objectum fidei eſſe veritatem Divinam, non ſolùm quà aliquid narrat, ſed cumprimis quà aliquid promittit. Ubi non ſatis eſt aſſentiri narrationi, ut veræ; ſed neceſſe eſt rem oblatam amplecti, quod utique ad voluntatem pertinet.* Nihilominus idem Vir doctus fiduciam in intellectu formaliter ſitam eſſe ſtatuit. Nam continuò ſubjicit: *Prior actus eſt ipſa eſſentia ſeu formalis ratio fiduciæ; poſterior verò eſt tantùm actus ei annexus & concomitans: & proinde fiducia eſt formaliter in intellectu, licèt annexum habeat deſiderium voluntatis. Probatur hæc aſſertio: primò, quia oppoſitum fiduciæ, videlicet diffidentia, eſt in intellectu: Ergo ipſa fiducia eſt in intellectu. Ratio antecedentis eſt, quia diffidentia, quâ aliquis dicitur diffidere ſibi, aut ſuis rebus, non ſignificat odium aut averſationem voluntatis; ſed aut dubitationem de viribus ſuis, aut perſuaſionem de imbecillitate ſua, quæ proculdubiô ad intellectum pertinent. Secundò, quia ſi fiducia eſſet formaliter actus voluntatis, nihil aliud eſſet quàm deſiderium, aut amor objecti. Sed hoc eſt quotidianæ experientiæ contrarium; multi enim ardenter expetunt & deſiderant objectum aliquod, qui non habent fiduciam de eo obtinendo.* Hæc nobis largitur Vir doctus, qui alioquin tuæ hypotheſi nimis favet. Verùm his utrinque conceſſis, ad alia atque ulteriora progrediamur.

§. 19. Concluſio tertia: *Uterque actus fiduciæ latiùs ſumptæ, nempe, tum aſſenſus promiſſionibus Evangelicis, tum deſiderium bonorum promiſſorum, poteſt in hominem cadere, ſive competere, qui ad ſtatum Gratiæ ac Salutis nondum pervenit.* Probatur hæc Concluſio ex prioribus. Quicunque aſſenſum ſuum præbet toti Evangelio (quod fieri poſſe ab homine adhuc carnali & irregenito, ſuprà demonſtravi, & ipſe quoque fateris) aſſentitur eô ipſô, ſive confidit promiſſionibus in Evangelio contentis. Ex aſſenſu autem, ſive fiducia illa, neceſſariò fluit deſiderium aliquale rerum promiſſarum; id quod in explicatione Concluſionis ſecundæ demonſtravi. Sed quid opus eſt ratiunculis noſtris? Ipſa Veritas docet, multos eſſe qui quærunt portam ſalutis intrare, neque tamen poterunt, *Luc.* 13. 24. Ubi τὸ ζητεῖν, ſive *quærere*, ſaltem hæc duo complectitur: 1. Fiduciam, ſive perſuaſionem de ſalute æterna per Chriſtum impetratâ, & in Chriſto nobis ſeriò oblatâ; 2. Deſiderium fælicitatis obtinendæ: quin & conatum aliqualem vox denotat. Hi tamen ζητοῦντες deſideratâ fælicitate tandem excident, quia non ἀγωνίζονται· quæ vox magnam & conſtantem animi contentionem deſignat. Quærunt Regnum Dei, ſed non πρῶτον, *Mat.* 6. 33. Immortalitatis cupiditate tenentur; ſed ea non eſt ipſis tanti, ut propterea carere velint hujus ævi commodis.

§. 20. Concluſio quarta: *Itaque illa tantùm fiducia in promiſſis Evangelicis, ſive in Chriſto promiſſore, hominem, juxta Fœdus Evangelicum in ſtatu Gratiæ ac Salutis ponit; quæ annexum & conjunctum ſibi habeat maximorum bonorum à Chriſto in Evangelio promiſſorum deſiderium, non qualecunque, ſed vehemens & ardens, quodque omnia alia ipſius deſideria vincat ſuperetque, atque in animo bene meditatum, rebus omnibus expenſis, propoſitum gignat quidvis agendi patiendive, ut bona promiſſa tandem aſſequatur.* Veritas hujus Concluſionis ex prioribus liquidò conſtat; & confirmatur ampliùs ex locis Scripturæ illuſtriſſimis atque omni conſideratione dignis, *Mat.* 10. 37, 38. *Luc.* 14. à v. 25. ad v. 33. incluſivè. Hæc verò fiducia, quæ nempe annexum ſibi habeat vehemens atque ardens illud deſiderium, eſt dubio procul πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, cui Juſtificationem *Paulus Gal.* 5. 6. tribuit, & nemo Chriſtianus detraxerit. Habes veram ſententiam de fiducia Chriſtiana liquidiſſimè explicatam.

ANIM-

ANIMADVERSIO XIV.

Ad Differt. 1. Cap. 5. pag. 35.

IN hujus Capitis initio argumentum ordine quartum occurrit, quô hypothesin *Jacobi* de neceſſitate bonorum Operum ad Juſtificationem ſtabilire conatus ſum. Caput ſic incipit: *Argumentum quartum eſto ſumptum ab illo Dei proceſſu, quô in hominibus judicandis uſurus eſt in die ultimi Judicii. Quomodo quiſque in futuro ſæculo à Deo judicabitur, eôdem planè modô in hac vita à Deo juſtificatur; Atqui ex Operibus (non Fide ſolâ) quiſque in futuro ſæculo à Deo judicabitur: Ergo ex Operibus (non fide ſolâ) quiſque in hac vita à Deo juſtificatur. Aut ego egregiè fallor, aut hoc argumentum inſolubile eſt.* Huic argumento meo tripliciter occurris. 1. *Miror*, inquis, *hoc inſolubile tibi videri argumentum, quod tibicen malæ cauſæ eſt invalidus. Certô certius eſt, Chriſtianos in hoc ſæculo Fide à Deo juſtificari, & in Juſtitiæ ſtatu ſecundùm Dei inſtitutum conſtitui, quia Chriſti Satisfactionis participes fiunt*, 1 *Cor.* 1. 30, &c. *& Fidem ſolam ſine Operibus* Abrahæ *ejuſque filiis ad Juſtitiam imputari*, Rom. 3. & 4. &c. *At non tam liquidò conſtat è Chriſti Parabolicis Sermonibus de Judicio extremo, quis futurus ſit Chriſti proceſſus in examine & ſententia ferenda. Sed dabimus, Chriſtum nobis ſecundùm cujuſque Opera redditurum; hinc minimè ſequitur, Deum fidelem in conſpectu ſuo à reatu peccati abſolvere ob ſua Opera. Deus ſibi non contradicit.* 2. Poſthæc ita cavillaris de verbis meis: *Eôdem planè modo*, (inquis) *tum in Minore, itemque in Concluſione verba parentheſi incluſa debuerant eſſe, (abſque Fide) & non, ut hîc per fallaciam ſubſtituuntur, (non Fide ſolâ) unde ſequeretur, quòd hîc ex Operibus ſolis abſque Fide juſtificamur; quod falſiſſimum eſſe Author ipſe non negabit. Inane itaque, & non inſolubile, eſt hoc argumentum.* 3. Denique paginam claudis his verbis: *Juſtificatio eſt varia, pro quæſtionis varietate. Si in jus vocetur homo de ſua innocentia, ſons an inſons fuerit, totus mundus eſt peccati reus, & ex Operibus nemo juſtificatur. Qui negat, Deum mendacem facit. Si homo de conditionibus Evangelii præſtandis in quæſtionem veniat, ex Operibus probandus eſt. Annon perſpicis Majoris Propoſitionis jam nutantem ſtatum ratione verborum ambiguitatis?*

RESPONSIO ad Animadverſionem XIV.

§. 1. Argumentum hoc quartum inſolubile eſſe, non obſtat hæc tua *Animadverſio*, quin etiamnum fidenter pronuntiem. Major Propoſitio (ſi per verba, *quomodo* & *eôdem modo*, intelligas, hominem in hac vita juſtificari, & in futuro ſæculo judicari ſive juſtum pronuntiari, ex iiſdem conditionibus, quod ſolum me voluiſſe, prudens & candidus Lector facilè per ſe agnoſcet) manifeſtæ eſt veritatis. Minor verò (ſi de adultis accipiatur, ad quos ſolos hanc controverſiam ſpectare, ſani omnes vident) tam certa eſt Propoſitio, ut quæ in univerſâ Theologiâ certiſſima. Interim utriuſque Propoſitionis demonſtrationem petat Lector, qui de alterutra dubitat, ex Capite illo 5. *Diſſertationis* prioris. Quæ verò contrà à te hîc afferuntur, ea farfari foliis ſunt leviora.

§. 2. Ad primum membrum hujus *Animadverſionis* tuæ reſpondeo, 1ò. Quomodo Satisfactionis & Juſtitiæ Chriſti fiamus participes, & ſub qua lege & conditione, ſuprà fusè & luculenter oſtendi. Quô verò ſenſu *Paulus* dixerit, Fidem *Abrahami* imputatam ipſi fuiſſe in Juſtitiam ſine Operibus, prolixè explicavi *Diſſert.* 2. *cap.* 12. n. 14. 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27. Quæ omnia, cùm ad Caput illud ventum eſt, tu ſilentiô præteris, vacuum penè & pauciſſimis lituris tuis deturpatum libri marginem relinquens. Et tamen (qui tuus eſt in diſputando candor & ſinceritas) hanc de *Abrahamo* cantilenam perpetuò mihi occinis. 2ò. Quanta ſit hujus argumenti mei vis (utcunque in ſpeciem id ipſum deſpicere & contemnere, ut ſiculneum, videaris) ipſe indicio es, qui, ut ejus ictum effugeres, Articulum Fidei Chriſtianæ maximi momenti in dubium vocare, neceſſum habueris. *Non*, inquis,

inquis, *tam liquidò conſtat ex Chriſti Parabolico Sermone de Judicio extremo, quis ſit futurus Chriſti proceſſus in examine & ſententia ferenda.* Itane verò? Annon liquidò conſtat ex Sermone Chriſti *Mat.* 25. ipſum ſecundùm Opera unumquemque judicaturum? Quid ergo eſt, quod ſperemus tibi liquidò conſtare poſſe? Sermo, inquis, eſt Parabolicus; fateor, ideoque non omnia in Sermone illo eſſe (ut loquuntur) argumentativa, conſentio. Atqui à ſcopo Parabolæ manifeſtô ſolidum argumentum deduci poſſe, nemo Theologus unquam negavit. Quid quòd homines omnes in extremo Judicio ſecundùm Opera ipſorum judicatum iri, non ſolùm in hoc Chriſti Parabolico Sermone, ſed & alibi in Scripturis paſſim ſermone propriô, clarô ac diſertô, adſeritur? 3°. Sed tibi multum debemus, quòd tandem per te liceat nobis, cum Scripturis & regula Fidei ſentire, ac dicere, Chriſtum in futuro ſæculo homines ſecundùm Opera ipſorum judicaturum. *Dabimus*, inquis, *Chriſtum nobis ſecundùm Opera cujuſque redditurum.* Bene. Quid verò tandem illud eſt, mi Cenſor, quod nobis dare non vis? *Sed hinc*, inquis, *minimè ſequitur, Deum fidelem in conſpectu ſuo à reatu peccati abſolvere ob ſua opera.* Si in verbis *ob ſua opera* cauſam meritoriam, imò cauſam omninò ullam propriè ſic dictam intelligis, tum alius hyperaſpiſtes quærendus eſt, qui conſequentiam iſtam defenſurus ſit. Ego certè ab illa longiſſimè abhorreo, & (Deo laus ſit) abhorrui ſemper. Quod contendo, illud eſt, Chriſtum in futuro ſæculo neminem per ſententiam ſuam miſericordem à peccati reatu abſoluturum, ac Regnô cœleſti donaturum, aliter quàm ſub conditione bonorum Operum; atque hinc infero, neminem etiam in hac vita ex Lege Chriſti gratioſa jus ad veniam peccatorum ac ſalutem æternam acquirere, aliter quàm ſub eadem conditione. Huic conſequentiæ evertendæ omnes licèt ingenii tui arietes & machinas adhibeas, fruſtra eris.

§. 3. Pergo ad ſecundum membrum *Animadverſionis* tuæ. *Si eodem planè modô*, inquis, *tum in Minore itemque in Concluſione verba parentheſi incluſa debuerant eſſe, (abſque Fide) & non, ut hîc per fallaciam ſubſtituuntur, (non Fide ſolâ) unde ſequeretur, quòd hîc ex Operibus ſolis abſque Fide juſtificamur.* Quis hîc *Ariſtarchi* noſtri acumen non miretur? Seu potiùs, (ut rem ſeriam ſeriò agam) quis Cenſoris hujus non cenſurâ dignam cenſeat ἑτεροδοξίαν craſſiſſimam? Ita argumentatur: Si eodem planè modô in hac vita juſtificamur, quô in futuro ſæculo judicabimur, tum in hac vita juſtificamur ſolis Operibus abſque Fide. Ratio conſequentiæ eſt, quia (juxta Cenſoris noſtri ſententiam) in futuro ſæculo ex ſolis Operibus abſque Fide judicabimur. Sed quis ſanus aut Catholicus ante ipſum ita docuit? Certè nemo. Sunt quidem inter Pontificios Scriptores, qui non verentur aſſerere, *in extremo judicio retributionem datum iri ſecundùm Opera, non ſecundum Fidem*; ſed hos operosè refellit magnus *Jackſonus* noſter Comment. in *Symbol. Apoſtol.* lib. 11. cap. 30. pag. 3588. &c. Sane Fides & Opera in hoc negotio non ſunt disjungenda; ſed potiùs ſtatuendum, in ultimo judicio finalem Abſolutionem & Præmium adjudicatum iri, (ex Lege Chriſti gratioſa, ac propter Chriſtum) & Fidei, & Operibus noſtris, ſive Fidei noſtræ operatrici; hoc eſt, (ut cum *Paulo* loquar) Fidei δι' ἀγάπης ἐνεργουμένῃ, ſive (ut *Paulinâ* rurſus locutione utar, 2 *Theſ.* 1. 8.) *obedientiæ noſtræ Evangelio præſtitæ*, quæ ſimul & Fidem Evangelii, & ea omnia quæ Fidem ſequi ſolent ac debent, complectitur. Sed fortaſſe hâc aſſertione tuâ voluiſti, extremô in judicio illud tantùm agi, ut oſtendatur & toti mundo manifeſtum fiat, quinam verâ Fide Chriſtum ejuſque Juſtitiam amplexi ſint, qui ſecus; quod ſolis Operibus (cùm Fides ſit ipſum τὸ κρινόμενον) declarari poteſt; proinde rectè dici, homines in futuro ſæculo ex ſolis Operibus judicatum iri. Si hæc mens ac ſententia tua ſit, (quod facilè crediderim) tum in eorum veſaniam incidis, qui aſſerunt, bona Opera in Salutis negotio ſpectari tantummodo ut Fidei ſigna. Iſtam verò ſententiam in hoc ipſo *cap. Harmoniæ*, quô de agitur, duobus argumentis ſanè validiſſimis jam refutavi. Primum argumentum mutuatus ſum à Viro clariſſimo *Gerardo J. Voſſio*, (quem nemo ſanus aut orthodoxus ἑτεροδοξίας in hoc Articulo ſuſpectum unquam habuit) qui ex locis illuſtriſſimis, *Mat.* 25. 21, 23, 34, 35. *Apoc.* 7. 14, 15. 2 *Cor.* 4. 17. *Gal.* 6. 8. *Phil.* 2. 12. concludit, *non ſatis dicere, qui bonis Operibus, tantummodo ut Fidei ſignis, promiſſionem factam eſſe arbitrantur*: ſiquidem iiſdem ex locis (quibus & alia multa in proclivi eſt adjicere) planum fiat, Opera noſtra in Salutis negotio ſpectari ut cauſam ſine qua non, ſive ut conditionem præcedaneam, quæ promiſſum vitæ æternæ individuô ſecum nexu trahat. Telum alterum arripui ex armamentario *Hugonis Grotii*, qui bona Opera non ut mera Fidei ſigna in Salutis negotio ſpectari, hâc invictâ ratione probat: Quæ ut ſigna ſpectantur, ea in ſe minus ſunt quàm res ſignificatæ; at dilectio, quæ iſta præſtat Opera, ac per figuram quandam in ipſis Operibus intelligitur, plus eſt Fide, 1 *Cor.* 13. 13. Ergo Ad hæc argumen-

ta tu (pro more tuo) ἀφωνότερα τῶν ἰχθύων. Et quis erit diſputandi finis, ſi adverſario liceat ex hypotheſi jam refutata & exploſa Theſin adhuc ſuam tueri ac defendere?

§. 4. Reſtat tertium *Animadverſionis* tuæ membrum: " Juſtificatio eſt varia, pro quæ-" ſtionis varietate. Si in jus vocetur homo " de ſua innocentia, &c." φεῦ τῆς φλυαρίας. Quàm ad propoſitum hæc prorſus nihil faciunt! Fac Juſtificationem eſſe variam; quid tum? Certè Juſtificatio, de qua quæſtio inſtituitur, una eademque eſt, nempe Juſtificatio Evangelica, ſive quæ ad normam Legis & Fœderis Evangelici exigitur. Hîc conſtanter affirmamus: Hominem juxta Legem Evangelicam juſtum in hac vita conſtitui, & in futuro ſæculo juſtum declarari, ex iiſdem conditionibus, nempe, tum Fidei, tum bonorum Operum, ſive Charitatis, quæ per figuram quandam, ut dixi, in ipſis Operibus intelligitur. Ad quæſtiones autem tuas quod attinet, ſi quæſtio inſtituatur de hominis innocentia, ſons an inſons fuerit, hîc debemus eſſe omnes confitentes rei. Nemo ab ea accuſatione, quâ ut peccator coram Deo arguitur, vel Fide, vel Operibus, vel utriſque ſimul, vel aliâ quâviſcunque ratione, ſive in hac vita, ſive in ſæculo futuro, liberari poteſt. Sed Chriſtus hoc meruit, ut nemo peccator, ob hoc ipſum ſolum quòd peccator ſit, & qui cæteris peccatis non etiam infidelitatis aut impœnitentiæ crimen adjecerit, æternùm periret. Atque hæc Gratia in Evangelio, quod novum Fœdus appellatur, declarata eſt & ſancita. Hoc ipſum voluit *Paulus* Apoſtolus, cùm multis probat, homines omnes peccatores eſſe, atque iræ divinæ ac morti æternæ obnoxios; proinde neminem à condemnatione liberari poſſe aliter, quàm per ac propter Chriſtum, & juxta Fœdus gratioſum in Chriſto ſtabilitum. Hoc Apoſtoli argumentum latè executus ſum *Diſſert.* 2. *cap.* 8. Et toties alibi in *Harmonia* rem ipſam, quæ argumentô iſtô confirmatur, apertè profeſſus ſum, ut tuam vel inverecundam frontem, vel certè craſſiſſimam in legendo libro meo negligentiam, mirari ſatis nequeam, qui paſſim in *Cenſura* tua mihi objicias, quòd iſtis contraria docuerim. Atque hæc de prima tua quæſtione. Jam verò, ſi homo in quæſtionem veniat de conditionibus Evangelio præſtandis, hìc juſtus tum in hac vita conſtituitur, tum in futuro ſæculo declaratur, non ex ſola Fide, ſed etiam ex Operibus, ſive πίστει δὶ ἀγάπης ἐνεργουμένῃ, quippe quæ integra conditio ſit in Evangelico Fœdere requiſita. Atque hoc illud ipſum eſt quod contendimus, & multis argumentis probavimus. Tu verò perpetuò τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνων oggeris, hominem ex Operibus tantummodo probari, an conditionem Juſtificationis in Evangelio requiſitam, quæ eſt ſola Fides, ſimplex virtus, præſtiterit.

§. 5. Ita nondum effecerunt, quæ hactenus ad argumentum meum repoſuiſti, quin illud ipſum inſolubile eſſe etiamnum jure merito pronuntiem. Sunt, fateor, quædam aliæ Exceptiones tuæ, ad hoc Caput allatæ, contra meam ejuſdem argumenti elucidationem: ſed eæ vel extra oleas vagantur, vel cramben bis coctam Lectori reponunt. Harum tamen unam & alteram ſub Examen noſtrum revocabimus. Dicis, *Aliam eſſe rationem declarationis Juſtitiæ fidelium in extremo Judicio, quàm conſtitutionis Juſtitiæ in hac vita; quæ fieri poteſt, & revera fit, per Fidem ſolam, quam veram & vivam eſſe, ante fructus ab illa productos Deus cordium ſcrutator probè novit.* Reſp. Hominem per ſolam veram & vivam Fidem juſtificari ante fructus ab illa productos, hâc lege concedo, ſi de Juſtificatione primâ loqueris, & *vivam Fidem* intelligis (ut par eſt) πίστιν δὶ ἀγάπης ἐνεργουμένην, & *fructus*, ſeriem & tractum Operum conſpicuorum, ſive ſanctam illam πολιτείαν, de qua ſæpiùs diximus. Scil. illa Fides virtutes internas Pœnitentiæ, Charitatis, &c. comprehendit; quin & dicta, & facta aliqua pia eodem momento, quô concipitur, producit. Quid verò hinc intuleris? Certè hoc ſolum legitimè; nempe, hominem credentem, Pœnitentiam de peccatis agentem, Deum amantem, & in Deo ac propter Deum proximum quoque, atque hanc demum internam ſuam pietatem dictis & factis piis, prout præſens occaſio tulerit, exprimentem, ad primam Juſtificationis Gratiam pervenire poſſe, adeoque revera pervenire, etiam ante tractum illum Factorum conſpicuorum. Illud verò in *Diſſertationibus* non modò apertè confeſſus ſum, ſed & ſæpiùs Lectori meo inculcavi. Sed quid hoc ad Majorem argumenti mei propoſitionem enervandam? Vide quàm nihil. Fac enim hominem illum ita credentem & pœnitentem mox ante fructus illos ſanctæ πολιτείας productos ex hac mortali vita abreptum; quæro, an is in extremo Judicio ſecundùm Opera ipſius judicandus ſit? Sane nemo cordatus illud inficias iverit, cùm de homine omni adulto, ſive qui ad bonum & malum morale operandum capax eſt, univerſalis ſit Sacræ Scripturæ enuntiatio, Deum ſcil. redditurum unicuique ſecundùm Opera ipſius, *Pſal.* 62. 12. *Mat.* 16. 27. *Rom.* 2. 6. *Apoc.* 22. 12. At ſecundùm quæ Opera judicabitur homo ejuſmodi? Certè ſecundùm interna

na illa Fidei, Pœnitentiæ, Charitatis, &c. Opera, quæ dictis & factis, pro data occasione, consentaneis expresserat. Secundùm hanc imperfectiorem pietatem Deus pro summa sua in Christo Jesu Misericordia dabit ipsi ἐν καιροῖς ἀναψύξεως ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ κλῆρον ἐν τοῖς ἡγιασμένοις, i. e. *in temporibus refrigerii Remissionem peccatorum & Sortem inter sanctificatos*, Act. 3. 19. & 26. 18. at Sortem illâ inferiorem, quæ jugi bonorum Operum exercitatione perfectiorem Christianæ pietatis habitum assecutis assignabitur. Itaque de hoc etiam homine vera erit Major argumenti nostri propositio: quòd scil. judicabitur à Deo in futuro sæculo modô eodem, h. e. sub eadem conditione, quâ in hac vita à Deo justificatur.

§. 6. Dixeram, (Sect. 3.) cùm in hac vita justificamur, nobis ex Lege Christi jus ad vitam æternam primùm conferri; cùm verò in futuro sæculo judicamur, idem jus per solennem Judicis sententiam definiri ac decidi; quod tanquam fundamentum Majoris argumenti mei propositionis posueram. Ad hæc tu (post alia multa, quæ jam prolixè refutavimus) ita respondes: *Sciendum est, distingui debere jus ad rem, & jus in re. Jus ad hæreditatem cœlestem* (*de qua* Petrus 1 Epist. c. 1. v. 4.) *immediatè pendet à nostra per Christum adoptione*, Rom. 8. 17. *cujus Fides ante Obedientiam, quam omnis filius Dei præstat, est* πρόξενος, Gal. 3. 26. Joh. 1. 12. *Jus autem in hæreditate capessenda adjudicatur ex bonis Operibus, sive ex Charitatis* (*quæ* δικαιοσύνης *nomine venit*, Phil. 1. 11.) *fructibus*. *Resp.* 1. Distinctio inter jus ad rem & jus in re, prout huic quæstioni accommodatur, frivola est, nullôque subnixa fundamento. Quisquis per Fidem δι' ἀγάπης ἐνεργουμένην jus habet ex promisso Evangelii, ad Regnum cœleste, is, si proximô momentô moriatur, jus etiam habeat in Regno necesse est, nullâ aliâ conditione ex parte hominis ipsius interveniente. Haud satis sanus est, qui illud in dubium vocare ausus fuerit. Atqui (inquies) si Deus tali homini vitam prorogaverit, requiritur ab eo jugis & pia operatio, & profectus in sanctitate. Rectè. At quare istud requiritur? An ad jus aliquod novum acquirendum? Nugæ. Requiritur ad jus adeptum retinendum & conservandum. * Quippe jus ad Regnum, quod in prima Justificatione homini conceditur, est (ut sæpe diximus) *jus pendens* à conditione in futurum, si Deus vitam concesserit, præstandâ; proinde *revocabile*. Hæc est manifesta doctrina S. Scripturæ, Ecclesiæ Catholicæ, adeoque nostræ. Cujus rei luculentam rationem adjiciam. Nemo ad primæ Justificationis Gratiam admittitur, qui non votô saltem ac sincerô propositô ad obsequium Deo in posterum secundùm præscriptum Evangelii præstandum se obstrinxerit. Jam quis non videt, Obedientiam, quæ votô necessariò suscipienda erat ad Gratiam Justificationis obtinendam, non minùs necessariò ad acceptum beneficium retinendum, si Deus opportunitatem dederit, opere ipso præstandam esse? 2. Prodis inconstantiam tuam, cùm hîc affirmes, soli Fidei adoptionem filiorum & jus ad cœlestem hæreditatem concedi. Nam suprà mihi, ex multis Scripturæ disertissimis testimoniis probanti, neminem per Fidem solam, simplicem virtutem, absque cæteris virtutibus Deo ad Salutem acceptum haberi, indeque inferenti, neminem per solam Fidem, simplicem virtutem, justificari, ita respondisti, ut non negares Antecedens, neque loca ista Scripturæ, tanquam perperàm à me allegata rejiceres, consequentiam solam respuere contentus. Hîc autem audacior factus, atque in pejus proficiens, rotundè negas, quicquam præter Fidem necessarium esse, ut quis jus ad Regnum cœleste acquirat, sive Deo ad Salutem acceptus habeatur. 3. Quod tam fidenter affirmas, Fidei soli ante omnem Obedientiam nostram jus ad Regnum cœleste concedi, falsissimum est & periculosissimum. Te obtestor, ut dicta Scripturæ loca respicias, ac tandem aliquando justâ responsione aliquâ digneris. Quòd si laboris istius tædium animum tuum subeat, saltem ad ea Scripturæ loca respondeas velim, quæ resipiscentiæ (universum hominis Christiani officium in Fœdere Evangelico præscriptum suo ambitu complectentis) necessitatem urgent, ad Remissionem peccatorum consequendam. Nam ex istis locis ita δεικτικῶς argumentamur: Nemo ex promisso Evangelii per Fidem solam absque resipiscentia jus habet ad Veniam sive Remissionem peccatorum; Ergo nemo ex Fœdere Evangelico per Fidem solam absque resipiscentia jus habet ad Regnum cœleste. Consequentia est manifestissima. Nam majus quiddam est jus habere ad Regnum cœleste, quàm jus habere ad Veniam sive Remissionem peccatorum; & si duo ista distinguenda sunt, jus ad Veniam ordine naturæ præcedat jus ad Regnum, necesse est. Antecedens tot ac tam luculentis Scripturæ testimoniis confirmatur, ut nemo, cui cordi sunt Oracula Sacra, illud in dubium vocaverit.

---

* *Profectus in sanctitate præterea requiritur ad abundantiorem introitum in Christi Regnum, de quo* Petrus 2 Epist. c. 1. v. 8. 11.

verit. Sed quid multis? Tute ipſe (ut ſuprà vidimus) diſertè fateris, *Pœnitentiam ad Reconciliationem à Deo requiſitam eſſe.* Jam hoc unum abs te quæro: An quis jus ad Salutem habeat, antequam Deo reconciliatur? Si affirmaveris, mirabor, *quomodo tam ineptum quicquam* (ut verbis utar *Terentianis*) *potuerit tibi in mentem venire.*

§. 7. Ita tandem *Diſſertationem* noſtram priorem diligenter retractatam à tuis Objectionibus vindicavimus. Quæ enim ad Caput quintum notâſti, tam frivola ſunt, & nullius planè momenti, (ſanctè profiteor, me verè & ex animo hæc ſcribere) ut pigeat iſtis Lectorem morari. Veritus ſum quoque, ne hoc *Examen* noſtrum ad nimiam & non neceſſariam molem excreſceret. *Cenſura* tua *Diſſertationis* poſterioris faciliori negotiô expedienda erit. Nam ita *Animadverſiones* tuas inſtituiſti, (neſcio quô caſu aut conſiliô) ut prolixior fueris in iis cenſendis, quæ in parte priori *Harmoniæ* diſſeruimus; quin & pleraque ibi tractaveris, quæ ad poſteriorem *Diſſertationem* magis propriè pertineant. Religio autem mihi erit, quicquam à te animadverſum (necdum à me refutatum) præterire, quod meam Apoſtolos conciliandi methodum cum aliqua rationis ſpecie impugnare videatur.

ANIMADVERSIO XV.

Ad Diſſert. 2. Cap. 3. Sect. 4. pag. 71, 72.

HIC poſt tres alias *Jacobum* cum *Paulo* conciliandi rationes meritò rejectas, ultimô in loco Viri doctiſſimi, *Joſuæ Placæi*, de ἐναντιοφανείᾳ iſta, optimâ methodo concilianda, ſententiam expendo. Verba mea ſunt: *Reſtat quarta atque ultima ſententia, quam viro docto,* Joſuæ Placæo, *video mirificè placuiſſe; nec ſatis ſcio, annon ſit ei propria ac peculiaris. Eam ſic explicat: Opponitur Juſtificatio accuſationi. A duabus autem accuſationibus premimur in foro divino. Primùm objicitur, nos eſſe peccatores, hoc eſt, reos violatæ conditionis, quæ Fœdere Legali lata eſt. Deinde objicitur, nos eſſe infideles, h. e. non præſtitiſſe conditionem Fœderis Gratiæ, videlicet Fidem. Ab accuſatione priori ſolâ Fide juſtificamur, quâ Chriſti Gratiam ac Juſtitiam amplectimur; à poſteriori juſtificamur etiam Operibus, quatenus iis Fides oſtenditur. Ad poſteriorem accuſationem reſpiciens* Jacobus *affirmavit meritò, ex Operibus juſtificari hominem, & non ex Fide tantùm.* Paulus *verò reſpiciens ad priorem, ſolâ Fide hominem juſtificari contendit. Sic ille. Sed (ut alia taceam non pauca in hac ſententia meritò culpanda) fallitur tum in Theſi, tum in* Hypotheſi *ſua Vir Eruditus. In Theſi quidem, quòd ſtatuat, Fidem eſſe totam atque integram Fœderis Evangelici conditionem; Opera autem conſiderari ſolummodo ut Fidei ſigna atque argumenta: quod falſiſſimum eſſe, jam antè liquidò probavimus. In Hypotheſi verò, quòd ſentiat, Opera à* Paulo *tanquam ad Juſtificationem poſteriorem neceſſaria, Fidem à* Jacobo *ut ad Juſtificationem priorem ſufficientem admitti; quod utrumque à vero alienum eſſe modò oſtendimus, ac de* Paulo *mox pleniſſimè demonſtraturi ſumus.* Ad hæc tu ita prolixè reſpondes: *Quod Vir clariſſimus (cujus Theſes nondum obviam habui) proponit ad Apoſtolorum conciliationem, probè convenit ſententiæ Parentis mei B. M. dè quo pauca me referre ſinas, oro.* T. G. *Londinas (cujus nomen me tacente ſatis eſt celebre) A. D.* 1617. *aggreſſus eſt in Concionibus* B. Jacobi *Epiſtolam explicare, quod Dei ope methodô accuratiſſimâ peregit. Demum A. D.* 1640. *ferventibus circa id temporis de Juſtificatione, in Templis urbanis, contentionibus importunis, Vir pacis ac veritatis æquè ſtudioſus veritatem altercationibus penè amiſſam, certè paſſionum nube obſcuratam, animô tranquillô ac ſedatô, ſed ratione acri, exponere anniſus eſt, & lites componere. Textum ſuæ Diſſertationis multiplicis fundum elegit locum* Pauli, Rom. 3. 28. *Harum concionum rudimenta, ſive lineamenta imperfecta & impolita, penes me extant. Utinam illis ultimam manum adhibendi ſuppetiſſet illi copia. Pauliſper ante obitum chartas ſparſas recolligit, & Sermones ad incudem revocare cœpit. Sed morbô præpeditus, & morte mox præreptus, opus & vitam (paucis ſeptimanis demptis, octogenarius) depoſuit. In utriuſque Apoſtoli expoſitione unam viam inſtitit. Poſt varia variorum excogitata parum*

ſcli-

solida, vel parum appositа, repudiata, (sed ratione redditâ repudii) adhæsit illi sententiæ, quam Placæo *placuisse video. Hanc ex ipsius Commentario breviter recensebo. Neque mihi dedecori erit ex ejus sapere Commentario. Fatetur, Apostolum utrumque in* Abrahæ *Justificatione proponenda eandem voluisse Fidem, veram scil. vivam & salvificam. Justificationem etiam ejusdem generis intelligendam esse. Hanc verò esse à crimine intento, vel à culpæ insimulatione, liberationem sive absolutionem. Curiam etiam variam, in qua Deus cum Christianis agit, non necessum duxit fabricari. De iisdem Operibus utrumque Apostolum loqui, probavit ex* Abrahæ *exemplo, quem* Paulus *producit ad Opera ejus ab Justificatione secludenda, &* Jacobus *inducit ad Opera ejus ad Justificationem facientia ostendenda. Tandem verò τὸ κεκόμμον distinxit, & statum controversiæ esse in duobus Apostolis diversum observavit. In B.* Paulo *status controversiæ, aut causa de qua quæritur, est generalis de personæ (pone* Abrahamum *patrem & exemplar fidelium) reatu peccati: 1. Utrùm Lege Dei Divinæ Justitiæ sit obnoxius? Et quandoquidem nulla caro sit coram Deo justa; 2. An & quomodo justificari possit? Respondet* Paulus, *hominem manifestò sontem non posse aliter à crimine ipsi intento liberari, ab aspersione culpæ purgari, h. e. justificari, nisi per Obedientiam & Sanguinem Christi, & Fidem in Christi Sanguinem, quæ Sponsoris nostri Justitiam nostram facit. Opera verò optima non posse allegari ad Justitiam assequendam, neque ad peccati noxam diluendam valere. At alter est status controversiæ de homine qui peccati cujuspiam accusatur particularis, sive ea sit perfidia adversus hominem, sive hypocrisis coram Deo. Homini jam suam integritatem defendere fas est, & etiam coram Deo tutari, si malè conscius non sit fraudis, & Operibus suis suam probare ac tueri innocentiam: & ex Operibus justificabitur. Sic in* Jacobo *res se habet cum* Abrahamo, *cujus virtutum sinceritas ita Deo probata fuit.* Post explicatam Patris tui sententiam, fiduciæ plenus ita satis fastuosè loqueris: *Optimam conciliandi methodum despicatui habes, quia parum intelligis.*

RESPONSIO ad Animadversionem XV.

§. 1. Sententiam *Placæi*, quam video jam ipsi non fuisse peculiarem, sed cum Patre tuo communem, putavi me paucis verbis satis refutâsse, in loco quem hæc *Censura* tua respicit. Dico sententiam istam falsam esse, tam in Thesi, quàm in Hypothesi. Quod ad Thesin attinet, Vir doctus manifestè statuit, Fidem esse totam atque integram Fœderis Evangelici conditionem, Opera autem considerari solummodo ut Fidei signa atque argumenta; quod falsissimum esse, tum in *Harmonia*, tum in hoc *Examine* multis, iisq; invictis, rationibus atque argumentis ostendi. Hypothesin quod attinet, statuit *Placæus*, Opera à *Paulo* tanquam ad Justificationem, per quam ab accusatione illa, quâ objicitur nos infideles esse, & non præstitisse conditionem Fœderis Gratiæ, necessaria; Fidem à *Jacobo*, ut ad Justificationem ab accusatione illa, quâ objicitur nos reos esse violatæ conditionis in Fœdere Legali latæ, sufficientem admitti: quod utrumque à vero alienum est. Nam Opera, de quibus agit *Paulus*, ab omni Justificatione nostra ab ipso excluduntur. Quippe non agit *Paulus* de Operibus ex Fide profectis, & quibus tanquam argumentis atque indiciis Fides nostra probari possit; sed de *Operibus Legis*, hoc est, de Operibus sive Ritualibus, sive aliis quibuscunque, à Fide & Gratia Evangelii sejunctis. Hinc Legem, contra quam disputat, disertè opponit Legi Fidei, *Rom.* 3. 27. Dico quoque, Fidem, de qua agit *Jacobus*, tanquam ad Justificationem priorem (per quam nempe liberamur ab accusatione illa, quâ objicitur nos reos esse violatæ conditionis in Fœdere legali latæ) sufficientem ab ipso non admitti. Nam Fidem per se, ut rem vanam ac prorsus inutilem, rejicit ille penitus. Vana autem atq; inutilis non esset Fides illa, si ad Justificationem illam priorem sufficeret. His rationibus innixus, merito jure pronuntiavi, neque *Placæi* sententiam quicquam conferre ad nodi solutionem. Sed tu, his non obstantibus, (pro more, quô conclusioni tuæ contra omnia argumenta pertinaciter adhærere soles) affirmas, me optimam conciliandi methodum despicatui habuisse, quia parum intellexerim.

§. 2. Age itaque, optimam illam conciliandi methodum, à *Placæo* quidem succinctè & paucis, à te verò ex Patris tui Commentario fusiùs, (at nihilô certè clariùs) explicatam, accuratiori examine perpendamus. Atque hîc rursus sententiam vestram, de duplici accusatione atque ei oppositа Justificatione hominis in conspectu Dei, considerabimus, primò in Thesi, ac seorsim à præsenti controversia; deinde in Hypothesi, & quatenus à vobis *Iacobo* & *Paulo* inter se conciliandis adhibetur. Ad Thesin quod attinet, primò notandum est, causas & quæstiones in negotio Justificationis humanæ va-

rias (de quibus loquimini) haud ſatis accuratè ac diſtinctè à vobis explicari. Rectum eſt index ſui & obliqui. Itaque ipſiſſimam rei veritatem Lectori paucis exponam; quâ cognitâ atque intellectâ, facillimum ipſi erit errorem & fallaciam veſtræ explicationis diſcernere. Cùm de Juſtificatione aut accuſatione hominis in conſpectu Dei agitur, triplex quæſtio inſtitui poteſt. 1. Quæritur, an homo ſit peccator, atque ob peccata morti æternæ obnoxius? Hîc nemo ſe, coram Deo, ut *non reum* poteſt defendere, quod paſſim docet Apoſtolus *Paulus*. 2. Quæri poteſt, an homo peccator *neceſſariò* condemnandus & morte æternâ plectendus ſit? Reſpondetur, nequaquam. Hîc Satisfactio Domini noſtri Jeſu Chriſti ſuccurrit, quâ effectum eſt, ut Deus non modò ſalvâ Juſtitiâ ſuâ poſſit, ſed & velit, hominem peccatorem à morte liberare, vitâque ac ſalute æternâ donare, ſub certis conditionibus, ab homine per Gratiam Dei præſtandis. 3. Denique tertia quæſtio poteſt inſtitui, nempe, an homo peccator conditiones præſtiterit, à quibus ſalutaris Satisfactionis Chriſti fructus & effectus, tum Dei Patris, tum Chriſti ipſius voluntate ſuſpenditur; ac proinde juxta pactum initum inter Filium ſatisfacientem & Patrem Satisfactionem acceptantem, (cujus ἀπύγραφον habemus in Fœdere Evangelico) à morte liberandus, vitâque æternâ donandus, h. e. juſtificandus ſit? In tenebris pluſquam Cimmeriis verſatur, qui hîc non videt, ſalutarem Satisfactionis Chriſti fructum ex ſola Fide, ſimplici virtute, non ſuſpendi. Quippe ex innumeris Scripturæ teſtimoniis (quod ſuprà à nobis ſemel, atque iterum, iterumq; oſtenſum eſt) liquidò conſtat, Remiſſionem peccatorum (quæ primarius Satisfactionis Chriſti fructus & effectus eſt, quæque cætera omnia ſecum trahit) ſuſpendi a conditione non modò Fidei, ſed etiam (idque imprimis) Pœnitentiæ. Quid multis? Spiritus Sanctus diſertè docet, quòd Filius Dei διὰ παθημάτων τελειωθεὶς, *perpeſſionibus conſummatus*, ἐγένετο τοῖς ὑπακούσιν αὐτῷ πᾶσιν αἰτιος σωτηρίας αἰωνίε, i. e. *factus eſt Author æternæ Salutis iis omnibus qui ipſi obediunt*, Heb. 5. v. 8, 9. hoc eſt, iis omnibus, iiſque ſolis, Juſtificationem ac Salutem morte ſuâ impetravit. Itaque ſi homo accuſatur non præſtitæ conditionis, ex qua ſalutaris Satisfactionis Chriſti fructus & effectus Dei & Chriſti voluntate, in Evangelio revelatâ, ſuſpenditur, palàm eſt, non poſſe ipſum ab hac accuſatione liberari per ſolam Fidem. Eſt aliud præterea ab ipſo afferendum ad ſuam δικαίωσιν.

§. 3. Qui hæc tenet, is facilè videbit, 1. falsò à vobis doceri, hominem à priori accuſatione, quâ ſcil. objicitur, ipſum peccatorem eſſe, & reum violatæ conditionis in Fœdere Legali latæ, juſtificari. Nam ab hac accuſatione juſtificari homo neutiquam poteſt. In æterum manebit verum, peccâſſe hominem, & Fœderis Legalis conditionem violâſſe. Satisfactio Chriſti non eſt ejuſdem quod in debito erat, ſolutio; illud quippe erat perſonalis (ut loquuntur) pœna delinquentis: neque igitur per Satisfactionem Chriſti fit Legis executio. 2. Fidem à vobis non ſuô locô atque ordine collocari. Ipſam ſcil. quaſi conſociatis cum Juſtitia & Satisfactione Jeſu Chriſti ad id, ut homo a priori illa accuſatione, quâ nempe objicitur, ipſum peccatorem eſſe, & reum violatæ conditionis in Fœdere Legali latæ, juſtificetur. Sic *Placæus: Ab accuſatione priori ſolâ Fide juſtificamur, quâ Chriſti Gratiam ac Juſtitiam amplectimur.* Similiter & tu affirmas, *Hominem à crimine intento liberari per Obedientiam ſive Sanguinem Chriſti, & Fidem in Chriſti Sanguinem, quæ Sponſoris noſtri Juſtitiam noſtram facit.* N. B. Per Obedientiam Chriſti & Fidem noſtram. Ita Juſtificationem quandam Legalem Fidei adſcribitis. Sed rei myſterium hîc latet. Exiſtimatis per Fidem, ut per inſtrumentum, noſtram revera fieri Juſtitiam ac Satisfactionem Chriſti, quâ ex rigore Legis & perfectè juſti ipſi conſtituamur. Verùm hîc tergemino errore implicamini. Nam 1. neque Juſtitia Chriſti fit revera noſtra; 2. neque ſi noſtra fieret, per Fidem noſtra fieri potuiſſet; 3. nedum Fides per modum inſtrumenti poteſt efficere, ut Juſtitia Chriſti noſtra revera fiat: quorum ſingula ſuprà a nobis demonſtrata ſunt. Quid igitur? Tum demum Fides proprium ſuum locum obtinet, quando adducitur in Juſtificationem noſtram à poſtrema illa accuſatione, quâ nempe objicitur, nos non præſtitiſſe conditionem Fœderis Gratiæ. Ab hac autem accuſatione Fides hominem ex parte tantùm juſtificat; hoc eſt, Fides eſt pars quidem conditionis, ſed non tota atque integra conditio, à qua juxta Pactum Evangelicum Juſtificatio noſtra, ſive Remiſſio peccatorum noſtrorum, in Chriſti Sanguine ſuſpenditur.

§. 4. Alterum, quod Lectori obſervandum propono, illud eſt: Juxta ſententiam veſtram ſtatui Juſtificationem quandam hominis, idque *in conſpectu Dei*, ab hypocriſi, ſive ab accuſatione non præſtitæ conditionis in Fœdere Evangelico requiſitæ, nempe Fidei, per indicia atque argumenta ejus, ſcil. bona Opera. Dico, hanc Juſtificationem à vobis non modò abſque neceſſitate ulla, ſed etiam

etiam abſurdè ſtatui. Nimirum Deus immediatâ (ut ita dicam) intuitione videt, & penitus perſpectam habet Fidem noſtram, ejuſque ſinceritatem; neque opus habet ſignis, argumentis, aut indiciis ullis, ut de ea certò judicare poſſit. A Theſi jam ad Hypotheſin tranſeo.

§. 5. Sane ſententia, quæ in Theſi tam falſa atque abſurda eſt, vera non erit in Hypotheſi, neque conciliandis inter ſe Apoſtolis, niſi ut σοφὸν φάρμακον adhiberi poteſt. Nihilominùs ut veritas clariùs eluceſcat, paucis oſtendam, hanc conciliandi methodum, quam optimam vocas, prorſus inanem eſſe. De quali Juſtificatione loquatur *Paulus*, quæſtio non movetur; lis & controverſia tota eſt, cujuſmodi Juſtificatio in Sermone B. *Jacobi* cap. 2. intelligenda ſit. Atque hîc fatemini vos ipſi, de Juſtificatione apud *Jacobum* agi, quæ coram Dei Tribunali peragatur; ſed Juſtificationem iſtam haud aliam eſſe vultis, quàm quâ ſinceritas Fidei noſtræ ex Operibus coram Deo approbetur, ſive quâ ab accuſatione non præſtitæ conditionis Evangelicæ, nempe Fidei, ad Dei Tribunal liberemur. Dico hanc veſtram interpretationem in Sermonem *Jacobi* nullo modo quadrare. Nam 1ò Apoſtolus ejuſdem generis Juſtificationem & Operibus, & Fidei ſatis apertè tribuit, &, quaſi bigas, Fidem & Opera conjungit ad eandem Juſtificationem ſecum trahendam. Verba diſerta ſunt *Jac.* 2. v. 22. *Videtis ex Operibus hominem juſtificari, & non ex Fide tantùm.* Unde liquet; etſi non ex Fide tantùm, tamen ex Fide etiam, & non ex ſolis Operibus, hominem juſtificari eâ Juſtificatione, de qua Apoſtolus loquitur. Atqui Fidei alia Juſtificatio tribui non poteſt, quàm quâ homo propter Chriſtum à condemnatione æterna liberatur, atque ad ſalutem habetur acceptus; Ergo de hac Juſtificatione ſola in utroque membro propoſitionis *Jacobus* intelligendus eſt. In quamcunque partem te vertas, ictum hujus argumenti evitare nunquam poteris. 2ò. Hæc interpretatio ſermonem Apoſtoli craſſiſſimô Solœciſmô conſpurcat. Si enim *Jacobus* de ea Juſtificatione agit, quâ Fidei noſtræ ſinceritas coram Deo probatur, tum concluſio ejus, *Videtis ex Operibus hominem juſtificari, & non ex Fide tantùm*, ſic exponenda eſſet: *Videtis ex Operibus Fidei hominis ſinceritatem coram Deo probari, & non ex Fide tantùm.* Quis verò ſanus non indignetur, ſapientiſſimo Apoſtolo ſermonem tam inſulſum affingi? 3ò. Huic etiam interpretationi manifeſtè repugnant verba, v. 14. *Quid proderit, fratres mei, ſi Fidem quis dicat ſe habere, Opera autem non habeat? nunquid poterit Fides ſalvare eum?* Nam hinc certè luce clarius eſt, de ea Juſtificatione Apoſtolum agere, non quâ à crimine hypocriſis liberamur, (ut tu loqueris & ſentis) ſed quâ liberamur ab æterna condemnatione, & jus ad ſalutem acquirimus; &, juxta Apoſtolum, Fidem egere Operibus, (hoc eſt, Charitate, quæ Opera omnia bona profert) non modò ut ipſius ſinceritas coram Deo probetur, ſed etiam ut proſit ipſa ad ſalutem hominis. His argumentis uſus fueram *Diſſert.* 2. *cap.* 1. §. 7. ad deſtruendam eorum Hypotheſin, qui Juſtificationem apud *Jacobum*, Juſtitiæ declarationem coram hominibus intelligunt. Vides quàm æquè inſerviant tuæ conciliandi methodo (quàm tantùm non deperiiſti) funditus evertendæ; quemadmodum & cætera, quæ ibidem ſequuntur.

§. 6. Jam conferatur hæc veſtra optima conciliandi methodus cum noſtra, quam in *Diſſertatione* poſteriori latiùs deductam, hîc ſummatim proponam, liberum Lectori arbitrium relinquens, utra ſit præferenda. Juxtà vobiſcum fatemur, ſtatum controverſiæ in duobus Apoſtolis planè diverſum eſſe; ſed diverſitatem iſtam longè aliter, quàm à vobis fit, explicandam eſſe contendimus. *Paulus* in ſuis Diſputationibus litem habuit cum adverſariis, qui non omnes ejuſdem generis fuere. Aliquando enim diſputat adverſus profeſſos Evangelii hoſtes, nempe, tum *Gentiles*, tum imprimis *Judæos*, à Fide Chriſti alienos, quorum illi Legi naturæ, hi Pædagogiæ *Moſaicæ* confiſi ſunt, ſpretô Chriſti Evangeliô. Adversùs hos pluribus oſtendit Apoſtolus, neutram illam Legem ſufficere ad hominem peccatorem juſtificandum, atque ad ſalutem perducendum; ſolum id poſſe Evangelium Chriſti. Cujus ſuæ aſſertionis duo imprimis argumenta adfert. 1. Quòd, cùm homines omnes peccatores ſint, atque ob peccata iræ divinæ obnoxii, per neutram illam Legem certa aliqua ratio obtinendæ Remiſſionis oſtendatur. De Lege Naturæ res manifeſta eſt, quippe quæ promiſſô omni divinô careat; unde *Gentiles* ab Apoſtolo dicti ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, ἐλπίδα μὴ ἔχοντες, *Eph.* 2. 12. Ad Legem *Moſaicam* in Monte *Sinai* traditam quod attinet, oſtendit Apoſtolus, per Legem illam, ſi carnaliter & ſecundum literam ſpectetur, (ſub qua ſola conſideratione Juſtificationem ipſi detrahit; ſiquidem ſpiritualiter intellecta nihil aliud erat quàm ipſiſſimum Evangelium typis adumbratum:) Remiſſionem quidem promitti quandam, ſed eam neque plenam, nec perfectam; hoc eſt neque Remiſſionem omnium peccatorum, neque ullius peccati Remiſſionem, quæ ab interno

reatu

reatu hominem liberet, & cum æternæ vitæ donatione conjuncta ſit: contrà in Evangelio verum & unicum ἱλαςήριον palàm à Deo hominibus oſtendi ac proponi, nempe Filium ipſius Ieſum Chriſtum, qui effuſione Sanguinis ſui apud Deum pretioſiſſimi omnibus verè pœnitentibus veram Remiſſionem peccatorum impetravit; adeoque in Evangelio non temporalem tantùm, ſed αἰώνιον λύτρωσιν καὶ σωτηρίαν, (*Heb.* 5. 9. & 9. 12.) pleniſſimam ac perfectiſſimam omnium peccatorum, etiam graviſſimorum, Remiſſionem cum vitæ æternæ donatione conjunctam, promitti omnibus, qui ex Fide in Chriſtum à peccatis iſtis ex animo reſipuerint, ſeque in poſterum Deo & ſanctæ vitæ dicaverint. 2. Alterum Apoſtoli argumentum hujuſmodi eſt: Quòd, cùm homines omnes naturâ ſint imbecilli ac planè impotentes, neque viribus nativis poſſint dominium peccati frangere, nedum veram Sanctimoniam Deoque ad ſalutem gratam Juſtitiam præſtare; cúmque Juſtitiæ & Sanctitati Divinæ repugnet, cuiquam peccata remittere, & vitam æternam donare, qui non à vitiis purgetur, quin & θείας φύσεως κοινωνὸς, quodammodo fiat; efficaciſſimâ Dei Gratiâ in hoc negotio opus ſit, quæ per ſolum Chriſti Evangelium, διακονίαν πνεύματος, νόμον πνεύματος ζωῆς, δύναμιν Θεῦ εἰς σωτηρίαν, ſubminiſtratur. Hæc fusè explicavi in *Diſſertat.* poſteriori. Jam hîc ſtatus controverſiæ verus & genuinus clarè elucet; nempe, *An homo peccator, (erga Deum ἐχθρὸς καὶ ἀδυνὴς*, Rom. 5. 6, 10.) *juſtificari, atque ad ſalutem perduci poſſit aliâ ratione præter eam, quæ in Evangelio Chriſti oſtenſa ac præſcripta eſt?* Nimirum Apoſtolus non agit præcisè de hoc vel illo particulari beneficio, quod ad ſalutem noſtram ſpectat; (ut plerique autumârunt) ſed de tota atque integra ſalutis humanæ οἰκονομίᾳ, quam procurari aliâ ratione poſſe, præterquam eâ quæ in Evangelio revelata eſt, omnino negat. Hanc rationem *Fidem* appellat, ob rationes graviſſimas jam ſæpiùs à nobis commemoratas. Qui autem ſibi perſuadere poteſt, *Paulum* in tam operoſa diſputatione id agere, ut oſtendat, per ſolam Fidem, ſimpliçem Virtutem, atque à cæteris Virtutibus Evangelicis diſtinctam; neque tamen per quemvis Fidei actum, ſed per actum illum peculiarem, quæ *Recumbentia* vocatur; per Fidem *quæ* viva, non *quà* viva eſt; denique per Fidem, tanquam per inſtrumentum apprehendens Juſtitiam Chriſti, eamque revera noſtram faciens, hominem juſtificari; quid non ille tandem ſomniabit? Certè inanes hæ ſubtilitates & λεπτολογίαι, ut cum genio ſapientiſſimi & θεοπνεύστου Apoſtoli neutiquam conveniebant, ita à ſcopo ac propoſito ipſius longè erant remotiſſimæ. Iſta meſſis argutiarum nec ferebatur, nec metebatur adverſariis, quibuſcum *Paulus* diſputavit; utpote qui univerſam ſalutis obtinendæ rationem in Evangelio præſcriptam repudiaverint.

§. 7. Præter hos fuerunt & alii Adverſarii, quos *Paulus* (idque imprimis) oppugnavit, nempe Judaizantes Chriſtiani, qui Legis *Moſaicæ* Ceremonias tanquam ad ſalutem obſervatu neceſſarias, cum Fide Chriſti ſive Evangelio conjungerent. In hos Apoſtolus invehitur tum in Epiſtola ad *Romanos*, tum imprimis in ea, quam ad *Galatas* ſcripſit, Epiſtolâ. Adverſus hos hanc concluſionem adſtruit: *In Chriſto Ieſu neque Circumciſio quicquam valet, neque Præputium, ſed Fides per Charitatem perfecta*, Gal. 5. 6. Cui conferendus alter locus, *Gal.* 6. 15. *In Chriſto Ieſu neque Circumciſio quicquam valet, neque Præputium, ſed nova creatura.* In Chriſto Ieſu, h. e. juxta Legem Chriſti, ſive Evangelium, ad Juſtificationem ac ſalutem nihil conducit Circumciſio & cæteri Ritus *Moſaici*; integra atque unica conditio ad Juſtificationem ac ſalutem hominis in Fœdere Evangelico requiſita, eſt Fides per Charitatem perfecta, ſive nova creatura. Ubi Apoſtolus conditionem Evangelici Fœderis plenè exprimit. Hîc quoque ſtatus Controverſiæ ſatis perſpicuus eſt; nempe, *An ratio Salutis obtinendæ, in Evangelio præſcripta, ſit per ſe & abſque Rituum* Moſaicorum *obſervatione ſufficiens?* Quoties itaque *Paulus* hoſce Adverſarios impugnans (quod plerumque fit) affirmat, hominem juſtificari per Fidem abſque Legis Operibus, manifeſtiſſimum eſt, ab ipſo Fidem opponi non cæteris Virtutibus Evangelicis, ſed Ritibus *Moſaicis*; proinde μετωνυμικῶς ſive συνεκδοχικῶς poni pro Juſtitia illa Spirituali univerſa, in Evangelio præſcriptâ, & carnalibus veteris Legis Ceremoniis oppoſitâ. Quòd ſi Metonymia aut Synecdoche hîc neceſſariò admittenda ſit, quæ ratio nos eò inducat, ut credere nolimus, Apoſtolum eôdem Tropô alibi quoque uſum fuiſſe? Habes ſtatum Controverſiæ apud *Paulum* (niſi vehementer fallor) clarè explicatum.

§. 8. Ad *Jacobum* quod attinet, Adverſarii, quibuſcum ille congreditur, (quod ſæpiùs notavi) ſunt immanes illi *Antinomi*, *Simonis* aſſeclæ, qui *Pauli* doctrinam pravè interpretantes, atque ad ſuam aliorumque perniciem στρεβλοῦντες, docebant, ſolam Fidem ad Juſtificationem hominis ſufficere, abſque Charitate illâ, quæ Opera bona profert. Horum peſtiferæ doctrinæ Apoſtolus ſuam velu-

uti

luti ἀντίθεσιν opponit; nempe, *Ex Operibus hominem justificari, & non ex Fide tantùm.* Loquitur autem manifestè de Operibus, non (ut *Paulus*) Fidei oppositis, sed ex Fide profectis, cum Fide cooperantibus, ipsamque perficientibus, *v.* 22. Itaque hìc status Controversiæ extra controversiam hujusmodi est: *An juxta Fœdus Evangelicum sola Fides, simplex virtus, sine cæteris Virtutibus ac bonis Operibus ad Justificationem hominis sufficiat?* Affirmabant *Simoniani*, *Pauli* authoritate abutentes ad Hypothesin suam confirmandam. Sed partem Quæstionis negantem (quæ nostra est) ex professo adstruit *Jacobus*, qui & Evangelii veritatem, & *Pauli* sensum optimè calluit.

ANIMADVERSIO XVI.

Ad Differt. 2. Cap. 4. Sect. 4. p. 75.

HIC fundamenta jacturus Methodi illius, juxta quam Conciliationem Apostolorum *Pauli* & *Jacobi* fieri debere existimaverim, sententiam meam explicavi his verbis: "Primò "igitur, quid per Fidem intelligat *Paulus*, "quæri potest ac debet. Ad cujus quæstio"nis solutionem, quod superiùs strictim no"tavimus, hîc fusiùs à nobis explicandum "ac demonstrandum est: scil. Fidem, cui "Justificatio à *Paulo* tribuitur, pro unica ac "simplici virtute nequaquam sumendam "esse, sed integram Fœderis Evangelici "conditionem denotare, h. e. suo ambitu "omnia Christianæ pietatis Opera com"plecti." Rectè enim *Zegerus*: *Absoluta & perfecta Fides, cujus est frequentior in Scripturis mentio, ea est, quâ non modo Deo, & Deum credimus, verùm etiam in Deum, h. e. credendo pio affectu pariter & effectu in Deum tendimus, & ab illo pendemus. Atque hæc simul Spem, Charitatem, & bona Opera complectitur.* Et paulò post: *Hîc igitur memineris oportet, quòd, ubicunque* Paulus, *vel alia Scriptura Sacra, Fidei tribuit Justificationem, Salutem, Vitam, aut aliquid hujusmodi, de Fide loquatur viva & perfecta, h. e. quæ Spem, Charitatem, bona Opera complectitur.* His tu ita occurris: *Ineptissimè* Zegerus. *Et fundamentum hoc, quod sternis, est falsissimum. Unicô utar argumentô.* Paulus *Justificationis nostræ fundamentum ponit ex parte nostra unicum, Fidem in Christi Sanguine sine Operibus. Num sanus quisquam, quando* Paulus *dixit, hominem justificari Fide sine Operibus, opinabitur illum voluisse, Fide cum Operibus? De Operibus autem loquitur, quæ Lex Moralis ab Evangelio firmata flagitat, & cujusmodi* Abraham *præstitit, Dei tum amore, tum metu. Hæc, hæc ipsa sunt Opera, quæ* Paulus *verbis Solem claritudine superantibus amovet à peccatoris per Gratiam Dei & Justitiam Christi Justificatione. Et hæc Fides in Christi Sanguine* (Rom. 3. 25.) *ex qua Justificatio nostra in conspectu Dei pendet, est, non (ut ille in* Plutarcho *dixit)* σμῆνος ἀρετῶν, *sed simplex Virtus, quæ ad objectum unum modô peculiari fertur, ut Apostolus disertissimè disserit. Nôsti habitus ex objectis suis suam sortiri unitatem. Fidei justificantis objectum est Christi Sanguis; non verbi veritas, quæ est credendi objectum, sed Christi Obedientia, quæ est Fiduciæ objectum.*

In præf. ad Annot. ad Epist. Pauli.

RESPONSIO ad Animadversionem XVI.

§. 1. Antiqvum hîc obtines. Ineptissimè loqvuntur omnes, quicunque quicquam loqvuntur quod tuis ineptiis minùs conveniat. Verùm quod tu à *Zegero* ineptissimè dictum fuisse ais, ego luculentissimis argumentis probavi. Cur ad argumenta illa non respondes? Certè quia non poteras, ut neq; in æternum poteris. Sunt enim ita planè ἀποδεικτικὰ, ut ex eorum valore controversiam omnem, quæ mihi tecum intercessit, æstimandam adeoque dirimendam cuivis Lectori, judiciô pollenti atque invictô præjudiciô non laboranti, lubentissimus permittam. Ad hanc autem Censuram tuam (nullius sane judicii, summæ verò temeritatis tuæ indicium) probandam, unicô te argumentô usurum ais. Atqui unicum illud argumentum aut multiplex est, aut certè nullum. Agè verò, tua verba membratim expendamus, ubinam tandem argumentum illud unicum lateat, visuri.

§. 2. Primò, *Paulus*, inquis, *Juſtificationis noſtræ fundamentum ponit ex parte noſtra unicum, Fidem in Chriſti Sanguinem ſine Operibus.* Verùm hoc argumentum non eſt, ſed mera petitio principii, ſolenne tuum argumentandi genus ; qui mihi multis probanti, Fidem, ſimplicem virtutem, non eſſe unicum Juſtificationis fundamentum ex parte noſtra, paſſim reſpondes, negando concluſionem, præmiſſis ſuſque deque habitis, utpote tuâ ſtrenuiſſimi Diſputatoris conſideratione indignis. Imò (inquis) fundamentum Juſtificationis ex parte noſtra unicum ponit Apoſtolus, nempe Fidem. Hoc ubique inculcas, hoc centies repetis ; quaſi adverſarium, quem argumentis refutare non poſſis, ταυτολογίαις ſaltem obtundere in animo tibi fuiſſet. Huic Hypotheſi tuæ planè affixus videris, veluti ſaxo ſuo *Prometheus*. Hinc non puduit te (in Notis tuis alicubi) palàm profiteri, *Hypotheſin meam*, nempe, Fidem à *Paulo* in hac Diſputatione μετωνυμικῶς ſive συνεκδοχικῶς ſumi, te *ad mortem uſque pernegaturum*. Tibi verò, mi Cenſor, ſi in ſtultitia tua conſeneſcere, adeoque emori certum ſit, quis erit remedii locus ? *Invitum qui ſervat, idem facit occidenti.*

§. 3. Sed tua adhuc ſequar veſtigia. Fortaſſe unicum illud tuum argumentum latet in verbis ſequentibus : *Num ſanus quiſquam, quando* Paulus *dicit, hominem juſtificari Fide ſine Operibus, opinabitur, illum voluiſſe, Fide cum Operibus ?* Argumentum ſcil. ab abſurdo. Sed abſurditatem illam mihi pro libitu tuo affinxiſti, ſententiam meam crudè nimis explicando. Quod contendo, illud eſt : *Paulum*, cùm dicit, juſtificari hominem Fide ſine Operibus, voluiſſe, hominem juſtificari Fide Evangelii cum obedientia ex eadem profectâ abſque Operibus Legis, quod & ipſe *Paulus* ſatis frequenter exprimit. Itidem affirmo, huic *Pauli* doctrinæ neutiquam contradicere *Jacobum*, docentem, juſtificari hominem ex Operibus, & non ex Fide tantùm ; quia ſcil. *Jacobus* Opera ex Fide profecta, ſive Opera à *Paulo* in *Fidei* vocabulo incluſa intelligit, non Opera Legis, quæ *Paulus* excludit. In his omnibus quid abſurdi eſt ? Imò omnes ingenii tui nervos intendas licèt, commodiorem hujus ἐναντιοφανείας explicandæ rationem nunquam inveneris.

§. 4. Inſtas : *De Operibus autem loquitur* Paulus, *quæ Lex Moralis ab Evangelio firmata flagitat.* Reſp. A *Paulo* ipſa Legis Moralis Opera κατὰ τι à Juſtificatione excludi, nunquam negavi ; quin & illud ipſum ex profeſſo, & luculentis aliquot *Pauli* locis adſtruxi *Diſſert.* 2. *cap.* 7. §. 2. Ut hinc conſtet, quàm tu minùs attentô, aut (quod pejus eſt) malevolô planè animô librum meum lectitaveris, qui mihi toties contrariam ſententiam tam fidenter impingas. Interim ibidem illud addendum duxi, (n. 3.) *Opera Legis Moralis à* Paulo *non ſimpliciter excludi, ſed eatenus tantùm, quatenus in Fœdere* Moſaico *præſcripta erant, ac pars conditionis iſti Fœderi annexæ fierent, ſive quatenus à Gratia Evangelii ſejuncta conſiderari poterant.* Hoc in eadem *Diſſertatione* ſic explico. 1°. *Paulus* omnino atque ſimpliciter excludit Opera Legis Moralis ejuſmodi, quæ quis præſtat ſolâ Lege adjutus, h. e. ſuis viribus abſque Gratia Chriſti efficaciſſimâ, quam Lex (quatenus à *Paulo* ſpectatur) nullam exhibuit. Quippe ejuſmodi Opera, qualiacunque ea ſint, ad veram Juſtitiam nihil conducunt, neque bonitatem in ſe ullam ſupernaturalem habent. 2°. Opera omnino omnia, etiam Legis Moralis, etiamſi rectè facta, & quâviſcunque bonitate ſupernaturali prædita, hactenus excludit *Paulus*, ut neget prorſus, per ea ad veram Juſtificationem poſſe quenquam pervenire per Fœdus *Moſaicum* ; quippe quod veram Juſtificationem, h. e. cum vitæ æternæ donatione conjunctam, nullam præſtet. Addo, ingens illud beneficium ex ſolo Gratiæ Fœdere, Sanguine Mediatoris ſancitô, proficiſci. Quibus verbis hoc volo, præſtantiſſima noſtra Opera nihil à Deo mereri, ad Juſtificationem ac Salutem nihil quicquam per ſe efficere, ſine interveniente Servatoris noſtri Sacrificio propitiatorio. Idem dixi in recapitulatione Diſputationis Apoſtolicæ *Diſſert.* 2. *cap.* 18. §. 2. his verbis : *Rejicit à Juſtificatione Apoſtolus* Paulus *Opera :* 1. *Ritualia, quæ Lex Ceremonialis præſcripſit* ; 2. *Moralia, quæ nativis hominum viribus in ſtatu ſive Legis, ſive meræ naturæ, fiant ante & citra Gratiam Evangelii* ; 3. *Iudaica, ſive futilem illam Iuſtitiam, quam docuerunt Iudæorum Magiſtri* ; 4. *denique, univerſa à Chriſto Mediatore divulſa, quæque ſuâ vi, vel citra reſpectum ad Fœdus Gratiæ Chriſti Sanguine ſtabilitum, Salutem æternam aſſequerentur.* Quis ſanus negaverit, plenam hic enumerationem contineri Operum, quæ *Paulus* à Juſtificatione excludit ? Nihilominus (te urgente) rem totam clariùs adhuc (ſi fieri id poteſt) explicare conabor. *Paulus* de cauſis Juſtificationis noſtræ diſſerens agit, (ut de cauſa προηγουμένη nihil dicam, quam omnes in ſumma Dei φιλανθρωπία ſitam eſſe agnoſcunt) vel 1. de cauſa ejuſdem πρωτουργικῇ & meritoria ; vel 2. de cauſa ſine qua non, ſive conditione ex parte noſtra requiſitâ. Ad cauſam meritoriam reſpiciens *Paulus* excludit omnia hominum Opera cujuſcunjuſcun-

juſcunque generis, ipſamque adeo Fidem, ejuſmodi cauſalitatem in negotio Juſtificationis ſoli tribuens Domini noſtri Jeſu Chriſti Sacrificio propitiatorio. Hinc dicimur à *Paulo Rom.* 3. v. 24. δικαιόμενοι δωρεὰν τῇ Θεοῦ χάριτι, διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως ἐν Χριστῷ Ιησοῦ. Et *Rom.* 5. 9. δικαιωθέντες ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ· & ibid. v. 19. διὰ τῆς ὑπακοῆς αὐτοῦ δίκαιοι. Hæc lubentiſſimus atq; ex animo (Deus mihi teſtis eſt) profiteor contra *Socinum* ejuſque aſſeclas; quorum dogmatibus planè hæreticis, longiúſque ab Eccleſiæ Catholicæ conſenſu abhorrentibus, (pudeat pœniteatque te alioſque tui ſimiles, *Socinianiſmi* mihi aſperſiſſe labem, toto Oceano nunquam diluendam) nemo hodie mortalium vivit, qui ſit magis infenſus. Idem eâdem ſinceritate teſtor contra Pontificios illos (quorum partibus quoque me alicubi adjungis) qui, cùm fateantur Jeſum Chriſtum Obedientiâ ſuâ meruiſſe pro nobis omnia, meritum tamen propriè dictum, ſive (ut loqvuntur) *meritum ex condigno*, Operibus noſtris per ſe, & citra reſpectum ad Fœdus Evangelii gratioſiſſimum ſpectatis, (neſcio quâ vecordiâ abrepti) tribuere non ſunt veriti; à quo dogmate ipſi etiam *Socinianiſtæ* abhorrent. Ad cauſam ſine qua non, ſive conditionem ex parte noſtra requiſitam, quod attinet, ſtatuit *Paulus* juſtificari hominem ἐκ πίστεως, vel διὰ πίστεως, χωρὶς ἔργων νόμου. Hîc fidenter affirmo, (quod & argumentis omni exceptione majoribus probavi) *Paulum* Fidem non opponere cæteris Virtutibus Evangelicis, quæ ex ipſa proficiſcuntur, eamque ſequi ſolent, ſed tantùm (quod ab ipſo exprimitur) *Operibus Legis*. Apoſtolum enim per Opera Legis intellexiſſe Opera Evangelica, h. e. quæ ex Fide & Gratia Evangelii profluunt, & juxta præſcriptum ejus fiunt, quis ſanus exiſtimaverit? præſertim cùm ſatis manifeſtum ſit, à *Paulo* in hac Diſputatione Legem ubique contradiſtingui adeóque opponi Evangelio. Quam de *Abrahami* Operibus objectionem ſubjungis, iterum Lectorem moneo, me ex profeſſo & prolixè refutâſſe *Diſſert.* 2. *cap.* 12.

§. 5. Sed unicum illud tuum argumentum adhuc fortaſſe quærendum eſt, nempe in loco illo celebri ad *Romanos* 3. 25. ubi mentio fit *Fidei in Chriſti Sanguinem*. Quippe ſenſiſſe videris, in loco illo Fidem quandam ſpecialem à *Paulo* indicari, quæ vim habet per ſe juſtificatricem, ſive quæ Juſtificationem neceſſariô ſecum nexu trahat. Inanem prorſus non eſſe hanc conjecturam meam, hinc patet, quod tum ipſe mox ex hoc loco colligis, ſpeciale objectum Fidei juſtificantis, quà talis, eſſe Chriſti Sanguinem; tum Pater quoque tuus (cujus ſcrinia compilas) idem quoque facit. Nam in Epiſtola ſecunda ad *Baxterum* hæc ejus verba lego: *Illa loquendi formula*, πίστις ἐν τῷ αἵματι, Fides *ſive* Fiducia in Sanguine, *innuere videtur, virtutem hanc præ aliis relationem quandam magis ſpecialem habere ad Satisfactionem, pro peccatis noſtris divinæ Juſtitiæ præſtitam per Chriſti perpeſſiones, quæ ſola à nobis allegari poteſt ad noſtram ab iiſdem (peccatis) abſolutionem coram Dei Tribunali.* Verè hîc verbis tuis utar: *Multa oculis ſuffuſis videntur, quæ non ſunt.* Locum omnino (quod pace veſtrâ dixerim) perperàm accepiſtis, tuque Paterque tuus. Locus ſic habet: ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι. Ubi verba accuratiùs expendenti patebit, illud ἐν τῷ αἵματι referendum eſſe non ad πίστεως ſed ἱλαστήριον, ita ut non ſpeciale Fidei objectum, ſed modum Propitiationis à Chriſto factæ declaret, hôc modô: *Quem propoſuit Deus placamentum in Sanguine ſuo per Fidem.* Rationes hæ ſunt: 1ò. Ipſa verborum conſtructio interpretationi veſtræ repugnat. Si illud voluiſſet Apoſtolus, quod vos ſomniâſtis, ita locutus fuiſſet: διὰ τῆς πίστεως, τῆς εἰς τὸ αὐτοῦ αἷμα. Jam verò primùm deeſt articulus τῆς ante præpoſitionem; deinde præpoſitio non eſt εἰς, ſed ἐν. Denique (quod ex *Beza* obſervavit *Paræus*) in omnibus MSS. αὐτοῦ legitur cum ſpiritu denſo, non tenui, ut ſit reciprocum pro ἑαυτοῦ, proinde verba ἐν αἵματι αὐτοῦ neceſſariò cum ἱλαστήριον connectenda ſint. Quis enim Solœciſmum non palpat in his verbis, *per Fidem in Sanguine ſuo?* Hiſce incommodis veſtram premi interpretationem viderat *Piſcator*, utpote Græcæ Linguæ peritiſſimus, atque interim (quod meritò quis miretur) ipſam calculô ſuô approbavit. Sic enim ille in Scholiis ad locum: διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ. *Omnino exiſtimo pro* αὐτοῦ, *cum ſpiritu denſo, legendum* αὐτοῦ, *cum ſpiritu tenui: & ἐλλείπων articulum* τῆς *ante præpoſitionem* ἐν *repetendum ex præcedentibus, ac proinde* ἐν *poſitum pro* εἰς: *denique poſt nomen* Fidem *delendum inciſi ſignum. Clarior erit verſio, ſi dicas: per Fidem in Sanguine ipſius.* Sed quid hoc eſt aliud quàm ſacrum Textum στρεβλῶσαι ad præconceptas noſtras hypotheſes ſtabiliendum? 2ò. Phraſis πίστις ἐν τῷ αἵματι (ſi ſenſum quoque ſpectas) dura eſt & inſolens. Nuſquam alibi apud *Paulum*, vel aliam Scripturam, Sanguis Chriſti connectitur cum Fide noſtra, tanquam ſpeciale ejuſdem objectum, ſed ubique cum verbis, quæ Propitiationem, Reconciliationem, Redemptionem Chriſti pro nobis factam ſignificant; idque ita, ut modum Propitiatio-

pitiationis, Reconciliationis, Redemptionis ejuſdem ſemper declaret: quod neminem latere poteſt, qui S. Scripturas cum cura aliqua unquam lectitaverit. Conſule loca, *Eph.* 1. 7. *Col.* 1. 14. *Heb.* 9. v. 12, 13, 14, 18, 19, 20, 21, 22. 3ò denique, verba διὰ τῆς πίστεως omnino deſunt in optimo Codice *Alexandrino*; neque ea legit *Chryſoſtomus*. Sed quid multis opus eſt in re perſpicua? Si *Socinista* eſſem, tuam hujus loci verſionem lubentiſſimus atque ambabus (quod aiunt) ulnis amplexarer; quippe quæ cum *Socini* placitis optimè conveniat. Is enim ad loca illa Scripturæ, in quibus connexio Sanguinis, ſive Mortis Chriſti, cum Remiſſione peccatorum nobis factâ exprimitur, multas explicationes affert, mirum quàm alienas à vocibus & ſcopo Scripturæ. Præ aliis una ipſi maximè placuit, ita ut ipſam plurimis locis, velut cauſæ ſuæ ſtatumen, inculcet. Eſt autem hæc, quòd mors Chriſti nobis id ipſum perſuadeat, quod ad Remiſſionem peccatorum obtinendam requiritur, Fidem ſcil. ſive, ut *Socinus* ipſe explicat, ſpem conſequendæ vitæ æternæ. Jam huic explicationi confirmandæ quid accommodatius eſſe poſſit, quam tua illa *Paulini* loci verſio, quæ verba ἐν αἵματι αὐτοῦ, non ad Chriſti Propitiationem, ſed ad Fidem noſtram, refert? Vide quàm hîc non falſus ſim. *Grotius* in poſthumis ſuis annotatis (in quibus nimiùm (proh dolor!) ubique *Socinianis* interpretationibus ſe delectat) ita locum Apoſtoli interpretatur: ἱλαστήριον כפרת *in V. Teſt. dicebatur tegmen arcæ, cui inſidens nubes quædam à Deo immiſſa certum faciebat populum de ſuo adversùs eum favore*, Lev. 16. 2. Num. 7. 89. *Sic & Deus Chriſti preces illas ratas habendo, & propter eas mittendo Spiritum in Apoſtolos*, Joh. 14. 16. *oſtendit ſe bene velle humano generi. Cum autem addit*, διὰ τῆς πίστεως, *oſtendit, quomodo quiſque effectum illius Bonitatis*, i. e. *Juſtitiam veram, poſſit aſſequi, nempe Fidem habendo Sanguini Chriſti*, i. e. *doctrinæ per Sanguinem Chriſti ſancitæ, ſicut Fœdera ſanciri Sanguine ſolebant*. Hæc ideo prolixiùs diſſerui, non quòd objectio tua tanti ſit, ſed quia locum Apoſtoli ſatis decantatum verâ ſuâ interpretatione illuſtrâſſe operæ pretium exiſtimaverim. Alioquin enim, ſi daremus, Apoſtolum phraſi duriuſculâ & nuſquam alibi in S. Scripturis uſurpatâ dixiſſe, πίστις ἐν τῷ αἵματι, quid inde cauſæ tuæ accederet? ne hilum quidem. Tum enim πίστις ἐν τῷ αἵματι nihil aliud foret, quàm Fides illa, quâ credimus, Chriſtum pro peccatis noſtris expiandis Sanguinem ſuum effudiſſe, ſimulque confidimus, Deum Patrem propter effuſùm Sanguinem Filii ſui nobis reſipiſcentibus fore propitium. Hanc autem Fidem Juſtificationis effectum non attingere, niſi Pœnitentiam veram & fructuoſam pariat, per ſe nimis manifeſtum eſt.

§. 6. Quod porro dicis, Fidem non eſſe σμῆνος ἀρετῶν, ſed ſimplicem Virtutem, concedo. Scilicet Fides (uti obſervavi *Diſſert.* 1. *cap.* 4. *Sect.* 5.) tam in *Paulinis* Epiſtolis, quàm in Scripturis Novi Teſtamenti aliis, ubi per ſe ſpectatur, nihil aliud eſt, quàm aſſenſus ejuſmodi, quô Chriſtum credimus paſſum, mortuum, atque excitatum à mortuis; proinde vera eſſe, quæ ille Dei nomine ſive præcipiendo, ſive promittendo, nobis attulit; quod & multis teſtimoniis probavi, imprimis verò ex *Rom.* 4. 20, 21, 24. *Heb.* 11. 1. 1 *Joh.* 5. 4, 5. *Joh.* 8. 24. Sed dico nihilominus (quod & validiſſimis rationibus aſtruxi) Fidem à *Paulo*, quando Juſtificationem ipſi tribuit, ſpectari non ut ſimplicem Virtutem, ſed ut σμῆνος ἀρετῶν, ac toto Virtutum Evangelicarum examine, ac veluti choro, ſtipatam, h. e. δι' ἀγάπης, quæ cæterarum omnium Virtutum mater eſt, ἐνεργουμένην. Illud liquet, vel ex iis ipſis Scripturæ locis, in quibus Apoſtolus ſimplicem Virtutem Fidei deſcribit. Quippe in iiſdem Fidem ille explicat per aſſenſum; atqui nudo aſſenſui Juſtificationem ac Salutem non competere, apud omnes in confeſſo eſt. Si librum meum non prorſus oſcitanter legiſſes, facilè vidiſſes, me hanc objectionem tuam anticipâſſe, idque in hoc ipſo Capite *Diſſertationis* poſterioris 4. Sect. 10. Subtilem, quam poſtremô in loco proponis, diſtinctionem inter credendi, & Fiduciæ ſive Fidei juſtificantis objectum, vaniſſimam eſſe oſtendi in *Examine Animadverſionis* 13.

§. 7. *Coronidis* locô poteram hîc congerere ingentem teſtimoniorum acervum è Scriptis Theologorum Reformatorum, qui Fidem, cui Juſtificatio in *Paulinis* Epiſtolis tribuitur, acceperint ſenſu complexo, quatenus nempe notione ſuâ Charitatem illam involvit, quæ omnium bonorum Operum mater eſt. Res tam nota eſt, ut *Eſtius* Pontificius, Scriptor ſummi & judicii & candoris, noſtratium pleriſque objiciat, quòd dicant, *Fidem & Charitatem eſſe rem eandem.* Sed nolim tot Authorum loca deſcribendo, & Lectori, & mihi ipſi tædium afferre. Nequeo tamen mihi temperare, quò minùs unum teſtimonium illuſtre adferam Viri inter primos Reformatores illuſtris, *Huldrychi Zvinglii*, Commentar. *de vera & falſa Religione*, cap. *de Merito*. Hujus ibidem hæc ſunt verba ipſiſſima: " Omnia Opera Pie- " tatis aut Carnis fructus ſunt. Nam ſi " pius

In lib. 3. diſt. 23. Sect. 7. in ipſo initio.

pag. 341, 342. *edit.* Tigur.

" pius es, ex Fide iis rebus studes, quas Fi-
" des dictat. Qui enim Fidem habet, Deus
" in eo est, & ipse in Deo. At ne quis-
" quam dicat, hoc Charitatis est quod tu
" Fidei tribuisti, considerandum est, quòd
" Fides in Scripturis Sacris variè accipitur :
" primùm, pro credulitate ; deinde, pro
" firmitudine ; mox, pro Fiducia in Deum ;
" & de ista solâ debet intelligi, quòd Fides
" salvum faciat. Qui verò jam non intel-
" ligunt, Fidem, Spem, & Charitatem, ean-
" dem rem esse, nempe hanc in Deum Fi-
" duciam, multos nodos in Scriptura cogen-
" tur inexplicatos præterire. Id autem
" Scripturis manifestum fiet. *Spe salvi fa-*
" *cti sumus*, Rom. 8. Et *Rom.* 4. *Fides cre-*
" *denti reputatur ad Justitiam.* Si ergo
" Spes salvum facit, & Fides salvum facit,
" erunt eadem res Spes & Fides. Nec
" quenquam moveat, si quando aliter de
" Spe, quàm Fide dicatur. Illic enim Fi-
" des non accipitur pro Fiducia in Deum,
" sed aut pro qualibet Credulitate, aut pro
" Firmitudine, aut Veritate. *Charitas* ve-
" rò *Deus ipse est*, 1 Joh. 4. *et qui manet in*
" *Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*
" *Joh.* autem sextô : *Qui manducat carnem*
" *meam, & bibit sanguinem meum, in me ma-*
" *net, & ego in illo.* Hoc est, qui Christo
" fidit pro nobis passo, in Christo manet, &
" ipse in eo. Ergo Fidem & Charitatem
" eandem rem esse oportet. Neque hîc
" quisqvam miretur vereaturque, à nobis
" confundi tres istas Virtutes Theologicas.
" Nos sanè hoc ex Sacris Literis didicimus,
" quod nisi quælibet harum Virtutum sit
" altera, planè nihil sit, nedum Virtus. Fi-
" dem si de Christo habeas, nec in eum
" speres, nec redames, ad nihilum valet,
" *Jacob.* 2. Spem si te habere dicas in De-
" um, nec ames, mendacem teipsum facis.
" Nam si de Deo sic doctus es, ut meritò vi-
" deas in eum esse sperandum, fieri nequit
" ut summum esse bonum non agnoscas : Si
" summum esse bonum agnoveris, fieri ne-
" quit ut non ames. Si ames, nec speres, jam
" verba das : nequit enim amare Deum
" qui illi non fidit. Habet ergo huma-
" num pectus Deo conjunctum, hoc est Pie-
" tas, alia atque alia nomina ab incremen-
" to. Fidem aliquando accipimus pro Cre-
" dulitate ; hanc intelligendi ordine sequi-
" tur Spes ; istam verò Charitas : porro
" deinde tota ista humani cordis in Deum
" Fiducia, Fides interim, interim autem
" Spes, & Charitas appellatur : nec quic-
" quam aliud est quàm in Deum Pietas,
" sive ames, speres, aut fidas. Hinc fit, ut
" quandoquidem tria hæc complectitur una
" Pietas, Fides pro Charitate, & Spes pro
" Fide accipiatur. Hæc ille. Qui autem
non videt hoc testimonium ad *Zegeri*, h. e. nostram, sententiam confirmandam (quam tu ineptissimam vocas) appositissimum esse, cum tua verò, veluti directâ acie, pugnare, sane is nihil videt. Nam 1° clarè hîc docet *Zuinglius*, Fidem, cui Justificatio & Salus in Scripturis tribuitur (& speciatim Fidem illam, de qua *Paulus* dicit, quòd imputetur homini in Justitiam, *Rom.* 4.) ejusmodi esse Fiduciam, quæ tres Virtutes Theologicas, Fidem, Spem, & Charitatem complectatur, quæque idem planè sit, quod universa *Pietas* Christiana, sive *Pectus Deo conjunctum*. 2°. Disertè affirmat, nisi hoc teneatur, futurum ut multi in Scripturis nodi inexplicati maneant. Cogitavit dubiô procul imprimis ἐναντιοφάνειαν inter *Paulum* & *Jacobum*. Imò nominatim citat locum *Pauli*, *Rom.* 4. ubi Fides homini imputari dicitur ad Justitiam ; affirmans, nisi Fides ibi sensu illo complexo accipiatur, non posse locum illum cum aliis conciliari, in quibus Justificatio & Salus aliis Virtutibus tribuitur. Quin & disertè citat caput secundum Epistolæ *Jacobi*, ut probet, Fidem, simplicem Virtutem, ad Justificationem hominis nequaquam sufficere. Vides, mi Censor, methodum nostram conciliandi Apostolos, *Jacobum* & *Paulum*, novam non esse, etiam si ad Reformatos Theologos respicias ; ut de veteribus (quos sat scio apud te nullô esse in pretio) nihil dicam.

T ANIM-

In lib. 3. dist. 23. Sect. 7. in ipso initio.

pag. 341. 342. *edit.* Tigur.

ANIMADVERSIO XVII.

Ad Differt. 2. Cap. 7.

IN hoc Capite obiter Quæſtionem eventilo: An *Lex Moſis* fuerit, ſub ulla χάσει, Lex abſolutiſſimæ adeoque impoſſibilis Virtutis ac Juſtitiæ; atque an Argumentatio Apoſtoli in cap. 3. ad *Rom.* & *Gal.* 3. 10. contra Juſtificationem ex illa Lege, hôc fundamentô nitatur? Partem Quæſtionis negantem multis argumentis adſtruo. Sed tota hæc *Diſſertatio* mea, ut planè ἀπροσδιόνυσος, à te rejicitur. Ita enim ſcribis ad oram pag. 106. *Propoſitô maleſanô & operâ infauſtâ Legi* Moſaicæ *perfectionem detrahis, prorſus* ἀπροσδιονύσως. Paulus *enim agit de Lege illa, quæ Judicii extremi erit norma; quam qui perfectæ Obedientiæ regulam eſſe negat, deſipit. Vide Caput ad* Roman. *ſecundum. Ex hujus Legis Operibus quenquam juſtificari negat, c.* 3.

RESPONSIO ad Animadverſionem XVII.

§. 1. Non memini, me tot σφάλματα graviſſima in tam paucis verbis congeſta unquam vidiſſe. Nam, 1ò non hîc Legi *Moſaicæ*, ut tu ſomnias, perfectionem detraho magis quàm Evangelio. Quanquam enim Legem *Moſaicam* Evangelio collatam imperfectiorem eſſe Obedientiæ regulam, veriſimum ſit; tamen hôc in loco res iſta non agitur. Nego Legem *Moſaicam* Legem fuiſſe perfectiſſimæ Obedientiæ, eôdem ſenſu quô & Evangelium eſſe perfectæ Obedientiæ Legem nego. Scil. ex ſcopo totius hujus Diſputationis liquet, me per Legem perfectæ Obedientiæ nihil aliud voluiſſe, quàm ejuſmodi Legem, quæ ab homine perfectiſſimam, atque omnibus numeris & gradibus abſolutiſſimam Virtutem exigit, ut conditionem Salutis obtinendæ omnino neceſſariam, quæque homini ob minimum talis Juſtitiæ defectum mortem æternam diroſque Gehennæ cruciatus denuntiat. Itaque fruſtra omnino es, qui contra apertum Quæſtionis ſtatum in ipſo Capitis initio poſitum, contra manifeſtum argumentorum, quibus pugno, ſcopum tibi perſuaſeris, (ut ſoles non rarò in clariſſima luce cœcutire) me hôc in loco in id incumbere, ut probem, *Legem* Moſaicam *eſſe, Evangelio collatam, imperfectam Obedientiæ regulam, & minùs valere ad ſanctitatem pariendam.* Ipſiſſima verba tua agnoſce in Notis ad hanc ipſam paginam.

§. 2. Mirari ſatis nequeo, quod dicis, me hîc diſputationem inſtituiſſe de Lege *Moſaica* prorſus ἀπροσδιονύσως· idque ob hanc rationem, quòd *Paulus* de alia Lege agat. Nam ex profeſſo argumentationem Apoſtoli explico, quæ in cap. 3. ad *Roman.* & *Gal.* 3. 10. continetur; quibus utriſque in locis *Paulum* agere de Lege *Moſis*, nimis manifeſtum eſt. De loco ad *Gal.* 3. 10. nemo ſanus dubitaverit; ſiquidem ibidem ipſiſſima verba Legis *Moſaicæ* citantur. An eundem in ſcopum collimet Apoſtolus in diſſertatione illa, quæ *cap.* 3. *ad Roman.* agitatur, reſtat inquirendum. Affirmo, ibi etiam Apoſtolum de Lege *Moſis* diſſerere; quod & his rationibus probo. Primò à viris longè doctiſſimis dudum obſervatum fuit, (cave ne obſervationem contemnas) in *Paulinis* Epiſtolis τὸν νόμον, quotieſcunque abſolutè ponitur, ut in loco controverſo, ſine alia adjectione, conſtanter Legem *Moſis* ſignificare. Cujus ratio manifeſta eſt. Cùm enim triplex omnino Lex ſit, (de Legibus loquimur, quæ ad hominem lapſum pertinent) Naturæ, *Moſis*, & Evangelica; conſtat Evangelium nuſquam à *Paulo* abſolutè νόμον, nedum τὸν νόμον, appellari; ut neque Naturæ Legem, ſiquidem qui iſtâ ſolâ fruuntur, dicuntur ab ipſo eſſe χωρὶς νόμου, Rom. 2. 12. & νόμον μὴ ἔχοντες, ibid. v. 14. Deinde contextus Capitis, de quo diſceptatur, planè demonſtrat, ſermonem Apoſtoli ibidem ad Legem *Moſaicam* pertinere. Quippe in Capitis initio *Judæos* peccati arguit *Paulus* (de *Gentibus* egerat cap. 2.) ex multis veteris Inſtrumenti teſtimoniis. Quæ teſtimonia ne *Judæi* ad ſe neutiquam pertinere cauſarentur, addit *Paulus* v. 19. οἴδαμεν γὰρ, ὅτι ὅσα ὁ νόμος λέγει,

γει, τοῖς ἐν τῷ νόμῳ λαλεῖ. Ubi τὸς ἐν τῷ νόμῳ intelligit *Judæos* & Proselytas, qui integram *Judæorum* Legem susceperant. Hi enim dicuntur esse ἐν νόμῳ locô modò citatô, *Rom.* 2. 12. & ὑπὸ νόμε, *Rom.* 6. 15. vel ὑπὸ νόμον, 1 *Cor.* 9. 20. Ἀμέσως autem v. 20. subjungit Apostolus: Διότι ἐξ ἔργων νόμε ὃ δικαιωθήσεται πᾶσα σάρξ. Quis jam, nisi qui deditâ operâ cœcutiat, non statim videt, loqui hîc Apostolum de ea Lege, cui subjecti erant *Judæi*, nempe *Mosaicâ*. Itidem Apostolum v. 20. Διότι ἐξ ἔργων νόμε ὃ δικαιωθήσεται πᾶσα σάρξ. & v. 28. Λογιζόμεθα πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων νόμε, de eadem Lege locutum fuisse, quis neget? Atqui in posteriori loco de Lege *Judæis* datâ loqui Apostolum, apertissimum est ex verbis immediatè consequentibus, v. 29. *An Judæorum Deus solus? annon & Gentium? Certò & Gentium.* Ubi habes, ut *Beza* notavit, argumentum ab absurdo: *Si à Lege* Mosis *penderet Justificatio, Deus solis Judæis esset Servator. Item, si aliâ ratione Judæos, aliâ Gentes servaret, non esset sui similis; utrosque igitur unâ & eâdem ratione justificabit, nempe per Fidem Evangelii.*

§. 3. Ita loqueris, quasi una aliqua Lex esset, quæ judicii norma futura sit omnibus in ultimo illo die, idque liqueret ex *cap.* 2. *ad Roman.* quod utrumque falsissimum est. Non omnes ad ejusdem Legis normam exigentur in ultimo Judicio; sed unusquisque ad normam Legis, sive οἰκονομίας, sub qua vixit; quod apertissimè docet Apostolus Capitis citati v. 12. *Qui sine Lege peccaverunt, sine Lege etiam peribunt: & qui in Lege peccaverunt, ex Lege judicabuntur*; h. e. Gentes, quæ Lege scriptâ caruerunt, ex Lege Naturæ judicabuntur: Judæi verò ex Lege scriptâ *Mosis*, scil. quæ ipsis lata fuerit.

§. 4. Qui Legem, quæ Judicii extremi norma erit, perfectæ Obedientiæ Legem esse (quô sensu Lex perfectæ Obedientiæ in Disputatione nostrâ accipitur) affirmat, is non modò desipit, sed & planè insanit. Ex ista qvippe affirmatione sequeretur, universum hominum genus in extremo Judicio funditus periturum.

§. 5. Si juxta sensum tuum accipiatur Lex perfectæ Obedientiæ, nempe pro Lege ejusmodi, quæ absolutissimam Virtutem, cùm non exigat sive postulet sub periculo animæ, proponit tamen ostenditque; ne sic qvidem verum erit, homines omnes ad normam Legis, quæ sit perfectæ Obedientiæ regula, judicatum iri. Nam omnes illi, qui Lege positivâ caruerunt, (qui longè maxima semper pars hominum fuere) ad normam Legis naturalis judicabuntur, apertissimè illud docente Apostolô in loco modò laudato, nempe *Rom.* 2. 12. Atqui Legem merè naturalem perfectæ Virtutis regulam esse, per omnia Evangelio parem, qui dixerit, ad *Anticyras* relegandus est.

§. 6. Denique illud omnem dementiam superat, quod postremô in locô affirmas, nempe *Paulum* ad *Rom.* 3. negare, quenquam ex Lege, quæ Judicii extremi erit norma, justificari. Hoc scil. tantundem est directè, ac si dixisses, *Paulum* docere, neminem hominem in extremo Judicio salvum fore. Cùm enim Judicii divini duo sint tantùm actus oppositi, Justificatio & Condemnatio, si nemo ex Lege, quæ extremi Judicii norma erit, justificabitur, omnino sequitur, omnes homines in extremo Judicio condemnatum iri. Pudet me pigetque tam spissas absurditates feriò & operosè insectari; & tamen has tu *Animadversiones* in librum appellas. Desines profectò, mi Censor, in posterum, si sapis, *Criticam* profiteri, qui toties in hoc artis tuæ specimine adeo turpiter temet dederis.

APPEN-

APPENDIX
AD EXAMEN
ANIMADVERSIONIS XVII.

§. 1. QUanquam Cenſor ille inſcitè admodum vellicavit, quæ in hoc Capite de Lege perfectæ Obedientiæ diſputavi; ingenuè tamen fateor, hanc παρέκβασιν noſtram Viris quibuſdam doctis ac piis, aliis de cauſis à veris non abſimilibus, diſplicuiſſe. His ut faciam ſatis, pro virili conabor. Qui conatus noſter ſi fortè irritus ſit futurus, illud ſaltem cogitabunt æqui rerum æſtimatores, me in iſto *Harmoniæ* Capitulo tantùm ſententiam meam modeſtè & ſalvô meliori judiciô propoſuiſſe: quin & totum illum ſermonem παρέκβασιν eſſe, ut dixi; quæ ſi prætermiſſa fuerit, nihil de inſtituto noſtro principali, quod conciliationem D. *Pauli* cum *Jacobo* attinet, deceſſurum.

§. 2. Hîc autem ut omnem λογομαχίαν evitemus, primò oſtendendum paucis, quid per *Legem perfectæ Obedientiæ* intelligamus. Per Legem perfectæ Obedientiæ nolumus aliud intelligi, quam Legem ab Evangelio diſtinctam eôque priorem, quæ virtutem, ſive æternæ Legi conformationem abſolutiſſimam, h. e. non modò quod ad partes, ſed quod ad gradus etiam attinet, idque juxta omnes (ut loqvuntur) particulas & circumſtantias perfectam, qualis à primo homine in ſtatu integritatis poſitô, atque auxiliis Spiritûs Divini adjutô præſtari potuit, ab homine lapſo exigit, cum promiſſo vitæ cœleſtis atque æternæ, ſi talem Juſtitiam præſtiterit; cum ſempiternæ verò mortis comminatione, ſi ab ea vel minimùm deflexerit. Hoc illud eſt, quod *Lex*, ſive *Fœdus Operum*, à Theologis vulgò (ſed perperàm, ut ſuprà obſervatum eſt) appellatur. Dico autem 1°. Nullam talem Legem poſt lapſum primi hominis extare. 2°. Apoſtoli argumentationem, cùm negat, quenquam per Legem *Moſaicam* juſtificari poſſe, neutiquam ex hac Hypotheſi procedere, quòd Lex *Moſis* iſtiuſmodi Lex Operum fuerit; ſed planè alio fundamento niti: nempe, quòd Lex iſta, ſub ea χάριτι, quâ ab Apoſtolo conſideratur, nullam prorſus veram Juſtificationem, h. e. cum æternæ vitæ donatione conjunctam, ſub quavis conditione conceſſerit. Hanc poſteriorem aſſertionem poſthæc ſuô locô contra Cenſorem evidentiſſimis argumentis adſtruemus. Hîc in prioris aſſertionis demonſtrationem incumbendum.

§. 3. Mirum eſt, quales hîc nonnulli Tragœdias excitent. Clamant, hâc aſſertione meâ Theologiæ Orthodoxæ Syſtema univerſum concuti, diſcerpi, dilacerari; Legis pariter atque Evangelii ipſa fundamenta convelli. Sed hæc in Theſin ipſorum (niſi vehementer fallor) aptiùs quadrant. Namq; exiſtimo, ſententiam illam, quæ ſtatuit, lapſi *Adami* poſteros, quà tales, ſub Lege ſive Fœdere vitæ æternæ, quale deſcripſimus, conſtitui, cum primis ac notiſſimis Chriſtianiſmi ſive Catholicæ Fidei principiis, quaſi directâ acie, pugnare. Quod ut luculentiùs appareat, Doctrinam Catholicam de hac quæſtione quibuſdam Theſibus, iiſque perſpicuis, explicabimus.

§. 4. Theſis prima: *Fœdus vitæ cum* Adamo *initum in ſtatu integro, per ipſius peccatum irritum fuit non modò ipſi, ſed & poſteris ipſius; ut jam omnes* Adæ *filii, quà tales, ſint filii mortis, h. e. à promiſſo omni vitæ immortalis penitus excluſi, ac moriendi neceſſitati, abſque ſpe Reſurrectionis, ſubjecti.* Nulla eſt in univerſa Theologia hâc Propoſitione certior. Paſſim enim in Scripturis Novi Teſtamenti apertiſſimè ac verbis diſertiſſimis traditur; præſertim in Epiſt. ad *Rom.* cap. 5. fere per totum. Unde & probati Eccleſiæ veteris Doctores univerſi, tum qui ante,

ante, tum qui post *Pelagium* vixere, in ea consenserunt; neque unquam à quoquam impunè & sine hæreseos notâ negata fuit. Jure autem potuisse Deum ob solum *Adami* peccatum posteros ipsius omnes à vita immortali excludere, nimis manifestum est. Nam (ut optimè Cl. *Gerardus J. Vossius*) *licèt* Adam *non peccâsset, poterat tamen Deus, qui liberrimus est donorum suorum dispensator, creare hominem ad finem naturalem, eóque & gratiæ in hac vita, & post hanc vitam gloriæ expertem. Evidentissimum autem est, quod poterat Deus absolutè, idem potuisse relatè, hoc est, cum respectu ad primum primorum parentum delictum: quò simul ostendat, se justi Judicis officiô perfungi.* Jam Thesis adversariorum cum hac Catholica Veritate nullo modo potest consistere. Nam à Promisso omni vitæ immortalis penitus excludi, & esse sub Fœdere, h. e. Promissô vitæ æternæ quâvis conditione adipiscendæ, sunt planè contradictoria, quæ simul de eodem homine affirmari nequeunt. Hinc autem sequitur, homini in statu lapsô spectato, si per impossibile Justitiam supponeretur absolutissimam præstitisse, qualis ab homine integro & perfecto præstari potuit ac debuit, nullum inde jus accessurum ad vitam cœlestem atque æternam. Nam quô titulô jus illud niteretur? An pactô ac promissione divinâ? At homo iste jam supponitur ab omni promisso vitæ immortalis planè exclusus. An Justitiæ ipsius meritô? Atqui sani omnes Theologi fatentur, vitam cœlestem atque æternam gratuitum esse Dei donum, adeoque immensæ liberalitatis, quod ne primo quidem homini in statu integro perfectissimè operanti ex stricto jure deberi potuit.

Hist. Pelag. *lib.* 2. *part.* 1. *Thes.* 1.

§. 5. Thesis secunda: *Omnes illi ex lapsi* Adami *posteris, qui revelatione divinâ prorsus destituuntur, quibusque nondum innotuit novum vitæ Fœdus, solâ naturæ Lege obstricti tenentur.* Tales fuerunt *Gentiles* illi, quos Apostolus describit Epistolæ ad *Ephes.* cap. 2. quosque pronuntiat *extraneos, quod ad pactorum promissiones attinet*, ibid. v. 22. De his in hac propositione duo affirmamus: 1. Eos Naturæ Lege adhuc obstrictos teneri; 2. Eos obstrictos teneri solâ Lege naturali. Quod ad prius attinet, notandum est, humanum genus, etiamsi per peccatum primi hominis ab intimiore Dei Gratia ac Favore exciderit, dominiô tamen divinô neque exemptum fuisse, neque eximi potuisse. Desiit quidem homo lapsus Dei esse amicus, saltem interioris admissionis; sed mansit tamen Domini supremi subditus. Itaque Lex Naturæ, ut omne Fœdus divinum antecessit, ita cessante per peccatum gratioso Dei Fœdere, vim suam ac vigorem adhuc retinuit. Juxta hanc Legem tenetur homo lapsus pro viribus sibi relictis omne illud facere, quod ad officium suum Deo debitum pertinere, ratio in consilium adhibita dictaverit. Posterius illud probatione vix indiget. Nam sepositâ omni revelatione ac pactione divinâ, manifestum est, nihil homini restare præter Legem Naturæ, quæ aboleri nequit. Quin & idem ab Apostolo satis perspicuè docetur *Rom.* 2. v. 12.

§. 6. Thesis tertia: *Lex Naturæ (h. e. dictamen rationis) quatenus in homine lapso spectatur, ut Spiritu ac Revelatione divinâ destituta, nequaquam absolutissimam virtutem præscribit, neque ejusdem Legis observationi vita immortalis ac cœlestis debetur.* Duo sunt hujus Theseos membra: 1. Legem Naturæ, per se spectatam, nequaquam Virtutem absolutissimam præscribere; 2. Ejusdem Legis observationi vitam immortalem ac cœlestem neutiquam deberi. Quod ad prius illud attinet, latus hîc aperitur campus differendi de Lege Naturali, quæ præcepta contineat, quousque se extendat, *&c.* ubi multa observatu non indigna proferre potuissem. Sed instituti nostri ratio non patitur, ut ad ista divertamur. Legem verò Naturalem φιλῶ, absolutissimam Virtutem non præscribere, hâc unâ ratione facilè probatur. Lex Naturæ contenta est Virtute, eâ quæ in Evangelio præscribitur, longè inferiore; ergo Virtutem absolutissimam nequaquam præscribit. Ratio consequentiæ manifesta est. Nam absolutissimâ Virtute nihil majus, nihil superius aut perfectius ab homine potest exigi. Antecedens quoque puto neminem, cui sinciput satis sanum, in dubium vocaturum. Nimirum Lex Evangelica ideo dicitur à Theologis Lex *supernaturalis*, quòd Virtutis perfectionem Naturæ modulum longè excedentem præscribit. Nec quicquam certius est, quàm nos Christianos, quibus cœlestis Evangelii lux affulsit, lege teneri ad Virtutis gradum assequendum illô multò sublimiorem, ad quem *Ethnici* obligantur, qui tenui ac subobscurô Naturæ lumine solô fruuntur. Quippe illud *Justini* Martyris omnium veterum (nî fallor) Theologorum consensu comprobatur: τὸ μὲν γὰρ ἔτι κατὰ φύσιν βιῶν, ἀδέπω πεπιστευκότα ἐστί· i. e. *Secundùm naturam adhuc vivere, nondum credentis est.* Posterius membrum Propositionis quod attinet, quisquis Legem Naturæ violaverit, supplicio obnoxius est, quale ipsi irrogare, Justitiæ, Sapientiæ atque Æquitati Divinæ visum fuerit; sed ejusdem Legis observationi vitam immortalem ac cœlestem ullatenus

Epist. ad Diognetum, *pag.* 504. *edit.* Paris. 1636.

latenus deberi, nemo, opinor, Catholicus affirmaverit. Namque immortalitas primi hominis, dum in ſtatu integro maneret, non Naturæ Lege (quæ tamen in ipſo perfectiſſima fuit) nitebatur, ſed Gratiâ ac promiſſô Dei. Imò Legis merè naturalis obſervationi vita illa æterna atque cœleſtis, quæ nobis Chriſtianis promittitur, adeo non debetur, ut Religio naturalis ſola ne aptum quidem ſive idoneum reddat hominem ad talem vitam ex promiſſo Dei obtinendam. Nam medium naturale nullam habet ordinationem (ut loqvuntur Scholaſtici) ad finem ſupernaturalem. Neque hîc ſive mea, ſive Scholaſticorum ſomnia Lectori obtrudo. Concors conſtanſque eſt Catholicorum omnium Doctorum, cùm qui ante, tum qui poſt *Pelagium* vixere, ſententia, (conſentientibus antiquiſſimis Hebræorum Magiſtris) primum hominem non modò cum Integritate Naturæ conditum, ſed & Divino inſuper Spiritu donatum fuiſſe; quô, tanquam principio quodam τῆς θείας φύσεως, naturales ipſius facultates (alioquin ad id nequaquam ſuffecturæ) attollerentur ad beatudinem cœleſtem (quam ipſi in conſilio Dei deſtinatam, cujuſque veluti typum fuiſſe terreſtris *Paradiſi* fælicitatem meritò credidere) conſequendam. Nihil hîc affirmo, quod non facilè præſtare poſſum, imò (ne quid diſſimulem) quod non jamdudum abunde præſtiti in chartis quibuſdam Anglicè exaratis, quibus reſpondeo ad Domini *Trumanni* librum, adversùs me Latinè diſſerentem, Anglicano idiomate (perabſurdè) conſcriptum; quas ideo quia Anglicè exaratæ ſunt (utpote veritus, ne rudis plebecula tractatione profundiorum quarundam quæſtionum, ad quas me adegit Viri illius nimia ſubtilitas, offenderetur) hactenus inter adverſaria volui deliteſcere, contentus cum paucis amicis meis (quos hujus rei teſtes habeo) eaſdem communicâſſe. Quippe ſi vera ſit hæc Catholicorum Patrum unanimis ſententia, concidit diſtinctio *de naturali & morali impotentia*, quam (ex *Amyraldi* ſcriptis hauſtam, ac *Baxteri* ſuffragiô munitam) Author ille novæ ſuæ Theologiæ tanquam fundamentum ſubſternit. Scilicet huc redit ejus Hypotheſis: abſque morali eſſet impotentia, h. e. (ut ipſe ſe explicat) voluntatis malitia (quam interim à nativitate ſua omnes trahere affirmat, ut moralis illa impotentia tandem in naturalem recidat) poſſe unumquemque *Adæ* lapſi filium, cui ſatis ſanum cerebellum, omnem Dei Legem ſibi ſufficienter revelatam, ſine ullius Gratiæ interioris adminiculo perfectè præſtare. Ex hac abſurda Hypotheſi multa alia abſurda deducit; v. g. Deum jure poſſe ab homine lapſo abſolutiſſimam Virtutem exigere, etiamſi nullam gratiam det, aut dare paratus ſit, quâ Virtus illa præſtetur: Legem Naturæ ipſam obſervantibus vitam æternam dare poſſe: Evangelicam Legem ſecum non afferre Gratiam, ad præſtandam Obedientiam quam requirit; ſed Gratiam illam ex mero Dei beneplacito dari paucis quibuſdam, qui electi vocantur: cæteros mortales juſtè damnari, quia bona agere poſſent, ſi vellent, cùm velle non poſſint. Sed fundamentum horum dogmatum (quæ certè anathemate digniſſima cenſuiſſet vetus Eccleſia) eſt *Pelagianum* prorſus & falſiſſimum; niſi verò egregiè falſi fuerint Catholici Patres univerſi. Quippe credidere illi (ut modò dictum eſt) primos homines, etiam in ſtatu innocentiæ, cùm nulla ipſis adhæreſceret *moralis impotentia*, nulla vel minima voluntatis pravitas, cùm Naturæ Facultates, tam corporis quàm animi, in ipſis eſſent integræ ac perfectæ, prætereaque mirâ externâ Gratiâ, multiſque, quæ *Paradiſi* fœlix conſtitutio miniſtrabat, adminiculs adjutæ, nequaquam tamen potuiſſe nativis ſuis viribus, ſine auxilio Spiritûs Divini eaſdem elevante, ad ejuſmodi Virtutem aſſurgere, quæ ipſos idoneos redderet ad beatitudinem cœleſtem percipiendam. Itaque liceat hîc cum Patribus Concilii *Arauſicani* ſecundi ita argumentari: Conc. Arauſican. Can. 19. *Natura humana, etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſeipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret. Unde cùm ſine Gratia Dei Salutem non poſſit cuſtodire quam accepit, quomodo ſine Gratia Dei poterit reparare quod perdidit?* Ex his autem omnibus ſequitur, neminem ſub Lege Naturæ ſolâ conſtitutum, poſſe ad beatitudinem illam cœleſtem, quæ nobis Chriſtianis promittitur, ſolâ vi ejuſdem Legis pervenire; proinde ſi qui ex *Ethnicis*, quibus nunquam affulſit Evangelii lux, Regnum cœleſte acquirant, iſtam beatitudinem illos aſſequi virtute novi Fœderis in Chriſti Sanguine ſtabiliti, atque adminiculô Gratiæ alicujus ſupernaturalis atque extraordinariæ per Chriſtum illis ſubminiſtratæ. Quod etiam Dominus ipſe docuit *Joh.* 3. 3. *Si quis non ſit natus denuo, non poteſt videre Regnum Dei*; additâ ratione v. 6. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt.*

§. 7. Theſis quarta: *Nullum unquam æternæ vitæ Fœdus cum lapſi* Adami *poſteris inivit Deus, quod non in Chriſto Servatore noſtro, altero illo* Adamo, *confirmatum ac ſanctum fuerit; proinde ipſiſſimum ſuerit Evangelium, juxta illud Apoſtoli* Rom. 6. v. ult. *Donum Dei eſt vita æterna in Chriſto Ieſu Domino*

Domino noſtro. Exiſtimamus hanc Theſin inter Chriſtianos pro indubitato axiomate haberi; proinde operosâ ejuſdem probatione ſuperſedebimus, ne Soli lucem fœnerari videamur. Hinc autem Conſectarium non inutile Lectori proponimus: nempe, duo omnino æternæ vitæ Fœdera cum humano genere iniviſſe Deum; prius cum homine mox ab ipſius creatione; alterum cum homine lapſo ſancitum, quod Evangelium dicitur. Mentio quidem fit in Scripturis duplicis Fœderis divini poſt lapſum hominis, nempe *Moſaici* & *Evangelici*: quorum illud vetus, hoc novum; illud primum, hoc ſecundum dicitur *Jer.* 31. v. 31. &c. *Heb.* 8. v. 7, 8, 13. Atqui manifeſtum eſt, in iſta diſtinctione Fœdus *Moſaicum*, ut Evangelio oppoſitum, carnaliter & juxta literam intelligi; quâ acceptione Fœdus æternæ vitæ nequaquam fuit, neque cum humano genere, ſed cum ſolis Judæis initum. Legimus quoque de Fœdere *Abrahamitico*; verùm illud fuit ipſiſſimum Evangelium, pro eorum temporum ratione ἀμυδρῶς, & obſcuriùs revelatum, teſte Apoſtolo *Gal.* 3. v. 8, 16, 17. Neque pugnat Apoſtolus *Paulus* in Epiſtola ad *Galatas* cum Authore Epiſtolæ ad *Hebræos*: quanquam hic Fœdus *Moſaicum*, primum ac vetus, Evangelium, ſecundum ac novum; ille verò contrà Evangelicum Fœdus primum, *Moſaicum* poſterius appellet. Nam *Paulus* loquitur de Evangelio, ut diximus, obſcuriùs revelatô; quô ſenſu non modò ante Legem *Moſaicam Abrahamo* utcunque patefactum fuit, ſed & ante *Abrahamum*, adeoque ſtatim à lapſu primi hominis obtinuit, *Tit.* 1. v. 1, 2. Author verò Epiſtolæ ad *Hebræos* Fœdus reſpicit Evangelicum, quatenus per ac poſt Adventum Chriſti pleniſſimè revelatum, atque conſummatô Redemptoris noſtri Sacrificiô ſancitum fuit; quâ acceptione abolito Fœderi *Moſaico* ſucceſſit. Ex his autem quatuor Theſibus jam poſitis (quarum, prima, tertia & quarta vix ſine hæreſi negantur, ſecunda quoque manifeſtæ eſt Veritatis) confectum eſt negotium noſtrum. Nam ſi Fœdus vitæ cum *Adamo* initum, per ipſius peccatum irritum fuit, non modò ipſi, ſed & poſteris ipſius; ſi omnes illi ex *Adami* poſteris, quibus nondum innotuit novum vitæ Fœdus, quique revelatione divinâ deſtituuntur, ſolâ Naturæ Lege, quæ neque abſolutiſſimam dictat Virtutem, neque ipſam obſervantibus Vitam æternam dare poſſit, obſtricti tenentur; ſi denique novum æternæ vitæ Fœdus cum lapſi *Adami* poſteris nullum inivit Deus, præter Evangelicum; tum certô certius eſt, nullam eſſe Legem ſive Fœdus ab Evangelio diſtinctum, eôque prius, quod abſolutiſſimam Virtutem ab homine lapſo exigit, ſub promiſſo Vitæ æternæ, ſi ejuſmodi Juſtitiam præſtiterit; ſub æternæ verò damnationis comminatione, ſi eâdem caruerit, ὅπερ ἔδει δεῖξαι· ut non neceſſe ſit, in hac diſquiſitione ulteriùs progredi. Verùm quia è re Doctoris id futurum arbitramur, etiam ſecundi, ſive Evangelici, Fœderis Naturam ac Rationem Theſibus quibuſdam explicare conabimur.

§. 8. Theſis quinta: *Evangelium, ſive Lex Chriſti, quanquam eximiam quandam Religionem præſcribit, (præſertim quà in Scriptis Novi Inſtrumenti pleniſſimè revelatur) nihil tamen homini lapſo præcipit, quod per Gratiam, quam promittit, non poſſit impleri.* Hæc Theſis facilè probatur tum ex Scripturis, tum Veterum teſtimoniis, tum denique ratione manifeſtâ. Primùm, ut par eſt, ſacra Oracula audiamus. Clara ſunt imprimis loca, quæ in *Harmonia* * ex D. *Paulo* jam citavimus; in quibus Lex Evangelica appellatur δύναμις Θεοῦ, *Potentia Dei*, Rom. 1. 16. νόμῳ πνεύματος ζωῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *Lex Spiritûs vitæ in Chriſto Ieſu*, Rom. 8. 2. πνεῦμα, *Spiritus*, 2 Cor. 3. 6. διακονία πνεύματος, *miniſterium Spiritûs*, ibid. v. 8. Quippe ex his locis manifeſtum eſt, Spiritum Chriſti cum Lege ipſius individuo nexu conjunctum eſſe, ac pari paſſu procedere; ita ut nihil in Lege Evangelica præcipiatur, ad quod præſtandum non ſufficiat Gratia quam ſubminiſtrat. Scil. Evangelium, quatenus eſt Lex, eatenus eſt Lex Spiritûs. Vide & *Rom.* 8. v. 2, 3, 4. *Heb.* 8. v. 10. 1 *Joh.* 5. v. 3.

§. 9. Ad Patres quod attinet, communis fuit Catholicorum Doctorum, qui ante *Pelagium* vixere, ſententia, poſſe hominem per Gratiam Chriſti omnia ipſius mandata implere; ut id ſatis clarè jam oſtendi *Harm. Apoſt. Diſſert.* 2. *cap.* 7. §. 14. Imò Patres illi à potentia ad actum progreſſi apertè docuerunt, reperiri quoſdam, qui ad perfectam Virtutem perveniant. Sic *Clemens Alexandr. Strom.* 6. πάντες μὲν ὂν πρὸς ἀρετῆς κλῆσιν πεφύκασιν· ἀλλ' ὁ μὲν μᾶλλον, ὁ δ' ἧττον προσείσι τῇ τε μαθήσει, τῇ τε ἀσκήσει· διὸ καί οἱ μὲν ἐξήκεσαν μέχρι τῆς τελείας ἀρετῆς· οἱ δὲ μέχρι τινὸς ἔφθασαν. i. e. *Itaque omnes quidem apti ſunt ad acquirendam virtutem; ſed alius quidem magis, alius verò minùs accedit ad diſciplinam & exercitationem. Quocirca alii quidem uſque ad perfectam pervenêre virtutem; alii verò uſque ad aliquam.* Pleniùs Origenes contra p. 662.

Celſ.

* *Diſſert. Poſter. Cap.* 11. §. 2. *Confer Annotata ad Diſſert. Prioris Cap.* 3. §. 4.

p. 153. *Editionis* Cantabr. *Celſ.* lib. 3. ubi *Celſi* effatum recitat refutatque his verbis: Ἐξῆς δὲ φησιν, ὅτι δι ἀναμάρτητοι βελτίους τοῖς ἁμαρτάνουσι εἰσὶ μὴ σαφηνίζας, τίνας φησὶ τοὺς ἀναμαρτήτους, πότερον τοὺς ἀρχῆθεν, ἢ τοὺς ἐκ μεταβολῆς. οἱ μὲν ἐν ἀρχῆθεν ἀδύνατοι· οἱ δὲ ἐκ μεταβολῆς οπανίως εἰσὶν εὑρεθήμενοι, οἵτινες ἐκ τοῦ περισπασθῆναι λόγῳ σώζονται, τοιοῦτοι γίγνονται, ἐχὶ δὲ τοιοῦτοι ὄντες, τῷ λόγῳ περισπάσθαι. καὶ γὰρ λόγος, καὶ ταῦτα πολλοῖς, ἀμήχανον ἀναμάρτητον γενέσθαι ἄνθρωπον. i. e. *Deinceps ait, quod qui nihil peccant, melioris vitæ ſint participes; non explicans, de quibuſnam non peccantibus loquatur; de iis, qui tales ſunt ab initio, an de iis, qui tales facti ſunt poſt reſipiſcentiam. Itaque ut ſint qui ab initio quidem non peccârunt, eſt impoſſibile: qui autem poſt reſipiſcentiam nihil peccant, rarò inveniuntur, ex auditu verbi ſalvifici tales redditi, non quòd tales fuerint, priuſquam ad illud accederent. Abſque enim verbo, eôque perfecto, impoſſibile eſt hominem ſine peccato eſſe.* Ubi tria docet *Origenes.* 1. Prorſus impoſſibile eſſe, ut quis antequam ad Gratiam Evangelicam accedat, abſque peccato ſit. 2. Eſſe quoſdam, qui poſt acceptam Evangelii Gratiam ad iſtud Virtutis faſtigium perveniunt; Sed 3. eos quidem pauciſſimos eſſe, atque rarò admodum inveniri. Scilicet juxta *Origenem* iſta virtutis perfectio poſſibilis eſt, proinde reperiuntur quidam, qui ipſam aſſecuti ſunt; ſed ardua tamen res eſt, ac perquam difficilis, ideoque in pauciſſimis invenitur. Rem ſuprà, pauculis lineis interjectis, pulcherrimè atque additâ elegentiſſimâ ſimilitudine explicaverat his verbis: μέγα γὰρ δύναται καὶ πρὸς τὰ δοκοῦντα εἶναι χαλεπώτατα, &c. i. e. *Maximum momentum eſt in voluntate, in quantumvis arduo negotio, atque etiam impoſſibili, ut loquar hyperbolicè, præſertim ſi accedat exercitatio. Incedere per extenſum funem ſublimem in medio Theatro, non ſine gravibus geſtaminibus, poteſt, qui uſu ſtudiôque improbô hanc facultatem ſibi paravit; & virtutis ſtudium erit irritum, aut impoſſibile videri debet homini utcunque depravatô ingeniô?*

§. 10. Ad Patres venio, qui poſt exortam *Pelagii* Hæreſin hanc quæſtionem tractârunt. B. *Auguſtinus* eorum princeps, quanquam bonô zelô oppugnandi peſtiferum Hæreſiarcham abreptus, in aliquibus modum exceſſerit, atque novam Hæreſim ex fundamentis novis, utpote Eccleſiæ Patribus, qui ipſi Patres fuere, planè incognitis, neque Catholicis ætatis ſuæ ſatis probatis (quod dudum obſervârunt Viri doctiſſimi, cæteroquin optimi Patris ſummi admiratores) refutare aggreſſus fuerit; hîc tamen Anteceſſorum ſuorum doctrinam mordicus tenuit, eatenus ſaltem, ut conſtanter docuerit, (neque enim hanc unquam ſententiam mutavit, aut in Retractationum ſuarum libros rejecit) poſſe hominem per Dei Gratiam Legem perfectè implere, atque abſque peccato eſſe, etiamſi de actu diverſum ſenſerit. Teſtimonia huc ſpectantia, ex ipſius Scriptis à ſummo Viro, *Ger. J. Voſſio*, aliiſque allata, clara ac diſerta ſunt. Sic *lib. de Grat. & liber. Arb. cap.* 6. & 7. *Aliud eſt quærere, An Lex poſſit obſervari in hac vita in ea parte, quæ eſt ſub præcepto: aliud, an de facto illa à quoquam obſervetur integrè & ſine ulla unquam prævaricatione. Primum aſſerimus; aliud negamus.* Item *cap.* 16. *Magnum aliquid* Pelagiani *ſe ſcire putant, quando dicunt: non juberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat?* Idem *lib.* 2. *de peccat. merit. & remiſ. cap.* 6. *His atque ſimilibus teſtimoniis dubitare non poſſum, nec Deum aliquid homini impoſſibile præſtitiſſe, nec Deo ad opitulandum atque adjuvandum, quò fiat quod jubet, impoſſibile aliquid eſſe: ac per hoc poteſt homo, ſi velit, eſſe ſine peccato, adjutus à Deo.* Et *cap.* 43. *Non igitur Deus impoſſibilia jubet; ſed jubendo admonet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Et cap. 69. *Eô ipſô quô* firmiſſimè creditur, *Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe facilia ſunt Charitati, cui uni Chriſti ſarcina levis eſt.*

§. 11. *Hieronymus* fundamentum *Auguſtinianæ* ſententiæ fixum & ratum judicavit. Nam penè initiô *lib.* 3. adv. *Pelagianos* ait: *Deus poſſibilia mandavit; hoc nulli dubium eſt.* Nihilominus idem conſtanter negavit, poſſe hominem per Dei Gratiam ſine peccato vivere. Mirum quô σοφῷ φαρμάκῳ tam repugnantes ſententias conciliare potuerit! Scil. Dei præcepta toti Eccleſiæ poſſibilia ſunt, non item ſingulis. En ipſius verba *lib.* 1. adv. *Pelag. Vides*, inquit, *quòd Deus poſſibilia juſſerit: & tamen id quod poſſibile eſt, per naturam nullum poſſe complere? Dedit itaque præcepta diverſa, virtuteſque varias, quas omnes ſimul habere non poſſumus. Atque ita fit, ut quod in alio, aut primum, aut totum ſit, in alio ex parte verſetur: & tamen non ſit in crimine, qui non habet omnia: nec condemnetur ex eo quod non habet, ſed juſtificetur ex eo quod poſſidet.* Ibidem, aliquibus interjectis, ait: *Poſſibilia præcepit Deus; & ego fateor. Sed hæc poſſibilia cuncta ſinguli habere non poſſumus, non imbecillitate*

tate naturæ, ut calumniam facias Deo, ſed animi aſſuetudine, qui cunctas ſimul & ſemper non poteſt habere Virtutes. Verùm iſtud *Hieronymi* Commentum haud veritus eſt *Auguſtinus* execrandæ blaſphemiæ apertè damnare, in celebri loco, quem in *Harmonia* * citavimus è Sermone CXCI. de Tempore: *Execramur etiam blaſphemiam eorum, qui dicunt, impoſſibile aliquid homini à Deo eſſe præceptum, & mandata Dei non à ſingulis, ſed ab omnibus in communi poſſe ſervari.* Porro *Auguſtinus* à potentia ad actum progreſſus, nec periculosè credidit errari, ſi ſtatuamus, aliquos à converſione per Gratiam Dei ſine peccato vixiſſe, uti legere eſt lib. de *Spir. & lit. cap.* 2.

§. 12. Canones Concilii *Milevitani*, qui hanc quæſtionem ſpectant, omnes non de *poſſe*, ſed de *eſſe* loqvuntur. Fuere autem omnino tres: 1. *Unumquemque debere dicere, dimitte nobis debita noſtra*; 2. *neque id pro aliis ſolùm, ſed etiam pro ſe*; 3. *neque id ex humilitate duntaxat, ſed etiam verè.* Tantum verò abeſt, ut Patres decreverint expreſſò aliquò Canone, Legem Dei per Gratiam Chriſti impleri non poſſe, ut contrà diſertè contrarium decreverint. Nimirum (ut habetur in Codice Canonum *Africanorum* Græcè verſorum) anathema iis denuntiant, qui dicunt, Gratiam Dei per Jeſum Chriſtum πρὸς μόνων ἄφεσιν ἁμαρτιῶν ἰσχύειν τῶν ἤδη πεπλημμεληκότων, καὶ μὴ παρέχειν ἔτι μὴν βοήθειαν πρὸς τὸ μὴ ἕτερα πλημμελεῖσθαι. i. e. *Valere ad ſolam jam commiſſorum peccatorum Remiſſionem, & non præbere præterea auxilium, ne deinceps peccetur.* † Quin & eos anathemate feriunt, qui de Gratia Chriſti docent, ὃ δὶ αὐτῆς ἡμῖν παρέχεσθαι, ἵνα ὅπερ γνῶμεν ποιητέον, καὶ ποιῆσαι ἔτι μᾶλλον ἀγαπήσωμεν καὶ ἰσχύσωμεν. i. e. *Per eam nobis non præſtari, ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus & valeamus.* Hinc ducentis & ampliùs poſt denatum *Auguſtinum* annis, ejus ſententia pro Catholica veritate habita fuit. Teſtis ejus rei locupletiſſimus eſt Venerabilis *Beda* noſter, Doctorum Eccleſiæ, ſui temporis, facilè princeps, hoſtiſque *Pelagianæ* Hæreſeos acerrimus, qui lib. 1. in Cant. adverſus *Julianum* ſic ſcribit: *Quod dicit, Dominum non impoſſibile aliquid præcepiſſe, qui juſtus eſt, verum profectò dicit, ſi ad ejus reſpicit auxilium, cui Catholica vox ſupplicat: Deduc me in ſemita mandatorum tuorum. Si verò viribus animi ſui fidit, refellit eum veridica juſti Conditoris ſententia, quâ dicit: Sine me nihil poteſtis facere.*

Can. XIII.

§. 13. Cæterùm Patres illi, qui negârunt, hominem per Gratiam Chriſti, quæ in Evangelio promittitur, poſſe Legem perfectè implere, ac ſine peccato eſſe, videntur mihi Legem intellexiſſe κατ' ἀκρίβειαν, nempe originalem illam, quæ primum hominem in ſtatu integro obligavit, perfectiſſimumque fuit exemplar Legis æternæ; ac peccati vocem minùs propriè accepiſſe pro qualicunque nævo ſive defectu, qui licèt jam humano generi in pœnam primi peccati naturalis factus ſit, neque ullo modo in hac vita penitus exui poſſit, adeoque non ſit propriè ac formaliter peccatum, ſed potiùs, ut dixi, peccati primi pœna; tamen eſt quædam à Lege æterna, ſive à Creationis Lege deflexio. In hunc peccati cenſum venit illa concupiſcentiæ ſollicitatio, quæ optimos in hac mortali vita plùs minúſve perpetuò exercet, etiamſi nullum omnino voluntatis aſſenſum extorqueat: item defectus illi omnes atque infirmitates, quæ *prorſus neceſſariò* profluunt à vitioſo humani corporis temperamento primum peccatum conſecuto, ſive ab amiſſione exquiſitiſſimæ illius εὐκρασίας, quâ in Creatione ſua dotatus fuit Protoplaſtes, quamque, niſi peccâſſet, conſervare potuiſſet per eſum ligni vitæ, ipſi à Deo conceſſum. His malis à primo *Adamo* derivatis, noluit Deus, ut Gratia Chriſti ſecundi *Adami* pleno eſſet remedio in hac mortali vita; ſed ex parte, ſaltem aliquâ, eadem remanere voluit etiam in optimis, quamdiu adhuc in via ſunt, tanquam ſtigmata naturæ humanæ inuſta, ac perpetua primi peccati monumenta, quibus homo admoneretur, debere ſe originalis ſui ſtatûs, unde exciderit, ſemper eſſe memorem, modeſtiam conſervare, atque ad patriæ cœleſtis ſanctimoniam perfectiſſimam ardentibus votis adſpirare. Hos autem inevitabiles nævos ac defectus quod attinet, ex Veterum mente ſtatuit doctiſſimus *Spalatenſis* lib. 7. de *Rep. Eccleſ. cap.* 11. Sect. 135, 136. 139. & 149. *Eas conditiones, particulas & circumſtantias perfectæ obedientiæ, quæ humanæ imbecillitati Gratiâ adjutæ impoſſibiles ſunt, nunc non*

* Diſſert. poſter. cap. 7. §. 14.

† *Ita Synodus quoque* Dioſpolitana *expreſſè definivit:* rectè dici, hominem cum adjutorio Dei & Gratia poſſe eſſe ſine peccato; *Apud* Auguſt. *de geſtis* Pel. *cap.* 6. *Vide & Concil.* Arauſic. 2. *Can. ult.*

esse sub præcepto. Nimirum cautè quæstionem instituerat *Augustinus* in loco, quem primum ad hanc Thesin citavimus, his verbis: *An Lex possit observari in hac vita in ea parte, quæ est sub præcepto?* Unde patet, pientissimum Doctorem sensisse, eas æternæ Legis conditiones, eosque omnimodæ perfectionis gradus & circumstantias, quæ homini lapso per Gratiam Christi in Evangelio promissam non sunt possibiles, in nova Lege non esse præceptas; quod solum affirmavit *Spalatensis.* Audivimus Patrum testimonia.

§. 14. Denique Thesis nostra evidentissimâ ratione confirmari potest. Nam, præterquam quòd omnium gentium consensu comprobetur, adeoque inter κοιναὶς ἐννοίας numerandum sit, ad impossibile neminem justè obligari posse; (quod etiam non in hominibus solùm, sed vel imprimis in Deo habet locum) illud quoqve apprimè observandum, Legem Evangelicam esse Legem Gratiæ, à Deo benevolo in Christo latam. Ut daretur autem, Justitiæ adeoque Sapientiæ divinæ non repugnare, Gratiæ tamen certè ex diametro repugnat, homini Legem ferre præstatu impossibilem.

§. 15. Thesis sexta: *Quanquam juxta Evangelium sive Legem Christi omnes illi virtutis gradus, qui nobis per Gratiam ejusdem Evangelii sunt possibiles, sub præcepto sint; tamen sub præcepto non sunt omnes obligante strictè & præcisè sub pœna æternæ damnationis. Neque enim ob quemviscunque defectum, etiam per Gratiam evitabilem, exclusionem à Regno cælorum, nedum Gehennæ cruciatus homini denuntiat Lex Evangelica; sed ob certa quædam peccata duntaxat, quæ fini Legis, Charitati sive amori Dei super omnia, adeoque amicitiæ divinæ repugnant.*

Duo sunt hujus Theseos membra: 1. In Lege Evangelica omnes quidem Virtutis gradus, per Gratiam ejusdem Evangelii homini possibiles, sub præcepto esse. 2. Nequaquam tamen ejusmodi Virtutis perfectionem sub præcepto esse obligante strictè sub pœna mortis æternæ. Prius illud probatur ex iis Evangelii locis, in quibus universa Justitiæ perfectio possibilis nobis disertè præscribitur, ut *Matth.* 5. *v.* 48. & alibi passim. Illud verò imprimis mandatum 2 *Pet.* 3. v. 18. *Crescite in Gratia*, &c. nullas habet metas aut fines citra summam illam Virtutis perfectionem, quæ à nobis per Gratiam Christi acquiri possit; h. e. tenemur semper in Gratia ac Virtute crescere atque augeri, usque dum εἰς μέτρον ἡλικίας τελείας, *ad mensuram adultæ ætatis* (ut loquitur *Clem. Alexand.*) perveniamus. Unde (ut obiter id notem) clarè patet, in Lege Christi supererogationis, quæ vocantur, Operibus locum esse nullum. *Strom.* 6. *P.* 663.

§. 16. Pars altera Thesis nostræ facilè evincitur ex eis N. T. locis, in quibus pœna exclusionis à Regno Cœlorum atque æternæ mortis certis quibusdam peccatis propriè adscribitur. Duo sunt imprimis hujus generis loca nobilissima, 1 *Cor.* 6. v. 9, 10. *An nescitis, quia iniqui Regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: Neque fornicarii, neq; idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei possidebunt.* Et *Gal.* 5. v. 19, 20, 21. *Porro manifesta sunt opera carnis, quæ sunt adulterium, scortatio, impuritas, lascivia, idololatria, veneficium, inimicitiæ, lites, æmulationes, excandescentiæ, rixæ, dissidia, hæreses, invidiæ, cædes, ebrietates, commessationes, & his similia. Et illi qui talia agunt, sicut antè dixi vobis, etiam nunc dico, quòd Regni Dei non erunt hæredes.* In quo posteriori loco, cùm post enumerationem quorundam peccatorum mortalium addit *Paulus*, καὶ τὰ ὅμοια τούτοις, *atque his similia*, manifestum est, ipsum voluisse ad catalogum peccatorum mortalium à se nominatim recensitorum, etiam peccata illa omnia referri, quæ istis sunt analoga, h. e. quæ à simili voluntatis malitia proficiscuntur. Cùm verò ibidem dicit Apostolus de iis, qui à commemoratis ab ipso peccatis, eorumque consimilibus abstinent, Virtutesque contrarias exercent, κατὰ τῶν τοιούτων οὐκ ἔστι νόμος, *adversùs hos non est Lex*; satis clarè ostendit, nullam esse Legem, quæ ejusmodi hominibus mortem æternam denuntiat. His conferenda sunt loca, quæ de peccatis quibusdam loqvuntur, quibus justi homines sunt obnoxii, etiam dum ipsis Legis observatio tribuitur, vitaque ac salus æterna promittitur, ut *Jacob.* 3. 2. & alibi. Ex his autem Scripturæ testimoniis ita inter se collatis sequitur: esse peccata quædam, quæ Justitiam & Dei Amicitiam non tollunt, neque mortem æternam inferunt.

§. 17. Objiciunt hîc nonnulli, Evangelium, quatenus repetitionem continet & renovationem Legis Originalis, omni peccato, etiam levissimo, & cuivisqunque defectui, vel minimo, æternam mortem denuntiare; sed quatenus est propriè Lex Gratiæ atque Indulgentiæ, quædam peccata resipiscentibus condonare: proinde quòd peccata quædam mor-

mortalia non ſint, hinc nequaquam eſſe, quòd ipſis Lex Chriſti mortem non comminetur, ſed cauſam eſſe, quòd eadem Lex ſub alia conſideratione eorundem peccatorum Remiſſionem largiatur reſipiſcentibus. Sed fruſtra prorſus illi ſunt. Nam 1ò nullum locum ex Evangelio proferre poſſunt, quô iſtam aſſertionem ſuam confirment, nempe, Evangelium minimo etiam defectui æternam mortem denuntiare. Verba enim D. *Jacobi*, quæ ſententiæ iſti imprimis favere videntur, Epiſtolæ ejus cap. 2. v. 10, 11. à propoſito planè aliena eſſe, fusè & luculenter oſtendi *Harm. Apoſtol. Diſſert. poſter. cap.* 7. §. 11. Nec magis ad rem faciunt loca illa Scripturæ, quæ generatim peccato tribuunt hos & hujuſmodi effectus, nempe, inimicitiam Dei, perditionem & mortem æternam; ut *Rom.* 6. *Stipendium peccati mors.* 1 *Joh.* 3. *Qui facit peccatum, ex Diabolo eſt. Pſal.* 5. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem.* Ezek. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.* Nam cuivis loca ipſa expendenti facilè patebit, ea non de quovis peccato, ſed de eo tantùm, quod perfectam peccati rationem habet, id eſt, de peccato, quod *mortale* dicitur, intelligi debere. 2. Quod dicunt, quædam peccata ideo tantùm mortalia non eſſe, quòd per Evangelium, quatenus eſt Lex Gratiæ, ea condonentur reſipiſcentibus, nemini rem preſſiùs conſiderandi faciet ſatis. Nam juxta Legem Chriſti ſub iſta σχέσει ſpectatam, nullum eſt omnino peccatum tam grave, quod ſeriò pœnitentiam agenti non ſit veniale; ut in ſequenti Theſi oſtendetur.

§. 18. Ex his facilè determinari poteſt quæſtio, inter Theologos tantopere agitata: *An detur peccatum aliquod naturâ ſuâ veniale, ſive non mortale?* Nam quæſtio non eſt: An Deus jure poſſit, ſecluſô omni divino Fœdere, hominem ob leviſſimum quodvis peccatum, ſive ob minimum Juſtitiæ defectum à Regno cœleſti excludere? Certè enim jure potuit Deus (quod ſæpiùs monui) homini, etiam in ſtatu integro perfectiſſimè operanti, nulloque peccati nævô, nullo defectu maculato, vitam illam cœleſtem (utpote immenſum liberalitatis ſuæ donum) denegare. Neque quiſquam Theologus ſanus illud in dubium vocaverit. Nam Sophiſtæ iſti inter Pontificios, qui hominis, etiam lapſi & imperfecti, bona Opera quæcunque, ex condigno (ſepoſitâ conſideratione pacti divini) mereri poſſe beatitudinem cœleſtem, affirmare auſi ſunt, planè ad *Anticyras* relegandi ſunt. Imò neque per me hîc controvertitur: An Deus jure poſſit hominem, alioquin juſtum, ipſiuſque mandatorum omnium obſervationi ſeriò ſtudentem, ob leviſſimum quendam defectum, puta ob riſum immodicum, ob verbum temerè prolatum, vel ob aliquam concupiſcentiæ titillationem cum levi aſſenſu, mox reverentiâ divinæ Legis repreſſam atque in partu ſuffocatam, diris Gehennæ cruciatibus addicere? Si cui illud affirmatu durum, atque cum ἐπιεικείᾳ divina ἀσύμφωνον non videbitur, nolim cum ipſo contentionis ferram reciprocare. Neque ſane auſim ego miſellus homuncio de jure Dei optimi maximi, licèt in re, ut videtur, ſatis manifeſtâ, quicquam certò ſtatuere, aut temerè definire. Verùm quæſtiones iſtæ (meô judiciô) inutiliter & fruſtra prorſus diſputantur. Status controverſiæ hîc ſitus eſt: An *de facto* Deus Legem homini lapſo poſuit, quâ peccatum quodvis, etiam leviſſimum, minimumque Juſtitiæ defectum evitabilem, prohibuit ſub pœna æternæ damnationis, h. e. tum perpetuæ excluſionis à Regno cœlorum, tum cruciatuum tartareorum poſt hanc vitam manentium? Nimirum (ut nonnemo bene, licèt barbarè, h. e. verbis Scholaſticis rem expreſſit) *Ratio peccati derivatur à Lege Dei, non ex natura actûs præcisè & totaliter. Nam ſi nulla fuiſſet Lex, nullum fuiſſet propriè peccatum. Sicut igitur ratio peccati, ut ſic, habetur in ordine ad Legem Dei; ſic etiam ratio mortalis vel venialis peccati inde derivanda eſt.* Quæſtionis autem ita inſtitutæ pars negans hâc ratione adſtrui poteſt: Lex Evangelica eſt Legum homini lapſo poſitarum omnium perfectiſſima, in eâque pleniſſimè *revelatur ira Dei adversùs omnem impietatem atque injuſtitiam hominum*, Rom. 1. 18. Scilicet nullibi clariùs (imò nullibi tam clarè) quàm in Evangelio oſtenditur peccati natura & reatus, & quæ quodque peccatum pœna in futuro ſæculo maneat. Præmia cœleſtia & Pœnas infernales, Virtutem & Vitium, (quæ omnia per retrò acta ſecula obſcuriùs cognita fuerant) à promulgata Chriſti Lege Deus in luce meridianô Sole clariori poſuit. Jam in Evangelio nuſquam talis Dei voluntas revelatur, quâ nempe pœna æternæ damnationis cuivis, vel minimo, Juſtitiæ defectui evitabili ſtatuatur. Affirmanti incumbit probatio. Si quis Textum protulerit, quô illud evincatur, cognitæ veritati facilè cedemus, victaſque manus confeſtim dabimus. Verùm loca ſatis clara jam adduximus, quibus contrarium evincitur.

§. 19. Scholaſtici quidam, iique Authores non contemnendi, ulteriùs progreſſi ſtatuerunt, hanc Dei ἐπιείκειαν, quâ nempe non omni peccato æternæ mortis ſupplicium decernit, Fœderi omni divino cum Evangelio eſſe

eſſe communem. Nam, inquiunt, cùm Deus opt. max. hominibus ita ſe demittit, ut cum ipſis Fœdus ineat, amici χίσιν induit. Inter amicos autem non ſolet quævis offenſa amicitiam diſſolrere. Hinc *Scotus*, *Altiſiodorenſis*, *Franciſcus Maironis*, *Gabriel*, *Alimaynus*, & alii aſſerere non dubitârunt, hominem etiam ſub primo Fœdere peccare potuiſſe venialiter, uti loqui amarunt : quanquam illi quidem aſſertionem ſuam reſtringere videntur ad illud genus peccati venialis, quod ex ſuo genere veniale dicitur, ob levitatem materiæ, etiamſi plenâ deliberatione committatur ; cujus reſtrictionis ego ſane rationem non intelligo. Nam fingamus animô, primam matrem noſtram *Evam* à Diabolo tentatam, levi quadam inclinatione voluntatis in eſum fructûs prohibiti propendiſſe quidem ; ſed mox reverentiâ divinæ Legis & gratâ recordatione maximorum beneficiorum, quibus ipſam ſibi devinxerat Dominus, retractam, Diabolicæ tentationi nuntium remiſiſſe, atque ab arbore ſcientiæ boni & mali mentem manumque abſtinuiſſe. Certè in hac ſuppoſitione nihil eſt, quod fieri non potuerit,aut conſtitutioni primorum parentum repugnet. Quod enim dicunt quidam, primos homines ita naturâ comparatos fuiſſe, ut nullum peccatum potuerint committere, quod non eſſet completum ac plenè deliberatum, id ab iis nullâ ratione affirmatur ; quin & refellitur ex hiſtoria primi peccati, quæ *Evam* non niſi per gradus quoſdam ad perfectam perpetrationem horrendi facinoris proceſſiſſe manifeſtè oſtendit. Jam quæritur, an *Eva* propter ſolam propenſionem illam, quæ dubiô procul peccatum fuiſſet, Gratiâ & Fœdere divino penitus excidiſſet ? Qui affirmaverit, gratis id fecerit ; cùm in Scripturis ne γεὺ quidem reperiatur, quô aſſertionem ſuam confirmet. Contrà comminatio divina his verbis concepta erat : *Quô die comederis*, *morte morieris*. Quæ verba profectò de completo & perpetrato peccato loquuntur; cui æquivaluiſſet plenum animi decretum de fructu prohibito comedendo, quod, niſi exteriùs impeditum, in actum exiiſſet. Pro ſententia autem iſta, quæ ſtatuit, hominem ſub primo Fœdere peccare potuiſſe venialiter, loca quædam afferuntur ex B. *Auguſtino*, ut mihi videtur, ſatis appoſita ; quæ cum reſponſionibus ad eadem legas apud *Thomam* 1, 2. *q.* 89. *art.* 3. & *Eſtium* in *lib.* 3. *diſt.* 21. §. 7. Verùm nolo hanc litem meam facere ; ſed quæſtionem potiùs non admodum neceſſariam in medio relinquam.

§. 20. E re Lectoris magis futurum arbitror, ſi doctrinæ ſuperiùs traditæ abuſui occurramus, monitum quoddam utile hâc de re ipſi ſuggerendo. Itaque memoriâ ſemper tenendum eſt illud Sancti *Bernardi* de Præcept. & Diſpenſ. *cap.* 14. *Venialia, non criminalia reputantur, exceptô cùm per contemptum in uſum & conſuetudinem vertuntur.* Et poſtea : *Elatio quippe contemnentis, atque impœnitentis obſtinatio, in minimis quoque peccatis culpam facit non minimam ; & convertit in crimen gravis rebellionis nævum ſatis levem ſimplicis tranſgreſſionis.* Quare deteſtanda eſt Pontificiorum quorundam doctrina, qui poſſe hominem abſque gravis offenſæ reatu peccata venialia ex contemptu committere, intrepidè affirmant. Vide *Alphonſ. Curiel. in* 1am. 2æ. *qu.* 88. *art.* 4. §. 2. Contrà ſtatuendum potiùs, illi omne peccatum mortale eſſe, qui ſeriò operam non dat, ut omne peccatum effugiat.

§. 21. Theſis ſeptima : *In hôc elucet ſumma Evangelii indulgentia, quod omnium, etiam graviſſimorum peccatorum, ſive ante, ſive poſt acceptam ejus Gratiam commiſſorum, veniam promittit ſub conditione Pœnitentiæ : ſed Pœnitentia illa, graviora quod attinet peccata, quæ mortalia vocantur, debet eſſe accurata & perfectè practica.* Hanc Theſin, quanquam ad inſtitutum noſtrum non prorſus neceſſaria videatur, adjiciendam tamen putavimus, quia eâ additâ, plenam tandem Evangelici Fœderis explicationem (ſaltem quantum per hujus Diſſertatiunculæ anguſtias licet) Lectori exhibebimus. Comminatio igitur Legis Chriſti, quâ certis quibuſdam peccatis æterna mors denuntiatur, non eſt peremptoria & abſoluta de *eventu*, ſed de *debito* tantùm : h. e. quanquam qui aliquo iſtorum peccatorum ſemel implicitus eſt, per Legem Chriſti æternæ morti neceſſariò ſit obnoxius, non tamen illi neceſſariò moriendum. Quippe ſuccurrit hîc Gratia Evangelica, quâ Pœnitentia porrigitur, veluti ſecunda tabula poſt naufragium. Tria autem in hac ultima Theſi proponuntur : 1. In Evangelio promitti verè reſipiſcentibus omnium peccatorum, etiam graviſſimorum, Remiſſionem. 2. Remiſſionem hanc ſe extendere uſque ad ea etiam peccata graviora, quæ poſt acceptam Evangelii Gratiam committuntur. 3. In Pœnitentia de peccatis mortalibus requiri has conditiones, ut ſit accurata & perfectè practica. De prima autem Propoſitione non eſt quod anxiè laboremus, cùm apud omnes Chriſtianos in confeſſo ſit. Secundam negârunt olim *Novatiani* ; hodieque de ipſa nimis frequenter dubitare ſolent lapſi Chriſtiani ; ut operæ pretium ſit, hanc paucis confirmare.

§. 22. Spem

§. 22. Spem veniæ ſupereſſe adhuc iis, qui poſt primam converſionem relabuntur in peccata gravia & grandia, & per Pœnitentiam aut Reſipiſcentiam reſtaurari poſſe eoſdem denuo, multis evinci poteſt. Primò, in Veteri Teſtamento illuſtris eſt locus *Jeremiæ* Prophetæ ſub Lege evangelizantis, *Jerem.* 3. v. 1, 2, 7, 12, 13, 14, 22. Ubi Deus per Prophetam populum ſuum, quôcum gratioſum Fœdus iniverat, quemque ſibi maximis beneficiis devinxerat, in gravis ſæpiuſque iteratæ idololatriæ crimen prolapſum, multis argumentis miriſque modis ad Pœnitentiam hortatur, ſive allicit potiùs, certam ipſis veniæ ſpem faciens, & omnimodam curationem averſionum ipſorum promittens. 2ò In N. T. clara & univerſalis eſt *Johannis* Apoſtoli enuntiatio de peccatis Chriſtianorum poſt Fidem & Baptiſmum commiſſis, 1 *Joh.* 2. v. 1, 2. *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, ut ne peccetis. Quòd ſi quis peccârit, Advocatum apud Patrem habemus Ieſum Chriſtum juſtum: et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, &c. Ubi ſatis perſpicuum eſt, loqui Apoſtolum de gravioribus, & magis propriè ſic dictis peccatis; idque vel ex conditionali & incerta locutione, ἐάν τις ἁμάρτῃ. Certè enim aliter locutus fuiſſet, ſi peccata voluiſſet, quibus optimi in hac vita ſunt obnoxii, de quibus *Jacobus*: *In multis offendimus omnes*, Jac. 3. 2, ut ſenſus Apoſtoli clarus ſit: Hortor vos filiolos meos, jam Pœnitentiæ Baptiſmo mundatos, ut ſedulò operam navetis, ne in priſtina peccata relabamini: quòd ſi quis veſtrûm in tale aliquod gravius peccatum inciderit, nolo ut ſpem omnem abjiciat: habemus enim advocatum, *&c.*

§. 23. 3ò. Idem evincunt expreſſa mandata Pœnitentiæ in N. T. Chriſtianis graviter lapſis facta; quæ certè fruſtranea forent, ſi ipſis reſipiſcentibus ſpes veniæ non ſupereſſet. Hujuſmodi eſt illud Domini noſtri *Apoc.* 2. 5. *Memor eſto itaque unde excideris, & reſipiſce, & priora opera facito: ſin minùs, veniam adversùm te citò, & movebo candelabrum tuum à loco ſuo, niſi reſipueris.* Sed notatu imprimis digna ſunt verba Servatoris in eodem capite ad *Thyatirenſis* Eccleſiæ Angelum, v. 20, 21, 22. *Sed habeo adversùs te pauca, quòd permittis mulierem* Jezabelem, *quæ ſe dicit Prophetiſſam, docere & ſeducere ſervos meos, ut ſcortentur, & edant ex iis quæ ſimulachris immolantur. Et dedi illi tempus, ut reſipiſceret à fornicatione ſua; ſed non reſipuit. Ecce ego abjiciam eam in lectum, & eos qui adulterium committunt cum ipſa, in afflictionem magnam, niſi reſipuerint ab operibus ſuis.* Ubi Veteres nonnulli accipiunt hanc *Jezabelem* fuiſſe mulierem quandam, Epiſcopi uxorem, quæ in Eccleſia *Thyatirenſi* ſcortatione ſuâ & perversâ doctrinâ multos ad impietatem pertraxerit. Alii (& rectiùs meô quidem judiciô) *Jezabelem* myſticè intelligunt *Gnoſticam* Factionem, illa hominum monſtra, qui horrendâ ſuâ doctrinâ de fornicatione licitè perpetranda, & de comedendis idolothytis, contra expreſſum Apoſtolorum decretum *Act.* 15. eorundemque flagitiorum deteſtabili praxi, virgineam Chriſti Eccleſiam, recèns ab Apoſtolis ipſi deſponſatam, ſtupraverant. Sed hoc perinde eſt, quod ad propoſitum noſtrum attinet. Nam 1ò conſtat hanc *Jezabelem* poſt acceptam Chriſti Fidem iſta facinora perpetrâſſe; quippe quæ dicatur adhuc in Eccleſia *Thyatirenſi* docendi & prophetandi munus uſurpâſſe. 2ò. Immania fuere flagitia, in quæ iſtud Chriſtianiſmi portentum proruerat, nempe fornicatio, adulterium, idololatria. 3ò. Hæc graviſſima peccata non modô ipſa perpetravit, ſed aliis, ut perpetrarent, auctrix fuit; ea ſcil. tanquam licita, & nullo Chriſti præcepto ipſis prohibita defendendo; quod culmen fuit impietatis. 4ò. Huic tamen *Jezabeli* cum Sociis ſuis clementiſſimus Dominus tempus dedit à peccatis iſtis reſipiſcendi; proinde dubiô procul non denegaturus fuiſſet ipſis criminum indulgentiam, ſi reſipuiſſent. 5ò. Poſtquam divinâ longanimitate diu abuſi fuerant, atque in peccatis ſuis contra Chriſti monita, per miniſtros ſuos ſe obfirmaverant, (O nunquam ſatis celebrandam Servatoris miſericordiam!) ipſis exitium denuntiat Dominus, non peremptoriô edictô, ſed cum hac exceptione, *niſi reſipuerint ab operibus ſuis.* Neſcio, an ex Scripturis quicquam contra *Novatianam* hæreſim, hôc locô magis appoſitum, proferri poſſit. Vide tamen 2 *Cor.* 12. ult. & *Gal.* 6. 2.

§. 24. 4ò. Illud ipſum confirmatur exemplis *Davidis, Petri*, & Chriſtiani inceſtuoſi, 1 *Cor.* 5. 1, &c. coll. 2 *Cor.* 2. v. 6. Poſtremò, hanc veritatem, quam promiſſis & exemplis nos docuit, Sacramentô etiam obſignavit Dominus. Quippe duo inſtituit Chriſtus Sacramenta in Eccleſia, Baptiſmum & Cœnam ſuam Sacroſanctam; & utrumque ad obſignandam peccatorum Remiſſionem. De Baptiſmo, quin inſtitutus ſit in Remiſſionem peccatorum, nemo ambigit. De poculo quoque in Cœna Domini, ipſe Dominus dixit, quod fit *Sanguis ipſius novi Teſtamenti in Remiſſionem peccatorum effuſus*, Matt. 26. v. 27, 28. Hinc orat Eccleſia Catholica in precibus ſuis ad Altare, pro Remiſſione peccatorum propter meritum Sacrificii

crificii Chriſti in Euchariſtia commemorati. Sic antiquiſſima Liturgia in *Conſtitut. Apoſt. lib.8. cap.12.* καὶ καταπέμψῃς τὸ ἅγιόν σου πνεῦμα ἐπὶ τὴν θυσίαν ταύτην, τὸν μάρτυρα τῶν παθημάτων τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, ὅπως ἀποφήνῃ τὸν ἄρτον τοῦτον σῶμα τοῦ χριστοῦ σου, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο αἷμα τοῦ Χριστοῦ σου· ἵνα οἱ μεταλαβόντες αὐτοῦ βεβαιωθῶσι πρὸς εὐσέβειαν, ἀφέσεως ἁμαρτημάτων τύχωσι, &c. i. e. *Et mittas ſuper hoc ſacrificium Sanctum tuum Spiritum, teſtem Paſſionis Domini Ieſu ; ut oſtendat Panem hunc Corpus Chriſti tui, & Calicem hunc Sanguinem Chriſti tui ; ut qui eum participaverint, ad pietatem firmentur, remiſſionem peccatorum conſequantur*, &c. Ad eundem modum Liturgiæ omnes. Quorſum verò, inquies, hæc? Scil. ut per Baptiſmum omnia peccata ante acceptam Evangelii Gratiam commiſſa abluuntur ; ita in Cœna Domini, peccatorum omnium, quæ poſt Baptiſmum ac Regenerationem perpetrantur, verè reſipiſcentibus Remiſſio obſignatur.

§. 25. Contra hanc tamen tam manifeſtam Veritatem *Novatiani* olim duo loca attulerunt, nempe *Heb.* 6. v. 4, 5, 6. & 10. v. 26, 27, &c. Sed nihil ipſos juvant loca illa. Nam 1° manifeſtè loqvuntur non de quibuſcunque peccatis poſt Baptiſmum commiſſis, alioqui graviſſimis ; ſed de totali à Chriſtianiſmo Apoſtaſia, ſive defectione. Hinc in priori loco dicuntur Apoſtatæ iſti *Chriſtum iterum crucifigere & infamare*, h. e. ipſum, ut impoſtorem, cruce dignum pronuntiare, & proinde univerſam ipſius Religionem pro mera impoſtura habere. Et in poſteriori locô dicuntur *proculcare Filium Dei ; Sanguinem Teſtamenti, quô ſanctificati fuere, pro profano habere, Spiritum Gratiæ contumeliâ afficere.* 2°. Ad hos quoque horrendos Apoſtatas quod attinet, certum eſt, ſi reſipiſcant, veniam ipſos commiſſorum impetraturos eſſe. Quare priori loco ait Author, impoſſibile eſſe iſtos Chriſtianiſmi transfugas *ad reſipiſcentiam renovare* ; manifeſtè innuens, ſi Pœnitentiam iterare potuiſſent, in Gratiam quoque cum Deo eoſdem redituros. 3° denique, ſentiunt Interpretes doctiſſimi, impoſſibilitatem reſipiſcendi, quæ iſtiuſmodi Apoſtatis à divino Authore tribuitur, nequaquam eſſe abſolutam. Quippe in Scripturis non rarò impoſſibile id dicitur, quod eſt difficillimum, ut *Mat.* 19. v. 23, 24, 25, 26. *Gal.* 4. v. 15. & alibi. Nimirum, quò graviùs peccatur, eò difficiliùs bene agitur ; & ubi tantarum gratiarum contemptus eſt, ut refrænare illæ voluntatem hominis, & in arctum cogere non valeant, ibi difficillima & fere impoſſibilis revocatio. Per rationes enim fiat neceſſe eſt. At illæ, quas contemnit iſtiuſmodi Apoſtata, nobiliſſimæ ſunt. Quid enim in hac vita nobilius & excellentius cogitari poteſt, quàm illuminatio, guſtatio verbi boni, &c. Interim hæc omnia non obſtant, quò minùs etiam talis Apoſtata per extraordinariam Dei Gratiam reſtaurari poſſit. Hæc autem omnia, cùm ſolatio ſint graviter lapſis, de reditione ad Deum ſeriò cogitantibus, neutiquam tamen eorum Chriſtianorum impietati patrocinantur, qui maximam Dei Gratiam in laſciviam vertentes, peccatis gravioribus fræna laxant, hâc præſumptione freti, ſe olim de iiſdem pœnitentiam acturos, eorundemque veniam conſecuturos. Extrema eſt iſtorum hominum dementia. Quanquam enim in Evangelio lapſis reſipiſcentibus venia promittitur, nuſpiam tamen aut Gratia, aut tempus, condignam Pœnitentiam agendi iiſdem promittitur. Eis verò imprimis Gratiam illam denegare ſolet Dominus, qui ipſam maximè animô ſuô præſumunt.

§. 26. Reſtat tertia Propoſitio à nobis paucis expedienda. Pœnitentia, quæ de peccatis mortalibus in Evangelio requiritur, has conditiones habeat oportet, nempe, ut ſit accurata & perfectè practica. Primò, ſicut ipſa peccata mortalia ſunt gravia, & in vitæ Chriſtianæ curſu rariora & extraordinaria ; ita Pœnitentia, quæ ad ea expurganda neceſſariò requiritur, ſingularis, magis accurata, atque extraordinaria eſſe debet ; *Pſal.* 51. *Matth.* 26. 75. *Luc.* 7. 38. 2 *Cor.* 7. 11. Deinde Pœnitentia, ad peccatorum mortalium remiſſionem, & ad ſalutem eorum qui ea committunt, neceſſaria, debet eſſe perfectè practica, h. e. exire debet in realem & actualem ab omnibus hujus generis peccatis ceſſationem, *Prov.* 28. 13. Scil. mortale peccatum non eſſet, in quo quis hærere potuiſſet abſque ſalutis diſpendio. Pœnitentia verò ad venialium peccatorum remiſſionem requiſita, non neceſſe eſt, ut ſit perfectè practica. Nam etiam optimi cum iſtiuſmodi peccatis vivere, adeoque emori poſſunt. Addo, hanc ceſſationem eſſe debere non modò ab actu, ſed & affectu omnis peccati mortalis ; adeoque ipſum peccati habitum movendum ac diſcutiendum. Quod utinam ſeriò (& non ſerò nimis) cogitent, qui in Clinicâ (ut ita dicam) Pœnitentiâ confidunt, perſuaſum habentes, poſſe ſe fatali lecto procumbentes, atque in ipſo penè mortis articulo conſtitutos, condignam de peccatis mortalibus Pœnitentiam peragere. Non ita multùm deſiperent homines iſti, ſi (ut vulgus ſomniat) inclamatio illa, *miſerere mei Deus*, vel millies repetita, ſive

Tom.
464.
lon. A
1616.

ſive etiam lachrymularum quarundam diſtillatio, mortis jam appropinquantis terrore expreſſarum, ſeu deniq; indulgentis nimiùm, & miſeræ animulæ adblandientis Sacerdotis abſolutio, pro more petita, ad pœnitentiam de peccato mortali, adeoque ad ejuſdem Remiſſionem ſufficeret. Atqui longè alia res eſt ſalutaris Pœnitentia. Clamant ſacra Oracula, exuendum, mortificandum veterem hominem, carnem crucifigendam cum affectibus ſuis. Hic labor, hoc opus: opus ſane, quod intra paucularum horarum ſpatium, ab homine infirmo & langueſcente, atque ad omnia, etiam communis vitæ officia inepto, vix ac ne vix quidem (niſi adſit divinæ Gratiæ miraculum, in iſtiuſmodi Gratiæ contemptore minimè expectandum) præſtari poſſit. Itaque Summa rei huc tandem redit. Minimum quod ſic, (ut loquuntur) ſive infimus Juſtitiæ gradus, qui à nobis in Evangelio abſolutè requiritur ad ſalutem, eſt, ut ſeriùs aut citiùs, ſaltem antequam ex hac vita migremus, ab omni peccato, cui mortem æternam denuntiat Evangelium, ab omnibus carnis operibus à *Paulo* enumeratis locô ſuprà laudatô, *Gal.* 5. 19, 20, 21. noſmet expediamus: & contrarios Spiritûs Sancti fructus, ibidem vers. 22, 23. commemoratos, proferamus. Quiſquis in hoc Juſtitiæ ſtatu non moritur, moritur æternùm. Durus ut hic ſermo videatur diſſolutô, quô vivimus, ſæculô; eſt tamen veriſſimus, niſi ipſa nos fallat veritas. Det Deus, ut quod tanti eſt ad ſalutem noſtram momenti, maturè penſitemus omnes.

ANIMADVERSIO XVIII.

Ad Diſſert. 2. Cap. 8. Sect. 14.

HIC dico, in concluſione Apoſtoli *Rom.* 3. v. 20. verba ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ſignanter & emphaticè addita eſſe; quia concedenda erat Legi ſua quædam δικαίωσις, ſed apud homines, & quæ ad temporalem tantùm fælicitatem proderat, non ad Regnum cœlorum obtinendum. Tum ad confirmandam hanc obſervationem noſtram cito, ut optimè dicta, Authoris Commentariorum, qui *Ambroſio* tribuuntur, hæc verba: *Verum eſt, quia nemo per Legem juſtificatur, ſed apud Deum; juſtificatur autem apud mundum, ut ſecurus ſit in vita præſenti. Si autem apud Deum juſtificari vult, ſequatur Fidem; alioquin hîc ſecurus, reus erit in futurum.* Ad hæc tu ſcribis Notâ interlineari: *Iſtud optimè dictum eſt* κενὸς ὕθλος.

RESPONSIO ad Animadverſionem XVIII.

Uſquequaque tui ſimilis es, & eandem arrogantiam ubique prodis. Κενὸς ὕθλος & meræ nugæ ſunt, quæcunque à quocunque Authore, etiamſi veteri, & magnæ alioquin in Eccleſia authoritatis dicta, tuarum nugarum ad amuſſim exacta non ſint. Verùm, egregie Nugator, dictum illud antiqui Authoris, quod ego optimum, tu κενὸν ὕθλον cenſuiſti, communi fere Veterum ſuffragiô comprobatur. Sic enim & verus *Ambroſius* in *Pſal.* 118. *octon.* 12. "Lex ſecundùm Apo-
Tom. 2. *p.* 464. *Colon. Agrip.* 1616. "ſtolum Pædagogus eſt parvulorum, donec "ad perfectæ Fidei maturiorem quandam "veniamus ætatem. In Lege autem Mandata "ſunt, Juſtificationes, Teſtimonia, Juſtitiæ "præcepta. Unde ait Apoſtolus: *Lex autem "non eſt ex Fide, ſed qui facit illam, vivet in "eâ.* Sed quia idem ſuprà ait, quoniam in "Lege *Moſis* nemo juſtificatur; intelligis "utique, quia Juſtificatio Legis, ſpecies eſt "& imago, non veritas. Secundùm veritatem ergo & perfectionem nemo juſtificatur in Lege; ſecundùm ſpeciem juſtificatur." Imò ipſe *Auguſtinus* (qui ſolus ex Patribus tibi in pretio eſſe videtur) idem quod Author noſter diſertis verbis docet, *Tom.* 4. *Expoſ. Epiſt. ad Gal. cap.* 3. "*Lex non eſt "ex Fide, ſed qui fecerit ea, vivet in illis.* "Non ait, *qui fecerit eam*, vivet in eâ; ut "intelligas, Legem in hoc loco pro ipſis "Operibus poſitam. Qui autem vivebant "in his Operibus, timebant utique, ne ſi "non ea feciſſent, lapidationem, vel cru-"cem, vel aliquid hujuſmodi paterentur.

"Ergo

" Ergo qui fecerit ea, inquit, vivet in illis:
" i. e. habebit præmium, ne in iſta morte
" puniatur." Et poſt aliqua: " Qui omnino
" non juſtificatur, nec illa ſervat, quæ tem-
" porale habent præmium, nec illa, quæ æ-
" ternum. Qui autem in Operibus Legis
" juſtificatur, *non apud Deum juſtificatur*,
" quia temporalem inde expectat viſibilem-
" que mercedem. Sed tamen eſt etiam iſta,
" ut dixi, quædam, ut ſic dicam, terrena
" carnaliſque Juſtitia. Nam & ipſe Apo-
" ſtolus eam Juſtitiam vocat, cùm alibi di-
" cit: Secundùm Juſtitiam quæ in Lege eſt,
" converſatus ſine querela." Sed hâc de re
" mox plura.

ANIMADVERSIO XIX.

Ad Differt. 2. Cap. 8. Sect. 15.

HIC primum Argumentum, quô Apoſtolus Legi *Moſaicæ* Juſtificationem detrahit, à defectu ſcil. veræ atque æternæ Remiſſionis, quô Lex iſta laboraret, ductum, poſtquam per partes & fusè tractaveram, tandem Argumenti ſummam hôc Syllogiſmô comprehendi poſſe ſtatuo: *Nemo per Legem* Moſis *in foro Dei juſtificari poteſt, qui eorum peccatorum reus ſit, quorum nulla in foro Dei Remiſſio per Legem iſtam conceditur: Atqui omnes (tam Judæi quàm Græci) eorum peccatorum rei ſunt, quorum nulla in foro Dei Remiſsio per Legem* Moſis *conceditur; Ergo nemo (neque Judæus, neque Græcus) per Legem* Moſis *in foro Dei juſtificari poteſt.* In quæ tu ſatis faſtuosè & vehementer nimis, pro more tuo, ita inveheris: *Apage cum Syllogiſmo, cerebri tui fœtu monſtroſo, cujus neque major propoſitio, neque aſſumptio, neque concluſio in Apoſtolo uſpiam apparet. Ego uſque ad ravim repeto, concludere* Paulum, *quòd ex Operibus Legis nemo juſtificetur, quia Lex peccati reum quemque convincit, à quo reatu Obedientiæ Opera inſequentia neminem liberant; ſed ex Fide ſeorſim ab Operibus juſtificatur per Redemptionem Jeſu Chriſti. Aperi oculos, & differentiam vide inter* Pauli *Concluſionem & tuum Commentum.*

RESPONSIO ad Animadverſionem XIX.

§. 1. Syllogiſmum, quem cerebri mei fœtum monſtroſum vocas, Veteres, interque eos *Auguſtinum* ipſum, *Paulo* tribuiſſe, modò luculentis teſtimoniis oſtendi. Sed quia video te Veterum authoritatem, ubi placitis tuis repugnat, ne flocci quidem facere, hôc telô (ſcil. quod ſoli Catholici & ſobrii reformidant) depoſitô, pertinaciam tuam expugnare conabor argumentis ex ipſa re petitis. Argumenta verò illa in *Diſſertationibus* meis jam breviter & ſtrictim attuli; quæ proinde hîc retractanda tantùm, novâ luce donanda, atque à tuis incurſibus munienda & vindicanda propono. Quod mihi probandum incumbit, illud eſt: Apoſtolum, cùm per Legem *Moſaicam* juſtificari poſſe hominem peccatorem negat, non hôc argumento pugnare, quòd Lex iſta perfectiſſimam atque abſolutiſſimam Juſtitiam, quæ à nemine, ne per eam quidem Dei Gratiam quæ in Evangelio exhibetur, præſtari poſſit, tanquam conditionem Juſtificationis poſtulet, ſed aliô prorſus fundamentô niti; nempe, quòd in eadem Lege (ſub χάριτος illa, quâ ab ipſo conſideratur) nulla omnino vera Juſtificatio, ſive peccatorum Remiſſio, quæ ultra hanc vitam ſpectat, ſub quavis conditione concedatur. Hanc argumentationem planè genuinum Apoſtoli fœtum eſſe, non cerebri mei monſtrum, his rationibus evinco.

§. 2. Primò hôc argumentô manifeſtè & ex confeſſo pugnat Apoſtolus in celebri ad *Judæos* concione, ſæpiùs à nobis commemoratâ, *Act.* 13. v. 28, 29. *Notum igitur ſit vobis, fratres, annuntiari vobis Remiſſionem peccatorum per iſtum, (Chriſtum* ſcil.) *& ab omnibus, à quibus non potuiſtis per Legem* Moſis *juſtificari, per hunc credentem quemvis juſtificari.* Ubi notavi, duo ab Apoſtolo doceri; nempe, non tantùm per Jeſum Remiſſionem peccatorum, ſpiritualem ſcil. (quam Lex omnino non conceſſit) annuntiari; ſed & credentem juſtificari in ipſo ab omnibus,

a

à quibus nemo per Legem *Mosis* (ne carnaliter quidem) justificari poterat ; indeque inferre Apostolum, non quærendam in Lege *Mosaica* Justificationem, sed confugiendum ad aliud plenioris misericordiæ Fœdus, nempe Fœdus illud in Christi Jesu Sanguine stabilitum, *&c.* Quod utrumque ex loco illo hâc ratione facilè colligitur. Cùm enim dicit Apostolus, credentem quemvis Christi Evangelio, per Christum ab *omnibus* peccatis justificari, negatque universalem ejusmodi peccatorum Remissionem ex Lege *Mosis* obtineri posse, satis manifestum est, Legem *Mosis* ab Apostolo hîc spectari *carnaliter*,& secundùm literam,quatenus Evangelio opponitur. Certum autem est, Legem *Mosis* sub ista κατὰ consideratam, non modò omnium peccatorum Remissionem non indulsisse ; (quippe quæ gravissima quædam peccata, puta idololatriam, homicidium, adulterium &c. morte citra misericordiam aut veniam mulctaret) sed neq; veram ullam cujusvis peccati Remissionem,h. e. quæ ad forum Dei & futuram vitam pertineret,concessisse. Hanc interpretationem nostram verissimam esse, neque ipse diffiteri poteras. Sed videat Lector, quomodo interim ictum argumenti nostri evaseris. Sic scribis in Notis ad hoc ipsum caput : " *Paulus* in concione ad Judæos habita, quantum illis in Legis cortice nimis hærentibus, & in umbra Legis sese oblectantibus, opus esset, extra Legem Justitiam quærere, & ad Christum Legis finem ac perfectionem etiam confugere, ostendit : et ex hoc ipso, quod Lex nulla præscripsit sacrificia ob Iustrationem quorundam criminum, quæ capite essent luenda, probat, populum indigere potiori Propitiationis medio, nî in peccatis pereundum sit. Ex *Mosaicæ* Legis institutis probat indigentiam Christi Servatoris. Optimè. In Epistola verò ad *Romanos* aliud agit ; neminem ex Operibus justificari contendit, sed ex Fide in Christum. Qui *Paulum* idem utrinque urgere dicit, de eo quid dicam ? Quid sentiam, scio ; quid dixerim, nescio. Modestiæ ergò me reprimo." Respondeo : Quid tu homo modestissimus (scil. qui nuspiam sis in hac *Censura* tua convitiorum parcus) de me sive senseris, sive dixeris, non multùm laboro ; neque enim (ut quod res est, dicam) tanti facio judicium tuum. *Paulum* vero utrinque (nempe tum in concione ad *Judæos* habitâ, & *Act.* 13. à *Luca* recitatâ, tum in Epistola ad *Romanos*, & *Galatas* quoque) idem urgere, qui dixerit, næ is non sine maximorum Virorum authoritate, neque absque evidentissimis rationibus illud dixerit. Nam primò, consentiunt fere doctissimi Interpretes, locum illum *Act.* 13. aptissimam esse clavem, ad sensum totius *Paulinæ* Disputationis de Justificatione in Epistolis ad *Roman.* & *Galat.* aperiendum. Hinc non modò *Hammondus* noster, sed & ipse *Calvinus*, ex loco illo collegit, (quod suprà observavimus) Justificationis vocabulum in *Paulinis* Epistolis sensu forensi accipi; atque à peccatis absolutionem, sive peccatorum Remissionem, significare. Hinc dicere non dubitârunt, locum illum Summam Evangelii, à *Paulo* annuntiati, atq; contra *Judæos* asserti, paucissimis verbis comprehendere. Deinde, satis conspicua est hujus loci cum Disputatione *Paulina* in Epistolis suis convenientia,sive verba ipsa, sive scopum Apostoli, respexeris. Utrobique affirmatur, hominem credentem, sive hominem per Fidem justificari : Utrobique negatur, per Legem justificari quenquam : Utrobique eosdem adversarios oppugnat *Paulus*, *Judæos* scil. & Judaizantes Christianos : Utrobique denique eundem sibi scopum propositum habet ; nempe, ut *Judæos* nondum credentes, à quærenda in Lege *Mosis* Justificatione arceret, atque ad amplexandam Evangelii Gratiam accenderet ; Judaizantibus verò Christianis persuaderet, in accepta Evangelii Gratia, tanquam ad Salutem suam sufficiente, absque Legis *Mosaicæ* additamento, acquiescerent. Quidnî igitur *Paulum* idem utrobique urgere, sive eôdem argumento pugnare, statuamus ?

§. 3. Eidem etiam argumento (omnium Interpretum, tam veterum, quam recentiorum, consensu) insistit divinus Author Epistolæ ad *Hebræos*, docens, Sacrificia in Lege præscripta non potuisse τελειῶσαι κατὰ τὴν συνείδησιν τὸν λατρεύοντα· h. e. ab interno atque æterno peccati reatu in Dei conspectu hominem liberare, *c.*9. *v.*9. sed profuisse tantùm πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς καθαρότητα· *ad carnis purgationem* ; i. e. ut homo exteriùs à pœna ac morte corporea liberaretur, ibid. v. 13. Quò etiam referenda sunt, quæ alibi pluribus ediserit Scriptor Θεόπνευστος· nempe, perfectionem à Sacerdotio *Aaronico*, h. e. à Sacrificiis ab istis Sacerdotibus oblatis, nullam esse sperandam, *cap.* 7.*v.* 11. Legem nihil perfectum reddidisse, ibid. v. 19. Legem non potuisse ad eam accedentes, h. e. cultum in ea præscriptum observantes, perfectos ac consummatos reddere, *cap.* 10. *v.* 1. Nam in locis illis omnibus constat intelligi plenam ac perfectam à peccatis omnibus, etiam gravissimis, Absolutionem. Hæc dum perpendo, mirari satis nequeo Censoris ἀυθάδειαν, qui tam præfractè neget, hôc argumentô uspiam usum fuisse *Paulum* in suis de Justificatione Disputationibus. Nam plerique

Theologi exiſtimant, authorem Epiſtolæ ad *Hebræos* fuiſſe ipſum *Paulum*. Deinde, qui aliter ſentiunt, fatentur omnes, Epiſtolæ Authorem (quiſquis fuerit, ſive *Lucas*, ſive *Clemens*, ſive *Barnabas*, ſive alius quiſquam) *Pauli* fuiſſe σύγχρονον & familiarem, adeoq; ipſius ſenſum optimè calluiſſe. Denique, manifeſtiſſimum eſt, Authorem illum in eundem ſcopum collimare, quem & *Paulus* in Epiſtolis ad *Rom.* & *Gal.* propoſitum ſibi habet ; quemque modò diximus fuiſſe, tum ut *Judæos* infideles ad amplexandam Evangelii Gratiam, ut ipſis prorſus neceſſariam, accenderet, tum imprimis, ut Judaizantibus Chriſtianis perſuaderet, in accepta Evangelii Gratia, tanquam ad Salutem ſuam ſufficiente, acquieſcerent. Quid autem à vero abſimilius, quàm *Paulum* in Epiſtolis ad *Romanos* & *Galatas*, contra Juſtificationem ex Lege diſputantem, eô argumentô nuſquam uſum fuiſſe, quô in Epiſtola ad *Hebræos*, ſive ipſe *Paulus*, ſive *Pauli* ſaltem Symmyſta quiſpiam, eandem quæſtionem tractans, fere ſolo pugnavit ?

§. 4. Verùm ut res extra omnem controverſiæ aleam ponatur, loca quædam adferam ex Epiſtolis ad *Romanos* & *Galatas*, eaque ex ipſa ſede argumentorum *Paulinorum* petita, quæ manifeſtiſſimè hâc nituntur Hypotheſi, nullam in Lege *Moſaica* veram Juſtificationem, quæ cum æternæ vitæ donatione conjuncta ſit, dari aut promitti. In Capite quarto Epiſtolæ ad *Rom.* v. 13, 14, 16. Apoſtolus contra Juſtificationem ex Lege argumentatur hunc in modum : *Nequaquam enim ex Lege facta fuit promiſſio* Abrahæ, *& ſemini ejus, quòd futurus eſſet hæres mundi, ſed per Juſtitiam Fidei. Si enim qui ex Lege ſunt, hæredes ſunt, inanis facta eſt Fides, & irrita facta eſt promiſſio.* ——— *Propterea ex Fide eſt hæreditas, ut ſit per Gratiam, ut firma ſit prómiſſio toti ſemini, id eſt, non ſolùm ei, quod eſt ex Lege, verùm etiam ei, quod eſt ex Fide* Abrahami, *qui eſt pater omnium noſtrûm.* Hîc diſertè docet Apoſtolus, promiſſionem hæreditatis, nempe cœleſtis, *Abrahamo* & ejus ſemini factam non fuiſſe per Legem, ſed per Juſtitiam Fidei ; idque ob hanc rationem, quia ſi ex Lege hæreditas illa penderet, tum Promiſſa multò ante Legem *Moſis* facta *Abrahamo*, irrita fuiſſent. Hôc quoque argumentô probat, τὴν ἐπαγγελίαν, *promiſſionem* factam non fuiſſe per Legem, ſed per Fidem, ſive Evangelium ; (quod & ante Legem *Abrahamo* prædicatum fuit, & ſub Lege ratum manſit, adeoque per ipſam Legem adumbratum fuit) quia alioqui promiſſio illa firma non fuiſſet toti *Abrahæ* ſemini, tam *Judæis* ſcil. quàm *Gentibus*, ſed *Judæis* tantùm ; quippe quibus ſolis Lex *Moſis* data fuerit. Unde manifeſtiſſimum eſt, Apoſtolum diſputationem ſuam non inſtituiſſe de Fœdere, ſive Lege quadam Operum, (quam vocant) quæ ad omnes *Adæ* poſteros, tam *Judæos*, quàm *Gentes*, pertineret, quæque ipſos ad abſolutiſſimam, (neſcio quam) adeoque impoſſibilem Juſtitiam, ſub promiſſo æternæ vitæ, & comminatione mortis æternæ obligaret ; (quemadmodum tu cum pleriſque Neotericis Theologis ſomniâſtis) ſed de ſola Lege *Moſis*, quatenus *Judæis* ſolis data erat ; eidemque Legi Juſtificationem detraxiſſe non qualemcunque, ſed plenam tantummodo ac perfectam, quæ nempe cum donatione cœleſtis hæreditatis conjuncta eſſet : ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

§. 5. Fuſiùs autem, adeoque clariùs, hanc rem explicat idem Apoſtolus in Epiſt. ad *Gal. cap.* 3. Ubi v. 18. docet, hæreditatem, nempe æternæ vitæ & cœleſtis fælicitatis, neutiquam ex Lege eſſe, ſed ex veteri Promiſſo de Chriſto, ante Legem *Abrahæ* facto, h. e. ex Evangelio ; ut ſenſus manifeſtus ſit, Legem *Moſis*, juxta literam ſpectatam, pro Lege ſive Fœdere vitæ æternæ nequaquam à Deo propoſitam fuiſſe. Quod poſtquam dixerat Apoſtolus, objectioni occurrit v. 19. τί οὖν ὁ νόμος ; *Quorſum ergo Lex ?* i. e. Si non ut Fœdus vitæ ac ſalutis æternæ data fuit, cui uſui fuit ? Reſpondet, τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη· i. e. Promiſſioni addita fuit propter tranſgreſſiones, nempe populi *Judaici*, cui data fuit ; h. e. quia *Abrahæ* poſteritas ex *Ægypto* (ubi cum impiis atque idololatris conſuetudinem habuerat) recèns educta, indeque *Paganicis* tum vitiis, tum ritibus ac ſuperſtitionibus, vehementer addicta, tali Lege indigeret, ut in officio contineretur, atque imprimis, ut ab *Ethnicorum* idololatrico cultu arceretur. Hæc eſt ſententia Apoſtoli ſatis manifeſta ; neque quæ hîc philoſophantur moderni plerique Interpretes, quicquam ſunt πρὸς Διόνυσον. Proinde hunc finem datæ Legis *Moſaicæ* agnoverunt vetuſtiſſimi Scriptores Chriſtiani, qui in prima Apoſtolorum διαδοχῇ, ſive ſucceſſione, floruerunt, adeoque ab ipſis Apoſtolorum Diſcipulis Theologiam ſuam hauſerant. Sic *Juſtinus Martyr* in Dialog. cum *Tryph.* Διὰ τὰς ἁμαρτίας τοῦ λαοῦ ὑμῶν, καὶ διὰ τὰς εἰδωλολατρείας, ἀλλ' οὐ διὰ τὸ ἐνδεὴς εἶναι τῶν τοιούτων προσφορῶν, ἐνετείλατο ταῦτα γίνεσθαι· i. e. *Propter peccata populi veſtri, & ſimulachrorum cultus, nequaquam autem, quòd iſtiuſmodi oblationibus ei ſit opus, hæc fieri ſanxit.* Et rurſus in eodem Dialogo : Διὰ τὸ σκληροκάρδιον τοῦ λαοῦ ὑμῶν πάντα τὰ παιδία ἐπάλματα

P. 238.

P. 265

νοσεῖτε

νοεῖτε τ̃ Θεὸν διὰ Μωσέως ἐπιτιλάμενον ὑμῖν, ἵνα διὰ πολλῶν τούτων ἐν πάσῃ πράξει πρὸ ὀφθαλμῶν ἀεὶ ἔχητε τ̃ Θεὸν, καὶ μήτε ἀδικεῖν, μήτε ἀσεβεῖν ἄρχησθε· i. e. *Propter duritiem cordis populi vestri cunctas hujusmodi sanctiones Deum per* Mosem *tulisse intelligitis; ut per complura ista instituta, in actione omni ob oculos vobis esset Deus; ac neque injustè facere, neque impiè agere occiperetis.* Similiter *Irenæus lib.* 4. adverſ. *Hæreſ. cap.* 29. *Si igitur & in Novo Testamento quædam præcepta per ignoscentiam Apostoli concedentes inveniuntur,* &c. *non oportet mirari, si & in Veteri Testamento idem Deus tale aliquid voluit fieri pro utilitate populi, illiciens eos per prædictas observationes, ut per eas salutem Decalogi observantes, munera dent ei, & detenti ab eo, non reverterentur ad idololatriam, nec apostatæ fierent à Deo.* Hos ſecutum eſſe *Tertullianum* iam in *Harmonia* oſtendimus, celebri loco ex ipſius *lib.* 2. adverſ. *Marcion.* allato, quem & hìc repetendum cenſuimus: *Sacrificiorum onera, & operationum & oblationum negotiosas scrupulositates nemo reprehendat, quasi Deus talia propriè sibi desideraverit, qui tam manifestè exclamat: Quò mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum? & quis exquisivit ista de manibus vestris? Sed illam Dei industriam sentiat, quæ populum pronum in idololatriam & transgressionem ejusmodi officiis religioni suæ voluit adstringere, quibus superstitio * seculi agebatur, ut ab iis avocaret illos, sibi jubens fieri quasi desideranti, ne simulachris faciendis delinquerent.* Quò etiam ſpectat quod *Juſtinus*, *Irenæus*, & Veterum alii obſervârunt, nempe Legem Ritualem datam non fuiſſe populo *Iſraelitico*, antequam vituli aurei cultu ſe polluiſſent; adeoque illuſtre ſpecimen dediſſent ingenii ſui, & quantum ipſis opus fuiſſet ejuſmodi Legis ſepimento, ne identidem in idololatriam prorumperent, tandemque à vero & unico Deo prorſus deficerent. Sic *Juſtinus* dicto Dialog. cum *Tryph.* p. 236, 237. Καὶ γὰρ μὴ σαββατίσαντες οἱ προωνομασμένοι πάντες δίκαιοι, τῷ Θεῷ εὐηρέστησαν, καὶ μετ' αὐτοὺς Ἀβραὰμ καὶ οἱ τούτου υἱοὶ ἅπαντες μέχρι Μωσέως· ἐφ' ᾧ ἄδικα καὶ ἀχάριστα εἰς τ̃ Θεὸν ὁ λαὸς ὑμῶν ἐφάνη ἐν τῇ ἐρήμῳ μοσχοποιήσας. ὅθεν ὁ Θεὸς ἁρμοσάμενος πρὸς τ̃ λαὸν ἐκεῖνον, καὶ θυσίας φέρειν, ὡς πρὸς ὄνομα αὐτοῦ, ἐνετείλατο, ἵνα μὴ εἰδωλολατρῆτε· i. e. *Nam sine observatione Sabbathi qui nominati modò sunt, justi omnes Deo complacuerunt: & post illos* Abraham, *& ejus filii cuncti ad* Mosen *usque: sub quo injustus & erga Deum ingratus populus vester apparuit, vitulô in solitudine fabrefactô. Unde Deus ad populum illum se accommodans, hostias quoque offerre, tanquam nomini suo, præcepit, ut ne simulachra coleretis.* Eadem habet *Irenæus lib.* 4. adverſ. *Hæreſ.* in fine cap. 28. & initiô 29. *Nam Deus primò quidem per naturalia præcepta, quæ ab initio infixa dedit hominibus, admonens eos, id est, per Decalogum (quæ si quis non fecerit, non habeat salutem) nihil plus ab iis exquisivit. Quemadmodum* Moyſes *in* Deuteronomio *ait: Hi sermones omnes, quos locutus est Dominus ad omnem Synagogam filiorum* Israel *in monte, & nihil adjecit: & scripsit ea in duabus tabulis lapideis, & dedit mihi; propter hoc ut custodirent præcepta, hi qui velint sequi eum. At ubi conversi sunt in vituli factionem, & reversi sunt animis suis in Ægyptum, servi pro liberis cupientes esse, aptam concupiscentiæ suæ acceperunt reliquam servitutem, à Deo quidem non abscindentem, in servitutis autem jugo dominantem eis,* &c. Quæ ſanè obſervatio de facto eſt veriſſima. Nam *Moſes* antequam montem aſcenderet, (per quadraginta dies ibidem commoraturus) tantùm Decalogum & Leges quaſdam politicas, quæ *Judicia* vocantur, populo tradiderat, ut videre eſt *Exod.* 24. v. 3. coll. v. 9. Priùs autem quàm à monte deſcendiſſet *Moſes*, vitulum fecerant *Iſraelitæ*. Myſterium verò in facto latuiſſe, facilè credendum eſt viris ſanctis, ab auditoribus Apoſtolorum edoctis.

Vide *Rupert. Tuit.* in *Malach.* pag. 225,226. *edit. Norimberg.* 1524.

§. 6. Sed cum Apoſtolo noſtro jam progrediamur. Qui, poſtquam oſtendiſſet finem datæ Legis *Moſaicæ*, pergit ibidem declarare modum Legiſlationis, fini iſti apprimè reſpondentem: *Lex*, inquit, *disposita fuit per Angelos*; id eſt, Angelô unô, cui adfuerit ὁ λόγος, Dei nomine eam pronuntiante, ac terræ motu, procellâ, tonitru, fulmine, terrorem populo incutiente, cæteris eum ſtipantibus, (confer *Act.* 7. 38. cum *Deut.* 33. 2. *Heb.* 2. 2.) idque *per Mediatorem*, nempe *Moſen*, medium ſe interponentem inter Deum & populum. Addit Paulus v. 20. ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν, ubi optimè monet *Grotius*, ἑνὸς ſumendum à neutro ἕν, ut ſenſus ſit: *Non solet sequester se interponere inter eos qui unum sunt*, i. e. *bene conveniunt*; *Deus vero unus est*, i. e. *semper sibi similis*; *non mutatur nisi homine mutato. Quare nisi multa*

* *Scil. ideo ab Apoſtolo* Gal. 4. 3. Col. 2. 8, 20. *Ritus* Moſaici *dicuntur* τὰ στοιχεῖα τ̃ κόσμου, *quia* Iudæis *cum mundo erant communes.*

ta & gravia interveniſſent populi delicta atque tranſgreſſiones, Deus tam placidum ſe atque amicum exhibiturus fuerat Iſraelitis, *quàm ſe exhibuerat olim eorum majoribus, neque nunc, magis quàm tunc, opus fuiſſet mediô aliquô, qui ſe interponeret.* Ad eundum fere modum explicavit locum *Jacobus Capellus*, ad ipſum hæc annotans: *Mediator autem non eſt unius partis, ſed duarum, earumque diſſidentium. Cùm igitur* Moſes *Mediatorem ageret inter Deum & populum, hôc ipſô teſtatur, eſſe diſſidium inter duas illas partes. Deus autem unus eſt, iſque ſemper idem, ſemper ſibi conſtans. Diſſidium igitur illud non Dei, ſed hominis mutationi deputandum eſt.* Ac ſane hæc interpretatio plana eſt ac perfacilis, & ſcopo Apoſtoli conveniens; cæteræ verò omnes duræ, coactæ, violentæ, atque à propoſito prorſus alienæ ſunt; ut cuivis conferenti ſtatim liquebit. Pergit autem Apoſtolus v. 21. novæ objectioni occurrendo his verbis: *Lex ergo adversùs promiſſa Dei?* Quæſtio ex præcedente reſponſione emergit ad hunc modum: Si Lex propter tranſgreſſiones populi *Iſraelitici*, à Deo illis propter peccata ipſorum irato, poſita fuerit, num ergo fatebimur, Legem adverſari promiſſionibus divinis, antea populo iſti, ut *Abrahæ* ſemini, factis; h. e. Deum offenſum mutâſſe benevolum conſilium, ac ferendo Legem gratioſa illa promiſſa reſcidiſſe? Primùm Apoſtolus abominatur objectionem: μὴ γένοιτο, *Abſit*, inquit. Deinde reſponſionem adfert his verbis: *Si Lex data fuiſſet, quæ poſſet vitam dare, verè ex Lege eſſet Juſtitia*, ſive *Juſtificatio.* Reſponſio eſt manifeſtè elliptica, ad hunc modum ſupplenda: *& tum revera Lex fuiſſet promiſſioni contraria*; (quippe quæ ſtatuiſſet rationem Vitæ ſive Juſtificationis adipiſcendæ, longè aliam atque diverſam ab ea, quæ promiſſione ſancita fuiſſet) *ſed longè aliter ſe res habet*: *Lex vitam dare non poteſt, proinde neque veram Juſtificationem.* Ubi manifeſtum eſt, εἰ γὰρ ἐδόθη νόμος ὁ δυνάμενος ζωοποιῆσαι, idem eſſe, quod εἰ γὰρ ἐκ νόμου ἡ κληρονομία· ſuprà v. 18. proinde ζωοποιῆσαι *vivificare*, ſive *vitam dare*, eſſe *dare* κληρονομίαν, hæreditatem vitæ cœleſtis atque æternæ. Lex autem id facere, ſive dare dicitur, quod promittit; ut ſenſus ſit: ſi Lex promiſiſſet hæreditatem vitæ cœleſtis atque æternæ. In verbis ſequentibus, ὄντως ἐκ νόμου ἦν δικαιοσύνη, apprimè notanda eſt emphaſis egregia in adverbio ὄντως, *verè.* Quippe concedit quidem Legi Apoſtolus (hoc illud ipſum eſt quod contendimus) ſuam quandam δικαίωσιν, *Juſtificationem*, ejuſmodi ſcil. quæ temporalem impunitatem, adeoque fœlicitatem ſecum ferat; ſed ὄντως ἐκ νόμου εἶναι δικαιοσύνην, i. e. veram Juſtificationem, (quæ cum donatione cœleſtis hæreditatis conjuncta ſit) per Legem obtineri poſſe, diſtrictè negat. Subjungit Apoſtolus v. 22. Ἀλλὰ συνέκλεισεν ἡ γραφὴ τὰ πάντα ὑπὸ ἁμαρτίαν, *Scriptura omnes ſub peccato concluſit*, ſive *peccatis involvit*; h. e. concluſos involutos declaravit. Concludi ſub peccato, ſive peccatis involvi, is dicitur, qui peccati reatu adhuc obſtrictus tenetur. Ita ſub peccato concluſi in conſpectu Dei erant omnes ante Chriſtum, ſi Legem *Moſaicam* per ſe reſpicias; quippe quæ (ut modò dixit Apoſtolus) nullam veram Juſtificationem, quæ cùm vitæ ſive hæreditatis cœleſtis donatione conjuncta eſſet, præſtiterit. Hoc beneficium ex promiſſo, credentibus dato in Ieſum Chriſtum, promanavit. *ibid.* Illa verò promiſſio ante Legem obſcuriùs facta, & ſub Lege velata, tandem in Evangelio apertiſſimè revelata fuit, v. 23. Summa eſt: verè juſtificabantur pii etiam *ſub Lege*, ſed non *per Legem*, ſed *per Gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti*, Act. 15. 11. Qui jam ex his omnibus non clarè perſpiciat, Apoſtolum contra Juſtificationem ex Lege argumentari ex hac Hypotheſi, quòd in Lege illâ nulla omnino vera Juſtificatio, ſive peccatorum Remiſſio, quæ nempe ultra hanc vitam ſpectat, concedatur, næ is vel judiciô planè deſtitutus, vel inſanabili præjudicio præpeditus ſit, neceſſe eſt.

§. 7. Sed audiamus tamen, quid contra tam luculentam hujus loci explicationem adferat Cenſor noſter: *Senſum alienum*, inquit, *Apoſtolo affingis, quem verba ſuâ ſponte non præbent. Lex, quatenus Fœdus Operum notat, non potuit dare vitam, quia nemo pacti conditionem implevit.* Sane hic ſenſus *Ariſtarchi* noſtri tantum abeſt ex ipſis Apoſtoli verbis ſponte fluat, ut iiſdem vim faciat apertiſſimam; quin & non modò Apoſtoli verbis, ſed etiam totius contextûs ſcopo, ac Propoſito ſatis manifeſto, veluti ex diametro repugnet. Nam, primò ipſa phraſis (uti modò notavimus) *dare hæreditatem* ſive *vitam*, quoties Legi accommodatur, aliud ſignificare non poteſt, quàm hæreditatem ſive vitam promittere. Cùm ergò negat Apoſtolus, Legem *Moſaicam* dare vitam, negat in Lege iſtâ vitam promitti. Deinde quid coactius hâc interpretatione: Lex potis, δυναμένη, non erat vitam dare hominibus, h. e. Lex potis erat vitam dare hominibus, ſed ipſi homines non poterant illam accipere? Præterea diſertè loquitur Apoſtolus de Lege, quatenus ab ipſo Deo data, non quatenus ab homine ſive præſtita, ſive non præſtita fuit. *Si*, inquit, *Lex data fuiſſet, quæ vivificare*

In Notis ad pag. 213.

vivificare, seu *vitam dare potuisset*. Imò, inquit Censor, Lex revera Deo data erat, quæ impleta vitam dare potuisset. Annon hoc est Apostolo in os contradicere? Denique, quod ad scopum loci attinet, inde probat Apostolus, Legem non fuisse promissioni contrariam, quòd Lex ista non fuerit à Deo proposita ac lata, ut Lex sive Fœdus vitæ ac salutis æternæ; proinde Deus ferendo Legem, neutiquam aliam statuerit aut diversam salutis obtinendæ rationem ab ea, quam in Promisso *Abrahæ* facto, h. e. in Evangelio, priùs sanciviſſet. Loquitur igitur manifestè Apostolus de ipsa natura, sive constitutione Legis, non de eventu ejus ab homine pendente.

§. 8. Quod autem tam fidenter affirmat Censor, Legem, de qua hôc locô differit Apostolus, *Fœdus Operum* notare; si *Fœdus Operum* ex communi sententia intelligatur, (prout ab ipso intelligi constat) nescio an quicquam ab eo hôc magis absurdum adfirmari potuerit. *Fœdus Operum* Theologi vulgò dicunt primævam illam sive originalem Legem, quæ primis hominibus in statu integritatis lata fuit, quæque perfectissimam atque absolutissimam Virtutem, sive æternæ Legi conformitatem, quæ per summas vires humanæ naturæ integræ, donisque supernaturalibus instructæ, præstari potuit, ab illis exegit, cum Promisso immortalitatis, si talem Justitiam adimplerent; cum sempiternæ verò mortis comminatione, si vel minimùm ab ea deflecterent. Hanc Legem docent etiam post lapsum ratam manere, adeoque adusque mundi consummationem ratam mansuram; omnesque *Adæ* posteros universim obligare, usque dum per Fidem in Christum Redemptorem ab istius obligationis vinculo liberentur. De hac quæstione sententiam meam, seu potiùs Catholicam, suprà * satis luculenter explicavi. Apostolum verò, in Capite isto Epistolæ ad *Galatas*, de ejusmodi Lege sive Fœdere nequaquam disputare, hisce argumentis apertissimum fiet. Primò loquitur Apostolus de Lege, quæ solis *Judæis* ex monte *Sinai* per Angelos, mediatore *Mose*, lata erat v. 19. non igitur de Lege aliqua, quæ totum genus humanum obligaret. Deinde disertè differit de Lege quadam temporaria, quæ, ut non ante quandringentos demum & triginta annos post factam *Abrahæ* promissionem lata, ita vim suam diutiùs habitura non erat, quàm usque dum semen promissum, h. e. Christus, veniret, v. 17, 19, 25. Neque igitur cogitavit Legem perpetuam, humano generi coævam, & semper ad finem usque mundi duraturam. Denique, manifestissimè in hoc Capite disputat Apostolus de Lege quadam imperfectiori, quæ à Deo pro infinita sua sapientia *Judæis*, ut pueris ac minorennibus, adinstar Pædagogi, data atque accommodata fuit, v. 23, 24, 25. coll. *cap.* 4. v. 1, 2, 3. Itaque certum est, ipsum non agere de Lege absolutissimam Virtutem exigente, qualem modò descripsimus. Scilicet populo rudi & carnali, atque ex *Ægyptiaca* ignorantia recèns emerso, mirè conveniisset Lex, cui nihil citra *Paradisi* Justitiam satisfeciisset!

§. 9. Atqui, inquies, annon Scripturæ N. T. summam Legis *Mosaicæ* severitatem atque rigorem in exigenda obedientia passim deprædicant? Annon hinc Lex illa *jugum importabile* expressè dicitur *Act.* 15. 10? Imò certè. Sed palàm est, iis in locis Legem Ritualem imprimis respici, quæ plurima, eaque fere gravissima, præcepta *Judæis* præscripsit, ita religiosissimè observanda, ut vel minimum eorum violâsse, penè piaculum fuerit. Certè *Judæis*, in moralibus exigendis, indulgentiorem fuisse Legem constat. Hinc *Polygamiam*, & divortii potestatem, aliis de causis quàm ob adulterium, concessit; neque peccâsse quisquam videtur sub Lege, qui eô jure usus fuerit, nisi modum in re excesserit. Saltem de Polygamia res manifesta est; nisi verò (ut alia argumenta taceam) viros sub Lege sanctissimos sapientissimosque, aut divinæ voluntatis in re tanti momenti prorsus ignaros fuisse, aut in peccato contra conscientiam per multos annos vixisse, adeoque ad mortem usque absque pœnitentia perseverâsse statuendum sit. In his autem & aliis Legem Christi fuisse ἐπίτασιν καὶ προσθήκην ἐντολῶν, i. e. *præceptorum* (Mosaicorum) *& intensionem, & adjectionem*, (ut loquitur *Chrysostomus*) tam unanimis est constansque Catholicorum Doctorum sententia, ut extremæ foret sive insciitiæ, sive inverecundiæ, illud in dubium vocare. Itaque in eo eluxit iste Legis *Mosaicæ* rigor & severitas, quòd tot tamque gravium Ceremoniarum observationem tam strictè exegerit. Sane per jugum illud importabile, cujus mentio fit locô citatô *Act.* 15. 10. Legem *Mosis* Ritualem significari, inde manifestum est, quòd non nisi de Circumcisione, & cæteris Legis *Mosaicæ* Ceremoniis, Gentibus, quæ Christi Fidem amplexæ fuerant, imponendis, quæstio in *Hierosolymitano* illo Concilio mota fuerit. Eòdem etiam pertinere mihi videtur locus celebris *Rom.* 4. v. 15. *Nam Lex iram operatur*;

* *In Append. Responsionis ad Animadvers.* XVII. §. 4.

enim non est Lex, ibi neque transgressio. Quanquam enim verissimum sit, per Legem *Mosis*, Naturæ Legem in multis elucidatam fuisse ; proinde à data Lege illa, multa peccata, quæ in moralibus committerentur, clariùs innotuisse, indeque majus pœnæ meritum peccatis istis accreviſſe ; tamen putârim, Apostolum ibi respexisse imprimis multiplicia illa Legis *Mosaicæ* præcepta merè positiva, de Ritibus & Ceremoniis, *Judæis* summo rigore impositis. De his enim tantummodo ad amussim vera est illa Apostoli enuntiatio : *ubi non est Lex, ibi neque transgressio.* Apprimè autem conveniebat illa Legis *Mosaicæ* ritualis ἀνεμβεια puerili *Judæorum* statui. Nam pueri quidem cùm fuerint *Judæi*, pueri tamen erant lascivi, immorigeri, atque proni in ritus idololatricos, quibus in *Ægypto* assueverant : proinde negotiosæ istæ multiplicium Ceremoniarum scrupulositates, (quemadmodum *Tertullianum* audivimus loquentem) rigidè ipsis injungendæ erant, quò in iis occupati ac detenti, à Gentium idololatria, quæ istiusmodi fere ritibus constabat, retraherentur.

§. 10. Puto me jam abunde demonstrâsse, argumentationem Apostoli in Epistolis ad *Rom.* & *Gal.* contra Justificationem ex Lege *Mosaica* nequaquam hâc Hypothesi niti, quòd Lex ista absolutissimam, adeoque impossibilem Virtutem, ut conditionem Justificationis, exegerit ; sed fundamento planè contrario inniti : nempe, quòd in Lege *Mosis*, juxta literam acceptâ, nulla omnino vera Justificatio, sive Remissio peccatorum, quæ ultra hanc vitam spectet, exhibita fuerit. Restat ut Objectioni non contemnendæ, alicubi à te allatæ, satisfaciam. Objectio hujusmodi est : Constat ex multis *Pauli* locis, in Epistola præsertim ad *Romanos*, Legem *Mosaicam* aliquoties ab ipso accipi sensu spirituali, quatenus & Justitiam spiritualem præscripsit, & Justificationem veram, cum æternæ vitæ donatione conjunctam, promisit. Ita Lex dicitur à *Paulo spiritualis, sancta* & *bona*, Rom. 7. v. 14, 17. *vitæ mandatum*, ibid. v. 10. Item dicit Apostolus, *Legem per Fidem stabiliri*, Rom. 3. v. ult. Quæ de Lege carnaliter & juxta literam accepta affirmari nequeunt, *&c.* Respondeo verbis celeberrimi Episcopi *Dionysii Alexandrini* apud *Athanasium* : ὁ μακάριος Ἀπόστολος Ῥωμαίοις μὲν ἐπιστέλλων, ἔλεγεν· ὁ νόμος πνευματικός ἐστι· καὶ, ὁ νόμος ἅγιος, καὶ ἡ ἐντολὴ ἁγία, καὶ δικαία, καὶ ἀγαθή. καὶ μετ' ὀλίγον· τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου ἐν ᾧ ἠσθένει. Ἑβραίοις δὲ ἔγραφεν· ὁ νόμος οὐδένα τετελείωκε. καὶ Γαλάταις μὲν· ἐν νόμῳ οὐδεὶς δικαιοῦται. Τιμοθέῳ δὲ, ὅτι καλὸς ὁ νόμος, ἐάν τις αὐτῷ νομίμως χρῆται. καὶ ἐκ ἂν τις αἰτιάσαιτο τὸν ἅγιον, ὡς ἐναντία καὶ μαχόμενα γράφοντα, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον θαυμάσειεν ἁρμοζόντως πρὸς ἑκάστους ἐπιστέλλοντα· ἵνα οἱ μὲν Ῥωμαῖοι καὶ οἱ ἄλλοι μάθωσιν, ἀπὸ τοῦ γράμματος ἐπιστρέφειν εἰς τὸ πνεῦμα· οἱ δὲ Ἑβραῖοι καὶ Γαλάται παιδευθῶσι, μὴ εἰς τὸν νόμον, ἀλλ' εἰς τὸν Κύριον τὸν δεδωκότα τὸν νόμον ἔχειν τὰς ἐλπίδας. i. e. " Beatus Apostolus in Epistola ad *Romanos* dixit : *Lex spiritualis est* ; et, *Lex sancta est, & præceptum sanctum, justum & bonum.* Et paulo post : *Nam quod impossibile erat Legi, in quo infirmabatur.* Ad *Hebræos* verò scripsit : *Lex neminem perfecit.* Itidem ad *Galatas* : *In Lege nemo justificatur.* Ad *Timotheum* verò *Legem bonam esse* dixit, *si quis eâ legitimè utatur.* Neque tamen quis ob id sanctum Virum reprehenderit, quasi qui contraria scripserit ; sed potiùs eum admiratione prosequatur, quòd tam congruentia pro re natâ ad singulos scripta miserit : ut *Romani* & alii condiscerent à litera ad Spiritum converti ; *Hebræi* verò & *Galatæ* instituerentur, non in Legem, sed in Dominum, datorem Legis, spem suam habere. " Ex hoc testimonio apparet Veteres sensisse, 1ò. Vocabulum ὁ νόμος apud *Paulum* ὁμωνύμως, sive aliâ atque aliâ significatione, usurpari. 2ò. Bifariàm omnino Legem accipi in *Paulinis* Epistolis ; nempe, juxta literam, & juxta Spiritum ; hoc est, quatenus ipsum erat Evangelium sub veteribus figuris delitescens, & ceremoniarum velis obtectum, ab ipso quidem *Mose* (imprimis in *Deuteronomio*) aliquatenus & pro temporum ratione explicatum, à Prophetis verò succedentibus (ut visum est Divinæ Sapientiæ) dilucidiùs ostensum, demum à Christo & Apostolis plenissimè & luce ipso Sole clariori patefactum : (Tertiam illam Legis χέσιν, quâ scil. Fœdus Operum ab Evangelio distinctum, quale suprà descripsimus, denotet, penitus ignorârunt Patres optimi ; solis illud feris eorum nepotibus, nimiùm oculatis, phantasma videre licuit.) 3ò. Elogia illa omnia, quæ Legi tribuuntur, nempe quòd sit *spiritualis, sancta*, &c. ipsi competere, quatenus juxta Spiritum, sive pro ipso Evangelio accipitur. 4ò. Quoties *Paulus* Legi Justificationem detrahit, Legem intelligi juxta literam. Nam *Dionysius* loca illa, *per Legem nemo justificatur* ; &, *quod impossibile erat Legi quòd infirmabatur* ; &, *Lex neminem perfecit* ; ut parallela & gemina adducit. 5ò. Apostolum istâ homonymiâ uti, h. e. Legem modò spiritualiter, modò carnaliter & juxta literam, accipere ἁρμοζόντως, *aptè & congruenter* eorum Hypothesibus, ad quos, vel quo-

Inter Opera Athan. *Tom.* 1. *p.* 919. Paris 1627.

quorum gratiâ, Epiſtolas ſcripſit. Quod ſanè veriſſimum eſt. Nimirum Legem nonnunquam ſpiritualiter accipit *Paulus*, præſertim in Epiſtola ad *Romanos*, ut *Judæi & Judaizantes* Chriſtiani, *Romæ* degentes, condiſcerent à litera ad Spiritum converti. Quanquam enim *Judæi* in externa illa Juſtitia, quæ literâ Legis præſcripta erat, fere acquieſcerent, tamen deditâ hîc operâ cœcutierunt : cùm ipſis primùm per *Moſem* ipſum, (ut modò diximus) deinde clariùs per Prophetas, ſpiritualis illa Juſtitia, quæ ſola ad ſalutem valeat, oſtenſa fuerit. Itaque eos omnes meritò peccati mortalis in conſpectu Dei reos agit Apoſtolus, qui externâ, quæ in Lege erat, Juſtitiâ ſuperbirent ; cùm interim ſpiritualem illam Juſtitiam, in Lege quidem velatam, ſed ipſis aliunde ſufficienter revelatam, prorſus negligerent. Cùm verò Legi Juſtificationem detrahit Apoſtolus, Legem juxta literam intelligit ; idque rurſus ἁρμοζόντως. Nam hic fuit præcipuus & capitalis *Judæorum* error, quòd veram & cum æternæ vitæ donatione conjunctam Juſtificationem, ſive Remiſſionem, in litera Legis, h. e. in Ceremoniis & Sacrificiis Lege præſcriptis,quæſiverint. Imò qui ex *Judæis* ſpiritualem Juſtitiam Lege adumbratam non ignorabant, aut exiſtimârunt (ut alibi à nobis obſervatum eſt) ſpiritualia illa præcepta, conſilia potiùs quàm præcepta fuiſſe ; aut certè putârunt, ſuas iſtiuſmodi præceptorum tranſgreſſiones partim quotidianis victimis, partim annuô ſacrô piaculari ita expurgatas fuiſſe, ut nulla earum memoria apud Deum reſtaret. Multis itaque (neque id fruſtra) oſtendit Apoſtolus, per Legem illam Ritualem neminem juſtificari ἐνώπιον τῦ Θεῦ, *in conſpectu Dei* ; οὐκ νόμῳ ἐκ ὄντως εἶναι δικαιοσύνλω, *veram Juſtificationem ex Lege nemini contingere* ; externa illa Sacrificia per ſe miſera fuiſſe peccatoribus refugia ; quippe quæ profuerint tantùm *ad carnis purgationem*, i. e. ut homo exteriùs à pœna ac morte corporea liberaretur, *Heb.* 9. v. 13.

Harmon. Apoſtolic. Diſſert. 2. *cap.* 16.

ANIMADVERSIO XX.

Ad Diſſert. 2. Cap. 9. &c.

IN hoc Capite & ſequentibus, ſecundum Apoſtoli argumentum, quô Legi *Moſaicæ* Juſtificationem detrahit, ab infirmitate ejuſdem Legis, ad hominem à peccati dominio liberandum, deſumptum, fusè explico. Huic autem univerſæ diſputationi meæ tu (in Notis ad finem capitis undecimi *Diſſertationis* poſterioris, quas methodi commodioris gratiâ hîc examinandas cenſui) ſequentia opponis : " Tu verò jam poſt " excurſiones ad rem redis, & quæris ra- " tionem, ob quam *Paulus* opera, & quæ " opera, ſecluſerit à Juſtificatione. Statuis, " ob defectum Legis ad ſanctificationem in- " validæ, *Paulum* Opera, in ſtatu naturæ ſi- " ne Gratia Evangelii, Legis ſive *Moſaicæ*, " ſive naturalis ope debili, & naturalium " virium præſumptione peracta, excludere. " Hæc eſt Summa *Diſſertationis* tuæ. His " hæc oppono conſideranda. 1. Phantaſma " tuum de Legis defectu in *Paulo* ad *Roma- " nos* nuſquam apparet. 2. Impotentia ſan- " ctificandi aliud eſt ab impotentia juſtifi- " candi peccatorem in conſpectu Dei. 3. " *Paulus* non palum erigit, cum quo ad in- " genii lacertos exercendos conſligat ; ſed " cum adverſariis Juſtitiæ Dei manus con- " ſerit. *Judæi* verò Phariſaico tumore in- " flati Juſtitiam quærebant ex Legis obſer- " vantiâ, in qua præſtanda ſe Dei Gratiâ " fuiſſe adjutos autumabant, uti Phariſæus, " qui Deo gratias egit ob ſuam Virtutem & " bona Opera, *Luc*, 18. 11, 12. Nemo con- " tendit, ſe juſtificari poſſe ex Operibus abſ- " que Gratia Dei præſtitis. *Ethnici* ſapue- " re, qui dixere : χαρὶς δαίμονος ἐδεὶς " ἀγαθὸς. 4. *Paulus* loquitur de *Abra- " hamo*, *Davide*, & ſervis Dei omnibus, qui " Dei miſericordiâ per Chriſtum juſtifican- " tur, quibuſque Deus Juſtitiam imputat " abſque Operibus, *Rom.* 4. 6. Certè Apo- " ſtolus illa Opera, etiam bona, excludit, " quæ fideles præſtant. Neque enim in " quæſtionem potuit adduci, utrùm homo " ex Operibus malis, aut indifferentibus, ju- " ſtificetur.

RESPON-

RESPONSIO ad Animadverſionem XX.

§. 1. Priuſquam ad ratiunculas tuas ſigillatim reſpondeam, iterum monendus eſt Lector, me in *Harmonia* ſatis apertè diſtinxiſſe inter Opera, quæ *Paulus* κατὰ τι *ſecundùm quid*, & quæ ἁπλῶς *ſimpliciter* excludit à Juſtificatione. Κατὰ τι excludit Opera bona omnia univerſim; nempe hactenus, ut neget, quenquam optimis ſuis Operibus juſtificari poſſe per aliam Legem, quàm per eam, quæ in Sanguine & Sacrificio Chriſti meritorio fundetur. Hoc in explicatione primi argumenti Apoſtolici ſatis luculenter oſtendi. Ἁπλῶς verò à Juſtificatione ejuſmodi tantùm Opera rejicit *Paulus*, quæ vel Ritualia ſunt, vel etiam Moralia, ſolâ vi Legis *Moſaicæ*, (nedum naturalis) præſtita : h. e. externam & carnalem illam Juſtitiam, quæ Legis & Fœderis Sinaitici literam non excederet, omnino repudiavit Apoſtolus ; utpote quæ ad Juſtificationem, ſive acceptationem hominis ad Salutem, apud Deum nequaquam ſufficeret. Illud in elucidatione ſecundi argumenti Apoſtoli fuſiùs demonſtravi. Breviter : Quæritur de cauſa Juſtificationis noſtræ meritoriâ ? Hanc in ἀπολυτρώσει, & Satisfactione Chriſti Servatoris noſtri ſolâ ſtatuit Apoſtolus, excluſis quibuſviſcunque noſtris Operibus. Atque hic ſcopus eſt argumenti Apoſtolici prioris. Quæritur de cauſa Juſtificationis noſtræ ſine qua non, ſive de conditione ex parte noſtra requiſitâ ? Hîc *Paulus* non omnia univerſim Opera à Juſtificatione ſecludit, ſed vel Opera Legis Ritualia, vel etiam Moralia externa, quæ ſine ſpeciali Gratia Evangelii & Spiritu Chriſti præſtari poterant. Atque ad hanc lineam dirigitur argumentum Apoſtoli alterum, quod in hoc Capite nono *Diſſertationis* poſterioris, & ſequentibus explicavi. Iſta viſum eſt hîc repetere, quia abundans cautela (ut ipſe alicubi monuiſti) non nocet, imò planè neceſſaria eſt ad propoſitum meum, cui cum adverſario tam iniquo, atque à candore Chriſtiano prorſus alieno, (omnia mea in pejus diſtorquente) lis interceſſerit.

Vid. Harmon. Apoſt. Diſſert. 2. c. 7. Sect. 2, 3. & cap. 12. Sect. 2.

§. 2. His verò præmiſſis, ad argumenta venio, quibus Diſputationem noſtram in Capitibus 9, 10, 11, 12, 13. *Diſſertationis* poſterioris oppugnas. In aciem prodeat primum argumentum : *Phantaſma tuum*, inquis, *de Legis defectu in* Paulo *ad Romanos nuſquam apparet*. Reſpondeo : Si quæ in Capitibus quinque integris de Legis *Moſaicæ* juxta literam ſpectatæ impotentia ad ſalutiferam pietatem hominibus ingenerandam, fusè diſſerui, & luculentiſſimis *Pauli* teſtimoniis adſtruxi ; ſi, inquam, iſta omnia mera ſint ſomniantis cerebelli mei phantaſmata, quæ apud *Paulum* ne appareant quidem uſquam, tum deſperabo in poſterum, me quicquam explorati proferre in medium poſſe : ſtatuerim (ſi *Pyrrhonis* Schola quicquam ratum, ſtatutum, aut fixum admitteret) Scepticos omnium mortalium fuiſſe ſapientiſſimos, atque in rebus humanis nihil certi reperiri. Legat æquus quivis Arbiter Capita iſta quinque ſeriò, attentè, & ſine partium ſtudio, & judicet tandem, an ego phantaſmate illudar, an Cenſor potiùs noſter impudentiæ litet.

§. 3. Succedit altera tua ratio : *Impotentia*, inquis, *ſanctificandi aliud eſt ab impotentia juſtificandi peccatorem in conſpectu Dei*. Fateor. Verumtamen iſta duo ita inter ſe connexa ſunt, ut alterum ab altero divelli nequeat : Ideoq; Lex iſta, quæ ad Sanctificationem, h. e. liberationem hominis à peccati dominio, non valet, neque ad Juſtificationem valebit: ut fruſtra ſis, qui toties in hac *Cenſura* mihi objicias, quòd Juſtificationem cum Sanctificatione confundam. Nunquam id feci, aut facturus ſum. Nihilominus conſtanter affirmo, Juſtificationem ex ordinatione divina præſupponere Sanctificationem, ſaltem primam & imperfectiorem. Quippe Deus, etiamſi propter Chriſtum juſtificet impium, (*Rom.* 4. v. 5.) h. e. qui cùm talis aliquando fuerit, tamen per Fidem & veram Reſipiſcentiam talis eſſe deſiit, nihilominus nunquam juſtificare poterit impium, (*Exod.* 34. v. 7.) h. e. in impietate ſua adhuc manentem. Breviter : Juſtitiæ & Sanctitati divinæ repugnat (ut jam alicubi diximus) cuiquam peccata remittere, adeoque jus ad vitam cœleſtem donare, qui non à vitiis purgetur, quin & θείας φύσεως κοινωνὸς quodammodo fiat. Rectè igitur & ſapientiſſimè Apoſtolus, de Lege *Moſis* diſputans, ab impotentia ſanctificandi ad juſtificandi impotentiam concludit. Miror hæc à quopiam in dubium vocari, qui obſervaverit, *Paulum* in ipſo contextu diſputationis, quâ ex Lege *Moſis* neminem juſtificari contendit, tam multa de iſta impotentia ejuſdem Legis inſeruiſſe. Quid ? An graviſſimus & Θεόπνευς Apoſtolus ſermonem ἀπροσδιόνυσον inſtituit, aut neſcivit, quid ad cauſam ſuam pertineret ?

§. 4.

§. 4. Ad tertium argumentum tum venio. *Paulus*, inquis, *non palum erigit*, &c. Cùm hoc argumentum legerem, prorsus obstupui. Nunquam credidissem (nisi tu prodigiosô exemplô fidem ejus rei fecisses) tantum potuisse studium partium. Scil. ut ego heterodoxus videar, totus mundus in quæstione de necessitate Gratiæ orthodoxus fiet. Pharisæi, Judæorum superbissimi, de Gratiæ necessitate rectissimè senserunt ; imò ipsi *Ethnici*, quod ad quæstionem istam attinet, satis sapuere : ideoque frustra fuisset *Paulus*, & cum umbra sua dimicâsset, si Opera ex naturæ viribus sine Gratia Dei præstita oppugnâsset. An fidem tibi ipsi habuisti, cùm lepidam hanc fabulam narrares ? Equidem vix credo. Nescire non poteras, me Capite 15. *Dissertationis* posterioris ex Scripturis, *Josepho*, & Rabbinis, clarè & prolixè demonstrasse, universos Judæorum Magistros profundâ & crassissimâ Gratiæ ignorantiâ laborâsse : Sadducæis statuentibus absolutam arbitrii ἀυτεξσίαν· Pharisæis fato & astris divinæ Gratiæ honorem deferentibus. Nescire non poteras me ejusdem Capitis §. 19. ad objectionem tuam de Pharisaica gratiarum actione ex professo respondisse. Hinc ad calcem Capitis istius ita ipse scribis : Paulus *fuit strenuus Gratiæ divinæ, adversùs tumidas de naturæ viribus & operibus in regeneratione quicquam valentibus opiniones, vindex. Sed in lite, quam de Justificatione in Epistola ad* Romanos *instituit & componit, de Gratiæ sanctificantis efficacia ex professo non agit. Dissertatio igitur hæc, eruditionis licèt eximiæ prægnans, nihil tamen lucis confert ad controversiæ statum & determinationem.* Ubi non obscurè fateris, vera esse quæ in Capite isto differui, sed tamen ἀπροσδιόνυσα. Præterea, si *Paulus* fuit strenuus Gratiæ divinæ, adversùs tumidas de naturæ viribus opiniones, vindex, tum fuere, qui tumidas istas opiniones animô conceperant, aut Apostolus palum sibi erexit quocum confligeret. Quinam verò isti ? An *Judæi ?* negas. *Ethnici ?* neque id quidem fateberis. Verùm ad istum modum variare solent (ut verè dixit olim Vir magnus,) qui non ex verô sermonem depromunt, sed ex arte loqvuntur omnia.

§. 5. Ad quartum atque ultimum tuum argumentum, de *Abrahamo* & *Davide*, sæpiùs Lectorem cogor monere, me prolixam responsionem reddidisse *Harm. Apost. Dissert.* poster. *cap.* 12. §. 14, 15. & seq. Itidem Appendicem hujus argumenti, nempe, in quæstionem adduci non potuisse, utrùm homo ex Operibus malis, aut indifferentibus, justificetur, ineptum esse cavillum, clarè ostendi ejusdem Capitis §. 13.

ANIMADVERSIO XXI.

Ad Dissert. poster. Cap. 10. Sect. 3. p. 209.

IN hoc Capite argumentum Apostoli ab infirmitate Legis ductum enucleatiùs expositurus, observo, Legem veterem duplicis Gratiæ auxiliaris defectu laborâsse, nempe tum externæ, sive Promissi Vitæ æternæ, tum internæ, sive doni Spiritûs Sancti. Ad prius quod attinet, affirmo, non exiguum fuisse impotentiæ Legis indicium, quòd promissiones ejus & comminationes, in quibus vis Legis cujuscunque sita est, non fuerint nisi temporales ac terrenæ. Quod postquam paucis explicaveram, in hæc verba periodum concludo : *Non potuit igitur Lex* Mosis, *quæ nihil ultra hanc vitam boni promiserit, studium virtutis ardens, constans, indefessum, in hominibus efficere.* Ad hæc tu : *Quàm propè abest à blasphemia hæc Legis* Mosaicæ *derogatio, quæ Christi verbis in parabola de epulone dissertè adversatur* Luc. 16. 29. *& alibi expressis.* Vide Joh. 5. 39. *Hoc ex* Socini *lacunis hauris.* Mosen *non magis quàm* Sadducæi, *quos Scripturæ imperitos Christus redarguit, intelligis. Lex* Mosis *multò plus, quàm Fœdus de* Canaanis *possessione in pace, complexa fuit & docuit.*

RESPONSIO ad Animadverſionem XXI.

§. 1. Optârim tui causâ, ut bilis hîc tibi mitiùs efferbuiſſet. Certè enim ultra omnes veritatis, candoris, & modeſtiæ Chriſtianæ limites te abripuit, ſive Zelus tuus ὲ κατ' ἐπίγνωσιν, ſive Hypotheſin tuam temerè conceptam defendendi ſtudium immoderatum. Ais, dogma hoc meum è *Socini* (impuriſſimi Hæreſiarchæ) lacunis hauſtum ; me veteris Scripturæ haud magis peritum eſſe, quàm fuere ipſi *Sadducæi* ; denique, ſententiam hanc meam ad blaſphemiam proximè accedere. Grave profectò crimen meum, ſi hæc vera ſint ; ſed & gravis calumnia tua, ſi falſa. Utinam verò tu tam facilè à λοιδορίας crimine temet liberare potueris, quàm ego Hypotheſin meam ab invidia, quâ ipſam onerasti, vindicare poſſum.

§. 2. Ut res tota clariùs eluceſcat, moneo Lectorem, me in hoc ipſo Libri mei Capite cautè & ſollicitè explicâſſe, quô ſenſu affirmem, Vitam æternam in V. T. non promitti. Primùm diſertè profiteor, me Vetus Teſtamentum intelligere cum Apoſtolo (*Gal.* 4. v. 24.) propriè Fœdus in Monte *Sinai*, mediatore *Moſe*, cum Iſraelitis ſancitum, ut diſtinguitur à V. T. latiùs ſumpto, quatenus omnia comprehendit, quæ in *Moſe*, Hagiographis ac Prophetis continentur. Imò hanc Legis diſtinctionem, quam ab *Auguſtino* edidici, Lectori, ut apprimè obſervandam, expreſsè propono. Deinde dico, pactum Sinaiticum bifariam ſpectari poſſe, carnaliter & ſpiritualiter : carnaliter quidem, quà inſtrumentum erat carnali populo ordinatum ad temporale bonum ; ſpiritualiter autem, quatenus Spiritu Dei præditis, ſub carnalium rerum typis, cœleſtia promittebat. Hinc verum eſſe agnoſco, tum terrena illa promiſſa, data Legi Operum, ſigna fuiſſe eorum bonorum, quæ Legem Spiritûs ſequebantur, atque hæc ſub illis Dei ipſius intentione fuiſſe comprehenſa ; tum extare quædam in ipſa Lege promiſſa generalia, ſeu generalibus terminis facta, in quibus Vitam æternam non tantùm contineri poſſe, ſed & intentione divinâ contentam fuiſſe, manifeſtum ſit. Hæc colligo ex interpretatione ipſius Chriſti ejuſque Apoſtolorum, *Mat.* 22. 31, 32. *Heb.* 11. 16. &c. Summam rei ita paucis complector : *Verbô dicam : Lex carnaliter & ſecundùm literam ſpectata, nec ſpiritualem Juſtitiam exegit, nec Vitam æternam promiſit ; ſpiritualiter verò conſiderata erat ipſiſſimum Evangelium : nec de ea, hôc modô ſumptâ, controverſiam hîc ullam movet Apoſtolus.* Denique non diffiteor, quin meliores & perſpicaciores in populo *Judaico*, multis rationibus (quas hujus Capitis §. 9. enumero) adducti, crediderint, Deum, præter ſpecialia illa bona ad hanc vitam pertinentia, & Legibus *Moſaicis* expreſsè promiſſa, etiam alia poſt mortem cultoribus ſuis fidis largiri velle. Imò illud omnino ſtatuendum eſſe dico, ne viros ſanctos eximioſque in populo Dei ſuûm inſtar tum vixiſſe, tum devixiſſe credatur. Addo, (§. 10.) Prophetas, qui ſingulis ſæculis in populo Dei floruerunt, obtecta futuræ Vitæ in Lege myſteria etiam plebi, pro captu ipſorum, evolviſſe.

Harmon. Apoſtol. Diſſertat. poſter. c. 10. *Sect.* 8. *p.*216.

§. 3. Ut hinc appareat, te vel oſcitanter prorſus legiſſe Librum meum, vel ſpretâ conſcientiâ *Animadverſiones* in ipſum ſcripſiſſe, qui aliquoties contrariam mihi ſententiam affingas. Sic in Notis ad libri mei p. 213. mecum, ſeu potiùs cum umbra tua, dimicaturus, ita diſputas : *Lex verò* Moſaica *Evangelium in Lege Ceremoniali velatum geſſit. Populum ſuum Deus etiam in V. T. ſpiritualem docuit & popoſcit Juſtitiam ; & promiſſa Patriarchis facta Lex* Moſaica *non abrogavit. Fides igitur illa, quâ* Noachus, & Abraham, & *cæteri Dei ſervi promiſſorum hæredes fuere, etiam ſub Lege viguit.* Concedo totum, & in Libro, quem hâc *Cenſurâ* tuâ ſollicitâſti, totum illud me conceſſiſſe, diſertis verbis ſæpiùs profeſſus ſum. Itidem in Notis ad p. 215. mihi ex loco celebri Epiſtolæ ad *Heb. cap.* 7. *v.* 19. oſtendenti, ſpem melioris Vitæ, quâ Deo appropinquamus, Fœdere *Sinaitico*, nempe ſecundùm literam accepto, non niti, ſed Evangeliô, antea quidem obſcuriùs revelatô, poſtea verò pleniùs introductô, ſic occurris : *Cui ſobrio Lectori perſuaſeris, neminem ad Deum ſub V. T. appropinquâſſe, & Deum per Chriſtum inveniſſe propitium ?* Rogo à te viciſſim, quis ſobrius exiſtimaverit, me illud cuiquam perſuaſum voluiſſe ?

§. 4. Ut itaque ad propoſitum redeam, cùm affirmo, Vitam æternam in V. T. non eſſe promiſſam, hoc volo : promiſſum ejuſdem vitæ in pacto *Sinaitico* juxta literam non contineri, neque externæ illi, atque ad literam Legis exactæ Juſtitiæ factum eſſe : quicquid verò boni ſpiritualis atque æterni in verbis iſtius Fœderis, Dei intentione, occultò ac ſecretè comprehenſum fuerit, illud totum ad Novum Teſtamentum, ſive Evangelium pertinuiſſe, ſub Veteri iſto velatum atque

atque adumbratum. Jam si hoc sit *Sociniſmus*, *Sadducæiſmus*, aut blaſphemia, tum (horreo blaſphemiam referens) *Sociniſmum*, *Sadducæiſmum*, blaſphemiam nobis propinârunt multis in locis ipſi Scriptores Θεόπνευστοι N. T. ut in *Examine Animadv.* 19. jam fusè oſtendi: tum quoque *Sociniſtæ*, *Sadducæi*, blaſphemi fuere Veteres Scriptores in Eccleſia probatiſſimi, qui nobis in hac ſententia, veluti factâ catervâ, præiverunt. Vide *Gerardi J. Voſſii* Reſp. ad Judicium *Ravenſpergeri* cap. 23. per totum. Ibi Vir clariſſimus ingentem teſtimoniorum acervum congeſſit ex Veteribus, imprimis ex *Auguſtino*, quæ hanc ſententiam noſtram & confirment, & egregiè explicent.

§. 5. Imò apparet, ſententiam iſtam, quam tu tam indignis modis infamâſti, fuiſſe Catholicorum omnium, ætate quâ floruit *Auguſtinus*, commune placitum. Sic enim ille *Tom.* 6. l. 4. contra *Fauſtum Manichæum*, *cap.* 11. *Temporalium quidem rerum promiſſiones Teſtamento Veteri contineri, & ideo Vetus Teſtamentum appellari, nemo noſtrûm ambigit, & quòd æternæ vitæ promiſſio ad Novum Teſtamentum pertinet.* Quid quòd Hypotheſis tua noſtræ contraria, nempe, Vitam æternam in Veteri Teſtamento, quà tali, repromitti, à Catholicis ætate *Auguſtini*, ut erronea, ſi non hæretica, in *Pelagio* damnata fuit? Hoc tibi (nullus dubito) permirum videbitur; ſed crede tuis oculis. *Auguſtinus* T. 7. de Geſtis *Palæſtinis cap.* 5. narrat, à Catholicis in Synodo *Dioſpolitana* objectum fuiſſe *Pelagio*, quòd Scriptis docuerit, *Regnum cœlorum etiam in V. T. promiſſum*; *Pelagium* verò ſe purgâſſe coram Synodo haud bonâ fide: ſcil. teſtimonia protuliſſe non quidem ex Veteri Teſtamento propriè & ſtrictè ſic dicto, nempe ex verbis Fœderis *Sinaitici* deſumpta, ſed quæ in Veteris Teſtamenti, laxiori ſenſu accepti, Scriptis habebantur. Hanc fraudem detexit *Auguſtinus* ibidem his verbis: *Recitatum eſt aliud, quod in ſuo libello ſcripſit: Regnum cœlorum etiam in Veteri Teſtamento promiſſum. Ad quod* Pelagius: *Hoc & per Scripturas probari poſſibile eſt; Hæretici autem in injuriam Veteris Teſtamenti hoc negant. Ego verò Scripturarum auctoritatem ſecutus dixi, quoniam in Propheta* Daniele *ſcriptum eſt: Et accipient Sancti Regnum altiſſimi. Quâ ejus acceptâ reſponſione, Synodus dixit: Neque hoc alienum eſt à Fide Eccleſiaſtica. Nunquid ergo fratres noſtros, ut etiam hoc inter cætera objicerent, ſine cauſa verba iſta moverunt? Non utique; ſed Veteris Teſtamenti nomen modis duobus dici ſolet: unô modô ſecundùm divinarum Scripturarum auctoritatem; aliô ſecundùm loquendi vulgariſſimam conſuetudinem.* Paulus *namque Apoſtolus dixit ad* Galatas: *Dicite mihi*, inquit, *ſub Lege volentes eſſe, Legem non audîſtis? Scriptum eſt enim, quòd* Abraham *duos filios habuit, unum de ancilla, alterum de libera, quæ ſunt allegoria. Hæc enim duo ſunt Teſtamenta, unum quidem in ſervitute generans, quod eſt* Agar: Sina *mons eſt in* Arabia, *quæ conjuncta eſt ei, quæ nunc eſt* Jeruſalem, *ſerviens cum filiis ſuis: quæ autem ſurſum eſt* Jeruſalem, *libera eſt, quæ eſt mater noſtra. Cùm ergo Vetus Teſtamentum ad ſervitutem pertineat; unde etiam dictum eſt: Ejice ancillam & filium ejus, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo* Iſaac; *Regnum autem cœlorum ad libertatem: quomodo etiam Regnum cœlorum ad Vetus pertinet Teſtamentum? Sed quoniam, ut dixi, etiam ſic ſolemus loqui, ut Scripturas omnes Legis & Prophetarum, quæ ante Incarnationem Domini, miniſtrante auctoritate Canonicâ, continentur, nomine Teſtamenti Veteris nuncupemus; quis Eccleſiaſticis literis vel mediocriter eruditus ignorat, ita Scripturis illis promitti potuiſſe Regnum cœlorum, ſicut etiam illud Teſtamentum Novum, ad quod pertinet Regnum cœlorum?* Refert quoque idem *Auguſtinus* ejuſdem libri *cap.* 11. *Pelagium* coactum fuiſſe à Synodi Patribus inter cætera hoc quoque dogma ſuum in terminis damnare, ne ipſe ſcil. damnaretur. En ipſa verba *Auguſtini*: *Videmus igitur & tenemus, non ſolùm à* Pelagio, *verùm etiam à S. Epiſcopis, qui illi judicio præſidebant, mala pernicioſiſſima hujus hæreſis eſſe damnata:* Adam mortalem factum; *quod ut plenius exponeretur quomodo dictum ſit, additum eſt:* Qui ſive peccaret, ſive non peccaret, moriturus eſſet: quòd peccatum ejus ipſum ſolum læſerit, & non genus humanum: Quod Lex ſic mittat ad Regnum, quemadmodum & Evangelium.

§. 6. Neque mirum videri cuiquam debet, Catholicos Doctores illud *Pelagii* placitum, ſcil. *In Veteri Lege, quatenus ab Evangelio diſtinguitur, Vitam æternam promitti,* * acriùs impugnâſſe: cùm id dogma apertum bellum indicat duobus Chriſtianæ Fidei notiſſimis principiis, (ſuprà à nobis in Examine *Animadverſionis* 17. *Theſ.* primâ & quartâ expoſitis:) nempe, 1. Fœdus vitæ cum *Adamo* initum in ſtatu integro, per ipſius peccatum irritum fuiſſe non modo ipſi, ſed & poſteris

* *Viderit itaque* D. Trumannus, *quomodo de eo ſe purgaturus ſit, quòd hoc ipſum* Pelagii *dogma* γνμνῇ κεφαλῇ *defendere auſus fuerit.*

ris ipſius ; ut jam omnes *Adæ* filii, quà tales, ſint filii mortis, h. e. à promiſſo omni vitæ immortalis penitus excluſi. 2. Nullum unquam æternæ vitæ Fœdus cum lapſi *Adami* poſteris iniviſſe Deum, quod non in Chriſto Servatore noſtro confirmatum ac ſancitum fuerit, proinde ipſiſſimum fuerit Evangelium. Inde etiam inferebat *Pelagius*, poſſe hominem ex quacunque Lege, etiam naturæ, vitam aſſequi cœleſtem atque æternam. Sed è diverticulo in viam.

§. 7. Iſtis *Auguſtini* lucem non exiguam afferet locus *Hieronymi* lib. 1. adverſ. *Pelag.* ubi *Critobulum* (qui *Pelagii* perſonam ubique in iſtis Dialogis ſuſtinet) ſic affatur : " Addis præterea, Regnum cœlorum etiam " in Teſtamento Veteri repromitti ; po- " niſque teſtimonia de Apocryphis : cùm " perſpicuum ſit, Regnum cœlorum pri- " mùm in Evangelio prædicari per Johan- " nem Baptiſtam, & Dominum Salvatorem, " & Apoſtolos. Lege Evangelia, *&c.* Tu " autem nos *Manichæos* vocas, quòd Legi " Evangelium præferentes, in illâ umbram, " in hôc veritatem eſſe dicamus ; & non " intelligis ſtultitiam tuam impudentiæ co- " pulatam. Aliud eſt damnare Legem, " quod *Manichæus* facit; aliud Legi præfer- " re Evangelium, quæ *Apoſtolica* doctri- " na eſt, *&c.* " In hoc illuſtri teſtimonio, præterquam quòd ex eo apertiſſimè conſtat, ſententiam noſtræ contrariam olim à Catholicis in *Pelagio* damnatam fuiſſe, duo alia apprimè notanda : 1°. *Pelagium* aſſertionis ſuæ probationem non aliunde fere petiiſſe, quàm ex Scriptis V. T. Apocryphis : quæ cùm exarata fuerint diu poſt exilium *Babylonicum*, quô tempore doctrina de futura Vita (uti alicubi in *Harmonia* obſervavimus) clariùs innotuit ; nihil mirum, ſi in iis ea doctrina diſertiſſimis verbis conſignata reperiatur. 2°. Hæreſiarcham Catholicis ſuæ ætatis, propterea quòd docerent Regnum cœlorum in V. T. non promitti, *Manichæiſmum* exprobrâſſe; quaſi ſcil. cùm blaſphemo illo Doctore Legem Dei per *Moſen* datam indigniſſimè infamâſſent. Tu igitur videris, mi Cenſor, annon *Pelagianæ* culpæ affinis ſis, qui mihi, hanc ipſiſſimam Catholicorum doctrinam adſerenti, hæreſis adeoque blaſphemiæ notam inurere non ſis veritus. *Diſſert. poſter. cap.* 10. *Sect.* 11. 12.

§. 8. Diſcat verò tuô exemplô Lector cordatus, quàm malè ſibi conſulant, qui *Syſtematicorum* & *Neotericorum* Scriptis operam ſuam ſtudiumque penè omne impendunt, vel prorſus neglectis, vel perfunctoriè tantùm lectis, Veterum monumentis. Nimirum præter alia ſatis gravia incommoda, illud ipſis plerumque accidit, ut Catholica ſubinde Dogmata pro hæreticis repudient ; exploſa verò Hæreticorum deliria, tanquam Oracula divina ſuſpiciant atque exoſculentur. Itaque, Juvenes, ſi à Theologaſtris iſtis decipi non vultis, poſt Sacro-ſanctas Scripturas

——Vos exemplaria Patrum
Nocturnâ verſate manu, verſate diurnâ.

ANIMADVERSIO XXII.

Ad Diſſert. 2. Cap. 10. Sect. 4. p. 210.

HIC dico, *Legem* Moſis, *eô ipſô quòd promiſſa & minas tantùm temporales contineret, ad ingenerandum hominibus genium atque ingenium humile ac ſordidum, atque à vera ac genuina pietate planè alienum, aptam natam fuiſſe*, &c. Quæ tu hâc acri nimis *Cenſurâ* perſtringis : " Cohibe, obſecro, linguæ petulantiam, ad- " verſùs Dei ſapientem œconomiam blate- " rantis. Annon *Moſes* per totum penè " *Deuteronomium* hiſce argumentis populum " excitat & flectit ad fidem, metum, amo- " rem, & obſequium Dei ? Num beneficia " divina non apta ſunt animum ad Deum " erigere ? Annon *Moſes*, ſive Dominus ip- " ſe in *Moſis* Lege, proſpexit Religioni, & " cavit adversùs hanc ingratitudinem ? Sed " Deum convitiis petis, quando Legem, à " Deo ad pietatem pariendum inſtitutam, " id efficere non potuiſſe, temerè aſſeris. " Legem puram & ſanctam calumniis one- " ras, quaſi ipſa eſſet avaritiæ & intempe- " rantiæ nutrix. Putidus certè eſt fons, " unde hæc ſcaturiit corrupta & inſalubris " commu-

" communicatio. Ex *Davidis* de Lege Dei, " per *Moſen* datâ, judicio meliori, quod " legendum proſtat *Pſal.* 19. 7, 8. corri- " ge tuum. "

RESPONSIO ad Animadverſionem XXII.

§. 1. Bona quæſo verba, O nove *Ariſtarche*! Cohibe iram, ſeu potiùs furorem tuum, & judiciô tranquillô ac ſedatô perpende, annon hoc convitiorum plauſtrum, quod in me jam ſatis afflictum & contritum homuncionem exonerâſti, tandem in ſanctiſſimos Eccleſiæ Patres, adeoque in ipſos Scriptores Θεοπνεύςες, recidat. Loquor de Lege ſive Pacto *Sinaitico* carnaliter & juxtà literam accepto, & quatenus nihil ultra hæc carnalia ac terrena bona promiſit. Dico, Legem iſtam, eô modô ſpectatam, ad ingenerandum hominibus ingenium humile ac ſordidum, atque à vera ac genuina pietate planè alienum, aptam natam fuiſſe. Quis ſanus illud in dubium vocaverit? Quippe rei ipſius evidentia verum eſſe, quod dico, clamat. Te enim appello, cùm apud te ſis; cùm vera & genuina pietas in abnegatione noſtrî, in hujus vitæ contemptu, in animo ad futuram ac meliorem vitam anhelante, imprimis conſiſtat, fierine potuit, ut pietatem illam in homine efficeret Lex *Moſis*, carnaliter & juxta literam ſpectata, quatenus nihil boni ultra hanc vitam promiſit?

§. 2. Si verò qui hoc dixerit, linguâ petulanti adversùs Dei ſapientem œconomiam blaterâſſe, Deum ipſum convitiis petiiſſe, *&c.* cenſendus ſit, quid tandem (ut cæteros Patres non commemorem) de *Auguſtino* ipſo fiet? Sic enim ille *Tom.* 6. contra adverſarium Legis & Prophetarum lib. 11. c. 117. " Quamvis in Veteri Teſtamen- " to propter temporalium bonorum pro- " miſſionem, malorumque comminationem, " ſervos pariat temporalis *Hieruſalem*; in " Novo autem, ubi Fides imperat Chari- " tatem, quâ Lex poſſit impleri, non ma- " gis timore pœnæ, quàm dilectione Juſti- " tiæ liberos pariat æterna *Hieruſalem*: ta- " men & illis temporibus fuerunt juſti ſpi- " rituales, quos non occidebat litera jubens, " ſed vivificabat Spiritus juvans." Idem T. 7. contra *Donatiſtas* cap. 15. " Ex ipſo ani- " mali ſenſu, quia homo animalis non per- " cipit quæ ſunt Spiritûs Dei, omnes diſ- " ſenſiones & ſchiſmata generantur. In " quo ſenſu perſeverantes, Apoſtolus dixit, " ad Vetus Teſtamentum pertinere, id eſt, " ad terrenorum promiſſorum cupiditatem: " in quibus quidem ſpiritualia ſignificantur, " ſed animalis homo non percipit quæ ſunt " Spiritûs Dei, *&c.* " Idem rurſus T. 4. Expoſ. ad *Gal.* c. 6. " Manifeſtum eſt, et- " iam illam Scripturam, quæ priori populo " data eſt, Legem Chriſti fuiſſe, quam ve- " nit implere Charitate, quæ non impleba- " tur timore. Eadem igitur Scriptura, cùm " bonis terrenis inhiantes premit ſervos, " Teſtamentum Vetus; cùm in bona æter- " na flagrantes erigit liberos, Teſtamentum " Novum vocatur. "

§. 3. Sed quid de Patribus loquor? Ipſe *Paulus* Apoſtolus (cujus authoritate ad ſomnia tua confirmanda ubique abuteris) idem nobiſcum apertè dicit. Is enim (*Gal.* 4. *v.* 24.) de Pacto *Sinaitico*, ut Evangelio opponitur, locutus, ait, Fœdus illud γεννᾶν εἰς δουλείαν, *generare in ſervitutem.* Quid autem eſt ſervitus illa? Audi Interpretem doctiſſimum: " Servitus autem, ad quam " filios ſuos generabat V. T. poſita erat par- " tim in importabili jugo præceptorum ce- " remonialium, cervicibus filiorum ejus " impoſitô: partim in affectu & timore ſer- " vili, quô iidem illi regebantur; quem " Apoſtolus vocat (*Rom.* 8. *v.* 15.) Spiritum " ſervitutis in timore. " Servitus itaque illa eſt imprimis ſervile ingenium, quô homines ſub V. T. conſtituti, & literæ ejuſdem inhærentes, non ex amore Juſtitiæ, tanquam filii, ſed ex ſpe boni & metu mali impendentis, tanquam ſervi & mercenarii, Deo obſequium præſtiterunt. Utcunque verò *Spiritum ſervitutis* interpreteris, illud certum eſt, Spiritum illum ab Apoſtolo *Spiritui adoptionis*, ſive liberali illi Deo ſerviendi rationi, quæ nobis Chriſtianis præſcribitur, opponi, ideoque in humile ac ſordidum illud ingenium (de quo diximus) à vera ac genuina pietate planè alienum tandem recidere. Dicitur autem à *Paulo* Fœdus *Sinaiticum* ad ejuſmodi *ſervitutem generare*, quia aptum natum erat per ſe, vi promiſſionum & comminationum ſuarum, tale hominibus ingenium indere.

§. 4. *Davidis* judicium in *Pſal.* 19. quod appellas, ad hanc cauſam non pertinet. Nam Lex Dei, quam Vir ſanctus tot elogiis ibi & paſſim alibi exornat, nequaquam ad Legem ſive Pactum *Sinaiticum* (de quo ſolo loquor) reſtringenda eſt; ſed (notante Vatablo ad *Pſal.* 1. v. 2.) tum Legem, tum omnes Veteris Scripturæ, ſuâ ætate ſcriptis conſignatæ, libros, qui ſunt Legis expoſitio, comprehendit. Ad hæc *David* (ſi quiſquam alius) myſteria in carnali Lege obte-

cta penitiùs intellexit, atque inter primos fuit ſpiritualium, *qui* (ut *Auguſtinum* modò dicentem audivimus) *in Sacramentis V. T. viventes, ad N. T. quod tum occultabatur, occultè pertinerent.* Ut verba, quibus olim antiquiſſimus Pater & Martyr *Juſtinus, Judæorum* in Scripturis veteris Inſtrumenti interpretandis imperitiam perſtrinxit, aptè hîc in te tuoſque quadrent: Ὑμεῖς δὲ ἀπὸ τῶν δυνάμεων λέξεων ἑαυτοὺς ἐξαπατᾶτε. ὅπου γὰρ ὁ νόμῳ τῷ Κυρίου ἄμωμος εἴρηται, οὐχὶ τὸν μετ' ἐκεῖνον μέλλοντα, ἀλλὰ τὸν διὰ Μωυσέως ἐξηγεῖσθε τῷ Θεῷ βοῶντι, καινὸν νόμον καὶ καινὴν διαθήκην διαθήσεσθαι. i. e. "Vos autem æqui- "vocis dictionibus in errorem voſmetipſos "inducitis. Nam ubi Lex Domini irrepre- "henſibilis dicitur, non eam quæ poſt il- "lam futura erat, ſed per *Moſen* latam Le- "gem, ipſam exponitis; Deo vociferante, "novam ſe Legem, & novum Teſtamen- "tum conditurum." *Dialog. cum* Tryphone. *p.* 251.

§. 5. Objici hîc poteſt: Si Lex *Sinaitica* ad ſervile illud ingenium hominibus ingenerandum apta nata fuit, annon Deo Legis iſtius Auctori imputandum erat, quòd *Judæorum* pars maxima ultra ingenium illud ſervile non aſſurgerent? Reſpondeo, abſit. Nam divinâ Providentiâ ſatis cautum fuit, ne in litera *Sinaiticæ* Legis Judæi hærerent. Curavit enim Deus, ut traditio de vita futura, à Patriarchis (ſive immediatè ab ipſo, ſive aliis rationibus, ut imprimis *Enochi*, tum Prophetiâ, *Judæ* 14. tum exemplô *Gen.* 5. 24. edoctis) derivata etiam ſub Lege vigeret, & Prophetarum concionibus, quos ſingulis ætatibus in populo ſuo ſuſcitavit, tum exponeretur, tum confirmaretur. Unde conſtat, animæ poſt interitum corporis ſubſiſtentiam ab antiquiſſimis *Judæorum*, qui poſt latam Legem *Moſaicam* vixere, creditam fuiſſe. Conſtat illud, inquam, (ut alia argumenta taceam) ex hiſtoria *Saulis Pythoniſſam* conſulentis ac petentis, ut colloquii cum *Samuele* jam emortuo ipſa copiam ſibi faceret: quod neutiquam feciſſet, niſi credidiſſet, defuncti Prophetæ animam tum ſuperſtitem fuiſſe. Certè νεκυία, omnium divinationum antiquiſſima, ſignum erat (uti rectè obſervavit Vir maximus) creditæ τῶν ψυχῶν διαμονῆς. * Quorſum verò maneret anima poſt mortem corporis, niſi vita ipſi, ſive miſera, ſive beata, pro ratione eorum quæ geſſerit in corpore, reſtaret? Juſtitiam quoque illam ſpiritualem, cui ſoli (non Juſtitiæ externæ & carnali, in litera Legis *Sinaiticæ* præſcriptæ) promiſſio vitæ immortalis facta fuit, *Judæis*, pro eorum temporum ratione, ſufficienter revelavit Dominus, tum per *Moſen* ipſum, tum imprimis per ſuccedentes Prophetas. Ipſe *Moſes* in concione *Moabitica*, ſive *Deuteronomio*, (quod *Moſis* Evangelium jure nuncupaveris) ſæpiùs *Iſraelitas* quaſi revocat ab externis, priùs datæ ab ipſo Legis, Ceremoniis, ad internam pietatem, à circumciſione carnis ad cordis circumciſionem: ac diſertim monet, cardinem ſalutis ipſorum in hôc uno præcepto verti, ut diligant Deum ex toto corde, *&c.* ad quod præceptum præſtandum etiam gratiam atque auxilium ipſis Dei nomine promittit. Vide imprimis *Deut.* 10. v. 12, 13, 14, 15, 16. & 30. v. 6. Idem fecere, & verbis clarioribus, qui *Moſem* ſecuti ſunt Prophetæ, ut videre eſt 1 *Sam.* 15. 22. *Pſal.* 50. à v. 7. ad v. 16. incluſ. & 51. v. 16, 17. *Eſa.* 1. à v. 10. ad v. 20. incluſ. *Jerem.* 7. v. 21, 22, 23. *Oſe.* 6. v. 6. *Mich.* 6. v. 6, 7, 8. & alibi paſſim. Itaque ἀναπολόγητοι erant *Judæi*, qui *Pauli* ætate in litera *Sinaiticæ Legis* hæſerunt; ſive Phariſæi ii fuerint, qui myſterium quidem in litera Promiſſi agnoſcentes, non ultra tamen literam præcepti ſapuerunt; ſive *Sadducæi*, qui tum promiſſa, tum præcepta Legis Moſaicæ juxta literam accepere. Sed hæc hactenus. *Vide Harm. Apoſtol. Diſſert. poſter. cap.* 11. *Sect.* 3.

§. 6. Quæ in *Diſſertatione* noſtra poſteriori ſequuntur, de argumentis Apoſtoli ad Legem *Moſis* ritualem pertinentibus, (*cap.* 14.) de *Judaicis* dogmatibus, (*cap.* 15, 16, 17.) quæque in operis Epilogo continentur, de quadruplici errore in hac de Juſtificatione controverſia ſedulò cavendô; ea fere tam plana ac facilia ſunt, (quanquam Cenſor noſter quædam etiam ex iſtis atro dente, ſed fruſtra, arroſerit) ut nullâ egeant defenſione. Unica tantùm Cenſoris *Animadverſio*, quæ ad Eccleſiæ *Anglicanæ* de hac controverſia judicium ſpectat, à nobis reſtat paucis expedienda.

* *Vid. Juſtini. M. Apolog.* 1 *p.* 34. *ſeq; noſtræ edit. aut p.* 65. *edit. Paris.*

ANIMADVERSIO XXIII.

Ad Differt. 2. Cap. 18. Sect. 6.

HIC in Epilogo Operis Lectorem seriò monens, ut à quadruplici errore, in hac de Justificatione maximi momenti controversia, sedulò sibi caveat, primò errorem impugno eorum, qui bonis hominum Operibus Meritum ex condigno attribuunt. Huic autem errori, sive hæresi potiùs, veluti præsens antidotum oppono Ecclesiæ nostræ definitionem his verbis: *Ab hoc potissimùm errore, de Merito bonorum operum in Justificationis negotio, cavere voluit filios suos sancta mater Ecclesia* Anglicana *in Articulo suo undecimo*, &c. Quæ tu verbis hisce asperioribus perstringis: *Miror equidem, quâ fronte tu Ecclesiæ nostratis Articulum laudaveris. Cui enim non conspicua est tua tum ἀθλεψία, tum ἀναίδεια; illa, quòd ad Solifidianismum (ut tu probrosè sententiam nostram indigitas) expressum spontè cæcutias; ista, quòd almæ matris judicium, partim sophismatis malè consarcinatis, partim convitiis indecoris, lacerare ausis.* Postea (nempe in margine pag. 340.) me appellas *impudentissimum Scripturæ Sacræ & doctrinæ Ecclesiasticæ interpolatorem.*

RESPONSIO ad Animadversionem XXIII.

§. 1. Agnosco te hîc, (ut alibi passim) Solifidianismô tuô, (non qualem Sancta Mater, Ecclesia *Anglicana*, docet, absit! sed) tuô, inquam, dignos fructus protulisse. Fiduciâ enim illâ tuâ justificatrici confisus, perinde ac si nulla tibi olim ad Tribunal Christi actionum aut verborum tuorum ratio reddenda esset, ac si tremendam illam Spiritûs Sancti jam latam sententiam, τὰς λοιδόρους, juxtà cum atrioris notæ peccatoribus, à Regno cœlorum prorsus alienos esse pronuntiantis, parùm curares, imò planè contemneres, fratrem tuum (quem vocas) ubique convitiis atrocissimis inverecundè proscindis & laceras, iræ tuæ, à me nunquam vel verbô lacessitæ, & calumniandi libidini fræna laxans, ipsamque adeo χολὴν πικρίας in hominem innoxium effundens. Sed Deum seriò venerans, ut tibi det mentem saniorem, rem ipsam aggredior.

§. 2. Ad Judices in hac causa competentes appello, quorum clementiam neque expeto, neque expecto: non jus, sed injuriam deprecor: neque ita malè mihi conscius sum, ut exquisitissimum doctrinæ meæ examen, modò iniqvum non sit, vel refugiam, vel reformidem. Si vera sint quæ dicis, si uspiam in *Dissertationibus* meis ex ἀναιδείᾳ de Ecclesiæ *Anglicanæ* judicio aliter quàm honorificè locutus sum, nedum si illud convitiis lacerare ausus fuerim; si vel S. Scripturæ, vel doctrinæ Ecclesiasticæ interpolatorem (tuo sensu) omnino, nedum impudentissimum, me præstiterim; liceat tibi (quod in Epilogo tuarum *Dissertationum* facis) ad venerandos Ecclesiæ nostræ *Antistites* provocare, atque obtestari ipsos, ut in me animadvertant. Eat in flammas, quas meruit, infælix liber; Auctor officiô suô (quô jam per quatuor fere annorum lustra, Deo adjuvante, haud prorsus ignaviter functus est) exauctoretur; adeoque è gremio charissimæ Matris, (cui in afflictissima ipsius fortuna constantissimè adhæsit) ut nothus ac spurius ejiciatur, atque anathema fiat. Vides, Lector, quanta sit mihi innocentiæ meæ fiducia; quàm verò non temerè concepta sit, modò cognosces.

§. 3. Accusat id me Censor, quòd judicium Ecclesiæ *Anglicanæ*, in Articulo undecimo traditum, malè consarcinatis Sophismatis, & indecoris convitiis lacerare, atque Ecclesiasticam doctrinam interpolare, h. e. (si sensum ipsius, non vocabuli proprietatem respicias) additamentis meis corrumpere ac depravare ausus fuerim. Unicô utar argumentô ad defensionem meam, eô verò tam clarô, tam evidente, ut instar multorum esse possit, atque Censori, ejusdem que farinæ cæteris

cæteris mei delatoribus, os in æternum obſtruere ſufficiat.

Quiſquis apertè, candidè ac ſincerè illum Articuli undecimi Eccleſiæ *Anglicanæ* ſenſum amplectitur ac profitetur, ſemperque amplexus ac profeſſus eſt, quem ipſa Eccleſia *Anglicana* ut unicum, genuinum ac germanum ejuſdem Articuli ſenſum ex profeſſo ac diſertis verbis tradidit, is judicium *Anglicanæ* Eccleſiæ eô in Articulô, malè conſarcinatis Sophiſmatis, aut indecoris convitiis lacerâſſe, *&c.* injuriâ, immeritò, imò immeritiſſimè arguitur: Atqui Author Libri, cui Titulus *Harmonia Apoſtolica*, &c. apertè, candidè ac ſincerè illum Articuli undecimi Eccleſiæ *Anglicanæ* ſenſum amplectitur ac profitetur, ſemperque amplexus ac profeſſus eſt, quem ipſa Eccleſia *Anglicana*, ut unicum, genuinum ac germanum ejuſdem Articuli ſenſum ex profeſſo ac diſertis verbis tradidit: Ergo, *&c.*

§. 4. Propoſitio manifeſtiſſimæ veritatis eſt. Ad Aſſumptionem verò quod attinet, recolenda hîc ſunt nonnulla, quæ ad calcem *Diſſertationum* mearum jam attuli. Verba Articuli undecimi hæc ſunt: *Tantùm propter Meritum Domini & Salvatoris noſtri per Fidem, non propter Opera & Merita noſtra, juſti coram Deo reputamur. Quare ſolâ Fide nos juſtificari, doctrina eſt ſaluberrima & conſolationis pleniſſima, ut in Homilia de Juſtificatione hominis fuſiùs explicatur.* Hîc autem obſervavi, è triginta novem Articulis Eccleſiæ *Anglicanæ*, triginta & octo nudè & ſine Explicatione ullâ proponi; hunc verò unum, de Juſtificatione ex ſola Fide, traditum eſſe non ſine hac cautione expreſſâ, ut fuſior ac plenior ejuſdem explicatio ex *Homilia de Juſtificatione hominis* petenda ſit. Quanquam igitur viri docti & graves permulti in Eccleſia noſtra non immeritò fortaſſe judicârunt, *Homiliarum* librum non eſſe per omnia paris authoritatis cum Articulis noſtris, ita ut contra ſententiam aliquam, aut Scripturæ interpretationem in iis traditam, ne hiſcere quidem aut mutire liceat; (quia ſcil. à privatis Doctoribus ſeorſim ſingulæ primùm confectæ, atque ad populi ejuſce ætatis genium accommodatæ fuerunt; & in Articulo 35. nihil aliud de eis decernitur, quàm quòd generatim *contineant piam & ſalutarem doctrinam, temporibus, quibus natæ ſunt, neceſſariam*) tamen quin ſenſus Articuli undecimi ad lineam & perpendiculum explicationis, in *Homilia de Salute hominis* traditæ, exigendus ſit, nemini dubium eſſe poteſt, niſi cui dedità operâ & contra Articuli ipſius verba clara ac diſerta cœcutire lubeat. Quin & hoc ipſum in Articulis *Edvardi* Sexti clariùs adhuc (ſi quid clariùs dici poterit) exprimitur. Namque in ea Confeſſionis noſtræ Editione (quæ prima fuit) Articulus de Juſtificatione hominis his pauciſſimis verbis totus continetur: *Juſtificatio ex ſola Fide Jeſu Chriſti, eô ſenſu (N. B.) quô in Homilia de Juſtificatione explicatur, eſt certiſſima & ſaluberrima Chriſtianorum doctrina.*

§. 5. Itaque illud unum reſtat inquirendum, quô ſenſu doctrina undecimi Articuli in *Homilia de Juſtificatione* ſive *Salute hominis* explicetur. Explicatio illa, à nobis in Epilogo *Diſſertationum* jam citata, & hîc denuo (ob Cenſoris pertinaciam) recenſenda, hiſce verbis clariſſimis concipitur: *Vera intelligentia hujus doctrinæ, Juſtificari nos gratis ex Fide abſque Operibus, vel, Juſtificari nos ex ſola Fide in Chriſtum, non eſt, hunc actum noſtrum, quô in Chriſtum credimus, ſive hanc Fidem in Chriſtum, quæ in nobis eſt, nos juſtificare, nobiſve Iuſtificationem noſtram mereri: (id nimirum idem eſſet, ac ſi affirmaremus, Iuſtificari nos actu aliquo, ſeu virtute, quæ in nobis ipſis eſt) verùm recta intelligentia ac ſenſus hujus doctrinæ hic eſt: quòd, etiamſi verbum divinum auſcultemus, eique fidem habeamus, quanquam præſtò in nobis ſint Fides, Spes, Charitas, Reverentia ac timor Dei, iiſque adjiciamus Opera quantacunque, Meritô tamem omnium harum Virtutum, Fidei, Spei, &c. omniumque bonorum Operum, quæ vel fecimus, vel in poſterum faciemus, vel facere poſſimus, renuntiandum nobis ſit, ut quæ longè imbecilliora atque imperfectiora ſint quàm ut Remiſſionem peccatorum noſtrorum ſive Iuſtificationem noſtram mereantur: ideoque fidendum nobis ſit ſoli Dei Miſericordiæ ac Sacrificio illi, quod ſemel pro nobis in Cruce obtulit ſummus Sacerdos noſter ac Servator Ieſus Chriſtus Dei Filius, ut eô ipſô* (Sacrificiô) *obtineamus Gratiam Dei ac Remiſſionem peccati noſtri, tum originalis in Baptiſmo, tum omnium actualium peccatorum, à nobis poſt Baptiſmum commiſſorum,* ſi modò *per veram ac non fictam Pœnitentiam ad ipſum revertamur.*

Homil. Tom. I. Homiliâ de Salute part. 2. p. 17.

§. 6. In hac Explicatione duo ſe ultro offerunt nobis obſervanda. 1. Eccleſiam, doctrinâ illâ ſua, *Iuſtificari nos ſolâ in Chriſtum Fide*, nihil aliud voluiſſe, quàm, meritoriam Juſtificationis noſtræ cauſam quod attinet, oportere nos quibuſcunque Virtutibus, ſive bonis Operibus noſtris, nuntium remittere, ac ſoli Divinæ Miſericordiæ ac Meritis Servatoris noſtri confidere. 2. Eccleſiam ita bono-

bonorum Operum meritum in Juſtificationis negotio rejicere, ut interea eorundem neceſſitatem ad Juſtificationem impetrandam ſatis apertè adſerat ; dum agnoſcit, veram ac non fictam pœnitentiam (quæ certè non modò bonum opus ipſa eſt,ſed & multas Virtutes & bona Opera complectitur) obtinendæ Remiſſionis peccatorum (quam Auctor *Homiliæ* in hac ipſa ἐκθέσει, & alibi paſſim, Juſtificationi ἰσοδυναμοῦσαν eſſe ſtatuit) conditionem eſſe prorſus neceſſariam. Jam verò de hac ἐκθέσει bis dicitur, hanc eſſe veram, hanc eſſe rectam intelligentiam hujus Articuli : *ſolâ Fide in Chriſtum juſtificamur.*

§. 7. Sed & apprimè notandum, quomodo huic ἐκθέσει præfetur *Homiliæ* Auctor : " Quanquàm, *inquit*, hæc doctrina, juſtificari nos gratis, abſque omni Merito bonorum Operum noſtrorum, (ut S. *Paulus* rem exprimit) & juſtificari nos gratis ex fide hac viva & perfecta in Ieſum Chriſtum ſolâ, (ut veteres Authores loqui ſoliti ſunt) tam vera ſit, ut quod veriſſimum ; tamen vera hæc doctrina etiam verè intelligatur, ac planiſſimè declaretur oportet : ne homines carnales inde vivendi carnaliter, h. e. ſecundùm appetitus & deſideria Mundi, Carnis, & Diaboli, anſam injuriâ arripiant. Itaque ne quis hanc doctrinam perperàm intelligendo erret, genuinum ejus ſenſum ita perſpicuè & breviter explicabo, ut nemo ſibi juſtam inde occaſionem dari arbitretur, *&c.* " Mox ſequitur totidem verbis explicatio jam recitata. In tertia verò parte *Homiliæ* prope initium eorum, quæ in præcedentibus dicta fuerant in explicationem Articuli, hanc ἀνακεφαλαίωσιν habemus : " Audiviſtis, quid ſenſerint veteres Authores de hoc effato : *Fides in Chriſtum ſola hominem juſtificat*, ita perſpicuè declaratum, ut jam perſpiciatis ipſiſſimum ac genuinum hujus Propoſitionis : *Juſtificamur ex Fide in Chriſtum ſolâ*, ſenſum (juxta Veteres iſtos) hunc omnino eſſe : Chriſto confidimus, juſtificari nos per ipſum ſolum, juſtificari nos ex mera Dei miſericordia, & per merita tantùm Chriſti Servatoris noſtri ; nullâ verò noſtrâ virtute, ſive bono opere, quod nobis ineſt, quodve habere vel præſtare poſſumus, quò id ipſum (*nempe Juſtificationem noſtram*) promereamur : ſiquidem ejuſdem *Cauſa Meritoria* Chriſtus ipſe ſolus eſt. Videtis hîc multa verba adhiberi, tum ut contentio de verbis evitetur cum iis qui λογομαχίαις delectantur, tum ut verâ ſententiâ expoſitâ, pravis interpretationibus occurratur, *&c.* " Itaque talpâ cœcior eſt, qui non videt, ἔκθεσιν iſtam pro genuina, perfecta, clara ac perſpicua hujus Articuli, *ſolâ in Chriſtum Fide juſtificamur*, ſententiâ ab Eccleſia noſtra proponi ; ita ut quiſquis illam amplectitur, ſatisfeciſſe ipſius hac ex parte judicio atque expectationi cenſendus ſit. Quin & illud in verbis *Homiliæ*, ultimô in locô à nobis citatis, apprimè notandum eſt, Authorem ejus expreſsè ſtatuere, quæſtiones & controverſias omnes, quæ de hujus Articuli voculis & phraſibus moventur, aut moveri poſſunt, modò de ſenſu in iſta ejus ἐκθέσει tradito conveniat, tanquam inutiles adeoque noxias λογομαχίας omnino evitandas eſſe.

§. 8. Jam quoties, quàm apertè conſenſum meum, de hac Articuli explicatione, tum in *Diſſertationibus* meis, tum in hoc *Examine* profeſſus ſum? Equidem non vereor invidiam tuam, odiumque pluſquam Vatinianum provocare, ut excuſſis, quæcunque uſpiam ſcripſi, tandem ſententiolam aliquam, ſive dictum meum proferas, quod à doctrina, in hac ἐκθέσει traditâ, vel latum, ut aiunt, digitum recedat. Si verò de candore & ſinceritate mea adhuc dubitas, etiam juramento (re exigente) meipſum purgare non refugiam. Itaque coram Deo Judice meo, cujus iram non deprecabor, ſi quid ſciens fefellero, volo hoc omnibus eſſe teſtatum, me undecimo Eccleſiæ noſtræ Articulo, juxta hanc explicationem ab ipſa traditam (cujus verba accipio in ſignificatione hodie uſitatâ, abſque omni æquivocatione, ſive mentali reſervatione) verè, ſincerè, atque ex animo conſentire ac ſubſcribere.

§. 9. Quid amplius à me requiras? An poſtules, ut quæcunque poſtea de ſuo addiderunt, in explicationem Articuli, privati quidam Doctores, ea omnia ob magna ipſorum nomina, tanquam Oracula venerer atque exoſculer? Nunquam in iſtud me piſtrinum compinges, mi Cenſor. Tuam verò hujus Articuli, *Solâ in Chriſtum Fide juſtificamur*, Expoſitionem, nempe juſtificari nos per ſolam,Fidem ſimplicem virtutem, idque ante omnem veram contritionem, ante omnem Obedientiam noſtram, quin & Obedientiæ promptitudinem ; neque tamen per quemvis Fidei actum, ſed per illum tantummodo, quem *Confidentiam* appellas ; per illum verò Fidei actum, non quà actus aut virtus eſt, aut conditio in Fœdere Evangelico requiſita ; ſed ut inſtrumentum apprehendendi Chriſti Juſtitiam eamque noſtram faciens; noſtram quoque faciens Juſtitiam illam non modò effectivè, h. e. quòd ſalutares ejuſdem fructus atque effectus attinet

nempe Remiſſionis peccatorum, atque acceptionis ad Salutem Vitamque æternam ; ſed formaliter, ita ut Juſtitia illa noſtra revera fiat, noſque præſtitiſſe ipſam à Deo cenſeamur, indeque perfectè juſti atque ab omni prorſus peccati non modò pœna, ſed & culpa, liberi efficiamur ; ita ut in hac Juſtificatione noſtra nullus peccatorum Remiſſioni propriè dictæ locus remaneat : Hanc, inquam, tuam Expoſitionem, utpote quæ interpretationi ab ipſa Eccleſia traditæ, nec non S. Scripturis & rectæ rationi è diametro repugnet, ingenuè ac rotundè profiteor, me nequaquam admittere, neque unquam admiſſurum. Atque auſim ſpondere, ſi doctiorum in Eccleſia noſtra Theologorum ſuffragia viritim captanda eſſent, vix, ac ne vix quidem centeſimum quemque repertum iri, qui has nænias tuas non prolixè rideat, ſeu defleat potiùs ; adeòque indignetur, tam craſſum *Antinomiſmum* pro Eccleſiæ Anglicanæ Doctrina Filiis ejus obtrudi.

Epilogus.

ITA tandem, *σὺν Θεῷ*, *Animadverſiones* Cenſoris noſtri ad præcipua Capita *Diſſertationum* noſtrarum expedivimus. Ubique egi fide bonâ ; & quanquam plurima ejus me prætermiſiſſe non diffitear, tamen ſanctè profiteri poſſum, id à me factum eſſe, quod ſeriò judicarem, talia fuiſſe iſta, ut Reſponſionem vel non requirerent, vel jam accepiſſent ex iis, quæ ſive in *Harmonia*, ſive in hac *Reſponſione* noſtra fuſiùs explicavi. Illud autem me tenui hâc opellâ effeciſſe ſpero, ut in poſterum Liber iſte, quem tantâ invidiâ oneravit Cenſor malevolus, in iis ſaltem quæ caput Controverſiæ ſpectant, ſanus, Catholicus, atque Orthodoxus æquo cuivis arbitro appareat. Quod ſi in Quæſtionibus intercurrentibus, & difficilioribus quibuſdam *Pauli* locis explicandis ceſpitaverim, (quod licèt nondum à Cenſore monſtratum memini, tamen ingenii mei hebetudinem, ſimul & materiæ ipſius abſtruſiorem naturam penſitans, facilè ſuſpicer) Deum Miſericordiarum Patrem in Ieſu Propitiatore ſupplex veneror, ut mea iſta imbecillitas nec mihi in peccatum ſtatuatur, neque aliis fraudi ſit. Claudam hanc Diſputationem verbis Viri ſancti atque eruditi, quæ in tenuitatem meam multò aptiùs quadrent : " In Epiſtolis *Pauli* habet Elephas, " ubi ſubmergatur ; quantò magis pulex, " ut ſum ego ? Unde in ſimilibus locis " comedam quantum poſſum ; quod autem " reſiduum fuerit, comburam igne, San- " ctorum & Catholicorum Doctorum expo- " ſitionem ſequens, & eâ contentus. Non " enim quiſquam mortalium penetrare va- " leat profunditatem Epiſtolarum D. *Pau-* " *li* Apoſtoli. "

Index.

INDEX
Titulorum & Materiarum
IN
EXAMINE.

Præfatio Animadverſoris cum Examine. p. 1. ad p. 3.

Reſponſio ad Animadverſ. I.

Contra Animadverſorem multis oſtenditur, rationi longè convenientius eſſe, ut Paulum *ex* Jacobo, *quàm* Jacobum *ex* Paulo *interpretemur.* p. 3. uſque ad fin. p. 7.

Reſponſ. ad Animadverſ. II.

Phraſis, fides formata, *contra Animadverſorem defenditur. Ex profeſſo tractatur quæſtio: An Charitas forma fidei juſtificæ rectè dicatur?* p. 8. uſque ad p. 11.

Reſponſio ad Animadverſ. III.

Eventilatur quæſtio: An notio Juſtificationis Evangelicæ neceſſariò includat præmii imputationem ſive hominis acceptationem ad vitam ac ſalutem æternam? Vel, An collatio juris ad Regnum cœleſte ſit propriè actus Juſtificationis Evangelicæ? p. 12. uſque ad fin. p. 14.

Reſponſ. ad Animadverſ. IV.

Oſtenditur, à Cenſore fidei ἐνέργειαν juſtitiæ cauſalem novè & periculosè tribui. p. 15.

Reſponſ. ad Animadverſ. V.

Paraphraſis noſtra loci Act. 10. v. 34, 35. *contra Animadverſorem defenditur.* p. 16. uſque ad fin. p. 17.

Reſponſ. ad Animadverſ. VI. & Annotat.

Interpretatio noſtra loci 1 Pet. 1. v. 2. *authoritate* Eraſmi, Eſtii, *adeoque* Calvini *adſtruitur.* p. 18, 19.

Reſponſ. ad Animadverſ. VII.

Controverſia inter Harmoniæ Authorem & Animadverſorem ad hæc quatuor capita revocatur: 1° An detur conditio aliqua, propriè ſic dicta, Fœderis Evangelici, quæ non ſit etiam Juſtificationis Evangelicæ conditio? 2°. An datô, Fœderis & Juſtificationis Evangelicæ conditionem eſſe poſſe diverſam, certum tamen non ſit, fidem & pœnitentiam unius ejuſdemque beneficii, puta Juſtificationis Evangelicæ, conditiones eſſe? 3°. An remiſſio peccatorum Juſtificationis Evangelicæ notionem ipſam, ſive definitionem, ingrediatur? Vel: An notio Evangelicæ Juſtificationis in ſe neceſſariò includat remiſſionem peccatorum? 4°. An datô, remiſſionem peccatorum in Juſtificationis Evangelicæ notione non neceſſariò includi, certum tamen non ſit, utriuſque beneficii, nempe tum remiſſionis, tum Juſtificationis Evangelicæ, conditionem prorsus eandem eſſe? Quæſtiones ſigillatim & propoſitô ordine diſcutiuntur. p. 19. uſque ad fin. p. 28.

Reſponſ. ad Animadverſ. VIII.

Diſtinguuntur opera pœnitentiæ interna ab externis, & oſtenditur contra Cenſorem, opera pœnitentiæ interna eſſe etiam ad Juſtificationem primam abſolutè neceſſaria. p. 29.

Reſponſ. ad Animadverſ. IX.

De Fidei inſtrumentalitate in Juſtificationis negotio fusè agitur. p. 30. uſque ad fin. p. 33.

Reſponſ. ad Animadverſ. X.

Hallucinatio Cenſoris, in verbis meis (*Harm. Apoſt. Diſſert.* 1. *cap.* 3. §. 3.) Noſtratium Theologorum pleriſque *interpretandis, notatur.* p. 34, 35.

Reſponſ. ad Animadverſ. XI. cum Annotat.

Animadverſoris ſententia, de imputatione juſtitiæ Chriſti, quàm abſurda adeoque periculoſa ſit, oſtenditur. Nimirum imputatio, quam defendit, 1°. *conſiſtere non poteſt cum remiſſione peccatorum ex parte Dei.* 2°. *Cum pœnitentiæ ex parte noſtra neceſſariâ poſtulatione eſt omnino ἀσύζυγος.* 3°. *Omnem etiam ipſius fidei neceſſitatem, ad Juſtificationem impetrandam, tollit funditus; eâque poſitâ, prorsus neceſſariò ſequitur, Juſtificationem hominis fide ipſius priorem eſſe.* 4°. *Denique Catholicam doctrinam, de univerſali propitiatione pro totius mundi peccatis per Chriſti mortem factâ, quâ nititur Evangelii præconium, penitus evertit. Ad loca Scripturæ, quæ pro iſta imputatione afferri ſolent, reſpondetur. Probatur, juſtitiam inhærentem propriè à Cenſore nullam agnoſci.* p. 35. uſque ad p. 44.

Re-

Reſponſ. ad Animadverſ. XII.
Argumentum noſtrum contra Solifidianos: Quiſquis à Deo per Chriſtum juſtificatur, per Legem Chriſti abſolvitur; at ſolâ fide ſine operibus nemo per Legem Chriſti abſolvitur, &c. à Cenſoris exceptionibus & cavillis vindicatur. p. 45. uſque ad p. 48.

Reſponſ. ad Animadverſ. XIII.
Sententia Animadverſoris ſtatuentis, fidei juſtificæ primarium actum, ſive rationem formalem, eſſe fiduciam ſtrictè ſic dictam, abunde refellitur. Vera & Catholica doctrina, de fide & fiducia Chriſtiana, quatuor theſibus, ſive concluſionibus luculentis proponitur. p. 50. uſque ad fin. p. 59.

Reſponſ. ad Animadverſ. XIV.
Adſtruitur contra Cenſorem argumentum noſtrum, ab illo Dei proceſſu, quô in hominibus judicandis uſurus eſt in die ultimi judicii, quod ſic habet: Quomodo quiſque in futuro ſæculo à Deo judicabitur, eôdem planè modô in hac vita à Deo juſtificatur; atqui ex operibus (non fide ſolâ) quiſque in futuro ſæculo à Deo judicabitur: ergò, &c. Oſtenditur, diſtinctionem Cenſoris inter jus ad rem & jus in re, prout huic quæſtioni accommodatur, frivolam & inanem eſſe. p. 60. uſque ad p. 64.

Reſponſ. ad Animadverſ. XV.
Placæi & Animadverſoris Apoſtolos Jacobum & Paulum *conciliandi methodus accuratiùs examinatur, & cum noſtra confertur.* p. 65. uſque ad p. 69.

Reſponſ. ad Animadverſ. XVI.
Sententia noſtra, nempe Fidem, cui Juſtificatio in Scripturis tribuitur, ſenſu complexo accipi, & ſpem, charitatem, bonaque opera complecti, contra Cenſorem defenditur. Illuſtris Huldrychi Zuinglii locus pro iſta ſententia adducitur. p. 69. uſque ad fin. p. 73.

Reſponſ. ad Animadverſ. XVII.
Oſtenditur, quàm abſurda ſit Cenſoris reſponſio ad ea, quæ (Harm. Apoſt. diſſert. poſter. cap. 7.) de Lege perfectæ obedientiæ diſſerui. p. 74, 75.

Appendix ad Examen Animadverſ. XVII
Fusè diſceptatur hæc quæſtio: An Deus Adami *lapſi poſteris Legem abſolutiſſimæ virtutis unquam impoſuit? Explicatur ſtatus quæſtionis. Vera & Catholica ſententia ſuper hac quæſtione ſeptem Theſibus proponitur.* p. 76. uſque ad p. 87.

Reſponſ. ad Animadverſ. XVIII.
*Dictum Pſeudo-*Ambroſii, *ab Harmoniæ Authore citatum, veri* Ambroſii & Auguſtini *ſuffragiis contra Animadverſorem defenditur.* p. 87, 88.

Reſponſ. ad Animadverſ. XIX.
Multis probatur, Apoſtolum, cum per Legem Moſaicam *juſtificari poſſe hominem peccatorem negat, non hôc argumentô pugnare, quòd Lex iſta perfectiſſimam atque abſolutiſſimam virtutem, quæ à nemine, ne per eam quidem Dei gratiam, quæ in Evangelio promittitur, præſtari poſſit, tanquam conditionem Juſtificationis poſtulet: ſed alio prorsùs fundamento niti, nempe, quòd in eadem Lege (ſub χάρις illa, quâ ab ipſo conſideratur) nulla omnino vera Juſtificatio, ſive peccatorum remiſſio, quæ ultra hanc vitam ſpectat, ſub quavis conditione concedatur.* p. 88. uſque ad p. 95.

Reſponſ. ad Animadverſ. XX.
Expenduntur Cenſoris ratiunculæ contra ea, quæ in altero Apoſtoli Argumento explicando (ab infirmitate Legis Moſaicæ, *ad hominem à peccati dominio liberandum, deſumto) ab Harmoniæ Authore differuntur.* p. 96. & p. 97.

Reſponſ. ad Animadverſ. XXI.
Dictum Authoris Harmoniæ: Non potuiſſe Legem Moſis, *quæ nihil ultra hanc vitam boni promiſerit, ſtudium virtutis ardens, conſtans, indefeſſum in hominibus efficere, à Cenſoris cavillis vindicatur. Oſtenditur, ſententiam illam, quæ ſtatuit, vitam æternam in veteri Teſtamento promitti, in Pelagio olim à Catholicis damnatam fuiſſe.* p. 98. uſque ad p. 100.

Reſponſ. ad Animadverſ. XXII.
Dictum Authoris Harmoniæ: Legem Moſis, *eô ipſô quòd promiſſa & minas tantùm temporales contineret, ad ingenerandum hominibus genium atque ingenium humile ac ſordidum, atque à vera ac genuina pietate planè alienum, aptam natam fuiſſe, explicatur, atque authoritate* B. Auguſtini, *adeoque* Pauli *Apoſtoli defenditur. Objectioni occurritur.* p. 101. uſq; ad finem p. 102.

Reſpons. ad Animadverſ. XXIII.
Evidentiſſimô argumentô probatur, Harmoniæ Authorem verum ac genuinum ſenſum Eccleſiæ Anglicanæ in Art. 11. *agnoſcere. Senſus, quem Articulo affingit Animadverſor, ut interpretationi ab ipsa Eccleſia Anglicana traditæ, nec non S. Scripturæ, & rectæ rationi è diametro repugnans, meritò rejicitur.* p. 103. uſque ad p. 106.

Epilogus.

APOLOGIA
PRO
HARMONIA,

Ejúſque

AUTHORE,
CONTRA

Declamationem *Thomæ Tullii*, S. T. P.
In Libro nuper Typis evulgato, quem
JUSTIFICATIO PAULINA
Inſcripſit.

PER

GEORGIUM BULLUM,
Anglicanæ Eccleſiæ Presbyterum.

Acceſſere in hac Editione Annotata quædam *I. E. GRABE.*

LONDINI,
Impenſis *Richardi Smith*, ad Inſigne Angeli & Bibliorum
extra Temple-Bar. MDCCIII.

APOLOGIA
PRO
HARMONIA,
Ejuſque
AUTHORE, &c.

PRÆFATIO.

§. 1.

PErlectô Reverendi Viri, Thomæ Tullii, S. Theologiæ Profeſſoris Libro, quem Juſtificatio Paulina *inſcripſit*, fateor me admiratione planè obſtupefactum eſſe. Fere quinquennium eſt, quòd à fide dignis accepimus, Reſponſionem ad Tractatum, cui Titulus, Harmonia Apoſtolica, &c ab ipſo inſtitutam atque inceptam fuiſſe. Expectabamus itaque omnes, qui de eruditione hominis honeſtam in animo opinionem conceperamus, ut à tanto Authore, poſt tantum temporis intervallum, tandem eximium quoddam in lucem prodiret opus; vel (ſi minùs illud pateretur ſterilis & infructuoſa cauſa, quam ſuſcepit defendendam) certè aliquid, quod juſtæ ac plenæ reſponſionis ſpeciem præ ſe ferret. Scil. illud Pœtæ nobis in mentem venerat:

——————Si Pergama dextrâ
Defendi poſſint, certè hac defenſa videbo.

Expectabamus ſaltem à celebrata Viri humanitate pietatéque Reſponſum civile & candidum, quodque adeo ſinceritatem ubique charitatemq; Chriſtianam ſpiraret.

§. 2. *Sed præter expectationem prorſus evenêre omnia. Nam Libri, cujus exquiſitiſſimum Examen aggredi videri voluit Vir Reverendus, (unde & Lectorem ſuum diſertè monet, ſe nihil in ipſo, quod alicujus momenti ſit, conſultò præteriiſſe) ne unum quidem Caput, aut Paragraphum integrum perſecutus eſt. In Diſputatione tantùm de ſenſu* Paulino *in cap. 7. ad* Roman. *quô ad caput nonum* Diſſertationis *noſtræ poſterioris reſpondet, tale aliquid præſtitiſſe viſus eſt. Quàm verò etiam in ea Quæſtione revera nihil præſtiterit, ubi ad loci illius tractationem pervenimus, liquidò apparebit. Argumentorum meorum longè maximam partem, quæque ponderis ſunt maximi, prudenter admodum diſſimulat; quæque pauciſſima leviter attingit, ad ea adfert reſponſa à me jam abunde refutata; eademque tamen, ſine ullo fere novo munimento, iterum in ſcenam producit. Argumentis pugnat ipſe, quibus jam cumulatè ſatisfecerim, ſolutiones meas haud bonâ fide Lectorem celans. Operis mei tantùm diverticula rimatur, & quaſi per ramorum apices ſaltillans, hinc inde paucula carpit admordenda. Denique, (quod omnium graviſſimum) verba & ſententias mihi pro libitu affingit, quæ nuſpiam in Libro meo reperiuntur, adeoque de quibus ne per ſomnium quidem unquam cogitaveram, & cum his larvis ſtremuè luctatur. Verba quoque mea, quæ, ſi integrè producerentur, ſuæ purgationi ſufficerent, miſerè detruncat, mutilatque, indeque* Juſt. Paul p. 167.

miras excitat tragœdias, neſcio quas abſurditates atque hæreſes in me impingens. Si talibus ſtrophis non undique ſcatet Doctoris Liber, ſim ego Cretenſi vanior. Scil. hoc ipſi eſt Harmoniſtam, quem vocat, ſolidè refellere: hiſce artibus (quæ ſane virum gravem, nedum S. Theologiæ Profeſſorem, parum decent) præclarum ſibi ex adverſariis triumphum adornat.

§. 3. *Quid autem libro facias, phaleratis verbis, vacuis Rhetoricationibus, tragicis extra cauſam dictis, ſophiſmatis, ſarcaſmis, adeóque (vera loquor) manifeſtis calumniis conflato? Equidem diu hæſi dubius, annon ſatius foret, abſque Reſponſo Librum tranſmittere, donec tandem me Amici quidam pii & docti, quorum judicio plurimum tribuo, monuerunt, reſponſione aliquâ opus eſſe, ne optimæ cauſæ ulla ex parte deeſſe viderer, neve Liber ſimplicioribus parumque eruditis laqueum ſtrueret, ac ſophiſmatum fucô verborumque lenociniis fraudem faceret. Addiderunt iidem, proſpiciendum omnino honori atque exiſtimationi Clariſſimorum apud nos Theologorum, adeoque venerandorum Eccleſiæ noſtræ Antiſtitum, quos per mea infimi homuncionis latera graviter vulnerari, neminem fere tam ſtupidum eſſe, quin facilè ſentiat. Nimirum occaſionem ſibi ex Libro meo non nactus, ſed arripiens V. R. auſus eſt palàm & coram exteris queritari, de novata apud nos avita Religione reformata, idque ab iis, qui filios Eccleſiæ Anglicanæ obſequentiſſimos ſeſe nuncupant, quique hodie prela noſtra ac pulpita occupârunt; déque noxiis dogmatibus ab iiſdem non modò impune, ſed etiam (quod ſapiùs & non obſcurè innuit) cum gratia atque applauſu Superiorum paſſim diſſeminatis.*

§. 4. *His ſtimulis excitatus, calamum continuò arripui, Apologiam conſcripturus non tam pro Harmoniſta (quem contemni, conteri, proculcari à quovis facilè patiar) quàm pro Eccleſiæ noſtræ Patribus doctiſſimiſque Theologis, in quos V. R. tam liberè declamandi licentiam ſibi ſumpſerit; cauſámque ſimul excitatæ hujus tragœdiæ integram candidè, ſincerè, dilucidè expoſiturus. Quâ in Defenſione ſicubi in Doctorem, ut ſit, ſtylum liberiùs ſtrinxi, rei indignitati, factique atrocitati, quod ſine Satyra perſtringi haud poterat, illud imputandum.*

Spero tamen, me per Dei Gratiam animi affectibus, juſto licèt ardore concitatis, ita temperâſſe, ut nihil incaleſcenti & currenti calamo exciderit, quod aut exactæ veritatis, aut (omnibus probè expenſis) Chriſtianæ πραότητος ac modeſtiæ limites, aut demum inculpatæ tutelæ moderamen (ut loquuntur Caſuiſtæ) exceſſiſſe videatur. Cæterùm in hac Reponſione (ut ſciat Lector, quid à nobis expectandum ſit) Doctorem κατὰ πόδας ſequar tantùm uſque ad finem Capitis quarti. Scil. in quatuor primis Capitibus maximè triumphâſſe nonnullis, & Eccleſiæ veteris, noſtræ, & cæterarum Reformatarum authoritate miſerum Harmoniſtam penitus oppreſſiſſe viſus eſt. Inter ea verò, quæ ſparſim in reliquis Capitibus, poſt refutatum (ſeu potiùs objurgatum) prolixè modò Bellarminum, *modò* Baxterum *noſtratem, in* Harmoniæ *Authorem, ὡς ἐν παροδῷ, ab ipſo dicta ſunt, vix quicquam alicujus momenti occurrit, quod jam in* Examine *noſtro non abunde refellimus. Quare, ne actum agamus, Capita illa ſicco pede præteribimus. Denique Diſſertatiunculam ejus annexam, de ſenſu* Paulino *in Capite 7. ad* Roman. *(qua de re nullam nobis litem moverat Cenſor noſter) accuratiùs examinabimus. His breviter præfatis, quod felix fauſtumque ſit,* Apologiam *noſtram aggrediemur.*

SECTIO I.

Ad Libri Titulum.

1. A Libelli Titulo exordior. Hìc autem quid audio? *Juſtificatio* Paulina, *&c. aſſerta contra nuperos* Novatores. Inviſum nomen, quô in fronte Libri denigrandos curavit adverſarios ſuos, ut hâc ratione odium ipſis imperitorum conciliaret, & credulos Lectores, hôc præjudicio præoccupatos, à libera veritatis diſquiſitione arceret. Numerô autem loquitur multitudinis, ut omnes facilè intelligant, hanc ipſius declamationem non in me unum dirigi, ſed & alios quàm plurimos in Eccleſia noſtra, eadem hîc mecum ſentientes, perſtringere. Ne de mente ipſius dubites, in Præfatione altâ ac flebili voce conqueritur: *Eccleſiam Anglicanam hinc inde impetitam, per compita, prela, pulpita traductam, poſt currum quaſi triumphalem indignè raptam videri.* Aitque ibidem, ſe *nota loqui.* Alibi dicit, veritatem, quam defendit, p. 5.

dit, convitiis & ſannis excipi, non modò à *Socinianis* & *Pontificiis*, ſed etiam ab iis, *qui ſub his, vel illis perfidè merentes, Eccleſiæ Anglicanæ filiorum nomen ſibi vix prudenter arrogant*.. Additque ibidem, *ſe in pulpitis ubique locorum perſonantia loqui.*

2. Quis exterus hæc legens non exiſtimaret, Eccleſiam noſtram *Anglicanam*, Orbis quondam Reformati decus illud, in commune Hæreticorum, Pontificiorum, Socinianorum, omnium receptaculum transformari, ac penè univerſalem Theologorum noſtrorum à primorum Reformatorum Fide ac Doctrina defectionem accidiſſe? Nihil certè, vel à Schiſmatico Authore Libelli, *de Apoſtaſia Laudenſium*, his magis tragicum dictum unquam fuit, aut dici potuit. Quid verò interim faciunt Eccleſiæ noſtræ Præſules? An ejuſmodi eos torpor invaſit, ut de Apoſtaſia hac ſufflaminanda nihil laborent, ac ne cogitent quidem? An cum iſtis in Parabola ita arctè, graviter, atque in utramque aurem dormiunt, ut inimicis liceat ſua paſſim ſecurè atque impunè ſpargere *zizania?* Scilicet. Imò ſi Doctori fidem habebimus, adeo illi huic malo invaleſcenti non obſiſtunt, ut ipſi manus adjutrices porrigant, adeóque paucis illis, (in quibus ſcil. D. *Tullius* principatum obtinet) qui bono zelo contrà nituntur, peſſimè velint. Quid, quæſo, aliud ſonant iſtæ ejus querelæ, doctrinam, quam propugnatum it, apud Noſtrates *maximâ flagrare invidiâ*, in ejuſdem defenſores ſummis *odiis ſæviri*, ipſis non licere *aliam ſperare mercedem, quàm ſannas, odia, contumelias?* Imo Librum ſuum editurus, terribiles *in via Leones* ſibi finxit, quorum formidini nihil par ſit, præterquam *terror Domini, qui ſuo tempore ſe confitentes coram hominibus, confitebitur coram Patre, Sanctiſque ejus Angelis, & diffitentes diffitebitur*. Crederet in rebus noſtris hoſpes, *Marianum* in *Anglia* ſæculum rediiſſe, in quo neceſſariam veritatem liberè profiteri, ſit *Confeſſoris* Elogium mereri, adeóque *Martyrii* coronam affectaſſe. Contrà ignorare noluit D. *Tullius* Lectorem ſuum, qui adverſus *Harmoniſtam* & cæteros *Novatores* arma cum ipſo ſocialia ſumere recuſant, eos *ad ſecundum fluminis remigium nimis attentos eſſe*; *Harmoniſtam* cum ſociis ſuis *ſcenæ ſervire.*

p. 6.

Ibid.

p. 3.
p. 43.

3. Unde autem clamor ille, unde vociferationes de novata à nobis avita Religione reformata, quibus aures quà noſtratium, quà exterorum, perſonârunt? Dicam paucis, dicam ſincerè, dicam, re exigente, liberè. In hac de Juſtificatione Controverſia, D. *Tullio* ſuiſque *Novatores* ſumus, quòd inanes illas atque inexplicabiles ſubtilitates ac λεπτολογίας, (nequid pejus dicam) quibus Articulum Eccleſiæ noſtræ undecimum ipſi temere interpolarunt, obtrudi nobis ægrè patiamur; interim illum ipſum Articuli ſenſum, quem ipſa Eccleſia noſtra ſe unicè voluiſſe palàm profeſſa eſt, ambabus ulnis amplexantes. Cæterà, *Novatores* ipſis ſumus, quòd unius *Calvini* judicio totius Antiquitatis conſenſum præferamus. Ipſis *Novatores* ſumus, quòd Canones Synodi *Dordracenæ* (quos nunquam in *Anglia*, publicâ aliquâ Eccleſiæ voce, probatos ac receptos fuiſſe, neque unquam recipi debere, dudum ante nos palàm ac liberè monuerunt † præſtantiſſimi quidam Eccleſiæ noſtræ Præſules; quippe quorum nonnulli claris tum noſtræ, tum aliarum Eccleſiarum Reformatarum nobiliorum definitionibus planè repugnent; * unde & antequam nati eſſent in Synodo illa, damnati & rejecti fuere, ſub nomine *Articulorum Lambethanorum*, à glorioſiſſima Regina *Elizabetha*, ac viris ſpectatiſſimis, qui ipſi erant à ſanctioribus Conſiliis, ut † teſtati ſunt iidem Præſules;) non eodem in loco parique honore cum Decretis Conciliorum Univerſalium, per totum Orbem Chriſtianum receptis, habeamus. Ipſis *Novatores* ſumus, quòd Syſtematicam illam Theologiam (à *Neotericis* Doctoribus, iiſque exteris, Eccleſiæque fere noſtræ tum Doctrinæ, tum Diſciplinæ, minùs faventibus, conſarcinatam) diutiùs in Scholis & Academiis noſtris obtinere eatenus nolimus, ut contra ejus Definitiones, Theoremata & Concluſiones ne hiſcere quidem, vel mutire cuiquam liceat, aut S. Theologiæ Candidati illic ſtudiorum ſuorum fundamenta jacienda eſſe edoceantur: quòdque Scripta imprimis Veterum Doctorum, ab Eccleſia Catholica probatorum, eorumque præcipuè, qui Apoſtolicæ ætati viciniores fuêre, omnibus ſedulò legenda, debitâque veneratione excipienda proponamus. Verbô, *Novatores* ipſis ſumus, (quis non miretur?) quòd poſt S. Scripturas primævam ac puriorem Antiquitatem unicè colamus ac revereamur ipſi, aliiſque Authores ſimus, ut ejus conſentiens judicium, ubi reperiri poteſt, (ut in omnibus certè reperitur, quæ majoris momenti ſunt; in cæteris verò liberum cuique judicium ſuum, ſalvâ pace Eccleſiaſticâ & Chriſtianâ, relinquendum) religioſè ſequantur: perſuaſum habentes, hanc eſſe optimam, imo hanc unicam rationem eſſe infœliciſſimas, quæ Eccleſiam Chriſti hodiernam tot in partes ſciderunt, controverſias finiendi.

† *Vide* Epiſtolam Epiſcoporum ad Ducem Buckingamiæ *in cauſa* Montacutii *apud* Heylenum in *Cyprian Anglic.*

* *Vide* Apolog. *noſtræ Sect.* 7.

† *Ubi ſupra.*

4. Hic iis animus, hæc eorum culpa, quos invidioſô *Novatorum* titulô inſignire placuit Theologiæ Profeſſori. Quàm verò

indignum ſit genuino Eccleſiæ *Anglicanæ* Filio, cuiquam hôc nomine iſtam infamiam inurere, paucis oſtendendum eſt. Nôrunt omnes, qui in Hiſtoria noſtra planè hoſpites non ſunt, Reformationem noſtram ad exemplar Veteris Eccleſiæ Catholicæ in omnibus, quatenus fieri id potuit, atque ætas pateretur, conformatam fuiſſe. Hinc ordo Epiſcoporum in *Anglia* retentus, rejectâ novellâ Regiminis Eccleſiaſtici formâ, quæ *Calvini* conſiliô in vicinis Eccleſiis obtinuerat. Hinc vetuſtiſſimæ publicarum Precum Formulæ, Ritus, Ceremoniæ religiosè apud nos obſervatæ. Hinc antiqua quædam Dogmata, à *Calvini* licèt placitis longiùs abhorrentia, (nempe, de univerſali Propitiatione per Chriſtum Servatorem facta, de Fidei Juſtificæ deficibilitate, (de quibus ſuo loco) de Infantium omnium à Parentibus Chriſtianis oriundorum, ac Sacro Baptiſmate conſignatorum, indeque abſque actuali peccato denatorum, certa Salute, *&c.* apud nos fixa & ſtabilita: ut vel ex ipſa Eccleſiæ noſtræ Reformatæ prima conſtitutione ſatis edoceantur filii ejus, quantum Veteris Eccleſiæ Catholicæ judicio tribuendum ſit. Hinc Canon ille, (quem alicubi in *Examine* jam indicavimus) primis fere Reformationis noſtræ temporibus, anno ſcil. 1571. plenæ Synodi Provincialis conſenſu ſancitus, Regiâque Authoritate *Elizabethæ* noſtræ inſuper confirmatus, de Concionatoribus: *Imprimis verò videbunt, ne quid unquam doceant pro Concione, quod à populo religiosè teneri & credi velint, niſi quod conſentaneum ſit doctrinæ Veteris aut Novi Teſtamenti; quódque ex illa ipſa doctrina Catholici Patres & Veteres Epiſcopi collegerint.* Hinc inter *Directiones* ſive Regulas, quas, conſultis Epiſcopis, ſapientiſſimus Rex *Jacobus*, *Elizabethæ* Succeſſor, Academiæ *Oxonienſis* (gliſcente ibi Puritanicâ Factione quàm ſolitô magis) Vicecancellario, Collegiorum atque Aularum Præfectis, duobus Profeſſoribus, biniſque Procuratoribus ſedulò curandas mandavit, hæc numerô ſeptima eſt: *Ut Theologiæ Candidati admoneantur navare operam & ſtudium ejuſmodi libris, qui Doctrinæ & Diſciplinæ Eccleſiæ* Anglicanæ *maximè conſentanei ſint; hoc eſt, ad lectionem Patrum, Conciliorum, Scholaſticorum, Hiſtoriarum, Polemicorum tempus ſuum conferre; neque compendiis atque abbreviaturis diutiùs, quàm par eſt, immorari, ita ut in ipſis ſtudiorum ſuorum Theologicorum fundamenta jaciant.* Cujus prudentiſſimi conſilii ſi Doctori in mentem veniſſet, nunquam certè *Enchiridion* ſuum Didacticum magis ad *Calvini* inſtituta (ut ſuô locô oſtendetur) quàm ad noſtræ, aut Veteris Eccleſiæ dogmata amuſſitatum, Juventuti Academicæ (exemplô apud nos, ni fallor, prorſus novô) obtruſiſſet.

Collect. Canon. Londini *Edit.* 1671. *p.* 238.

Vid. Heylen. *Cypr. Anglic. p.* 71, 72.

5. Hinc præſtantiſſimi Eccleſiæ noſtræ Theologi conſtanter & palàm omnibus teſtati ſunt, ſe Veterum Doctorum conſenſum ambabus ulnis amplexos fuiſſe, neque quicquam ſive in Doctrina, ſive in Regimine Eccleſiaſtico, quod ab eo alienum eſſet, admittere unquam voluiſſe. Sic doctiſſimus *Saravia* (quem meritò inter noſtros Theologos numeramus) in Prologo Defenſionis contra *Bezam: Contra unanimem*, inquit, *& conſtantem omnium Patrum Veteris Eccleſiæ conſenſum, nihil ſine expreſſo Dei verbo eſt innovandum. Hoc enim liberè dico: quiſquis Patribus omnem authoritatem adimit, ipſe ſibi nullam reliquit.* Idem in eadem Defenſione: *Fortaſſis negat Dominus* Beza, *& quotquot cum eo ſentiunt: at Patres rem tamen aliter intellexerunt; quorum concordi & unanimi ſententiæ, abſit, ut* Bezæ, *aut* Calvini, *aut alicujus cujuſpiam ex* Neotericis, *præferam judicium, & hos ſapere, illos verò deſipuiſſe judicem.* Ita clariſſimus *Juellus* in Apologia: *Acceſſimus*, inquit, *quantum maximè potuimus, ad Eccleſiam Apoſtolorum & Veterum Catholicorum Epiſcoporum*, &c. *Neque tantùm doctrinam noſtram, ſed etiam Sacramenta, Precúmque publicarum Formam, ad illorum Ritus & Inſtituta direximus.* Similiter doctiſſimus *Bilſonus* contra Puritanos: *Ne ſitis injurii*, inquit, *nihil eorum recuſamus, quæ prima & antiqua Chriſti Eccleſia, tanquam apertè, aut tacitè comprehenſa in Scripturis, generatim unquam approbavit, vel uſurpavit. Mos ille veſter eſt.* Sic quoque magnus *Caſaubonus*, Regis & Eccleſiæ noſtræ interpretem agens: *Rex*, inquit, *cum Eccleſia Anglicana pronuntiat, eam demum doctrinam ſe pro vera & neceſſaria agnoſcere, quæ à fonte Sacræ Scripturæ manans, per conſenſum Veteris Eccleſiæ, ſicut per canalem, ad noſtra tempora fuerit derivata.* Idem alibi: *Quòd ſi me conjectura non fallit, totius Reformationis pars integerrima eſt in* Anglia, *ubi cum ſtudio veritatis viget ſtudium Antiquitatis.* Vehementer autem, pro more ſuo, doctiſſimus *Montacutius* in *Originibus: Conſenſum hunc* καὶ συμψηφισμὸν *totius Antiquitatis agnoſcunt, qui nobis prodiêre nuper Theologi novi, ſtulti fortaſſe, certè adoleſcentes. Sed non moventur traditione. Eſt multum, aiunt, deferendum venerationi priſcarum Eccleſiarum & ſanctiſſimorum Patrum.* Εὖγε καλῶς, ὑπὲρ εὖ. *Sed quid verba audiam, quum facta videam? venerandæ Antiquitatis canitiei inſultantes, non obſtrepentes tantùm, eos qui nondum ære lavantur, capite cenſos, non fortunis: qui ſibi videntur ſaperdæ, cùm ſint capreæ. Sed oportet Deum potiùs audire, quàm homines. Et hoc præclarè, ſi modò Deus unum, aliud præcipiat homo. Sed eſt hoc τὸ κεκινόμενον· probandum ipſis fuerat,*

De perpet. Eccleſ. Reg. cap. 15.

Epiſt. ad Peron. *p.* 20.

Epiſt. 709. *ad* Cl. Salmaſ.

non

non pronuntiandum : imo ne κρῶμενον. *Conſtanter tenemus contra totam factionem* Novatorum, *à Deo, Dei verbo, mente & ſententia nunquam receſſiſſe Antiquiores. Affirmant ipſi : Vah ! Nam quantula eſt* Novatorum *authoritas, ut cùm ipſi dicant, illi negent, ipſis quàm illis potiùs accedamus ? Nam quando receſſit Spiritus Domini ab Eccleſia, ut contra Eccleſiam ſtantes alloqueretur ?* Huic ſuccinit Reverendiſſimus ejus in Cathedra *Norvicenſi* Succeſſor *Joſephus Hallus : Profectò*, inquit, *qui Verbo Dei æternis literarum monumentis conſignato, qui Symbolis quibuſque primoribus, qui Conciliis quatuor Generalibus, qui communi Patrum per ſexcentos annos à Chriſto judicio lubens ſubſcripſerit ; quod nos facere religiosè profitemur Reformati ; ſi errare in minimis poterit, Hæreticus eſſe non poterit.* Agmen claudat clariſſimus *Hammondus* noſter : *Eccleſia*, inquit, *Anglicana hôc ſe univerſo orbi characterе dignoſcendam, hoc æquæ poſteritati æſtimandam proponit, quòd in controverſiis fidei aut praxeos diſcernendis, illud ratum firmumque habuerit, & huic baſi Reformationem* Britannicam *niti voluerit, ut Scripturis primæ, deinde primorum ſæculorum Epiſcopis, Martyribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis ſecundæ deferrentur.* Ex quibus omnibus conſtat, quinam, ſi judiciô ſtandum ſit ſummorum in Eccleſia noſtra Theologorum, ipſiuſque adeo Eccleſiæ noſtræ, pro *Novatoribus* revera habendi ſint ; illi ſcil. qui aut dogmata cudunt à Veterum Epiſcoporum conſenſu diſcrepantia, aut Regimen in Eccleſia Catholica ubique receptum, novatum eunt.

Conc. ad Clerum. 1623.

Diſſert. contra. Blondel. *prælim. cap. Sect.* 14. 13.

6. Hìc itaque pedem figo ; oſtendat, proferat D. *Tullius* ex *Harmonia* noſtra, à capite ad calcem perluſtrata, vel unam propoſitionem à me defenſam, quæ Veteris Eccleſiæ Catholicæ Decretis repugnat, & protinus victas ipſi dabo manus ; haud cunctanter fatebor, mihi *Novatoris* infamiam meritiſſimo jure ab ipſo inuſtam eſſe ; meum ſive errorem, ſive hæreſim, palàm ac publicè retractare, & coram Orbe Chriſtiano palinodiam canere non refugiam ; æternô deinceps linguæ calamique ſilentiô (quod feciſſe olim *Sulpitium* ferunt) temeritatis atque ἑτεροδοξίας meæ pœnas luiturus. Deus novit cordis mei ſecreta : In dogmatis Theologicis, à novaturiendi prurigine (quam etiam ſupremi Judicis Tribunal inſiliens, fidenter mihi tribuit Theologiæ Profeſſor) adeo alienus ſum, ut quæcunque Catholicorum Patrum & Veterum Epiſcoporum conſenſu comprobata ſunt, etiamſi meum ingeniolum ea non aſſequatur, tamen omni reverentiâ amplexurus ſim. Nimirum non paucis experimentis monitus diceram, cùm adhuc juvenis *Harmoniam* ſcriberem, (quod mihi jam confirmatâ ætate perſuaſiſſimum eſt) neminem Catholico conſenſui repugnare poſſe, quin is (utcunque ipſi aliquantiſper adblandiri videantur Sacræ Scripturæ loca nonnulla perperàm intellecta, & levicularum ratiuncularum phantaſmata) tandem & divinis Oraculis, & ſanæ rationi repugnâſſe deprehendatur. Quotidiano gemitu & ſuſpiriis deflere ſoleo effrænem illam prophetandi licentiam, quæ in *Anglia* noſtra (etſi non in Eccleſia noſtra *Anglicana*, ut conqueritur D. *Tullius*) per aliquot annos, dirâ neceſſitate, uti nonnullis viſum eſt, efflagitante, obtinuit. Ut verbô dicam ; hoc animi mei votum ſincerum : τὰ ἀρχαῖα ἤδη, δόγματα, κρατείτω. Neque alia fere de cauſa D. *Tullii* placita quædam magis averſor, quàm quòd iſta unanimi Veterum Doctorum ſententiæ prorſus adverſa eſſe, pro comperto habeam.

Gennad. *in catalog.* Vir. illuſt.

Juſt. Paul. p. 139.

7. Quoniam verò Doctorem non puduit, popularia iſta convitia de Papiſmo & Sociniſmo (quæ ſane non bene conveniunt, nec in una ſede morantur) in *Novatores*, quos ſibi confinxit, paſſim in hoc invectivo ſuo intorquere, viſum eſt hîc ſemel duabus iſtis calumniis ſpeciatim occurrere. Ad *Papiſmum* quod attinet, nos appellat *Pontificiorum æmulos*, & *Jeſuitarum palpones, ſub Pontificiis perfidè merentes, & Eccleſiæ Anglicanæ filiorum nomen nobis vix prudenter arrogantes.* Per totum autem Caput undecimum hoc unum agit, ut Lectori perſuadeat, ſententiam noſtram Juſtificationis ſuper articulo, à Pontificiorum, eorumque adeo, qui Operum meritum in Juſtificationis negotio adſtruunt, ne latum quidem unguem, aut digitum tranſverſum diſcedere. Atque ut ipſum pus maligni & exulcerati animi ſentias, en Doctoris verba : *Neque hoc quidem negare ſolent aut Pontificii, aut qui aliô nomine* adhuc *internoſci malunt adverſarii.* Quos adverſarios, à Pontificiis tantùm nomine tenus diſcriminatos, intelligat, omnibus, qui Librum ipſius legerunt, nimis manifeſtum erit ; nempe, non modò exoſum ſibi *Harmoniſtam*, ſed & alios quàm plurimos in *Anglia* noſtra Theologos, Eccleſias, Pulpita, Prela (Doctore ipſo fidem faciente) occupantes, quibuſcum ille ſentit. In hos omnes quàm atrocem jacit contumeliam unâ illâ voculâ (ut peritiores calumniarum artifices pulchrè callent aliorum famam verbulô occidere) *adhuc ?* Quaſi ſcil. Theologi iſti, qui hucuſque nomine quidem, & ſolo nomine Reformatorum gaviſi ſunt, mox, cùm occaſio ſe commoda obtulerit, & nomen ipſum facilè deponere, & in Pontificiorum caſtra apertè tranſire parati eſſent. Verùm obteſtor omnes, quibus veritas,

P. 4. *P.* 8. *P.* 76.

ritas, pietas, candor, pax cordi ſint, ut ne facilè hîc Doctori fidem habeant. Sciant exteri (nam domi nemo, niſi qui ex Fanaticorum grege ſit, inverecundo convitio aurem præbebit) eſſe & ſemper fuiſſe Theologorum iſtorum in numero, quos pro *Novatoribus* habet D. *Tullius*, quàm plurimos, qui editis Scriptis luculentiſſimis Pontificiorum errores ſtrenuè & fœliciſſimè impugnârunt; neque ab aliis, quàm ab eorum nonnullis, de caſtris & copiis *Romanenſium* glorioſiùs triumphatum eſſe. Nominibus abſtineo, quòd & ipſorum, quotquot in vivis adhuc ſunt, modeſtiæ, & aliorum invidiæ parcendum duxi. Interim verum eſſe, quod dico, nôrunt, ſentiunt, & macerantur Pontificiæ apud nos cauſæ pugiles; gratulantur boni omnes, & candidi rerum æſtimatores, neque diffitebitur æqua & grata poſteritas. Ad me verò quod attinet, (minimum Theologorum, qui propter veritatem Catholicam & genuinam Eccleſiæ noſtræ doctrinam, contra novitia quorundam placita liberè aſſertam, digni habiti ſunt, qui contumeliâ afficerentur) adjuvante Domino, centies emori mallem, quàm Fidem in conciliabulo ſive conſpiratione *Tridentina* cuſam amplecti. Quoſcunque Pontificiorum errores ſive in Articulis ſuis, ſive alibi, damnavit Eccleſia *Anglicana* (non temere hæc effutio, ſed conſultò loquor) & ipſe pariter damno. Pro virili mea parte & exigua gregis Chriſti portione, meæ curæ commiſſa, ſedulò operam navavi, ut de laqueis, quos Emiſſarii *Romani* apud noſtrates hîc, illic, latenter ſtruxerunt, atque etiamnum ſtruere non deſinunt, incautiores tempeſtivè monerem: Deoque etiam Opt. Max. gratias ago, quòd me peccatore inſtrumento uti dignatus fuerit, ad animas quaſdam ex orco & barathro errorum & ſuperſtitionum Papiſticarum extrahendas. Sed quid attinet iſtis diutiùs immorari? Certè nemo prudens ægrè tulerit, pro Pontificio haberi à Doctore noſtro, qui *Harmoniæ* Authorem hôc ſolo nomine, quòd doceat, *veram contritionem neceſſariò præcedere Juſtificationem hominis*, atque hanc fuiſſe Veterum Proteſtantium conſtantem doctrinam affirmet, tanquam *domum ſuam* Romæ *fundantem*, irridet atque inſectatur. Scilicet ipſi Pontificii ſunt omnes, quotquot in hac controverſia cum *Antinomis* non idem ſentiunt.

Juſtif. Paulin. p. 32.

8. Jam ad *Sociniſmum* quod ſpectat, in *Examine* ſemel atque iterum coram Deo teſtatus ſum, me ab iſta hæreſi, ut perniciosiſſima, animô prorſus abhorrere. Cogit me verò repetita à Doctore calumnia, Fidem meam, infauſtiſſimi Hæreſiarchæ placitis oppoſitam, hîc diſtinctiùs exponere. Duo ſunt imprimis Theologiæ capita, in quibus *Socinum* à Catholicæ doctrinæ ſemita longiſſimè, & maximo cum ſuo aliorumque periculo, receſſiſſe nimis manifeſtum eſt; alterum ad Chriſti Servatoris perſonam pertinens, ad beneficia ipſius alterum. De priori docet impurus Dogmatiſta, Chriſtum, quantus quantus ſit, naturâ ſuâ ψιλὸν ἄνθρωπον, ſive merum hominem fuiſſe; dempto, quòd per ineffabilem Spiritûs Sancti inumbrationem, abſque virili concurſu, in utero *Mariæ* conceptus fuerit; proinde ante nativitatem ſuam ex beatiſſima Virgine omnino non extitiſſe: quam ego blaſphemiam omni execratione digniſſimam cenſeo. Chriſto præter humanam, etiam divinam naturam ineſſe, quâ non modò ante *Mariam*, ſed & ante omnia ſæcula à Deo Patre genitus, unà cum ipſo extiterit, ut genuina ipſius proles; quâque ex voluntate Patris, univerſi hujus, h. e. cœli & terræ, omniumque quæ in iis ſunt, tam inviſibilium, quàm viſibilium δημιοργὸς fuerit, tum ſacra Oracula toties támque apertiſſimè teſtantur, tum ab Eccleſia Catholica ſemper, ab ipſis uſque Apoſtolorum temporibus, tanto conſenſu creditum eſt, ut hunc de Servatoris noſtri divinitate articulum, eôdem planè aſſensûs gradu recipiam, quô ipſum Chriſtianiſmum amplector, hoc eſt, Deo laus ſit, ſummo. Atque ut non modò à *Sociniſtarum*, ſed etiam ab alia quavis hæreſi in hoc Articulo me prorſus alienum, adeoque omni ex parte Catholicum eſſe, appareat, Fidei *Nicænæ*, quæ eſt *in unum Deum Patrem omnipotentem, &c. & in unum Ieſum Chriſtum Filium Dei, natum de Patre unigenitum, h. e. de ſubſtantia Patris, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, natum, non factum, unius ſubſtantiæ cum Patre, per quem omnia facta ſunt: qui propter nos homines & noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, &c.* ex animo, Deus mihi teſtis eſt, ſubſcribo. Quin & ante aliquot annos delineavi Theſes quaſdam *Hiſtorico-Eccleſiaſticas*, de Filii Divinitate, quibus Veterum Doctorum, qui Concilium *Nicænum* anteceſſerunt, cum Patribus *Nicænis* conſenſum tam de Filii τῷ ὁμοουσίῳ, quàm de τῷ συναϊδίῳ ejuſdem, (derivatâ traditione ab ipſa Apoſtolica ætate) contra *Petavium* & alios me liquidò demonſtrâſſe confido. Sed per adverſam corporis valetudinem, per alias curas variaque negotia, quibus in dies ſingulos diſtineor, non licuit mihi hactenus ſparſas ſchedas recolligere, atque opus imperfectum ad umbilicum perducere.

9. De

9. De beneficiis Servatoris noſtri negat *Socinus*, (*) Chriſtum pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe, ſive peccatorum noſtrorum pœnas ſolviſſe, ſive vice noſtrâ mortem ſubiiſſe. Ego verò ex innumeris, iiſque diſertiſſimis, S. Scripturæ locis liquidò liquere credo, Chriſtum non modò *bono* noſtro, (quod ſcil. fatetur Hæreſiarcha, & de quovis Martyre verum eſt) ſed etiam *vice* noſtrâ mortuum eſſe; hoc eſt, (ut omni vocabulorum ambiguitati occurratur) niſi Chriſtus eſſet mortuus, nos, ex decreto ſaltem divino graviſſimis de cauſis concepto, neceſſariò fuiſſe morituros; & quia Chriſtus mortuus eſt, nos non neceſſariò morituros morte æternâ. Hoc verò poſito, futurum ſcil. ut nos morte afficeremur, nì mortuus eſſet Chriſtus, ſolutio, ſive ſatisfactio deinde (uti optimè obſervavit ſummus Catholicæ veritatis in hac quæſtione Vindex) rectè colligitur ex ipſa rei natura. Aut enim injuriâ eramus morte afficiendi, aut jure: non injuriâ; mortem enim commeriti eramus; jure igitur: ſi jure, eramus igitur mortis debitores. Ab hoc debito liberationem nobis Chriſtus impetravit aliquid dando. Dare autem aliquid, ut per id ipſum alter à debito liberetur, eſt ſolvere aut ſatisfacere. (†) Negat diſtrictè *Socinus*, Chriſtum crucis ſuæ Sacrificiô commeritum eſſe, ut Remiſſionem peccatorum Deus nobis largiretur: * imo negat, *Deum ob fuſionem ſanguinis Chriſti quicquam nobis promiſiſſe.* Scilicet hæc conſtans ejus doctrina, Chriſtum non ideo mortuum fuiſſe, ut aliquid nobis impetraret à Deo promittendum; ſed tantummodo ut promiſſorum, jam quaſi ſponte, & abſque propitiatione ulla interveniente, à Deo factorum, fidem nobis faceret. Ego verò firmiſſimè credo, Chriſtum Servatorem noſtrum, utpote Dei Patris Filium genuinum, ipſique chariſſimum, ſtupendâ ſuâ in aſſumpta humana natura κενώσει, ſive ad mortem uſque crucis exinanitione, bona illa maxima, quæcunque in Evangelico Fœdere promittuntur, (Remiſſionem nempe peccatorum, vitam æternam, quódque ad utrumque illud beneficium aſſequendum eſt neceſſarium, Spiritûs Sancti donum) nobis, ſub conditionibus in eodem Fœdere præſcriptis, à Deo Patre impetrâſſe, ſive ut Deus tanta nobis beneficia eâ ratione largiretur, dignè commeritum eſſe; proinde gratioſiſſimum Evangelii Fœdus integrum in Chriſti obedientia, cujus mors ipſius & oblatio in cruce facta complementum fuit, tanquam in cauſa ſua προηγουμενικῇ meritoria, eâque unicâ, omnino niti & fundari. Hæc omnia complexus eſt pauciſſimis verbis (quæ ſæpiùs in *Examine* citavi, & ideo toties repeto, quòd veram & genuinam Satisfactionis Chriſti notionem, in ipſis clarè explicatam, Lectoris animo quaſi inculcare vellem) Vir Apoſtolicus, & Scriptor tantùm non Θεόπνευς, *Clemens* in Epiſtola ad *Corinthios*; ubi fideles monet, ut ſeriò perpendant, *Quàm pretioſus Deo ſit Chriſti Sanguis, qui propter Salutem noſtram effuſus, toti mundo pœnitentiæ Gratiam obtulerit.* Quæ verba hunc ſenſum manifeſtum habent: Tantô apud Deum Patrem in pretiô habitam fuiſſe, adeo ipſi placuiſſe Filii ſui ad mortem uſque Crucis obedientiam, (quòd ſcil. cum ineffabili φιλανθρωπίᾳ, atque adverſus Deum Patrem ſummiſſione conjuncta fuerit; & preterea ex οἰκονομίᾳ illa, gloria divinorum attributorum, Juſtitiæ imprimis & Miſericordiæ Divinæ, mirandum, imo prorſus ſtupendum in modum eluxerit) ut propterea cum univerſo humano genere, peccati reatu involuto atque iræ ſuæ obnoxio, (quódque adeo unà cum Angelis Apoſtatis perdere funditus jure poterat) Fœdus gratioſiſſimum iniverit, quô Remiſſionem peccatorum, Vitámque adeo æternam omnibus ſub lege Pœnitentiæ (quæ univerſum hominis lapſi & peccatoris, ad Deum redeuntis, officium complectitur) daturum ſe receperit. Hæc eſt vera, Apoſtolica, & Catholica de Satisfactione Chriſti Doctrina, *Socini* placitis adverſa ſatis, quam, ita me Deus amet, ut ex animo amplector. Vulgares verò iſtas, atque auguſtiſſimô myſteriô planè indignas opiniones, dogmata illa inſulſa & pernicioſa, à Chriſtianiſmo non minùs quàm Sociniſmo abhorrentia, quæ in hac

Grot. *de Satisf. c. 9. p.* 177. *Edit.* Oxon. 1636.

* *Lib.* 1. cap. 3.

C quæſti-

(*) *Socin.* Diſp. de Ieſu Chriſto Servat. par. 2. cap. 7. *Ego nego, Chriſtum Juſtitiæ divinæ quicquam pro nobis ſolviſſe.* Et ibidem: *Fateor, Ieſum Chriſtum propter iniquitates noſtras & pro peccatis noſtris mortuum eſſe; ſed inde tamen conſequi conſtanter nego, ipſum Chriſtum alicui divinæ Juſtitiæ pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe, ſive id ſolviſſe, quod nos propter peccata noſtra ſolvere debuiſſemus. Mori enim propter peccata, ſeu pro peccatis alicujus, nihil aliud eſt, quàm cauſâ ſive occaſione peccatorum illius mori. Cauſâ autem ſive occaſione peccatorum alicujus is certè moritur, qui ideo moritur, ut quis à peccatis ſuis retrahatur, atque illi fides fiat, peccata ſibi, ſi ab illis ſe retraxerit, condonatum iri, ac præterea, ut is fructum ejuſmodi condonationis, & ita ipſam condonationem re ipsâ ſentiat & conſequatur. Atqui, ut nobis hæc omnia evenirent, mortuus eſt Chriſtus.* (†) Idem ejuſdem libri cap. 26. *Non ſolùm* ſatisfaciendi *verbum, cùm de ſalute nobis per Chriſtum parta agitur in S. Scripturis, ut ipſe fateris, nuſquam apparet; ſed nihil ejuſmodi, ne ſemel quidem, expreſsè in iis ſcriptum reperitur. Quale eſſet, quòd Chriſtus morte ſuâ nobis Deum reconciliâſſet; vel quòd pœnas univerſas, noſtris iniquitatibus debitas, moriendo divinæ Juſtitiæ perſolviſſet; vel quòd nos è manibus divinæ Juſtitiæ ſanguinem ſuum redemptionis noſtræ pretium ille dans liberâſſet; vel quòd ſcelera noſtra obedientiâ ſuâ compensâſſet; vel quòd, ut remiſſionem peccatorum Deus nobis largiretur, dignè commeritus eſſet; vel denique ſaltem, quòd aliquâ ratione Dei iram nobis placâſſet.*

quæſtione Theologi quidam *Neoterici* commenti ſunt, abſit ut cum hac Catholica Fide commiſceam. Placita volo eorum, qui docent, vel Deum Patrem Filio ſuo, ipſi nunquam non chariſſimo, etiam tum cùm in cruce ſeſe εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, *Eph.* 5. 2. ipſi offerret, revera iratum fuiſſe; vel Chriſtum in Paſſione ſua damnatorum pœnas ac tartareos cruciatus ſubiiſſe; vel communem Servatorem tantùm pro paucorum quorundam peccatis Sacrificium ſuum obtuliſſe; ídque in eorum, ut loquuntur, perſona, ita ut ipſi Juſtitiæ Divinæ ſatisfeciſſe, perque eam Satisfactionem formaliter juſti, atque ab omnis peccati non modò reatu, ſed & culpa planè liberi à Deo cenſeantur; vel, (quod inde conſequitur) paucos iſtos, ad quos ſolos Satisfactio Chriſti pertinet, per eam ipſo facto liberatos fuiſſe, ac proinde juſtificatos in foro Dei, antequam nati eſſent; eamque Juſtificationem, quæ Fidei in Scripturis tribuitur, de Juſtificatione in foro tantùm conſcientiæ, ſive de ſenſu & perceptione Juſtificationis antea peractæ, intelligi debere; vel denique, fructus Satisfactionis Chriſti ſalutares, voluntate Dei Patris & Chriſti in Evangelio patefactâ, ex una conditione Fidei, ſimplicis virtutis, ſuſpendi: quæ manifeſta eſt Doctoris noſtri ſententia. Qui ſuper fundamentali hoc Religionis Chriſtianæ Articulo, unà cum auro Catholicæ Doctrinæ, hujuſmodi *ligna, fœnum, & ſtipulam* non modò ipſi temere ædificârunt, ſed & iſta ſua additamenta, tanquam ipſum eſſent fundamentum, aliis tantùm non cum anathemate obtruſerunt, viderint ipſi, quomodo olim ad Tribunal Domini rationem reddituri ſint.

10. Verùm urgent Adverſarii, in hac ſaltem *de Juſtificatione* Controverſia planè *Socinianum* eſſe Harmoniſtam, atque in *Socini* caſtra apertè tranſiiſſe. *Reſp.* Hoc apertè falſum eſſe, vel ex iis, quæ jam à nobis dicta ſunt, ſatis liquet. Nam inter *Socinum* & *Harmoniſtam* ingens eſt hîc diſſidium de re omnium præcipua, nempe de cauſa Juſtificationis noſtræ περιχαταρκτικῇ meritoriâ, quam *Harmoniſta* in ſolo Ieſu Chriſti Sacrificio propitiatorio ſitam eſſe conſtanter docet; *Socinus* verò nullam prorſus agnoſcit. Sed quid multis opus eſt? Hæc ſumma eſt Doctrinæ meæ de Juſtificatione hominis, (& ſi quid ultra hæc duo docuiſſe me, D. *Tullius* evicerit, vicerit) neminem ex Pacto Evangelico, meritoriâ Ieſu Chriſti Sanguinis effuſione impetrato ac ſancito, Remiſſionem peccatorum, ſive Juſtificationem, abſque Fide & Pœnitentia comparare poſſe; abſque Fidei verò & Pœnitentiæ fructibus acceptam Juſtificationem cuſtodire & conſervare poſſe neminem. Jam hæc doctrina *Sociniana* ſi ſit, tum certè (liceat hîc ad Doctoris verba alludere, quibus ille *Harmoniſtam* alicubi irriſit) *Socinianos* habemus Patres, *Socinianam* Eccleſiam *Anglicanam*, *Socinianos* Reformatos omnes ſaniores, *Socinianum* quoque ipſum Evangelium. Quem nunc pudebit hujus *Sociniſmi*, talibus Patronis ornati? *Juſtif. Paulin. p.* 42.

11. In abſtergenda hac de *Sociniſmo* calumnia eò diutiùs moratus ſum, quòd & per ſe gravis illa ſit, atque à multis reſciverim, iſtam de me famam inimicorum meorum artibus & induſtriâ tam latè ſparſam eſſe, ut jam penè ubique pro *Sociniſta* habear. Sane expertus loquor, inſignem calumniam non modò ceſſiſſe in familiæ meæ detrimentum, ſed etiam ſucceſſui laborum meorum in Sacro Miniſterio (quod me angit maximè) gravi impedimento fuiſſe. Deus Opt. Max. ex effuſiſſima ipſius miſericordia gratiam illis largiatur, quâ de tam atroci in fratrem ſuum injuria ſeriam & tempeſtivam agant pœnitentiam, ut tremendum illud judicium, quod in futuro ſæculo calumniatores manet, effugiant. Interim me ſolabor benedictione Dei, Domini, ac Servatoris mei Ieſu Chriſti, qui dixerit: *Beati eritis, quum vos convitiis affecerint, & mentientes dixerint quidvis mali adverſus vos propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cœlis, &c.* Matt. 5. v. 11, 12. Atque hactenus de Titulo *Novatorum*, quô in Libri inſcriptione adverſarios ſuos gravare voluit D. *Tullius*; cujus invidiam ita amolitus ſum, ut nihil fere, quod eódem ſpectat in ipſo Libri corpore, omiſerim. Hoc autem eô feci conſiliô, ut deinceps Lector cordatus animô à præjudiciis liberô atque inoffenſo pede in Examine eorum, quæ ad cauſam ipſam pertinent, mecum progrederetur.

SECTIO

SECTIO II.

Ad Libri Præfationem.

1. EX Præfatione Doctoris prudenti Lectori conjecturam liceat capere, quid ab ipſo in Operis progreſſu expectandum ſit. Nimirum ſimul atque è carceribus exiit, à meta longiùs aberrat; cùm in Sermonis initio magnâ verborum pompâ explicare aggreditur, quanti ſit momenti, judiciô Prophetarum, Chriſti, Apoſtolorum, Doctorum, Eccleſiarum antiquarum, recentiorum, omnium, Controverſia de Juſtificatione peccatoris; nempe hominúmne, an unius Chriſti Servatoris noſtri, meritis ipſa nitatur. Quis enim ex adverſariis, quos præcipuè in hoc Opere impugnat, illud unquam in dubium vocavit? Certè meâ iſthuc refert nihil. Quare Rhetoricationem illam bene longam, ut planè ἀπροσδιόνυσον, prætereo.

2. Deinde V. R. illos acriter Theologos perſtringit, qui à lite, quam ipſe tanto fervore contra *Harmoniſtam* & alios intendit, abſtinendum cenſuêre, quòd lis illa tandem in meram λογομαχίαν recidat, hoc eſt, quòd nihil ipſi dicant, quod non Proteſtantes omnes ſaniores, etſi aliis fortaſſe verbis, dixerint. Hos ut torpidos, & ſomnolentos, ac planè Galliones, quibus nihil curæ ſit, ſumma Chriſtianæ Doctrinæ capita utram in partem definiantur, modò ſuô ipſi fruantur otiô, irridet atque inſectatur his verbis :

P. 3. *Haud paucos quoque, qui nihil fortaſſe contrà definiunt, neſcio quis animi torpor (reſide hoc ſæculo) invaſit, ut omnium nobiliſſimam, maximique ponderis controverſiam pro inutili habeant* λογομαχίᾳ, *ſicque caveant, ne ſuaves illis unquam abrumpat ſomnos.* Certè λογομαχίαν eſſe quæſtionem illam, utrum Fides *quæ eſt viva*, an Fides *quà viva eſt*, hominem ex Pacto Evangelico juſtificet, ipſe obſervavi *Harm. Apoſt.* Diſſert. prior cap. 6. §. 2. Ubi & Proteſtantium omnium ſaniorum in re ipſa conſenſum oſtendi. Tantùm ibidem monui, ex Juſtificationis doctrina, à Theologis quibuſdam Reformatis, quorum alioqui mens & ſententia ſana & orthodoxa fuit, incommodis verbis explicatâ, vulgus hominum pernicioſiſſimos de re ipſa errores concepiſſe, quibus poſtea Theologi illi diſtinctiunculis & cautelis ſuis fruſtra conati ſunt remedium afferre. Laudavi ſapiens illud maximi *Grotii* hac de re effatum : *Locutiones incautas res ſequuntur periculoſæ.* Neque ſane λογομαχίαις iſtis inſumitur *Harmonia* noſtra, cujus ſcopus & inſtitutum eſt conciliatio ἐναντιοφανείας inter duos Apoſtolos, in re graviſſima; cujuſque pars longè maxima agit de *Pauli* δυσνοήτοις, quæ ab indoctis malè & in pernicioſos ſenſus intellecta fuiſſe, conqueſtus eſt olim *Petrus* Apoſtolus; atque utinam nobis hodie ejuſdem querelæ deeſſet juſta occaſio. Si ex hoc opere nimiùm neceſſariô contentioſi quidam homines inanes λογομαχίας ac lites inutiles ſerendi anſam arripuerunt, non eſt illud mihi vitio vertendum. Cæterùm, cùm D. *Tullius* Theologos illos (qui mihi videntur viri fuiſſe prudentes, & temperatioris ingenii) ibidem tam ſeriò moneat, *ut ne veritatis divinæ magnalia pro nihilo habeant*; operæ pretium eſt ſcire, quænam ſint iſta divinæ veritatis magnalia, pro quibus tantopere digladiandum cenſuit. Purgatis auribus accipite ſubtilem Doctoris Theologiam. Juſtificamur, inquit, per Fidem ſolam, idque non ut opus humanum, etſi bonum, neque ut conditionem tantummodo, in Evangelio præſcriptam; ſed ut inſtrumentum apprehendens & applicans unius Chriſti juſtitiam. Juſtificamur quidem per Fidem, quæ eſt *ſincera Chriſti acceptatio, ut Domini & Servatoris noſtri*; ſed cave, ne reſpectui illi Fidei, quô in Chriſtum, ut Dominum refertur, Juſtificationem tribuas. *Cùm enim Chriſti Sacerdotis, & Domini ſive Regis munia, licèt eadem ſemper & indivulſa ſubjectô, ſuis tamen formalitatibus ab intellectu ſeorſim collocantur, neceſſe eſt, ut Juſtificatio, quæ ex ſola Satisfactione Chriſti oritur, non dominio, quæque conceptu ſuo formali non in mortificatione peccati, ſed in non-imputatione, ſeu peccatoris abſolutione continetur, pro objecto quoque primo & formali Chriſtum Sacerdotem ſive Servatorem habeat. In reliquis conceptibus Chriſtus, fateor, eſt objectum Juſtificationis ut quod, ſive materiale; ut Servator tantùm & Sacerdos, formale, ſive ut quô; hoc eſt, (ne cui fortè terminorum Scholaſticorum ſpinæ tenellos lædant pedes) etſi idem Chriſtus*

Juſtif. Paulin. p. 112. 113.

ſtus ſit Dominus & Sacerdos, totúſque in Juſtificatione recipiatur, totus tamen omni ſenſu, i. e. omnium promiſcuè munerum intuitu, ad Juſtificationem formaliter minimè requiritur, ſed tantùm quà Sacerdos & Legi ſatisfaciens. Quis ſanus non indignetur, has λεπτολογίας (quarum aliquas vix, ac ne vix quidem, ad congruum ſenſum reducas, ut cùm Chriſtus toties dicitur *objectum Juſtificationis*) pro veritatis divinæ magnalibus venditari? Et tamen hoc parum eſt. Ut veritatis divinæ magnalia veneratur D. *Tullius* dogmata quædam valdè pernicioſa, à quibus Chriſtianorum aures abhorrent, atque pro iiſdem, tanquam pro aris, pugnat. Hujuſmodi ſunt, *p.* 30, 31. 32, 102. hominem juſtificari, h. e. peccata ipſi remitti, atque jus ad ſalutem dari, antequam Pœnitentiam agat & verè contritus ſit; Hominem impium juſtificari in ſenſu compoſito, dum impius adhuc manet; ſive ante Ju- *p.* 103. ſtificationem (quôvis ſignô rationis) unumquemque eſſe impium; nihil virtutis, aut operis humani ad Juſtificationem hominis *p.* 53. requiri magis, quàm ad hominem jam natum ut naſcatur, *&c.* Certè cavet abunde D. *Tullius*, ne poſthæc controverſia pro inutili λογομαχίᾳ habeatur, cùm ipſas *Antinomiſmi* fæces, tanquam Apoſtolicam, Catholicam, atque Eccleſiarum omnium Reformatarum doctrinam γυμνῇ κεφαλῇ defendit, nobiſque tam fidenter obtrudit.

3. Quis verò ad ſermonem illum verè tragicum, quem D. *Tullius*, veluti è ſuggeſtò, in *Harmoniſtam* alióſque ſuos adver- *p.* 3, 4. ſarios intonat, nempe, " Juſtificationis do-
" ctrinam malè intellectam lapidem fuiſſe
" iſtum offenſionis & petram ſcandali, ad
" quam Judæi impegerunt, quòd utique
" vitam quærerent inter operum ſepulchra,
" Juſtificationem non ex Lege Fidei, ſed
" ex Operibus; non de terminis, ſed de
" tota poſſeſſione in confeſſo litem eſſe;
" non de muris, ſed de Palladio Chriſtia-
" no: ubi vel ex minima titubatione (ſic-
" uti per glaciem ambulantibus) maximum
" oriatur diſcrimen; nullam eſſe ſpem a-
" pud Deum conſequendi ſalutem, ſi uni-
" ca ignoratur via; denique, cùm binas
" omnino juſtificandi coram Deo vias ſacra
" nobis pagina indigitat, Fidei ſcil. & Ope-
" rum, horúmque adverſas planè frontes o-
" ſtendit, & medii quicquid eſt tempera-
" menti, toties & tam apertè faſtidit, utram
" quis ſemitam elegerit, non eſſet eſſe rarum
" luſum, ſed potiùs æternæ ſortis quaſi pi-
" gnus & ſponſionem:" quis, inquam, ad hæc dicta non totus obſtupeſcat? Serióne credit D. *Tullius*, nos in quæſtione de Juſtificatione hominis cum Judæis ſentire, hoc eſt, ex Lege *Moſis*, ſive ex ullis Operibus noſtris abſque Chriſto Mediatore Juſtitiam ac ſalutem ſperare? Serióne credit, nos totam Fidei noſtræ poſſeſſionem, atque ipſum Palladium Chriſtianum amiſiſſe, unicam ſalutem conſequendi rationem ignorâſſe, atque ex binis juſtificandi (uti loquitur) coram Deo viis, ad ſalutem alterâ, alterâ ad interitum ducente, poſteriorem illam, tanquam æternæ ſortis noſtræ miſerrimæ pignus & ſponſionem, elegiſſe? Si ita eſt, Deus miſereatur hominis, quem ſive judicium, ſive charitas ſua ita prorſus deſtituerit. Sciat V. R. me aliam Juſtificationis ac Salutis obtinendæ rationem ignorâſſe præter hanc: Firmiſſimè credo, mihi Chriſti Evangelio firmum aſſenſum præbenti, atqui ex ea Fide veram agenti Pœnitentiam, hoc eſt, per Gratiam Chriſti omnis peccati mortalis jugum excutienti, ſerióque me devoventi in Evangelicæ Legis obſequium, ex ſumma Dei Patris Miſericordia, propter merita tantùm Filii ſui, Domini ac Servatoris mei Jeſu Chriſti, qui pro meis ac totius mundi peccatis Sacrificium verè Propitiatorium Patri ſuo obtulit, præterita peccata mea omnia, quotcunque quantacunque, plenè remiſſum iri. Ita verò confido, peccata mihi actu remiſſa eſſe, meque in ſtatu Gratiæ ac Salutis jam conſtitui, ut ex ſerio conſcientiæ examine, ad Evangelii normam inſtituto, de Fidei & Pœnitentiæ meæ ſinceritate mihi conſtat. Credo, me, dum Fidei & Pœnitentiæ dignos fructus proferam, hoc eſt, dum ab iis criminibus, quæ hominem è Regno Cœlorum, juxta Evangelium, excludunt, abſtineam, bonáque Opera tum pietatis adverſus Deum, tum juſtitiæ & charitatis erga proximum gnaviter exerceam, acceptam Remiſſionis ac Juſtificationis Gratiam conſervaturum; tandémque, ſi in hoc Juſtitiæ ſtatu moriar, ex eadem Miſericordia Dei per ac propter Chriſtum, æternam vitam ac ſalutem adepturum. Credo, labi me poſſe, ac poſt acceptum Spiritum Sanctum (ut loquitur Eccleſia noſtra) à Gratia recedere; eóque *Salutem meam* (monente A- Phil. 2. 12
poſtolo ipſo) *cum timore ac tremore operor.* Credo, in Evangelio quidem lapſis quibuſcunque & quotieſcunque, modò ante mortem reſipiſcentiam ſuam renovaverint, ac *priora opera fecerint*, veniam promitti; iiſ- Apoc. 2. 5.
dem verò neque vitæ ſpatium, neque gratiam, quâ agant pœnitentiam, uſpiam promitti; proinde illud *Auguſtini* veriſſimum eſſe: *Deum filiis ſuis quibuſdam, quos regene-* *De Corrept. & Grat. cap. 8.*
ravit in Chriſto, quibus fidem, ſpem, dilectionem dedit, non dare perſeverantiam. Credo, gratiam quandam extraordinariam ex Divino beneplacito quibuſdam dari; ſed extremæ dementiæ eſſe cenſeo, quenquam talem gratiam

gratiam præſumere, aut ultra promiſſiones Dei in Evangelio factas ſibi quicquam certò ſpondere. Denique per totum ſalutis meæ curriculum, à carceribus ad metam uſque, gratiam atque auxilium Spiritûs Divini mihi planè neceſſarium eſſe, meque ſine Chriſto nihil boni ſpiritualis unquam vel feciſſe, vel facere poſſe, perſuaſiſſimum habeo. Neque tamen Gratiæ neceſſitatem ſocordiæ meæ velum obtendo; utpote qui ſciam, Gratiam illam non dari niſi *aſſiduè petentibus*, neque effectum ſuum ſortiri niſi invigilantibus. Scilicet ipſe Dominus hæc duo conjunxit προσοχὴν καὶ προσευχὴν· eôque nos docuit (notante Interpretum doctiſſimo) quàm aptè conſpiret cum humana diligentia auxilium divinum. Qui enim vigilare jubetur, non agitur *ut nervis alienis mobile lignum*; qui precari, oſtenditur opis divinæ indigere, ſine qua inanis humana induſtria. Hæc eſt via ſalutis obtinendæ, quam ipſe per Dei Gratiam ingreſſus ſum, aut ingredi certè volui; quam ideo elegi, quòd & in Sacris ea Scripturis mihi clarè monſtretur, & via trita ac tuta ſit, quam Chriſtiani omnes Catholici per quindecim ad minimum à nato Servatore annorum centurias ante me calcârunt. Aliam ſi novit viam D. *Tullius*, eam, ſi quidem ita ſecum (quod nollem) ſtatuerit, ſequatur ſuô periculô: me certè non habebit comitem.

Mat. 26. 41. Luc. 21. 36.

4. Neſcio autem quâ ſinceritate dixerit D. *Tullius*, ſe in hujus controverſiæ arenam perinvitum deſcendiſſe. An ille perinvitus in arenam deſcendit, qui non vocatus, imo & invitis Eccleſiæ Rectoribus, quorum judicio acquieſcere debuerat, in arenam ſe intulit & intruſit; qui poſt tres repulſas, ab iis, penes quos preli cura erat, acceptas, (comperta loquor) tandem clanculùm, atque arte non admodum laudabili, Typographiæ licentiam adeptus eſt? Sed cauſæ tam præclaræ ſtimuli ipſum ſcil. incitârunt. Primùm, quanta hæc injuria in illos Eccleſiæ noſtræ ſummos Antiſtites, qui cauſæ tam præclaræ non modò non faverint, ſed & authoritatem ſuam oppoſuerint? Deinde, ſi ſolum, quod obtendit, præclaræ cauſæ ſtudium, & veritatis auguſtæ (utì mox loquitur) vindiciæ ipſum in hanc arenam traxiſſent; cur amicam per Scripta collationem, quam ipſi obtuli, recuſavit? Sciat enim Lector, cùm aliquando cum Doctore de Libro ejus adverſus me ſcripto (in partu tum, ut loquitur, hærente) coràm conferrem, me ab ipſo obnixè petiiſſe, ut paci Eccleſiaſticæ conſuleret, ac diligenter caveret, ne ex publico diſſidio inter duos ejuſdem Eccleſiæ Theologos, vel Schiſmaticis & Eccleſiæ noſtræ hoſtibus calumniæ occaſio, vel infirmis ſcandalum oboreretur; ac propterea chartas ſuas mecum amicè communicare vellet, hâc lege, ut, ſi iiſdem evinceret, me ſcripſiſſe aliquid, quod à ſana doctrina alienum eſſet, errorem meum publicè retractare non recuſarem: reſpondiſſe verò ipſum, *ſe fortaſſe ſchedarum ſuarum exemplar brevi ad me miſſurum.* Novit D. *Tullius*, me vera ſcribere, & hujus rei teſtem quoque habere ſpectatæ fidei Theologum, qui colloquio noſtro interfuit. Sed chartas iſtas mihi nunquam licuit videre, donec per Typographum publici juris factæ eſſent, atque omnium oculis expoſitæ.

P. 5.

5. Sub finem Præfationis V. R. adverſarios ſuos ſeriò obteſtatur his verbis: *Hoc tantùm adverſæ cauſæ Patronos hortor & rogo, ut, ſi qui reſponſionem meditentur, id eô fiat animi candore, eâ calami ſobrietate, eâ pacis Evangelicæ reverentiâ, ut ſi non idem ſalvâ veritate, incolumi ſaltem amicitiâ diverſum ſentiamus.* Præclarè ſanè! Atque utinam legem, quam aliis ſtatuit, ipſe ſervâſſet. Sed quomodo ille candori ſtuduit, qui artibus, quas ſuprà commemoravi, tam ab omni candore alienis, reſponſum ad Librum adverſarii ſui adornavit? Quomodo illi calami ſobrietas, pacis Evangelicæ reverentia, amicitiam cum diverſùm ſentientibus ſartam tectam conſervandi ſtudium cordi fuit, qui ſecum non ſentientes, ut Sophiſtas, Novatores, Doctrinæ Eccleſiæ *Anglicanæ* deſertores contra toties repetita juramenta ſua & ſubſcriptiones, Pontificiorum æmulos, Jeſuitarum palpones, ſub filiorum Eccleſiæ *Anglicanæ* ementito nomine, ſive Pontificiis, ſive Socinianis perfidè merentes, Scenæ ſervientes, *&c.* paſſim depingit? Lepida ſane eſt excuſatio, quam huic calami ſui intemperiei obtendit, cùm ait: *Poſcat, fateor, interdum veritas ſtyli vehementiam, furorem nunquam.* Quaſi verò omnis ſtyli vehementia, quæ intra furorem ſe contineat, pro calami ſobrietate habenda ſit. Si ita eſt, ſecurum eſſe jubeo Virum Reverendum de calami ſobrietate ab adverſæ cauſæ Patronis ſervanda; cùm nihil ſit in Libro ipſius, quod quenquam adverſariorum ad furorem adigat.

P. 6.

P. 5.

SECTIO III.

Ad Caput primum *de ſtatu Quæſtionis.*

1. IN definiendo Quæſtionis ſtatu videtur D. *Tullius* oſtendere voluiſſe, quàm *aſſuetus* ſit *pilis in controverſia findendis*; cujus artis peritiam ſibi in Præfatione non obſcurè tribuerat. Mirè autem hîc ſeſe effert V.R. ſuoſque veluti è ſublimi adverſarios deſpicit. Quippe hos irridet ut *Sophiſtas* & deluſos homunciones, *cum larvis luctantes*; aitque ab ipſis *ſtatum quæſtionis miſerè turbatum eſſe*; ſe verò ipſum *breviter, ſimpliciter*, & *diſertè* expoſiturum ſpondet. Neque his contentus, Caput concluſurus, hortatur Lectorem, ut ſtatum Quæſtionis ab ipſo explicatum, *ſi in nubibus errare nolit, memoriâ teneat*; facilè ſcil. inde perſpecturus, *quàm leves ratiuncularum ſtipulæ pro ſolidis argumentis*, ab adverſariis in hac cauſa porrigantur. Agè videamus, ecquid tantâ oſtentatione tamque magnificis promiſſis dignum proferat.

P. 3.

2. *Dicimus*, inquit, *primò, nullam eſſe Reformatis vel ſecum, vel cum aliis controverſiam, an Fides, quæ juſtificat, ſit res ſterilis, & infructuoſa, ſeu bonis Operibus, uti fert occaſio, nudata: talem quippe Fidem à Juſtificatione procul univerſi abigunt*, &c. Hoc ſi verum ſit, viderit ipſe, quô pactô doctrinam ſuam Reformatorum omnium communiſententiæ conciliare poterit. Nimirum juxta ipſius Theologiam, Fides juſtifica, cùm juſtificat, eſt res planè ſterilis, atque omni bono opere ac virtute vacua; utpote quæ juſtificat ante omnem animi ſanctificationem, adeóque ante veram de peccatis contritionem, dum homo adhuc impius atque omni bonâ qualitate deſtitutus manet. Quomodo autem is Fidem bonis Operibus nudatam à Juſtificatione procul abigit, qui Fidei ante omne opus bonum (etiam internum) Juſtificationem tribuit? Fruſtra autem hîc occinitur illud quorundam Theologorum: *Fides fœta bonis Operibus juſtificat ante partum*; ſiquidem ſcitum hoc apophthegma à nobis alibi abundè refutatum atque exploſum eſt. Præterea concipi non poteſt, quomodo homo quôvis ſignô rationis ante Juſtificationem revera impius ſit, atque omni bonâ qualitate deſtitutus (quod aſſerit D. *T.*) qui aliquô ſignô rationis ante Juſtificationem fidem habet fœtam bonis operibus.

Harm. Apoſt. Diſſert. 1. *c.* 6. *p.* 42, *&c.*

3. Pergit: *Neque ſecundò quæritur, an cum fide juſtifica, reliquarum quoque virtutum ſemina radicalia, ſeu mavis habitus, ſimul infundantur. Hoc enim utrinque conceditur*, &c. Iterum non video, quomodo hîc ſibi conſtet Doctoris Theologia. Si enim unà cum habitu fidei juſtificæ, reliquarum quoque virtutum habitus ſimul infunduntur, tum infuſio iſta habituum reliquarum virtutum Juſtificationem præcedat, neceſſe eſt: nam fidem juſtificam præcedere Juſtificationem, fatetur D. *Tullius*, & per ſe manifeſtum eſt. Atqui alibi V.R. Sanctificationem, quam in habituum illorum infuſione conſtituit, Juſtificatione omnino poſteriorem, atque (ut vidimus) hominem eô momentô, quô juſtificatur, impium prorſus adhuc eſſe, ſtrenuè contendit. Dixerit fortaſſe (quod & revera dicit) D. *Tullius*, infuſionem quidem habitûs Fidei Juſtificatione omnino naturâ priorem eſſe, infuſionem verò habituum reliquarum virtutum eſſe naturâ Juſtificatione poſteriorem; ſed tamen hæc tria gratiæ divinæ opera, nempe, tum infuſionem habitûs fidei, tum Juſtificationem, tum denique infuſionem reliquarum virtutum ſimul eſſe tempore, atque unô eodemque inſtanti, ut loquuntur, peragi. Mira ſubtilitas! Sed reſpondeo, 1ò. Si concederemus, dari talem aliquam omnium ſimul virtutum *inſtantaneam* (ut dicitur) infuſionem, illud nodum non ſolveret. Cùm enim fateantur adverſarii, hominem non per merum Fidei habitum, ſed per actum aliquem Fidei (qualiſcunque demum is ſit) ex habitu illo profluentem juſtificari, neceſſe eſt inter infuſionem habitûs Fidei juſtificæ, & hominis Juſtificationem aliquod temporis momentum interveniat, quô actus ille Fidei juſtificus perficiatur: unde cuivis manifeſtum fit, ſi habitus Fidei juſtificæ, & reliquarum virtutum ſimul infunduntur, fieri non poſſe, ut infuſio iſta cæterarum virtutum ſit ullo modo, hoc eſt, ſive tempore, ſive naturâ, Juſtificatione poſterior. Verùm, 2ò. ut liberè dicam quod res eſt, puto, vulgatam iſtam doctrinam, de ſimplici & inſtantanea virtutum ſimul omnium Chriſtianarum in hominis animum, ſive ante, ſive poſt Juſtificationem, infuſione, prorſus erroneam eſſe,

Enchir. Didact. cap. 10.

eſſe, aliorumque adeo errorum non levium in S. Theologia fontem & ſcaturiginem fuiſſe. Liceat mihi cum bona Lectoris venia veritatem utiliſſimam, atque ad multa conſideranda apprimè neceſſariam, (ὡς ἐν παρόδῳ) paucis explicare.

4. Ac primùm quidem illud fundamenti locô ſtatuendum eſt, Chriſtianas & ſalutares Virtutes eſſe habitus neq; ſimpliciter infuſos, neq; ſimpliciter acquiſitos, ſed ex utriſq; mixtos, hoc eſt partim infuſos, partim acquiſitos. Me explico: Virtutes illæ non ſunt habitus ſimpliciter acquiſiti, quia neutiquam acquiruntur ullis actibus noſtris præviis, abſque Gratia Dei atque auxilio Spiritûs Sancti præſtitis. Neque ſunt habitus ſimpliciter infuſi, ob hanc invictam rationem: Quod ſimpliciter infunditur, id nobis ut officium noſtrum, ſive conditio ad ſalutem obtinendam neceſſariò præſtanda, fruſtra prorſus adeóque ridiculè præſcribitur; (quorſum enim illud à Deo nobis injungitur faciendum, quod ipſe Deus ſolus in nobis facit?) at Virtutes illæ non fruſtra nobis præſcribuntur; ergo, &c. Quid ergo? Virtutes illas actus quoſdam noſtros dixerim (cum viro doctiſſimo) excitatos & effectos à Gratia præveniente & eliciente, adſiſtente, comitante, & ſubſequente; ita tamen, ut iſtorum actuum frequens & crebra præſtatio habitus tandem quoſdam in animo ingeneret, quibus facilè, lubenter, & conſtanter actus ipſos præſtare velimus & poſſimus. In ſupernaturalibus enim actuum ipſorum principium motum à ſupernaturali cauſa ſtatuatur, neceſſe eſt, quod in naturalibus non eſt neceſſe. Et hoc ſi ſtatuatur, ſalvari poterit univerſa Gratiæ divinæ neceſſitas, dignitas, & efficacia cum natura ipſa creata, & manente etiam ſub peccato. Ita enim ſtatuenda Gratia, ut non tollatur tota rei natura creata; quod fieri neceſſe eſt, ubi talis infuſio & infuſi habitûs immediatus influxus in actum ſtatuitur. Hôc poſitô fundamentô, haud difficile erit, univerſæ οἰκονομίας, quâ per Spiritûs Sancti Gratiam Virtutes ſalutares animis noſtris ingenerentur, & ſalus noſtra procuretur, rationem, ordinem, & quaſi methodum intelligibiliter (quantum fert humana imbecillitas) explicare. Juſtificationem hominis neceſſariò præcedunt actus quidam, ceu diſpoſitiones, (ut loquuntur) quibus homo ad tantum beneficium à Deo recipiendum aptus atque idoneus reddatur; cujuſmodi ſunt, dolere de peccato, deteſtari peccatum, humiliter ſe Deo ſubjicere, ad Dei miſericordiam confugere, in Chriſto Mediatore ſpem figere, divinum favorem ante omnia ambire, novæ vitæ firmum propoſitum inire, aliaque conſimilia, quæ omnia Sacra Scriptura ſub *Fidei* & *Pœnitentiæ* vocabulis complectitur. Hi autem actus, ſive diſpoſitiones, neutiquam ex meris humani arbitrii viribus proficiſcuntur; ſed per Spiritum Sanctum, hominem prævenientem, excitantem, adſiſtentem, comitantem (nondum verò in ipſo homine habitantem) omnino efficiuntur. Efficiuntur verò in homine atque ab ipſo per Dei Gratiam, non in inſtanti, (quod fieri nequit, ſiquidem ut exerat quis actus illos omnes, tempore & quaſi ſerie quâdam pii diſcurſûs omnino opus eſſe per ſe manifeſtum eſt:) neque neceſſariò ſive *irreſiſtibiliter*, ut loquuntur; ſed gradatim, & prout homo ſe ductui verbi Spiritûſque Divini obſequentem præbuerit. Homini ita per Gratiam diſpoſito, ex ſumma Dei miſericordia per ac propter Chriſtum maximum illud Juſtificationis beneficium confertur, hoc eſt, peccata ipſi ſua, quotcunque & quantacunque pleniſſimè remittuntur, atque jus ad ſalutem æternam conceditur. Demum in hominem jam juſtificatum, eôque υἱοθεσίας privilegiô donatum, in ſignum amoris ac veluti teſſeram adoptionis, *Spiritus adoptionis* à Deo emittitur, *Gal.* 4. v. 6. Hæc Spiritûs donatio, quæ Juſtificationem ſequitur, à Gratia ejuſdem Spiritûs hominis converſionem præveniente & operante bifariam imprimis differt: primò, quòd animæ jam à vitiis purgatæ Spiritus Divinus arctiùs atque intimiùs, quàm antea, unitur, in ipſam altiùs penetrat, pleniúſque ejus facultates omnes pervadit. Unde in Scripturis dicitur Spiritus Divinus ante Converſionem hominis, quaſi ad cordis oſtium pulſare; poſt Converſionem verò interiora domûs intrare, *Apoc.* 3. 20. Deinde, quòd Sanctiſſimus ille Spiritus in anima, quam antea veluti inviſerat tantùm, & Gratiâ ſuâ præveniente in domicilium ſibi præparaverat, jam habitat & quaſi ſedem ſuam figit, nunquam inde diſceſſurus, niſi per peccatum aliquod gravius foràs extrudatur; adeoque, ſi quando tale quid acciderit, lubenter rediturus, modò per ſeriam ac tempeſtivam pœnitentiam revocetur. Hæc non ſunt *Novatorum* ſomnia, ſed ipſa veritas in Sacris Scripturis manifeſtiſſimè tradita. Quæ cùm paſſim ac verbis diſertiſſimis donationem Spiritûs Sancti poſt Fidem & Pœnitentiam ponant, ipſúmque Spiritum Sanctum non niſi animis jam bene præparatis ac diſpoſitis infundi doceant; tam Fidem tamen, quàm Pœnitentiam, Gratiæ divinæ verbis æquè claris tribuunt. Obteſtor Lectorem, ut non perfunctoriè legat, ſed attentè ac ſeriò expendat hæc Scripturæ loca, *Prov.* 1.23. *Eſa.* 57.15. & 66. 1,2. *Luc.* 11. 9, 13. *Joan.* 14. 17, 23. *Act.* 2. 38. & 5. 32. *Gal.* 3.14. *Eph.* 1.13. 1 *Pet.* 5.5. *Apoc.* 3. 20. coll. cum *Joan.* 6. 44. *Act.* 16. 14. *Eph.* 2. 8.

2 *Tim.*

2 *Tim.* 2. 25. Cæterùm hæc donatio Spiritûs Sancti, quæ Fide, Pœnitentiâ, adeóque Juſtificatione poſterior eſt, non novos (quod apprimè notandum) in homine creat Virtutum habitus, ſed tantùm imperfectiores illas Virtutum diſpoſitiones, quæ antea in homine per Gratiam prævenientem effectæ erant, quaſque ſub Fidei & Pœnitentiæ nomine comprehendi diximus, confirmat, corroborat, intendit, auget, atque in habitus tandem ſolidos provehit. Nimirum veræ Pœnitentiæ (utpote quæ timorem divinum, charitatem erga Deum, licet imperfectiorem, odium peccati, amorem juſtitiæ, &c. complectitur) inſunt omnium Virtutum ſemina, quæ deinceps à Spiritûs Sancti Gratia uberiùs irrigata, in amplam Virtutum ac bonorum Operum ſegetem excreſcunt. Unde bona Opera omnia quæ ab homine jam juſtificato fiunt, in Sacris Scripturis dicuntur ἄξιοι καρποὶ, ἄξια ἔργα τ̃ μετανοίας· *digni fructus*, & *digna opera pœnitentiæ*, Mat. 3. 8. Act. 26. 20. Cùm autem variis modis (de quibus hîc non eſt diſferendi locus) in homine juſtificato pias illas diſpoſitiones prævias adaugeat Spiritus Sanctus; tamen inter modos illos eminere videtur efficax illa & potens (ut verbis utar viri doctiſſimi) favoris divini in animum impreſſio, quâ fidelium corda jam antè ſpe æternæ vitæ, quam ex verbo Fœderis hauſerant, imbuta, certiori plerumque ſpei iſtius ſenſu ita blandè & ſuaviter afficiuntur ac perfunduntur, tanquam guſtarent jam & perciperent aliquo modo virtutes futuri ſæculi, & præmiô promiſſô aliquatenus fruerentur. Ex hoc ſenſu favoris divini mirè inflammatur Charitas noſtra erga Deum; Charitati autem (præſertim ardenti) nihil in Virtute difficile. Hæc, quantùm patitur rei ſublimitas, plana ſunt ac facilia; quæ verò philoſophatur D. *Tullius*, de ſimplici atque inſtantanea omnium ſimul Virtutum infuſione, nunquam vel ipſe, vel alius quiſquam intelligibiliter explicare poterit. Sed è diverticulo in viam.

5. Progreditur D. *Tullius*: *Nec* 3^o. inquit, *litem movemus ipſi, an bona Opera ſint ad Salutem neceſſaria, modô ſcil. loco, ordine, & ex fundamento ſibi proprio*, &c. Verùm cur modum illum, locum, ordinem, & fundamentum proprium, juxta quod ad Salutem revera neceſſaria eſſe fatetur bona Opera, non hîc (ubi proprius locus erat) explicavit? Certè quia, ſalvâ hypotheſi ſuâ, non poterat. Nam lepidæ iſtæ ſimilitudines & metaphoræ, quibus adeo delectatur, nihil planè ad rem faciunt. *Ad exſtruendum*, inquit, *ædificium cujuſvis bajuli neceſſarius eſt uſus, at non qualis Architecti; ancillæ opus in domo, quæ tamen ſi matrem protervè agat familiâs, cum* Hagare *foràs ejicienda*. Quaſi ſcil. quiſquam noſtrûm Architecti in ædificio ſalutis noſtræ exſtruendo, aut Matris familiâs in eodem negotio diſponendo vices, non Gratiæ Divinæ & Meritis Chriſti, ſed bonis Operibus noſtris aſſignare auſus fuerit. Piget tam manifeſtam calumniam toties refellere. Sufficiet nobis, ſi verum aliquem ad Salutem obtinendam bonorum Operum uſum neceſſarium (ſit ille, qualis ancillæ in domo matrifamiliâs ſervientis) ſine fraude & fuco agnoverit D. *Tullius*; neque veram ſanctimoniam pro *Hagare* habeat, foráſque prorſus ejiciat. Sed qualem, quæſo, ad Salutem bonorum Operum neceſſitatem fatetur ille, qui homini tantùm credenti ante omne opus bonum, etiam internum, jus ad ſalutem, ídque irrevocabile, non veretur concedere? An dicet, neceſſaria eſſe bona Opera tantùm ut ſigna Fidei veræ & ſalvificæ? Verùm hæc neceſſitas non Deum, cujus omniſcientia ſignis illis atque indiciis non indiget, ſed homines tantùm reſpicit. An ut effectus veræ Fidei prorſus neceſſarios prædicat? Sed magnum aliquid & ſe dignum præſtabit D. *Tullius*, ſi Fidem aliquam nobis deſcripſerit, quæ ſit mera Fides, quæque charitatem ſuâ notione non includat, unde bona Opera neceſſariò profluant. Sat ſcio, hoc ab ipſo præſtari non poſſe. Utinam verò, depoſito & præjudicio & faſtu, ſeriò legeret V. R. quæ de natura Fidei in *Examine* fusè diſſeruimus; aut, ſi noſtra contempſerit, Clariſſimum *Hammondum* (quô uti magiſtrô non eſt quòd dedignetur) adiret in brevi Tractatu poſthumo de Concordia inter *Jacobum* & *Paulum*, alteri de æternitate cruciatuum Tartareorum annexo, qui errori iſti refellendo penè totus inſumitur. *Reſp. ad Animadverſ.* 13.

6. Pergit D. *Tullius*: *Nec* 4^o. inquit, *controvertitur, an ſenſu declarativo ſua bonis Operibus tribuenda ſit Juſtificatio, tum domi ſcilicet, & in foro conſcientiæ apud ipſum juſtificatum, tum foris apud alios; arbor enim cognoſcitur ex fructibus*. Egregium verò monitum! Quaſi ſcil. quiſquam ſanus in quæſtione de Juſtificatione hominis declarativa (ut loquuntur) ſive in foro conſcientiæ, ſive foris apud alios, controverſiæ inter Doctorem ejuſque Adverſarios τὸ κρινόμενον ſitum eſſe ſuſpicaretur. Interim neſcio, quare pro conceſſo habeat D. *Tullius*, hominem foràs apud alios juſtificari, hoc eſt, juſtum declarari, bonis ſuis Operibus. Certè nulla bona Opera noſtra in ſenſus aliorum hominum incurrunt, præter externa; externa verò illa Opera æquè præſtare poteſt Hypocrita à fide juſtifica alieniſſimus, atque verè Chriſtianus. Quod adeo verum eſt, ut clarè nos doceat Apoſtolus, poſſe hominem Opera exteriùs præſtare maximè Heroica (cujuſmodi

ſunt

ſunt, facultates ſuas omnes egenis impendere,
1 Cor. 13. & Martyrium pro divina veritate ſubire) qui verâ charitate, ac proinde fide juſtificâ planè
Juſt. Paul. deſtitutus ſit. Quod enim ad hoc alicubi reſpondet Dominus *Tullius*, eſſe quidem forum
p. 148, 149. humanum fallibile, & poſſe homines juſtificare impium & damnare innocentem, ſed & idem facere fora civilia, neque tamen fora eſſe deſinere; proinde hoc culpam ponere judicum, jus fori non tollere; hoc, inquam, nullius momenti eſt. Neque enim quòd homines de pietate aliorum non certò judicant, culpa eſt judicum, ſed in cauſa eſt defectus regulæ, juxta quam eâ de re certò dijudicare poſſent. Quin & in forum alienum ſe intrudit miſellus homuncio, qui de alterius conſcientia, divinæ tantummodò cognitioni ſubjectâ, ſententiam ferre auſus fuerit. Poſ-
vid. 1. Cor. 4. v. 3, 4, 5. ſumus quidem de alterius interna pietate bene ſperare; ſed hoc non eſt ſententiam ferre.

7. Tandem ad ipſum Controverſiæ τὸ κρινόμενον explicandum ſe accingit D. *Tullius*: *Hoc itaque*, inquit, *eſt* τὸ κρινόμενον, *ſive ſtatus quæſiti genuinus* (*prout ab Eccleſiis Reformatis defenditur*) *quid nimirum illud ſit, cujus intuitu, vel propter quod, hominem peccatorem, iræ filium, & Legis maledictioni obnoxium, Deus in gratiam recipiat, ab execratione Legis abſolvat, vitæ demum æternæ hæredem faciat.* ——*Et quidem ex parte Dei, convenire videtur, meritum hoc eſſe ſolius Chriſti, in quo complacuit Pater. Diſſidium ex hujus meriti applicatione oritur, nempe quid illud ſit, quod inæſtimabilem hunc theſaurum; noſtrum facit. Fidem & Opera cum Pontificiis aiunt Adverſarii domeſtici, nos Fidem ſolùm, idque non ut Opus humanum, etſi bonum, ſed ut apprehendens, obſignans, & applicans unius Chriſti Juſtitiam*, &c. Multa hic cenſuram merentur; ſed tria tantùm annoto. 1. Malè à Doctore dicitur, *convenire videtur* de Merito ſolius Chriſti. Apage iſtud incertæ rei vocabulum. Non modò videtur, ſed & conſtat, nos nihil noſtrî, quod meritorium ſit, in Juſtificationis ac Salutis negotio admittere. 2. Pro eodem ſuo candore Adverſarios domeſticos cum Pontificiis, quaſi connubio, lubenter conjungit; quanquam ſatis nôrit, inter partes nondum conveniſſe. 3. Quod ad rem ipſam ſpectat, præclarè, ac prout Doctorem Academicum decet, ipſum τὸ κρινόμενον, ſive ſtatum quæſiti genuinum, explicat terminis figuratis, ſive metaphoricis, eóque incertis. Quid ſit inæſtimabilis theſaurus, (Deo laus ſit) non ignoramus quidem; de applicatione verò quæritur, ſcil. an per illud *apprehendens*, *obſignans*, *applicans*, conditionem ex parte noſtra requiſitam velit? Si ita eſt, conſtanter aſſerimus, fidem ſimplicem Virtutem non eſſe unam Remiſſionis, ſive Juſtificationis obtinendæ conditionem in Evangelio præſcriptam, ſed Pœnitentiam præterea ad id requiri; & fruſtra expectamus, dum V. R. ad argumenta, quibus hanc aſſertionem noſtram firmamus, quicquam ſolidi reſpondeat. Sin aliud quid, & altius, voluerit, utinam ipſi tandem vacaret, tantum nobis myſterium intelligibiliter explicare. Hactenus D. *Tullium* audivimus. Lectoris autem conſcientiam appello, an ex hac tam ſollicita quæſtionis explicatione vel hilum profecerit. Videamus, an à *Novatoribus* his certiora & clariora proferri poſſint.

8. Ut de cauſa προηγεμένη Juſtificationis noſtræ (quam in Miſericordia Dei Chriſtiani omnes ſtatuunt) nihil dicam; convenit inter Reformatos de ejuſdem cauſa, ſive ratione *formali*, quòd nempe ſita illa ſit in Remiſſione peccatorum & acceptatione hominis ad Salutem æternam. Sic Confeſſio *Auguſtana* in Articulo de Fide, adductis quamplurimis *Pauli* locis, in quibus de Juſtificatione hominis agitur, ſubjicit: *Significat autem Juſtificatio in his* Pauli *ſententiis Remiſſionem peccatorum, ſeu Reconciliationem, ſeu Imputationem Juſtitiæ, hoc eſt, acceptationem perſonæ.* Similiter Eccleſia noſtra *Homil.* de Salute hominis part. 1. in ipſo pene initio; ubi poſtquam dixerat, neminem in conſpectu Dei perfectè juſtum eſſe, ac peccati planè expertem, ſubdit: *Itaque unicuique neceſſitas incumbit aliam quærendi Juſtitiam, ſive Juſtificationem, quæ Deo accepta referenda ſit, nempe Remiſſionem peccatorum ſive offenſarum ſuarum, in quibuſcunque deliquerit.* Pleniùs verò rem exprimit paulò pòſt, ubi Juſtificationem infantium baptiſmate conſignatorum, atque abſque actuali peccato denatorum, ſic deſcribit: quòd *per ſacrificium Chriſti à peccato* (nempe originali) *abluti, in gratiam Dei reſtituantur, ipſiuſque filii ac Regni cœleſtis hæredes fiant.* Sunt quidem inter Reformatos Doctores nonnulli, qui in una Remiſſione peccatorum rationem Juſtificationis formalem conſtituunt; ſed horum ſententia, prout ab ipſis explicatur, non re, ſed verbis tantùm à priori diſcrepat. Aiunt enim, plenam omnium peccatorum remiſſionem requirere, ut cui Deus ſecundùm fœdus Evangelicum remittit peccata, is ſimul juſtus, & juſtitiæ præmio, quod eſt vita æterna, dignus cenſeatur. Nam (inquiunt) cùm peccata partim ſint commiſſionis, quibus mandatum aliquod prohibens violatum eſt, partim omiſſionis, cùm jubens neglectum eſt; ille, cui utriuſque generis peccata fuerint remiſſa, pro perfectè juſto, ac proinde remuneratione digno habetur. Addunt, plenam remiſſionem eſſe omnis pœnæ,

tam damni, quàm ſenſûs; proinde cuicunque plena remiſſio contingit, eidem hôc ipſo jus ad Regnum cœleſte, unde per peccatum exciderat, reſtitui; ut hîc ſit mera λογομαχία. Vide tamen quæ de vera notione Juſtificationis fusè diſputavimus Exam. Cenſ. Reſponſ. ad Animad. 3. & Reſp. ad Anim-adv. 7.

9. Secundò, convenit inter Reformatos omnes (nam *Sociniſtas* ex albo Reformatorum meritò eraſimus) de Juſtificationis noſtræ cauſa περιγραφικῇ meritoriâ; quòd nempe ipſa in Chriſti Domini noſtri ſatisfactione unicè quærenda ſit.

10. Tertiò, convenit inter ſaniores Theologos Reformatos, Chriſtum ſatisfactione ſuâ remiſſionem peccatorum ac jus ad ſalutem æternam nobis non *abſolutè* impetrâſſe, ſed ſub certâ quadam conditione in novo Fœdere præſcripta; ac proinde neminem per Chriſti ſatisfactionem *immediatè*, ſed eos ſolos, qui conditionem illam præſtiterint, juſtificari. Certè in hoc conſentiunt Reformatarum Eccleſiarum Confeſſiones ad unum omnes. Non defuere (ſat ſcio) Theologaſtri quidam Schiſmatici è noſtratibus, (quorum princeps fuit Criſpus ille, quem alibi commemoravimus) qui auſi ſunt palàm docere, Electos omnes ſtatim à Chriſti morte, adeóque ab æterno, quatenus mors Chriſti, ut præſtita, in decreto Divino ſpectata fuerit, à reatu peccatorum ſuorum abſolutos fuiſſe; eam verò hominis Juſtificationem, quæ in tempore fit, & tantopere in Scripturis celebratur, nihil aliud eſſe quàm lætum quendam ſenſum, ſive perceptionem Juſtificationis antea peractæ & abſolutæ. Sed jam diu eſt, ex quo apud nos iſta fæx hominum cum inſano ipſorum dogmate exploſa fuerit.

11. Itaque lis tota eſt de cauſa ſine qua non, ſive de conditione, ex parte noſtra ad Juſtificationem requiſitâ. Scil. hoc tandem eſt revera τὸ κρινόμενον controverſiæ, hîc cardo vertitur quæſtionis: *ſub quibus conditionibus remiſſio peccatorum, ac jus ad ſalutem æternam, nobis in Evangelico fœdere promittantur?* Sub conditione ſolius fidei, ſimplicis virtutis, ait D. *Tullius*; ſub conditione fidei & pœnitentiæ nos cum Prophetis, Chriſto, Apoſtolis, cum veteris Eccleſiæ Catholicæ Doctoribus univerſis, cum Eccleſiæ noſtræ Patribus, cum ſanioribus Reformatis Theologis omnibus, conſtanter affirmamus. Breviter, Summa (ut dictum eſt) doctrinæ noſtræ hæc eſt: Ex fœdere Evangelico, Chriſti Servatoris meritoriâ ſatisfactione impetrato ac ſancito, remiſſionem peccatorum atque jus ad ſalutem fide & pœnitentiâ ex parte noſtra comparari; fidei verò & pœnitentiæ fructibus conſervari. Qui ad hanc quæſtionis explicationem attenderit, is mirabitur, (nullus dubito) quomodo de re tam plana, facili ac perſpicua, inter Theologos judicio pollentes, atque pacis & veritatis amantes, controverſia aliqua (nedum tam acris) oboriri potuerit.

12. Ut Summam hujus diſputationis paucis contraham, atque Lectori controverſiam totam, uno quaſi intuitu, conſpiciendam exhibeam; concluſio noſtra, adverſus Doctorem probanda, hæc eſt: Præter fidem, etiam veram pœnitentiam in novo Fœdere prorſus neceſſariò ad id requiri, ut quis remiſſionem peccatorum & jus ad ſalutem ac vitam æternam acquirat. Ad hanc theſin probandam non leves ratiuncularum ſtipulas, ex ſacra pagina peſſimè intellecta, coacervamus, (ut fingit D. *Tullius*) ſed loca Scripturæ diſertiſſima, quæque nullâ fere egeant conſequentiarum deductione, adhibemus. Sane univerſa Biblia à capite ad calcem teſtimoniis referta ſunt, quæ neceſſitatem veræ reſipiſcentiæ, ad Remiſſionem peccatorum ſive Juſtificationem obtinendam, evidentiſſimè evincunt. Ex tanta copia loca quædam hîc illuſtriora attuliſſe ſufficiet.

Vox eſt Evangelii, per Evangelicum Prophetam ſonantis: *Lavamini, mundi eſtote, auferte malignitatem actionum veſtrarum è conſpectu meo; deſinite malefacere, diſcite benefacere*, &c. *Venite jam, & diſceptemus, inquit Jehova; ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, ſimilia lanæ erunt.* Eſa. 1. v. 16, 17, 18. Ubi promiſſio remiſſionis, annexa pœnitentiæ mandato, oſtendit, quanta ſit hujus tum neceſſitas, tum efficacia, ad illam conſequendum. Quid autem expreſſius fingi poteſt iſtis: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & juſtitiam, vitâ vivet, & non morietur; omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor; in juſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet. Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus, & non ut revertatur à viis ſuis, & vivat?* Ezech. c. 18. v. 21, 22, 23. Et rurſus: *Convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non vobis erit in ruinam iniquitas*, &c. v. 30, 31. His gemina habentur Ezech. 33. v. 11, 14, 15, 16. In novo T. dicitur *Joannes* Baptiſta *à Deo miſſus, qui prædicaret Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*, Marc. 1. 4. Ubi ſimul ponuntur finis & media ad eum conducentia: finis eſt remiſſio peccatorum, ſive Juſtificatio; media ſunt Baptiſmus & pœnitentia. Qui itaque docet peccata homini remitti, antequam veram

ram pœnitentiam agat, finem in executione ponit, antequam medium exiſtat ; quô ſane nihil abſurdius. Hinc Dominus Ieſus diſcipulis ſuis dicebat, *oportere prædicari in nomine ſuo pœnitentiam & remiſſionem peccatorum.* Luc. 24. 46, 47. Quò reſpiciens *Petrus* concionabatur Judæis ad hunc modum: *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum.* Act. 2. 38. Item: *Pœnitemini igitur & convertimini, ut deleantur peccata veſtra*, &c. Act. 3. 19. Item ad *Simonem Magum: Pœnitentiam age ab hac malitia tua, & Deum deprecare, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Act. 8. 22. Denique *Joannes* Apoſtolus: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt* (Deus) *& juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & mundet nos ab omni iniquitate.* 1 Epiſt. c. 1. v. 9. Ubi per Synecdochen voce *confitendi*, univerſam pœnitentiam intelligi, apud omnes Interpretes in confeſſo eſt. Idem quoque dicit Apoſtolus ejuſdem capitis v. 7. Jam penes Lectorem eſto judicium, utrum nos, qui tot diſertiſſimis Scripturæ locis ſententiam noſtram confirmamus, (quibus alia plurima, nec minùs diſerta, in proclivi eſſet adjicere) leves ratiuncularum ſtipulas ex ſacra pagina, peſſimè intellecta, coacervâſſe jure dici poſſimus.

13. Quid autem contra hæc tam clara, tam manifeſta adfert D. *Tullius?* Certè non leves ratiuncularum ſtipulas, ſed miſellum Sophiſma unum, quô neque ipſæ paleæ leviores. Ita ſcil. adverſus conſtantem doctrinam Prophetarum, Chriſti, Apoſtolorum, Doctorum, Eccleſiarum (antiquarum, recentiorum, exterarum, omnium) argumentatur: *Si ponatur reſipiſcentia vera & Evangelica ante Juſtificationem, tum vel ponetur ante fidem, vel poſt: ſi poſt fidem, tum poſt Juſtificationem quoque ; alioqui vir fidelis non erit juſtificatus, & ſic ſimili erit (quoad rem) conditione cum infideli, quod neque ratio (vel Adverſariorum) feret. Si reſipiſcentia ponatur ante fidem, tum fides non erit initium & radix reſipiſcentiæ*, &c. Nimirum dilemmate hîc nos urget V.R. ſed debili quidem illo ac valdè infirmo, utpote quod altero ſuo cornu manifeſtè deficit. Namque intrepidi affirmamus, veram & Evangelicam pœnitentiam, ſive reſipiſcentiam, poſt fidem Evangelii poni debere ; ſiquidem fieri non poteſt, ut pœnitentiam ex Evangelio concipiat, qui fidem priùs Evangelio non habet. Atqui, inquit D. *Tullius*, ſi poſt fidem ponenda ſit reſipiſcentia, ergo poſt Juſtificationem quoque. Negamus conſequentiam. Quomodo probat? Argumento ſcil. ab abſurdo ; quia alioqui ſequeretur, fieri poſſe, ut vir fidelis nondum juſtificetur, ac proinde ſimili conditione ſit cum infideli. Craſſa homonymia in voce *fidelis* ſita. Fidelis bifariam dicitur, vel qui fidem habet per charitatem perfectam, vel qui fide quidem prædituſ eſt, nondum tamen tali, quæ in cor ipſius ac voluntatem potenter influat, indeque veram adverſus Deum charitatem eliciat. Si priori modo vox accipiatur, rurſus conſequentiam negamus. Nam ex repudiata hac propoſitione, ſi poſt fidem, nempe ſimplicem virtutem, ponenda ſit reſipiſcentia, ergo poſt Juſtificationem quoque, non ſequitur fieri poſſe, ut vir fidelis, hoc eſt, qui fide formatâ prædituſ eſt, nondum juſtificetur ; cùm fides formata veram & Evangelicam pœnitentiam ſuo ambitu comprehendat. Sin poſteriori ſenſu vocabulum intelligatur, nempe ut fidelis dicatur is, qui fide tantùm prædituſ eſt nondum per charitatem perfectâ, quæque veram pœnitentiam in homine nondum produxerit ; tum propoſitio hæc, *fieri poteſt ut vir fidelis nondum juſtificetur*, adeo nihil abſurdi in ſe habet, ut certiſſimæ veritatis ſit. Imo hoc illud ipſum eſt, quod contendimus, atque allatis modò Scripturæ teſtimoniis aliiſque multis argumentis abunde evicimus. Hic itaque manifeſta eſt petitio principii, *quô* (ut alicubi monet D. *Tullius*) *vix ullus in diſputante moleſtior paralogiſmus: neque enim hoc eſt diſputare, ſed nugari, & bonas horas malè perdere.* Ac de Quæſtionis ſtatu hactenus.

Juſtif. Paulin. p. 102.

Juſtif. Paulin. p. 140.

SECTIO

SECTIO IV.

Ad Cap. 2. *De Patrum ſententia.*

HIc primùm Authorem *Harmoniæ Apoſtolicæ* nominatim adoritur D. *Tullius*; Sed eheu quàm infeliciter! Nam poſtquam de Authore iſto mentionem feciſſet, pauculis lineis interjectis, hæc ſubjicit: *Habemus venditantem, omnes naves in* Pyræo *ſtantes ſuas eſſe. Patres pleroſque omnes ante* Auguſtinum *pro Juſtitia Operum ad ipſius caſtra tranſire. Quis ei impoſuit, niſi Scriptor aliquis Pontificius, ignoro. Certè, cùm iſta ſcriberet, in lectione Patrum ipſum modicè verſatum conſtat.* Quis non crederet, hæc à me revera ſcripta fuiſſe, præſertim qui in ipſo capitis Elencho hæc legerit verba: *Authoris Harm. Apoſt. mira de Patribus jactantia?* Sed proh fidem & conſcientiam hominis! Percurrat Lector *Harmoniam* totam à capite ad calcem, & nihil tale reperiet. Unde & D. *Tullius* neque caput, neque paragraphum, neque paginam, ubi hæc ſcripſerim, ſive in textu, ſive in margine ſuo indicavit. Non nego, me perſuaſum habere, Operum Juſtitiam, qualem ipſe defendo, non modò à pleriſque, ſed ab univerſis Patribus ante *Auguſtinum*, quin & ab ipſo *Auguſtino*, adeóque à Catholicis omnibus poſt *Auguſtinum* defenſam fuiſſe; ſed me in *Harmonia* ita ſcripſiſſe, omnino nego. Hiccine candor ille, quem profitetur V.R. cujuſque exemplum adverſariis ſuis exhibere voluit?

Juſtif. Paulin. p. 13.

2. Sed & unde ipſi conſtat, me, cùm *Harmoniam* ſcriberem, in lectione Patrum tam modicè verſatum fuiſſe? Reſcivit hoc fortaſſe à viris illis fide dignis, quos in Præfatione ſua commemorat. Fateor lubentiſſimus, omnia mea modica eſſe; ſed palàm eſt, Doctorem voluiſſe, me tum temporis in Scriptis Veterum planè hoſpitem fuiſſe. Unde autem, inquam, hoc ipſi conſtat? Alicubi non rogatus V.R. Harmoniſtæ largitur induſtriæ atque ingenii laudem. Sane autem liquidò affirmare poſſum, Harmoniſtam per quinquennium, antequam Harmoniſta audiret, hoc eſt, Harmoniam ſcripſiſſet, induſtriam ingeniumque penè omne (poſt S. Scripturæ ſtudium) lectioni Veterum, eorum verò imprimis, qui intra tria prima ſæcula floruerunt, impendiſſe. Scil. à Viro maximo admonitus (cujus memoriam cum honore recolit) ſtudiorum ſuorum Theologicorum initia ita inſtituerat. Atque utinam dignus eſſet, qui Sacræ Theologiæ in Academia noſtra Candidatis Author fieret (reclamante licet, uti ſat ſcio, D. *Tullio*) ut idem ipſi facerent.

Juſtif. Paulin. p. 139.

3. Cæterùm non obſcurum videtur, quô conſiliô D. *Tullius* miram iſtam (ut loquitur) de Patribus jactantiam Harmoniſtæ affinxerit. Voluit Adverſarii ſententiam hâc invidiâ onerare, quòd nova illa ſit, veteriſque Eccleſiæ Catholicæ conſenſui repugnet; atque in eum finem neceſſarium duxit, verba ipſi tribuere, quæ occaſionem præberent de Patrum in hac quæſtione ſententia diſſerendi. Ut ut verò illud ſit, venerandum Catholicorum Doctorum tribunal adeò non refugimus, ut eò lubentes ac læti, tanquam ad aſylum noſtrum, confugiamus. Et ſiquidem ad Patres appellat V.R. ad Patres ibit.

4. Illud autem generatim de Patribus affirmamus, in locis illis omnibus, ubi juſtificari hominem ex ſola Fide docent, loqui ipſos non de Fide ſimplici virtute, ſed de Fide ſenſu complexo accepta, ſive de Fide formata, & cum vera interna Contritione & Charitate conjuncta; ut Fides opponitur vel 1. Operibus externis, ſive actuali Operum juſtitiæ; vel 2. Operibus Legis naturalis, ante & citra Cognitionem, Fidem, & Gratiam Evangelii præſtitis; vel 3. Operibus Legis Moſaicæ; vel denique, Operibus quoviſcunque nomine meritoriis, ex quibus gloriatio hominis coram Deo conſequatur. Atque in hanc ſententiam Veterum quorundam teſtimonia ab Authore *Homiliæ* de Salute hominis rectè & appoſitè allegantur. Ad Doctorem verò quod attinet, (ut ipſius verba ipſi regeram) *quanquam in hac controverſia, tot ei pugilibus & ducibus veteranis ex adverſo ſtantibus, arma non faſtidit ſocialia; imò ſollicitè ambit, ſi quo pacto ſibi demerendi aditus pateret; tamen (quæ ſua eſt infœlicitas) nemo in auxilium prodit, & fruſtra ſudat, ut reluctantes trahat.* Audivimus ipſum ſententiam ſuam, noſtræ oppoſitam, ita explicantem, ut affirmet, per Fidem ſimplicem virtutem

virtutem ante omnem veram contritionem, ſive pœnitentiam, hominem juſtificari; hominem impium juſtificari, hoc eſt, peccata ipſi remittti, ipſumque ad ſalutem acceptum haberi, dum adhuc impius ſit, *&c.* Si autem vel unum ex Patribus proferre poteſt V. R. qui tam pernicioſam ſententiam Scriptis ſuis uſpiam tradiderit, herbam ipſi porrigemus. Tam longiſſimè à verô abeſt, quod affirmat D. *Tullius*, *Patres in hac controverſia eandem prorſus ſecum ſententiam apertè millies profiteri.* Sed jam ipſos Patres audiamus.

Juſtif. Paulin. p. 15.

5. *Irenæus* lib. 4. cap. 13. de *Abrahamo*: *Didicerat enim à Verbo Domini, & credidit ei. Quapropter & deputatum eſt ei ad juſtitiam à Domino. Fides enim, quæ eſt apud Deum altiſſimum, juſtificat hominem.* Audio quidem optimi Patris verba; ſed de ſenſu ejus adhuc quæritur. Liceat ipſi ſui ipſius agere interpretem; neque interpretatio longiùs petenda, quàm ex ejuſdem Libri capite ἀμέσως ſequente, ubi ita ſcribit: *Ad hoc Filius revelavit Patrem, ut per eum omnibus manifeſtetur, & eos quidem, qui credunt,* &c. *in æternum refrigerium recipiat. Credere autem ei eſt facere ejus voluntatem.* Quis ſanus tali Fidei juſtificationem detraxerit? Hìc quoque repetenda ſunt, quæ jam in *Examine* citavimus ex hoc ipſo *Irenæi* Libro cap. 27. ubi hæc duo, *per naturalia Legis juſtificari*, & *per Fidem juſtificari*, ut ἰσοδυναμοῦντα, ab ipſo ponuntur.

Reſp. ad Animadverſ. 12. *Sect.* 6.

6. Sequitur *Origenes*, (primus Patrum, qui à D. *Tullio* pro ſua ſententia confirmanda teſtes citantur) qui in Libro 3. Comment. in Epiſt. ad *Rom.* cap. 3. (ſi *Rufino* interpreti fides habenda ſit) ita quidem ſcribit: *Dicit Apoſtolus, ſufficere ſolius fidei Juſtificationem, ita ut credens quis tantummodò juſtificetur, etiamſi nihil ab eo operis fuerit expletum.* Sed facilis eſt reſponſio, loqui nempe manifeſtè *Origenem* de Fide cæteris internis virtutibus formatâ, ut opponitur *Expletioni* Operum externorum. Liquet illud tum ex ipſis Adamantii verbis allatis, *etiamſi nihil ab ipſo operis fuerit expletum*; tum ex addito mox exemplo, fidelis nempe Latronis, qui certè ſine internis animi virtutibus Juſtificationem non adeptus eſt. Pleniùs autem hac de re mentem ſuam aperit *Origenes* eorundem Commentariorum lib. 4. ad cap. 4. ad *Rom.* ubi hæc habet: " Sed cùm ad Scripturas " redeo, non omnibus credentibus invenio " quòd fides ad juſtitiam reputetur. Deni- " que ſcriptum eſt de filiis *Iſrael*, quia cre- " diderunt Deo & famulo ejus *Moſi*; non " tamen additur, quod de *Abraham* ſcriptum " eſt, quia reputatum eſt illis ad juſtitiam. " Ob hoc arbitror, quòd non illis erat, ſicut " in *Abrahamo* docuimus, ex multis partibus " fidei in unum coacervata perfectio, quæ " mereretur ad juſtitiam reputari. *Et paulò pòſt*: " Credenti verò in eum, qui juſtificat " impium, fides ad juſtitiam reputatur: ſi- " quidem bene meminimus ſuperiora, in qui- " bus oſtendimus, non ei qui ex parte, ſed " qui ex integro, & qui perfectè credit, fi- " dem poſſe ad juſtitiam reputari: quæ fi- " des tanta eſt, ut juſtificet etiam eum, qui " impius fuerit, ut ultrà jam non ſit impius, " ſicut ille Latro, qui pendebat in cruce & " blaſphemabat, ſed ſit ſicut ille, qui confite- " batur & dicebat: Domine Ieſu, memento " mei, cùm veneris in Regnum tuum. *Quid his clarius? Idem* Homil. 3. *in* Levit. *in ipſo fine* Moſen *allegoricè exponens*: " Hæc eſt " ergo, *inquit*, Legiſlatoris moderatio, ut " niſi quis habeat certum pecuniæ modum, " peccatum ejus non poſſit abſolvi. Quod " apertè ſecundum literam quidem videtur " abſurdum. Secundum verò ſpiritualem in- " telligentiam certum eſt, quòd Remiſſio- " nem peccatorum nullus accipiat, niſi detu- " lerit integram, probam & ſanctam fidem, " per quam mercari poſſit arietem: cujus " natura hæc eſt, ut peccata credentis ab- " ſtergat. Et hic eſt Siclus ſanctus, proba- " ta (ut diximus) Fides, id eſt, ubi nullus " perfidiæ dolus, nulla hæreticæ callidita- " tis perverſitas admiſcetur, ut ſinceram Fi- " dem offerentes, pretioſo Chriſti ſanguine " tanquam immaculatæ hoſtiæ diluamur. Si quis autem nondum intelligat, quid *Origeni* ſit, *ex multis partibus fidei in unum coacervata perfectio*, quæ ſola ad juſtitiam reputari mereatur; quid *integra, proba & ſancta Fides*, in qua nullus perfidiæ dolus, & ſine qua Remiſſionem peccatorum nemo accipiat; quid denique *ſincera* illa *Fides*, quam Deo offerentes, Chriſti ſanguine abluamur; adeat ille luculentiſſimum *Origeniani* Operis indubitati locum contra *Celſ.* lib. 3. ubi *Celſo*, abſurdam hanc ſententiam Chriſtianis affingenti, *quòd quemadmodum quidam miſericordiâ vincuntur, ita Deus miſericordiâ coactus malos ſublevet, bonos verò, cæterùm hoc affectu carentes, ob hoc ipſum aſpernetur*; ita Chriſtianorum nomine reſpondet *Origenes*: Καθ' ἡμᾶς γὰρ ἔτι οὐδένα μὴ προτετραμμένον εἰς ἀρετὴν κακὸν κρίζει ὁ Θεὸς, καὶ οὐδένα ἤδη ἀγαθὸν ἀποῤῥίπτει· ἀλλὰ καὶ οὐδένα οἰκτιζόμενον παρὰ τὸ οἰκτίζεσθαι κρίζει ἢ ἐλεεῖ, ἵνα κοινότερον τῷ ἐλέει χρήσωμαι· ἀλλὰ τὰς σφόδρα ἑαυτῶν ἐπὶ τοῖς ἡμαρτημένοις καταγνώκοτας, ὡς ἐπὶ τούτῳ διονεὶ πενθεῖν καὶ θρηνεῖν ἑαυτὰς ὡς ἀπολωλότας, ὅσον ἐπὶ πεπτωκόσι, καὶ ἀξιόλογον ἐπιδεικνυμένας μεταβολὴν, προσίεται δὲ μετανοίας χάριν ὁ Θεὸς, καὶ τὰς ἐκ μεταβολῆς κακίας δίς· ἀμνηστίαν γὰρ τοῖς τοιούτοις δίδωσιν ἀρετὴ, ἐπιδημοῦσα αὐτῶν ταῖς ψυχαῖς, καὶ ἐκβε-

Edit. Cant. p. 154.

βλητῦα τὴν πεϱηταλαβῦσαν ϰαϱδίαν· *i. e.* " Juxta noſtram ſententiam, neminem ma-
" lum niſi ad virtutem converſum ſublevat
" Deus, ſicut neminem, qui jam bonus ſit,
" rejicit : nec propter miſerationem aut mi-
" ſericordiam, ut miſericordiæ vocabulo cum
" vulgô utar, quenquam ſublevat ; ſed qui
" peccata ſua damnant toto pectore, ſeque
" ipſos deflent ac lugent, tanquam ob male-
" facta meritò perditos, ac mutationem præ
" ſe ferunt, quæ reſipiſcentes deceat, eis de-
" mum propter mutatam in melius mentem
" condonat errata præterita : eam præteri-
" torum oblivionem impetrante virtute, quæ
" in locum profligatorum ex anima vitiorum
" ſucceſſit. " Papæ ! Quàm hæc diſſimilia placitis D. *Tullii* docentis, hominem per fidem, neſcio quam, juſtificari, antequam verè contritus ſit ; hominem impium juſtificari, dum impius adhuc manet ? Et tamen *Origenes* ibidem clarè teſtatur, ſententiam, quam explicat, fuiſſe Catholicorum omnium ipſius ætate (demptis quibuſdam ἀνοήτοις) communem. His autem addi poſſent, ſi opus eſſet, loca quædam, in quibus *Origenes* diſertè docet, bona quædam Opera ad Juſtificationem hominis neceſſariò requiri ; cujuſmodi is eſt in *Matth.* Tract. 25. *In converſationibus noſtris quædam ſunt principalia, & neceſſaria ad Juſtificationem animarum noſtrarum, qualia ſunt gravia Legis, Judicium, & Miſericordia, & Fides.* Sed de *Origene* jam ſatis dictum eſt.

7. Ab *Origene* ad *Cyprianum* tranſeamus. Is lib. 3. ad *Quirin.* cap. 42. docet, *Fidem in totum,* (ut legit *Pamelius*) ſive (ut *Eraſmici* codices) *tantum prodeſſe, & tantum nos poſſe quantum credimus.* Sed lege caput, quod ἀμέσως ſequitur, nempe cap. 43. & ſenſum *Cypriani* mox habebis. Verba hæc ſunt : *Poſſe eum ſtatim conſequi,* (Baptiſmum) *qui verè crediderit. In Actibus Apoſtolorum : Ecce aqua, quid eſt quod me impedit baptizari ? tunc dixit* Philippus : *ſi credis ex toto corde tuo, licet.* Scil. loquitur *Cyprianus* de eo qui verè atque ex toto corde credit ; quem per baptiſmum, antequam actualem bonorum Operum Juſtitiam præſtiterit, ſalutem conſequi poſſe affirmat. *Cyprianum* autem ſenſiſſe, quenquam Remiſſionem peccatorum, ſive Juſtificationem obtinere poſſe, antequam veram agat Pœnitentiam, qui ſomniaverit, næ is in Patris optimi ſcriptis planè hoſpes ſit, neceſſe eſt. Nimirum ille, ſi quiſquam alius, Pœnitentiæ tum neceſſitatem, tum efficaciam ad Remiſſionem peccatorum conſequendum mirificè (imo, ut nonnullis videtur, immodicè) ubique prædicat. Locum unum & alterum eò ſpectantem hîc adferam. Sic de lapſis : " Con-
Edit. Pamel. *p.* 145. " fiteamini ſinguli, quæſo vos fratres dile-
" ctiſſimi, delictum ſuum, dum adhuc, qui
" deliquit, in ſæculo eſt, *&c.* Convertamur
" ad Dominum mente totâ, & pœnitentiam
" criminis veris doloribus exprimentes, Dei
" miſericordiam deprecemur. Illi ſe anima
" proſternat, illi mœſtitia ſatisfaciat, illi ſpes
" omnis incumbat. Rogare qualiter debea- Joel 2.
" mus, dicit ipſe : *Revertimini,* inquit, *ad*
" *me ex toto corde veſtro, ſimulque & jejuniô,*
" *& fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra,*
" *& non veſtimenta veſtra.* Ad Dominum toto
" corde redeamus. Iram & offenſam ejus jeju-
" niis, fletibus, planctibus, ſicut admonet ipſe,
" placemus. " Sic Epiſt. 55. docet : *Satisfactionibus & lamentationibus juſtis delicta redimi, & vulnera lachrymis ablui.* Denique ad *Novatian.* hæret. prope finem : *Dum patet,* inquit, *fratres, indulgentiæ aditus, Deum plenis ſatisfactionibus deprecemur. Humiliemus nos, ut exaltari poſſimus.*

8. Sequitur *Hilarius,* qui Can. 8. in *Mat.* expreſsè quidem dicit, *quòd Fides ſola juſtificet* ; ſed verba producantur integra, & manifeſtum erit, quàm nihil Doctorem juvet iſte optimi Patris locus. Agens ibidem *Hilarius* de *Paralytico,* quem ſanavit, cujuſque peccata remiſſa pronuntiavit Chriſtus, ita ſcribit : " Movet Scribas, remiſſum ab homine pec-
" catum ; hominem enim tantùm in Chriſto
" Jeſu contuebantur ; & remiſſum ab eo,
" quod Lex laxare non poterat : Fides enim
" ſola juſtificat. " Scil. apertè ſatis Fidem ſive Evangelium opponit Legi *Moſaicæ.* Quod & mox è Canone 9. clariùs adhuc apparet, ubi hæc habemus verba : " Nemo ju-
" ſtus ex Lege eſt. Oſtendit ergo inanem
" juſtitiæ eſſe jactantiam : quia ſacrificiis in-
" firmis ad ſalutem, miſericordia erat uni-
" verſis in Lege poſitis neceſſaria. Nam ſi
" Juſtitia fuiſſet ex Lege, venia per Gratiam
" neceſſaria non fuiſſet.

9. Magnum jam *Baſilium* audiamus. Is Homil. 22. de *Humilitate,* ita quidem loqui- *Tom.* 1. *p.* tur : ἄυτη γὰϱ δὴ ἡ τελεία ϰαὶ ὁλόϰληϱος ϰαύ- 473. Edit. χησις ἐν Θεῷ, ὅτε μήτε ἐπὶ διϰαιοσύνῃ τὶς ἐπαί- Pariſ. ϱεῖται τῇ ἑαυτοῦ, ἀλλ' ἔγνω μὲν ἐνδεὴς ὄντα ἑαυτὸν 1638. διϰαιοσύνης ἀληθοῦς, πίστει δὲ μόνῃ τῇ εἰς Χϱιστὸν δεδιϰαιωμένον· *i. e.* " Nam ea demum per-
" fecta & omnimoda gloriatio eſt in Deo,
" quando neque propter ſuam ipſius quis
" Juſtitiam extollitur, ſed agnoſcit ſe qui-
" dem verâ deſtitui Juſtitiâ, verùm ſolâ in
" Chriſtum Fide juſtificatum eſſe. " Sed ex iis quæ apud *Baſilium* mox ſequuntur, clarè liquet, ab ipſo excludi tantùm opera meritoria ex quibus gloriatio ſequatur, ſive Juſtitiam omnibus numeris abſolutam & perfectam, quam quis proprio Marte præſtet, neque veniæ, neque auxilii Spiritûs Sancti indigus. Ita enim mox ibidem pergit : ἐνταῦθα πέπτωϰε πᾶν ὕψος ὑπεϱηφανίας· ὀδὲν ὑπολέλειπται σοὶ

σὺι πρὸς ἀλαζονείαν, ὦ ἄνθρωπε, ᾧ τὸ καύχημα καὶ ἡ ἐλπὶς, ἐν τῷ νεκρῶσαι μὲν πάντα τὰ ἑαυτῦ θελήματα, ζῆσαι δὲ τὴν ἐν Χριστῷ ζωὴν τὴν μέλλουσαν, ἧς ἀπαρχὰς ἔχοντες ἤδη ἐν τούτοις ἐσμὲν, τὸ ὅλον ἐν χαρᾷ ζῶντες καὶ δωρεᾷ Θεῦ. Καὶ Θεὸς μὲν ἔστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ἡμῖν καὶ τὸ θέλειν, καὶ τὸ ἐνεργεῖν ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας· *i. e.* "Decidit hîc universa arrogantiæ sublimitas. "Nihil tibi relictum est, O homo, de quo "gloriari possis, cujus gloriatio & spes in eo "sita est, ut omnes tuas voluntates mortifices, & futuram in Christo vitam quæras, (*) cujus primitias habentes in his "nunc sumus, per universum in gratia ac "dono Dei viventes. Et Deus est, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate, *&c.* Lege quæ sequuntur. *Basilio* autem nunquam in mentem venisse, hominem per solam Fidem, simplicem virtutem, ante veram pœnitentiam, justificari, hoc est, remissione peccatorum donari, atque ad salutem acceptum haberi, ex iis, quæ alibi scripsit, abunde constat. Nam disertè affirmat, Fidem non sufficere sine pœnitentia, *Tom. 2. p. 410.* *Moral. Sent. Reg.* 1. Alibi quoque non minùs expressè docet, Fidem non perfici nisi per Baptismum, quô pactio nostra cum Domino obsignatur. Sic enim lib. de *Spiritu Sancto* cap. 11. prope finem loquitur: *Tom. 2. p. 316.* Πίστις καὶ βάπτισμα, δύο τρόποι τῆς σωτηρίας, συμφυεῖς ἀλλήλοις καὶ ἀδιαίρετοι· πίστις μὲν γὰρ τελειῦται διὰ βαπτίσματος· βάπτισμα δὲ μελιῦται διὰ τῆς πίστεως· *i. e.* "Fides ac Baptisma duo sunt modi parandæ salutis, inter "se cognati & inseparabiles. Nam Fides "perficitur per Baptismum; Baptismus verò fundamentô Fidei nititur." Et mox in ipso fine capitis: καὶ προάγει μὲν ὁμολογία, πρὸς τὴν σωτηρίαν εἰσάγουσα· ἐπακολυθεῖ δὲ τὸ βάπτισμα, ἐπισφραγίζον ἡμῶν τὴν συνκατάθεσιν· *i. e.* "Ac præcedit quidem professio, ad salutem introducens; sequitur autem Baptisma, consensum nostrum obsignans." Ac sane necessitas Baptismi, eorumque quæ ad Baptismum disponunt, ad remissionem peccatorum consequendum, quæ passim in Sacris Scripturis celebratur, atque in Scriptis Veterum fere utramque facit paginam, argumentum præbet, quod solum sufficiat funditus evertendo Solifidianismo isti, quem multi tum Sacris Scripturis, tum Patrum testimoniis astruere conati sunt; uti egregiè docuit doctissimus & pientissimus *Thorndicius* noster ὁ μακαρίτης in Scriptis suis passim. Namque hinc apparet, fidem per se non sufficere ad Justificationem obtinendum; sed requiri præterea externum Baptismum, ubi haberi potest: omnino verò necessariò requiri sponsionem illam novæ vitæ, quæ per Baptismum fieri solet. Hoc *Petrus* clarè nos docet, 1. Epist. cap. 3. v. 21. ἡμᾶς σώζει βάπτισμα, οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου, ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν διὰ ἀναστάσεως Ἰησῦ Χριστῦ. Ubi συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα à doctis Interpretibus optimè vertitur, *sponsio*, sive *stipulatio bonæ conscientiæ*, atque idem significat, quod συνκατάθεσις apud *Basilium*. Nimirum in Baptismo interrogabat Episcopus: ἀποτάσῃ τῷ Σατανᾷ; respondebat baptizandus, ἀποτάσομαι· Rursum interrogatus: Συντάσῃ τῷ Χριστῷ; respondebat, συντάσομαι. Hanc *sponsionem salutis* vocat *Tertullianus* de Baptismo. Idem de Resur. carn. dixit: *anima enim non lavatione, sed responsione sancitur*. Cyprianus *interrogationem Baptismi* vocat Epist. 80, & 76. Jam huic *bonæ conscientiæ stipulationi* disertè à *Petro* tribuitur salus, quæ baptismate confertur, nempe remissio peccatorum & jus ad vitam æternam; non ipsi externæ ablutioni. Quippe sine hac stipulatione (quæ sane nihil aliud est quàm universi Christianismi, sive Legis Evangelicæ, etiam quâ parte crucem tolli jubet, susceptio) nemo quâvisunque fide præditus, remissionem peccatorum & jus ad vitam æternam obtinere potest; sed isti Baptismi effectus nequaquam absolutè suspenduntur ab exteriori Sacramenti ceremoniâ, utpote quâ, aliquâ rerum humanarum περιστάσει, prohiberi possit is, qui sincerum intra animum Christianismum conceperit. Sed à *Basilio* ad alios Patres transeamus.

10. Succedat *Ambrosius*, sive Author Commentariorum, qui *Ambrosio* tribuuntur. Is ad *Rom.* 3. v. 24. hæc annotat: *Justificati sunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, solâ fide justificati sunt donô Dei.* Sed manifestum est, Fidem ab ipso opponi non Operibus ullis ex fide profectis, nedum internis Virtutibus Spei, Contritionis, *&c.* sed Operibus Legis *Mosaicæ*, vel etiam Operibus Naturæ ante & citra fidem & gratiam Evangelii præstitis. De prioris generis Operibus disertè loquitur ad ejusdem capitis v. 27, 28, 29. *Redditâ ratione*, inquit, *adeos loquitur qui agunt sub Lege, quòd sine causa glorientur, blandientes sibi de Lege, & propter quod genus sint* Abrahæ, *videntes non justificari hominem apud Deum, nisi per fidem.* Arbitramur enim justificari hominem per Fidem sine Operibus Legis. *Gentilem dicit hominem pro certo haberi, quòd justificetur credens,*

(*) Interpres legit ζητῆσαι.

dens, nulla faciens Opera Legis, id eſt, ſine Circumciſione, aut Neomeniis, aut Veneratione Sabbathi, &c. De utriſque, nempe tum Legis *Moſaicæ*, tum Naturalis, Operibus conjunctim mox agit ad cap. 4. v. 2. " Quia qui " Legem, *inquit*, ſervant ſive *Moyſi*, ſive " Naturæ, juſtificantur ad præſens, nec rei " in præſenti judicio ; ideo ait : Ex Operi- " bus Legis ſi *Abraham* juſtificatus eſt, non " habet apud Deum gloriam ; quia qui fe- " cerit, inquit, Legem, vivet in ea ; id eſt, " non morietur ut reus, nec tamen meritum " ex hoc habebit apud Deum, ſed Fidei " causâ. " Hinc idem Author alibi, nempe ad 1 *Cor.* 13. v. 2, 3. diſertè docet, Fidem abſque Charitate *ad meritum non proficere*, hoc eſt, Juſtificationem ac Salutem non impetrare ; additâ hâc ratione, *quia caput Religionis Charitas eſt ; & qui caput non habet, vitam non habet.* Et mox : *Sine Charitate nihil prodeſt, quia fundamentum Religionis Charitas eſt.*

11. Audiatur jam *Chryſoſtomus*. Is Sermone de Fide & Lege ita loquitur : " Sine " Operibus fidelem poſſum oſtendere & vitâ " & Regno donatum. Nemo ſine Fide vi- " xit : at Latro tantùm credens juſtificatus " eſt. Nec mihi dicas : tempus rectè viven- " di non habuit. Neque enim id eſt de quo " diſputo ; ſed hoc apertum feci, Fidem et- " iam per ſe ſolam ſervare. Nam certè, ſi " ſupervixiſſet fidei, & operari neglexiſſet, " excidiſſet à ſalute. " Verùm loqui hîc *Chryſoſtomum* de Fide verâ & interna Charitate formatâ, oppoſitâ externis Operibus, ſive piis factis, quæ fidelis, tempore & occaſione intercluſus, exercere nonnunquam non poſſit, ex ipſis verbis ſatis manifeſtum eſt, & aliquot argumentis jam demonſtravi *Harm. Apoſt. Diſſert. poſter.* cap. 18. ad Paragraph. 9. quò, ne actum agam, Lectorem remitto.

12. Agmen claudat ipſe *Auguſtinus*, (cujus unius, utut Doctoris eximii, ſententiam univerſæ Antiquitatis, ubi ab ipſo diverſum ſentiat, judicio mirâ temeritate præponit D. *Tullius*) qui alicubi quidem (nempe 83. quæſt. q. 76.) ita ſcribit : " Si quis, cùm cre- " diderit, mox de hac vita deceſſerit, Juſti- " ficatio fidei manet cum illo : nec præce- " dentibus bonis Operibus, quia non meri- " tô ad illam, ſed gratiâ pervenit ; nec con- " quentibus, quia in hac vita eſſe non ſini- " tur. " Sed palàm eſt, per bona Opera præcedentia, quæ hìc excludit *Auguſtinus*, intelligi Opera bona, cognitionem, fidem & gratiam Evangelii prævenientia, quæ ſanè nulla ſunt ; per conſequentia verò bona Opera voluiſſe *Auguſtinum* Opera externa, vel actualem (ut loquuntur) Juſtitiam, ſive ſanctam converſationem, quam fieri poteſt ut quis verè fidelis & Deum amans non præſtet, utpote morte præventus. Etenim expreſsè agit *Auguſtinus* de Operibus, abſque quibus poſſit homo ſalutem conſequi ; atqui ſine internis Operibus ſpei, charitatis, contritionis, *&c.* ad ſalutem & vitam æternam neminem poſſe pervenire, *Auguſtinus* millies docuit, & apud ſanos omnes in confeſſo eſt. Itaque loquitur manifeſtè *Auguſtinus* de fide charitate formata. Ac profectô peſſimè cauſæ ſuæ conſuluit D. *Tullius Auguſtini* imprimis judicium appellando, quô nemo Veterum ejus ſententiam ſæpiùs, aut apertiùs damnaverit. In *Examine* jam notavi, ſanctiſſimum Patrem (Tract. 29. in *Joan.*) hæc tria diſtinxiſſe, *credere Deo, credere Deum*, & *credere in Deum* ; & huic poſtremæ tantummodo *Fidei* remiſſionem peccatorum, ac jus ad ſalutem (Juſtificationis vocabulô abſtineo, quòd illud ab *Auguſtino*, aliter quàm à nobis fit, plerumque uſurpari notum ſit) tribuiſſe ; *Fidem* autem *in Deum* ſic explicaſſe : *Quid eſt ergo credere in Deum ? credendo amare, credendo diligere, credendo in Deum ire, & ejus membris incorporari.* Atque hanc fuiſſe conſtantem *Auguſtini* doctrinam, nôrunt omnes, qui in ejus Scriptis verſati ſunt. Imo integrum Librum ſcripſit Pater optimus *de Fide & Operibus*, in quo eorum errorem ex profeſſo impugnat, qui docerent, Fidem per ſe ſufficere, abſque Pœnitentia, ad ſalutares Baptiſmi effectus, nempè remiſſionem peccatorum, & jus ad vitam æternam percipiendum. Operæ verò pretium eſt audire, & quomodo *Auguſtinus* libri iſtius inſtitutum ipſe explicaverit, & quid in ipſo libro hac de re expreſsè docuerit. De Libri inſtituto ſic ipſe ſcribit lib. 2. *Retract.* cap. 38. " Interea miſſa ſunt mihi " à quibuſdam fratribus laicis quidem, ſed " divinorum eloquiorum ſtudioſis ſcripta " nonnulla, quæ ita diſtinguerent à bonis " Operibus Chriſtianam Fidem, ut ſine hac " non poſſè, ſine illis autem poſſe perveniri " ſuaderetur ad æternam vitam. Quibus re- " ſpondens, Librum ſcripſi, cujus nomen eſt, " *de Fide & Operibus*. In quo diſputavi, non " ſolùm quemadmodum vivere debeant gra- " tiâ Dei regenerati, verùm etiam quales " ad lavacrum Regenerationis admitti. " In ipſo Libro Solifidianos iſtos multis argumentis obruit, prolixè oſtendens, neminem remiſſionem peccatorum ac ſalutem in Baptiſmo conſequi poſſe per ſolam fidem, abſque vera de peccatis pœnitentia. Summam verò Libri habes cap. 20. ubi integram methodum remiſſionis & ſalutis obtinendæ, in Evangelio propoſitam, ita pulchrè deſcribit *Auguſtinus :* " Iſte curationis ordo eſt, ut " bapti-

Reſp. ad Animadverſ. 13. *Sect.* 15.

Juſtif. Paulin. p. 13, & 14.

Tom. p. 33.

" baptizandi credant in Deum Patrem, & " Filium, & Spiritum Sanctum eô ritu quô " Symbolum traditur ; & à mortuis operi- " bus agant pœnitentiam, omniumque ſe o- " mnino præteritorum remiſſionem in Ba- " ptiſmo accepturos eſſe non dubitent: non " ut peccare liceat, ſed ut peccâſſe non no- " ceat, ut ſit factis remiſſio, non permiſſio " faciendi. Tunc verè dici poteſt, etiam " ſpiritualiter: Ecce ſanus factus es, jam noli " peccare. " Concludam hanc Sectionem ipſis D. *Tullii* verbis: *De Patribus, ut puto, ſatis habent adverſarii, plura, ſi opus eſſet, habituri. Pergamus jam ad Eccleſias* Reformatas.

ANNOTATA

Ad Sect. IV. §. 4.

Sed jam ipſos Patres audiamus.] Ut altiùs, ac ab ipſis Apoſtolorum temporibus deductam traditionem Patrum perſpicianus, lubet incipere à S. *Clemente Romano*, cujus hac in re ſententiam egregiè explicatam, & clariſſima verba, quibus expreſsè docet, *per charitatem nobis peccata remitti*, imo *multitudinem peccatorum charitate tegi*, vide in Harmonia Apoſtolica Differt. II. cap. 12. §. 27. Hìc addo, quæ idem paulò ante iſta verba habet: προσπέσωμεν τῷ δεσπότῃ, καὶ κλαύσωμεν ἱκετεύοντες αὐτὸν, ὅπως ἵλεως γενόμενος, ἐπικαταλλαγῇ ἡμῖν. *Pedibus Domini advolvamur, & flentes ſuppliciter imploremus eum, ut propitius factus nobis reconcilietur.* Non ſola itaq; fides nos DEO reconciliat ac juſtificat. Progredior ad *Juſtinum Martyrem*, qui non modò ob fidem, ſed & charitatem ac pœnitentiam nos juſtos à DEO haberi, hâcq; juſtitiâ ſalvari, ſatis apertè docuit. Prius patet ex ſequentibus in Dial. cum Tryphone verbis, pag. 266. ſeq. *Bonitas & humanitas DEI, & immenſitas divitiarum ejus reſipiſcentem à peccatis, prout per Ezechielem indicat*, (cap. XVIII. v. 21, 22. & cap. XXXIII. v. 14, 15, 16.) *tanquam juſtum, quiq; peccatum non commiſerit, habet*, ὡς δίκαιον καὶ ἀναμάρτητον ἔχει. Et pag. 319. quidem: *Abraham*, inquit, *non propter circumciſionem juſtitiæ teſtimonium à DEO reportavit, ſed propter fidem.* Mox autem pag. 320. pergit: *Et nos in præputio carnis credentes DEO per Chriſtum, & obtinentes circumciſionem, nobis eam aſſecutis utilem, ſcilicet cordis* circumciſionem, *juſti & placiti DEO apparere ſperamus.* Inde pag. 321. *Bifariam itaq; juſtitiâ omni diſpertitâ, in Deum & homines; quicunq; inquit Verbum*, (Chriſtus) *diligit Dominum Deum ex toto corde, & ex omnibus viribus, & proximum ſicut ſe ipſum; is demum verè juſtus fuerit*, δίκαιος ἀληθῶς ἂν εἴη. Atqui, *quod unuſquiſq; propriâ juſtitiâ ſalvetur*, ἕκαστος τῇ αὐτοῦ δικαιοσύνῃ σωζήσεται, expreſsè ait p. 263.

Ad §. 5.

Ab ipſo ponuntur.] Accedunt alia loca clariſſima, quibus docet, nos per bona opera & juſtificari coram DEO, & ſalvari. Primùm hæc accipe ex lib. IV. cap. 32. pag. 321. col. 2. ubi de DEO ait: " Illa qui- " dem, per quæ putabant peccantes propiti- " ari Deum, (*id eſt*, ſacrificia Moſaica) ab- " nuens, & oſtendens, quod ipſe nullius " rei indiget; his autem, per quæ juſtifica- " tur homo, & appropinquat DEO, horta- " tur & admonet. " Atqui hæc ſunt *ſacrificia laudis & precum*, de quibus immediatè præcedentia ibidem leguntur Scripturæ verba. Pergit paulo pòſt: " Non enim ſicut " homo motus, (*iratus*) ut multi audent di- " cere, divertit eorum ſacrificium; ſed mi- " ſerans eorum cæcitati, & verum ſacrifici- " um inſinuans, quod offerentes propitia- " buntur Deum, ut ab eo vitam percipiant. " Quemadmodum alibi ait: Sacrificium " DEO cor contribulatum; odor ſuavitatis " Deo cor clarificans eum qui plaſmavit. " Si enim iraſcens abnueret hæc cæcorum " ſacrificia, tanquam qui indigni eſſent con- " ſequi miſericordiam ejus, non utiq; eiſdem " ipſis ſuaderet, per quæ ſalvari poſſent. " Deinde ejuſdem libri cap. 49. pag. 352. col. 2. " Sciebat nos de noſtra ſubſtantia, " quam ab alio accipientes haberemus, bene " acturos: qui enim habet, inquit, duas tu- " nicas, det ei qui non habet: & qui habet " eſcam, ſimiliter faciat. Et, Eſurivi enim, " & dediſtis mihi manducare. Et, Nudus " fui, & veſtiſtis me. Et, Cum facis eleemo- " ſynam, non ſciat ſiniſtra tua, quid faciat " dextra tua; & reliqua, quæcunq; benefa- " cientes juſtificamur, velut de alienis no- " ſtra redimentes. — Quæcunq; enim, cum

" essemus Ethnici, de injustitia acquisivimus, " hæc, cum crediderimus, in Dominicas u- " tilitates convertentes justificamur." Nec minùs clarè pronuntiat, nos ob obsequium DEO præstitum, ac quia bona opera fecimus, vitam æternam consequi. Sic lib. IV. cap. 28. p. 315. col. 2. " Servitus erga " Deum, *inquit*, DEO quidem nihil præ- " stat, nec opus est DEO humanô obsequiô; " ipse autem sequentibus, & servientibus ei, " vitam & incorruptelam & gloriam æter- " nam attribuit, beneficium præstans servi- " entibus sibi ob id quod serviunt, & sequen- " tibus ob id, quod sequuntur." Eodem libro cap. 71. " Qui operantur illud (*bonum*) " gloriam & honorem percipient, quoniam " operati sunt bonum, cùm possint non ope- " rari illud; hi autem qui illud non operan- " tur, judicium justum recipient DEI, quo- " niam non sunt operati bonum, cùm pos- " sint operari illud." Huc quoq; pertinent, quæ, recitatis ex Galat. V. 22. *fructibus spiritûs*, subjungit verba lib. V. cap. 11. " Sicut " igitur qui in melius profecerit, & fructum " operatus fuerit spiritûs, omnimodò salva- " tur propter Spiritûs communionem; sic " & is qui remanserit in prædictis carnis o- " perationibus, carnalis verè deputatus, eò " quod non assumat Spiritum Dei, Regnum " non poterit possidere cœlorum." Deniq; de ipsis hæreticis Carpocratianis refert lib. I. cap. 24. quod docuerint, διὰ πίστεως καὶ ἀγάπης σώζεσθαι· τὰ δὲ λοιπὰ ἀδιάφορα ὄντα, κατὰ τὴν δόξαν ἀνθρώπων τῇ μὲν ἀγαθὰ, τῇ δὲ κακὰ νομίζεσθαι, ἐθνὸς φύσει κακῶ ὑπάρχοντος. " Per fidem & charitatem (*homines*) salvari; " reliqua verò indifferentia cum sint, secun- " dum opinionem hominum quædam qui- " dem bona, quædam autem mala vocari, " cùm nihil naturâ malum sit." Atqui horum posterius quidem reprehendit Irenæus; prius autem minimè, utpote quod doctrinæ Catholicorum plane consonum erat.

Ad §. 6.

S*Equitur Origenes.*] Sed & Origenis præceptor, *Clemens Alexandrimus*, dignus est, qui priùs hac de re audiatur. Is verò salutem non modò fidei, sed & charitati tribuit in Protreptico his verbis: Μὴ οὖν ἀποκάμητε· ἔξεστιν ὑμῖν, ἂν ἐθέλητε, ἐξωνήσασθαι τὸν πολυτίμητον σωτηρίαν οἰκείῳ θησαυρῷ, ἀγάπῃ καὶ πίστει ζωῆς. *Ne igitur defatigemini: licet vobis, si velitis, pretiosissimam salutem emere propriô thesaurô, charitate & fide vitæ.* Inepta enim est conjectura, in margine apposita, loco ζωῆς *Vitæ* fortè legendum esse, ζωῇ *meræ*, ut scilicet *meræ* vel soli *fidei* salus adscribi videatur. Notatu quoq; digna sunt quæ habet lib. VI. Strom. p. 665. ἢ μὲν οὖν τὶς ὅτι δίκαιος, πάντως ἐστὶ καὶ πιστός· ἢ οὐ πιστὸς, οὐδέπω καὶ δίκαιος. *Quatenus est aliquis justus, omnino est etiam fidelis: quatenus autem est fidelis, nondum est etiam justus.* Quæ D. *Tullii* opinioni è diametro sunt adversa. Et p. 668. ὅταν ἀκούσωμεν· ἡ πίστις σε σέσωκέν σε, οὐχ ἁπλῶς ἰσχυσὸν πιστεύσαντας σωθήσεσθαι λέγειν αὐτὸν ἐκδεχόμεθα, ἐὰν μὴ καὶ τὰ ἔργα ἐπακολουθήσῃ. *Quando audierimus:* Fides tua te salvum fecit, *non accipimus, eum dicere absolutè eos salvos futuros qui quomodocunq; crediderint, nisi opera quoq; fuerint consecuta.* Ipsum *Origenem* quod attinet, unicum solùm ex eo locum illustrem addo, ubi varios, per quos remissionem peccatorum à DEO consequimur, modos sive actus enumerat, Homil. 2. in Leviticum, dum ita fatur: *Audisti quanta sint in Lege sacrificia pro peccatis: audi nunc quanta sint remissiones peccatorum in Evangeliis. Est ista prima, quâ baptizamur in remissionem peccatorum. Secunda remissio est in passione martyrii. Tertia est, quæ pro eleemosyna datur. Dicit enim Salvator:* (Luc. XI. 41.) Verumtamen date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. *Quarta nobis fit remissio peccatorum per hoc, quod & nos remittimus peccata fratribus nostris. Sic enim dicit ipse Dominus & Salvator noster:* (Matth. VI. 14, 15.) Quia si dimiseritis fratribus vestris ex corde peccata ipsorum, & vobis dimittet Pater vester peccata vestra. Quod si non remiseritis fratribus vestris ex corde, nec vobis remittet Pater vester; *& sicut in oratione nos dicere docuit:* Remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. *Quinta peccatorum remissio est, cum converterit quis peccatorem ab errore viæ suæ. Ita enim dicit Scriptura divina:* (Jacob. V. vers. ult.) Quia qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvat animam ejus à morte, & cooperit multitudinem peccatorum. *Sexta quoq; fit remissio per abundantiam charitatis; sicut & ipse Dominus dicit:* (Luc. VII. 47.) Amen dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum; *& Apostolus dicit* (Petrus, 1. Epist. IV. 8.) quoniam charitas cooperit multitudinem peccatorum. *Est adhuc & septima, licet dura & laboriosa, per pœnitentiam remissio peccatorum, cum lavat peccator in lachrymis stratum suum, & fiunt ei lachrymæ suæ panis die ac nocte, & cum non erubescit Sacerdoti Domini indicare peccatum suum, & quærere medicinam secundum eum, qui ait:* (David Psalm XXXI. 5.) Dixi, pronuntiabo adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. *In quo impletur & illud, quod Jacobus Apostolus dicit:* (cap.

(cap. V. verſ. 14, 15.) Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini; & Oratio fidei ſalvabit infirmum, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.

Ad §. 8.

NEceſſaria non fuiſſet.] *Hilarium* non ſoli fidei, ſed & charitati juſtificationem ſive remiſſionem peccatorum adſcripſiſſe, ex eodem in Matthæum opere patet. Nam Canon. 4. hæc habet verba: " Quia charitas " plurimum peccatorum tegit, & errorum " noſtrorum ambitioſa ad DEUM Patrona " eſt, noviſſimum pœnæ quadrantem ſolve- " mus, niſi (lege *ſi*) preciô ipſius aliquan- " torum criminum culpa redimitur.

Ad §. 10.

MAniſeſtum eſt, *fidem ab ipſo opponi-operibus Legis Moſaicæ.*] Id patet quoq; ex Comment. in cap. 9. ad Romanos, ad iſta: *Verbum enim conſummans, &c.* ubi ait: " Convenit enim, ut in ſolo nomine Domi- " ni & Conditoris conſequatur ſalutem " creatura, hoc eſt, per fidem: quia ſubla- " tis omnibus Neomeniis, & Sabbato, & " Circumciſione, & Lege eſcarum, & obla- " tionibus pecorum, ſola fides poſita eſt in " ſalutem." Cæterùm *fidem ſolam* non juſtificare, ſatis clarè docet, dum paulo pòſt in iſta verba: *Gentes, quæ non ſectabantur juſtitiam, apprehenderunt juſtitiam*, ita commentatur: " Prima ergo hæc juſtitia eſt agnoſcere " Creatorem, deinde cuſtodire quæ præcepit.

Ad §. 11.

LEctorem remitto.] Eſt & alius, qui objici ſolet locus in Chryſoſtomi Homil. III. in Epiſt. ad Titum: Ει πίςεως τῇ πίςει, τί ἕτερα ἐπεισάγεις, ὡς ἐκ ἀρκέσης πίςεως δικαιῶσαι; *Si credis fide, cur alia ſubinfers, quaſi non ſufficiat ad juſtificationem fides.* Sed hæc dicta ſunt in oppoſitione ad *Judaicas fabulas*, in quarum mentionem ab Apoſtolo factam ibi commentatur, & eas de *ceremoniis Judaicis* explicat. Iſtas verò jam non ampliùs obſervandas eſſe docens, modò citata profert verba, iiſq; immediatè ſubjungit: τί καταδουλοῖς ἑαυτὸν, καὶ ὑποβάλλεις τῷ νόμῳ; *Quare temetipſum ſervituti dedis, atq; Legi ſubjicis?* Cæterùm ex pluribus locis conſtat, S. Chryſoſtomum procul abfuiſſe à ſententia eorum, qui uni fidei remiſſionem peccatorum vel juſtificationem adſcribunt. Unicum ſolùm adferam, ubi, perinde ut Origenes loco antè citatô, varias peccatorum remiſſiones proponit, Homil. XXV. in Rom. 14. in Morali: " Nonne, *inquit de DEO*, largitus eſt rege- " nerationis lavacrum, & priora omnia con- " donavit? Nonne poſt remiſſionem illam, " & lavacrum rurſum quod ex pœnitentia " eſt, auxilium tibi peccanti dedit? Nonne " etiam poſtea ut peccatorum veniam con- " ſequaris facilem tibi veniam reddidit? " Audivimus qualia ſint, quæ præcepit: Si " dimiſeris, inquit, dimitto tibi & ego. " Quam quæſo difficultatem habet res iſta? " Judicate orphano, & juſtificate viduam, " & venite, inquit, & judicium exploremus. " Quod ſi fuerint peccata omnia phœnicia " rubore, velut nix, alba erunt. Quid hic " laboris erit? Dic tu peccata tua, ut juſti- " ficeris. Quid hîc difficultatis eſt? Pec- " cata tua eleemoſymis redime. Quid hîc " ſudoris? Dixerat publicanus: Propitius " eſto mihi peccatori, & deſcendit juſtifi- " catus. Quantô labore fuerit opus, publi- " canum hunc imitari.

SECTIO

SECTIO V.

Ad Cap. 3. *De Eccleſiæ* Anglicanæ *Judicio.*

1. IN hoc capite mirum in modum tragœdias agit D. *Tullius*, exclamat, vociferatur, intonat, & mox triumphat, inſultat victo *Harmoniſtæ*, oſtentat trophœa, canit Paana, quum nondum ad aciem noſtram pervenerit. Obteſtor verò candidum Lectorem, ut ſeriò relegat quæ de Eccleſiæ *Anglicanæ* in hac quæſtione ſententia ſusè diſſeruimus *Harm. Apoſt. Diſſert. poſter. cap.* 18. §. 6. *& ſeqq. & Exam. Cenſ. Reſponſ. ad* 23. *Animadv.* facilè inde perſpecturus, quàm fruſtra ille hanc tantam verborum copiam profuderit. Certè apud prudentiores haud neceſſe eſt cauſam hîc rurſus dicere. Verumtamen cùm **V. R.** in hujus capitis argumento præcipuum cauſæ ſuæ ſtatumen collocâſſe videatur, & facile ſit incauto & minùs attento Lectori, iſtis verborum præſtigiis falli ac decipi; non pigebit ipſum hîc quoque *κατὰ πόδας* ſequi.

2. Poſt levem velitationem initiô capitis, ita deinceps pugnam conſerit: *Audiatur itaque* (ſcil. Eccleſia *Anglicana*) *de hac circa Juſtificationem perſtrepente nuper controverſia; recitetur Decretum Art.* 11^6^. Tantùm propter meritum Domini & Salvatoris noſtri per fidem, non propter opera & merita noſtra, juſti coram Deo reputamur. Quare ſolâ fide nos juſtificari, doctrina eſt ſaluberrima, &c. *Ecquid clarius? ne Sol quidem meridianus.* Verùm cur prope finem Articuli, veluti in clivo, (ut in diverbio eſt) ſubſiſtit Vir Reverendus? Quin integrum profert Decretum? Quare ſuum hîc nobis *& cætera* obtrudit? Certè non longâ morâ aut reſpiratione opus fuiſſet ad pauciſſima verba, quæ Articulum claudunt, recitanda; nempe, *ut in Homilia de Juſtificatione hominis fuſiùs explicatur.* Sed vidit D. *Tullius*, poſtrema illa verba cauſæ ſuæ ruinam minitari, ideóque ſupprimenda curavit. Nimirum iſtic expreſsè nos remittit Eccleſia noſtra ad Homiliam de Juſtificatione hominis, ut inde ipſius Articuli verum & genuinum ſenſum & explicationem petamus; neque aliter hanc doctrinam, *ſolâ nos fide juſtificari*, tanquam ſaluberrimam filiis ſuis commendat, quàm *ut in Homil. de Juſtif. hominis fuſiùs explicatur.* Adii Homiliam; fuſiorem illam Articuli explicationem ipſiſſimis Homiliæ verbis recitavi; demum quàm ex animo iſti explicationi ſubſcribam, omnibus teſtatus ſum. Cur ad iſta omnia filet, & ne *γεῦ* quidem reſpondet V. R.? Iſtæne artes hominem probum & veri amantem decent?

3. Cæterùm mox, ne prorſus iniquè nobiſcum egiſſe videretur, permittit nos D. *Tullius* ad Homilias ire; verùm non ad fuſiorem illam explicationem, quæ, tanquam genuina, plena, ac perfecta Articuli ſententia, ab Authore Homiliæ ex profeſſo proponitur, quamque ipſe in *Harmonia* integrè atque ad verbum tranſcripſeram; ſed ad Homiliæ quaſdam lacinias, eaſque haud bonâ fide ab ipſo verſas, ſuiſque adeo interpretamentis miſerè depravatas. Sic enim primùm Harmoniæ Authorem ex Homilia adoritur: *Conſulamus itaque* (*de qua totus ille, unde, neſcio, ſilet*) *Homil.* 1. *de ſalute Gen. Human. ſub finem:* Fides, *inquit Eccleſia*, pœnitentiam, ſpem, &c. non ita excludit, quin in omni homine juſtificato cum ea conſocientur; excludit tamen à juſtificandi munere. *Nihil diſertius. Hîc ſcil. altum Harmoniſtæ ſilentium; qui ſi locum animadvertit, ſilentiô ſuffocare haudquaquam debuit.* Ad quæ reſpondeo: Si antehac neſcivit V. R. unde *Harmoniſta* de prima parte Homiliæ totus ſiluerit, jam ſciat, in cauſa fuiſſe, quòd in iſta parte non tam fusè & ex profeſſo agatur de particula excluſiva *ſola*, & quô ſenſu rectè dicatur, *Juſtificari hominem ſolâ fide*, de quo tantùm quæſtio movebatur in illo *Harmoniæ* capite, ubi Homiliam citavit *Harmoniſta.* Nam in prima Homiliæ parte docet Author, tria omnino ad Juſtificationem hominis neceſſariò concurrere; nempe, ex parte Dei Patris, meram & miram ejus gratiam & miſericordiam; ex parte Chriſti, mortem ejus, & ſacrificium meritorium; deniq; ex parte hominis, veram ac vivam fidem. Quod poſtremum cùm Author in prima illa parte leviter admodum prope finem perſtrinxiſſet, in partibus duabus ſequentibus, imprimis verò ſecunda, prolixè & operosè explicat; quin & tam accuratè & ſollicitè, ut nullus jam de genuina ſententia hujus

jus propoſitionis, *ſolâ fide juſtificamur*, (niſi Sophiſtis, & qui λογομαχίαις delectantur) reſtet dubitandi locus. Itaque ſi candori, ut præ ſe fert, ſtuduiſſet D. *Tullius*, certè laudare potiùs, quàm in ſuſpicionem vocare debuit integritatem & ſimplicitatem meam, qui angulos non quæſiverim, neque verba Homiliæ carptim protulerim; ſed ea loca appellaverim, ubi Author Homiliæ ſe mentem ac ſententiam ſuam de hac quæſtione, dilucidè, plenè, ac perfectè aperuiſſe, palàm profitetur. Utinam pari candore uſus ſuiſſet V. R. Verùm neſcio ſane, unde ille de tam prolixa & diſertiſſimis verbis concepta hujus articuli, *ſolâ fide juſtificamur*, explicatione, à me è ſecunda Homiliæ parte allata, adeo totus ſiluerit; niſi quòd apertam lucem, quam ferre non poterat, refugere ſatius duxerit.

4. Utut illud ſit, certè cauſæ meæ à prima iſta Homiliæ parte nihil eſt quod metuam; neque enim mihi conſcius ſum, quicquam me uſpiam ſcripſiſſe, quod ab Authoris ſententia, ibi tradita, vel latum unguem recedat. Ad locum autem à Doctore inde allatum quod attinet, ſane mirari ſatis nequeo, eum tantopere ab ipſo venditari, qui ſi integrè producatur, & fideliter transferatur, apertè contra ipſum faciat. Locus ad verbum ſic habet: "Fides illa (*nempe vera & viva, de qua verbis proximè præcedentibus dictum fuerat*) non ita excludit pœnitentiam, ſpem, charitatem, reverentiam ac timorem Dei, quin cum fide conjungenda ſint in omni homine, qui juſtificatur, ſed excludit à juſtificandi officio; ut, quanquam omnia ſimul adſint in eo, qui juſtificatur, tamen omnia ſimul nequaquam juſtificent. Neque fides excludit juſtitiam bonorum operum noſtrorum, poſtea ex officio erga Deum neceſſariò præſtandorum; (nam obſtrictiſſimi tenemur ad ſerviendum Deo præſtatione bonorum operum, ab ipſo in S. ſua Scriptura præſcriptorum, per omnem vitam) ſed eatenus excludit, ut nobis nequaquam liceat ea facere in hunc finem, ut eorundem præſtatione juſti conſtituamur. Namque opera bona omnia, quæ præſtare poſſumus, imperfecta ſunt, ac proinde ad promerendam juſtificationem noſtram non valent, *&c.*" Quibus in verbis duo potiſſimùm obſervanda ſunt: 1°. Authorem Homiliæ apertè agnoſcere neceſſitatem aliarum virtutum, præter fidem, nempe pœnitentiæ, ſpei, charitatis, timoris divini, quibus diſponatur homo ad Juſtificationis gratiam accipiendam. Non enim dicit tantùm, virtutes illas cum fide *conjunctas*, ſed *conjungendas* eſſe in omni homine, qui juſtificatur; (*Angl.* to be joined with Faith in every Man that is juſtified, quod peſſimè vertit D. *Tullius*, *quin in omni homine juſtificato cum ea conſocientur*) qui loquendi modus neceſſitatem illam manifeſtè indicat. Quod inde adhuc manifeſtius eſt, quòd Author diſtinguens habitualem (ut dici ſolet) Juſtitiam noſtram virtutibus internis fidei, ſpei, pœnitentiæ, charitatis, &c. conſtantem, ab actuali Juſtitia Operum bonorum, ſive factorum conſpicuorum. De priori docet, quòd neceſſariò requiratur in omni homine qui juſtificatur; de poſteriori, quòd poſtea (nempe poſt Juſtificationem) neceſſariò præſtanda ſit. Nimirum prior Juſtitia requiritur (ut diximus) ad gratiam Juſtificationis accipiendam; poſterior ad eandem gratiam conſervandam. Unde (ut id obiter notem) conſtat apertiſſimè, me genuinam ſententiam Eccleſiæ *Anglicanæ* Art. 12°. ubi docet bona opera Juſtificationem ſequi, omninò aſſecutum eſſe, qui articulum interpretatus ſim de actuali tantummodò operum Juſtitia. Nam in hoc Homiliæ loco apertè diſtinguit Eccleſia illam operum Juſtitiam, quæ poſt Juſtificationem neceſſariò præſtanda ſit, ab internis fidei, pœnitentiæ, ſpei, &c. virtutibus, conjunctim requiſitis in omni homine, qui juſtificatur. Quomodo autem conſtabit hæ diſtinctio, ſi omnis Juſtitia noſtra, tam habitualis, quàm actualis, ſit Juſtificatione poſterior?

Homil. Tom. 1. *p.* 14, 15.

Harm. Apoſt. Diſſert. Poſter. cap. 18. *ſect.* 8.

5. Hiſce commentarii vicem ſupplebit illuſtris locus Theologi perilluſtris, *Richardi Hookeri* noſtri (quem alicubi fruſtra appellat D. *Tullius*) Tract. de Juſtif. n. 21. Ubi Vir magnus poſtquam duplicem ſtatuiſſet Chriſtianorum juſtitiam, *Alteram extra nos, quam imputatione habemus; in nobis alteram, fide, ſpe, charitate aliiſque virtutibus Chriſtianis conſtantem*; deinde diſtribuiſſet *ſanctificantem*, quam vocat, *juſtitiam in habitualem, ſive ſanctimoniam illam, quâ animi noſtri interiùs imbuti ſunt eôdem momentô, quô templum Spiritûs S. fieri incipiunt*; & *actualem*, ſive *ſanctimoniam illam, quæ poſtea omnes vitæ noſtræ partes & actiones ornat*: deinceps de ordine, quô triplex illa juſtitia, nempe imputata, habitualis, & actualis nobis donetur, ſic diſſerit: "Si quæritur, quam "ex his primam accipiamus, reſpondeo: Spi"ritum, Spiritûs virtutes, habitualem juſti"tiam inſitam, externam Jeſu Chriſti juſti"tiam imputatam, ſimul atque eôdem tem"poris momentô accipimus; & quandocun"que ex his alterutrum habemus, habemus "omnia. Verumtamen cùm nemo juſtifice"tur, niſi credat, nemo verò credat niſi fide "præditus ſit, nemo denique fide præditus "ſit, niſi Spiritum adoptionis acceperit; cùm "hæc Juſtificationem neceſſario inferant, &

" hæc Juſtificatio neceſſariò præſupponat;
" omnino tenendum eſt, imputatam juſtiti-
" am, dignitate licèt primam, ordine tamen
" poſtremam eſſe; actualem verò juſtitiam,
" hoc eſt, juſtitiam bonorum operum, cæte-
" ra omnia conſequi, & ordine, & tempore.
" Quod attentiùs conſideratum, liquidò o-
" ſtendit, quatenus fides verè fidelium à ſpe
" & charitate divelli nequeat; quatenus fi-
" des, cùm ſit pars Sanctificationis, ad Juſti-
" ficationem tamen neceſſaria ſit; quatenus
" fides bonis operibus perficiatur, non ope-
" ra noſtra abſque fide; denique, quatenus
" Patres noſtri poterant ſtatuere, juſtificari
" nos ſolâ fide, & ſimul tamen rectè ſtatuere,
" nos abſque operibus nequaquam juſtificari.
Hanc explicationem, etiamſi (quod pace tanti Viri dixerim) non omni ex parte probem; præſertim quà Spiritum Adoptionis ejusdemque Spiritûs inhabitationem, ordine ſaltem naturæ, Juſtificatione noſtrâ priorem facit; (quâ de re repete quæ diximus Sect. 3. n. 4.) tamen afferendam duxi, quòd in Summa rei mirè faciat ad illuſtrandum Homiliæ verba modò citata, & cum Doctoris noſtri ſententiâ directâ acie pugnet. Nam, 1°. diſertè hîc docet *Hookerus*, quanquam actualis operum juſtitia ſit Juſtificatione omnino poſterior, Juſtitiam tamen illam, quæ virtutibus internis fidei, ſpei & charitatis conſtat, quamque juſtitiam inſitam, habitualem & ſanctificantem appellat, ordine naturæ juſtitiæ imputationem, ſive Juſtificationem noſtram, antecedere: planè quemadmodum in verbis Homiliæ ſtatuitur, bonorum operum ſive factorum juſtitiam, poſt Juſtificationem, neceſſariò præſtandam eſſe; pœnitentiam verò, ſpem, charitatem cum fide omnino conjungenda eſſe in omni homine, qui juſtificatur. *Apollo* mihi magnus erit D. *Tullius*, ſi cum his
Cap. 10. conciliare valeat doctrinam ſuam, quâ ſtatuit, juſtificari hominem ante veram & ſalutarem contritionem, juſtificari hominem impium, dum impius adhuc ſit, denique (quod in Catechiſmo ſuo tanquam Theologiæ principium juventuti tradit) Sanctificationem noſtram omnem ordine naturæ Juſtificatione poſteriorem eſſe. 2° Expreſsè notat Vir clariſſimus, hæc duo, juſtificari hominem ex ſola fide abſque operibus; &, abſque operibus hominem non juſtificari, nequaquam eſſe pugnantia, ſi diſtinctio illa inter habitualem & actualem operum Juſtitiam attendatur. Nimirum rectè dicitur, juſtificari hominem ex ſola fide, nempe charitate formata, abſque operibus, hoc eſt, abſque actuali operum Juſtitia, quippe quæ primam Juſtificationem ſequatur. Contrà rectè dicitur, hominem non ſolâ fide juſtificari abſque operibus, nempe internis illis ſpei, charitatis, &c. quippe quæ Juſtificationem hominis, ordine ſaltem naturæ, præcedant, atque ad ipſam omnino neceſſariò requirantur. Appello Doctoris conſcientiam, annon hanc ipſam Articuli explicationem ſæpiùs in *Harmonia* diſertis verbis ipſe tradiderim? Sed ad Homiliam redeamus.

6. 2°. Alterum, quod in citatis Homiliæ verbis apprimè attendendum Lectori propono, illud eſt, Authorem per *Juſtificandi officium*, quod operibus adimit, nequaquam intelligere *inſtrumentalitatem* illam in Juſtificationis negotio, quæ tantopere celebratur à quibuſdam, vel quicquam aliud, quod fidei propriè concedendum ſit; (ut exiſtimâſſe videtur D. *Tullius*) ſed efficientiam Juſtificationis noſtræ ſive principalem, ſive meritoriam, quæ tam fidei ipſi, quàm cæteris virtutibus noſtris pariter detrahenda ſit. Neſcio ſane, quibus oculis Homiliam lectitaverit. V. R., quem obſervatio tam obvia, & ubique ex verbis Homiliæ Lectori ſeſe ingerens, prorſus fugerit. Nam ex verbis, quæ locum citatum, tribus tantummodò lineis interjectis, antecedunt, ſatis apparet, quid ſit, *Opera excludi à Juſtificandi officio.* Verba ſunt: " Gra-
" tia Dei non excludit à Juſtificatione no-
" ſtra Dei, ſed hominis, Juſtitiam, hoc eſt
" Juſtitiam operum noſtrorum hactenus,
" ut eorum meritô Juſtificationem noſtram
" nequaquam promereamur." In ipſo quoque loco citato verba clara ſunt: "Fides excludit
" juſtitiam bonorum operum eatenus, ut
" nobis non liceat ea facere in hunc finem, ut
" eorundem præſtatione juſti conſtituamur.
" Namque opera bona omnia, quæ præſta-
" re poſſumus, imperfecta ſunt, eóque ad
" promerendam Juſtificationem noſtram non
" valent." Quid, quòd Author Homiliæ parte 2ª *Juſtificandi officium* diſertis verbis detrahit omni virtuti, ſive operi noſtro, idem ſoli Deo per Chriſtum tribuens? Audiamus ipſiſſima ejus verba: " Juſtificatio,
Homil. tom. 1. *p.* 17. " *inquit*, non hominis officium eſt, ſed Dei;
" hoc eſt, nequaquam poteſt homo ſuis ope-
" ribus ſe juſtum facere, ſive ex parte, ſive
" in totum; (quippe ſummæ res eſſet arro-
" gantiæ & præſumptionis, quâ majorem
" ſtatuere adverſus Deum neque ipſe Anti-
" chriſtus poſſit, affirmare, hominem poſſe
" ſuis operibus tollere & expiare peccata
" ſua, adeóque ſeipſum juſtificare) ſed Ju-
" ſtificatio eſt Dei ſolius officium, &c." Lege quæ ſequuntur. Quomodo autem, inquies, excludit fides & ſeipſam & cæteras virtutes noſtras à juſtificandi officio, hoc eſt, à meritoria Juſtificationis noſtræ efficientia? Reſpondeo, quia fides reſpectum connotat ad gratuitum Dei promiſſum, Jeſu Chriſti Domini noſtri ſanguine & ſacrificio propitiatorio impetratum ac ſancitum, quô maximis pec-

peccatoribus, ſed de peccatis ſuis verè pœnitentiam agentibus, remiſſio peccatorum & ſalus æterna propter ſolum Chriſtum gratis conceditur. Sed hâc de re mox plura.

7. Pergit D. *Tullius* ad alium Homiliæ locum, quem & ipſe in *Harmonia* citaveram. Hîc autem mirâ copiâ parique vehementiâ rhetoricatur V. R. Juvenilem Harmoniſtæ ἀξλεψίαν ſatis faſtuosè exprobrat, ipſumque adeo incuſat, quòd Eccleſiæ *Anglicanæ* in os obloquatur: obſtupeſcere ſe totum profitetur: conqueritur profeſſionem Eccleſiæ affingi, quæ nuſpiam niſi in Archivis forſan Eutopianis, reperiatur: ait denique, ab Eccleſia filiiſque ejus genuinis omnino hîc dicendum, quod olim *Cæſar* dixit in Senatu mox jugulandus: *Profectò ea vis eſt*. Verùm iterum obteſtor Lectorem, ut iſtis verborum μορμολυκείοις neutiquam perterritus, ad rem ipſam præſenti animo attendat, viſurus quàm hîc, ut ſolet, de re nihili tantas ille tragœdias excitaverit. Ut verò res tota clariùs eluceſcat, repetenda ſunt hîc nonnulla, quæ in *Harmonia* jam attuli. Locum ibi adduxeram ex Homil. *de Salute*, part. 3. qui ſic ad verbum habet: " Verum quidem " eſt, opera noſtra nequaquam nos juſtifi- " care, ſi de Juſtificatione propriè loqui- " mur, hoc eſt, non mereri remiſſionem " peccatorum noſtrorum, neque ex injuſtis " nos juſtos facere in conſpectu Dei; ſed " Deum ex infinita ipſius miſericordia per " meritum tantùm filii ſui Jeſu Chriſti nos ju- " ſtificare. Nihilominus quia Fides rectà " nos ad Chriſtum ablegat, ad veniam pec- " catorum conſequendum noſtrorum; quód- " que per Fidem à Deo nobis datam pro- " miſſum miſericordiæ divinæ remiſſioniſ- " que peccatorum noſtrorum amplectamur; " (quod nulla alia ex virtutibus aut operi- " bus noſtris propriè facit) ideo dicere ſo- " let Scriptura, Fidem abſque operibus ju- " ſtificare." Citato Homiliæ loco hæc mea ſubjicio: " Ex quibus verbis clarè elucet, " quid ſummum illud ſit, quod in negotio " Juſtificationis, ex Eccleſiæ noſtræ ſen- " tentia, fidei diſtinctè tribuendum ſit; " nempe, quòd licèt cæteræ virtutes non " minùs neceſſariæ ſint ad hominis Juſtifica- " tionem, quàm ipſa fides, ac fides propriè " nihilo plus agat in iſto negotio, quàm a- " lia virtus; quia tamen fides ex omnibus " virtutibus una promiſſum amplectitur Ev- " angelicum, quô juſtificamur, ideo non " incommodâ locutione ipſi ſoli Juſtificatio " noſtra tribui poſſit ac debeat; viz. per " Metonymiam quandam, quâ actus ponitur " pro objecto, circa quod verſatur." Audi jam, quid ad hæc D. *Tullius*: " Quis, *in-* " *quit*, ad iſta totus non obſtupeſcit, cùm " Eccleſiam audit centies, idque terminis " terminantibus, contrà definientem? Sta- " tuit nimirum Eccleſia (neque verbis po- " tuit evidentioribus) fidem ideo juſtifica- " re dictam, *quoniam id confert ad Juſti-* " *ficationem, quòd nulla virtus, nullum aliud* " *opus humanum poteſt*." Verùm quis hîc fidem & candorem à Doctore non deſideret? Ubi enim Homiliæ Author hæc verba habet, quæ tanquam ipſiſſima ejus verba diſtinctô charactere imprimenda curavit D. *Tullius*: *Quoniam id confert* (nempe fides noſtra) *ad Juſtificationem, quod nulla virtus, nullum aliud opus humanum poteſt?* Certè tantum abeſt, ut centies, idque terminis terminantibus, hoc dicat, ut ne ſemel quidem illud dicat, ex quo hoc per legitimam aliquam conſequentiam deduci poſſit. Imo conſtanter docet, neque fidem, neque aliam quamvis virtutem noſtram quicquam conferre ad Juſtificationem noſtram, aliter quàm per modum diſpoſitionis, ſive conditionis ex parte noſtra requiſitæ; quomodo non modò fidem, ſed & pœnitentiam ad Juſtificationem conducere, pari conſtantiâ agnoſcit. Ad locum, quem præ manibus habemus, quod attinet, tria ibi docet Homiliæ Author. 1° Nullum opus, ſive virtutem noſtram, nos juſtificare, ſi de Juſtificatione propriè loquimur, hoc eſt, non mereri remiſſionem peccatorum noſtrorum, neque ex injuſtis nos juſtos facere in conſpectu Dei. 2° Fidem tamen ex omnibus virtutibus unam rectà nos ad Chriſtum ablegare, & gratuitum promiſſum miſericordiæ divinæ amplecti. 3° Ideo in Scripturis dici, fidem abſque operibus juſtificare; quò nempe meritum omne noſtrum à Juſtificationis negotio excludatur, uti ſæpiùs in Homilia Author ipſe rem explicat. An horum alterutrum unquam negavit Harmoniæ Author? Imo certè hæc omnia agnovit Harm. Apoſt. Diſſert. Poſter. cap. 5. §. 5. diſertis hiſce verbis: " Vocabulum *Fidei* " meritum excludit & hâc ratione, quòd " fides, quatenus ad promiſſionem gratuitam " refertur, μισθαποδοσίαν expectat ex ſolâ " gratia Dei promittentis. Atque hæc, nî " fallor, præcipua cauſa eſt, quamobrem Spi- " ritus S. univerſam, quæ à nobis in Evan- " gelio poſtulatur, obedientiam *Fidei* nomi- " ne ſoleat exprimere; nempe ut voce iſtâ " indicetur, obedientiam, quam nos Deo " præſtamus, non impetrare juſtitiam, ſive " ſalutem, ſuâ vi aut meritô, ſed vi pacti, " ſeu promiſſionis gratuitæ, quæ fide appre- " henditur." Quomodo autem fides ad Chriſtum nos rectà ableget, ibidem doceo his verbis: " Quia promiſſio vitæ æternæ, " in Evangelio facta, in meritoria Jeſu Chri- " ſti ſatisfactione fundata ſit, ac ſanguine " ipſius

Juſtif. Paulin. p. 22, 23.

Diſſert. Poſter. p. 332, 333.

Homil. tom. 1. p. 18, 19.

" ipsius pretiosissimo sancita, ideo fidei obe-
" dientia perpetuò respicit ad Christum,
" tanquam unicum Propitiatorem, cujus tam
" in vita, quàm in morte perfectissima obe-
" dientia sola effecerit, ut imperfecta & lan-
" guida nostra obedientia Deo ad salutem
" placeat, vitæque æternæ præmium repor-
" tet." Lege, si vacat, integrum paragraphum. Quòd autem neque hic, neque alibi usquam instrumentalitatem illam propriè dictam fidei in Justificationis negotio Homiliæ Author cogitaverit, pro qua multi tam acriter contendunt, satis ostendi Harm. Apost.
P. 340. cap. 18. Differt. Poster. Quibus omnibus expensis, juveni an seni ἀβλεψία hîc adscribenda sit, penes cordatum Lectorem esto arbitrium.

8. Restat tertius atque ultimus Homiliæ locus, à D. *Tullio* contra sententiam nostram productus, ex quo ille fulgura ac tonitrua nobis minitatur. " In ἐζηλωκότας, inquit, mitis-
" sima mater zelo Dei accensa, præter mo-
" rem, sic intonat, Homil. de Salut. part. 2.
" *Doctrinam hanc* (i.e. de Justificatione per
" fidem solam & sine operibus) *vetusti o-*
" *mnes Ecclesiæ Christi Scriptores approbant.*
" *Hæc veram Christi gloriam doctrina illustrem*
" *facit, adeóque vanam hominis gloriationem*
" *prosternit & pessundat. Eam quisquis nega-*
" *verit*, (attende Lector) *pro homine Chri-*
" *stiano non est habendus, sed pro Christi ejus-*
" *que Evangelii inimico, & humanæ κενοδο-*
" *ξίας mangone.* Quæ hîc verborum fulgura!
" quæ tonitrua?" Resp. Quid per ἐζηλωκότας hîc velit D. *Tullius*, haud satis scio; ut neque alias nonnullas ejus elegantias capio. Utut verò illud sit, nos ista fulgura & tonitrua neutiquam feriunt, utpote quæ à mitissima matre nostra, justo ardore & zelo Dei concitata, in solos meritorum humanorum patronos intententur. Recitemus locum in-
Homil. Tom. 1. *p.* 16, 17. tegrè, quem D. *Tullius*, ut inserviret causæ suæ, mancum & mutilum nobis exhibuit.
" Effatum hoc, *justificari nos fide tantùm,*
" *gratis absque Operibus*, dicitur in eum fi-
" nem, ut tollatur prorsus meritum omne
" Operum nostrorum, quippe quæ nullate-
" nus possint Justificationem nostram à Deo
" mereri; utque iis verbis planissimè expri-
" matur infirmitas hominis, Deique bonitas,
" maxima nostri ipsorum imbecillitas, Dei-
" que vis ac potentia, imperfectio Operum
" nostrorum, Christique Servatoris nostri
" gratia exuberantissima, itaque meritum
" Justificationis nostræ Christo soli ac pre-
" tiosissimæ sanguinis ipsius effusioni in soli-
" dum deferatur. Hanc fidem nos docet S.
" Scriptura; hæc firma rupes & fundamen-
" tum Christianæ Religionis; hanc doctri-
" nam vetusti omnes Ecclesiæ Christi Scri-
" ptores approbant;" & cætera, quæ à Doctore modò allata sunt. Sane nihil manifestius, quàm his verbis anathemate percuti, atque è Christianorum albo eradi illos tantùm, qui meritum bonorum Operum adstruunt. Quid hoc ad Harmoniæ Authorem? Scilicet tantum abest, ut is meritum bonorum Operum defendat, ut in meriti patronos eandem planè cum Homiliæ Authore sententiam tulerit. En verba ejus diserta Harm. Apost. Differt. Poster. cap. 18. §. 4.
" Qui Operum meritum adstruunt, Christi-
" anorum nomen haud sunt meriti. Ac fi-
" denter pronunciare ausim, vix ac ne vix
" quidem gratiam Christi sensisse aut novisse,
" qui horrendam illam opinionem animô
" penitus imbiberunt. Animi modestia est
" ipsissimus Christianismi animus, quô quis-
" quis careat, Christiani cadaver est, non
" verus vivusque Christianus. Quid autem
" ab hac modestia longiùs abhorret, quàm
" superba ista meriti præsumptio?" Ex his facilè videbit Lector, quô candore verbis Homiliæ abusus sit D. *Tullius* ad suum adversarium anathemate Ecclesiæ *Anglicanæ* opprimendum.

9. Percurri tandem loca omnia, quæ D. *Tullius* ex Homilia de Salute hominis (postquam omnes, ut videtur, ejus angulos diligentissimè rimatus esset) pro sua contra nostram Articuli explicationem proferre potuit. Jam locis loca conferantur, nempe loca Homiliæ multa, clara, ac diserta, quæ ipse in *Harmonia* & *Examine* allegavi integra & sincera, cum paucis illis, quæ manca, mutila, & suis commentis manifestè depravata attulit D. *Tullius*; ac demum æquo cuivis arbitro lubentissimus permisero judicandum, utri Articuli interpretationi, nostræ an illius, album calculum adjecerit Homiliæ Author, ad quem ut legitimum sui Interpretem expressè nos remittit ipse Articulus. Ego sane non possum non mirari summam Doctoris fiduciam, post levem adeo pugnam, seu velitationem potiùs tam infœliciter peractam, triumphum sibi ita decernentis: *Satis, ut opinor, superque constat de Ecclesia* Anglicana, *quòd* ἐζηδικαίωζιν *omnem* (nempe etiam illam, quam nos defendimus) *suffragiô suô non modò haud juvet, sed penitus execretur.*

10. Priùs autem quàm ad reliqua hujus capitis pergamus, visum est nostram Articuli explicationem, quam testimoniis ex Homilia petitis æquo Lectori jam satis probavimus, insuper doctissimi cujusdam probatissimique è nostratibus Theologi (qui & diu ante vicennium illud, quod novatæ apud nos doctrinæ Ecclesiasticæ æram statuit D. *Tullius*, scriptis suis illustris fuit) authoritate ac suffragio munire: ne quis ipsam, cum aliunde nequeat *Justif. Paulin. p.* 26.

nequeat refutare, novitatis premat invidiâ. Is eſt digniſſimus quondam *Gloceſtriæ* noſtræ Decanus, *Richardus Fieldus*, acris judicii & multæ lectionis Theologus, qui in Appen-
P. 323, 324. dice ad librum 3. de Eccleſia cap. 11. poſtquam Pontificiis nobis objicientibus doctrinam illam noſtram, hominem ex ſola fide, ſive abſque operibus juſtificari, reſpondiſſet, eandem doctrinam eâdem verborum formulâ etiam à veteribus tradi; pergit inquirere, quô ſenſu tum veteres, tum neoterici Theologi iſta intellexerint: " Hujuſmodi loquen-
" di phraſibus, *inquit*, 1ò. quandoque exclu-
" dunt quicquid à nobis fieri poſſit abſque
" ſupernaturali cognitione & veri Chriſtia-
" niſmi notitia. 2ò. Quandoque neceſſita-
" tem bonorum Operum in actu ſive exer-
" citio, hoc eſt, bonorum Operum externo-
" rum. 3ò. Vim naturæ abſque illumina-
" tione & gratiâ. 4ò. Vim Legis. 5ò. Quic-
" quid in nobis reperiri poteſt, quod ad id
" ſufficiat, ut in judicio atque examine (*divino*) ſtemus intrepidi abſque metu con-
" demnationis. Atque hôc ſenſu ſola Fides
" juſtificare dicitur, hoc eſt, ſola Dei miſe-
" ricordia & meritum Chriſti Fide appre-
" henſum: ut eorum hoc loquendi genus
" uſurpantium mens ſit, ſe aliter in judicio
" conſiſtere non poſſe abſque condemnatio-
" nis metu, quàm hâc perſuaſione & firmâ
" fiduciâ fretos, acceptum ſe iri apud Deum
" propter Chriſtum. Atque hoc ſenſu The-
" ologi omnes, quos ſuprà allegavimus, ut
" oſtenderemus, omnem inhærentem no-
" ſtram Juſtitiam inſufficientem eſſe, ac de-
" bere nos in ſola Dei miſericordia & Chri-
" ſti meritô fiduciam collocare, juxtà nobis
" cum docent, ſolam Fidem juſtificare. Ni-
" mirum neque illi, neque nos excludimus
" à Juſtificationis opere vel actionem Dei, ut
" ſupremæ & principalis cauſæ Juſtificatio-
" nis noſtræ; quippe is eſt, qui peccata re-
" mittit, noſque gratos & acceptos ad ſalu-
" tem habet; vel Chriſti meritum, utpote
" cujus intuitu propenſus reddatur Deus ad
" miſericordiam nobis exhibendum; vel re-
" miſſionem peccatorum, gratioſam acceptа-
" tionem, & donum Juſtitiæ, unde formali-
" ter juſtificamur; vel denique Opera gra-
" tiæ prævenientis, quâ ex generali fidei ap-
" prehenſione in nobis operatur Deus ſtatûs
" noſtri prioris improbationem, & deſideri-
" um cum ipſo pacem ineundi, remiſſionis
" peccatorum præteritorum obtinendæ, ac
" gratiam accipiendi, quâ in poſterum iſti-
" uſmodi peccata evitare, & oppoſita iiſdem
" bona Opera præſtare valeamus. Nimirum
" hiſce actibus præparamur, diſponimur at-
" que idonei reddimur ad Juſtificationem
" recipiendum, neque abſque his quiſquam
" juſtificatur. Atque hôc ſenſu Patres alii-
" que dicunt quandoque, nos ſolâ Fide ne-
" quaquam juſtificari, quò nempe ſignificent,
" iſtos actus in nobis neceſſariò prærequiri.
" Conſentimus autem omnes, noſtram ad
" Deum converſionem, ſive renovationem,
" quam in nobis experimur, nequaquam il-
" lud eſſe, quô freti ſtare in judicio poſſi-
" mus intrepidi, aut quicquam boni à Deo
" expectare; niſi quatenus inde cognoſcimus,
" nos eô modô diſpoſitos atque affectos eſſe,
" quomodo ut diſponamur, ad Juſtificatio-
" nem neceſſariò requiritur, eóque perſua-
" ſum habemus, Deum nos ex miſericordia
" ſua propter Chriſtum in gratiam receptu-
" rum.

11. Certè hæc Articuli explicatio omni ex parte reſpondet interpretationi noſtræ, in *Harmonia* traditæ; cum ſententiâ verò Doctoris nullo modo quadrat. Nam 1ò. Opera bona, quæ hâc Propoſitione, *Solâ Fide abſque Operibus juſtificamur*, excludi voluit Vir doctiſſimus, ad hæc quinque omnino capita ab ipſo reducuntur: 1. Opera abſque externa Evangelii revelatione facta; 2. Opera externa, ſive actualem Operum juſtitiam; 3. Opera Naturæ, abſque interna Evangelii Gratia præſtita; 4. Opera Legis, nempe *Moſaicæ*; 5. Denique Opera meritoria, hoc eſt, quæ fiunt cum fiducia & opinione Meriti. Rogo verò Doctorem, ut locum proferat, ubi *Harmoniæ* Author ullis ex his Operibus primam Juſtificationem tribuerit. Imo hæc Opera omnia à Juſtificatione illa prima ſæpiùs ac ſatis diſertè excluſit. 2ò. Expreſsè docet, ſenſum ac mentem noſtrorum, iſtiuſmodi loquendi genus uſurpantium, hanc omnino eſſe: nullam in nobis eſſe virtutem, ſive bonum opus, quô freti ſtare poſſumus in judicio divino intrepidi, abſque Dei miſericordia & Chriſti Servatoris Meritô: ac proinde Theologos illos omnes, qui agnoſcunt, omnem inhærentem noſtram Juſtitiam inſufficientem eſſe, ac debere nos in ſola Dei miſericordia & Chriſti Meritô fiduciam collocare, idem planè cum ipſis docere, nempe, *ſolam Fidem juſtificare*. Hæc verò illa ipſa eſt Articuli explicatio, quam nos propugnamus; ſed D. *Tullius* ut non plenam ſive ſufficientem rejicit. 3ò. Cauſam Juſtificationis formalem conſtituit in Remiſſione peccatorum & acceptatione ad Salutem, non (ut D. *Tullius*) in Juſtitiæ Chriſti imputatione. Nimirum intellexerat perſpicacis ingenii Theologus, Juſtitiam Chriſti, quam priùs cum Catholicis omnibus ſtatuerat cauſam Juſtificationis noſtræ προκαταρκτικὴν meritoriam, non potuiſſe ſimul ſtatui cauſam ejuſdem formalem ſine ſpiſſa abſurditate, adeoque manifeſta contradictione. Nam cauſa meritoria eſt in ge-

nere efficientis, quæ eſt cauſa tantùm externa ; cauſa vero formalis interna eſt, & eſſentiam effecti conſtituit ; itaque ut eadem res ſimul ſit cauſa meritoria & formalis ejuſdem effecti, contradictionem implicat ; quia ſic ſimul de eſſentia effecti foret, & non foret.

P. 291. Hinc eſt quòd Vir doctus in eodem capite ex *Durando* expreſsè docet, Juſtitiam Chriſti noſtram fieri non formaliter, (quam formalem Imputationem non ſine gravi cauſæ Reformatæ detrimento contra *Bellarminum* defendere conatur D. *Tullius*) ſed *effectivè* tantùm, hoc eſt, quod ad ſalutares ejuſdem fructus & effectus attinet. Verba ejus ſunt :

Juſtif. Paulin. p. 91.

" Namque, ut *Durandus* rectè notat, quan-
" quam alterius Merita & bona Opera non
" poſſint alteri ita imputari, ut pro ejus me-
" ritis habeantur, aut is meruiſſe, & bona
" illa Opera præſtitiſſe cenſeatur ; poſſunt
" tamen ita communicari, ut eorundem fru-
" ctus & emolumentum ad ipſum redundet,
" iſque alterius gratiâ eo loco habeatur,
" quaſi ipſe illa præſtitiſſet. " —— 4ò. Expreſsè docet Vir doctiſſimus, hâc propoſitione, *Solâ Fide juſtificamur abſque Operibus*, neutiquam à Juſtificatione primâ excludi Opera Gratiæ prævenientis, nempe veram de peccatis contritionem, ardens favoris divini deſiderium, & ſimul Gratiæ Spiritûs Sancti, quâ in poſterum à peccatis abſtinere & bona Opera præſtare valeamus ; quod deſiderium novæ vitæ propoſitum neceſſariò præſupponit ; quæ Opera *Converſionis* ſive *Renovationis* nomine in Scripturis veniunt : ſed iſta omnia omnino in homine neceſſariò prærequiri, ut iiſdem diſponatur, præparetur, atque idoneus reddatur ad Juſtificationis Gratiam accipiendum. Jam cum his conferatur D. *Tullii* Theologia ſtatuentis, veram Contritionem ad Juſtificationem non eſſe neceſſariam, hominem impium juſtificari ſenſu compoſito, dum impius adhuc ſit, nihil virtutis aut operis humani ad Juſtificationem hominis requiri, magis quàm ad hominem jam natum ut naſcatur, &c. fiat, inquam, hæc collatio, & mox apparebit, quantùm diſtent *Myſorum & Phrygum* termini. 5ò Denique fatetur eximius Theologus, hôc ſenſu rectè à Patribus aliiſque quandoque dictum eſſe, non ſolâ Fide hominem juſtificari ; quòd ſcil. cum Fide neceſſariò requirantur Opera illa Gratiæ prævenientis, quæ ſub Converſionis nomine comprehenduntur, ad Juſtificationem etiam primam obtinendum. Jam Doctoris conſcientiam appello, an unquam ipſe alio ſenſu negârim, hominem ſolâ Fide juſtificari.

12. Quæ deinceps in hoc capite ſequuntur, à D. *Tullio* declamatorio more effuſa de Regia declaratione Articulis noſtris præfixa, de Canone Eccleſiæ, de Subſcriptionibus & Juramentis noſtris toties repetitis ; ea tum demum ad nos pertinere fatebimur, cùm evicerit ille, quicquam nos docuiſſe unquam, quod claræ alicui Eccleſiæ noſtræ definitioni adverſetur. Quod cùm nondum præſtiterit, neque unquam (ſat ſcio) præſtiturus ſit, non eſt quòd iſtis, μάλα τραγικῶς licèt ab ipſo dictis, quicquam moveamur. Optârim verò ex animo, ut Vir Reverendus, cùm de ſuis dogmatibus in judicium venerit, tam facilè ſeipſum à judicio abſolvat. Illud autem neutiquam prætereundum cenſeo, quod D. *Tullius* Novatorum ſuorum nonnullis objicit, nempe doceri ab illis contra Articulum Eccleſiæ noſtræ 18. ipſis Ethnicis ſine omni in Chriſtum Fide, etiam idolis non abnuntiatis, ad cœlum patere aditum ; addens, ſe hic *nota loqui*. Certè enim, quod tanquam lippis & tonſoribus notum prædicat, fateor mihi antehac inauditum eſſe. Neque tanti apud me aut eſt, aut eſſe debet (ut liberè dicam) Doctoris authoritas, ut nudæ ejus aſſeverationi facilè credam, quenquam ex iis, qui ſe filios Eccleſiæ *Anglicanæ* etiam obſequentiſſimos dici volunt, (de his ſcil. diſertè loquitur) tam crudam aſſertionem vel pro concione, vel Scriptis unquam effutiviſſe. Si quis verò ita inſaniit, pro ſe reſpondeat ; nolim ego ejus ὑπερασπιστὴς fieri. Me enim quod attinet, quàm procul abſim ab iſta ſententia, ſatis liquet ex iis, quæ in *Appendice ad Exam. Animadverſ.* 17. Theſ. 3. diſputavi. Cæterùm cùm D. *Tullio* viſum ſit, & hîc, & alibi, extra limites præſentis Controverſiæ excurrere, non eſt quòd ægrè ferat, ſi idem ipſi faciamus ; præter ea, quæ ſuper Juſtificationis Articulo heterodoxa docuit, etiam alia quædam ejus placita haud ſatis probata ad Examen revocantes : id quod faciemus Sectione ſeptimâ. Interim quid de præſenti quæſtione doceant Eccleſiæ Reformatæ exteræ, proximô in loco diſpiciendum.

Juſtif. Paulin. p. 25, 26.

SECTIO

SECTIO VI.

Ad Cap. 4. *De Eccleſiarum exterarum, quæ Reformatæ audiunt, Judicio.*

1. AIT hîc D. *Tullius*, mirandam eſſe Harmoniſtæ παῤῥησίαν, (in capitis Elencho *manifeſtam calumniam* dixerat) qui Diſſert. 1. cap. 6. rotundè & quaſi ex tripode de Eccleſiarum exterarum judicio pronuntiaverit his verbis: *Certum eſt, eas omnes, vel ſaltem earum primas, à noſtris partibus veluti ex profeſſo ſtare.* Et mox exclamat: *proh fidem iterum!* Deinde *Harmoniſtæ*, ut ſolet, inſultat. Sed de fide hîc Harmoniſtæ, omnibus, quibus fides cordi ſit, liberum judicium permiſerimus. Duo affirmamus: 1. Sententiam iſtam, *ſolâ fide juſtificamur*, ſenſu veterum Proteſtantium figuratè omnino accipiendam eſſe, ita ut in *fidei* nomine gratia, quæ ei ex adverſo reſpondet, intelligatur, atque idem ſit ſolâ fide juſtificari, quod ſolâ gratiâ, non ex operum meritô juſtificari. 2. Eâdem ſententiâ neceſſitatem veræ reſipiſcentiæ, ad remiſſionem peccatorum ſive Juſtificationem obtinendum, nequaquam excludi. Conſtanter aſſerimus, de his duobus (quæ nobis ſufficiunt) conſentire omnino nobiſcum Confeſſionum Reformatarum ſaltem primas ac nobiliſſimas. Hæc aſſertio noſtra eſt.

Juſtif. Paulin. p. 179.

2. Jam, omiſſis D. *Tullii* rhetoricationibus, quæ ad fallendos tantùm rudes, ſciolos, & incautos (ipſius hîc uti verbis liceat) comparatæ ſunt; videamus, quid contrà ab ipſo ſolidi afferatur. Sic pergit: *Juſtif. Paulin. p. 29.* " Verùm hoc " ſe pleniùs demonſtrare dicit cap. 18. Quid " autem eò loci demonſtratur? 1° ſcil. Ec- " cleſiam *Anglicanam* ipſi favere. Sed opi- " nor, me calumniam iſtam (parùm ſane " verecundam, utinamque rei indignitas " mollius aliquod pateretur vocabulum) ca- " pite præcedente diluiſſe." Verùm uter hîc inverecundæ calumniæ (ſiquidem rei indignitas haud aliud mollius patiatur vocabulum) reus ſit, Harmoniſta, an ipſe D. *Tullius*, judicet, quiſquis, quæ tum in capite iſto 18° Diſſert. Poſter. tum in Examine, Reſponſ. ad ult. Animadverſ. tum denique in hujus Apologiæ Sectione proximè præcedente, hâc de re à nobis jam dicta ſunt, quæque mox in Sectione ſequenti dicentur, cum iis, quæ contrà attulit D. *Tullius* in capite libri ſui tertio, ſeriò conferre haud gravabitur.

3. Hinc ad Confeſſionem *Auguſtanam* feſtinat D. *Tullius*. Ubi primùm id in me reprehendit, quòd Confeſſionem illam omnium Reformatarum nobiliſſimam, ne exceptâ quidem noſtra *Anglicanâ*, appellaverim. Quid dictum tam innocens, quod malevolentia & livor non carpat? Quod ego dixi, idem ante me dixerunt multi Viri docti, tum noſtrates, tum exteri, qui noſtram alioquin Eccleſiam multis nominibus ſummo in honore habuêre. Confeſſio autem *Auguſtana* omnium nobiliſſima meritò dicitur non unâ de causâ. Primùm (ut de optimo atque eruditiſſimo ejus Authore præcipuo, *Philippo Melanchthone*, nihil dicam) omnium prima fuit. Deinde, quô tempore ederetur, communi Eccleſiarum, Academiarum, Doctorum Reformatorum, penè, ſi non planè, omnium ſuffragiô comprobata fuit. Denique in Regnis aliquot & maximis Principatibus Civitatibuſque liberis hodieque obtinet, ac recepta eſt. Præterea illud Doctorem malè habet, quòd dixerim, primos Eccleſiæ noſtræ Proceres Confeſſionem illam ſecutos ſive imitatos fuiſſe. Sed quid hôc manifeſtius? Articulus Confeſſionis noſtræ primus ex primo *Auguſtanæ* penè ad verbum deſumptus eſt. Articulus noſter ſecundus ex tertio *Auguſtano* manifeſtè deſcribitur. Item articulus confeſſionis noſtræ 16 (qui maximè urit Doctorem, eoſque qui cum ipſo ſentiunt) anathematiſmos articuli undecimi *Auguſtani*, prope finem, apertè imitatur; ut 25 noſter *Auguſtanum* articulum 13. Jam verò in Homiliis noſtris quoties attentus Lector, in Scriptis *Melanchthonis* verſatus, ipſum audiat loquentem? Quibus adjicias, quod mox ad oculum monſtraturus ſum, Beatiſſimum *Hooperum* (qui Synodo illi interfuit, unde Articuli noſtri & Homiliarum tomus primus prodiêre, quemque authorem omnino ſibi vendicant quædam Homiliæ noſtræ, ipſius ſtylô exaratæ) pericopas bene longas ex *Philippi* ſcriptis penè ad verbum *Juſtif. Paulin.* ubi ſuprà

bum transcribere solitum fuisse. Doctoris autem sive judicium, sive sinceritatem ibi desidero, ubi scribit, *se Augustanæ Confessioni valdè Orthodoxæ nil detractum cupere.* Sane enim si Confessioni *Augustanæ*, ut valdè orthodoxæ, nihil detractum velit D. *Tullius*, nonnulla ipsius Catechismo omnino detrahenda sunt; quippe quæ Confessioni *Augustanæ* (ut & *Anglicanæ*) manifestè repugnent: quod mox in Sectione sequenti clarè ostendetur.

Justif. Paul. p. 30.

4. Interim cum Doctore progrediamur. *Quid verò*, inquit ille, *ista sua statuit omnium nobilissima Confessio? nimirum, si illi credimus, pœnitentiam omnino necessariam esse ad Justificationem.* Grave profectò crimen meum, qui tam pernicioſam sententiam (quæ nempe à Prophetis, à Christo, ab Apostolis, ab omnibus Ecclesiæ veteris Catholicæ Doctoribus, ab omnibus denique sanioribus Protestantibus asseritur) ausus fuerim *Augustanis* Patribus affingere. Et tamen eò confidentiæ processit D. *Tullius*, ut non vereatur causæ suæ fortunam omnem hîc oppignerare. Verba ejus sunt: *Proferatur in Confessione vel unum ἴῶτα, eò* (nempe ad probandum, veram contritionem omnino necessariam esse ad Justificationem) *spectans, & victas dabimus manus.* Quis faciliorem sibi optârit adversarium? Conditionem accipimus, certam nobis victoriam spondentes. Proferatur locus *Augustanæ* Confessionis (quem in Harmonia brevitati studens ex parte tantùm citavi) integer, & mox apparebit, quàm manifestus sit causæ suæ proditor D. *Tullius*. Verba sunt:

Justif. Paulin. ubi supra

Justif. Paulin. p. 31.

August. Confess. art. 21. de Fide.

" Primùm igitur de Fide & Justificatione sic
" docent: Christus aptè complexus est Sum-
" mam Evangelii, cùm, Lucæ ultimo, jubet
" prædicari in nomine suo pœnitentiam & re-
" missionem peccatorum. Nam Evangelium
" arguit peccata, & requirit pœnitentiam,
" & simul offert remissionem peccatorum
" propter Christum, gratis, non propter no-
" stram dignitatem. Et sicut universalis
" est pœnitentiæ prædicatio; ita & promis-
" sio gratiæ universalis est, & omnes credere
" jubet & accipere beneficium Christi, sicut
" Christus inquit, Venite ad me omnes, qui
" onerati estis. Et Paulus ait: Dives est in
" omnes, *&c.* Quanquam igitur contritio
" aliqua seu pœnitentia necessaria est, tamen
" sentiendum est, donari nobis remissionem
" peccatorum, & fieri nos ex injustis justos,
" id est, reconciliatos seu acceptos & filios
" Dei, gratis propter Christum, non pro-
" pter dignitatem contritionis, aut aliorum
" Operum præcedentium aut sequentium."

Frustra sane est D. *Tullius*, qui contendit, agi hîc de pœnitentia non salutifera, qualis erat Judæ proditoris. Quid enim? An pœnitentia, qualis Judæ erat, ad salutem hominis necessaria est? Præterea necessitatem pœnitentiæ, de qua loquitur, colligit *Augustana* Confessio ex verbis Domini nostri Lucæ ultimo, quibus jubet, *prædicari in nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum.* Quid? An loquitur ibidem Servator de pœnitentia pœnitendâ, qualis Judæ erat? An huic pœnitentiæ remissio peccatorum annectitur? Pudet me, Doctoris causâ, talis commenti. Audiamus porro articulum Confessionis *Augustanæ* quartum, qui sic habet: " Ut au-
" tem consequamur hæc beneficia Christi,
" scil. remissionem peccatorum, Justificati-
" onem & vitam æternam, dedit Christus
" Evangelium, in quo hæc beneficia promit-
" tuntur, sicut scriptum est Lucæ ultimo,
" prædicari pœnitentiam in nomine ejus, &
" remissionem peccatorum inter omnes gen-
" tes. Cùm enim omnes homines naturali
" modô propagati habeant peccatum, nec
" possint verè legi Dei satisfacere, Evange-
" lium arguit peccata, & ostendit nobis Me-
" diatorem Christum, & sic nos docet de re-
" missione peccatorum. Cùm Evangelium
" arguit peccata nostra, corda perterrefacta
" statuere debent, quòd gratis nobis propter
" Christum donentur remissio peccatorum,
" & Justificatio per Fidem, quâ credere &
" confiteri debemus, hæc nobis donari pro-
" pter Christum, qui pro nobis factus est
" hostia, & placavit Patrem. Quanquam
" igitur Evangelium requirit pœnitentiam,
" tamen ut remissio peccatorum certa sit,
" docet eam gratis donari, hoc est, non pen-
" dere ex conditione dignitatis nostræ, nec
" dari propter ulla præcedentia opera, aut
" dignitatem sequentium." Ubi satis manifestè docetur, pœnitentiam illam, quæ Evangeliô requiritur, (quæ dubio procul non alia est, quàm vera & salutaris) ad remissionem peccatorum sive Justificationem hominis requiri.

5. Interim non me latet, *Augustanos* pœnitentiam in duas partes, contritionem nempe & fidem, subtiliùs distribuisse, & priorem illum pœnitentiæ actum aliter, quàm à Theologis prioribus factum fuerat, explicâsse. Nimirum hoc dudum notavit *Cassander* in Consultatione suâ his verbis: " Quod
" subjicitur in libro Confessionis *Augustanæ*,
" constare hanc pœnitentiam contritione &
" fide, quam sequi debeant fructus digni
" pœnitentiâ; in hac pœnitentiæ partitione
" hoc novum est, quòd fides pœnitentiæ
" partibus adjungitur, prætermissâ confessio-
" ne, & contritioni postponitur; idque id-
" eo fit, quòd contritionis notio præter
" receptam Ecclesiæ sententiam explicatur.
" Non enim contritionis nomine intelligun-
" tur

Ad Art. 12. apud *Grot.* Via ad pac. *p. 92.*

" tur terrores, ſeu horrores incuſſi conſci-
" entiæ agnitô peccatô, ſed ex his terrori-
" bus contritio naſcitur. Contritionis au-
" tem nomine intelligunt dolorem de pecca-
" to propter offenſam Dei cum propoſito
" abſtinendi, qui dolor gratiâ Dei informa-
" tus, & non modò ex terrore divini judi-
" cii, ſed ex fide divini verbi, & fiducia
" conſequendæ veniæ profectus ſit. Si au-
" tem contritionis nomine qualiſcunque do-
" lor de admiſſo peccato ex terrore legis in-
" cuſſus intelligatur, talis dolor cùm veram
" & ſalutarem pœnitentiam antecedat, inter
" pœnitentiæ partes non ſolet nominari, &
" attritionis potiùs quàm contritionis nomi-
" ne vocari conſuevit. Quamvis & hujuſ-
" modi contritio pœnitentiæ quoque ſeu re-
" ſipiſcentiæ nomine ſignificatur; cui, ut
" ſalutaris & efficax ſit, fidem ſive fiduciam
" miſericordiæ accedere debere neceſſe eſt,
" ut exempla *Cain* & *Judæ* manifeſtè decla-
" rant.

6. Nihilominùs certum eſt, docuiſſe *Auguſtanos*, contritionem illam, quæ per fidem vera & ſalutaris efficitur, quâ nempe verum peccati odium, juſtitiæ amorem, & firmum novæ vitæ propoſitum concipimus, omnino neceſſariam eſſe, ad remiſſionem peccatorum ſive Juſtificationem obtinendum. Quis mentem & ſenſum *Auguſtanæ* Confeſſionis penitiùs intellexerit, quàm *Melanchthon*, qui ipſam compoſuit? Audiamus itaque ipſum totam hanc doctrinam liquidò explicantem his verbis: " Ad contritionem Judæ non
Loc. Theol. de fide in Corp. Chriſtian. doctrin. p. 335, 336. " acceſſit fides; ideò oppreſſus terroribus,
" ruit in æternum exitium: econtrà ad
" contritionem *Petri* acceſſit fides; ideo re-
" vixit ex ſuis ingentibus doloribus. Et
" cùm fide erigimur, accedit agnitio bonita-
" tis Dei, & non tantùm metu pœnarum
" angimur, ſed etiam puriore dolore, quòd
" Deum offenderimus, cui debetur obedien-
" tia & gratitudo. Sed non eſt opus hos
" affectus ſubtiliter divellere. Vult Deus
" iram ſuam metui, & hanc in pœnis vult
" conſpici. Accedat autem & fides, ne fu-
" giamus Deum, ſed ad eum redeamus, pe-
" tamus nos recipi, & ſtatuamus æternam
" & immutabilem Dei voluntatem eſſe,
" quod velit recipere perterrefactos, qui cre-
" dunt ſibi ignoſci propter Mediatorem.
" Hoc præcipit nobis certò credere & ſta-
" tuere. Hæc fides illuſtre diſcrimen facit
" inter timorem ſervilem & filialem. Ti-
" mor ſervilis eſt pavor ſine fide, & reipsâ
" fugit Deum. Sed timor filialis eſt pavor,
" ad quem accedit fides, quæ inter pavores
" erigit & conſolatur animum, & accedit ad
" Deum, petit & accipit remiſſionem. Hæ
" deſcriptiones ſunt planæ, & in exercitiis
" noſtris intelligi poſſunt. Contritio ſine
" fide eſt horribilis pavor, & dolor animi
" fugientis Deum, ut in *Saule*, *Juda*. Qua-
" re non eſt bonum opus. Sed contritio cum
" fide, pavor & dolor eſt animi non fugien-
" tis Deum, ſed agnoſcentis juſtam iram Dei,
" & verè dolentis, quòd neglexerit aut con-
" tempſerit Deum, & accedentis tamen ad
" Deum, & petentis veniam. Talis dolor fit
" bonum opus & ſacrificium, ut loquitur
" Pſalmus: Sacrificium Deo ſpiritus con-
" tribulatus; cor contritum & humiliatum,
" Deus, non deſpicies. Et tamen neceſſe
" eſt taxari & abjici opinionem, quæ finxit
" homines contritione mereri remiſſionem
" peccatorum, ſeu dari remiſſionem propter
" dignitatem contritionis, *&c.*" Quid clarius? Neceſſitatem veræ contritionis ad Juſtificationem accipiendum apertè agnoſcit; meritum verò contritionis in Juſtificationis negotio omnino rejicit.

7. Hinc verò facilè ſolvuntur minuta illa Sophiſmata, quibus mox perſuadere nobis conatur D. *Tullius*, *Auguſtanos* (non obſtante ſententiæ ſuæ manifeſtâ illâ declaratione ab ipſis traditâ) nequaquam voluiſſe, veram contritionem Juſtificationem antecedere. Eorum hæc ſumma eſt: Fructus & effecta fidei non antecedunt Juſtificationem, quia ſic antecederent ipſam fidem, & ſic effectus eſſet prior causâ. At verò pœnitentia & contritio, juxta ipſos *Auguſtanos* ſunt effecta & fructus fidei. Reſp. Docent quidem *Auguſtani*, veram pœnitentiam & contritionem effecta & fructus eſſe fidei illius, quæ juſtificat; ſed & haud minùs apertè docent, fidem non eſſe juſtificam, donec fructus & effecta illa pariat. Hoc manifeſtum eſt ex verbis illis *Melanchthonis: Timor filialis eſt pavor, ad quem accedit fides, quæ inter pavores erigit & conſolatur animum, & accedit ad Deum, petit & accipit remiſſionem.* Animadverte: Timor fit filialis accedente fide; per eam fidem accedit peccator ad Deum, petit remiſſionem, atque ita demum remiſſionem, hoc eſt, Juſtificationem accipit. Itaque licèt juxta *Auguſtanos* acceſſio ad Deum, & petitio veniæ, nempe ſincera & ardens (quæ veram pœnitentiam conſtituunt) effecta ſint fidei illius, quæ juſtificat; tamen remiſſionem peccatorum ſive Juſtificationem antecedunt, neque abſque iis remiſſio illa ſive Juſtificatio accipitur. Idem ſignificatur iſtis verbis: *Contritio cum fide pavor & dolor eſt animi non fugientis Deum, ſed agnoſcentis juſtam iram Dei, & verè dolentis quòd neglexerit aut contempſerit Deum, & accedentis tamen ad Deum, & petentis veniam: talis*

Juſtif. Paulin. p. 31, 32.

dolor fit bonum opus & ſacrificium,&c. Quid clarius? Contritio ante fidem eſt dolor fugientis Deum; ſed accedente fide fit dolor agnoſcentis juſtam iram Dei, & verè dolentis, & accedentis ad Deum, & petentis veniam: itaque fit ſacrificium illud, de quo Pſalmiſta loquitur: *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum, Deus, non deſpicies.* Ut verbô igitur dicam: Ex mente *Auguſtanorum* vera contritio ſive pœnitentia non eſt effectus fidei juſtificæ, quà talis, ſed ad ipſam ejus eſſentiam pertinet; hoc eſt, fides non eſt juſtifica, quæ veram contritionem, ſive pœnitentiam, nondum produxerit.

Juſtif. Paulin. p. 33. 8. Ad Confeſſionem *Wurtenbergicam* à nobis citatam pergit D. *Tullius*. *Ejuſdem quoque commatis eſt*, inquit, *quod ex Confeſſione* Wurtenbergica *urgetur, tam ſanè infœliciter, ut adverſarii cauſam nihil lethaliùs feriat, ſub quinta quaſi coſta. Audiantur verba cap. de Juſtificatione:* Credimus quòd ad faciendam & exercendam juſtitiam, neceſſariæ ſunt hæ virtutes, fides, ſpes & charitas,*&c.* *Adverte, ad faciendam & exercendam juſtitiam, i. e. alia bona Opera. Non enim dicit, ad Juſtificationem: nam hominem facere & exercere Juſtificationem ſuam, ne ruſticiſſimæ quidem ſuſtinebunt aures.* Sed Doctoris fidem in recitandis aliorum dictis ubique deſideramus. Verba *Wurtenbergicæ* Confeſſionis hæc ſunt: *Credimus & confitemur, quòd ad faciendam & exercendam juſtitiam Deo gratam neceſſariæ ſunt hæ virtutes, fides, ſpes & charitas*, &c. Quorum verborum ſenſus manifeſtus eſt, neminem ſine his virtutibus, fide, ſpe & charitate, Deo gratum, nempe ad ſalutem, eſſe poſſe: quod quid aliud, quæſo, eſt, quàm neminem ſine his virtutibus juſtificari? Deinde *Wurtenbergici* ſpem & charitatem in eodem neceſſitatis genere collocant cum fide. At fidem ad Juſtificationem hominis requiri, nemo dubitat, quin agnoverint. Denique manifeſtum eſt, neceſſitatem harum virtutum, fidei, ſpei & charitatis agnoſci ab *Wurtenbergicis* eôdem reſpectu, quô eorundem Meritum ab ipſis negatur. At Meritum, quod hiſce virtutibus detrahunt, Juſtificationis negotium reſpicit; ergo,*&c.* Verba clara ſunt: "Credimus & confitemur, quòd ad faciendam "& exercendam juſtitiam Deo gratam, nec"eſſariæ ſunt hæ virtutes, fides, ſpes & "charitas, *&c.* Sed ſentimus à verè Apo"ſtolica & Catholica doctrina longiſſimè "abhorrere eorum ſententiam, qui docent, "hominem fieri Deo acceptum, & reputari "coram Deo juſtum, propter has virtutes, "ac in judicio Dei Meritis harum virtutum "confidendum eſſe." Ridiculum Syllogiſmum, quem hîc adverſario ſuo affingit D. *Tullius*, nunc non vacat commemorare. Qui iſtiuſmodi facetiis capietur, capiatur.

9. Claudit hoc caput D. *Tullius* citatione multorum teſtimoniorum ex aliis exterarum Eccleſiarum Confeſſionibus. Ad quæ omnia reſpondeo: Quanquam nunquam in me receperim, quicquid in quacunque Confeſſione Reformata de hac quæſtione dicitur, præſtare; (quippe qui id ſolùm affirmaverim, Confeſſionum Reformatarum ſaltem primas ac nobiliſſimas à noſtris partibus ſtare) tamen quiſquis laceris fragmentis à D. *Tullio* citatis non contentus, ipſas Confeſſiones inſpexerit, & ſingularum integram de hac quæſtione ſententiam expenderit; mecum fatebitur, eas ad unam omnes Meritum quidem virtutis cujuſcunque noſtræ à Juſtificationis negotio rejicere; neceſſitatem verò pœnitentiæ veræ ad Juſtificationem obtinendam palàm agnoſcere: quod nobis ſufficit. Siqua verò eſſet Reformata Confeſſio, quæ iſti ſententiæ repugnaret, rejicienda proculdubio eſſet, ut Scripturis & Catholico conſenſui hâc ex parte contraria.

10. Cæterùm illud neutiquam prætereundum eſt, à D. *Tullio* pro ſe citari *Argentinenſem* Confeſſionem, quâ nulla magis ejus ſententiæ adverſatur. De illa autem Confeſſione notat ipſe, ſubſcripſiſſe illi *Conſtantiæ, Alemmingæ* & *Lindaviæ* civitates; prætereaque oblatam eam fuiſſe unà cum *Auguſtana Cæſareæ* Majeſtati ipſi nominatim; eôque nomine cautiùs & temperatiùs (ſi quid in hac controverſia urgeret ſcrupuli) contexi oportuiſſe. Jam audiamus illuſtris hujus Confeſſionis verba cap. 4. "Nolumus "autem hæc (*nempe quæ proximè dicta fue*"*rant de Juſtificatione ex ſola fide*) ſic in"telligi, quaſi ſalutem ac juſtitiam in igna"vis animi cogitationibus, fideve charitate "deſtitutâ, quam informem vocant, pona"mus: quandoquidem certi ſumus, nemi"nem juſtum aut ſalvum fieri poſſe, niſi "amet ſummè Deum & imitetur ſtudioſiſ"ſimè. Nam quos præſcivit, eoſdem & "præfinivit conformes fieri imagini filii "ſui; ſane ſicut in gloria vitæ beatæ, ita & "in cultu innocentiæ conſummatæque ju"ſtitiæ: figmentum enim ipſius ſumus, "conditi ad bona opera. Atqui Deum an"te omnia amare, dignôque ſtudiô æmula"ri, niſi qui eum planè noverit, & de quo "ſibi quæque optima polliceatur, poteſt "nemo. Juſtificari ergo, hoc eſt, ut juſti, "ita ſalvi evadere (juſtitia enim ipſa no"ſtra ſalus eſt) aliter prorſus nequimus, "quàm ſi fide cumprimis donemur, quâ "Evan-

Juſtif. Paulin. p. 35, 36.

" Evangelio credentes, eóque perſuaſi De-
" um nos in filios adoptâſſe, paternamque
" benevolentiam in ſempiternum nobis ex-
" hibiturum eſſe, toti ab ipſius nutu pen-
" deamus. Hanc fidem vocat D. *Auguſtinus*
" libro de fide & operibus, Evangelicam, ef-
" ficacem videlicet per dilectionem.

Tria hîc manifeſtè docet *Argentinenſis* Confeſſio. 1. Juſtitiæ ſive Juſtificationis, & ſalutis eandem eſſe rationem : Juſtificari eſſe, ut juſtum, ita ſalvum evadere, imò juſtitiam eſſe ipſam noſtram ſalutem ; proinde quicquid ad ſalutem requiritur, ad juſtitiam pariter requiri. 2. Charitatem illam, quâ quis Deum ſummè, ſive ante omnia, amet, ad juſtitiam ac ſalutem hominis prorſus neceſſariò requiri. 3. Ex neceſſitate dilectionis conſequi, fidem etiam ad juſtitiam & ſalutem hominis neceſſariam eſſe ; quippe ſine fide illa, quâ perſuaſi ſumus de benevolentia Divina in Evangelio patefacta, fieri non poſſe, ut quis Deum ſummè amet. Quid ad hæc D. *Tullius ?* Senſum *Argentinenſium* hunc eſſe contendit, *quòd amor ille Dei ſit fructus fidei: & ſequens juſtificatum, non antecedens.* Quid verò hâc interpretatione audacius? *Argentinenſes* perſpicuè ſignificant, amorem Dei ante omnia conditionem eſſe neceſſariò ad id requiſitam, ut quis juſtitiam ac ſalutem conſequatur. Non enim dicunt, *neminem juſtum eſſe, niſi amet ſummè Deum*, quæ verba Doctoris interpretationem admitterent ; ſed *neminem juſtum fieri poſſe, niſi Deum ſummè amet*, quæ ſenſum illum omnino reſpuunt. Deinde pari ratione dicere potuit D. *Tullius*, *Argentinenſes* voluiſſe, dilectionem Dei eſſe ſalutis conſequens, non antecedens ; cùm diſertè doceant, juſtitiæ ac ſalutis humanæ eandem prorſus rationem eſſe. Præterea pari ratione dici poteſt, etiam fidem, juxta *Argentinenſes*, juſtitiæ ac ſalutis eſſe conſequens, non antecedens : nam fidei neceſſitatem ad juſtitiam ac ſalutem conſequendum concludunt (uti modò notavimus) ex neceſſitate dilectionis ad idem beneficium obtinendum. Quippe hôc quaſi Syllogiſmo rem ſuam conficiunt : Si dilectio Dei ſuper omnia omnino neceſſaria ſit ad juſtitiam ſive ſalutem apiſcendam, tum & fides ad idem neceſſaria eſt ; at verum eſt antecedens ; ergo & conſequens. Conſequentiam Majoris hâc ratione probant, quòd ſine fide dilectio Dei in homine exiſtere non poſſit. Res manifeſta eſt. Denique expreſsè dicunt *Argentinenſes*, non poſſe nos aliter juſtificari, ſive juſtos evadere, quàm ſi fide donemur cumprimis, quâ toti à Dei nutu pendeamus, hoc eſt, prompti ac parati ſimus ad obſequendum Deo in omnibus. Ex uno autem hoc ſpecimine conjecturam capiat prudens Lector, quatenus D. *Tullii* ſive judicio, ſive candori, in citandis & exponendis cæteris Confeſſionibus Reformatis, fidendum ſit.

SECTIO VII.

Epilogum continens ad Sectiones præcedentes.

1. FAteor, mihi, D. *Tullii* tria præcedentia legenti capita, illud Poetæ in mentem veniſſe : *quis tulerit Gracchos*, &c. Nimirum V. R. qui tantâ vehementiâ in nos immerentes (uti jam liquet) invehitur, tanquam doctrinæ Eccleſiaſticæ depravatores, in nonnullis ipſe revera deprehenditur, claris Eccleſiæ *Anglicanæ*, aliarumque Reformatarum, adeoque Catholicæ definitionibus repugnâſſe. Huic rei demonſtrandæ Sectionem hanc integram (quam bene longam fore auguramur) impendemus. Hoc autem non eô facimus tantùm conſilio, ut vicem Doctori rependamus ; (parum illud eſſet) ſed quòd operæ pretium exiſtimavimus, datâ hâc occaſione, antiquam, veram, genuinam & Catholicam Eccleſiæ noſtræ doctrinam, (jam temporum iniquitate penè deperditam) in quibuſdam Chriſtianæ Religionis capitibus, quæ maximi momenti ſunt, aſſerere & illuſtrare.

2. Primùm apertè docet D. *Tullius*, ***pœnitentiam, ſeu veram de peccatis contritionem, nullatenus ad primam Juſtificationem obtinendum eſſe neceſſariam.*** Illud jam ſæpiùs notavimus, & loca ſimul indicavimus, ubi ille hanc propoſitionem (pudendam ſane & Eccleſiæ *Anglicanæ* Theologô indignam) expreſsè tradit, quin & argumentando propugnat. Quàm autem hîc manifeſtè D. *Tullius* S. Scripturis, Veteris Eccleſiæ Patribus, exterarum Eccleſiarum Reformatarum Confeſſionibus

ſionibus bellum indicat, omnibus jam ſuprà palàm fecimus. Sed & teſtimonia quædam Eccleſiæ noſtræ, huic novitio dogmati clarè ſatis adverſantia, obiter adduximus. Verùm zelus Sanctam Matrem vindicandi à turpiſſimo errore, quem ipſi parum ſane reverenter affinxit D. *Tullius*, me perpulit, ut ejuſdem pleniorem refutationem ex Homiliis & Liturgia noſtra aggrederer.

3. Extat Homiliarum tomô ſecundô Homilia cum hoc titulo: *Homilia de reſipiſcentia & vera cum Deo reconciliatione.* Ubi ipſe titulus clarè nos docet, reſipiſcentiam veræ cum Deo reconciliationis noſtræ (hæc autem quid aliud, quàm Juſtificatio noſtra?) medium, ſive conditionem eſſe prorſus neceſſariam. In ipſa verò Homilia paſſim affirmat Author, fieri non poſſe ut abſque reſipiſcentia Deo placeamus, in gratiam cum ipſo redeamus, atque iram ejus effugiamus. De quali autem reſipiſcentia loquatur Homilia, ſi quæritur, multis in locis res iſta clarè explicatur. In prima parte Homiliæ ex *Joele* Propheta oſtendit Author, totum reſipiſcentiæ negotium ad hæc quatuor capita reduci poſſe, 1 à quo, 2 ad quem, 3 per quem, 4 quomodo redire debeamus. Ultimum
P. 259. verò illud explicans ſic loquitur: *Quartò, ſanctus Propheta* Joel *ad vivum exprimit modum hujus reditionis ſive reſipiſcentiæ noſtræ, omnia quæ à nobis ſive interiùs, ſive exteriùs obſervanda ſint, complexus. Primùm vult ut ad Deum redeamus ex toto corde noſtro, eô removens omnem hypocriſim, ne ad nos illud meritò dicatur:* Appropinquat mihi populus hic ore ſuo, & labiis me honorat; cor autem eorum procul abeſt à me. *Secundò, poſtulat ſincerum & purum pietatis & veri cultûs divini amorem, hoc eſt, ut abrenunciatis, quæcunque Dei voluntati repugnant, cor noſtrum, & facultates omnes tam corporis, quàm animi, ipſi conſecremus, juxta illud, quod in Lege ſcriptum eſt:* Diliges Deum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis. *Scilicet nihil hîc nobis reſiduum eſt, quod mundo dedamus, aut carnis concupiſcentiis. Cùm enim cor ſit fons omnium operum noſtrorum, neceſſe eſt, ut quotquot ex toto corde ad Dominum convertuntur, ipſi ſoli vivant. Neque enim verè reſipiſcunt, qui animis incerti & fluctuantes, nunc Deo obediunt, mox verò licere ſibi putant, ipſô derelictô, mundo & carni ſervire.* In ſecunda parte ejuſdem Homiliæ vera reſipiſcentia, ad reconciliationem cum Deo requiſita, ita in genere deſcribitur, quòd ſit *ſincera ad Deum reditio, quâ homo, idololatriâ & malitiâ ſuâ penitus abdicatâ, vivâ fide amplectitur, amat & colit verum & vivum Deum ſolum, ſeque devovet omnigenis bonis operibus, quæ ex Dei verbo ipſi grata intellexerit.* Mox Author hujus Pœnitentiæ partes enumerat, quas conjunctas componit *brevi ſcalæ, quâ ex profunda perditionis abyſſo ad turrim ſalutis æternæ facilè conſcendamus.* Partes verò Pœnitentiæ quatuor conſtituit, nempe, genuinam cordis contritionem, ſinceram peccati confeſſionem, veram in Chriſto Mediatore fiduciam, & firmum novæ vitæ propoſitum. De prima ex *Davide* docet, quod ſit unicum ſacrificium noſtrum Deo gratum & acceptum. De ſecunda ex eodem *Davide* P. 265. oſtendit, Deum confeſſioni noſtræ, ex corde verè contrito profectæ, omnia peccata gratis condonare. De quarta denique expreſsè docet, neceſſe omnino eſſe, *ſi iratum Deum nobis propitium habere volumus, ut neutiquam diſſimulemus, ſed ad ipſum convertamur per veram & ſolidam reſipiſcentiam, bonis fructibus, tanquam certiſſimis τεκμηρίοις & ſignis dignoſcendam.* Et mox non veretur dicere, P. 269. *ſatisfactionem, quam Deus à nobis poſtulat, hanc eſſe, ut à malo ceſſemus, atque id, quod bonum eſt, faciamus.* Certè his nihil clarius, nihil diſertius.

4. Ab Homiliis ad Liturgiam noſtram accedamus. Penè in ipſo ejus initio Abſolutionis forma præſcribitur, à Sacerdote in matutinis & veſpertinis precibus quotidie uſurpanda. Ibi dicitur, *Deum in mandatis dediſſe miniſtris ſuis, ut populo ſuo pœnitenti abſolutionem & peccatorum remiſſionem annuntiarent, ac pronuntiarent: ipſum* (nempe Deum) *ſingulis verè pœnitentibus, & ſancto ejus Evangelio haud fictè credentibus ignoſcere, eoſque abſolvere,* hoc eſt, juſtificare. Huic gemina eſt Abſolutio ante ſacroſanctæ Cœnæ Dominicæ participationem, à Sacerdote ad populum converſo pronuntianda; cujus hæc ſunt verba: *Omnipotens Deus, Pater noſter cœleſtis, qui ex ſumma miſericordia peccatorum remiſſionem promiſit iis omnibus, qui* feriò & ex animo pœnitentes, *cum verâ fide ad eum ſe convertunt, veſtri miſereatur, peccata veſtra vobis omnia condonet, ab iiſque vos liberet,* &c. Feriâ quartâ poſt Quinquageſimam, qui *Dies Cinerum* vulgò dicitur, adeoque quotidie per totam Quadrageſimam, recitanda præſcribitur hæc Collecta: *Omnipotens & ſempiterne Deus, qui nihil eorum odiſti, quæ condidiſti, qui peccata condonas omnibus reſipiſcentibus, crea & finge in nobis corda nova & contrita, ut peccata noſtra pro meritis lamentantes, & miſeriam noſtram agnoſcentes, à te omnis miſericordiæ Deo, perfectam remiſſionem conſequamur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.* In Officio, quæ *Comminatio* dicitur, eidem diei Cinerum aſſignato, jubetur Sacerdos, poſt reci-

recitatas ex Lege adversùs impœnitentes peccatores Dei maledictiones, ita populum affari: *Jam verò cùm maledicti ſint omnes*, (*atteſtante* Davide *Prophetâ*) *qui errant & declinant à mandatis Dei, agite, terribilis illius judicii, capitibus noſtris imminentis ac ſemper inſtantis memores, convertamur ad Dominum noſtrum cum omni contritione cordis animique demiſſione, plangentes ac lamentantes vitam noſtram flagitioſam; delicta noſtra agnoſcentes & confitentes, atque operam dantes, ut fructus feramus dignos pœnitentiâ: jam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt*, &c. —— *Non abutamur miſericordiâ Dei, nos ad reſipiſcentiam miſericorditer invitantis, & pro immenſa clementia ſua peccatorum veniam promittentis, modò ad eum ex animo & ſincero corde convertamur. Quia ſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur*, &c. ——— *Convertamur igitur ad eum, qui miſericorditer recipit reſipiſcentes omnes peccatores, perſuaſum nobis habentes, ipſum paratum eſſe ad recipiendum nos, & ad ignoſcendum nobis, ſi verè reſipiſcentes ad eum accedamus, ſi nosmetipſos ei ſubjiciamus*, &c. Sane in his locis omnibus verba tam diſerta ſunt, ut neutiquam indigeant noſtris vel conſequentiarum deductionibus, vel obſervationibus, quibus clariùs Lectori pateſcat, quàm appoſite à nobis allegentur. In tenebris pluſquam Cimmeriis verſatur, quiſquis ex iſtis non facilè per ſe perſpexerit, ab Eccleſia noſtra conſtanter doceri, veram de peccatis contritionem, & totius hominis ad Deum converſionem, remiſſionis peccatorum & acceptationis Divinæ, hoc eſt, Juſtificationis obtinendæ conditionem eſſe prorſus neceſſariam. Quid multis? Ad Catechiſmum noſtrum ablegandi ſunt, qui Elementariam hanc Chriſtianæ religionis doctrinam vel nondum didicêre, vel dedidicêre. In doctrina de Sacramentis, rogatus puer, *quid ab iis requiratur, qui baptizandi ſunt?* ita docetur reſpondere: *Reſipiſcentia, quâ peccato abrenuntient, & fidei, quâ firmiter credant promiſſionibus divinis ſibi factis in eo Sacramento.* Certè autem qui dicit, non modò fidem, ſed & pœnitentiam ad gratiam Baptiſmi percipiendum requiri, idem dicit quod is, qui tum fidem, tum pœnitentiam ad Juſtificationem requiri affirmat; uti ſuprà oſtenſum eſt, & cuivis ſano per ſe liquet. *Sect. 4. n. 9.*

5. Jam ſi quis avet ſcire, quid de hac quæſtione (quàm pudet, Chriſtianæ adeoque univerſæ religionis principium à Chriſtiano in quæſtionem vocari!) doceant probati Eccleſiæ noſtræ Theologi; neceſſitatem pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum, ſive Juſtificationem obtinendum, omnes uno ore prædicant. Tres hìc citabo teſtes illuſtres, qui non pro ſe tantùm, ſed etiam nomine Theologorum noſtratium, adeóque Reformatorum omnium reſpondebunt. Jam audivimus doctiſſimum *Fieldum* noſtrum affirmantem, communem eſſe veterum Patrum & Proteſtantium omnium doctrinam, opera gratiæ prævenientis, quæ ſub converſionis nomine comprehenduntur, prorſus neceſſariò in homine requiri, ut iiſdem diſponatur ac præparetur ad primæ Juſtificationis gratiam recipiendum. Quod & rurſus in eodem capite inſignis idem Theologus expreſſiùs docet; ubi *Stapletono* Proteſtantibus objicienti, ab iis doceri, Juſtificationem noſtram in ſola remiſſione peccatorum per fidem ſitam eſſe, Sacramenta verò nihil ad Juſtificationem conferre, non ſine indignatione aliquâ reſpondet in hæc verba: *Atqui hoc falſum eſt. Nam planè aliter docent; nempe, Baptiſmum & reſipiſcentiam, etiam ad primam hominis Juſtificationem, neceſſariò requiri.* Huic ſuffragatur doctiſſimus *Franciſcus White*, qui in *Replicatione ad Fiſherum*, Jeſuitæ noſtris objicienti, quòd Sacramentum pœnitentiæ & Sacerdotalis abſolutionis, medium neceſſarium obtinendæ remiſſionis peccatorum poſt Baptiſma commiſſorum, rejiciant, ita primùm reſpondet: *Adverſarius per pœnitentiam non intelligit pœnitentiam, quatenus eſt virtus. Nam Proteſtantes credunt, veram pœnitentiam ſecundam eſſe tabulam poſt animarum naufragium, ac medium neceſſarium obtinendæ remiſſionis peccatorum poſt Baptiſma commiſſorum.* Quod in margine probat ex *Calvino*, *Beza*, ac denique *Zanchio*, cujus hæc citat verba: *Credimus ad veram juſtitiæ Chriſti participationem, eóque ad νεκρωσίαν cum Chriſto, neceſſariam eſſe pœnitentiam, quâ à peccatis & mundo mutatione animi ac voluntatis averſi, ad Chriſtum convertamur, illi agglutinemur, eóque remiſſionem peccatorum in ipſo & ex ipſo conſequamur.* Eandem doctrinam tuetur clariſſimus *Mortonus* in luculento Opere, cui titulus, *Catholica appellatio pro Proteſtantibus lib. 5. c. 16. Sect. 3. n. 1.* ubi adverſario ſuo, veterum Hæreticorum Solifidianiſmum Reformatis exprobranti, poſt alia ſic occurrit: *Poſtulant illi* (nempe Reformati) *vivam fidem & ſeriam pœnitentiam, utpote ſine quibus nemo juſtificari poſſit.* Illud verò in margine confirmat hâc notatu digniſſimâ ipſius *Bellarmini* confeſſione: *Hæc & ſimilia teſtimonia manifeſtè ſignificant, requiri aliquid in nobis ut juſtificemur: neque Adverſarii hoc negare poſſunt; qui cùm dicant, remiſſionem non pendere à conditione operum, neque pœnitentiam, aut fidem, aut ullum actum noſtrum eſſe cauſam, aut meritum Juſtificationis; tamen non negant requiri fidem & pœnitentiam ſeriam, & ſine his neminem juſtificari;*

Appen. ad lib. 3. de Eccleſ. p. 298.

P. 185, 186.

De Relig. c. 18. Theſ. 1.

Bell. l. 3. de Juſtif. c. 6. Sect. Hæc.

Hiſce teſtimoniis proclive eſſet alia aliorum quàm plurima adjicere, ſi iſtis opus eſſet in re tam manifeſta. Sed jam ad alia Doctoris heterodoxa placita progrediamur.

6. 2º Docet D. *Tullius*, *continuationem, ſive conſervationem Juſtificationis noſtræ, jam per ſolam fidem adeptæ, neutiquam pendere ex conditione operum bonorum in poſterum à nobis faciendorum.* Dogma hoc longè periculoſiſſimum ubique in hoc Opere Lectori ſuo ſtudiosè ingerit. Nam paſſim aſſerit, opera omnia, quæcunque fidem juſtificam conſeqvuntur, nihil ad Juſtificationem hominis quicquam conferre poſſe; & prolixè ridet eorum ſtultitiam, qui aliter ſentiunt. Nimirum hâc nititur hypotheſi, jam juſtificatum non poſſe ampliùs juſtificari, ſive primam Juſtificationem noſtram abſolutam eſſe; quæ quàm abſurda ſit, ſæpiùs oſtendi. Præterea, (*Juſtif. Paulin. p.* 154.) obedientiam mandatis præſtandam, conditionem eſſe omnino Juſtificationis noſtræ apud Deum, expreſsè negat. Et (*p.* 169.) quid ſit conditio oſtendit, nempe id eſſe, unde negotii effectus, vel (ut alii) diſpoſitio ſuſpenditur; deinde hunc in modum pergit contra Adverſarios argumentari: *Hinc itaque concidit omnis Juſtificatio, ex operum conditione ſuſpenſa. Sic enim arguimus: Si bona Opera ſint Juſtificationis (quam loquimur) conditio, tum ab iis ſuſpenditur Juſtificatio: hoc autem fieri non poteſt; ergo non ſunt conditio Juſtificationis.* Cujus argumenti Minorem inde probat, quòd opera omnia, quæ primam Juſtificationem antecedunt, peccati rationem habeant; quæ verò opera Juſtificationem primam conſeqvuntur, quicquam ad Juſtificationem conferre poſſe, craſſam, ut loquitur, contradictionem ſonet. Imò mox (pag. 172, 173.) opera bona, vel ſalutis obtinendæ conditiones eſſe propriè dictas, rotundè negat. Verba ejus ſunt: *Breviter, & quà licet apertiſſimè, negamus, opera (etiam optima) humana potiundæ gloriæ eſſe conditiones propriè dictas; quoniam ante opera*, i. e. *in ipſa Juſtificatione, jure iſto ad ſalutem æternam fruuntur fideles.*

Jam videamus quàm bellè conveniat hæc Doctoris Theologia cum doctrina Eccleſiæ *Anglicanæ* in *Homiliis* & *Articulis* diſertè tradita. In *Homilia* de Salute prope finem partis primæ expreſsè docet Eccleſia (quod & ſuprà notavimus) eô quòd Fide, cum internis ſolummodò Spei, Charitatis, Pœnitentiæ, *&c.* virtutibus conjunctâ, prima Juſtificatio obtineatur, nequaquam excludi Juſtitiam operum poſtea neceſſariò præſtandorum. Qualis verò ſit illa bonorum operum primam Juſtificationem conſequentium neceſſitas, ſatis luculenter explicatur *Homil.* de *bonis operibus* part 1. prope finem; ubi Author *Homiliæ* citat, ſuôque calculô comprobat, *Chryſoſtomi* de fideli Latrone hæc verba: *Certè ſi ſupervixiſſet fidei, & bene operari neglexiſſet, excidiſſet à ſalute.* Sed quid multis opus eſt? Eccleſia noſtra in Articulo 16. expreſsè docet, hominem *poſtquam acceperit Spritum Sanctum, à Gratia data* per peccatum mortale *recedere*; ut in meridiana luce cæcutiat, neceſſe ſit, qui non videt, ſenſiſſe Eccleſiam noſtram, continuationem, ſive conſervationem Juſtificationis noſtræ omnino pendere ex conditione operum bonorum in poſterum à nobis præſtandorum; quod tamen Reverendus Antagoniſta præfractè negat. Pergamus.

Homil. tom. 1. *p.* 15.

7. 3º. Docet D. *Tullius*, *non poſſe hominem, qui fide juſtificâ ſemel imbutus eſt, ab eadem penitus deficere, atque æternùm perire.* Imò dogma illud (quô ſane vix aliud pernicioſius) tanquam indubitatum Chriſtianiſmi principium, S. Theologiæ Candidatis credendum obtrudit in Catechiſmo, ſive *Enchiridio* ſuo *Didactico*, Nam capite 9. *de Fide*, poſtquam Fidem quadrifariàm diſtinxerat, nempe in Fidem miraculorum, hiſtoricam, temporaneam, & juſtificam; pergit docere, quomodo tres iſtæ Fidei ſpecies priores diſtinguantur à juſtifica, nempe tum principiô, tum ſubjectô ſuô. Et de poſteriori illa differentia agens, ita Catechumenum ſuum inſtruit: A. *Dic ſubjecta itidem diverſa.* B. *Fidei juſtificæ eſt homo electus ad vitam, & natus ex Deo; reliquarum poſſunt eſſe filii perditionis, hypocritæ*, &c. Itaque juxta Doctoris Theologiam, quiſquis Fide juſtificâ ſemel prædituſ eſt, ita ad vitam æternam à Deo eſt electus, ut nunquam poſſit perditionis filius evadere. Ingenuè quidem fateor, D. *Tullium* hujus erroris ſui duces habere Theologos Eccleſiæ noſtræ non paucos, neque ignobiles, qui nempe iis temporibus floruere, quibus per hominum quorundam, *Genevenſi* Theologiæ impensè addictorum, artes eò res devenerat, ut vix liceret vel Eccleſiæ noſtræ decreta, vel ipſas etiam Scripturas, aliter quàm ad amuſſim inſtitutorum *Calvini* interpretari; quorumque adeo error ætati, quâ vixêre, condonandus erat. Scilicet unicuique fere ſeculo, ut optimè dixit non nemo, eſt ſuus quaſi opinionum torrens, cui quicunque ſe oppoſuerit, adverſis judiciis aut abripietur, aut obruetur. Nec defuere tamen eâ etiam tempeſtate Viri docti & graves in Eccleſia noſtra, qui invaleſcentem errorem auſi fuerint palàm oppugnare. Utut verò illa ſint, certè nullus dubito, quin omnibus, qui inſanabili præjudiciô non laborant, facilè perſuaſurus ſim, illud D. *Tullii* placitum (quod tanquam ex tripode fundit)

fundit) tum Eccleſiæ noſtræ Decretis, tum exterarum Eccleſiarum Reformatarum nobiliorum Confeſſionibus, tum denique univerſæ Antiquitatis Catholicæ judicio omnino repugnare.

8. Primùm *Anglicanæ* Eccleſiæ ſententia de Perſeverantia, ſatis clarè proponitur Art. 16. his verbis: " Non omne peccatum mortale poſt Baptiſmum voluntariè perpetratum, eſt peccatum in Spiritum Sanctum, & irremiſſibile. Proinde lapſis à Baptiſmo in peccata, locus Pœnitentiæ non eſt negandus. Poſt acceptum Spiritum Sanctum poſſumus à Gratia data recedere atque peccare, denuóque per Gratiam Dei reſurgere ac reſipiſcere: ideóque illi damnandi ſunt, qui ſe, quamdiu hic vivant, ampliùs non poſſe peccare affirmant, aut verè reſipiſcentibus veniæ locum denegant." Ubi rectè notat doctiſſimus Præſul *Overallus*, peccatum, per quod dicimur à Gratia data recedere, in principio Articuli mortale peccatum voluntariè perpetratum dici. Nimirum præcedens Articulus 15. de quotidianis peccatis tractat, quæ omnibus regeneratis communia ſunt, in quibus offendimus omnes, ſalvâ tamen Gratiâ, nec ab ea recedentes. Hic autem 16. Articulus de peccato agit mortali, per quod poſt Baptiſmum & Spiritum Sanctum acceptum, à Gratiâ datâ receditur, donec per Pœnitentiam reſtitutio fiat. Senſiſſe autem Eccleſiam noſtram, fieri poſſe, ut hic receſſus à Gratia ſit *finalis*, ut dici ſolet, inde non obſcurè colligitur, quòd Articulus manifeſtè loquatur de lapſorum in peccata mortalia reſtitutione per reſipiſcentiam, tanquam de re contingenti, quæ quidem fieri poſſit, ſed & poſſit non fieri: *Poſſumus*, inquit, *à Gratia data recedere, & poſſumus denuò reſurgere & reſipiſcere.* Cui enim ſano atque à ſtudio partium libero veriſimile videbitur, Eccleſiæ noſtræ Patres ita loqui voluiſſe, ſi vel ipſi credidiſſent, vel ab aliis credi voluiſſent, omnium qui ſemel verè fideles fuere, poſtquam per graviora peccata à Gratia receſſerint, certam atque infallibilem fore per pœnitentiam reſtitutionem? Quæ, rogo, Grammatica (ut cum Doctore loquar) hunc ſuſtinebit ſenſum: *poſſumus denuò reſurgere & reſipiſcere*, i.e. certò reſurgemus & reſipiſcemus?

9. Si cui tamen hæc non fecerint ſatis, adeat ille Librum Homiliarum, quæ eôdem tempore editæ fuere, quô Articuli noſtri, ejuſdemque Synodi authoritate ſancitæ. Ibi tot locis ac tam diſertis ſententiam ſuam de Fidei juſtificæ deficibilitate tradit Eccleſia noſtra, ut mecum ſæpe miratus fuerim, quomodo fieri potuerit, ut tot viri docti & cordati, quos veriſimile eſt librum *Homiliarum* legiſſe & relegiſſe ſæpiùs, illam ignorarent. Extat Tomô primô integra Homilia *de periculo defectionis à Deo:* cujus hic ſcopus unicus, hoc inſtitutum, ut oſtendatur, poſſe hominem poſt acceptam Gratiam deficere ab eadem, & perire; proinde debere omnes à tam horrendæ defectionis periculo ſibi ſedulò cavere. Ejus Homiliæ parte primâ hæc verba legimus: " Sicut enim Deus iis omnibus, qui ipſius Evangelio verè credunt, miſericordiæ ſuæ vultum in Chriſto Ieſu oſtendit, quô, ut oportet, ab ipſis conſpectô, ita eorum corda illuminantur, ut in ipſius imaginem transformentur, lucis cœleſtis & Sancti ipſius Spiritûs participes fiant, atque ad omnem virtutem, quæ filios Dei decet, formentur: ita ſi ipſi deinceps hæc [beneficia] neglectui habeant, ſi ingrati erga ipſum evadant, ſi vitam ſuam ad ejus exempli & doctrinæ normam, atque ad gloriam ipſius promovendam non inſtituant, auferet ab iis Regnum ſuum, nempe verbum ſuum ſanctum, quô in ipſos imperium exercere debuerat, quia ſcil. quos expectavit, fructus non proferant. Nihilominùs ea eſt ejus miſericordia & longanimitas, ut non continuò hanc tantam in nos iram effundat. Verùm cùm à verbo ipſius declinare incipimus, vel fidem ei non habendo, vel fidem illam factis non exprimendo; priùs miſſis ad nos nuntiis ſuis, veris Evangelii præconibus, nos de officio noſtro admonet, *&c.* Deinde ſi hâc ratione nihil effecerit, ſi adhuc verbo & voluntati ipſius immorigeri perſiſtamus, ipſum neque agnoſcentes, neque amantes, neque reverentes, neque in ipſo fiduciam noſtram totam collocantes, ſed contrà erga proximum noſtrum, ſecùs quàm fert charitas, noſmet gerentes, ex ejus contemptu, invidiâ, odio; ſive etiam homicidium, furtum, ingluviem, fraudem, mendacium, nominis divini per vana juramenta prophanationem, aliaque ejus generis deteſtanda facinora perpetrantes; tum demùm terribilibus minis in nos intonat, in magna ira jurans, qui hujuſmodi opera faciunt, in requiem ipſius, nempe Regnum cœlorum, nunquam ingreſſuros." Ubi Author *Homiliæ* expreſsè loquitur de iis, qui Evangelio verè credunt, ad Dei imaginem transformantur, cœleſtis lucis & Spiritûs Divini participes fiunt, atque ad omnem virtutem, quæ filios Dei decet, formantur. De iiſdem verò haud minùs expreſsè docet, ſi poſt tanta accepta beneficia ingrati erga Deum evaſerint, *&c.* fore ut ab ipſis Regnum ſuum Deus auferat. Fruſtra autem hîc recurritur ad tritum illud

Homil. Tom. 1. *p.* 54, 55.

lud σοφὸν φάρμακον, (quô alicubi in quæſtione non abſimili utitur D. *Tullius*) *nullam ſuppoſitionem ponere aliquid in eſſe*; *ut v. g. Si* Caius *ſit animal expers rationis*, *brutum erit*; *neutiquam hoc probat*, Caium *expertem eſſe poſſe rationis*. Nam primò, Author in antecedentibus & conſequentibus, adeóque per totam Homiliam, inſtat auditoribus ſuis, minatur, intonat, eoſdemque ſeriò & mirâ vehementiâ hortatur, obſecrat, obteſtatur per ſacra omnia, ut operam omnem adhibeant, ne à Gratia accepta deficiant, æternúmque pereant: nunquam igitur cogitavit de inſtituenda hîc ſuppoſitione rei impoſſibilis. Certè ridiculus foret adeóque inſanus, qui plurimis verbis omnique ſtudiô à *Caio* contenderet, ut ſolicitè ſibi caveret, ne aliquando expers rationis factus, brutum (propriè loquendo) evaderet, quam vix ipſa Poeſis agnovit metamorphoſim. Deinde verba, quæ citavimus, apertiſſimè ſignificant, & fieri poſſe, & non rarò fieri, ut qui per Chriſtum verè regeniti & Fide juſtificâ prædíti fuere, per ingratitudinem & diutinum Gratiæ divinæ contemptum tandem à Regno Dei penitus excidant. Nimirum ipſam methodum Providentiæ, quam erga miſerrimos iſtiuſmodi Apoſtatas obſervare ut plurimum ſolet Dominus, accuratè hîc, ac veluti per gradus, deſcribit *Homiliæ* Author. Nam docet, clementiſſimum Deum in homunciones ingratos extremam ſuam iram non continuò effundere, neque ſe deſerentes mox æternùm deſerere; ſed cuncta priùs tentare remedia, quàm putreſcentia membra à Chriſti corpore prorſus abſcindat: nempe eos, cùm primùm à verbo ſuo declinare incipiunt, per nuntios ſuos de officio ſollicitè admonere; deinde, ſi ita nihil apud eos proficiat, ſi hæc illi Gratiæ remedia obſtinatè reſpuant, ipſos tandem tanquam deſperatos & perditos æternùm abjicere, in magna ira ſua jurando, h. e. peremptoriô decretô ſtatuendo, nunquam illos in requiem ſuam, in Regnum nempe cœleſte, ingreſſuros. Certè his nihil clarius, nihil diſertius.

10. In ſecunda parte ejuſdem *Homiliæ* eandem Author doctrinam colligit ex vineæ parabola apud *Eſaiam* his verbis: "Ex his *P.* 55, 56. "comminationibus admonemur, ſi nos, qui "electa ſumus Dei vinea, non uvas, quas i-"pſe à nobis expectat, ac per nuntios ſuos "efflagitat, h. e. bona opera ipſi grata atque "accepta, ſed contrà labruſcas, nempe ope-"ra infructuoſa ipſique ingrata & diſplicen-"tia, proferamus; fore, ut amoto à nobis "ſepimento omni, graviſſima ſinat mala, fa-"mem puta, bellum, &c. in nos ingruere: "demum ſi hæc non ſufficiant, fore ut nos "deſolationi ponat, de nobis deſperet, fa-"ciem à nobis avertat, neque ampliùs tan-"quam vitem ſuam colat; ſed nobis permit-"tat, quoſlibet fructus proferre, ſentes nem-"pe, vepres ac dumos, h. e. omne genus "vitia, idque ubertim, adeo ut tandem nos "iſta ſuffocent prorſus, perdantque fundi-"tus." Mox tremendam iſtam Divinæ Providentiæ diſpenſationem hôc ſimili illuſtrat: "Pater, *inquit*, peccantem filium, "dum amat, & minaci vultu, & verberibus "caſtigat: quòd ſi hâc diſciplinâ non emen-"detur, eum non ampliùs punit, ſed ſui eſſe "arbitrii permittit; eô ſignificans, velle ſe "exhæreditare ipſum, atque in perpetuum "abdicare." Et paulò pòſt ex prædicta parabola ita concionatur: "Unde liquet, *P.* 57. "Deum tandem infrugiferæ vineæ ſuæ cu-"ram omnem ita prorſus abjicere, ut non "modò ſinat ipſam labruſcas, ſentes ac ve-"pres proferre, ſed infœcunditatem ejus "graviùs adhuc puniat. Ait quippe, ſe non "putaturum ipſam, aut reſarriturum ampli-"ùs, quin & nubibus interdicturum, ne de-"mittant in eam pluviam; quibus ſignifica-"tur ſacroſancti ejus verbi inſtructio, quæ "ſimili metaphorâ à *Paulo* dicitur plantatio & irrigatio. Itaque hoc vult, ſe idipſum (*nempe verbum ſuum*) ab eis ablaturum; ut non ampliùs ad Regnum ſuum "pertineant, non ampliùs Sancto ſuo Spiritu regantur, ſed à Gratia & beneficiis, "quæ per Chriſtum habuerunt, quibuſque "in perpetuum frui poterant, arceantur; "luce & vitâ cœleſti, cujus, in Chriſto dum "manerent, participes fuere, priventur; "fiant quales aliquando erant, ſine Deo in "hoc mundo, vel potiùs pejori in conditione ſint; verbô, tradantur in poteſtatem "Satanæ, qui Regnum obtinet in eis omnibus "qui à Deo abjiciuntur, ut olim in *Saule* & "*Juda*, atque in eis univerſim, qui ſuæ ſunt "concupiſcentiæ mancipia, atque ἀπειθείας "& incredulitatis filii. Caveamus igitur "(fratres in Chriſto optimi) ne abjiciendo "verbum divinum (quô veram in Chriſto "Fidem & obtinemus, & retinemus) tandem ipſi eatenus abjiciamur, ut in eodem "loco ſimus cum filiis contumaciæ." Fierine poteſt, ut quis, niſi ultrò atque obſtinatè clauſis oculis, in tanta luce cæcutiat? Nam primò loquitur apertiſſimè *Homiliæ* Author de Apoſtaſia verè fidelium, eorum nempe, qui priùs ad Regnum Chriſti pertinerent, Spiritu Sancto regerentur, iiſque beneficiis à Chriſto donati fuiſſent, quæ conſervata ipſos in perpetuum fœlices reddidiſſent; quin & in Chriſto aliquandiu manſiſſent, lucis vitæque cœleſtis ab ipſo participes facti. Deinde non minùs apertè loquitur de Apoſtaſia eorundem totali, quâ nempe luce

luce vitâque cœleſti priventur prorſus ; quâ fiant, quales olim ante converſionem fuerant, quin & deteriori ſint in conditione poſiti ; quâ denique ἄθεοι prorſus facti in mundo, ſub Diaboli imperio rediganiur. Tum clarè hîc agitur de Apoſtaſia verè fidelium finali, qualis ſcil. eorum, qui tanquam vinea à Deo prorſus deſerta, ac deſolationi perpetuæ tradita, quam Dominus neque putabit, neque reſarriet ampliùs, facti ſunt, quos non ampliùs recturus eſt Spiritus Sanctus, qui luce Chriſti vitâque cœleſti æternùm non fruentur ; qui denique abjiciuntur à Deo, ut *Saul* & *Judas*. Poſtremò meridianâ luce clarius eſt, hæc omnia ab Homiliſta non dici ex inani hypotheſi, ſive ſuppoſitione rei impoſſibilis, vel rei, quæ nunquam evenerit, aut eventura ſit ; ſed contrà ordinariam hîc diſpenſationem, quam Deus adversùm ſe deſerentes revera obſervare ſoleat, deſcribi. Nam ad rem, de qua agit, verè fidelium ſcil. Apoſtaſiam, accommodat Homiliſta parabolam de vinea apud *Eſaiam* : Ubi conſtat, doceri à Propheta, non quid Deus facturus ſit ex hypotheſi, neſcio quâ, impoſſibili ; ſed quid revera fecerit cum populo Iſraelitico, adeoque facere ſoleat cum iis omnibus, qui eorum ingratudinem imitentur. Deinde verba iſta, *A Gratia & beneficiis, quæ per Chriſtum habuerunt, quibusque in perpetuum frui poterant, arceantur*, &c. manifeſtè indicant, eſſe revera aliquos, qui neutiquam in perpetuum fruituri ſunt ſalutaribus Chriſti beneficiis, quæ aliquando acceperant. Porro ſeriò obteſtatur *Homiliæ* Author Chriſti fideles, ut caveant ſibi, ne abjiciendo verbum Dei, quô ſolô vera Fides conſervari poſſit, tandem ipſi ita penitus abjiciantur, ut filii contumaciæ ac perditionis fiant. Quàm inepta verò iſta, quàm ridicula, ſi eorum omnium, qui verè fideles ſemel fuere, certa eſſet ſalus ! Quis unquam *Calviniſtam* aliquem ita apud populum concionantem audiverit ? Denique exempla hîc adducuntur tremendæ hujus à Deo defectionis *Saul* & *Judas*. Ubi ſiquis objiciat, *Saulem* & *Judam* nunquam fuiſſe gratiâ verè juſtificante donatos, fruſtra erit. Nam ſi contra authoritatem Homiliæ, non levibus rationibus munitam, concederetur hoc verum eſſe, ad rem illud nihil faceret, Quippe id ſolum præſentis noſtri inſtituti eſt, quid Homiliſta ſenſerit, non verò quàm dextrè ex Scripturis ſententiam ſuam probaverit, oſtendere.

Illud tamen apprimè notandum eſt, *Homiliæ* Authorem hîc (ut fere per totam *Homiliam*) *Melanchthonem* ſecutum eſſe, qui paſſim docet, *Saulem* aliquando fuiſſe verè juſtum, & Spiritu Sancto donatum. Sic in Locis communibus, Titulô *de Pœnitentia* : " Breviter, *inquit*, refutandi ſunt duo erro-
" res Fanaticorum hominum, qui finxerunt,
" renatos non poſſe labi, & quamvis labantur contra conſcientiam, tamen juſtos eſſe.
" Hæc amentia damnanda eſt, & opponenda
" exempla & dicta Scripturæ : Ut *Saul* &
" *David* placuerunt Deo, fuerunt juſti &
" donati Spiritu Sancto ; tamen poſtea lapſi
" ſunt, ita ut alter perierit, alter rurſus ad
" Deum converſus ſit." Vide & Titulum *de diſcrimine peccati mortalis & venialis*. Certè frontem perfricuit D. *Hickmannus*, cùm negare auſus fuerit, quicquam in iſto Homiliæ loco contineri, quod contra Fidei juſtificæ indeficibilitatem faciat.

11. Ut verò, quàm conſtanter hanc doctrinam tenuerit Eccleſia noſtra, omnibus liquidò appareat, locum inſuper illuſtrem è Tomo ſecundo *Homiliarum*, quæ ſub Imperio Sereniſſimæ Reginæ *Elizabethæ* editæ, ejuſdemque Authoritate in legitima Cleri noſtri Convocatione confirmatæ fuere, in medium proferam. In *Homilia de Reſurrectione*, Author, poſtquam fusè diſſeruerat de beneficiis, quæ ex Chriſti Reſurrectione nobis obtingunt, ita deinde populum affatur :
" His, inquam, probè expenſis, agitè, per *Homil. Tom. 2. p. 193.*
" reſiduum vitæ noſtræ oſtendamus fidem,
" quam habemus fructuoſo huic Articulo,
" eidem noſmet conformando, nempe reſur-
" gendo indies à peccato ad Juſtitiam vitæ-
" que ſanctitatem. Quid enim proderit no-
" bis (inquit S. *Petrus*) pollutiones mundi
" per agnitionem Domini & Servatoris Jeſu
" Chriſti effugiſſe, ſi iiſdem rurſus implicati
" ſuperemur ? Certè melius fuiſſet (inquit)
" nunquam cognoviſſe viam Juſtitiæ, quàm
" cognitâ illâ atque initâ, regredi à ſancto
" præcepto nobis tradito. Ita enim accidet
" nobis, quod in proverbio dici ſolet : canis
" reverſus eſt ad ſuum ipſius vomitum, &
" ſus lota ad volutabrum cœni. Quale hoc
" opprobrium, nos ita penitus, ita gratis à
" peccatis noſtris mundatos, ad eaſdem ſor-
" des rediiſſe denuo ! Qualis hæc ſtultitia,
" quâ donati ſumus juſtitiam rurſus amit-
" tere ! Quæ dementia, hæreditatem, cujus
" in poſſeſſione jam ſumus, perdere, eandem-
" que vili pretiô jamjam perituræ voluptatis,
" & è peccato naſcentis, permutare ! Qualis
" demum hæc inhumanitas, Chriſtum Ser-
" vatorem, qui ad nos advenerit, ut tanquam
" hoſpes noſter nobiſcum habitaret, ex ani-
" mis noſtris pellere & ejicere, ejuſque locô,
" in quo omnis gratiæ & virtutis plenitudo,
" Diabolum Spiritum nequam, nequitiæque
" omnis & mali authorem, admittere ! Quo-
" modo a nobis impetrare poſſumus, ut adeo
" ingratos noſmet exhibeamus in Chriſtum,
" qui tam amicè nos ad miſericordiam voca-

" vit, ſeque nobis obtulit, quin & jam cor-
" dis noſtri penetralia ingreſſus eſt? Imò
" verò quanta hæc audacia, ſocietatem re-
" nuntiare Patri, Filio, & Spiritui Sancto
" (ubi enim horum alter eſt, ibi totus Deus
" in plena ſua Majeſtate, *&c.*) neque refor-
" midare, inquam, tam perfidæ hoſtilitatis
" & defectionis periculum! Proſpicite vobiſ-
" met, optimi in Chriſto fratres & ſorores,
" perpendite, quantæ dignitatis in faſtigio
" jam poſiti ſitis; neque patiamini voſmet
" eò unquam dementiæ prolabi, ut quod per
" Gratiam Dei vobis oblatum eſt, tantôque
" pretiô acquiſitum, perdatis: videte, ne
" per obſtinatam veſtram cæcitatem hæc
" tanta lux, quæ jam vobis affulget, tandem
" extinguatur, *&c.*" Quid clarius? Agit hîc apertiſſimè *Homiliæ* Author de Apoſtaſia verè fidelium & totali, & finali. Senſiſſe autem Homiliſtam, hujuſmodi Apoſtaſiam & accidere poſſe, & non rarò accidere, clarè inde liquet, quòd Chriſti fideles mirâ vehementiâ orat, obſecrat, obteſtatur, ut ſibi omnibus modis proſpiciant, ne unquam in miſerandam iſtam ſortem ac ſtatum planè deploratum incidant. Quid, quod locum *Petri* 2. Epiſt. cap. 2. v. 20, 21, 22. cum veteribus, de iſtiuſmodi verè fidelium Apoſtaſia diſertè interpretatur? Ibi autem manifeſtè deſcribitur Apoſtaſia, quæ non modò poſſibilis ſit, ſed quæ in nonnullis revera acciderit; in quibus ſcil. veteris proverbii veritas comprobata fuerit: *Canis ad vomitum*, &c.

12. Poteram & alia loca huc ſpectantia ex libro Homiliarum proferre: ſed vereor ne tædio ſim Lectori. Tamen videſis, quæ ſub finem *Homiliæ de Nativitate* habentur. In proclivi etiam eſſet, ſuffragiis Theologorum, qui primis Reformationis noſtræ temporibus, quando Articuli & Homiliæ noſtræ primùm editæ fuere, quique ſummos locos in Eccleſia noſtra tenuerunt, eandem doctrinam abunde confirmare. Sed ex Doctoribus privatis noſtris (ut cum D. *Tullio* hîc loquar) bina tantùm audiantur nomina, (ea verò quanta & qualia!) *Hooperum* intelligo & *Latimerum*. *Hooperus* Epiſcopus *Gloceſtrienſis*, idemque ἱερομάρτυς, in præfatione ad ſuam Decalogi Expoſitionem hæc habet: " Cauſa
" reprobationis, ſive damnationis, eſt peccatum in homine, qui Evangelium audire ac
" recipere nolit, vel etiam poſtquam ipſum
" receperit, per conſuetudinem peccandi in
" Evangelii contemptum prolabitur, *&c.*" Ubi clarè docet ſanctiſſimus Antiſtes, eſſe aliquos, qui, poſtquam Evangelium receperint, in peccati conſuetudinem labentes, tandem æternùm à Deo reprobantur ac damnantur. Loqui autem *Hooperum* de vera Evangelii receptione, non fictâ, qualis Hypocritarum (ut D. *Hickmannus* ipſum perverſô ſuô more interpretatur) hâc ratione facilè evincitur. De tali Evangelii receptione agitur in poſteriori ſententiæ membro, qualis in priori intelligitur, nempe in verbis illis: *Cauſa damnationis eſt peccatum in homine, qui Evangelium audire ac recipere nolit.* Atqui ibi manifeſtè loquitur *Hooperus* de receptione Evangelii per veram Fidem. Neque enim homines damnantur, quòd non Hypocritarum more, ſed quòd non verè & ex animo Evangelium recipiant. Prætereà hæc *Hooperi* verba, unà cum iis, quæ apud ipſum ibidem ſequuntur, (ut ſuô locô clarè oſtendetur) omnino deſumpta ſunt ex *Melanchthonis* Scriptis, ac proinde ad mentem ipſius exponi debent. Audiamus verò ipſum *Melanchthonem*, Loc. Theol. Titulô *de Prædeſtinatione*: " Cauſam igitur, *inquit*, reprobationis cer-
" tum eſt hanc eſſe, videlicet peccatum in
" hominibus, qui prorſus non audiunt, nec
" recipiunt Evangelium, aut qui abjiciunt
" Fidem, antequam hinc diſcedant." Qualem autem Fidem intelligat *Melanchthon*, liquet ex iis, quæ mox ab ipſo ſubjiciuntur: " Judicamus, *inquit*, haud dubiè electos eſſe
" eos, qui miſericordiam propter Chriſtum
" promiſſam fide apprehendunt, nec abjici-
" unt eam fiduciam ad extremum." Itaque meridianâ luce clarius eſt, (quicquid D. *Hickmannus* contrà obganniat) *Hooperum* noſtrum cum *Melanchthone* ſenſiſſe: eſſe aliquos, qui Fidem, quâ miſericordia, propter Chriſtum promiſſa, apprehenditur, h. e. juſtificam, ad extremum abjiciant, ac propterea à Deo æternùm reprobentur ac damnentur. Idem *Hooperus* ejuſdem libri cap. 17. " Ne itaque, *inquit*, gratiam vel oblatam
" reſpuamus, vel acceptam malè vivendo
" expellamus. Si labimur, verbo auſculte-
" mus Dei omnipotentis, nos ad pœniteni-
" am vocantis, atque ad ipſum revertamur,
" ne in peccato perſeveremus, neque peccata
" peccatis cumulemus, ne tandem in con-
" temptum Dei ac Verbi Divini prolaba-
" mur.

13. *Latimerus* Epiſcopus *Londinenſis*, & Martyr idem conſtantiſſimus, in Concione in Dom. 3. poſt Epiphan. diſertè docet: " Fi-
" eri poſſe, ut qui in libro vitæ jam inſcri-
" pti ſumus, poſtea Deum & verbum ejus
" obliviſcentes, & nequiter agentes, ex eo-
" dem deleamur." Idem in *Rom.* 3. v. 11. hæc habet: " Qui nondum ad Chriſtum
" venêre, aut poſtquam venerint, ab ipſo
" rurſus defecere (ut non pauci ſunt, qui
" in peccata contra conſcientiam labentes,
" Gratiam Dei, Salutem, atque ad extre-
" mum Spiritum Sanctum amittunt) illi,
" inquam, omnes, qui in Gratia apud Deum
" non

Hiſt. Armin. p. 479, 480.

Homil. Tom. 2. p. 174.

Par. 3. *p.* 198.

p. 114.

" non ſunt, de peccatis ſuis non dolent, quin " & propoſitum ampliùs peccandi retinent. Quid his expreſſius vel fingi potuit ?

14. Penè referre pudet pigetque, quæ contra hæc tam clara ac diſerta à quibuſdam objiciuntur. Author libri, cui titulus, *Ibis ad Cæſarem*, contra doctiſſimum *Montacutium* ex Homiliis hæc affert verba : " Quanquam " pii cadant, tamen in peccato non ambu- " lant, peccato non inſiſtunt, neque in ipſo " manent, aut deſident, tanquam incurioſi, " depoſitâ juſti Dei peccata vindicantis reve- " rentiâ ; ſed per magnam Dei Gratiam at- " que infinitam Miſericordiam reſurgunt de- " nuo, ac peccato repugnant, *&c.*" Sane ad incitas ſe redactos oſtendunt, qui iſtiuſmodi miſera quærunt effugia. Scilicet hæc ἐδὲν πρὸς ἔπος. Agit hîc manifeſtè Homiliæ Author non de peccatis gravioribus, quæ mortalia vocantur, quibus pii à pietate ſua ac proinde à Dei Gratia recedant ; ſed de lapſibus juſtorum levioribus, quæ quotidianæ incurſionis peccata dici ſolent, quæque Spiritum Sanctum non excutiunt, neque conſcientiam vaſtant. Nimirum ex *Pſal.* 1. ita concionatur : " David Propheta hominem bea- " tum deſcripturus, ait : *Beatus ille vir, qui* " *non ambulat in conſilio improborum, & viæ* " *peccatorum non inſiſtit, ac in conſeſſu deri-* " *ſorum non deſidet.* Tria ſunt hominum " genera, quorum conſortium jubet illum " Propheta effugere, quiſquis beatus eſſe ve- " lit. Primùm non illi ambulandum eſt in " conſilio improborum. Deinde non inſiſten- " dum illi viæ peccatorum. Deinque ipſi in " confeſſu deriſorum nequaquam deſiden- " dum. His tribus hominum generibus, " improborum nempe, peccatorum, ac deri- " ſorum, omnigena impietas ſignificatur, ac " plenè exprimitur. Improbos intelligit, qui " Deum omnipotentem non curant, omni " fide vacui ; quorum corda animique ita " mundo ſunt dediti, ut eorum hoc unicum " ſtudium ſit, quô pactô mundana ſua nego- " tia, carnalia cogitata, turpeſque concupi- " ſcentias & deſideria, abjectô Dei timore, " perficiant. Secundum illud genus pecca- " tores appellat, non qui ex ignorantia ſive " infirmitate cadunt ; nam quis ita ex nume- " ro peccatorum eximendus ſit ? Quis mor- " talium in terris unquam vixerit (demptô " Chriſtô) qui non peccaverit ? Juſtus ſe- " pties cadit, & reſurgit denuo. Quanquam " pii cadunt, tamen in peccato non ambu- " lant, *&c.*" Quæ frons iſtorum hominum, qui in cauſæ ſuæ patrocinium hæc afferre non erubeſcant ? Et tamen ejuſdem planè farinæ ſunt, quæcunque ex Homiliis noſtris, ad Fidei juſtificæ indeficibilitatem aſtruendam, llegantur.

P. 139.

Homil. de quibuſdam Script. locis, &c. part. 2. *p.* 150.

15. Objicit præterea D. *Hickmannus* locum ex publico Catechiſmo, *Edvardi* Sexti temporibus edito, ubi de Eccleſia Catholica agens Catechiſta ſic loquitur : " In hanc quaſi " civitatem ſuam adſcripſit Deus infinitam " hominum multitudinem, qui omnes unico " ſuo Regi Chriſto pareant, & dicto audien- " tes ſint atque obedientes, qui ipſius ſeſe " tutelæ commendârunt, & quorum ipſe pa- " trocinium ſuſcepit, eoſque perpetuò tuetur " & conſervat. Ad hanc Rem-publicam " propriè pertinent, quotque verè timent, " honorant atque invocant Deum, prorſus " applicantes animos ad ſanctè piéque viven- " dum : quique fiduciam atque ſpem omnem " in Deo conſtituentes, vitæ æternæ beati- " tudinem certiſſimè expectant. Qui autem " ſunt in hac Fide firmi, ſtabiles, atque con- " ſtantes, hi electi atque deſignati, & (ut nos " loquimur) prædeſtinati erant ad hanc tan- " tam fœlicitatem, ante poſita mundi funda- " menta." Ad hæc Catechiſmi verba ſic D. *Hickmannus* triumphat : " Quantum hîc " Calviniſmi ! Quotquot Deum timent, e- " lecti, prædeſtinati ac deſignati fuerunt ad " vitam æternam ante poſita mundi funda- " menta ; ergo ſi quis vitâ æternâ excide- " rit, nunquam ille Deum timuit." Sed hîc (ut ubique fere aliàs) Hiſtorici noſtri ſive fidem, ſive judicium omnino deſideramus. Nam ubi, quæſo, in his Catechiſmi verbis dicitur, quotquot Deum timent, ad vitam æternam prædeſtinatos fuiſſe ante poſita mundi fundamenta ? Imò oppoſitum ſatis manifeſtè hîc docetur, nempe eſſe aliquos, qui Deum verè timent, *&c.* neque tamen ad vitam æternam prædeſtinati ſunt. Nimirum Catechiſmus primùm docet, quotque verè fideles ſunt, ad Rempublicam, ſive Eccleſiam, Chriſti propriè pertinere, nempe dum tales ſint. Deinde ex hac univerſitate verè fidelium eos eximit, qui ſunt in Fide firmi, ſtabiles, atque conſtantes ; & de his ſolùm affirmat, quòd electi fuerint ad vitam æternam ante poſita mundi fundamenta : quod quis Catholicus negaverit ? Quorſum verò hæc exemptio, ſi omnes, qui ſemel verè credide- runt, neceſſariò ſint in Fide iſta firmi, ſtabiles, & conſtantes, ac proinde electi ? Itaque D. *Hickmannus* ſuô hîc ſe gladiô jugulavit. Atque hactenus de Eccleſiæ *Anglicanæ* judicio.

P. 86. *Latinæ Edit. Lond.* 1570.

Hiſt. Armin. p. 460.

16. Pergamus ad exterarum Eccleſiarum ſuffragia. Sane conſtat, antiquiſſimas & nobiliſſimas reformatæ Fidei Confeſſiones eandem in hoc Articulo ſententiam cum Eccleſia noſtra tenuiſſe. Confeſſio *Auguſtana* (quæ, quô tempore edita fuit, communis omnium Proteſtantium doctrina cenſebatur, cuique teſtimonium perhibuere Eccleſiæ Reformatæ

penè

penè omnes, & ſubſcripſerunt Doctores celeberrimi, è quibus *Calvinus* ipſe) Artic. 6. ſic loquitur: " Debet hæc obedientia repugnare pravis cupiditatibus, & ſubinde ſpiritualibus exercitiis fieri purior, & cavere, ne " quid committamus contra conſcientiam, " juxta illud: Summa Legis eſt dilectio ex " puro corde, & conſcientia bona, & fide " non fictâ. Qui verò obtemperant pravis " cupiditatibus, & agunt contra conſcientiam, verſantur in peccatis mortalibus, nec " Fidei Juſtitiam, nec Juſtitiam bonorum Operum retinent; juxta iliud *Pauli:* Qui " talia agunt, Regnum Dei non poſſidebunt. Iidem *Auguſtani* Artic. 11. " Damnant & " Anabaptiſtas, qui negant, ſemel juſtificatos iterum poſſe amittere Spiritum San- " ctum." Negat quidem D. *Hickmannus*, hæc *Auguſtanæ* Confeſſionis loca de totali & finali verè fidelium Apoſtaſia intelligi debere. Sed facilè refellitur inverecundus ille Scriptor è libris *Philippi Melanchthonis*, qui Confeſſionem illam exaravit, in quibus centies verbis diſertiſſimis affirmatur, fieri poſſe, & non rarò fieri, ut verè credentes & juſti Fidem & Juſtitiam ſuam ad extremum amittant. Vide imprimis ejus Locos communes titulô *de pœnitentia*, & *de diſcrimine peccati mortalis & venialis.* Verùm ut res extra omnem controverſiæ aleam ponatur, adeamus Confeſſionem *Saxonicam.*

17. Scripta fuit Confeſſio *Saxonica* ab eodem *Melanchthone* (ut ipſe teſtatur in Præfatione ad Corpus Theologicum) Annô Domini M. D. LI. in Synodo *Witebergæ*, ubi *Saxonicarum* & *Miſnicarum* Eccleſiarum Miniſtri, & Academiarum Doctores convenerant: qui omnes ei ſubſcripſerunt, tanquam Confeſſioni *Auguſtanæ* repetitæ & explicatæ, *Tridentinæ* Synodo nomine † Proteſtantium omnium proponendæ. Eam comprobârunt illuſtriſſimi Principes *Brandeburgici*, generoſiſſimi Comites à *Mansfelt*, *Argentinenſes* Miniſtri, atque Paſtores & Doctores Eccleſiarum *Pomeraniæ*, Scriptis Confeſſioni in Syntagmate annexis. Eadem ab aliis Eccleſiis comprobata, & ab Eccleſiis *Polonicis* in ipſarum conſenſu vel conciliatione commendata. Jam in illuſtris hujus Confeſſionis Articulo decimo *de præmiis* hæc legimus: " Quicunque " Spiritu Dei aguntur, hi ſunt Filii Dei: " Si autem filii, hæredes Dei, *&c.* Et tamen " ſimul verum eſt, eos qui effundunt Spiritum Sanctum, deficientes à fide, aut ruentes contra conſcientiam, nec redeunt ad " Deum per pœnitentiam, non eſſe hæredes, " ſicut dicitur ad Galatas: Qui talia agunt, " Regnum Dei non poſſidebunt." Quod idem pleniùs & clariùs dicitur in ſequenti Articulo *de diſcrimine peccatorum*, his verbis: " Cùm dictum ſit, in renatis manere " peccata, neceſſe eſt tradi diſcrimen. Nam " ex dicto *Lucæ* 11. Vadit & aſſumit ſeptem " alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, *&c.* & ex ſimilibus dictis manifeſtum eſt, aliquos renatos contriſtare & " excutere Spiritum Sanctum, & rurſus abjici à Deo, ac fieri reos iræ Dei & æternarum pœnarum. Et *Ezech.* 33. ſcriptum " eſt: Cùm receſſerit juſtus à juſtitia ſua, & " fecerit iniquitatem, morietur in ea. Neceſſe eſt igitur diſcerni peccata, quæ in " Sanctis in hac mortali vita manent, nec " excutiunt Spiritum Sanctum, ab aliis peccatis, propter quæ homo rurſus fit reus iræ " Dei & æternarum pœnarum, *&c.*" Totus Articulus lectu eſt digniſſimus. Certè autem impudentiæ litet, neceſſe eſt, qui negaverit, in his verbis, quod contendimus, apertiſſimè doceri. Nam palàm eſt, hîc agi non de poſſibilitate ſolùm, ſed etiam de actu, ſive eventu; atque affirmari, eſſe revera aliquos renatos, qui contriſtant & excutiunt Spiritum Sanctum, & rurſus abjiciuntur à Deo, & fiunt rei iræ Dei, & æternarum pœnarum. Et ne quis dubitet, an hæc de finali Renatorum Apoſtaſia dicta ſint, hanc ſententiam ſuam probant Confeſſionis Authores duobus Scripturæ locis illuſtriſſimis, nempe *Luc.* 11. 26. & *Ezech.* 33. 18. quorum alter expreſsè loquitur de iis, *quorum ultima conditio priori fiat deterior*; alter haud minùs diſertè, *de homine juſto, à juſtitia recedente, atque in iniquitate ſua moriente.* Vide & Artic. 16. in fine.

18. Eandem doctrinam palàm tuetur Confeſſio *Bohemica*, ſive *Waldenſium.* Confeſſio illa ex Confeſſionibus longè antiquioribus conſtituta, à *Luthero*, *Melanchthone*, & inclyta Academia *Witebergenſi* comprobata, tandem à liberis Baronibus, & aliis Nobilibus Regni *Bohemiæ* oblata fuit anno 1535. Sereniſſimo Regi *Ferdinando.* Jam in Articulo ejuſce Confeſſionis quinto hæc legimus: " Docent etiam abſolutos, id eſt, quibus per " Chriſtum peccata remiſſa ſunt, ut Gratiæ " Dei in Chriſto acceptæ grati ſint, ne in vanum eam recipiant, neu etiam in peccata " relabantur, juxta illud: Vade & poſthac " ne peccaveris, ne quid deterius tibi contingat. Item: Si volentes peccaverimus, " poſt acceptam cognitionem veritatis, non " ultrà pro peccatis reliqua eſt hoſtia, *&c.*" In Articulo verò viceſimo ſive ultimo, qui ita inſcribitur, *de tempore gratiæ, in quo divinus favor & quæri debet, & inveniri poteſt*, extrema eorum dementia univerſim reprehenditur, qui pœnitentiam ſuam ad ultimum vitæ exitum differunt, eorum verò imprimis, qui poſt acceptam Juſtificationis gratiam in graviora

† *Certè omnium Eccleſiarum nomine ſcripta eſt Confeſſio* Saxonica, *offerenda Concilio Tridentino.* Admon. de Libro Concord. *p.* 189.

graviora peccata lapſi, ceſſant ad Dominum reverti & redire. Verba hæc ſunt : " Is ve-
" rò omnium maximè, qui poſt adeptum di-
" vini erga ſe favoris teſtimonium, ſuâpte
" & voluntariè peccatis ſeſe immerſerit, tot-
" que admonitiones ſalutares, ut in tempore
" reſipiſcat, ſpreverit ac neglectui habuerit,
" verùm ſtultè ac procaciter Dei abuſus mi-
" ſericordiâ, in eâque ſuppodiatus, in peccatis
" perduraverit ad uſque poſtremum ac jam
" imminentem mortis articulum, ac tum
" primò expergefactus, mortis inſtantis in-
" fernique horrore & metu incipiat vel ſerò
" ſapere, periculoſum eſt, ne Domini furo-
" rem (ut clarè verba illius teſtantur) ex-
" tremo ſuo malo, & non miſericordiam
" experiatur. Clamabunt, inquit Dominus
" apud *Micheam* tertio, ad me, & non ex-
" audiam eos, & abſcondam faciem meam
" ab eis in tempore illo, ſicut nequiter ege-
" runt in ſtudiis ſuis, quippe qui vocem
" meam audire noluerint, cùm expandi ma-
" nus totâ die. Verendum profectò, ne
" digna factis ſuis præmia referat, qui tem-
" pore, quod Deus illi ad pœnitentiam con-
" ceſſerat, tam ignavè ac perditè abuſus fu-
" erit. Attamen ne quis deſperet, docent.
" Nam ſi etiam in extremo mortis periculo
" veræ pœnitentiæ ſignum apparuerit, quod
" rariſſimè tamen accidit talibus, (rectè enim
" *Paulus*, id, inquit, faciemus ſi permiſerit
" Deus) abſque conſolatione abſolutionis
" non dimittitur. " In quibus verbis clarè docemur, 1°. Eſſe, qui poſt adeptum erga ſe divini favoris teſtimonium, (hoc eſt, poſtquam, ut ſuprà, abſoluti fuerint, & Remiſſionem peecatorum per Chriſtum acceperint) ſuâpte & voluntariè peccatis ſeſe immergunt, atque admonitiones ſalutares, ut in tempore reſipiſcant, neglectui habent, quin & procaciter Dei abutuntur miſericordiâ, inque peccatis perdurant uſque ad jam imminentem mortis articulum. 2°. Horum pœnitentiam ac ſalutem adeo certam atque infallibilem non eſſe, ut valdè incerta ſit, & periculi plena. Imò de his lapſis intelligunt *Waldenſes* tremenda Domini per Prophetam verba : *Clamabunt ad me, & non exaudiam eos*, &c. Quin & expreſsè dicunt, rariſſimè talibus accidere, ut veræ pœnitentiæ ſignum edant, in iſtos accommodantes, quæ de Apoſtatis à Fide Chriſti dicta ſunt ab Authore Epiſtolæ ad *Hebræos* cap 6.

19. Sed jam tempus eſt, ut Veteris Eccleſiæ ſuper hac quæſtione ſententiam reverenter audiamus, & *quid priſca ætas ſenſerit*, (ipſo D. *Tullio* alicubi monente) diſpiciamus. Dixi, hypotheſin illam, quæ ſtatuit, eorum omnium, qui ſemel Fide juſtificâ prædiți fuere, certam eſſe ſalutem, univerſæ Antiquitatis Catholicæ judicio adverſari. Si mihi hîc non credat D. *Tullius*, quem putat in Patrum Scriptis planè hoſpitem eſſe, ſaltem fidem habeat duobus teſtibus, in Veterum monumentis extra controverſiam verſatiſſimis, iiſque viris integerrimis. Vir clariſſimus, *Gerardus J. Voſſius* Hiſt. Pelag. lib. 6. in explicatione Theſis undecimæ, diſertiſſimis allatis teſtimoniis oſtendit, ipſum *Auguſtinum* (quanquam communi priorum Patrum ſententiæ de Perſeverantia illud novum & de ſuo adjecerit, quòd ipſam non modò donum Dei eſſe, ſed ex abſoluto ſalvandi decreto neceſſariò fluere docuerit ; tamen) conſtanter agnoviſſe, Fidem juſtificam, & Gratiam regenerantem amitti poſſe, & à pleriſque amitti. Deinde Theſi duodecimâ intrepidè affirmat, quòd *Antiquitas tota indeficibilitati adverſetur*. Et in explicatione & confirmatione Theſis, in ipſo initio, Vir alioqui modeſtiſſimus, quorundam inverecundiâ, qui contrariæ ſententiæ novitiæ Veterum authoritatem obtendere non erubuerunt, coactus, ita ſcribit : *Communem fuiſſe Antiquitatis ſententiam, quam diximus, ſoli hodie negare poſſunt, qui cæterà fortaſſe viri ſunt non inerudîti, ſed in Antiquitate planè ſunt hoſpites ; vel animum habent unius & alterius ſententiis ita mancipatum, ut eorum oculis videre malint, quàm ſuis, cumque iis errare præoptent, quàm cum aliis bene ſentire.* Loca verò Patrum, quibus nonnulli abutuntur ad iſtam indeficibilitatem aſtruendam, quàm imperitè ab ipſis allegentur, liquidò oſtendit Vir ſummus, & luculentas quaſdem regulas & diſtinctiones proponit, quibus apparentes Veterum in hac quæſtione ἐναντιώσεις facilè & nullo negotio ſolvantur, Theſ. 13ª. Alter ille teſtis eſt Reverendiſſimus & Doctiſſimus Eccleſiæ noſtræ Præſul & inſigne ornamentum, *Johannes Overallus*, qui de hac quæſtione in judicio ſuo de quinque Articulis cap. 5. ita pronunciat : *Certè ſententia illa, de qua tantopere pugnatur, de certa perſeverantia eorum omnium, qui ſemel crediderint & juſtificati fuerint, nullis unquam Veteris Eccleſiæ Patribus probata fuit, ſed ab omni Antiquitate rejecta, & perpetuâ omnium temporum * experientiâ nimiùm refutata, & non niſi hôc ultimô ſeculô nota, &c.* Poſt hos teſtes, qui omnium ſuffragiô fide digni habentur, audietur fortaſſe ſine præjudicio, etiam ab inimicis ſuis, magnus ille *Grotius* ; cujus verba in *Animadverſionibus* pro annotatis ſuis ad *Caſſandrum* (titulô *de diſcrimine peccatorum*, &c.) certè notatu digna ſunt : " Nullum, *inquit*, in Chriſti-
" aniſmum potuit dogma induci perniciosius,
" quàm hoc : hominem qui credidit, aut qui
" regenitus eſt (nam hæc multis idem va-
" lent) poſſe prolabi in ſcelera & flagitia ;

* *Ex Regeneratis in Chriſto Jeſu quoſdam relictâ fide & piis moribus, apoſtatare à Deo, & impiam vitam in ſua averſione finire, multis (quod dolendum eſt) probatur exemplis.* Proſper. Reponſ. ad cap. Gallor. Reſp. ad Object. 7

" ſed accidere non poſſe, ut propterea Dei " favore excidat, aut damnationem incur- " rat. Hoc nemo Veterum docuit, nemo " docentem tuliſſet. Nec aliud evidentius " vidi argumentum detortæ ad privatos & " malos ſenſus Scripturæ, quàm in hoc ne- " gotio." Neque ſane ullum ex Veteri ullo Scriptore Catholico teſtimonium, pro certa & infallibili omnium Renatorum perſeverantia, ſive in *Examine* ſuo, ſive alibi, adduxit clariſſimus *Grotii* Antagoniſta, *Rivetus*, de quo ex *Voſſii* regulis & obſervationibus, quas modò commemoravi, non conſtet, à propoſito illud omnino alienum eſſe. Conferat Lector, & judicet.

20. Significanter autem dixit *Overallus*, ſententiam iſtam de Fidei Juſtificæ indeficibilitate, *ab omni Antiquitate fuiſſe rejectam.* Et *Grotius*: quòd *nemo Veterum ipſam docentem tuliſſet.* Fuere enim antiquitus, qui illud dogma auſi ſunt aſſerere; ſed ii conſtanter à Catholicis Eccleſiæ Patribus rejecti, & pro Heterodoxis, ſi non Hæreticis, habiti fuere. Primi (quantum meminiſſe valemus) ejus ſententiæ authores fuere *Valentiniani*, de quibus *Irenæus* lib. 1. cap. 1. hæc refert: ὡς γὰρ τὸ χοϊκὸν ἀδύνατον σωτηρίας μετασχεῖν (ὃ γὰρ λέγουσιν αὐλοὶ δεκτικὸν αὐτῆς) ὅυτως πάλιν τὸ πνευματικὸν, ὃ θέλουσιν αὐλοὶ εἶναι, ἀδύνατον φθορᾷ καταδέξασθαι, κἂν ὁποίαις συγκαταγένωνται πράξεσιν. ὃν γὰρ τρόπον χρυσὸς ἐν βορβόρῳ κατατεθεὶς οὐκ ἀποβάλλει τὴν καλλονὴν αὐτοῦ, ἀλλὰ τὴν ἰδίαν φύσιν διαφυλάττει, τοῦ βορβόρου μηδὲν ἀδικῆσαι δυναμένου τὸν χρυσόν· οὕτω δὲ καὶ αὐλοὺς λέγουσι, κἂν ἐν ὁποίαις ὑλικαῖς πράξεσι καταγένωνται, μηδὲν αὐτοὺς παραβλάπτεσθαι, μηδὲ ἀποβάλλειν τὴν πνευματικὴν ὑπόστασιν. *i. e.* " Ut enim " Choicum nullô modô ſalutis particeps eſſe " poſſe dicunt, quòd ejus capax minimè ſit: " ſic rurſus ſpirituale (quod ipſi ſe eſſe vo- " lunt) eâ conditione eſſe, ut nullô prorſus modô interitum atque corruptionem " recipere queat, in quibuſcunque tandem " actionibus verſetur. Quemadmodum enim " aurum in cœno poſitum pulchritudinem " ſuam non amittit, verùm naturam ſuam " incolumem ſervat, nec detrimenti quic- " quam ei à cœno afferri poteſt: eôdem mo- " dô ſeſe quoque, quibuſcunque tandem in " materialibus actionibus verſentur, nihil " hinc lædi, nec ſpiritualis ſubſtantiæ jactu- " ram facere." Et poſtea: ἑαυτοὺς δὲ ὑπερυψοῦσι τελείους ἀποκαλοῦντες, καὶ σπέρματα ἐκλογῆς. ἡμᾶς μὲν γὰρ ἐν χρήσει τὴν χάριν λαμβάνειν λέγουσι, διὸ καὶ ἀφαιρεθήσεσθαι αὐτῆς· αὐτοὺς δὲ ἰδιόκλητον ἄνωθεν ἀπὸ τῆς ἀῤῥήτου καὶ ἀνονομάστου συζυγίας συγκατειληλυθῦιαν ἔχειν τὴν χάριν, καὶ διὰ τοῦτο προσεδήσεσθαι αὐτοῖς. *i. e.* " Seipſos autem mirificè extollunt, per- " fectos appellantes, & ſemina electionis. " Nos enim in uſu tantummodò gratiam ac- " cipere dicunt, proinde fore, ut ea nobis " adimatur: ſe autem eam ab ineffabili & " omni nomine præſtantiori conjugatione " cœlitus devectam, propriè poſſidere, ob " eamque cauſam fore, ut ipſis accreſcat. Certè non eſt lac lacti, neque ovum ovo ſimilius, quàm huic *Valentinianorum* Commento (ſi *συζυγίας* fabulam demas) quorundam Theologorum doctrina, quorum parco nominibus. Qualis verò fuerit *Irenæi* & Catholicorum ejus ætatis ſuper hac quæſtione ſententia, quámque *Gnoſticorum* deliramento contraria, liquet ex lib. 4. cap. 72. " Quo- " niam, *inquit*, omnes ſunt ejuſdem natu- " ræ, & potentes retinere & operari bonum, " & potentes id rurſum amittere, & non fa- " cere; juſtè etiam apud homines ſenſatos, " (quantò magis apud Deum) alii quidem " laudantur, & dignum accipiunt teſtimo- " nium electionis bonæ & perſeverantiæ; " alii verò accuſantur, & dignum percipi- " unt damnum, eò quod juſtum & bonum " reprobaverint.

P. 26. Edit. Feuard.

P. 28.

21. Inter erronea *Joviniani* dogmata illud ſecundô in loco ponit *Hieronymus*, quod docuerit: *Eos qui fuerunt baptizati, à Diabolo non poſſe tentari*; (nempe ita ut tentationi ſuccumbant) *quicunque autem tentati fuerint, oſtendi eos aquâ, non Spiritu, baptizatos.* Senſit itaque *Jovinianus*, neminem verè regeneratum à Diabolo unquam vinci & ſuperari, ac rurſus in poteſtatem ejus redigi poſſe. Cui ejus errori redarguendo *Hieronymus* præter alia adducit locum Authoris Epiſtolæ ad *Hebræos* cap. 6. ex quo ita argumentatur: " Certè eos, " qui illuminati ſunt, & guſtaverunt donum " cœleſte, & participes facti ſunt Spiritûs " Sancti, & guſtaverunt bonum Dei verbum, " negare non poſſumus baptizatos (*nempe* " *Spiritu*). Si autem baptizati peccare non " poſſunt, quomodo nunc Apoſtolus dicit: " & prolapſi ſunt?" Sub finem quarti ſæculi exorta eſt hæreſis, quæ dicebatur *Prædeſtinatianorum*, cujus dux & coryphæus *Lucidus* Presbyter: ad quem *Fauſtus*, dum adhuc planè Catholicum ſe profiteretur, ſcripſit Epiſtolam, quam Synodus *Arelatenſis* approbavit. In ea Epiſtola anathematiſmi quidam ſunt, quorum numerô tertius hujuſmodi eſt: *Anathema illi, qui dixerit, illum, qui periit, non accepiſſe, ut ſalvus eſſe poſſit.* Unde ſatis liquet, *Lucidum*, quem anathematiſmus ille ferit, negâſſe, quemquam eorum qui pereunt, quicquam à Chriſto unquam accepiſſe, quô ſalvus fieret, nedum Gratiâ juſtificante donatum, & verè in Chriſto regenitum unquam fuiſſe. Sed & illud manifeſtius adhuc eſt ex explicatione Catholicæ

Adverſ. Jovinian. lib. 2.

licæ ſententiæ, *Prædeſtinatianorum* deliramento oppoſitæ, quæ in eadem Epiſtola mox ſequitur in hæc verba: " Nos autem per " illuminationem Chriſti veraciter & confi- " denter aſſerimus, & eum, qui periit per " culpam, ſalvum eſſe potuiſſe per Gratiam, " ſi Gratiæ ipſius famulantis laboris obſequi- " um non negâſſet: & eum, qui per Gratiam " ad bonæ conſummationis metas ſervitiô " obſequente pervenit, cadere per deſidiam, " & perire potuiſſe per culpam." *Arelatenſis* autem Synodi Anathematiſmis, paulò pòſt ſecuta *Lugdunenſis* ſuffragata eſt, uti ex *Fauſti* præfatione liquet.

22. Demum ſæculô nonô damnatam *Prædeſtinatianorum* hæreſim ex orco reſuſcitavit infœlix monachus *Gotheſcalcus*. Ejus inter dogmata (referente *Hincmaro* in Epiſtola ad *Nicolaum* Papam) & hoc fuit: *Eos, qui pereunt, verè nunquam, ſed Sacramento tenus fuiſſe redemptos.* Quod clariùs explicatur in Epiſtola *Amalonis* Archiepiſcopi *Lugdunenſis* ad *Gotheſcalcum*, in lucem ab eruditiſſimo Viro *Jac. Sirmondo* tandem edita. Nam in ea Epiſtola refert *Amalo*, ſe *Gotheſcalci* vidiſſe Scripta, de Prædeſtinatione divina; indeque ſex omnino doctrinæ capita decerpit, ſigillatim redarguenda, quorum tertium his verbis concipitur: " Illos, qui ex numero " fidelium pereunt, nec tunc, quando in- " primis ad percipienda myſteria Regenera- " tionis, & Dominicæ Oblationis, vel in " parvula ætate ab aliis oblati ſunt, vel ipſi " in majori fideliter acceſſerunt, Chriſto & " Eccleſiæ (non) incorporatos, nec membra " illius quæſitæ & ſalvatæ ovis effectos, ac " per hoc nec unquam fuiſſe Chriſtianos." Damnatus verò eſt *Gotheſcalcus* cum ſuis novis dogmatibus, ab univerſis *Germaniæ* Epiſcopis anno 848. in Synodo *Moguntina*, cui præerat ingens illud ſæculi ſui decus & ornamentum *Rabanus Maurus*, & Scriptor non ignobilis *Haymo* intererat. Atque hujus Synodi decretis mox ſuffragatum eſt Eccleſiæ *Remenſis*, quam regebat *Hincmarus*, & aliorum *Galliæ Belgicæ* Epiſcoporum Concilium, *Cariſiacenſe* vulgò dictum. Imò tam manifeſtus erat hôc in Articulo Catholicæ traditionis conſenſus, ejuſdemque tum temporis inter partes, cætera diſſentientes, tam unanimis reverentia, ut ipſa Eccleſia * *Lugdunenſis*, etſi in pleriſque *Gotheſcalco* nimiùm faveret, hac tamen ex parte non auſa fuerit Doctorem novitium defendere, ſed utriuſque Synodi ſententiam probaverit. Quin & *Valentina* Synodus ab Epiſcopis quatuordecim habita, ex *Lugdunenſi*, *Viennenſi*, & *Arelatenſi* Provinciis convenientibus, (quanquam pravâ quâdam æmulatione, ut obſervavit Vir doctiſſimus, *Cariſiacenſis* adeoque *Moguntini* Concilii fidem elevare, eorumque placita reſcindere omnibus modis ſtuduerit; præ cæteris adlaborante *Ebbone* quodam *Gratianopolitano*, qui *Hincmaro*, præcipuo *Cariſiacenſis* actionis authori, ſubinfenſus erat, quod avunculô ſuô *Ebbone Remorum* Epiſcopô in ordinem redactô, ſucceſſor ipſi datus fuerit *Hincmarus:* tamen) dogma illud *Gotheſcalci*, de omnium verè in Chriſto regenitorum certâ ſalute, juxtà cum præfatis Synodis palàm improbavit. Nam Canone ejus Concilii quintô ita conſtitutum eſt: " Item firmiſſimè " tenendum credimus, quòd omnis multitu- " do fidelium ex aqua & Spiritu regenerata, " ac per hoc veraciter Eccleſiæ incorporata, " & juxta doctrinam Apoſtoli in morte " Chriſti baptizata, in ejus ſanguine ſit à " peccatis abſoluta. Quia nec in eis potuit " eſſe vera regeneratio, niſi foret & vera red- " emptio; cùm in Eccleſiæ Sacramentis ni- " hil ſit caſſum, nihil ludificatorium; ſed " prorſus totum verum, & ipsâ ſui veritate " ac ſinceritate ſubnixum. Ex ipſa tamen " multitudine fidelium & redemptorum, a- " lios ſalvari æternâ ſalute, quia per gratiam " Dei in redemptione ſua fideliter perma- " nent, ipſius Domini ſui vocem in corde fe- " rentes, *Qui perſeveraverit uſque in finem,* " *hic ſalvus erit:* alios, quia noluerunt per- " manere in ſalute fidei, quam initiô acce- " perunt, redemptioniſque gratiam potiùs " irritam facere pravâ doctrinâ, vel vitâ, " quàm ſervare, elegerunt, ad plenitudinem " ſalutis, & ad perceptionem æternæ beati- " tudinis nullô modô pervenire." Ita utrinque mirô conſenſu rejecta fuit *Gotheſcalci* ſuper hoc Articulo ſententia. Atque in hoc conſenſu permanſit Chriſti Eccleſia uſque ad ſæculum decimum ſextum: quô tempore, à quibus *Gotheſcalcani* erroris patrocinium denuo fuerit ſuſceptum, omnes nôrunt. Equidem haud ſatis ſcio, an aliquod Chriſtianæ doctrinæ caput reperias, quod cum majori Catholicorum Doctorum conſenſu, aut magis imperturbata traditione, quàm hoc de fidei Juſtificæ deficibilitate dogma, ad nos pervenerit.

23. Ut jam clavum figam: Si daremus, Eccleſiam Anglicanam de hac quæſtione ſiluiſſe prorſus, nihilque in alterutram partem ſpeciatim atque expreſsè ſtatuiſſe; (quod falſiſſimum eſſe, ſuprà abunde evicimus) tenerentur tamen genuini omnes Eccleſiæ noſtræ filii, eorum ſententiam, qui certam atque infallibilem omnium, qui ſemel regeniti fuerint, perſeverantiam ac ſalutem defendunt, omnino rejicere & repudiare. Ad hoc, inquam, tenerentur vi Canonis (quem in hac *Apologia*, & alibi, jam commemoravimus) ſanciti in Synodo, *Londini* an. 1571. habita; in quo Canone expreſsè cautum eſt, *ne-*

quid

Apud Flodoardum, *lib.* 3. *c.* 14.

Vide Flodoard. *ubi ſuprà.*

Tom. 2. *Conc. Gal. p.* 66.

* *Vide Tom.* 2. *Auctarii Biblioth. Pp. col.* 1204.

quid noſtri pro concione doceant, tanquam religiosè tenendum & credendum, niſi quod conſentaneum ſit doctrinæ Veteris aut Novi Teſtamenti, quódque ex illa ipſa doctrina Catholici Patres & Veteres Epiſcopi collegerint. Quô pactô enim ab ictu hujus Canonis ſe defendant, qui indeficibilitatis dogma, quod Catholici Patres & Veteres Epiſcopi adeo è Scripturis non collegêre, ut illud ipſum, tanquam Scripturis planè contrarium, adeoque valdè perniciosum, unô omnes ore palàm rejecerint damnaverintque, ut religioſiſſimè ab omnibus tenendum, non modò ipſi pro concione docent, ſed & in Syſtematis, Enchiridiis, & Catechiſmis ſuis, quò latiùs in populum ſpargatur venenum, Sacri Miniſterii Candidatis, alios porro docendum, ſedulò inculcant? Quis autem non iniquè ferat iſtorum hominum iniquitatem, qui, cùm in hôc & in aliis capitibus, unius & alterius heſterni Magiſtri placita novitia, contra torrentem omnium Veterum Doctorum ipſi acriter defendant, in adverſarios tamen ſuos, quibus religio eſt à judicio Antiquitatis vel latum unguem recedere, ut *Novatores* & doctrinæ Eccleſiaſticæ deſertores, paſſim apud indoctos debacchantur? Sed ad alia progrediamur.

24. Quartô atque ultimô in loco, docet D. *Tullius, Chriſtum ſatisfeciſſe, ſeque in cruce obtuliſſe, pro ſolis Electorum peccatis.* In Enchiridio enim ſuo cap. 7. de Satisfactione Chriſti agens, ita Catechumenum ſuum interrogat: A. *An ergo Chriſtus verè ſatisfecit pro peccatis Fidelium?* B. *Prorſus.* Quorſum hæc reſtrictio *pro peccatis fidelium?* Cur non *pro peccatis humani generis?* Nam, ut optimè *Overallus* jam laudatus: " Scriptura " ſimpliciter dicit, Deum dediſſe Filium pro " mundo, & conditionem ponit, non de morte Chriſti, ſed de fide hominis, & ſalute " inde conditionaliter ſecuturâ: ſic datum " eſſe Filium, ut, ſi homines in eum credant, " ſerventur. Sed ſive credant, ſive non credant, Deus dedit pro iis Filium, & in eo " ſub conditione fidei ſalutem iis omnibus " propoſuit. Ut autem hanc conditionem " homines præſtent, Deus ita verbô præcipit, " & factô per Spiritûs Sancti gratiam excitat & adjuvat, ut in hominibus, non in " Deo, cauſa ſit, ſi non crediderint." Quinam verò juxta Doctorem ſunt iſti fideles, pro quorum peccatis ſolis Chriſtus verè ſatisfecit? Nempe ſoli Electi, quos fidei juſtificæ proprium ſubjectum eſſe, ipſe diſertè ſtatuit, uti modò oſtenſum eſt. Quàm autem hæc reſtrictio & limitatio Satisfactionis Ieſu Chriſti ad ſolos Electos, ipſa Evangelii fundamenta convellat; quàm iſta ſententia à Veteri Eccleſia Catholica prorſus rejecta, adeoq; anathematizata fuerit, ſatis liquet ex iis, quæ diximus in *Exam. Reſp. ad Animadverſ.* 11. §. 8. pag. 38. & ſeq. Quàm porrò apertè & conſtanter Confeſſiones exterarum Reformatarum Eccleſiarum antiquiores, nempe *Auguſtana, Saxonica*, &c. univerſalitatem Gratiæ, & Redemptionis per Chriſtum, adſtruant ac defendant, nemini ignotum eſſe poteſt, qui Confeſſiones iſtas oculis unquam ſuis uſurpaverit. Reſtat, ut de ſententia Eccleſiæ *Anglicanæ* inquiramus. Chriſtum non ſolùm Electos, ſed etiam eos, qui pereunt, verè redemiſſe, evidentiſſimè ſequitur ex hypotheſi illa Eccleſiæ noſtræ, quam modò tam prolixè explicavimus: nempe, quoſdam eorum, qui pereunt, per ac propter Chriſtum Gratiâ verè regenerante & juſtificante donatos eſſe, atque in ſtatu ſalutis actu conſtitutos; unde poſtea non niſi ſuâ culpâ excidant. Sed non opus eſt, ut conſequentiis agamus.

25. Audiamus hìc rurſus doctiſſimum Præſulem *Overallum*: " De morte Chriſti, *in-*
" *quit*, tam plana eſt & ubique ſibi conſtans
" Eccleſiæ noſtræ ſententia, pro omnibus o-
" mnino hominibus, ſive pro omnibus omni-
" um hominum peccatis, Dominum noſtrum
" Ieſum Chriſtum mortuum eſſe, ut miran-
" dum ſit, ullos ex noſtris auſos eſſe id in
" controverſiam vocare. Art. 7ô. *Tam in*
" *Veteri, quàm in Novo Teſtamento, per Chri-*
" *ſtum, qui unicus eſt Mediator Dei & homi-*
" *num, Deus & homo, æterna vita humano ge-*
" *neri eſt propoſita.* Art. 15ô. *Chriſtus venit*
" *ut agnus abſque macula, qui mundi peccata*
" *per immolationem ſui ſemel factam tolleret.*
" Art. 31ô. *Oblatio Chriſti ſemel facta per-*
" *fecta eſt redemptio, propitiatio & ſatisfactio*
" *pro omnibus peccatis totius mundi, tam ori-*
" *ginalibus, quàm actualibus.* Idemque ha-
" betur & in Catechiſmo communi, ut ſen-
" ſus planiſſimus ſecundæ partis Symboli, in
" qua unicuique credendum proponitur in
" Deum Filium, *qui ſe & totum genus hu-*
" *manum redemit*; juxta Symbolum *Nicænum,*
" *qui propter nos homines & noſtram ſalutem*
" *deſcendit*, &c. et in multis locis publicæ
" Liturgiæ, ut in Conſecratione Euchari-
" ſtiæ: *Deus qui dediſti nobis unicum Filium*
" *tuum Ieſum Chriſtum pro noſtra redemptione*
" *mortem in cruce pati, ibique unicâ illâ obla-*
" *tione*, &c. *hoſtiam & ſatisfactionem integram*
" *facere pro peccatis totius mundi*, &c. Et
" ſingulis miniſtratur his verbis: *Corpus*
" *Domini noſtri pro te traditum, ſanguis pro te*
" *effuſus*, &c.

26. Articulis ſuffragatur plurimis in locis Homiliarum liber. Sed ne multus ſim, ex Homilia *de Chriſti Servatoris noſtri morte & paſſione* (ubi par eſt, credamus, Eccleſiam noſtram, ſi uſpiam, ſuam de hac quæſtione ſententiam declarâſſe) unum & alterum teſtimonium attuliſſe ſufficiat. In ipſo initio

partis

partis ſecundæ celebratur maxima Chriſti Servatoris noſtri miſericordia, " Qui mor-
Homil. Tom. 2. p. 181. *P.* 185. " tem perpeſſus ſit pro omnibus univerſim " hominibus " Poſtea in eadem Homilia hæc legimus: " Sic Deus dilexit mundum, " inquit S. *Joannes*, ut Filium ſuum illum " unigenitum dederit, ut quiſquis credit in " eum, non pereat, ſed habeat vitam æter- " nam. Si Deus tantum exhibuit amorem " erga nos miſellas ſuas creaturas, quî fieri " poteſt, ut non ipſum viciſſim ipſi amemus? " Nonne hoc certiſſimum amoris pignus erat, " quòd proprium Filium ſuum è cœlo nobis " dederit? Poterat, ſi libuiſſet, Angelum, " vel aliam creaturam dediſſe; quin & talis " amor merita noſtra longè ſuperâſſet. At- " qui dedit non Angelum, ſed Filium ſuum. " Qualem verò Filium? Filium ſuum uni- " cum, Filium genuinum, Filium dilectiſſi- " mum, Filium denique, quem omnium " hæredem atque Dominum conſtituerat. " Nonne hoc ſingulare erat ſummi amoris " indicium? At quibus dedit ipſum? Dedit " ipſum toti mundo, h. e. *Adamo* atque o- " mnibus ab ipſo deſcendentibus." Quid clarius dici potuit?

27. Videamus tamen, quid de hac quæſtione ſtatuerint Doctores Eccleſiæ noſtræ probatiſſimi, qui eâ ætate vixêre, quâ Articuli & Homiliæ noſtræ editæ fuerint. Teſtes hîc rurſus doctrinæ Eccleſiaſticæ appellamus duos ἱερομάρτυρας, *Hooperum* & *Latimerum*. *Hooperus* in Explicatione Decalogi (cujus operis, lectu ſane digniſſimi, exemplaria, per noſtrorum incuriam, penè defeciſſe magnopere dolendum eſt) dogma de univerſalitate Redemptionis & Gratiæ divinæ per Chriſtum, toties, tam apertè, tam nervosè adſtruit, itaque objectionibus præcipuis, in contrariam partem allatis, occurrit, ut quicquam iſtis diſertius, aut accuratius, apud noſtræ ætatis doctiſſimos Scriptores, qui poſt eventilatam controverſiam vixêre, vix reperias. Sed audianus ipſum. In Præfatione ad iſtam Expoſitionem poſt alia hæc habet: " Illi " omnes, qui ſub promiſſo comprehendun-
Rom. 5. 17, 18. " tur, ad Chriſtum pertinent. Eatenus au- " tem ſe extendit virtus & efficacia promiſ- " ſi divini ad ſalutem hominis, quatenus ri- " gor & juſtitia Legis valet ad homines ob " peccatum condemnandos. Nam ſicuti " per offenſam & peccatum unius hominis " mors in omnes homines tranſiit ad con- " demnationem; (ut *Paulus* ait) ita per " unius juſtitiam vita derivatur in omnes ho- " mines ad Juſtificationem. Verba promiſſi, " *Adamo* & *Abrahamo* facti, idem confir- " mant: Ponam inimicitiam inter te & mu-
Gen. 3. 15. " lierem, inter ſemen tuum & ſemen muli- " eris, & ſemen ejus caput tuum conteret. " Nam ſicuti in *Adamo* eramus ante lapſum " ejus, ac proinde, ſi is non peccâſſet, eâ- " dem innocentiâ ac perfectione præditi fu- " iſſemus, in qua ipſe creatus fuit: ita in " ejus lumbis eramus, quando peccaret, ejuſ- " que peccati participes facti eramus. Quem- " admodum autem in ipſo eramus mali par- " ticipes: ita in ipſo quoque eramus, cùm " Deus gratiæ promiſſum ipſi fecit, ejuſ- " demque gratiæ participes facti; non ut " *Adami* filii, ſed ut filii Promiſſi. Itidem, " ſicut peccatum *Adami*, abſque cujuſquam " privilegio aut exemptione, pertinuit ad " omnes & ſingulos *Adami* poſteros: ita " gratiæ promiſſum, ad omnes & ſingulos " *Adami* poſteros pertinuit, perinde atque " ad ipſum *Adamum*. Quod ibi planius " exprimitur, ubi Deus promittit, ſe in ſe- " mine *Abrahami* benedicturum omnes ter- " ræ populos. *Paulus* quoque nullum in " Chriſto diſcrimen ſtatuit inter Judæum & " Gentilem. Ad hæc nunquam prohibitum " fuit, quominùs omnes, cujuſcunque gen- " tis aut ſtirpis, Judaicæ religionis & cul- " tûs participes fierent. Porrò S. *Paulus* col- " lationem inſtituendo inter *Adamum* & Rom. " Chriſtum, inter peccatum & gratiam, in 5. 15. " eundem planè ſenſum interpretatur Dei " promiſſum; dum Chriſtum *Adamô*, gra- " tiam peccatô neutiquam inferiorem eſſe " ſtatuit. Si itaque omnes ſervabuntur (in- " quiet aliquis) quid de iis dicendum, de " quibus *Petrus* loquitur, qui propter hære- " ſin peribunt? Quid de Chriſti effato: " Arcta eſt vitæ porta, & pauci eam ingre- " diuntur? Ad hoc ita reſpondet Scriptura: " promiſſum gratiæ ad omne quidem genus " hominum pertinere, omneſque complecti; " ſed intra certos fines ac limites, quos ſi " tranſgrediantur homines, à promiſſione in " Chriſto facta ſeipſos excludunt. Ita *Cain*, " antequam ſeipſum excluſiſſet, non magis " [à Deo] excludebatur, quàm *Abel*; *Saul* " quàm *David*; *Judas* quàm *Petrus*; *Eſavus* " quàm *Jacobus*. Quanquam Scriptura ita " loqui videatur, quaſi à Deo lata fuiſſet " in hunc ſalutis, in illum mortis ſententia, " priùs quàm vel hic Deum amâſſet, vel il- " le Deum odiſſet. Verùm iſtæ Dei com- " minationes adversùs *Eſavum*, niſi ex ob- " ſtinata malitia ſeipſum excluſiſſet à gratiæ " promiſſo, ejus ſalutem haud magis impe- " diviſſent, quàm ſimiles Dei minæ adversùs " *Nineve* ejus ſalutem impediverunt, quæ, " cùm dixiſſet Deus, ipſam perditum iri intra " quadraginta dies, tamen diu poſtea ſtetit " ac permanſit, quòd ſcil. pœnitentiam ege- " rit. *Eſavus* æquè ac *Jacobus* circumciſus " fuit, atque à Patre ſuo, quod ad ritus o- " mnes externos attinet, Eccleſiæ conſecra-

Gen. 15. 4, 5. & 17. 1. Gal. 3. 28. Col. 3. 11.

" tus. Quòd autem in vita & actionibus
" ſuis juſtitiam atque æquitatem non colu-
" erit perinde ac *Jacobus*, in cauſa non
" fuit oraculum Dei ad *Rebeccam*, ſed pro-
" pria ipſius malitia. Neque enim in loco
" illo quicquam de eo dicitur, quòd *Eſavus*
" hæreditate vitæ æternæ privatus fuerit;
" ſed tantùm futurum, ut is fratre in hoc
" mundo inferior eſſet. Quæ etiam Pro-
" phetia non in perſonis, ſed in poſteris i-
" pſorum impleta fuit. De hujuſmodi re-
" probatione alterius, atque alterius acce-
" ptatione (nempe, quæ ad terræ Promiſſum
" ſpectet) loquitur Propheta *Malachias*, uti
" ex libri initio apparet; ubi ad hunc mo-
" dum orditur: Diligo vos, ait Jehova; &
Mal. 1. " dicitis, in quo diligis nos? Reſpondet De-
2, 3. " us: Nonne frater fuit *Eſavus Jacobo*?
" (inquit Jehova) dilexi tamen *Jacobum*,
" *Eſavum* verò odio habui. In quo *Eſavum*
" odio habuit Deus? Oſtendit Propheta:
" Diſpoſui montes ejus deſolationi, & poſ-
" ſeſſionem ejus draconibus deſerti. In quo
" *Jacobum* dilexerit, textus ibidem declarat.
" Nempe Deus jus hæreditatis, quod ad
" *Eſavum*, ut fratrem primogenitum, perti-
" neret, in *Jacobum* natu minorem tranſtulit.
" Itidem terra *Abrahamo* & *Iſaaco* promiſſa,
" teſtamentô data fuit *Jacobo* ejuſque poſte-
" ris. Cæterùm D. *Paulus* hôc *Jacobi* &
" *Eſavi* exemplô uſus eſt nullô aliô con-
" ſiliô, quàm ut Judæis id eriperet, in quo
" maxime fiderent; hoc eſt, tum vanam eo-
" rum ſpem, quam ex eo, quòd ſecundùm
" carnem ab *Abrahamo* oriundi eſſent, in
" animo concepiſſent; tum etiam inanem fi-
" duciam, quam in obſervatione Legis *Mo-*
" *ſaicæ* poſuiſſent. Hactenus *Hooperus*."
Quis verò Theologorum, quos, ut *Novato-*
res, fugillat D. *Tullius*, optârit, quicquam
in hac Controverſia his diſertius ab ipſo di-
ctum fuiſſe? Sed illud imprimis notatu di-
gnum, beatiſſimum ἱερομάρτυρα planè ac ple-
nè nobiſcum conſenſiſſe in Expoſitione illu-
ſtris pericopes *Paulinæ* cap. 9, ad *Rom.* ex
quo præcipuè loco, malè intellecto, *Calvi-*
niſtæ horrenda ſua, quæ impugnamus, do-
gmata deduxerunt.

28. Idem poſtea in eadem Præfatione,
poſtquam fusè diſſeruerat de peccato origi-
nali, (per quod diſertè negat imaginem Dei
in homine deletam eſſe) in hæc verba pro-
greditur: " Hæc autem imperfectio ſive
" morbus ingenitus, ex *Adamo* contractus,
" hominem non excludit à promiſſo Dei in
" Chriſto, modò ne limites & fines origina-
" lis peccati per propriam ſtultitiam ac ma-
" litiam tranſgrediatur, atque ex contem-
" ptu ſive odio verbi divini in peccatum pro-
" labatur, ſeque ipſum in imaginem Diabo-
" li transformet. Nempe hâc demum ra-
" tione noſmet privamus promiſſis ac meri-
" tis Chriſti, qui infirmitates quidem no-
" ſtras atque originale vitium, nequaquam
" verò ipſius, legiſque ſuæ contemptum in ſe
" receperit. Porro promiſſa ad eos pertinent,
" qui reſipiſcunt. Unde *Eſaias* dicit ſine
" exceptione, omnium hominum infirmita-
" tes ipſius humeris impoſitas fuiſſe. Quare
" noſtrâ refert ſedulò proſpicere, ne à com-
" muni gratia omnibus promiſsâ noſmet ex-
" cludamus. Cæterùm non eſt Chriſtiani
" hominis, vel ſalutem ſuam libero ſuo ar-
" bitrio aſcribere, atque peccatum originale
" extenuare cum *Pelagianis*; vel Deum
" peccati & damnationis noſtræ authorem
" ſtatuere cum *Manichæis*; denique cum
" *Stoicis* affirmare, Deum fatales leges ſanxiſ-
" ſe, juxta quas, & vi ſortis ineluctabilis,
" alios quidem, quaſi arreptô capillitiô ad
" cœlos protrahat; alios verò in *Tartarum*
" præcipites agat. Verùm ex Scripturis
" cauſæ tum electionis, tum reprobationis
" ediſcendæ. Cauſa igitur reprobationis, ſive
" damnationis, eſt peccatum in homine, qui
" Evangelium audire ac recipere nolit; vel
" etiam, poſtquam ipſum receperit, per diu-
" tinam peccandi conſuetudinem in Evan-
" gelii contemptum prolabatur, &c. Vera eſt
" hæc ſententia, quicquid de prædeſtinatione
" homines ſtatuerint. Deus non eſt cauſa
" peccati, neque vult hominem peccare.
" Dictum eſt enim: *Tu non es Deus volens*
" *peccatum*. Et rurſus: *Perditio tua ex te*
" *O* Iſrael; *ex me verò ſalus tua*. Cauſa
" Electionis noſtræ eſt miſericordia Dei in
" Chriſto. Nihilominus qui hujus Electi-
" onis particeps eſſe velit, promiſſum in
" Chriſto per Fidem amplectatur, oportet.
" Nam ideo eligimur, quia poſtea Chriſti
" membra facti ſumus. Quare ſicut in Ju-
" ſtificatione ſive Remiſſione peccatorum
" cauſa quidem eſt, ſed nulla omnino di-
" gnitas, in homine, qui Juſtificationem re-
" cipit; unde juxta Scripturas, ex eo judi-
" camus hominem juſtificatum eſſe, ac Re-
" miſſionem peccatorum accepiſſe, quòd gra-
" tiam in Chriſto promiſſam amplexus fue-
" rit: ita de Electione quoque ſtatuimus ex
" eventu in vita hominis contingente; nem-
" pe illos ſolos electos eſſe, qui miſericordi-
" am in Chriſto promiſſam amplectuntur.
" Neque aliter de Electione ſtatuendum eſt.
Sane nihil à Beatiſſimo Martyre contra ve-
nenata quorundam (quos *Evangelicos* alicu-
bi vocat) dogmata, quæ è *Calvini* Scriptis
hauſta, tum temporis in *Anglia* noſtra gli-
ſcere cœperunt, diſertius dici poterat. Nam
clarè docet, 1° Peccato & miſeriæ, quam ex
primo *Adamo* trahimus, gratiam Chriſti, ſe-

cundi

cundi *Adami*, ita per omnia parem eſſe, ut nemo hominum propter ſolum originale peccatum æternam damnationem incurrat. 2ò. Chriſtum in Cruce ſua omnium hominum infirmitates ſine exceptione bajulâſſe. 3ò. Homines neutiquam fatali neceſſitate, vel ad ſalutem trahi, vel in Gehennam protrudi. 4ò. Cauſam Reprobationis unicam eſſe hominis peccatum, non quodcunque, ſed tantùm verbi, ſive gratiæ divinæ ſibi oblatæ, contemptum. Imò ulteriùs progreditur, & docet 5ò. Hominem ideò à Deo eligi ab æterno, quia poſtea in tempore membrum Chriſti factus ſit. (quod fortaſſe ſignificatur in Articulo 17º. Eccleſiæ noſtræ phraſi illâ, *in Chriſto eligi.*) 6ò. atque ultimò, Electionem hominis ab æterno, licèt pro objecto habeat hominem Chriſti gratiam Fide amplexantem, tamen prorſus gratuitam eſſe; planè quemadmodum Juſtificatio hominis, quæ in tempore fit, gratuita omnino eſt, quanquam conditio Fidei neceſſariò in homine juſtificando requiratur. Qui plura volet, legat, quæ ſequuntur in eadem Præfatione: legat quoque ipſius libri cap. 17. & 19.

29. Cœterùm illud diligenter obſervandum eſt, locum *Hooperi*, quem proximè adduximus, magnam partem tranſcriptum eſſe, penè ad verbum, ex *Philippo Melanchthone* illo, qui Confeſſionem *Auguſtanam* exaravit: cujus dogmata, ut Scripturis & Veteris Eccleſiæ Decretis maximè conſentanea, primos Reformationis noſtræ authores (rejectis Calvini placitis) amplexos fuiſſe, alicubi dixi; neque dicti ejus me unquam pœnitebit. Non mihi hîc credat Lector, ſed oculis ſuis. In Locis Theologicis Melanchthonis, titulô *de Prædeſtinatione*, hæc legimus: "Semper autem diſputatum eſt de cauſa electionis; ſicut fratres duo *Cain* & *Abel* diſputârunt, cur alter alteri prælatus ſit. Diſputârunt item *Eſau* & *Jacob*, ac plerumque hi, qui nihil niſi rationis aut legis doctrinam nôrunt, cogitant ut de judice humano, cauſam electionis legem eſſe, ſeu noſtra merita & dignitatem. Sic Judæi ſenſerunt, ſic ſcripſerunt plerique Sententiarii. Sed nos teneamus has tres hypotheſes. Prima eſt: Nec ex ratione, nec ex lege judicandum eſt de electione, ſed ex Evangelio. Altera eſt: Totus numerus ſalvandorum propter Chriſtum electus eſt. Quare tertia eſt: Non aliam Juſtificationis, aliam Electionis cauſam quæramus. Ideo Petrus eſt electus, quia eſt membrum Chriſti; ſicut ideo juſtus eſt, id eſt, Deo placens, quia fide factus eſt membrum Chriſti. Ut igitur cum de Juſtificatione loquimur, ab Evangelio, ſeu agnitione vocis Evangelii ordinur; ſic de electione dicturi, complectamur vocem Evangelii: Sic nobis judicandum eſt, quia à Chriſti agnitione & Evangelio ordiri debemus. Quæramus ergo promiſſionem, in qua voluntatem ſuam expreſſit Deus, & ſciamus, non eſſe aliam voluntatem quærendam de gratia extra verbum, *&c.*" Idem mox: "Cauſam igitur reprobationis certum eſt hanc eſſe, videlicet peccatum in hominibus, qui prorſus non audiunt nec accipiunt Evangelium, aut qui abjiciunt fidem, antequam hinc diſcedunt. In his certum eſt cauſam eſſe reprobationis peccatum ipſorum, & humanam voluntatem. Nam veriſſima eſt ſententia, Deum non eſſe cauſam peccati; nec velle peccatum. Nota eſt enim vox Pſalmi: *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Et Oſeæ 13. dicitur: *Perditio tua eſt Iſrael; tantùm in me auxilium tuum eſt. Saul* volens effudit Spiritum Sanctum, volens moventi Spiritui Sancto repugnavit. Hæc de cauſa rejectionis, ſeu reprobationis, certa ſunt; promiſſio enim requirit fidem. Econtrà verò rectè dicitur, cauſam electionis eſſe miſericordiam in voluntate Dei, qui non vult perire totum genus humanum, ſed propter filium colligit, & ſervat Eccleſiam. Hoc vult *Paulus*, cùm 9. capite ad Romanos citat dictum: *Miſereor cujus miſereor.* Negat, propter Legem, propter prærogativum generis, homines electos eſſe: ut fiat illuſtrius, propter filium electam & conditam eſſe Eccleſiam; ſed tamen in accipiente occurrere oportet apprehenſionem promiſſionis, ſeu agnitionem Chriſti. Nam ideo electi ſumus, quia efficimur membra Chriſti. Ergo ut in Juſtificatione diximus, aliquam eſſe in accipiente cauſam, non dignitatem, ſed quia promiſſionem apprehendit, cum qua Spiritus Sanctus ſimul eſt efficax, ut Paulus inquit: *Fides ex auditu eſt*; Ita de electione à poſteriori judicamus, videlicet haud dubiè electos eſſe eos, qui miſericordiam propter Chriſtum promiſſam fide apprehendunt, nec abjiciunt eam fiduciam ad extremum." Quis jam non agnoſcit, *Hooperum* noſtrum ex *Melanchthone* ſapuiſſe? Sequuntur ibidem apud *Melanchthonem* hæc verba: "Sic cum Joan. 6. dictum eſſet: *Nemo venit ad me, niſi Pater traxerit eum*; ſequitur ſtatim: *Omnis qui audit à Patre & diſcit, venit ad me.* Orditur Deus & trahit nos verbô ſuô & Spiritu Sancto; ſed audire nos oportet & diſcere, id eſt, apprehendere promiſſionem & aſſentiri, non repugnare, non indulgere diffidentiæ & dubitationi." Eadem planè habet *Hooperus* mox poſt illa, quæ ex ipſo poſtremò citavimus: "Joannes dicit: *Nemo venit ad me, niſi Pater traxerit eum.* Multi hæc verba per-

Corp. Theol. p. 559.

" perperàm intelligunt, quaſi Deus in ho-
" mine, ratione præditô, nihil amplius re-
" quireret, quàm in ſtipite; neque atten-
" dunt ad verba, quæ ſequuntur: *Omnis qui*
" *audit & diſcit à Patre venit, ad me.* Deus
" trahit verbô ſuô & Spiritu Sancto; ſed
" hominem oportet audire & diſcere, id eſt,
" amplecti gratiam oblatam, aſſentiri promiſ-
" ſioni, ac Deo vocanti non repugnare. "
Sed iſta obiter, etſi haudquaquam fruſtra.

30. Ad alterum jam teſtem noſtrum progredior, nempe ſanctiſſimum illum *Latimerum*. Plurimis ille in locis *Melanchthonianam* doctrinam juxta cum Symmyſta ſuo *Hopero* palàm tuetur ac defendit. E multis pauca adferam. In Concione in Septuageſ. ita ſcribit: " Quando in hac quæſtione (de
" Electione) verſamur, ac dubitationibus an-
" gimur, an electi ſimus necne, hoc ſemper,
" tanquam axioma quoddam indubitatum,
" ob oculos habendum eſt, Deum eſſe erga
" nos benevolum; Deum amare nos; Deum
" adverſus nos animum paternum gerere.
" Atqui, inquies, quomodo hoc ſciam? Quâ
" ratione adducar, ut hoc credam? Dei er-
" ga nos benevolentiam cognoſcere licet per
" Chriſtum. Quippe Deus ſe nobis pate-
" fecit in Chriſto Filio ſuo, teſtante S. *Joan-*
" *ne* Evangeliſtâ: *Filius, qui eſt in ſinu Pa-*
" *tris, ipſe revelavit.* Inde igitur Dei erga
" nos benevolentiam atque amorem percipi-
" mus, quòd eundem Filium ſuum in mun-
" dum miſerit, qui acerbiſſimam pro nobis
" mortem perpeſſus fuerit. Fierine jam pot-
" eſt, ut cogitatio iſta animum meum ſube-
" at, Deum me odio habere, aut de ejus ad-
" versùs me amore ambigam? Vides, quâ
" ratione perplexam illam & periculoſam de
" Prædeſtinatione divina quæſtionem evitare
" poſſis. Quippe ſi ejus conſilia velis inqui-
" rere, & quaſi conſiſtorium ejus ingredi,
" fallet te ingenium tuum. Quòd ſi à
" Chriſto exordiaris, ejuſque in mundum
" adventum perpendas, perſuaſum habens,
" Deum tui gratiâ illum miſiſſe, ut pro te
" pateretur, teque à peccato, morte, Diabo-
" lo atque inferno liberaret; tum demum
" tibi, hâc cognitione Chriſti inſtructo, ſtul-
" ta illa quæſtio non officiet. Nam in libro
" vitæ es, qui eſt Chriſtus ipſe. Porro ex
" hac ſententia, *multi ſunt vocati*, &c. diſci-
" mus, Evangelii præconium eſſe univer-
" ſale, atque ad totum humanum genus per-
" tinere, juxta illud quod ſcriptum eſt: *In*
" *omnem terram exivit ſonus eorum.* Inde au-
" tem, quòd Evangelium ſit univerſale, liquet
" velle (Deum) ut totum genus humanum
" ſervetur, neque ipſi imputandum eſſe,
" quòd æternùm pereamus. Scriptum eſt
" enim: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri.* "

Latin. Conc. part. 3. p. 213.

Pſal. 19. Rom. 10.

Lege etiam, quæ ibidem ſequuntur, quæ ſolô brevitatis ſtudiô prætermittimus. Idem in Concione in Dominic. 1. poſt Epiphan. " Quòd magna, *inquit*, hominum multitu- *Part. 3.*
" do æternam damnationem incurrat, Deo *fol. 207.*
" nequaquam imputandum eſt, (quippe De-
" us vult omnes homines ſalvos fieri) ſed
" nobis ipſis noſtræque ipſorum dementiæ,
" qui damnationem, quàm ſalutem malimus.
Idem in Concione in Domin. 3. poſt Epiphan. " Ita tecum cogita, Deum elegiſſe
" eos, qui in Chriſtum credunt, Chriſtum-
" que eſſe vitæ librum. Si in ipſum credas,
" libro vitæ inſcriptus es, & ſervaberis. Ita-
" que non opus eſt, ut hîc turbemur curi-
" oſis quæſtionibus de Prædeſtinatione Dei. "
Ubi quod dicit: *Si in ipſum credas, libro vitæ inſcriptus es, & ſervaberis*, exponendum eſſe de Fide perſeverante, inde liquet, quòd mox ibidem diſertè doceat, *fieri poſſe, ut qui libro vitæ jam inſcripti ſumus, poſtea Deum & verbum ejus obliviſcentes, & nequiter agentes, ex eodem deleamur:* quæ verba ſuprà in quæſtione de Perſeverantia jam citavimus. Denique idem *Latimerus* (ut alia plurima beatiſſimi Patris loca huc ſpectantia omittam) in Conc. 6. in Orat. Dom. contra Novatum *Part. 2.* Hæreticum differens, hæc habet: " Chriſtus *p. 92.*
" ſolus, neque alius quiſquam, meruit Re-
" miſſionem, Juſtificationem, æternamque a-
" deo Fœlicitatem iis omnibus, qui id ipſum
" credere volunt: qui nolunt id credere,
" non habebunt. Quippe nihil amplius hîc
" requiritur, quàm ut credas & habeas.
" Nam Chriſtus haud minorem ſanguinis ſui
" portionem pro *Juda* effudit, quàm pro
" *Petro*. *Petrus* credidit, & ſervatus fuit;
" *Judas* credere noluit, proptereaque damna-
" tus fuit, ipſeque ſolus perditionis ſuæ au-
" thor fuit. " Deus bone! In quæ nos tempora reſervâſti! Si virbius eſſet ſanctiſſimus ἱερομάρτυς, atque his temporibus talia ſive in Scriptis, ſive pro concione doceret, quàm mox exclamarent zelotæ noſtri, ὦ καταράλε. Quibus ipſum, ut hæreticum Pelagianum, Arminianum, &c. convitiis conſpurcarent! Scil. hi boni viri de conſenſu ſuo, ſi ſuperis placet, cum primis Reformationis noſtræ authoribus gloriantur, cùm interim eos, qui nihil aliud docent, quàm quod ante ipſos beatiſſimæ illæ animæ docuerunt, apud indoctam plebeculam, ut *Novatores*, infament, atque omnibus modis ſtudeant opprimere. Sed me reprimo.

31. Ex iis autem quæ hactenus de Eccleſiæ noſtræ doctrinâ à nobis dicta ſunt, videbit Lector, quô judiciô D. *Tullius* Novatoribus, quos vocat, hæc verba tribuerit: nempe, Reformationis noſtræ Patres *viros fuiſſe bonos, ſed* Calvini *aut Fanaticiſmi aliquid in al-* *Juſtif. Paulin. p. 26.*

bo

bo habuiſſe. Scil. totô hîc cœlô errat D. *Tullius* : nemo ex Novatoribus ſuis, qui ſapit, illud dixerit. Nam à *Calvini* (viri licèt excellentis ingenii, atque in multis de Reformatione optimè meriti) tum diſciplinâ, tum doctrinâ (quâ parte ipſe à *Melanchthone* aliiſque inſtaurati purioris Chriſtianiſmi magiſtris antiquioribus abierit) prorſus alienos fuiſſe primos Reformationis noſtræ Authores, ſatis conſtat. Nimirum poſitis his duabus hypotheſibus, 1. Chriſtum etiam eos, qui pereunt, verè redemiſſe ; 2. Poſſe verè in Chriſtum credentes, & per Chriſtum juſtificatos, à Fide & Juſtificatione, ſuâ culpâ, penitus deficere, atque æternùm perire ; (quæ manifeſta ſunt atque indubitata Eccleſiæ noſtræ dogmata) corruit tota Calviniſmi, qui dicitur, moles & machina: quod cuivis rem vel mediocriter attendenti mox liquebit. Fruſtra autem hîc ad Articulum de Prædeſtinatione recurritur: neque enim cum quoquam contentionis ſerram trahemus de ulla Dei Prædeſtinatione, quæ duo iſta fundamenta, ab Eccleſia noſtrâ manifeſtè poſita, non evertat. Hoc unum contendimus: ex incertis variéque diſputatis Prædeſtinationis occultæ conceptibus, & ſpeculationibus, non neganda eſſe hæc tam clara, fixa & ſtabilita Scripturæ, Eccleſiæ noſtræ & Catholicæ dogmata ; ſed potiùs ex his apertis & manifeſtis ſecreta illa ita explicanda, ut cum ipſis verè poſſint conſiſtere: quod dudum monuit Præſul doctiſſimus. Eccleſia noſtra in Art. 17. Prædeſtinationis doctrinam verbis tradit ita temperatis, ut nemo Catholicus cauſam habeat, cur Articulum repudiet: præſertim ſi *Hooperus* (qui Synodi illius, unde Articuli noſtri primùm prodiere, pars magna fuit) pro idoneo ipſius interprete habendus ſit, aut etiam *Latimerus* Epiſcopus, *Hoopero σύγχρονος*. Sed & poſtquam Eccleſia ita prudenter & cautè doctrinam iſtam explicaverat, filios ſuos ab ea ſpeculatione omnino abſtrahit, negatque, ex quoviſcunque Prædeſtinationis conceptu, tanquam regulâ, vitam noſtram dirigendam eſſe ; ſed contrà docet, " Proſ" miſſiones divinas ſic amplectendas, ut nô" bis in S. literis generaliter propoſitæ ſunt, " & Dei voluntatem in noſtris actionibus " eam ſequendam eſſe, quam in verbo Dei " habemus diſertè revelatam." Scil. idem antea fecerant Auguſtani: " Non eſt hîc " (inquiunt titulô *de Fide*) opus diſputationi" bus de Prædeſtinatione & ſimilibus ; nam " promiſſio eſt univerſalis." Certè per quatuor fere prima ſæcula, de Prædeſtinatione illa, quam plerique hodie totius Chriſtianiſmi baſin & fundamentum eſſe exiſtimant, nemo Catholicus ſomniavit. Optimi illi Chriſtiani, vitâ & morte ſuâ illuſtres, & vivebant, & moriebantur, his freti hypotheſibus: Chriſtum eſſe communem hominum Servatorem ; neminem, cui Evangelium Chriſti innotuit, poſſe ad cœleſtem beatitudinem pervenire, niſi Evangelicis præceptis obtemperet ; ſine gratia & Spiritu Chriſti præcepta ipſius neutiquam præſtari poſſe ; gratiam Dei ſalutem hominis non efficere abſque cooperante ipſius induſtria ; eandem gratiam nemini deeſſe ; qui per gratiam Dei in ſtatu ſalutis jam conſtitutus eſt, poſſe ab eodem, ſuâ culpâ, excidere, atque æternùm perire ; proinde oportere eum qui ſtat, videre ne cadat : his, inquam, & ſimilibus axiomatis vita ipſorum regebatur. De providentia contenti fuerunt credere, * Deum præſcire omnes omnium hominum actiones, quin & eaſdem, ut viſum eſt ſapientiæ, juſtitiæ & bonitati ſuæ, regere ac diſponere, ſalvâ ſemper libertate, quam ipſe homini indidit. Utrùm per † definitiones illas magis particulares de Prædeſtinatione divina, quæ poſtea ex præfervida Auguſtini cum Pelagio concertatione natæ ſunt, quicquam emolumenti acceſſerit veritati Catholicæ, pietati Chriſtianæ, aut paci Eccleſiaſticæ ; annon potiùs deploranda inde Schiſmata, & peſſimi errores (quales Prædeſtinatianorum, &c.) exorti, moreſque hominum in deterius mutati fuerint, dicant Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ periti. Verbô igitur, ex animo amplectimur & reveremur ſapientiſſimum Regiæ Majeſtatis

* *Retractatis priorum hâc de re opinionibus, penè omnium par invenitur & una ſententia, quâ Propoſitum & Prædeſtinationem ſecundùm præſcientiam receperunt : ut ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuſcujuſque præviderit, & ſub ipſo gratiæ adjutorio, in qua futurus eſſet voluntate & actione, præſcierit.* Proſper Epiſt. ad Auguſtin. de reliqu. Pelag. Hær. prope finem.

† Hilarius Epiſt. ad Auguſtin. de Maſſilienſium ſententia, ait, fuiſſe inter Catholicos, qui, cum non auderent dogma Auguſtini de abſoluta Prædeſtinatione, ut falſum omnino, improbare, dicerent tamen, & novum illud eſſe, & quod nullô firmiorum periculô reticeatur, magnô autem infirmiorum periculô tradatur. Verba ejus ſunt: *Ad ſummum, fatigatis omnibus nobis, ad id proſecutio eorum, vel potiùs querela convertitur, conſentientibus etiam his, qui hanc definitionem improbare non audent, ut dicant: Quid opus fuit, hujuſcemodi diſputationis incertô tot minùs intelligentium corda turbari ? Neque enim minùs utiliter ſine hac definitione, aiunt, tot annos, à tot tractatoribus, tot præcedentibus libris, & tuis, & aliorum, cùm contra alios, tum maximè contra Pelagianos, Catholicam fidem fuiſſe defenſam.* Idem pronuntiàrunt de iſtis Auguſtini novis hypotheſibus *Cœleſtinus* Epiſcopus *Rom.* cum Clero ſuo Epiſt. ad *Galliæ* Epiſcopos, in fine : *Profundiores verò*, inquiunt, *difficilioreſque partes incurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractârunt, qui Hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus æſtruere.*

jeſſatis decretum, Articulis noſtris præfixum : " Itaque in his tam curioſis, tam in-
" fœlicibus controverſiis, quæ per tot annorum centurias, variis locis ac temporibus,
" Eccleſiam Chriſti exercuerunt; volumus,
" ut ulteriori omni diſquiſitione ſuperſedeatur ; utque diſputationes iſtæ promiſſionibus divinis, prout generaliter nobis propoſitæ ſunt in S. Scripturis, ac generali
" ſententiâ Articulorum Eccleſiæ Anglicanæ
" juxta ipſas, concludantur.

Poteram autem & alia Doctoris placita recenſere, in quibus ille ab Eccleſiæ Anglicanæ ſententia receſſerit ; ſed ea fere minoris momenti ſunt, atque ex his, quæ jam diximus, abunde evincitur, quod probandum ſuſcepimus ; nempe, D. *Tullium* in nonnullis Chriſtianæ doctrinæ capitibus, Eccleſiæ *Anglicanæ*, aliarumque Reformatarum nobiliorum, adeoque Catholicæ definitionibus omnino repugnare. Jam igitur redeamus ad Juſtificationem Paulinam.

SECTIO VIII.

Ad reliqua Capita.

1. QUÆ à *Tullio*, in ſequentibus capitibus, contra *Harmoniæ* Authorem ſparſim diſputantur, ea omnia, nempe quæcunque alicujus momenti ſunt, jam in Examine noſtro prolixè refutavimus. Nimirum Cenſor ille noſter omnem fere ipſi argumentandi materiam præripuerat. Ac ſane breves iſtæ ſtricturæ, ſive Animadverſiones, quas ille ad oram libri noſtri properanter, ut videtur, ſcripſit, quantulæ eæcunque ſunt, juſto reſponſo non tam abſimiles videntur, quàm quæ D. *Tullius* in hoc opere ſuo elaborato nobis repoſuit. Veréne an invidiosè hæc ſcripſerim, penes æquum Lectorem judicium eſto.

2. Habet, fateor, D. *Tullius* argumenta quædam ſibi propria & peculiaria. Ea vero qualia ! " Omnia opera, divinâ lege
" præcepta, ſunt oppoſita gratiæ : opera quæ-
" cunque bona ſunt tali aliquâ lege præce-
" pta ; ergo eatenus oppoſita gratiæ." Juxta quod argumentum *Fides* & *Pœnitentia*, in Evangelica lege præcepta, ſunt *opera oppoſita gratiæ* ; idque eo nomine, quòd lege aliquâ præcepta ſint. Quaſi ſcil. gratiæ & libertati Evangelicæ repugnaret, Chriſtianum præceptô aliquô divinô obſtringi. Rurſus: (de quo argumento mirè gloriatur) " Si ju-
" ſtificemur ex operibus, non propter eorum
" dignitatem aliquam, quid obſtat, quò mi- *p.* 47.
" nùs ex operibus adiaphoris juſtificemur,
" perinde ac bonis? Quaſi verò inter opus *meritorium* & ἀδιάφορον medium non eſſet opus bonum, quô homo diſponatur, atque idoneus reddatur ad gratuita Dei beneficia recipiendum ; quæ *Idoneitas* nonnunquam * *Dignitatis* nomine in Scripturis venit : aut quaſi quiſquam noſtrûm operibus bonis vel hanc *idoneitatis* dignitatem detraheret, vel iſtam *meriti* tribueret ; aut denique, quaſi verum eſſet, hominem per opera adiaphora diſponi ad beneficia divina recipiendum, perinde atque per opera bona. Nonne is abundat otiô, cui vacat, iſtiuſmodi Sophiſmata operosè refellere ? Itaque integrum mihi eſſet, capita illa ſequentia abſque ulteriori reſponſione tranſmittere, niſi me remorarentur calumniæ quædam inſignes, (utinam, ut cum D. *Tullio* loquar, rei indignitas mollius aliquod pateretur vocabulum) quibus, ſi exiſtimationis meæ omnino incurioſus videri nolim, neceſſariò reſpondendum ſit.

Juſtif. Paulin. p. 46.

3. Capite quinto pag. 42. ait D. *Tullius*, " Harmoniſtam Orthodoxos, ſibi adverſan-
" tes, ubique Solifidianorum vocabulô mol-
" liter

---

* *In S. Scripturis fideles dicuntur* digni *hâc vel illâ re, non quòd habent merita æqualia & commenſurata ad talem rem obtinendam ; ſed quòd ita diſpoſiti ſunt, ut juxta ordinationem divinam idonei exiſtant, quibus Deo dignante tale præmium tribuatur.* Dignitatis *igitur vocabulum non probat meritum propriè dictum ineſſe illi, qui dignus Regnô cœleſti pronuntiatur ; ſed oſtendit ſolummodò, eum habere diſpoſitionem, ſive idoneitatem illam, quam Deus præquiris in illis, quibus Regnum cœleſte donatur. Nam ut verè contritus dicitur veniâ dignus, non quòd ipſa contritio ſit meritum veniæ ; ſed quòd contineat illam diſpoſitionem, cui Deus ſtatuit veniam indulgere : ſic fidelis ſanctitati ſtudens, dicitur dignus cœleſti Regnô, non quòd fides, aut ſanctitas noſtra, ex condigno cœlum mereatur, ſed quòd contineat in ſe illam idoneam diſpoſitionem, cui Regnum cœleſte à Deo Patre per miſericordiam promittitur*, &c. Davenant. de Juſt. act. c. 60. p. 605, 606.

" liter caſtigare; ipſi ſociiſque ſuis Solifidi-
" anos eſſe omnes, quicunque Helenam iſtam
" operum à juſtitia divellunt; nempe Pa-
" tres, Eccleſiam Anglicanam, adeóque Re-
" formatas omnes." Et tamen idem alibi
Juſtif. Paulin. p. 13. fatetur, me *in hac controverſia cum pugilibus & ducibus illis veteranis arma non faſtidire ſocialia, imò ſollicitè ambire*; fatetur à me ob-
P. 28. tendi ſaltem, *Eccleſiarum Reformatarum Confeſſiones omnes, vel certè earum primas, à partibus meis ſtare.* Quomodo hæc ſibi conſtant? Sane nunquam mihi in animo fuit Eccleſiis Reformatis, nedum Patribus, bellum indicere. Verùm illud conſtanter affirmo, (quod & ſuprà probavi) eſſe quàm plurimos, qui cùm nihil fere magis quàm *Patres* & *Eccleſias Reformatas* crepent, à genuina tamen tum Patrum, tum Eccleſiarum Reformatarum antiquiſſimarum doctrinâ quàm longiſſimè receſſerunt. *Solifidianorum* autem vocabulô illi meritò caſtigantur, qui *fidei ſoli*, ſimplici virtuti, juſtitiam tribuunt, ſeclusâ verâ pœnitentiâ, ut nullatenus neceſſariâ ad juſtificationem obtinendum. An non hujus Solifidianiſmi reum coarguerim D. *Tullium*, Eccleſiam verò *Anglicanam*, cæteraſque Reformatas ab ea accuſatione liberaverim, judicent omnes. His tamen non contentus D. *Tullius* criminationibus, mox in *Harmoniſtam* ejuſque ſocios ita invehitur: *Quid itaque aliud dicendum, quàm quòd hæc & hujuſmodi ſtigmata veritati inuſta, ſi ſcenæ (quòd valdè metuendum) haud ſerviant, aut ſciolorum ſint ineptiæ, aut malevolorum calumniæ?* Quod tantundem eſt ac ſi dixiſſet, Harmoniſtam cum ſociis ſuis vel ſtultos eſſe, vel nebulones. Ut ſciolum & ineptum à Doctore contemni, neminem prudentem movebit, qui, quô ſua ille fere omnia ſcripſerit judiciô, ſecum cogitaverit. Quòd verò nos ſcenæ ſervire dicat, illud nequaquam ſilentiô prætereundum. Abſit, ut hîc reſpondeam quod non abſimili criminationi repoſuit Vir magnus: *viles venaleſque animæ alios de ſe æſtimare ſolent*; ſpero enim longè aliam D. *Tullio* mentem eſſe. Neque de Harmoniſtæ ſociis, quos vocat, quicquam dicam, qui eam ætatem habent, ut pro ſe reſpondeant. Ad me ipſum verò quod attinet, ſane turpem iſtam artem, Theologiam meam ita attemperandi, ut ſcenæ contra veritatem ſerviat, neſcio juxta cum ignariſſimis. Cùm primùm me S. Theologiæ & Eccleſiæ conſecrarem, Deus novit, quàm ſincerô animô id fecerim, quantôque adeo divinam gloriam atque animarum ſalutem pro virili meâ promovendi zelô & ardore flagraverim. Quippe mihi, in ipſa adoleſcentia maximam Dei gratiam & miſericordiam erga graviſſimos peccatores experto, illô Domini ad Petrum monitô perſonabant aures perpetuò: *Tu verò converſus confirma fratres.* Hinc Eccleſiæ Anglicanæ in eo tem- Luc. 22. v. 32.
poris articulo, quô penè deſerta fuerat à ſuis pleriſque, ac planè deriſa ab hoſtibus, ſacris ordinibus juxta ritum ejus initiatus, me addixi, cui etiam per aliquot annos tantùm non gratis operam navabam. Et jam liquidò affirmare poſſum, me ad ſerviendum Eccleſiæ magnam Patrimonii mei partem inſumpſiſſe: cujus officii hanc unam mercedem (quâ unâ contentus ero) jure poſtulaſſe videar, ut per Doctorem & alios liceat mihi pro vero & genuino Eccleſiæ filio haberi. Dogmata verò illa, ob quæ, ut Novatorem & neſcio cui ſcenæ ſervientem, me ſugillat D. *Tullius*, (quæ ego alia non eſſe, quàm ipſiſſima Eccleſiæ noſtræ & Catholicæ decreta perſuaſum habeo) in ipſa Eccleſiæ & Regni noſtri ἀναταξίαν palàm, liberè, & conſtanter profeſſus ſum & docui, proptereaque Schiſmaticorum odiis & convitiis undique impetitus fui. Quàm vellem autem, me V.R. ad iſtam gloriandi ſtultitiam non adegiſſet?

4. Capite 7. p. 57. argumentum quoddam meum recitat D. *Tullius* ex Harmonia Apoſt. p. 283. quod ſic habet: " Quatenus Paulus
" opera ritualia & externa, ut non neceſſa-
" ria rejicit, eatenus opera ſpiritualia & in-
" terna, ut neceſſaria admittit: ſed opera
" ritualia rejicit, ut non neceſſaria ad Juſti-
" ficationem; ergo opera ſpiritualia, ut ad
" Juſtificationem neceſſaria admittit." Quid ad hæc D. *Tullius*? " Propoſitionem, *inquit*,
" utpote falſam (ne quid de ea gravius di-
" cam) quî probat! merô quidem ſilentiô;
" quaſi principium eſſet αὐτονόητον, aut ipſum
" fortiter aſſerere, eſſet διότι demonſtrare."
Hem viri candorem & fidem! Suis ipſe oculis locum inſpiciat Lector cordatus, & videbit me Syllogiſmi propoſitionem graviſſimis argumentis confirmâſſe. Primò illam probo ex locis Scripturæ diſertiſſimis; nempe *Gal.* 5. 6. & 6. 15. & 1 *Cor.* 7. 19. in quibus Apoſtolus *fidem charitate perfectam, novam creaturam, obſervationem mandatorum Dei* opponens *circumciſioni*, & (conſequenter) cæteris externis ritibus Legis Moſaicæ, de his affirmat, quòd nihil in Chriſto Jeſu valeant, hoc eſt, ad Juſtificationem & ſalutem hominis nihil conducant, neque ullo modo neceſſaria ſint: quod verò his detrahit, iſtis, puta fidei charitate perfectæ, novæ creaturæ, obſervationi mandatorum Dei, manifeſtè largitur, nempe neceſſaria ipſa omnino eſſe, ac plurimùm valere ad Juſtificationem & ſalutem juxta Evangelium obtinendam. Quibus locis & iſta addo, *Col.* 2. 11, 12, 13. *Rom.* 2. 28, 29. *Phil.* 3. 2, 3. Hæc præmitto, ac tanquam firmiſſimum Syllogiſmi mox ſecuturi fundamentum ſuppono p. 282. §. 4. Deinde (§. 5.) adducti Syllogiſmi

gismi propositionem confirmo argumentô, à primario fine sive scopo Legis Mosaicæ ritualis desumpto. Ideo externam illam justitiam pœnis adeo severis exigebat Deus, ut inde manifestum fieret, justitiam spiritualem, in Evangelio clariùs revelandam, atque alterâ illâ adumbratam, æquè, imò multò magis esse necessariam. Nimirum ut externa Justificatio, quæ per Legem concedebatur, umbra fuit veræ Justificationis per Christum obtinendæ; ita circumcisio carnis, quæ ad externam illam Justificationem exigebatur, cordis circumcisionem, (per fidem nempe, pœnitentiam & sincerum Dei amorem) quæ ad veram remissionem peccatorum sive Justificationem consequendum, juxta Evangelium prorsus necessaria sit, omnino repræsentabat. Quid his clarius? Denique istis pro coronide in margine adjicio illustrem locum *Justini Martyris* Dialog. cum Tryphone: *P. 320. Paris. 1636.* Καὶ ἡμεῖς ἓν ἐν ἀκροβυστίᾳ τὸ σαρκὸς πεπόιηλες τῷ Θεῷ διὰ τὸ Χριστὸ, καὶ περιτομὴν ἔχοντες τὴν ὠφελοῦσαν ἡμᾶς τὸς πεπληρωκότας, τοῦτ' ἔστι τὸ καρδίας, δίκαιοι καὶ εὐάρεστοι τῷ Θεῷ ἐλπίζομεν φανῆναι. "Nos igitur in præputio carnis Deo per Christum credentes, & circumcisionem obtinentes, nobis eam assecutis utilem, cordis scil. circumcisionem, speramus fore, ut justi ac Deo grati appareamus." Ubi clarè docetur, juxta Evangelium non modò fidem in Deum per Christum, sed cordis circumcisionem, externâ illâ in lege Mosaica præscriptâ circumcisione adumbratam, prorsus necessariò ad id requiri, ut quis justus & Deo gratus fiat. Jam verò æqui omnes judicent, quâ conscientiâ dixerit D. *Tullius*, me argumenti mei propositionem merô silentiô probâsse.

5. Mox p. 58. excurrit V. R. in Logicas quasdam argutias, ad rem sane nihil pertinentes; deinde ad *Harmonistam* (quem nunc novo *Dissertatoris* nomine indigitat) iterum redit his verbis: "Cum verò in postscripto "suo tam ingenuè nos monuit Dissertator, "opus totum Harmonicum à se admodum "juvene conscriptum, sine ullo, ut videtur, "ætatis maturioris obelo, quid obstat, quo"minùs hoc, cum reliquis similibus per to"tum librum securè volitantibus, ætati de"mus?" Neque hôc tantùm in loco, sed & alibi passim ingenuam hanc (ipsô fatente) confessionem meam perstringit, parum sane ingenuè. Ad quæ omnia toties repetita hîc semel respondeo. *Harmoniam* quidem scripseram circa annum ætatis vicesimum septimum; sed ipsam me sine ullo ætatis maturioris obelo evulgâsse, longissimè à vero abest. Nam ex quo opus perfeceram, ad ejusdem editionem anni aliquot præterière. Per quod tempus illud non modò ipse sæpiùs relegi, sed & doctiorum amicorum liberæ censuræ permisi, quorum in manibus diu hæsit. Tandem Dissertationes istas eruditissimi atque admodum Reverendi Antistitis, D. *Gulielmi Episcopi Gloceſtrienſis* τῦ μακαρίτυ judicio censendas obtuli. Quam ille de ipsis sententiam tulerit, cognoscat Lector ex Epistola mea ad ipsum nuncupatoria; ubi verissimè (ac sane si non verissimè, bipedum omnium impudentissimus fuerim) ita doctissimum Præsulem affatus sum: "Perlegisti (neque id festinanter) singula utriusque Dissertationis capita, "patientiâ tuâ prolixitatis tædium devoran"te; perlecta comprobâsti tuô calculô, quin "& (pro benevolo, quô me meaque omnia "complecti solitus es, affectu) tuis laudibus "condecorâsti." Verissimè, inquam, me hæc scripsisse, & Deum, & homines testes habeo. Quæ eò libentiùs refero, quòd D. *Trumannus*, in calce libri sui adversùs me scripti, suspicari se profiteatur, me ista confinxisse, quò scil. tanti Præsulis, tamque eruditi Scriptoris suffragiô dogmatis meis fidem conciliarem. Nescio sane, quis ipsi animus fuerit, qui tam iniquam & malevolam suspicionem de homine, sibi de nulla mala fama notô, eôque Theologo & Ecclesiæ Presbytero, in sinu suo fovere potuerit, adeoque palàm proferre non erubuerit. Sed cùm fato ille cesserit, ejus manibus parcendum. Cæterùm annum jam agens secundum supra quadragesimum, *Harmoniam* (tot hominum clamoribus admonitus) legi & relegi seriò, abjectâ omni (uti spero) φιλαυτίᾳ, certè præmissis ad Dominum precibus, ut lumine suo cœlesti mentem meam illustrare, & quoscunque meos errores contra divinam veritatem mihimet monstrare dignaretur; quibus sanctè quoque vovi & spospondi, me ostensos errores, tusque deque habitâ existimatione meâ, palàm & publicè coram Ecclesia abrenuntiaturum. Post tam accuratum & religiosum operis examen, si cupis scire, quid de ipso ipse tandem sentiam, dicam sincerè. Video clariùs (quod & ex parte videram, cùm opus primùm evulgâssem; unde ista in postscripto confessio, quam toties & tam inclementer exagitat D. *Tullius*) esse ibi nonnulla, quæ dilucidiùs & pleniùs explicari poterant, atque, in juniorum saltem gratiam, debuerant; quam explicationem in Examine utcunque supplere conatus sum. Video interpretationem meam unius & alterius loci Paulini difficilioris in dubium vocari posse; quanquam certior mihi expositio nondum occurrat. Sed ad Summam quod attinet doctrinæ de Justificatione hominis, quam defendo, atque ad scopum utriusque Apostoli, *Pauli* & *Jacobi*, quorum conciliationem suscepi, persuasissimum habeo, me à veritate & Catholica sententia nequaquam aberrâsse. Qui verò tantô cum fastu juvenilem Harmonistæ

niſtæ ætatem toties exprobrat, utinam non ea ſcripſiſſet in maturiori ætate, quæ ſane ipſius gravitatem minimè decent.

6. Eodem capite p. 59. affirmat D. *Tullius*, Harmoniſtam ſuper hanc rupem cauſæ ſuæ totam collocare molem : opera ſcil. à *Paulo* excluſa ejuſmodi tantùm eſſe, quæ ſine gratia Evangelica perficiuntur, vi legis Moſaicæ, vel etiam naturalis. Atque ad illud probandum citat Diſſert. poſter. cap. 12. n. 2. Sed locum adeat Lector, & aliam planè ſententiam reperiet. Verba mea hæc ſunt : " Quiſquis ea, " quæ diximus, penitiùs intellexerit, facilè " is videbit, opera, quæ *Paulus* à Juſtificatio- " ne ſimpliciter excludit, ejuſmodi tantùm " eſſe, quæ ſine gratia Evangelica perficiun- " tur vi legis Moſaicæ vel etiam naturalis. " Scil. hîc omittit, pro more ſuo, D. *Tullius* vocabulum illud *ſimpliciter*. Et tamen in ipſo etiam capitis Elencho vocem illam Græcè poſueram, quò à Lectore attentiùs obſervaretur. Nimirum concedo, *Paulum* opera quæcunque, etiam ex gratia profecta, à Juſtificatione excludere κατά τι *ſecundùm quid*, nempe eatenus, ut omne ipſis meritum Juſtificationis detrahat : ſed à Juſtificatione ἁπλῶς & *ſimpliciter*, ut nullo modo neceſſariam aut conducentem, ab ipſo excludi tantùm Juſtitiam illam externam humanam & carnalem, quam litera Legis Moſaicæ (& conſequenter Lex naturalis) præſcribit, quæque abſque ſpeciali Evangelii gratia perfici poterat, omnino affirmo. Vide quæ diximus in *Examine* Reſp. ad Animadv. 20. §. 1.

7. Eodem rurſus capite p. 60. citat D. *Tullius* ex Harm. Apoſtol. Diſſert. poſter. cap. 10. §. 4. hæc verba tanquam mea : " Lex Mo- " ſis eô ipsô, quòd promiſſa & minas tan- " tùm temporales continebat, ad ingeneran- " dum hominibus genium atque ingenium " humile ac ſordidum, atque à vera ac ge- " nuina pietate planè alienum, ex ſe apta " nata erat. " Deinde ſic *paratragœdiat* : " Ποῖον ἔπος. Ore Chriſtiano ac auribus " quàm indignum ! Populo ſuo Deus legem " dedit, quæ (non per accidens & vitiô hu- " mano, ſed) ex ſe apta nimirum nata erat " hominem à Deo abducere, &c. Hanccine " Theologiam appellabimus ? Certe Calvi- " niſmum, quem vocant, omnem diritate ſu- " perat. " Piget pudetque ſubleſtam Doctoris fidem in verbis meis citandis toties notâſſe. Scil. hîc mihi tribuit verba *ex ſe*, & ne Lector dubitaret, quin ita revera ſcripſerim, iſta repetit, adeoque literis majuſculis imprimenda curavit. Et tamen verba iſta *ex ſe* planè è ſuo addidit & confinxit, uti locum ipſum conſulenti patebit. Hæc fraus quàm indigna homine Chriſtianô, nedum Theologô! Hunccine candorem appellabimus ? Illud autem dictum meum, nempe, legem Moſis per ſe & juxta literam ſpectatam, quomodo eam ſpectârunt carnales Judæi, eô ipsô quòd promiſſa & minas tantùm temporales, quin & præcepta externa & carnalia contineret, ad ingenerandum hominibus genium atque ingenium humile, &c. aptam natam fuiſſe, quàm ſit innocens, quàm verum & certum, quàm Veterum Doctorum, adeoque Scriptorum Θεοπνεύστων ſententiis conſentaneum, luculenter oſtendi in *Examine* Reſp. ad Animadv. 22. per tot. quò Lectorem remitto. Quorſum verò movetur hîc *Calviniſmi* mentio ? Scil. Doctori Calviniſmus iſte cordi curæque eſt, eique à Novatoribus, quos vocat, valdè metuit ; neque ſane immeritò. Quanquam autem anſam hîc nobis dederit D. *Tullius* dira Calviniſmi dogmata aperiendi, nolumus tamen iſtam nunc camerinam movere. Neque id quidem neceſſe eſt, cùm jam cordatis omnibus ſatis perſpecta ſit Calviniſmi diritas. Quæ deinceps in hoc Capite de Promiſſi vitæ æternæ defectu in lege Moſaica contra Harmoniſtam prolixè diſputat D. *Tullius*, ea omnia quàm nihil ad rem ſint, videbit Lector, ſi adeat Exam. Cenſ. Reſp. ad Animadv. 18. & 19. & 21.

8. In Capite octavo bene longo vapulant *Bellarminus* & *Aphoriſta* ; ne verbum quidem ad *Harmoniſtam* reperies. Noſtra autem ſententia de imputatione juſtitiæ Chriſti fusè explicatur Exam. Cenſ. Reſp. ad Animadv. 11. Capite nono redit ad Harmoniſtam D. *Tullius*, cujus argumenta quædam proponit diluenda ; ſed quàm dilutæ ſint ejus ſolutiones, liquebit ei, qui legerit *Harmoniæ* noſtræ Diſſert. poſter. cap. 4. §. 8, 9. Capite decimo *Harmoniſta* rurſus feriari permittitur. Eis autem quæ D. *Tullius* ibi diſputat de natura fidei juſtificantis, oppono, quæ eâdem de re fusè diſſeruimus Exam. Cenſ. Reſp. ad Animadv. 13.

9. Capite undecimô ſemel atque iterum ſtrictim notatur Harmoniſta, ſed fruſtra ; ut cuivis apparebit, qui Scripta noſtra & D. *Tullii* conferre non gravabitur. Ad totum verò inſtitutum quod attinet hujus capitis, in quo probare nititur V. R. noſtram de Juſtificatione doctrinam cum Pontificia peramicè conſpirare, paucis reſpondebo. Suprà oſtendi, Summam doctrinæ noſtræ, de Juſtificatione hominis, hanc omnino eſſe. Neminem ex pacto Evangelico, ſolâ meritoriâ Jeſu Chriſti ſanguinis effuſione impetratô ac ſancitô, remiſſionem peccatorum, ſive Juſtificationem, abſque fide & pœnitentia comparare poſſe ; abſque fidei verò & pœnitentiæ fructibus acceptam Juſtificationem cuſtodire & conſervare poſſe neminem. Si in hac quæſtione aliam nullam tuentur doctrinam Pontificii,

eſt quod de ipſorum hâc ex parte ὀρθοδοξίᾳ, & cum Scripturis, Eccleſia Catholica, noſtra, Reformatiſque omnibus conſenſu ſeriò gratulemur. Neque enim diſſidia non neceſſaria amamus, aut quærimus; quippe qui probè ſciamus, jam nimiùm multa eſſe Chriſtianæ doctrinæ capita, eaque maximi momenti, in quibus Pontificii non à nobis tantùm, ſed etiam ab Apoſtolis & Eccleſiæ primitivæ Catholicæ Doctoribus univerſis revera longiſſimè diſſentiunt. Equidem quàm manifeſtus ſit noſtrorum cum ſanioribus Pontificiis, qui ſive ante, ſive poſt Concilium *Tridentinum* ſcripſêre, ſuper hoc Articulo de re ipsa conſenſus, fusè & eruditè oſtendit *Fieldus* noſter in Appendice ad lib. 3. de *Eccleſ.* cap. 11. de Juſtificatione. Quam Theologi eximii Diſſertationem ſi unquam attentè legiſſet D. *Tullius*, certè caput hoc undecimum libri ſui totum omiſiſſet. Sunt quidem inter Pontificios Theologos plerique, ex quibus ipſe *Bellarminus*, qui operibus bonis, in Juſtificatione noſtra, ſaltem ſecundâ, procurandâ, Meritum condigni tribuere non ſunt veriti. An hujus nos blaſphemiæ affines eſſe voluit D. *Tullius?* Scilicet. Verùm quàm iniquè nobiſcum hîc agat, mox in hac ipſa Sectione liquidò oſtendemus. Interim rogamus, unde, & quibus argumentis hanc graviſſimam accuſationem probaverit? Scil. ad libri ſui caput ſextum nos remittit, ubi ex noſtris principiis iſtam de Merito condigni concluſionem nimiùm ſequacem eſſe, (ut loquitur) ſe probâſſe gloriatur. Quid verò ibi probare conatur? nempe, *ex operibus, & propter opera, ſive ex Merito operum juſtificari, idem valere.* Ubi aut Sophiſticè omnino agit; aut voluit, ex operibus, tanquam *conditione* tantùm ex parte noſtra requiſitâ, & per gratiam Dei præſtandâ, juſtificari, & ex operibus, ut *cauſis* Juſtificationis noſtræ *meritoriis*, juſtificari, ἰσοδυναμέντα eſſe. Quis verò ſanus & mentis ſuæ compos illud affirmaverit? Et tamen in hoc cardine tota Doctoris diſputatio vertitur. Si autem in re nimis manifeſtâ omnibus, qui ſenſu communi non deſtituantur, authoritate opus ſit, audiamus *Davenantii* noſtri verba, in celebri loco, quem jam alicubi in Harmonia integrum citavimus:

Juſtif. Paulin. p. 124.

De Juſt. actual. cap. 31. *p.* 404.

" Atque hîc notandum, *inquit*, quando dicimus, aliquid neceſſarium eſſe ad hoc vel
" illud obtinendum, ex ipſa vi verborum non
" innuitur neceſſitas cauſalitatis, ſed ordi-
" nis. Quamvis itaque conceſſero hanc pro-
" poſitionem, opera bona ſunt neceſſaria ad
" Juſtificationem; non poteſt ſtatim inferri,
" eſſe neceſſaria ut cauſas, multò minùs ut
" meritorias. Verbi cauſa, ſi dixero, ad ob-
" tinendam equeſtrem dignitatem neceſſa-
" rium eſſe adire aulam Regiam, atque coram
" Rege in genua ſe demittere; ineptè quis
" inde intulerit, ipſam acceſſionem, ſive ad-
" geniculationem, eſſe cauſas meritorias ob-
" tentæ hujus dignitatis. Ita & de illis o-
" mnibus ſtatuendum eſt, quæ ex parte no-
" ſtrâ dicuntur ad Juſtificationem obtinen-
" dam neceſſaria.

10. Sed quid ſi hæc criminatio in Doctorem recidat? Quid ſi oſtenderimus, D. *Tullii* de Juſtificatione ſententiam cum Pontificiorum, in eo, quod maximè (ut ipſe alicubi loquitur) Pontificium eſt, omnino conſpirare? Certè res operosâ probatione non indiget. Docent plerique Pontificii, (cujus erroris duces manifeſtos habent ipſos Patres *Tridentinos*) veram de peccatis contritionem haud prorſus neceſſariam eſſe ad Juſtificationem, ſive remiſſionem peccatorum obtinendam; ſolam attritionem ad id in pleriſque ſufficere. Nonne idem docet D. *Tullius?* Certè. Fatetur enim, pœnitentiam quidem aliquam neceſſariò requiri ad Juſtificationem hominis; ſed veram pœnitentiam, ſive contritionem, hominis Juſtificationem antecedere debere, omnino negat: quod ſæpiùs notavimus. Imò hâc in re D. *Tullii* ſententia diſſolutior eſt & pejor Pontificiorum. Nam illi affirmant tantùm, in pleriſque attritionem ſufficere ad Juſtificationem; ille contritionem in nemine juſtificando neceſſariò requiri docet: illi præter attritionem, confeſſionem & ſatisfactionem aliquam poſtulant; ille per ſolam attritionem, neſcio quâ fide (certè nuſpiam in Evangelio oſtensâ) adjutam, remiſſionem peccatorum, ſive Juſtificationem, impetrare poſſe hominem, acriter contendit. Sed de his ſatis.

Conc. Trident. Seſſ. 14. *c.* 4. *de Contritione.*

Vide Juſt. Paulin. p. 30, 31.

11. In capite 12. ſive ultimo, agitur de reconciliatione D. *Pauli* & *Jacobi*; ubi paſſim quidem Harmoniæ Author perſtringitur. Verùm obteſtor Lectorem, ut ſeriò & ſine partium ſtudio legere non gravetur *Harmoniæ* noſtræ Diſſert. poſter. caput 1. & 2. & Exam. Cenſ. Reſp. ad Animad. 15. §. 6, 7, 8. & videbit, quàm fruſtra D. *Tullius* operam hîc ſuam omnem impenderit. Sunt tamen hîc quædam neutiquam prætereunda. Probaverat *Harmoniæ* Author Diſſert. poſter. cap. 2. §. 4. p. 61. *Jacobum* non tantùm fucatæ, ſed & veræ fidei ſolitarium juſtificandi officium detrahere, hôc inter alia argumentô: " Fi-
" des ea, quæ in *Abrahamo* erat, proculdubiô
" vera erat fides, non fidei larva; at fides
" ipſa *Abrahami* ſine operibus ipſum juſtifi-
" care non valuit; dicitur enim ex operibus
" juſtificari, *v.* 21." Jam audi, quid ad hoc
" argumentum reſpondeat D. *Tullius*. " Quî,
" *inquit*, fugere eum potuit, negare adverſa-
" rios, Juſtificationem iſtam fuiſſe coram
" Deo? Hoc itaque eſt τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβά-
" νειν,

Juſtif. Paul. p. 140.

" νεῦν, petitio principii, quô vix ullus in " diſputante moleſtior paralogiſmus: neque " enim hoc eſt diſputare, ſed nugari, & bo- " nas horas malè perdere." Sed quî D. *Tullium* fugere potuit, me, priuſquàm hoc argumento pugnaverim, capite præcedente liquidò demonſtraſſe, Apoſtolum *Jacobum* agere etiam de Juſtificatione hominis coram Deo? Lege, lege, inquam, quiſquis veritatem amas, Harm. Apoſt. Diſſert. poſter. cap. 1. §. 7. & fateberis, me id ipſum quinque argumentis evidentiſſimis, atque omni luce clarioribus probâſſe. Quid ad iſta verò D. *Tullius?* ne γρῦ quidem uſpiam. Itaque hîc ipſi meritò reponuntur ſua ipſius verba: *Certè hoc non eſt diſputare, ſed nugari, & bonas horas malè perdere.*

12. Eodem capite p. 164. D. *Tullius* ſeriò monet *Harmoniæ* Authorem his verbis: " In- " terim ſeriò monendus eſt Diſſertator, ut " ſe ſibi conciliet, & pacem componat domi. " Nam ſi fides juſtifica ſit ſeparabilis à cha- " ritate (quod hic acriter contendit) quo- " modo cultum Dei Evangelicum ſibi con- " junctum habet? quod ipſe ſtatuit p. 84. " quomodo univerſam pietatem comprehen- " dit? p. 85. quomodo demum (ut alia id " genus prætream) vocabulô *Fidei* univer- " ſa obedientia Evangelica exprimitur? p. " 89. Qualem hîc ἀντιλογίαν cernimus?" Verùm ſeriò monendus eſt D. *Tullius*, ut veracitatem & candorem magis in poſterum curæ habeat. Nam ubi, quæſo, Harmoniæ Author dixit (nedum acriter contendit) fidem juſtificam eſſe ſeparabilem à charitate? Ubi hanc Authoris ſententiam invenit D. *Tullius?* In Archivis forſan (ut ipſius utar verbis) *Eutopianis*. Certè percurras Harmoniam noſtram à capite ad calcem, nihil tale reperies. Dico quidem, (quanquam non acriter contendam, utpote qui quæſtionem iſtam ad cauſam noſtram planè ἀπεροδιόνυσον eſſe diſertè monuerim) fidem veram, & in genere fidei perfectam, ibi reperiri poſſe, ubi deſit charitas. Quippe Chriſtianæ fidei ſimplicem virtutem nihil aliud eſſe volo, quàm firmum mentis aſſenſum, Evangelio Chriſti habitum; quicquid autem huic aſſenſui in corde ſive voluntate hominis accedit, effectum eſſe ejus per gratiam Dei efficacis facti, atque ad charitatis virtutem pertinere. Hoc autem fusè & luculenter probavi Exam. Cenſ. Reſp. ad Animadv. 13. Jam firmum illum Evangelio aſſenſum à charitate divelli poſſe, mecum fatetur ipſe D. *Tullius*, & pars Theologorum, etiam Reformatorum, longè maxima. Fidem autem juſtificam à charitate eſſe ſeparabilem, nunquam dixi, aut ſomniavi quidem. Imò contrà ubique contendo, quoties in Scripturis fidei tribuitur Juſtificatio & ſalus, fidem intelligi non ſimplicem virtutem, ſed ſenſu complexô acceptam, quæ nempe per charitatem perfecta ſit.

Harm. Apoſt. Diſſert. poſter. cap. 4. ſect. 7.

13. Quæ in *Auctario* ſuo p. 167, & ſeqq. diſputat D. *Tullius* de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem, quæ tamen ad Juſtificationem nequaquam ſint neceſſaria, de conditionibus in Evangelio requiſitis ac præſcriptis, de diſtinctione inter jus ad rem & jus in re; ea omnia jam à nobis pleniſſimè refutata ſunt Exam. Cenſ. Reſp. ad Animadv. 7. §. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7. & Reſp. ad Animadv. 14. §. 6. Conferat Lector, & judicet. Verùm neutiquam ſilentiô prætereunda eſt egregia Doctoris calumnia (ex animo optârim, nos ad duriora illa vocabula non ipſe adegiſſet) cum inſigni fraude conjuncta, quæ occurrit p. 174. Ibi argumentum Harmoniſtæ quoddam refert his verbis: " Verùm aliunde, nimirum ex " 2 Theſſ. 1. 7. Heb. 6. 10. 2 Tim. 4. 8. " ſic adoritur in hoc Syllogiſmo: Si merces " vitæ æternæ operibus noſtris ex juſtitia de- " tur, tum ex operibus jus ad mercedem il- " lam conſequimur: ſed hoc aſtruunt loci " citati; ergo. Eadem quoque urgentur te- " ſtimonia à *Bellarmino* pro ſuo operum me- " rito, quod ab Harmoniſtæ noſtri jure mihi " quidem nihil diſcrepare videtur." Quis jam, qui de integritate & candore Doctoris perſuaſus ſit, non dejeraret, *Harmoniæ* Authorem, in hoc ſaltem Juſtificationis articulo, purum putum eſſe Pontificium; quin & cum rigidioribus inter Pontificios, Meriti condigni Patronis, omnino ſentire? Sed rurſus exclamare cogimur: proh fidem hominis! Tuis ipſe oculis inſpicias, Lector, Harmoniæ locum, quem hîc exagitat D. *Tullius*, Diſſert. prior. cap. 6. §. 11. p. 49, 50. Ibi citato illuſtri Apocalypſeos loco cap. 22. 14. hæc ſubjicio: " Huic teſtimonio addi poſſunt omnia " illa N. T. loca, in quibus vitam æternam " à Deo operibus noſtris ex juſtitia dari, clarè " aſſeritur, 2 *Theſſ.* 1. 7. *Heb.* 6. 10. 2 *Tim.* " 4. 1. Hinc enim ſic licet argumentari: Si " merces vitæ æternæ operibus noſtris ex " juſtitia detur, ergo ex operibus noſtris jus " ad mercedem iſtam conſequimur: (tale " ſcil. jus quod in gratioſo Dei per Chriſtum " fœdere fundamentum ſuum unicè habeat) " Sunt hæc τῶν πρός τι καὶ ἀντίστροφα. Cui " merces ex juſtitia datur, ille jus ad mer- " cedem illam habeat, neceſſe eſt, & vice " verſâ." Vides jam omiſſa eſſe à D. *Tullio* hæc verba mea: " Tale ſcil. jus, quod " in gratioſo Dei per Chriſtum fœdere fun- " damentum ſuum unicè habeat." Fortaſſe credit, hæc meritò ab ipſo prætermitti potuiſſe, quia ſcil. parentheſi includuntur. Rectè, ſi D. *Tullius* Grammaticum ſe, aut Rhetorem tantùm, non Chriſtianum, non Theologum, non

non Theologiæ Doctorem profiteretur. Nimirum ex hac parentheſi mens & ſententia mea iſtô argumentô pugnantis, ita clarè intelligi poterat, ut iſtiuſmodi cavillo locus non eſſet. Neque ipſum excuſat, quòd poſtea agnoſcat, me fateri, jus, quod habent bona noſtra opera ad vitam æternam, in gratuito per Chriſtum fœdere fundatum eſſe. Nam hanc meam profeſſionem non ἀμέσως & ſuô locô affert, ſed poſt aliquam multa interjecta, & quaſi obiter, & ita divulſam ab iis, cum quibus conjungi debuerat, ut Lector facilè crediderit, me argumentum illud ita crudè attuliſſe, ut ab ipſo recitatur, & verba illa ſaniora mihi alibi, ejus quod antea dixeram, quaſi oblito, excidiſſe. Accedit, quòd neque ibi verba mea integra produxerit, ſed delumbaverit ſententiam, omiſsô vocabulô *unicè*, ex quo ſenſûs mei vera intelligentia præcipuè pendet. Verùm ut ipſi fraudem iſtam condonemus, nunquam certè falſi teſtimonii crimine ſe liberaverit. Ait, videri ſibi, jus, quod *Harmoniſta* tribuit bonis operibus, à *Bellarmini* Meritô nihil diſcrepare. Rogo, an unquam *Bellarminum* ſuper hac quæſtione legerit, necne? Si legerit, fieri certè non poteſt, ut revera credat, me idem cum *Bellarmino* ſentire. Sin *Bellarminum* non conſuluerit, temere de ipſius ſententia noſtræ collatâ pronuntiat, idque in re graviſſima. Ut res tota clariùs eluceſcat, *Bellarmini* & *Harmoniſtæ* doctrinam conferamus. *Harmoniſta* in hoc ipſo loco, quem vellicat D. *Tullius*, expreſsè docet, jus ad vitam æternam aſſequendum, quod operibus noſtris tribui debet, *tale* eſſe, *quod in gratioſo Dei per Chriſtum fœdere fundamentum ſuum unicè habeat*. Et alibi paſſim omne jus & meritum operum noſtrorum ad vitam æternam obtinendum, quod in ſolo Evangelii promiſſo gratuitô non fundetur, ita palàm rejicit, ut nemo, cui ſit vel mica candoris aut modeſtiæ reliqua, non erubuerit contrariam ipſi ſententiam affingere. Vide imprimis Harm. Apoſt. Diſſert. poſter. cap. 18. §. 4, 5. Ibi, inter alia, hæc verba reperies: " Caveat itaque, quiſquis " ſaluti ſuæ conſultum velit, ab imputatrici " illâ ſuperbiâ, neque Deum Opt. Max. ad " calculos vocet, tanquam ſibi ullatenus de- " bitorem. Meminerit, jus illud, quod ha- " bent bona juſtorum opera ad vitam æter- " nam, in pacto ac promiſſo Evangelico uni- " cè fundari; pacti autem illius & promiſſi " fontem eſſe meram ac miram Dei Patris " per Ieſum filium ſuum miſericordiam. " Deinde hanc doctrinam illuſtro dictis aliquot Veterum inſignioribus. Denique ita omnia gratiæ & miſericordiæ divinæ tribuo, ita meritum omne operum noſtrorum repudio, ut negem, Deum nobis vel ex promiſſo ſuo *Debitorem* propriè dictum fieri. Verba mea hæc ſunt: " Quanquam & hæ locutiones ab im- " proprietate vix excuſari poſſunt: ideoque " *Thomas* aliique Scholaſtici dicere malue- " runt, Deum promiſſis non debitorem effici " nobis, ſed ſibi, h. e. decreto voluntatis ſuæ, " quatenus ut promiſſis ſtet, ejus convenit " veritati. " Vides, quale jus ad aſſequendam vitam æternam operibus noſtris tribuat *Harmoniæ* Author. Audiamus jam *Bellarminum*. Ille de Juſtif. lib. 5. cap. 17. hanc quæſtionem proponit diſcutiendam: " Utrùm " opera bona ſint meritoria ex condigno, ra- " tione pacti tantùm? aut ratione operis " tantùm? aut ratione utriuſque? " Deinde ad quæſtionis determinationem progreditur his verbis? " Media ſententia mihi vi- " detur probabilior, quæ docet, opera bona " juſtorum meritoria eſſe vitæ æternæ ex " condigno, ratione pacti & operis ſimul: " non quidem quòd ſine pacto, vel acceptа- " tione non habeat opus bonum proporti- " onem ad vitam æternam; ſed quia non te- " netur Deus acceptare ad illam mercedem " opus bonum, quamvis par & æquale merce- " di, niſi conventio interveniat. Quam ſenten- " tiam conformem eſſe non dubitamus Con- " cilio Tridentino, *&c.*" Unde liquet, juxta *Bellarminum* (quocum ſentit † *Suarez*) rationem meriti condigni duobus compleri, nempe intrinſecâ dignitate operis, & accedente promiſſione Dei: ita ut opus bonum, prout fit ab operante, cùm habeat ſufficientem proportionem & valorem reſpectu præmii, egeat tamen Dei promiſſione tantùm ad inducendam obligationem ex juſtitia, ex qua illi debeatur præmium. Res hôc exemplô illuſtrari poterit. Fac aliquem alterius prædium emere voluiſſe, ipſique juſtum & condignum ejus pretium obtuliſſe; nequaquam teneretur poſſeſſor de jure ſuo cedere, abſque libera aliqua ipſius pactione & conventione interveniente. Hanc genuinam eſſe *Bellarmini* ſententiam, tum ex loco allato, tum ex iis, quæ alibi paſſim apud ipſum occurrunt, nimis manifeſtum eſt. Jam verò Doctorem pudeat dixiſſe, videri ſibi, *Bellarmini* Meritum à jure, quod operibus bonis tribuit *Harmoniſta*, nihil diſcrepare. Magis verò ipſum pudeat affirmâſſe generatim, (quod facit cap. 11.) nos cum

† *Debitum fidelitatis nititur promiſſionis veritate: at debitum, de quo modò agimus, quamvis requirat promiſſionem, & in ea potiſſimùm fundetur, tamen operibus commenſuratur & proportionatur.* Suarez. in 3. Thom. Tom. 1. Diſp. 4. Sect. 5. Sect. *quod ſi* &c.

cum Pontificiis, (ne exceptis quidem rigidiſſimis) in hac de Merito quæſtione omnino conſpirare. Nam *Bellarminus* (à quo tamen longè diſſentimus) modeſtus ac temperatus fuit in hac controverſia præ aliis Pontificiis. Neque enim deſunt in Eccleſia Romana Doctores (pudeat matrem tales filios nutriiſſe) qui confidenter decernunt, valorem & dignitatem vitæ æternæ, abſque ullo pacto Dei, aut favore, operibus noſtris adſcribendam eſſe: ac proinde nec merita Chriſti, nec promiſſionem Dei, nec ullum aliud pactum, ſeu favorem, ad ipſam rationem meriti pertinere. Scil. hanc ſententiam apertè & acriter propugnat *Vaſques* in 1, 2. qu. 114. Diſp. 214. cap. 4. Et pro eadem ſententia allegantur ab ipſo *Bellarmino Cajetanus*, *Dominicus à Soto*, & alii.

SECTIO IX.

Ad Diſſertatiunculam de Sententia Paulina Rom. 7. â Comm. 14.

1. REſtat D. *Tullii* Diſſertatiuncula, de ſententia Apoſtoli *Pauli* in cap. 7. ad *Romanos*, à nobis accuratiùs examinanda. Hîc quidem de eo, quod præſtitit, mirè gloriatur; & ipſe ſibi malô more palmam adjudicat. Sed adagium, quô utitur, meritò ipſi reponendum videtur: *Qui induit loricam, ne glorietur, ut is qui exuit.* In ipſo Diſſertatiunculæ ingreſſu *Harmoniſtam* arguit ingentis confidentiæ, quòd auſus fuerit dicere, ſententiam illam, quæ ſtatuit, *Paulum* de ſe loqui *Rom.* 7. à Comm. 14. non modò gravibus incommodis, ſed etiam abſurditatibus planè palpabilibus laborare. Sed judicet æquus Lector, an quicquam hîc dixerit *Harmoniæ* Author, quod non liquidò probaverit.

Diſſert. p. 2.

2. Verùm ut noſtræ affirmationi apud imperitos invidiam conciliaret, ita pergit: " Primùm autem, utinam ſeriò ſecum antè " perpendiſſet (ſi tamen, quod puto, novit) " in quos & quanta nomina gravis hujus in- " vidiæ procella præceps decidat. Quid enim " ſi unum fortè, aut alterum Theologum " Neotericum, (quanquam & eximium) non- " nullos etiam ex Veteribus, ſibi ſuffragan- " tes habeat? An ergo tot reliquos (doctri- " nâ, judiciô, pietate pares ſaltem) eâ ſtatim " cranii teneritudine affectos ſequetur, ut " abſurditatibus planè palpabilibus labo- " rent? " Mox addit: " Inter harum ſcil. " abſurditatum Patronos, poſt excitatam à " Pelagio curam & ἀγχίνοιαν, omnes reperiri " Patres, & potiſſimùm Latinos, (adjunctô " etiam Hilariô ante Pelagium) valdè ſu- " ſpicor. " Scilicet perſuadere hîc voluit credulo Lectori, 1. *Harmoniæ* Authorem non admodum multos ex Veteribus ſibi ſuffragantes habere; unde & poſtea diſertè affirmat,

P. 1, 2.

P. 5.

multò plures eſſe, inter Eccleſiæ Sanctos notoſque Doctores, diſſentientes: 2. *Harmoniſtæ* adverſari penè, ſi non planè, omnes Patres poſt *Pelagium*: 3. Unum tantùm & alterum Theologum Neotericum eximium ſententiæ noſtræ favere. Quàm verò liquidò falſa ſint hæc omnia, nunc oſtendendum eſt.

3. Ad primum quod attinet, contra Doctorem affirmo, longè maximam partem antiquiorum Patrum interpretationi, quam propugnamus, adſtipulari. Allegantur pro noſtra ſententia à doctiſſimo & fideliſſimo Scriptore *Gerardo J. Voſſio Irenæus* lib. 3. c. 22. *Tertullianus* lib. de Pudicitia cap. 17. *Macarius* Homil. 1. *Baſilius* in Pſal. 1. & Exhort. in Baptiſmum, cujus lemma: *quòd inſtruendi monendique ſunt ad Baptiſmum venientes. Cyrillus* contra *Julianum* lib. 3. & Epiſt. ad *Succeſſum*, & lib. 1. de recta fide ad Reginas Item *Origenes*, *Chryſoſtomus*, *Theodoretus*, Scriptor Commentariorum *Ambroſio* tributorum, & *Theophylactus* Notis in cap. 7. ad *Rom.* Afferuntur ab aliis, nec minori fide, *Cyprianus*, aut alius Scriptor antiquus, Prologô de Cardinalibus Chriſti operibus. *Paulinus* in Epiſt. 2. ad *Severum Sulpitium*. *Damaſcenus* de Orthodox. fide lib. 4. cap. 23. Additur ab ipſo *Eſtio*, qui tamen interpretationi noſtræ adverſatur, inter Græcos *Oecumenius*, inter Latinos *Sedulius*: quibus à *Grotio* annumeratur *Maximus*. Ad cumulum adjiciam, è ſpicilegio meo, teſtimonia, nondum, quod ſciam, ab aliis obſervata, ſex veterum Doctorum: quorum unus omnium fere antiquiſſimus; alius antiquiſſimis proximus; cæteri omnes ſatis antiqui & in Eccleſia Chriſti probati Scriptores.

Hiſt. Pelag. L. 2. *Part.* 1. *Theſ.* 2. *p.* 148.

in Rom. 7. *v.* 14.

Diſcuſſ. p. 192.

4. *Justinus* Martyr Epistolâ ad *Zenam* & *Serenum* : Σάρκες γὰρ ἀκμὴν ἐσμεν, καὶ ὅλως ἡμῖν ἀγαθὸν ἐνοικεῖ. Παρακλητέον ἓν τὸν ἰατρὸν πρὸς τὴν θεραπείαν. Ὁ γὰρ ἔτω διακείμενος ἰαθήσεται, καὶ τὴν νόσον φεύξεται· *i. e.* " Caro " enim prorsus sumus, neque quidquam in " nobis inhabitat boni. Advocandus igitur " ad curam Medicus. Et qui ita anima- " tus fuerit, sanabitur, & morbum effugiet." Respicere hîc beatissimum Martyrem locum *Paulinum* in capite 7. ad Romanos, nemo non videt Scil. ipsissima ferè capitis verba v. 18. hîc recitantur : & satis clarâ paraphrasi exprimuntur verba v. 14. *Ego sum carnalis*. Neque minùs perspicuum est, accommodare Justinum illa Apostoli verba ad hominem non renatum, sive extra statum gratiæ ac salutis existentem. Nam primò verba illa Apostoli, *ego sum carnalis*, ita paraphrasticè exponit : σάρκες ἀκμὴν ἐσμεν, i. e. *prorsus*, *omnino*, *summè caro sumus*. Nam ea est vis vocis ἀκμὴν. Sic *Isocrates* ad *Demonicum* : ἀκμὴν φιλοσοφεῖς, *summô studiô philosopharis*. Quis hæc de homine per Spiritum Christi renato dici existimet? Deinde disertè loquitur de iis, qui nondum Christum Medicum advocaverint, hoc est, qui extra Christum sunt. Denique de morbo & vitio expressè loquitur, à quo, quicunque Christum Medicum advocârunt, liberantur. Clarum est igitur, *Justinum* Martyrem, qui in prima Apostolorum διαδοχῇ floruit, nostræ interpretationi omnino consensisse. *Clemens Alexandrinus*, Doctor Ecclesiæ eruditissimus, qui seculô secundô vixit, & magni illius *Pantæni* discipulus fuit, Strom. 3. postquam verba *Platonis* citaverat dicentis, " Philosophi animam p. 433. " corpus maximè vilipendere, & ab eo fu- " gere, & secum seorsim esse quærere ;" hæc subjicit : Καὶ μήτι συνᾴδει τῷ θείῳ Ἀποστόλῳ λέγοντι· ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος, τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου ; εἰ μὴ τὴν ὁμοφροσύνην τῶν εἰς κακίαν ὑποσυρομένων, σῶμα θανάτου τροπικῶς λέγει. *i. e.* " Nunquid autem consentit cum divino " Apostolo, qui dicit : infœlix ego homo, quis " me liberabit à corpore mortis hujus? Nisi " fortè eorum consensionem, qui in impro- " bitatem trahuntur, corpus mortis dicit tro- " picè." Quærit, an locus iste *Paulinus* quicquam faveat isti Platonis sententiæ ; & corrigit errorem, adhibitâ Catholicâ expositione ; nempe, *corpus mortis* tropicè ibi dici de *eorum consensione*, *qui in improbitatem trahuntur* ; quibus verbis status hominis nondum renati, adeoque improbi, clarè exprimitur. Accedit, quod dicit, *consensionem eorum*, non *suam* ; manifestè indicans, Apostolum ibi aliorum personam sustinere. *Marcus* Eremita de Baptismo Interrogationem quorundam sic proponit : Οὐκοῦν ὁ Παῦλος μετὰ τὸ βάπτισμα ἥμαρτεν, ὅτι ἑκουσίως ἐνεργεῖτο ; λέγει γάρ, ὅτι βλέπω ἕτερον νόμον ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοός μου. *i. e.* " Nunquid igitur *Pau-* " *lus* post acceptum Baptisma peccavit, quia " sponte agitabatur? Ait enim : video enim a- " liam legem repugnantem legi mentis meæ." Interrogationi autem sic respondet : Οὕτω καὶ τὰς λοιπὰς γραφὰς οἱ κακῶς νοοῦντες διαστρέφουσι, καὶ πλανῶνται. ἀνάλαβε γὰρ ἄνωθεν τὸ κεφάλαιον τοῦτο, καὶ εὑρήσεις, ὅτι ὁ ἅγιος Παῦλος οὐ λέγει περὶ ἑαυτοῦ μετὰ τὸ βάπτισμα, ἀλλὰ τὸ τῶν ἀπίστων Ἰουδαίων πρόσωπον λαμβάνει, πείθων αὐτούς, ὅτι χωρὶς χάριτος Χριστοῦ διὰ τοῦ βαπτίσματος δεδομένης, ἀδύνατον περιγενέσθαι τῆς ἁμαρτίας. *i. e.* " Hunc " in modum reliquas Scripturas malè senti- " entes pervertunt, & errant. Repete ca- " pitulum istud è superioribus, & reperies, " sanctum *Paulum* non loqui de se ipso post " acceptum baptisma ; sed infidelium Judæ- " orum assumere personam, persuadentem " illis, non posse fieri, ut sine gratia Christi, " quæ per Baptismum confertur, superetur " peccatum." Ubi & eos, qui locum *Paulinum* aliter exponunt, unà cum Heterodoxis, malè sentientibus, & S. Scripturas pervertentibus annumerat. *Beatus Dorotheus* Doctrinâ 1. Ἀνανέωσεν αὐτὸν πεσόντα ἄνθρωπον γενόμενος ἄνθρωπος· ὃν καταδυναστευθέντα τῇ ἁμαρτίᾳ ἐλευθέρωσε, τὴν βίᾳ ὑπ' αὐτῆς κρατούμενον. Βίᾳ γὰρ καὶ τυραννίδι ἦγετο ὑπὸ τοῦ ἐχθροῦ ὁ ἄνθρωπος· καὶ σχεδὸν καὶ οἱ μὴ θέλοντες ἁμαρτῆσαι, βίᾳ ἡμάρτανον, ὡς λέγει Ἀπόστολος ἐν προσώπῳ ἡμῶν· Οὐ γὰρ ὃ θέλω ἀγαθὸν, τοῦτο ποιῶ, ἀλλ' ὃ οὐ θέλω κακὸν, τοῦτο πράσσω. Γενόμενος ἓν Θεὸς ἄνθρωπος δι' ἡμᾶς, ἐλευθέρωσε τ' ἄνθρωπον τυραννιδος τοῦ ἐχθροῦ. *i. e.* " Renovavit ipsum lapsum homi- " nem homo factus (Dei Filius) : & pec- " cato servientem & vi ab ipso subactum ma- " numisit. Violentiâ enim & tyrannide pec- " cati sub jugo trahebatur ab hoste infœlix " homo : invitusque & nolens fere peccare " cogebatur ; ut ait de seipso Apostolus sub " nostra persona : *Non enim quod bo-* " *num volo*, *hoc facio* ; *sed quod nolo ma-* " *lum*, *id operor*. Deus igitur factus homo " propter nos, hominem à tyrannide ini- " mici liberavit." Lege, si vacat, quæ ibidem sequuntur. S. *Pacianus* Episcopus Serm. de Baptismo : " Quæ igitur spes hominis ? " sine lege ideo periit, quia peccatum vi- " dere non potuit ; & in lege ideo, quia in " id ipsum, quod videbat, incurrit. Quis " ab interitu potuit liberare ? Audite Apo- " stolum : *Miserrimus ego homo! quis me* " *liberabit à corpore mortis hujus ?* Gratia, in- " quit, *per Dominum nostrum Jesum Chri-* " *stum*." *Ennodius* Epistolarum lib. 2. Epist. 19.

Bibliothec. Pp. Tom. 11. p. 921, 922. *Parisi.* 1644.

Bibliothec. Pp. Tom. 11. p. 750.

Bibliothec. Pp. tom. 3. *p.* 76.

Bibliothec. Pp. Tom. 15. p. 240.

19. ad *Conſtantium* : " *Velle adjacet mihi,* " *perficere autem non invenio.* Quid eſt a- " liud, niſi dicere : novi dextrum iter eli- " gere ; ſed niſi ingredientem juverit gratia " ſuperna, laſſabor ?

5. Viginti & duos probatos Eccleſiæ Doctores, pro noſtra ſententia confirmanda adduximus. Jam D. *Tullius* conſcribat & luſtret (ut cum ipſo loquar) exercitum ſuum, & cum noſtro conferat. Ex Patribus, qui tribus primis ſæculis floruerunt, quorumque ſcripta hodie extant, pro D. *Tullii* interpretatione (quanquam non ab ipſo) unus affertur *Methodius*, qui tertiô ſæculô vergente floruit. Et tamen ipſe locum expoſuit longè aliter, quàm ab iis, quos ſequitur D. *Tullius*, factum eſt, uti fusè oſtendit *Grotius* ; ut liquidò affirmare poſſimus, noſtram *Paulini* hujus loci interpretationem, in primæva Eccleſia (quæ ſine dubio optimè intellexit ſacrorum oraculorum δυσνόητα, recens derivatâ ſcil. ab ipſis Apoſtolis veri ſensûs traditione) communiter receptam atque approbatam fuiſſe. Ante *Auguſtinum* quatuor omnino Eccleſiæ Doctores à noſtris in hac cauſa adverſariis, pro ſua expoſitione confirmandâ, allegantur ; nempe *Methodius*, quem modò commemoravimus ; *Hilarius*, *Gregorius* Nazianzenus, & *Ambroſius*. Sed de *Gregorio* Nazianzeno nondum mihi conſtat, ipſum de homine verè regenito locum controverſum intellexiſſe : certè id non probat teſtimonium ex ipſo allatum ab *Auguſtino* lib. 2. contra *Julian.* cap. 3. Imò alicubi in *Carminibus* (ſi memini) contrariam interpretationem non obſcurè tradit. Sic ibidem pro ſe allegat *Auguſtinus Cypriani* locum, de Oratione Dominica ; ubi conſtat, non agere beatiſſimum Martyrem de cap. 7. ad Romanos, ſed de 5. ad *Gal.* v. 17. inter quæ duo loca latum eſſe diſcrimen, alicubi clarè oſtendi. * Ad *Ambroſium* quod attinet, cùm is de ſententia Paulina, in v. 15. & ſeqq. idem quod *Auguſtinus* ſenſerit ; id tamen nobis largitur, unde *Auguſtiniana* interpretatio funditus evertatur. Nimirum exponit verba illa v. 14. *Ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato*, de homine improbo. Sic enim ille lib. de *Iſaac* & *anima* cap. 2. " Ubi anima pro homine ponitur, ſignifica- " tur Deo adhærens, non corpori ; ut eſt il- " lud : *Anima benedicta omnis ſimplex.* Ubi au- " tem caro pro homine nuncupatur, pecca- " tor exprimitur ; ut eſt illud : *Ego autem* " *carnalis ſum, venundatus ſub peccato.*" Sed demus quatuor illos Scriptores de interpretatione hujus capitis idem planè cum *Auguſtino* ſenſiſſe ; qualem, quantumque iſtis paucis Catholicorum Doctorum exercitum opponimus ! nempe *Juſtinum* Martyrem, *Irenæum*, *Clementem* Alexandrinum, *Tertullianum*, *Cyprianum*, *Origenem*, *Macarium*, *Baſilium* magnum, *Cyrillum*, *Chryſoſtomum*, Scriptorem Commentariorum *Ambroſio* tributorum, S. *Pacianum*, &c. qui omnes ante *Auguſtinum* floruerunt. Ad *Auguſtinum* verò quod ſpectat, ipſi opponimus ipſum, antequam à Pelagiano conflictu incaleſceret : & obnixè rogamus Lectorem, ut ea, quæ de hoc loco, communem priorum Patrum ſententiam ſecutus, ſcripſit Quæſt. 66. lib. 83. Quæſtionum, & in Quæſtionibus expoſitis Epiſtolæ ad Romanos, nec non Quæſt. 1. ad *Simplicianum*, liberô judiciô conferat cum interpretatione, quam poſt exortam Pelagii hæreſim quæſivit, & rationibus, quibus perſuaſus fuit, ut eam amplecteretur, ab ipſo expoſitis lib. 1. *Retractationum* cap. 23. & 26. & lib. 2. cap. 1. Quod ſi fecerit, nulli dubitamus, quin *Antepelagianum* hîc *Auguſtinum* (ſi ita loqui fas ſit) *Auguſtino Antipelagiano* longè præpoſiturus ſit. Verè dixit vir magnus : " Famili- " are fuit Auguſtino, mutare ſententiam, & " non ſemper in melius. Olim negaverat, " Deum corporis clarificati oculis videri poſ- " ſe ; contrà ſenſit poſtea, & in ea ſententia " eſt mortuus. "

p. 9.

Diſcuſſ. p. 250. & ſeqq.

6. Illud mantiſſæ loco hîc addendum (quod à viris doctis obſervatum fuit) interpretationem hodiernorum Theologorum, quibuſcum D. *Tullius* ſentit, à ſenſu & mente ipſius *Auguſtini* longiſſimè diſtare. Nimirum iſti bonum illud, quod Apoſtolus ait velle ſe quidem, at non facere, & illud malum, quod nolle ſe dicit, at facere tamen, interpretantur de malo & bono actuali : malum explicantes factum ipſum, quod ex concupiſcentia carnis contra Spiritûs concupiſcentiam, voluntate conſentiente, patratur ; bonum verò itidem de ipſo facto explicantes, quod quis ſecundùm Spiritum quidem facere concupiſcit, ſed, impediente carnis concupiſcentiâ, actu ipſo non præſtat. Contrà *Auguſtinus* apertè docet, locum Apoſtoli, ſi de actualibus peccatis explicetur, non poſſe de regenito intelligi ; ſi verò de regenito explicandus ſit, neceſſariò de concupiſcentiæ tantùm internis actibus, quibus homo non conſentiat, intelligendum eſſe. Sic enim ille lib. de Nuptiis & Concupiſcentia cap. 31. " Apoſtolus autem ſubjungit, & di- " cit : *Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei,* " *carne autem legi peccati* ; quod ſic intelli- " gendum eſt : mente ſervio legi Dei, non " conſentiendo legi peccati ; carne autem ſer- " vio legi peccati, habendo deſideria pecca- " ti, quibus etſi non conſentio, nondum ta- " men penitus careo." Idem lib. 1. contra duas Epiſt. Pelag. cap. 10. " Atque inde " concludit : *Igitur ipſe ego mente ſervio legi* " *Dei,*

* *Harmon. Apoſt. Diſſert. poſter. cap. 9. §. 23. ſeqq.*

" *Dei, carne autem legi peccati*; carne ſcil. " legi peccati concupiſcendo, mente autem " legi Dei non conſentiendo." Idem adverſus Julian. lib. 5. cap. 5. " Noli ergo facere quod " pati non vis, & dicere, quòd invitemus ad " dulcia facta, quibus Apoſtolum recitamus " dicentem: *Scio quia non habitat in me, hoc* " *eſt, in carne mea, bonum.* Etſi enim non " hoc perficiant bonum quod volunt, ut non " concupiſcant, faciunt tamen bonum, ut " poſt concupiſcentias ſuas non eant." Ad eundem modum & alibi paſſim. Poterit ergo aliquis D. *Tullii* interpretationem abſurditatis damnare, ſalvô *Auguſtini* honore. Neque tamen defuere Viri doctiſſimi, & *Auguſtino* quod ſatis eſt tribuentes, qui ejus expoſitionem liberâ cenſurâ perſtrinxerunt. Sic magnus *Eraſmus* in *Rom.* 7. v. 25. " Certè, " *inquit*, hoc agit Auguſtinus adverſus duas " Epiſtolas Pelagianorum lib. 1. cap. 8. & " aliquot ſequentibus, ut totus hic locus com- " petat Paulo vel puero, vel ſub lege pecca- " ti, vel ſub gratia ſentienti motus affectuum, " licèt non aſſentienti; ſed adeo durè mul- " ta torquens, ut magis conveniat, *Paulum* " humani generis perſonam in ſe recipere, " in quâ eſt Ethnicus exlex, Judæus carna- " lis ſub Lege, & ſpiritualis per gratiam li- " beratus." Ac ſane (ut quod res eſt dicamus) quid iſtâ interpretatione durius aut coactius, quæ phraſes Apoſtolicas, *carnalem eſſe & peccati vernam, operari malum, ad faciendum, quod bonum eſt, eſſe inhabilem, à lege peccati captivum duci, legi peccati ſervire*, accommodat homini ſub gratia quidem ſentienti motus affectuum, ſed ipſis nullatenus aſſentienti? Neque tamen D. *Tullio* ſuiſque magnopere repugnaremus, ſi *Auguſtinianâ* interpretatione (quæ ut ſatis abſurda ſit, per ſe tamen eſt innoxia) contenti eſſent; ſed illi nimirum exiſtimâſſe videntur, interpretationem iſtam (ut cum D. *Tullio* loquar) *ad fidelium ſolamen haud permagni referre.* *Differt. p. 1.*

7. Ad ſecundam Doctoris ſive aſſertionem, ſive ſuſpicionem pergamus; nempe, poſt *Pelagium* omnes Patres, potiſſimùm Latinos, à partibus ſuis ſtare. Quàm longiſſimè hoc à vero abeſt! Nam Græci Doctores, etiam poſt *Auguſtinum* & *Pelagium*, conſtanter adhæſere primitus receptæ atque approbatæ in Eccleſia Catholica interpretationi: quod ſatis teſtantur *Theodoretus*, *Theophylactus*, *Oecumenius*, *Damaſcenus* & alii. Scilicet Græcis illis vel non tam nota, vel tantâ admiratione non excepta fuere *Auguſtini* Scripta: cujus Doctoris eximii nimia veneratio (cogimur verum fateri) multos in Eccleſiis Latinis à priorum Patrum communiori ſententia, tum in hac re, tum in aliis, ad placita ipſius fere peculiaria amplexandum abduxit. Neque tamen vel illud verum eſt, Patres omnes *Latinos* poſt *Auguſtinum*, ipſum ſecutos eſſe. *Ennodium* & *Sedulium* jam oſtendimus à partibus noſtris ſtare. *Primaſius* & *Haimo* utramque interpretationem, nempe *Auguſtini* & vetuſtiorem, miſcent, notante *Eſtio*. *Beda* quoque dubius eſt, & neſcius utram expoſitionem certò amplectatur. Sic enim ſcribit in 7. ad *Rom.* ad verba illa, *Scimus quia lex ſpiritualis eſt*: " Fortè ergo alius eſt aliquis, fortè tu es; aut tu " es, aut ego ſum. Si ergo aliquis noſtrûm eſt, " ipſum quaſi de ipſo audiamus, & non irati " corrigamus nos. Si autem ipſe eſt, non ſic " intelligamus, quod dixit: *Non quod volo,* " *ago, ſed quod odi, illud facio*; tanquam vel- " let eſſe caſtus, & eſſet adulter; aut vellet " eſſe miſericors, & eſſet crudelis; aut vellet " eſſe pius, & eſſet impius. Sed ad quid? " volo non concupiſcere, & concupiſco." Ex poſterioribus, qui tamen *Neotericis* non ſolent annumerari, noſtri ſunt, ſatente *Eſtio*, *Lyranus* & *Carthuſianus*.

8. Reſtat tertia atque ultima Doctoris aſſertio à nobis paucis expedienda. Ait, unum tantùm & alterum Theologum Neotericum eximium interpretationi noſtræ favere. Quid hoc, ſi verum ſit? Certè in Scripturis interpretandis Eccleſiæ primitivæ conſenſum, Neotericorum omnium, quotcunque, quanticunque ſint, judicio longè præferendum eſſe, palàm ac liberè profitemur. Sed & illud quoque à vero longè abeſt. Noſtræ enim interpretationi favent non modò *Faber* Stapulenſis, *Eraſmus*, *Iſidorus Clarius*, *Zegerus*, Cardinalis *Toletus*, aliique multi in Romana Eccleſia doctiſſimi interpretes; ſed & inter noſtros *Caſtellio*, *Wolfangus Muſculus*, *Bucerus*, (qui hactenus ſaltem nobiſcum conſentit, ut *Paulum* in c. 7. ad *Rom.* de ſe loqui omnino neget) *Grotius*, *Voſſius*, *Amyraldus*, & qui ipſi in Gallicana Eccleſia reformata adſtipulati ſunt, nec pauci, nec minimi: atque inter noſtrates Doctor profundus, *Jackſonus*, clariſſimus *Hammondus*, maximi ingenii, eruditionis, & pietatis Præſul *Tailerus*, *Farindonus* οἱ μακαρίτα, & innumeri Theologi eximii, qui hodieque Eccleſiæ Anglicanæ ornamento ſunt, ſimulque ab ipſa meritô ſuô ornantur.

9. Quod poſthæc à D. *Tullio* ſubjicitur, de Catechiſmo *Tridentino*, ad nos nihil attinet. Illud tantùm dicimus, vetus adagium hîc locum habere: *dignum patellà operculum.* Sane enim optimè convenit interpretatio illa loci *Paulini* Catechiſmo, in quo, præter alia dogmata Chriſtianæ pietati noxia, clariſſimè docetur, veram de peccatis contritionem non eſſe omnibus neceſſariam; imò paucos admodum Chriſtianos illam aſſequi, ideoque ad defectum ejus ſupplendum, ex ſumma Dei indulgentia, ſubſtitutum eſſe *Abſolutionis* Sacramentum, *Vid. Catechiſ. Trident. part. 2. cap. 5. de pœnitentia. n. 29, 30, 31, 32. coll. n. 24, 25, 26, 27*

mentum, quò ſcil. *faciliori ratione communi hominum ſaluti conſuleretur.*

Diſſert. p. 7. & ſeqq.

10. Ad ea verò, quæ de Sanctæ Eccleſiæ Anglicanæ judicio mox ab ipſo annectuntur, omnino attendendum. Sed illud hîc cogimur præfari: Doctoris haud ferendam eſſe temeritatem, pro Eccleſiæ Anglicanæ decretis placita ſua fere omnia venditantis. Non licet nobis, vel de unius loci Scripturæ interpretatione ab ipſo diverſum ſentire, quin mox voci Eccleſiæ noſtræ obſtrepamus. Quaſi verò mitiſſima Mater in ejuſmodi piſtrinum filios ſuos coegiſſet, ut integrum non ipſis eſſet, ad ſenſum locorum S. Scripturæ difficiliorum inveſtigandum, quid ſenſerint vetuſtiſſimi probatiſſimique in Eccleſia Doctores, liberè diſquirere, eorumque conſenſum ſequi. Imò certè hoc nos jubet, hoc in mandatis dedit, uti ſuprà oſtenſum eſt. Sed nimirum per totum librum ſuum id unum agit D. *Tullius*, ut Adverſarius ſuus, quô jure quâve injuriâ, pro hoſte pariter Eccleſiæ Anglicanæ habeatur: ad id torquere Articulos, pervertere Homilias ipſi viſum eſt. Utinam verò ſecum antè ſeriò perpendiſſet, (ut ipſius utar verbis) in quot & quanta nomina gravis hujus invidiæ procella præceps decidat. De Harmoniſta quidem, nullius pretii homunculo, haud multùm ſolliciti ſumus: ſed quid fiet de Theologis, quos modò commemoravi, maximis Eccleſiæ noſtræ luminibus & ornamentis, quibuſcum & in hac re, & in aliis ille ſentit, ſi iſte D. *Tullii* ſpiritus prævaleat? Nunquid & ipſi, ut ſpurii, immorigeri & Matri ſuæ obſtrepentes filii rejiciendi? Sane id ſi unquam obtigerit, (quod omen avertat Deus) neſcio, unde tantum Eccleſiæ damnum reſarciri poſſit, aut ubi Mater dilectiſſima filios magis genuinos & ſe dignos inventura ſit. Verùm ad rem ipſam accedamus. Argumenti, quô probare nititur, nos in expoſitione loci *Paulini* Eccleſiæ Anglicanæ contradicere, hæc ſumma eſt. In articulo nono hæc obſervanda: 1ò. Peccatum originis depravationem eſſe naturæ ab *Adamo* propagatæ cujuſlibet hominis. 2ò. Per hanc depravationem hominem ab originali juſtitia quàm longiſſimè diſtare. 3ò. Ipſammet hanc depravationem manere in renatis. 4ò. Hoc fateri Apoſtolum, nempe *Paulum*. 5ò. Ad illud probandum citari quidem verba tantùm Epiſtolæ ad *Galat.* cap. 5. v. 17. ſed hoc nihil obſtare; ſiquidem conſtat locum Apoſtoli in Epiſt. ad *Gal.* cap. 5. v. 17. ejuſdem planè ſententiæ eſſe cum cap. 7. Epiſt. ad *Rom.* v. 19. Atque hinc tandem efficitur, Eccleſiæ Anglicanæ Patres ſenſiſſe, verba Apoſtoli in cap. 7. ad *Rom.* à v. 14. de homine regenito omnino intelligi debere. Scilicet vis lepidi hujus argumenti hôc unô fundamentô nititur, locum Apoſtoli in Epiſt. ad *Galat.* cap. 5. v. 17. ejuſdem omnino ſententiæ eſſe cum cap. 7. Epiſt. ad *Rom.* v. 19. Sed hoc fundamentum jam à nobis everſum eſt Harm. Apoſtol. Diſſert. poſter. cap. 9. §. 23, 24, 25. ubi clarè oſtendimus, loca iſta convenire quidem in hôc, quòd in utroque lucta quædam in homine deſcribatur; at luctam iſtam longè diverſiſſimam eſſe, ſeu luctatores, ſeu luctæ & certaminis eventum reſpiciamus. Quid verò ad iſta D. *Tullius?* ne γεὺ quidem. Hoccine eſt candidum atque ingenuum Diſputatorem agere? Sed viderit D. *Tullius*, ne hoc argumentum in caput ipſius recidat. Si Patres Eccleſiæ noſtræ credidiſſent, locum Apoſtoli ad *Rom.* 7. de homine regenito omnino exponendum eſſe, certè iſtum imprimis locum citâſſent ad probandam concluſionem ſuam, nempe concupiſcentiam etiam in renatis manere; ſiquidem locus ille ita intellectus ad eam theſim confirmandam omnium appoſitiſſimus ſit. Atqui planè aliter faciunt; omiſſô locô iſtô, alterô ex Epiſt. ad *Galat.* utuntur, quem omnes de homine ſub gratia Evangelii conſtituto exponunt. Jam ad ea omnia, quæ D. *Tullius* ſive ex Patribus, ſive ex Eccleſiæ *Anglicanæ* Articulis, contra noſtram capitis 7. Epiſt. ad *Rom.* interpretationem attulit, ſatis, ut arbitror, reſponſum eſt. Judicet verò tandem Lector cordatus, annon liceat mihi verba Doctoris ipſi hîc regerere:

Diſſert. p. 9.

" Nunc autem ſatis conſtare puto, quàm pe-
" riculoſum ſit, ut in re magna triumphos
" quis agat, priuſquam exercitum conſcripſe-
" rit, ſimul & luſtraverit.

11. Ab authoritatibus & ſuffragiis Doctorum tandem ad loci ipſius conſiderationem progreditur D. *Tullius*. Integrum autem mihi eſſet, quæ hîc ab ipſo dicta ſunt, omnino prætermittere, atque Lectorem ad Harm. Apoſt. Diſſert. poſter. cap. 9. remittere. Certè enim quiſquis attentè & abſque partium ſtudio caput illud noſtrum legerit, & cum iis, quæ à Doctore in Diſſertatiuncula ſua contrà afferuntur, contulerit, is per ſe facilè perſpecturus, (niſi vehementer fallor) argumentis meis nullatenus ſatisfactum eſſe; ſolutiones verò meas ad partis adverſæ argumenta etiamnum intactas atque inconcuſſas manere. Verùm ne tergiverſari videar, quæ ab ipſo objiciuntur, ſingula breviter perſtringere non gravabor. Harm. Apoſt. Diſſert. poſter. §. 8. contra eam, quam D. *Tullius* amplectitur, interpretationem ita argumentor: " Primò ſup-

P. 183.

" ponit (*interpretatio illa*) Apoſtolum ſer-
" monem hîc interſerere planè ἀπροσδιόνυσον,
" & ab inſtituto ſuo remotiſſimum. Etenim
" luce clarius eſt, ipſum circa initium capitis
" loqui de inefficacitate Legis ad homines à
" peccati dominio liberandos; imò oſtende-
" re, tantum abeſſe, ut Lex id præſtet, ut
" contrà vim pravæ cupiditatis irritet atque

" augeat. Ex ea doctrina, non ex ulla alia, " naſcuntur objectiones, quas Apoſtolus v. 7. " & 13. diſcutiendas ſuſcepit. Eſt autem o- " mnino abſurdum atque abhorrens, Apoſto- " lum objectionibus ex Legis inefficacitate in " iis, qui gratiâ Evangelii carent, deſcriptio- " ne & repræſentatione ſtatûs ſui ſub Evan- " gelio reſpondere." Ad hæc D. *Tullius*, poſtquam parum civiliter & acerbè nimis Harmoniſtæ rurſus juvenilem ætatem exprobraverat, ita reſpondet: *Differt. p. 10.* " Quî, quæſo, potuit " Apoſtolus homines ἐξομαυῆντας (licèt " omnis veræ pietatis expertes) ad Evangelii " gratiam & Juſtitiam efficaciùs invitare, " quàm ſuô ipſius exemplô? Qui cùm ipſe " olim ſub lege fuerat, nihil profecit, donec " in gratiam Evangelii per fidem reciperetur." Miror tale reſponſum Viro docto excidere potuiſſe, quod nodum adeo non ſolvit, ut ne attingat quidem. Præterea huic reſponſioni id ſubeſt, quod manifeſtè falſum eſt; nempe Apoſtolum v. 14. & ſeqq. ſtatum hominis deſcribere, qui ad id jam per Evangelii gratiam proficiat, quod priùs per Legem præſtare non poterat, peccati ſcil. jugum excutere, ejuſque dominium frangere. Nam contrà in verſibus illis diſertè deſcribitur ſtatus hominis, qui etiamnum carnalis ſit & peccato venundatus, cui benè agendi facultas longiſſimè abſit, qui legi peccati captivus ducatur, eique ſerviat. Ejuſdem monetæ eſt, quod mox ſubjicit: " Quod de ſtatu militiæ ſuæ " contra carnem annectitur, cum certa tamen " ſpe victoriæ, id magis facit ad pugnam ſtre- " nuè ſubeundam, cùm, quod inefficax Legis " rigor non potuit, poteſt efficaciſſima Evan- " gelii gratia." Nam 1ò Sermo Apoſtoli v. 14. & ſeqq. non tantùm annectitur ſuperioribus, ut ſermo ſcil. ab ipſis non prorſus alienus; ſed directa reſponſio eſt ad objectionem, quæ v. 13. continetur. Jam verò objectio ibi propoſita erat: rem eſſe miram, ut Lex ea, quæ ſuâ naturâ ſancta eſt & bona, eis, qui ſub ipſa ſunt, cauſa mortis eſſe poſſit. Iterum autem quæro, ad eam objectionem diſſolvendam quid faciat, quod verſibus ſequentibus comprehenditur, ſi Apoſtolus ibi de regeneratione ſua loquitur; ſiquidem in ſtatu regenerationis ſuæ, non ampliùs ſub Legis diſpenſatione conſtitutus eſt, neque quicquam commercii cum ipſa habet, nedum ipſi Lex iſta cauſa mortis eſt, aut eſſe poteſt? Ad hanc quæſtionem D. *Tullii* reſponſum fruſtrà expectamus. 2ò. Neſcio quâ veri ſpecie dixerit D. *Tullius*, v. 14. & ſeqq. luctam hominis contra carnem deſcribi, quæ cum certa ſpe victoriæ conjuncta ſit. Contrà enim pugna ibi manifeſtè deſcribitur hominis, cui nihil certius expectandum ſit, quàm ut à carne vincatur, atque peccato captivus abducatur. Hoccine verò multùm facit ad pugnam ſtrenuè ſubeundam?

12. In eadem Sectione, interpretationem, quam D. *Tullius* ſequitur, à ſcopo & contextu Apoſtoli prorſus alienam eſſe, hôc altero evidentiſſimo argumento probaveram: " Dein- " de cùm in confeſſo ſit apud omnes, Apoſto- " lum à v. 7. uſque ad v. 14. loqui de ſtatu " hominis, qui eſt ſub Lege; quænam, obſe- " cro, idonea ratio vel fingi poteſt, cur ſtatu- " amus, eum in verſu decimo quarto & deci- " mo quinto mutare inſtitutum? præſertim " cùm verba verſûs decimi quarti manifeſtam " antedictorum rationem contineant, ut ex " cauſativa particula γὰρ, quâ verſus iſte ſu- " perioribus connectitur, clarè liquet." Quid ad hoc argumentum D. *Tullius?* Scommate, pro ſuo more, præmiſsô, ita reſpondet: " Quid *Differt. p. 11.* " clarius, quàm Apoſtolum in toto Sermone " ab initio Epiſtolæ ad finem capitis ſeptimi " id unum (aut imprimis) agere, ut peccatores à ſe ad Chriſtum abducat, à ſua operum juſtitia ad illam, quæ eſt per fidem in " Chriſto? Quod ut feliciùs expediret, oſtendit 1ò. Legis eum eſſe rigorem, ut nulla " ad ſalutem admittat opera, quibus vel minima peccati labes adhæret; fruſtra itaque " ex Lege ſperari vitam. 2ò. Eam quoque vim " Legis eſſe lethalem, non quidem ex natura " ſua, ſed ex vitio omnibus innato, *&c.* Hoc " verò cùm in omnibus innaſcatur, & inhabitet tam in *Paulo* regenito, quàm in Chriſtum furibundo (etſi eandem in fidelibus " tyrannidem per gratiam Chriſti non exerceat) quid, quæſo, erat ἀπερροδιόνυσον, *Paulum* idem probare diverſis mediis, quorum " alterum à ſe nondum regenito, alterum ex " regenito uſurpaverit?" Quid verò aliud hîc agit D. *Tullius*, quàm ut verborum ambagibus Lectorem ſuum fallat, atque à re ipſa abducat? Ita argumentamur: Particula rationalis γὰρ in v. 14. ejus connexionem manifeſtè indicat cum ſuperioribus: quæ connexio oſtendit hîc agi de eadem re, quæ antè tractata eſt; & pronomen *ego* de eodem homine intelligendum eſſe, qui antea per idem pronomen eſt ſignificatus. Actum autem eſt antea (omnium conſenſu) de homine ſub Lege exiſtente, & pronomen *ego* hominem ſub lege exiſtentem antea denotavit; ergo & hîc, ubi cauſa redditur ejus quod ſuperiùs dictum eſt, agitur de homine ſub Lege exiſtente: ſecus ſunt meræ ſcopæ diſſolutæ. Sic argumentum illud noſtrum aliis verbis formavit Theologus quidam doctiſſimus. Jam ad hanc objectionem ſolvendam, quid, quæſo, facit omnis ille D. *Tullii* ſermo? Ut res tota clariùs eluceſcat, paraphraſim inſtituemus v. 13. & 14. ad eorum hypotheſim accommodatam, qui ſentiunt,

unt, Apoſtolum v. 14. incipere de ſe regenito agere.

TEXTUS.

v. 13. *Quod ergo bonum eſt, mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem: ut fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.*

v. 14. *Scimus enim, quia Lex ſpiritualis eſt; ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato.*

Paraphraſis.

An ergo Lex bona mihi (ſcil. legis quidem cognitione inſtructo, ſed nondum per gratiam Evangelii renato) facta eſt cauſa mortis? Dictum abominor. Sed peccatum et vitioſi in me affectus, occaſione bonæ Legis magis (ut dixi v. 8.) irritati & accenſi, verè ac propriè cauſa fuere mortis illius; ut hinc appareat natura peccati, & quàm ſcelerata res ſit (ut ita dicam) ipſum peccatum, quod optimum Dei donum in perniciem meam converterit.

Ut cauſam hujus rei apertiùs dicam, conſtat, inter meam & Legis naturam maximum eſſe diſſidium. Quippe Lex, à Deo, Spiritu puro, profecta, ſpiritualem vivendi rationem præſcribit; ego verò (ſcil. ipſe *Paulus*, jam ad fidem Evangelii converſus, Spiritu Chriſti donatus, adeoque ad ſummum Chriſtianæ virtutis faſtigium evectus) carnalis ſum ingenii, ſpirituali Legi repugnantis, & vitioſis affectibus mancipatus. Hinc illa mihi incumbit Legem tranſgrediendi, ac proinde mortem Legis tranſgreſſoribus intentatam ſubeundi infœlix neceſſitas; ut manifeſtum ſit, quòd mihi per Legem mors contingat, id nequaquam ex Legis ipſius vitio accidere, ſed ex depravato ingenio meo.

Quod hîc in paraphraſi versûs decimi quarti parentheſi includitur, cùm neceſſariò ex D. *Tullii* hypotheſi inſerendum ſit, quàm inſulſa tamen, incongrua & abſurda oratio per illam parentheſim divino Apoſtolo affingatur, nemo non videt. Sed omiſsâ illâ parentheſi, & pronomine *ego* v. 14. de homine intellecto, qui ſignificabatur eodem pronomine v. 13. & præcedentibus, (quod fieri debere nos contendimus) ſermo Apoſtoli clarus eſt & perſpicuus, ſibique conſentaneus, ut nihil ſuprà. Si autem cauſetur D. *Tullius*, inconcinnam iſtam paraphraſim ſibi injuriâ à nobis tribui, ipſum obnixè rogamus, ut aliam proferat, quæ neque verbis & ſcopo Apoſtoli, neque hypotheſi ſuæ repugnet: quod ſi fecerit, herbam illico porrigemus.

13. Sed inſtat D. *Tullius*: " Cur autem, *inquit*, amicus Harmoniſta tranſitum talem " ab uno ſtatu ad alterum rem adeo ab- " ſurdam pronuntiaret, non video, nî ſei- " ipſum ejuſdem abſurdi damnare velit, qui " partem priorem iſtius capitis comm. 25. ad " *Paulum* regenitum accommodat, quod æ- " què abſurdum." Reſpondeo: Dico quidem Apoſtolum *Paulum*, poſtquam verſibus præcedentibus miſerrimum hominis ſtatum, ſub Lege conſtituti & Evangelii gratiâ deſtituti fusè deſcripſerat, tandem initio v. 25. (brevi parentheſi inſertâ) gratiam Dei per Chriſtum celebrare, quâ ſolâ à ſtatu illo deplorando tum ipſe liberatus fuerit, tum aliis liberationis via & facta fuerit, & patefacta: deinde ad inſtitutum ſuum redire. An hæc parentheſis mea (neque mea tamen; quippe quæ ab antiquioribus Doctoribus mirô conſenſu Apoſtolo tribuatur) æque abſurda ſit atque iſta D. *Tulli* paraphraſis, judicent cordati omnes. Sed hâc de re plura dicemus in ſequentibus. *Differt. p. 12.*

14. Pergit D. *Tullius*: " Quam, *inquit*, reperiet cohærentiam in verſu proximè ſe- " quenti c 8. 1. *Nulla igitur eſt condemnatio* " *iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu?* cùm ſecun- " dùm ipſum nulla talium occurrit mentio " in toto capite præcedente, niſi tantùm in " brevi iſta particula commatis poſtremi: " *Ago gratias Deo*, &c. Cùm autem nobis " objecerit particulam ſuam cauſativam γὰρ, " quid faciet iſtis c. 8. 1. ἄρα νῦν, *Nulla* " *nunc igitur condemnatio? Nunc igitur*; " cur quæſo? unde hoc infertur? *&c.*" Quas verò hîc in ſudo facit tenebras Vir Reverendus? Reſpice, Lector, Analyſim noſtram capitis 7. ad Romanos, Harm. Apoſt. Diſſert. poſter. cap. 9. §. 4, 5, 6. ubi cohærentiam Apoſtolici ſermonis in toto capite ſeptimo, ſimulque capitis octavi cum ſeptimo clarè explico. Summa ejus analyſis hæc eſt. 1°. Verſibus quatuor prioribus cap. 7. docet Apoſtolus, Judæos, qui Chriſti fidem amplexi ſunt, non ampliùs obligari vinculô Legis per Moſem datæ; ſed ab ea obligatione perinde liberos eſſe, ac mulier libera eſt à Matrimonii vinculo, mortuô maritô. 2°. Ut quale quantumque ſit hoc beneficium, intelligerent Judæi, docet *Paulus* v. 5. quàm planè miſer ſit eorum ſtatus, qui ſub Lege ſunt. Contrà v. 6. oſtendit fœlicem eorum conditionem, qui à Legis vinculo per Chriſtum liberantur; ut apertè falſum ſit, quod D. *Tullius* *Differt. p. 13.*

lius fidenter affirmat, juxta noſtram interpretationem, nullam fieri regenitorum mentionem in toto capite 7. niſi tantùm in brevi iſta particula commatis poſtremi. Nam fatemur, adeoque contendimus, de regenitis agere Apoſtolum ab initio capitis uſque ad v. 7. 3°. Cùm Apoſtolus v. 5. non contentus dicere, Legem non valuiſſe ad pravos hominum affectus tollendos, rem in contrarium deduxiſſet ſuo more, affirmando non ſolùm Legem ad auferendas malas cupiditates non profuiſſe, ſed & per accidens iis excitandis atque inflammandis inſerviiſſe; ne hoc dictum Judæis odioſum videretur, iiſque anſam præberet cavillandi, quaſi doceret Apoſtolus, Legem eſſe cauſam peccati, atque ob id malam, ideo v. 7. objectionem hanc prudenter anticipat, & in ſequentibus fusè refellit. 4°. In ſolutione hujus objectionis v. 7. propoſitæ, & alterius ab ipſa natæ v. 13. immoratur Apoſtolus uſque ad finem capitis ſeptimi. Quid hôc manifeſtius? 5°. Denique Apoſtolus initiô capitis 8. repetit ea quæ dixerat in verſibus ſex prioribus capitis ſeptimi, (unde uſque ad iſtud initium capitis 8. ad reſpondendum objectionibus manifeſtam digreſſionem fecerat) nempe, tum vinculum legis Moſaicæ ſolutum eſſe, neminemque propter non obſervatas ejus ceremonias damnatum iri, qui viam illam vitæ ſpiritualis in Evangelio præſcriptam incedat v. 1. tum omnes verè Chriſtianos per Evangelium ab iſto peccati dominio eſſe liberatos, à quo ut liberarentur per legem Moſaicam, nulla erat vel ſpes, vel poſſibilitas v. 2, 3, 4. & ſeqq. Hâc Analyſi ſermonis Apoſtolici ſi clariorem noverit D. *Tullius*, utinam candidus impertiat; ſin minùs, ipsâ mecum uti ne dedignetur. Interim ex his ſatis videt Lector cordatus, quanta fuerit Doctoris præcipitantia, qui ſuam de cohærentia ſermonis *Paulini* diſputationem hôc ſarcaſmô (tanquam triumphans & victum adverſarium irridens) clauſerit: "Videat nunc "Harmoniſta, quò ipſius præcipitantia ſe "duxerit.

15. Sectione nonâ objectioni Adverſariorum occurro ad hunc modum: "Quod "ergo objici ſolet de mutatione temporis in "v. 14. adeo leve eſt, ut meritò pudeat viros graves, tali argumento pugnare. Quid "enim? Quia Apoſtolus à tempore præterito ad præſens tranſiit, ideone ſtatuendum erit, ipſum à propoſito ſuo in materiam ab eo remotiſſimam receſſiſſe? Quis "neſcit, hanc temporum mutationem, vel "in eodem orationis contextu, omnibus "fere Scriptoribus ſatis familiarem eſſe? "maximè cum res, de qua agitur, eadem "quæ erat, adhuc maneat." Ad hæc D. *Tullius*: "Itane verò? Hem! An quen- *Differt. p. 14.*

"quam pudere debeat tempus præſens à "præterito ſeparare, maximè ubi res ipſa "poſtulat?" Reſpondeo, minimè certè. At propter ſolam temporis mutationem, ſermonem graviſſimo & divino Apoſtolo affingere ab inſtituto ejus longè remotiſſimum, adeoque incongruum & abſurdum, hoc, inquam, viros graves minimè decet. Pergit D. *Tullius*; "Imò, *inquit*, rationis ullam "vel umbram oſtendat, cur *Paulus* à præ"terito ad præſens delaberetur, ubi nihil "prorſus ad inſtitutum fecit. Si enim ſer"monem de ſe irregenito deinceps conti"nuat, quid opus erat, ut tempus muta"ret?" Reſpondeo: Pluſquam rationis umbram aliquam oſtendi, cur *Paulus* de eodem homine irregenito adhuc agens, à præterito ad præſens delaberetur. Audi, Lector, verba mea, non ut à D. *Tullio*, pro more ſuo, miſerè truncata & mutilata citantur, ſed integra. "Quid, *inquam*, quòd ratio hujus "mutationis ex ipſo contextu ſatis mani"feſta ſit? Apoſtolus enim v. 9. hominem "hîc repræſentatum conſideraverat in eo ſta"tu, quô erat priuſquam Legem accepiſſet. "Deinde in ſequentibus uſque ad v. 14. e"ventum oſtendit, qui homini iſti poſt ac"ceptam Legem contigit; quòd ſcil. & ma"joris culpæ reus, & graviori pœnæ obnoxius per Legem factus fuerit. Hucuſque "igitur par erat, ut Apoſtolus præterito "tempore uteretur. At v. 14. cauſam o"ſtendit, cur ex Lege aliud in homine con"ſequatur, quàm id, quod per ſe Lex propo"ſitum habet. Alia, inquit, eſt natura Le"gis, alia hominum, qui ſub Lege ſunt, *&c.* "Non autem conveniebat, ut Apoſtolus "cauſam præſentem commonſtrans, in tem"pore loqueretur præterito, aut diceret: *Lex "erat ſpiritualis, ſed ego eram carnalis*; quin "dicendum erat potiùs in præſenti: *Lex "eſt ſpiritualis, ſed ego ſum carnalis*; ut "cuivis rem attendenti facilè liquebit." Quid ad hæc D. *Tullius?* "Ita certè, *in-* *P. 14,15.*
"*quit*, quod priorem attinet ſententiæ clauſulam, non conveniebat *Paulum* nugatoriè loqui, cùm Lex non erat modò, ſed "ſemper ſit ſpiritualis. Nemo hominum, "niſi nugator, dicet: ego eram homo. Satis tamen conveniebat *Paulum* dicere: *Ego "ſum carnalis*; quia πῶς & aliquo ſenſu talis ſemper extitit, de quo ſtatim." Itaque fatetur D. *Tullius*, rationem eſſe evidentem, cur *Paulus* de Legis natura agens, tempore uteretur præſenti, imò ipſum non potuiſſe niſi nugatoriè aliter loqui. In reſponſione verò de poſteriori ſententiæ clauſula, quàm miſerè (quod pace ejus dixerim) nugatur ipſe? Scilicet non hic quæritur, quô ſenſu *Paulus* perſonam ibi deſcriptam dixerit carna-

carnalem; (eâ de re poſtea agitur) ſed cur Apoſtolus in utraque clauſula tempus mutaverit, & in *præſenti* nunc loquatur. Rationem ſatis evidentem hanc afferimus, quia non conveniebat, ut Apoſtolus cauſam præſentem commonſtrans, tempore uteretur præterito; quin omnino oportebat, ut in præſenti loqueretur. Ob hanc ſolam rationem contendimus, *Paulum* dixiſſe, non, *lex erat*, ſed *eſt* ſpiritualis, & ob eandem rationem, non, ego *eram*, ſed *ſum* carnalis, & ſimiliter in ſequentibus. Ad hanc rationem enervandam quid attulit D. *Tullius*? ἔδη γρύ.

16. Ejuſdem capitis ſectione 10. altero argumento eorum ſententiam convello, qui caput 7. ad Rom. à v. 14. exponunt de ipſo *Paulo*, eôque regenito; quòd nempe iſta ſententia ſermonem affingat Apoſtolo prorſus contrarium ac repugnantem. Hanc generalem rationem multis inſtantiis illuſtro & confirmo, quarum prima hæc eſt: " De homine hîc deſcripto dicitur: *Ego ſum carnalis* v. 14. At de regenito dicitur, quòd " non ſecundùm carnem ambulet, ſed ſecundùm ſpiritum cap. 8. v. 1." Ad hoc ita reſpondet D. *Tullius*: " Quaſi verò, *inquit*, " carnalem eſſe (ſive carnem habere ſenſu " Apoſtolicô) & ſecundùm carnem ambulare, idem ſonarent, quæ δὶς δι᾽ πασῶν diſſonant. Iterum τὸ ἐν ἀρχῇ. Apoſtolus ſecundùm carnem minimè ambulavit; verè " tamen dixit: *Ego ſum carnalis*. Oſtendam " quomodo, adhibitâ diſtinctione neceſſariâ, " eâque ſatis perſpicuâ. Carnalis enim dicitur aut interpretatione Legis, aut Evangelii. Priore modô etiam ſanctiſſimus in " terra erit carnalis, quia quantâcunque pol" leat ſanctitatis gratiâ, minimè aſſurgit ad " ſpiritualitatem (ut ita loquar) Legis, quæ " peccatum omne procul abigit, & carnem " pronuntiat." Quibus regero 1°. Differunt quidem *carnalem eſſe*, & *ſecundùm carnem ambulare*; ſed ita tantùm, ut illud habitum carnalitatis (ut ſic dicam) ſignificet, hoc verò actiones & facta carnalia magis reſpiciat. Quiſquis autem carnalis eſt, is ſecundùm carnem ambulat, & vice versâ. 2°. Facile eſt Doctori, diſtinctiunculas prol ibitu ſuo cudere, quæ ſibi perſpicuæ videantur, & revera ipſi neceſſariæ ſint ad hypotheſim ſuam tuendam. Sed nos phraſes Scripturæ ex Scripturis, non ad ipſius arbitrium & uſum, exponendas contendimus; proinde quærimus, ubi in S. literis homo verè pius, nedum ſanctiſſimus, qualis ſane *Paulus* erat, carnalis, nempe reſpectu affectuum, appelletur? Carnales quidem dicuntur ab ipſo *Paulo Corinthiorum* plerique ratione imperfectioris ſcientiæ, & quòd rudes fuerint in cognitione myſteriorum Evangelii, 1 *Cor.* 3. 1. (quæ ſignificatio ab hac quæſtione aliena eſt) plerique etiam ob carnales affectus in ipſis prædominantes; ut ſane ſemper fuere, eruntque ſemper, ſub ipſa Lege ſpiritûs vitæ, nimiùm multi carni ſervientes. Tales omnino videntur fuiſſe ex Corinthiis illi, qui ab Apoſtolo capitis citati v. 3. reprehenduntur: *Cum enim*, inquit, *ſint inter vos æmulatio, & contentio, & ſchiſmata, nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis?* Ἔρεις, ζῆλος & διχοστασίας (ipſa vocabula, quibus hîc utitur) alibi numerat Apoſtolus inter opera carnis, quæ hominem certò excludunt à Regno cœlorum, *Gal.* 5. v. 20. Itaque probatio hôc in loco eſt ab effectis. Nam cùm ſint carnis fructus æmulatio, contentio, ſchiſma; ubicunque ſpectantur, certum eſt, radicem illic vigere. Regnabant hæc mala apud Corinthios pleroſque; hinc Apoſtolus convincit, eos eſſe carnales. Fuere etiam inter Corinthios, qui ob alia carnis opera meritiſſimô jure carnales dici poterant: utpote qui ebrietati, (idque in ſacra Synaxi) 1 *Cor.* 11. 21. & ſcortationi aliiſque nefandis immunditiis, 2 *Cor.* 12. 20, 21. impensè addicti fuerint. Verùm demus, à *Paulo* Corinthios quoſdam verè pios, ſed in gradu pietatis infimo conſtitutos, carnales ratione affectuum dictos fuiſſe: adhuc tamen locum Scripturæ quærimus, ubi vox *carnalis* eô ſenſu accipitur, quô ipſi *Paulo* eximiæ ſanctitatis viro (qui *Corinthios* eô nomine acriter reprehenderit, quòd carnales fuerint) conveniat. Contendit quidem D. *Tullius*, in hôc loco, quô de agitur, vocabulum eo ſenſu accipiendum, ex ipſo textu liquere. Nam ex iſtis Apoſtoli verbis: *Lex eſt ſpiritualis, ego autem carnalis*, ita argumentatur: " Carnalitas iſta, quam ibi loquitur, palàm opponitur ſpiritualitati, ſive (ut latiniùs dicam) perfectioni Legis. Et quotuſquiſque, " obſecro, ab iſta carnalitate, dum in terris " degit, immunem ſe profiteri audeat? Cùm " Legem illam, ſuâ puritate uſque adeo tremendam, intuetur, quis cum ſanctiſſimo " Apoſtolo non ſtatim exclamabit: *Ego ſum* " *carnalis*." Verùm hîc iterum D. *Tullius*, planè pro libitu ſuo, nullo nullius textûs S. Scripturæ, nullius veteris Eccleſiaſtici Scriptoris authoritate fretus, novam interpretationem voci πνευματικὸς tribuit, ut vocabulo σαρκικὸς ſenſum, nullo itidem exemplo fultum, affingat. Quis enim unquam legerit vocem illam ab idoneo aliquo Authore eô ſenſu uſurpatam, quô Legis ἀκρίβειαν, hoc eſt, *rigorem* ſignificet? Lex ſine dubio hîc dicitur πνευματικὸς *ſpiritualis*, quòd ſpiritualem vivendi rationem præſcribat, ſive quòd poſtulet, ut ſecundùm Spiritum ambulemus, carnem verò ejuſque deſideria & affectus mortificemus

tificemus & crucifigamus, ut Scripturam Scripturæ phraſibus exponam: unde & opponitur Lex ſpiritualis homini carnali, i. e. homini carnis affectibus dedito. Quæ oppoſitio inter hominem carnalem & Legem ſpiritualem mox à *Paulo* clariùs explicatur cap. 8. v. 7. his verbis: *Quoniam ſtudium carnis inimicitia eſt cum Deo: Legi enim Dei non ſubjicitur, neque ſubjici quidem poteſt.* Nemo non videt, loca eſſe planè gemina. Ut enim hîc φρόνημα σαρκὸς, *ſtudium carnis*, ſic in loco, de quo quæritur, *homo carnalis*, ob carnis ſtudium ita appellatus, omnino opponitur Legi Dei. Atque ut exactam locorum convenientiam perſpicias, ſicut quod dicitur *Rom.* 8. 7. nempe, *ſtudium carnis inimicitiam eſſe cum Deo, neque Legi Dei ſubjici poſſe*, rationis locô additum eſt ei, quod præceſſerat v. 6. nempe, *ſtudium carnis mortem eſſe*; ita prorſus verba illa *Rom.* 7. v. 14. *Lex eſt ſpiritualis, ego carnalis ſum*, annectuntur verſui 13. ut ratio ejus, quod ibi dictum fuerat, nempe, *bonam Legem mortem factam fuiſſe*, ſive *mortem per peccatum effeciſſe*. Utrobique ſenſus Apoſtoli manifeſtus idem eſt: nempe, magnam partem hominum mortem Lege intentatam incurrere non Legis culpâ, ſed vitiô ſuô, ideo ſcil. quia carnales ſint, atque ejuſmodi ingenii, quod Legi ſpirituali planè repugnet, ipſique ſubjici omnino nequeat. Quid his clarius? Itaque ex ipſa oppoſitione inter Legem ſpiritualem & hominem carnalem, argumentum hoc contra Adverſarios ἀναπάλυπτον formamus: Homo, de quo agit Apoſtolus v. 14. cap. 7. ad *Rom.* ideo carnalis dicitur, quòd ejuſmodi ingenii ſit, quod repugnet planè ſpirituali illi vivendi rationi, quam Lex præſcribit, ſive quod Legi Dei, talem vivendi rationem præſcribenti, ſubjici nequeat; unde & mortem ſibi conſciviſſe dicitur: Sed hæc in hominem regenitum, ſeu verè pium neutiquam competunt; ergo in commate iſto non agitur de homine regenito, ſeu verè pio.

17. In eadem Sectione, ex eodem v. 14. ita argumentor: Homo ibi deſcriptus, dicitur *peccato venundatus*, ductâ metaphorâ ab iis, qui venditione toti traduntur in Domini alicujus imperium & poteſtatem, & phraſi planè eâdem, quæ in Scripturis uſurpatur de *Achabo* Regum & mortalium peſſimo, 1 *Reg.* c. 21. v. 20. ubi 70 Interpretes habent: ἐπράθη ποιῆσαι τὸ πονηρόν. At de regenito affirmatur, quòd *liberatus à peccato, ſervus factus ſit juſtitiæ*, Rom. 6. v. 18. Quid ad hæc D. *Tullius*? Summa ejus reſponſionis huc redit: *Diſtinguendum ommino eſſe inter ſervum voluntarium & coactum; aliud eſſe peccato vendi, aliud ſe vendere.* Miſerrimum ſane κερσφύγε-

Differt. p. 16.

τον. Quaſi ſcil. quiſquam peccati ſervus fieri poſſet, voluntate ſuâ renitente. Certè ut nullum peccatum niſi voluntarium; ita nemo peccati verna, niſi qui talis voluntariò fiat: nemo peccato venditus, qui ſe non vendidit. Pulchrè rem explicat *Damaſcenus*, de hoc loco differens, lib. 4. Orthod. Fid. cap. 23. Ἡ προσβολὴ δὲ τοῦ πονηροῦ, τυτέστιν ὁ νόμος τῆς ἁμαρτίας, ὑφαίνων μέλεσι τῆς σαρκὸς ἡμῶν, δι' αὐτῆς ἡμῖν προβάλλει. ἅπαξ γὰρ παραβάντες ἑκουσίως τὸν νόμον τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν προσβολὴν τοῦ πονηροῦ παραδεξάμενοι, ἐδώκαμεν αὐτῇ εἴσοδον, πραθέντες ὑφ' ἑαυτῶν τῇ ἁμαρτίᾳ· ὅθεν ἑτοίμως ἄγεται τὸ σῶμα ἡμῶν πρὸς αὐτήν· *i. e.* "Suggeſtio maligni, "hoc eſt, Lex peccati, adveniens membris "carnis noſtræ, ſe per hanc nobis immittit. Nam ſemel tranſgredientes voluntariè Legem Dei, & ſuggeſtionem maligni "admittentes, dedimus illi ingreſſum, venundati à nobis ipſis peccato: unde promptè ducitur corpus noſtrum ad illud." Quibus gemina ſunt, quæ habet *Baſilius* Moral. Reg. 23. Ὅτι ὁ ἄκων ἑλκόμενος ὑπὸ ἁμαρτίας, ὀφείλει γνωρίζειν, ἑαυτὸν ὑφ' ἑτέρας προενυπαρχούσης κρατούμενον ἁμαρτίας, ἢ ἑκὼν δεδούλωται, ἄγεται λοιπὸν ὑπ' αὐτῆς καὶ ἐφ' ἃ μὴ θέλει· *i. e.* "Quòd qui præter animi "ſui voluntatem trahitur ad peccatum, is "intelligere debet, ſe ab alio, à ſe priùs "commiſſô, peccatô conſtrictum teneri: cui "ultrò inſerviens, de cætero ducitur ab ipſo "etiam ad ea, quæ minimè vult." Ad regulam probandam ἀμέσως affert *Baſilius* verba Apoſtoli *Rom.* 7. *Scimus enim, quòd Lex ſpiritualis eſt; ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato*, &c. Itaque fruſtra eſt D. *Tullius*, cùm de diſcrepantia inter 70 Senes & textum Hebræum in loco 1 Reg. c. 21. v. 23. nobis tradendo, tam ſeriò monet Lectorem, meque loci ejuſdem haud bonâ fide citati arguit his verbis: "Locum "hunc à Diſſertatore huc trahi (licèt à paucis quoque aliis) mirum eſt. Nam etſi "70 Senes ita verterant, ἐπράθη, *venditus* "*eſt*; qui fontem tamen Hebraicum inſpexerit, התמכר videbit cum noſtra verſione "Anglicana conſentire, [*he ſold himſelf*] "quod à viro veritatis ſtudioſo minimè "clàm prætereundum erat; hoc enim ſapit "umbratilis magis victoriæ, quàm divinæ "veritatis curam." Equidem utcunque Harmoniſtam juvenem contempſerit, putârim tamen, verſionem 70 Senum, duobus præſertim ad numerum additis, (qui certè fontem Hebraicum non indiligenter inſpexerunt) apud ipſum aliquid momenti habiturum. Sed quantus hîc clamor de re quantula, imò nihili! Scil. *peccato vendi* & *ſe vendere* (ut diximus) eodem recidit. Verùm

Tom. 2. p. 433. Edit. Paris. 1637.

rùm ſi D. *Tullius* poſtulaverit à nobis locum, ubi *venditus peccato* (phraſi paſſivè acceptâ) noſtro ſenſu uſurpetur, adeat, ſi lubet, 1 *Maccab.* cap. 1. v. 26. ubi Author de ſceleratiſſimis quibuſdam Judæorum ſic loquitur: " Et facientes ſibi ipſis præ-
" putia, abſceſſerunt à fœdere ſancto, & con-
" juncti Gentibus, *venditi fuerunt ad faci-*
" *endum malum.*" Nihil refert, quòd liber ſit Apocryphus; cùm in quæſtione de genuino ſenſu phraſeos apud Hebræos uſurpatæ, quin Author Hebræus, Hebraicè (*Hieronymo* teſte) ſcribens, antiqvus, in Eccleſia Chriſtiana veteri magnô in pretio habitus, imò à Veterum multis in ipſo Scripturæ Canone repoſitus, pro judice competenti haberi debeat, nemo ſanus negaverit. Ex hoc autem loco coll. 1 *Reg.* 21. 20. apparet, veteres Judæos, phraſi illâ, *peccato venditum eſſe*, ſive *peccato ſe vendere*, tanquam proverbiali locutione, profligatiſſimum peccatorem deſignare ſolitos fuiſſe. Quis itaque credat, (niſi qui facilè credat, quicquid voluerit) Apoſtolum *Paulum* Judæum, & Judaico more ubique loquentem, in ſermone ad Judæos directo v. 1. phraſi eô ſenſu uſum fuiſſe, quô homini regenito & verè pio, adeoque ſanctiſſimo competeret? Certè hîc meritò repo-
Diſſert. p. 30. nuntur D. *Tullio* ipſius verba: " Scrutemur
" Scripturas, & caveamus, ne rebelles in-
" veniamur adversùs lucem.

18. Vides, Lector, quàm invicta argumenta ex hujus capitis v. 14. ad noſtram ſententiam confirmandam adduximus. Iſtis autem illud pro coronide adjiciam: ipſum *Calvinum*, &, poſt ipſum, *Bezam*, alioſque multos inter Reformatos Theologos, qui *Calvinum* ſecuti ſunt, quanquam de interpretatione verſuum ſequentium cum D. *Tullio* conſentiant, tamen, rei ipſius evidentiâ convictos, fateri, totum comma 14. de homine non regenerato exponendum eſſe: ac proinde ſermonem Apoſtoli de ſe regenito à v. 15. incipere. Sic enim *Calvinus* ad locum: " Nunc, *inquit*, propiùs commit-
" tere inter ſe Legem & hominis naturam
" incipit, ut clariùs intelligatur, unde mortis
" vitium emergat. Deinde exemplum propo-
" nit hominis regenerati." Et mox: " Nu-
" dam naturæ & Legis comparationem pro-
" ponit: quam nullum ſit in rebus huma-
" nis diſſidium majus, quàm Spiritûs &
" carnis. Lex Spiritualis eſt; homo car-
" nalis. Quæ igitur convenientia naturæ
" hominis cum Lege? nempe, quæ luci
" cum tenebris." Et rurſus: " Caro vo-
" cantur homines, quales naſcuntur, &
" quamdiu ſuum ingenium retinent: quia
" ut vitioſi ſunt, ita nihil ſapiunt aut ſpi-
" rant, niſi craſſum & terreſtre." Denique verba illa, *venditus ſub peccato*, ſic exponit: " Hâc, *inquit*, particulâ declarat, quid
" valeat per ſe caro. Naturâ enim non
" minùs ſervus eſt peccati homo, quàm
" empta mancipia, quibus Heri, non ſecus
" ac bobus vel aſinis, pro libidine abutun-
" tur, &c. Coactionem ſemper excipio:
" ſponte enim peccamus, quia peccatum
" non eſſet niſi voluntarium. Quare hæc
" ſimilitudo non coactam (ut loquuntur)
" aſtrictionem ſonat, ſed voluntarium obſe-
" quium." Quid contra Doctoris lepidam diſtinctionem, inter ſervum peccati voluntarium & coactum, expreſſius dici potuit? Ad comma verò 15. ita ſcribit idem *Calvinus*: " Nunc deſcendit ad exemplum parti-
" culare hominis jam regenerati, *&c.*" Similiter *Beza* in Notis brevioribus ad locum: " Cauſa hujus rei hæc eſt, quòd Lex cœle-
" ſtem puritatem flagitet; homines autem,
" quales naſcuntur, ſunt corruptionis man-
" cipia, cui ſponte ſerviunt." Idem ad com. 15. ita ſcribit: " A verſu 7. uſque ad
" hunc 15. Legis uſum docuit in non rege-
" neratis." Ad eundem modum (ut alios taceam, qui *Calvinum* ſecuti ſunt) *Aretius* locum interpretatus eſt; qui & verba illa Apoſtoli, *venditus ſub peccato*, exponit per *illius plenum mancipium*. Certè autem ob eaſdem rationes, quibus illi moti fuerunt, ut v. 14. de homine non regenerato interpretarentur, debuerant etiam ſequentia ad eundem hominis ſtatum referre. Nimirum cogebantur fateri, Apoſtolum in v. 14. de homine non renato agere: 1°. quòd verba commatis illius annectantur verſui 13. & cauſam ejus, quod ibi dictum eſt, manifeſtè contineant; ibi verò Apoſtolum de homine non regenerato agere palàm ſit. 2°. Quòd phraſes iſtæ, *carnalem eſſe*, & *peccato venundatum*, juxta uſum Scripturæ, ad hominem regenitum neutiquam accommodari poſſint. Jam, inquam, quomodo non viderunt, iiſdem argumentis omnino evinci, etiam ſequentia de homine non regenerato exponi debere? Nam primùm verba v. 15. manifeſtè connectuntur per eandem rationalem particulam γὰρ cum v. 14. Deinde phraſes iſtæ, quæ de homine in ſequentibus deſcripto uſurpantur, nempe quòd *carne Legi peccati ſerviat*, v. 25. quòd *Legi peccati captivus ducatur*, v. 23. nonne idem ſonant, quod *carnalem eſſe*, & *peccato venundatum?* Illud præterea addendum, argumentum D. *Tullii*, ad ſententiam ſuam *Diſſert. p. 14.* confirmandam, à mutatione temporis à præterito in præſens ductum, quod ille tanti facit, ut auſit pronuntiare, *Adverſarios ipſum ſuo pondere non premere ſolùm, ſed opprimere*, etiam judiciô *Calvini*, *Bezæ*, & aliorum Reformatorum Theologorum, nullius

eſſe

esse ponderis. Nam illa temporis mutatio primùm sit in v. 14. quem tamen Theologi illi de homine non renato omnino exponendum contendunt.

19. Sectione duodecimâ argumenta pro contraria sententia, à *Paræo* in explicatione capitis 7. ad *Rom.* sedulò collecta, propono discutienda. Eorum hoc primum est: "Manifestum est, *inquit*, de se, non de alio, "loqui Apostolum, quia continuat querelam de se in prima persona per totos duodecim versus, *Ego sum carnalis*, &c." Respondeo: neminem, nisi qui in *Paulinis* Epistolis planè hospes sit, nescire, hunc μεταχηματισμὸν, quô in sua persona, quæ ad alios pertinent, exprimere gaudet, esse figuram Apostolo satis familiarem. Atque ad illud probandum, cito loca, 1 *Cor.* 4. v. 3, 4. coll v. 6. *Rom.* 3. 7. 1 *Cor.* 6. 6. 12. 15. & 10. 23. 29, 30. *Gal.* 1. 18. Quid hîc D. *Tullius?* Rhetoricationibus quibusdam, pro more suo, præmissis, ita tandem rem ipsam aggredi videri voluit: "Perpendat verò, *in-*
Differt. p. 18. "*quit*, Lector, & memoriâ teneat, quam in "se susceptit provinciam: *Paulum* scil. aliis "locis de se in prima persona loqui, quæ "multum abest ut viro sancto conveniant. "Hoc illi onus incumbit. Consulamus lo-"ca, & vel lippi videant, quàm bellè re-"spondeant." Sed nescio unde id jus in Harmonistam habet D. *Tullius*, ut onera ipsi pro libitu suo imponat. Nam ubi, quæso, apud Harmonistam ista reperiuntur, (quæ tamen, ut ipsissima ejus verba, distinctô charactere designat D. *Tullius*) Paulum *aliis locis de se in prima persona loqui, quæ multum abest ut viro sancto conveniant?* Verba mea, ut vides, hæc sunt: μεταχηματισμὸν, *quô in sua persona, quæ ad alios pertinent, exprimere gaudet, esse figuram Apostolo satis familiarem.* Nonne verò hoc probant loca à me citata? Certè, vel ipso D. *Tullio* fatente. Interim certissimum est, in uno saltem locorum allatorum, de se *Paulum* in prima persona loqui, quæ multum abest ut viro sancto conveniant. Sic enim loquitur *Rom.* 3. 7. *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc & ego tanquam peccator judicor?* Mendacium vocat *infidelitatem*, sive incredulitatem Judæorum, de qua locutus fuerat, v. 3. Dixit autem *mendacium*, ut rectè notat *Estius*, propter Antithesim cum *veritate* Dei. Abundare in gloria, est clariorem fieri. Sensus totius versûs est: Si veritas Dei, per meam, qui infidelis Judæus sum, incredulitatem clarior & illustrior facta est, (nempe in vocatione Gentium) quô jure mea ista infidelitas à Deo punietur? Itaque Apostolus (ut in cap. 7. ad *Rom.* ita) hic Judæorum personam sustinet, & de se in prima persona loquitur, quod multum abest ut viro sancto conveniat. Quippe loquitur in sua persona de infidelitate Judæorum, à qua tamen ipse longissimè abfuit. Sed D. *Tullius*, ad scopum & contextum loci minimè attendens, sensisse videtur, vocem *mendacium* hîc propriè & strictè sumi pro ejus, quod falsum est, deliberata enuntiatione, & *Pauli* adversarios ejuscemodi mendacii ipsum falsò accusâsse. Merum somnium.

20. Proximâ Sectione, ad id, quod urget *Paræus, reperiri quidem in Scripturis personarum Enallagen; sed eam quovis loco ex textu liquere, hîc verò nullo modô liquere*, his verbis respondeo: "Imò verò, inquam ego, "si ullo in loco liquet, certè hîc liquidò li-"quet. Ut enim taceam allata jam argu-"menta, quæ hanc figuram planè necessa-"riò postulant; cùm Apostolus satisfacere "vellet isti objectioni, Legem esse causam "peccati, atque respondere, tantum abesse, "ut peccati causa sit, ut ea sola peccati na-"turam accuratè solidèque demonstret; ait "se, absq; Lege esset, quid sit concupis-"centia nunquam fuisse cogniturum, & o-"lim cùm esset χωρὶς νόμου, *sine Lege*, eam à "se minimè fuisse cognitam, v. 9. Equidem "illud, *esse* χωρὶς νόμου, in Apostoli scriptis "Gentilium statum & conditionem signifi-"cat, vel eorum, qui Lege scriptâ carent, "ut opponitur eorum conditioni, qui vivunt "sub œconomia legali. Vivere enim χωρὶς "νόμου, & ἀνόμως, vel ἄνομον idem significant. "Vide *Rom.* 2. 12. 1 *Cor.* 9. 20, 21. Nun-"quam autem certè Apostolus eô modô sine "Lege fuit; siquidem Judæus erat genere, "à teneris unguiculis Gamalielis discipulus, "qui Legis doctrinam unà cum lacte suxe-"rat. Necesse est igitur, ut statuamus, "Apostolum in sua persona voluisse repræ-"sentare statum Judæorum, primò quales "fuerint χωρὶς νόμου, *ante Legem* latam; de-"inde quales facti sint ἐλθούσης τῆς ἐντολῆς, "*postquam Lex data esset*. Quòd si sermo-"nem ab hac personarum enallage auspica-"tus est, quæ ratio nos eò inducat, ut cre-"damus, eum ab illa destitisse in versibus "sequentibus." Integrum attuli paragraphum, quò Lector clariùs perspiceret, quàm manifestè hîc tergiversetur D. *Tullius*. Quid enim ad hæc respondet? "Locus, *inquit*, *Differt.* "fateor sub-obscurus, (in qualibus ludere *p.* 19. "solent curiosorum ingenia) & suô per me "sensu abundet unusquisque, modò ne tra-"hatur ad excludendum *Pauli* de se sermo-"nem; nulla enim hoc postulat necessitas." Quod tantundem est, ac si dixisset: Fateor quidem me nihil certi habere, quod ad hoc argumentum respondeam: sed nunquam fa-

teb or

tebor tamen, *Paulum* in hoc capite de se non loqui. Verè dixit Vir optimus: *Nulla tam misera, tam addicta servitus est, quàm* δουλεύον-ΤΩ τῇ ὑποθέσει. Sed loci obscuritatem obtendit D. *Tullius*; nimirum ut in tenebris, quas ipse offudit, elabatur. Equidem ipse Sol meridianus illi obscurus est, qui oculos claudit ac videre nolit: alioqui nescio, quid in hoc loco obscurum sit. An obscurum est, quid *Paulo* sit, *esse* χωρὶς νόμου, *sine Lege*? Constanter apud ipsum phrasi illâ significatur eorum status, qui Lege scriptâ carent, ut ex locis allegatis patet. Numquid obscurum est, utrúmne ipse *Paulus* scriptâ unquam Lege caruerit? minime gentium: nam sub Lege natus fuit, & unà cum lacte Legis doctrinam, (ut diximus) suxerat. Quid verò ex his tam manifestis sequitur? nempe Apostolum hôc in loco de se non loqui; sed alienam personam sustinere; ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Verùm mox animum recipit D. *Tullius*, & loci subobscuri explicationem aggredi audet his verbis: "Ego quidem (bonâ cum doctiorum venia) "ad eorum sententiam accedo, qui non de "Lege simpliciter, sed κατά τι, i. e. de Lege "apud irregeniti conscientiam minimè effi-"caci, nec sensu, quô debuit, intimo & spi-"rituali intellectâ; hoc enim æquivalenter "idem est, ac non esse Legem; non quòd "nulla sit formaliter, sed quòd vim suam, "quasi revera non esset, haud exerat." Ut crassissimum in his verbis solœcismum (ex nimia, ut puto, festinatione ortum) præteream, certè candorem Doctoris omnino desideraverim. Ipsissimum hîc *Paræi* responsum affert, quod nescire non poterat irrefragabilibus à me argumentis refutatum esse *Harm. Apost. Dissert.* poster. cap. 9. §. 14. Lege paragraphum, quisquis veritati studes, & penes te esto judicium. Itaque ipse D. *Tullius*, huic interpretationi diffidens, rursus monet Lectorem, ut illud argumentum nostrum susque deque habeat, atque hanc conclusionem, *Paulum* etiam hîc de se loqui, mordicus teneat. Sic enim responsum suum claudit: "Certè (præsens quod attinet institutum) "de loci sententia non magnopere laboran-"dum videtur, modò, uti diximus, *Paulum* "de se loqui inconcussum tueamur." Contra Adversarium verò, in hypothesim suam ita quasi juratum, quorsum attinet argumentis pugnare? Fruatur judicio suô.

21. Ad ea, quæ Sectione 15, & 16. contra *Paræum* disserui de phrasibus ab Apostolo usurpatis, nempe, *velle bonum*, & *nolle malum*, tam nullius momenti sunt, quæ respondet D. *Tullius*, ut vix operæ pretium sit istis immorari. Judicem rursus appello cordatum Lectorem, qui nostra cum iis, quæ hîc ab ipso reponuntur, conferre non gravabitur. Itaque ista leviter perstrinxisse sufficiat. 1ò. Negat D. *Tullius* voluntatem, quamvis absolutam, vehementem & constantem, necessariò secum trahere actionem; imò illud quotidianâ refutari experientiâ dicit. Post tot paradoxa Theologica, quale hîc habemus portentum Philosophicum! Si enim actiones respiciamus, quæ sunt ἐφ' ἡμῖν, (de quibus solis quæstionem moveri sanus quisque videt; siquidem in iis, quæ non sunt nostrâ in potestate, non præstitisse, quod volumus, in vitio non ponitur) nulla est in universa Philosophia hâc propositione certior: *Voluntas absoluta & constans necessariò secum trahit actionem.* Quippe voluntas totius hominis vires regit: proinde quicquid facere possumus, & volumus voluntate absolutâ & constanti, id omnino necessariò facimus. Quod de *Petro* subjicit, vanum est. *Petrus* cùm Christum negaret, non voluit voluntate absolutâ Dominum non negare; certè enim tum neutiquam negâsset. Sed eâ de re mox plura. 2ò. Ab eo, quod dixeram, volitionem boni, quam *Paulus* tribuit homini in 7. ad *Rom.* descripto, non certum animi decretum ac propositum significare, sed tantùm velleitatem quandam, sive leve & evanidum boni desiderium, quale in nimiùm multis, qui boni non sunt, reperiri solet, dissentire se profitetur D. *Tullius*. Esto. Atqui illud ratione satis evidenti ibidem confirmo, quòd scil. Apostolus homini à se descripto ita volitionem boni tribuit, ut ipsi facultatem τὸ κατεργάζεσθαι operandi bonum omnino detrahat v. 15. 18. Quô posteriori in loco notavi antithesin in verbis Apostoli: *Velle quidem mihi* παράκειται *adjacet*; *quomodo autem bonum faciam,* οὐχ ὑρίσκω *non invenio.* q. d. Mihi, Legis cognitione imbuto, & de justa ejus obligatione persuaso, in proclivi quidem est velle bonum illud quod Lex præscribit; at facultas id ipsum faciendi ita longè à me abest, ut, quô pactô illud perficiam, planè non inveniam; Lege scil. peccati in carne, cujus sub imperio sum, me perpetuò in contrarium abripiente, v. 21. Hoccine appellaveris bonum faciendi certum propositum ac decretum? Nunquid talis boni volitio pro hominis regeniti notâ characteristicâ habenda est? Hæc revera est responsio nostra ad *Paræum*, cui frustra expectamus, dum solidi quicquam D. *Tullius* reponat. 3ò. Mira planè sunt, quæ apud D. *Tullium* continuò sequuntur. "Quòd, *inquit*, ait, *velle* & *perficere* inter "se opponi, non capio; nî fortè subordinata "malit opponi: (hoc autem si vult, nun-"quam sane perficiet) sic enim sequeretur, "perfici opus bonum sine voluntate, cùm "tamen voluntas sit omnis actionis radix & "principium. *Velle* itaque & *perficere* non "possunt esse opposita." Et mox: "Si

Dissert. p. 20.

Dissert. p. 21, 22.

P. 22, 23.

" *velle* & *perficere* oppositis accensenda, ne-
" que *Paulus* ipse unquam perficeret bonum;
" obstaret enim (quod mirum est) ipsa per-
" ficiendi voluntas; cùm oppositorum unô
" datô, tollatur alterum." Papæ! Quomodo ex verbis meis, (seu potiùs *Amyraldi*, ad quem in margine Lectorem remitto) stupendas hasce consequentias elicere potuit? Verba hæc sunt: " Apostolus discrimen hîc
" statuit inter duo illa, τὸ θέλειν & κατερ-
" γάζεθαι καλὸν, *velle* bonum, & bonum *per-*
" *ficere*, v. 18. Quum autem duo ista sic
" distinguuntur & opponuntur inter se, ut
" facultatibus nostris attribuatur quidem τὸ
" *velle*, τὸ *perficere* haudquaquam; *velle* si-
" gnificat inclinationem quandam ac propen-
" sionem duntaxat, non autem voluntatem
" definitam, vehementem, absolutam & con-
" stantem: talis enim certè voluntas actio-
" nem post se necessariò trahit." Scilicet hoc unum dicimus, Apostolum hæc duo τὸ *velle* & τὸ *perficere* bonum, *sic* inter se distinguere & opponere, ut illud quidem homini, quem describit, concedat, hoc verò ipsi prorsus detrahat: indeque omnino sequi contendimus, Paulo *velle* bonum esse inefficaciter bonum velle, sive ita bonum velle, ut ipsum non perficias. Hôc autem nihil clarius. Jam quis cordatus, quis sanus hinc istam sententiam mihi tribuerit, *velle* bonum, & ipsum *perficere*, *simpliciter* & per se esse opposita, idque eô sensu, quô opposita à Logicis dicuntur; ita nempe, ut qui vult bonum, propterea ipsum non perficiat, qui verò bonum perficit, nolens, sive, ut loquitur D. *Tullius*, sine voluntate illud perficiat? Et tamen hæc ille absurda mihi affingit. Equidem cæca sit illa charitas, necesse est, quæ credat Doctorem, dum ista scriberet, veritati & candori seriò studuisse.

22. Ad ea, quæ ibidem de odio peccati adversùs *Paræum* differo, D. *Tullius* hæc repo-
Differt. p. 24. nit. Primùm rejicit exemplum *Medeæ*, inter alia à me allatum, ut probem, aliquale odium peccati etiam in pessimis reperiri posse. " Constat enim, *inquit*, mulierculam istam
" sceleribus suis maximè infamem fuisse: &
" quamvis levi aliquo conscientiæ singultu
" per intervalla laborabat (quod in flagitio-
" sissimis subinde reperitur) in istam tamen,
" quam patravit, immanitatem, plenis quasi
" velis provectam, ex *Euripide* & *Seneca*
" Tragœdo notissimum." Constat, fateor. Sed nonne etiam constat, istiusmodi planè hominem ab Apostolo in hoc capite describi? Certè. Nam dicitur homo ille *peccato venundatus*, quæ phrasis non nisi de sceleratissimis peccatoribus in S. literis usurpari solet, uti suprà ostensum est. Verùm instat D. *Tullius*: " Hoc verò, *inquit*, de se inficiatur Apostolus, (& meritò) cùm negat se esse, qui ma-
" lum istud, quod minimè vult, facit, sed
" peccato in se habitanti tribuit, v. 17. 20." Scilicet videtur V. R. sensisse, ista v. 17. 20. ab Apostolo in excusationem hominis, quem describit, dici. Sed in eo multùm fallitur. Nam *Paulus* de peccatoribus quibusvis, nedum de se excusando minimè laborat; sed totus hic sermo ejus omnino pertinet ad Justificationem ipsius Legis, atque ad probandum, quòd Lex per se non sit causa peccati & mortis, sed justa, bona & sancta, uti patet ex scopo loci, & imprimis ex v. 16. *Quòdsi id facio, quod nolo, consentio Legi quòd bona sit.* Sane autem validissimum est argumentum ad sanctitatem Legis vindicandam, quod ipsimet mali homines, ejus cognitione instructi, ipsam cùm transgrediantur, approbent tamen, ipsique obedire aliquatenus velint, conscientiâ etiam suâ, ob peccata contra eam admissa, ipsos furdis verberibus flagellante, ut in *Harmonia* observavi. Itaque sensus Apostoli in v. 17. 20. hic manifestus est: Cùm homo carnalis, Legis cognitione imbutus, contra Legem peccat, non tam peccat ipse homo, h. e. mens hominis (scil. mens cujusque est quisque) quàm τὸ θηριώδες (ut loqvuntur Stoici) sive *brutum* in homine, peccato mancipatum, quæ *Lex peccati in membris* dicitur v. 23. Unde sequitur, judiciô etiam pessimorum hominum (quà homines propriè sunt, & judiciô pollent) Legem Dei omnino justam, bonam & sanctam esse: quod demonstrandum susceperat Apostolus.

23. Deinde apud D. *Tullium* hæc verba se- *Differt.*
quuntur: " Unde parum movebunt cordatos *p. 24, 25.*
" istæ, quæ sequuntur, ad populum phaleræ,
" ubi sic modulatur (*O quàm* facetè *dictum!*)
" Harmonista: *Egregiam verò laudem, sic esse*
" *regeneratum, ut malum odio habeamus, cùm*
" *nulla nos perturbatio, nulla appetitûs com-*
" *motio ad id perpetrandum impellit; id verò*
" *statim ac mali committendi occasio se obtulit,*
" *nosque ad id perpetrandum sollicitat aliqua*
" *cupiditas, ex animo diligamus.* Totum de-
" scripsi, ne forte læsæ sententiæ litem inten-
" deret. Quàm verò invidiosa & ἀσύστατα o-
" mnia, utinam de integro expenderet." Age itaque, monente Viro Reverendo, omnia de integro expendamus. Interrogat primò D. *Tullius: Quæ verba Paulina hominem probent ibi descriptum taliter affectum?* Respondeo, id probant verba illa *Paulina*, quibus dicitur homo ibi descriptus, cùm peccatum odio habeat, peccatum tamen perpetrare, Legi peccati in carne captivus duci, adeoque peccato venditus. Hinc enim in *Harmonia* ita ratiocinamur: " Nemo malum odit eô momentô,
" quô id perpetrat. Omne igitur istud odi-
" um, quô homo hîc repræsentatus malum
" prose-

" proſequebatur, ſpectat ad illud tempus, " quô concupiſcentia vel nondum in ipſo " objectorum præſentiâ commota erat; vel " nondum rationis repugnantiam ſupera- " verat. Poſtquam concupiſcentia præva- " luit, prorſus neceſſe fuit, ut toto illo " tempore, quô rationem ſubjectam tenuit, " odium illud mali ceſſarit." Poſthæc ſequuntur verba à D. *Tullio* citata: *Egregiam verò laudem*, &c. Judicent verò eruditi, an hæc, tanquam ad populum phaleræ, Doctoris riſum & contemptum mereantur. Sed in mentem hîc videtur D. *Tullio* veniſſe illud *Quinctiliani* Rhetoris monitum: *Hucuſque ſimulatio procedit, ut quæ dicendo refutare non poſſumus, quaſi faſtidiendo calcemus.* Mox carpit & vellicat iſta verba mea, *ex animo diligamus.* Mirum verò Syllogiſmum, quem hîc mihi affingit, prætereo, quòd (ut verè dicit ipſe) *nulla ſit talis Dialectica contrectatio.* Quod de *Petro* ſubjicit, conſiderationem meretur. *Cùm* Petrus, inquit, *ter abnegavit Dominum, an triſte facinus ex animo dilexit?* Reſpondeo, Certè. *Petrus* cùm Chriſtum abnegaret, ex animo dilexit triſte facinus, non quà triſte facinus erat, (nemo vel peſſimus peccatum, ut peccatum, diligit) ſed ut medium, quam timebat, mortem effugiendi, vitamque ſuam conſervandi. Rem eruditè explicat *Bucerus* in Enarratione capitis 7. Epiſtolæ ad *Romanos*, ubi poſt alia lectu digna, ita de *Petro* diſſerit: " *Petrus* cùm " perculſus metu ex appellatione mulieris, " negavit Chriſtum Servatorem, duæ verſa- " bantur in animo ejus ſententiæ: *Fugien- " dum eſt periculum vitæ*; &, *fugiendum eſt, " negare Chriſtum*: in illo autem valebat ſenſus & cupiditas naturæ; in hôc ſenſus ac " voluntas Legis & Spiritûs Divini. Ubi " ergo deſtituit eum vis Spiritûs Divini, " prævaluit conſideratio periculi inſtantis, & " depulſa eſt conſideratio negationis Chriſti: " ruit ergo in negationem. Ad illam enim: " *Fugiendum eſt periculum vitæ*, aſſumpſit: " *Negatione Ieſu hoc inſtans modò periculum " vitæ effugies*; concluſit itaque: *Ergo negandus eſt Ieſus*; & negavit. Brevis quidem deliberatio fuit; metus enim violentior eam excludebat: quâ tamen mens celeritate eſt, non potuit ei non occurrere & hæc: *Negare Chriſtum, id eſt, Servatorem & Filium Dei, exitioſum eſt.* Si jam " potuiſſet *Petrus* perſtare in conſideratione, " fugiendam eſſe negationem Chriſti Servatoris, facilè aſſumpſiſſet: *Hic Ieſus Chriſtus " Servator tuus eſt*; indeque firmatis præmiſſis etiam concluſiſſet: *Ergo Ieſus hic " meus Magiſter minimè negandus eſt:* & ſic " in confeſſione ejus perſtitiſſet. Et hîc ergo fecit tam quod noluit, quàm quod voluit: quod noluit, priuſquam perculſus " adeo metu impendentis periculi, decidiſſet à conſideratione hujus, quid ſit negare Chriſtum, & cùm ea ipſi conſideratio " reſtituta fuit, aſpiciente eum Domino; mox " enim amariſſimè flevit: quod voluit, cùm " actu definiret, quid reſponderet mulierculæ; tum enim prævaluit illa: *Præſens " periculum fugiendum eſt*, & ſub hac aſſumptio: *Negatione Ieſu illud effugies*; con- " cluſit itaque: *Negandus ergo Ieſus eſt*; & " negavit eum." Neſcio autem, quid ſibi velit D. *Tullius*, cùm poſthæc me tam ſeriò reprehendit, quòd *de peccato inhabitante tam contemptim loquar, ut apud me aliqua tantùm cupiditas audiat.* Loquor de actuali peccato, ab actuali concupiſcentia, per objectâ commotâ & excitatâ: ubi dicendum mihi erat, vel cupiditas indefinitè, vel aliqua cupiditas, vel omnis cupiditas, vel nulla. Sed Virum Reverendum hanc tantam dicta mea omnia, etiam innocentiſſima, carpendi pruriginem ubique prodidiſſe, non poſſum non ex animo dolere.

Enarrat. Epiſt. ad Rom. *ad c.7.p.368. edit.* Baſil.

24. Ad ea, quæ reſponderam *Paræo* objicienti, quòd conſentire Legi Dei, & in ea delectari, ſit renatorum proprium; nihil reponit D. *Tullius*, quod alicujus momenti ſit, niſi quòd litem mihi intendat, de ſignificatione vocis συνήδομαι. " Συνήδομαι, *in-* " *quit*, paulò dignius aliquid ſonat, quàm " nudum σύμφημι, neque voces iſtas ante " Harmoniſtam probatus Author Græcus " confudit unquam." Verùm ad hoc facilis reſponſio. Phraſis συνήδεσθαι τῷ νόμῳ eſt in Scripturis ἅπαξ λεγόμενον· apud prophanos verò Scriptores nuſquam, quod ſciam, reperitur. Sed verbum συνήδομαι, cum aliis nominibus junctum, Græcis familiare eſt, & ſignificat *unà cum alio voluptate affici*, ſive *gaudere*: ideoque à *Latino* Interprete non malè vertitur (novô vocabulô ad vim vocis exprimendam effictô) *condelector.* Itaque συνήδεσθαι τῷ νόμῳ (ſi proprietatem verbi συνήδομαι tenere volumus) neceſſariò hîc ſignificat conjunctum gaudium, ſive voluptatem Legis & hominis, qui ſub Lege eſt. Certè autem Legi non niſi impropriè tribuitur gaudium, ſive voluptas. Quid ergo? Lex dicitur iis gaudere ac delectari, quæ bona judicat, & facienda præſcribit; homo verò Legi condelectari, cùm judicio Legis conſentit, hoc eſt, ea judicat bona & facienda, quæ Lex ut bona & facienda ipſi commendat. Si ἐφήδομαι τῷ νόμῳ dixiſſet Apoſtolus, Doctoris interpretationi magis faviſſet. Nulla itaque ratio eſt, quæ nos eò inducat, ut credamus συνήδομαι τῷ νόμῳ, v. 22. dignius aliquid ſignificare, quàm σύμφημι τῷ νόμῳ, v. 16. Hinc ipſe *Calinus* verba Apoſtoli

Diſſert. p. 26.

ſtoli v. 22. juxtà nobiſcum vertit: *conſentio Legi ſecundùm interiorem hominem.* Sed non opus eſt, ut de ſignificatione vocis συνήδομαι cum D. *Tullio* contentionis ferram reciprocemus. Probavi & ratione, & diſertis Scripturæ teſtimoniis, aliqualem in Lege Dei delectationem etiam non renatis competere. Iis verò, qui dicunt, in locis iſtis Scripturæ non veram ac ſolidam in Lege Dei delectationem intelligi, ſed fluxam atque evanidam, hæc regeſſi: " Cur non vident iſti, eandem re-
" ſponſionem æquè, imò multò magis huic
" loco accommodam eſſe? Certè enim ho-
" mini hîc repræſentato non firmam & con-
" ſtantem in Lege delectationem tribuit *Pau-*
" *lus*, ſed ejuſmodi, quæ, cùm offerant ſeſe
" carnis illecebræ, ab iis adeo vincitur at-
" que abſorbetur, ut miſer homo tandem
" Lege peccati, quæ in membris, planè ca-
" ptivus abducatur, v. 22, 23. Hujuſmodi
" autem Legi divinæ condelectationem ho-
" mini irregenito quis invideat? quis tri-
" buat regenito?" Ad hæc totus ſilet D. *Tullius*.

25. Progreditur hinc D. *Tullius* ad ea, quæ diſputavi adversùs *Paræum* de *homine interiori*.

Differt. p. 27. " Quod, *inquit*, de homine interiori & novo,
" tanquam adeo diverſis, arguit, in eo magni
" nominis Theologos ſibi adverſantes neſcire
" non poteſt." Verùm permirum videtur, neſciviſſe ipſum, multò plures, eoſque majoris nominis, Theologos mecum hîc conſentire. Nam certum eſt, Veteres penè omnes, & permultos Theologos recentiores ſenſiſſe, per *interiorem hominem* omnino ſignificari mentem ſive animam rationalem. Id fusè oſtenſum eſt à *J. Arminio* in Diſſertatione ſua de cap. 7. ad *Rom.* Imò ipſe *Eſtius*, qui alioqui D. *Tullii* interpretationi aſtipulatur,

p. 66. & ſeqq. hac ex parte nobiſcum conſentit. Sic enim ille in loc. " Interiorem hominem interpre-
" tor mentem, non autem hominem novum
" & renovatum. Non enim Apoſtolo idem
" eſt homo interior & novus; ut nec idem
" homo exterior & vetus. Nam & in pec-
" catoribus eſt interior homo, ſed nondum
" renovatus. In juſtis autem interior homo
" cum novo homine coincidit." Ubi vult Interpres eruditus, hôc quidem in loco interiorem hominem coincidere cum novo, ex hypotheſi nempe ſuâ, quâ ſtatuit agi hîc de homine regenito, cujus interior homo ſit per Spiritum Sanctum renovatus; ſed fatetur tamen, *interiorem hominem* per ſe nihil aliud ſignificare, quàm mentem, ac proinde peccatoribus & juſtis æquè competere. Itaque neutiquam cum D. *Tullio* & *Paræo* ſenſit *Eſtius*, ex eo quòd perſonæ, in hoc capite deſcriptæ, interior homo tribuatur, firmum argumentum deduci poſſe ad probandum, agere hîc Apoſtolum de homine regenito. Cæterùm validiſſimis quoque rationibus probavi, *interiorem hominem* hôc in loco idem eſſe, quod eſt *mens*, ſive anima rationalis. Cur ad iſta nihil reſpondet D. *Tullius*? In proclivi eſt cauſam conjicere. Sed quanquam Vir Reverendus nihil habuerit, quod ad noſtra argumenta reſponderet; non defuit tamen ipſi objectio aliqualis, quam noſtris opponeret. Sic enim pergit: " Eum certè interiorem *Differt. p. 27, 28.*
" hominem (quicunque demum fuerit) carni
" opponit Apoſtolus & Legi in membris, v.
" 18. 22, 23. Per carnem autem ſæpiſſimè
" totam hominis naturam, quà depravatam
" ex primo lapſu, intelligi in Scripturis, qui
" illas ſeriò & reverenter conſulit, vix in
" dubium revocare poterit." Reſpondeo: Per *carnem* non rarò in Scripturis intelligi totam hominis naturam, quà ab *Adamo* derivatur, ultrò fatemur. Sed in hac latiore ſignificatione *caro* opponitur non interiori homini, ſed *Spiritui*; ut in loco, cujus verba à D. *Tullio* citantur, nempe, *Joan.* 3. 6. *Quod genitum ex carne, caro eſt; & quod genitum ex Spiritu, Spiritus eſt. Interior* autem *homo* ab Apoſtolo hîc opponitur *membris* ſuis, nempe corporeis, & affectibus, qui ex iis naſcuntur. Nam verbis illis, *condelector*, ſive *conſentio Legi Dei ſecundùm interiorem hominem*, v. 22. mox hæc ſubjicit Apoſtolus v. 23. *Sed video Legem aliam in membris meis.* Quid hîc D. *Tullius*? " Fruſtra autem, *in-*
" *quit*, erit, [*Harmoniſta*] ſi per membra
" hôc locô intelligat tantùm corporea. Sic
" enim Metonymicè dicuntur cupiditates
" quæcunque Legi contrariæ, quarum velu-
" ti corpus eſt peccatum originale, cùm eis
" utatur quaſi corporis membrorumque mi-
" niſteriô." Sed fruſtra planè eſt hîc D. *Tullius*. Quanquam enim non diffiteamur, alibi ab Apoſtolo totam peccandi conſuetudinem *corpus*, & partes ſingulas *membra* dici; tamen omnino negamus, hôc in loco iſtiuſmodi locutionem figuratam obtinere. Nam primùm membra, de quibus hîc loquitur, Apoſtolus *ſua* vocat, non peccati: ait enim, ἐν τοῖς μέλεσί μου. Deinde manifeſtiſſima eſt hîc antitheſis inter duplicem Legem, & utriuſque Legis ſedem. Legi Dei opponitur Lex peccati: Lex Dei collocatur in homine interiori, ſive in mente hominis; unde & *Lex mentis* appellatur: Lex peccati in membris ſtatuitur. Itaque membra hîc non conſtituunt totum hominem depravatum, ſed eam tantummodo hominis partem, quæ à mente ejus diſtinguitur, hoc eſt, corpus & affectus corporeos. Denique quiſquis ſenſum Apoſtoli cupit certò intelligere, & quid ipſi ſit *Lex peccati in membris*, ſcire, adeat ille v. 5. hujus capitis, & capitis 6. v.

12,

12, 13, 14. Res tam manifeſta eſt, ut hîc iterum habeamus ipſum *Eſtium* nobis aſtipulantem. Sic enim ille ad hujus capitis v. 23. " Experior aliam Legem in membris meis, id " eſt, in corpore meo & in toto homine ex- " teriore, qui durante hâc vitâ non renova- " tur, ſed corrumpitur 2 Cor. 4. Ideo au- " tem dicit, *in membris*, quia in membris qui- " buſdam, quæ pudor nominari vetat, maxi- " mè percipitur & apparet rebellio, quam " excitat Lex iſta peccati, de qua ſermo eſt." Quæ deinde ſubjicit D. *Tullius* contra Harmoniſtam, exponentem Luctatores in hoc capite de appetitu ſenſitivo, & ratione ſive intellectu, cognitione Legis imbuto, ea facilè ex iis, quæ jam diximus, refelluntur; ut non opus ſit, iſtis Lectorem morari.

26. Mira verò ſunt, quæ reſponſioni meæ ad quintum *Paræi* argumentum, ex v. 24, 25. deſumptum, reponit D. *Tullius*. Nam primùm ridiculos, neſcio quos, paralogiſmos mihi affingit: ut, *Qui ea facit, aut dicit, quæ homini planè regenito poſſunt convenire, is pro irregenito habendus eſt: ita deſcriptus* Rom. 7. *Ergo*. Rurſus: *Perſona à* Paulo *deſcripta ingemiſcit de peccatis, &c. Vir aliquis irregenitus ingemiſcit de peccatis: Ergo irregenitus aliquis eſt ea perſona*. Sed ubi habet *Harmoniæ* Authorem tam ineptè diſputantem? Inſpice, Lector, paragraphum Libri mei, quem hîc perſtringit D. *Tullius*; & miraberis, unde Vir tantæ gravitatis anſam arripere potuerit in re ſeria iſtos ludos faciendi. Sed hoc parum eſt. Mox dum Harmoniſtam ἀντιλογίας craſſiſſimæ ſtudet arguere, manifeſtæ falſitatis ipſe convincitur. *Prætereundum verò*, inquit, *non eſt, quod ab Harmoniſta ingeritur*, εὐχαριστίαν *illam, v.* 25. *homini irregenito bene convenire*: Gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum, &c. *Sed paulo pòſt corrigit ſententiam cum mira ſua (nec ſua tamen)* παρενθήκη *ad* Paulum *regenitum transferendâ*. Nam ubi, quæſo, dixit Harmoniſta, εὐχαριστίαν in v. 25. homini irregenito bene convenire? En, Lector, verba mea! *Apoſtolus v.* 24. *addit exclamationem, ſive* παλαισμὸν *homini, qualem in verſibus præcedentibus deſcripſerat, convenientem; miſerum &, ſi Legem ſpectes, planè deploratum ejus ſtatum oſtendens. Deinde v.* 25. *Gratiam Dei per Chriſtum celebrat, quâ ſolâ à miſerrimo hôc ſtatu tum ipſe liberatus fuerit, tum aliis liberationis via & facta fuerit, & patefacta. Quæ* εὐχαριστία *per* παρενθήκην *eſt legenda*. Hîc dico quidem, παλαισμὸν in v. 24. homini, quem in ſuperioribus deſcripſerat *Paulus*, convenientem eſſe: ſed εὐχαριστίαν in v. 25. omnino per παρενθήκην legendam, atque ad *Pauli* perſonam referendam eſſe contendo. Poſt has ambages tandem D. *Tullius* ad argumentum pro ſententia noſtra ex v. 24, 25. deſumptum, quod ego invictiſſimum appellaveram, accedit. Argumentum hôc Syllogiſmô comprehenditur: *Status hominis in hoc capite deſcripti, eſt ſtatus miſeriæ, ſtatus peccati ac mortis, ſtatus denique, à quo quicunque Chriſti ſunt, liberantur: at ſtatus renatorum non eſt hujuſmodi; ergo ſtatus renatorum non eſt ſtatus hominis in hoc capite deſcripti.* Quid hîc D. *Tullius*? primùm pro more ſuo ridet argumentum noſtrum; deinde ſic breviter reſpondet: *Tota propoſitio nihil aliud eſt, quàm petitio principii*. Itane verò? Nonne propoſitio diſertiſſimis *Pauli* verbis in v. 24, 25. confirmatur? Certè. Nam homo in ſuperioribus deſcriptus, dicitur à *Paulo* v. 24. παλαίπωρος ἄνθρωπος, *homo infœlix*, ſive *miſer*: idem ibidem dicitur *corpori mortis*, i. e. peccati dominio, atque ob id morti *ſubjectus*. In verſu 25ô celebratur Dei per Chriſtum Gratia, quâ ſolâ ab iſta miſeria & corpore mortis liberatio homini contingat. Quid his clarius? Sed inſtat D. *Tullius*: *An negabit*, inquit, *ipſe ſe peccatorem eſſe, iſtô etiam nomine miſerum, & mortem quoque in ſtatu quô eſt, indies, imò & in horas, commeritum?* Concludit: *In hôc itaque ſuæ ſaltem parcat modeſtiæ.* Reſpondeo: Fateor lubens coram Deo & hominibus, me olim graviſſimum peccatorem, eôque nomine miſerrimum fuiſſe: quin & etiamnum me in multis offendere agnoſco. Sed me nunc peccatorem eſſe, quô ſenſu peccator in Scripturis dicitur, aut ſub corpore mortis, de quo loquitur Apoſtolus, eôque nomine miſerum eſſe, ſpero me per Dei Gratiam negare poſſe, ſalvâ modeſtiâ meâ. Sed quicquid de me ſit, (quem vellem V. R. permittat Domino meo ſtare, aut cadere) omnino nego, hominem regenitum, ſeu verè pium, uſpiam in Scripturis dici παλαίπωρον ἄνθρωπον, *hominem infœlicem*, ſeu *miſerum*, nedum hôc nomine miſerum, quòd corpori mortis, de quo loquitur Apoſtolus, ſubjectus ſit. Locum ejuſmodi è Sacris Literis proferat D. *Tullius*, ſi poterit. Sed contrà univerſa Scriptura, Prophetica, Evangelica, Apoſtolica talem hominem beatum & fœlicem ubique pronuntiat. Cæterùm utcunque D. *Tullius* hoc argumentum noſtrum contempſerit; novimus Virum doctiſſimum, qui aliquando erroneam, quam ipſe amplectitur, hujus capitis interpretationem mordicus tenuit, ſed poſtea hôc uno argumentô attentiùs conſideratô victus, veritati victas manus dedit. Is fuit *Nicolaus Zitinius*, qui cùm penſum ſibi à ſuis impoſitum explicandi caput 7. ad *Rom.* juxta hypotheſim eorum, qui ſentiunt, ibi à v. 14. *Paulum* loqui de ſe regenito, ſuſcepiſſet, remque ſtrenuè aggreſſus eſſet; tandem ad verba veniens v. 24, 25. *Miſer ego homo! quis me liberabit à corpore mortis hujus?*

Diſſert. p. 30. & ſeqq.

Harm. Apoſt. Diſſert. poſter. cap. 9. §. 19.

Diſſert. p. 32, 33.

jus? Gratias ago Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, hæſit attonito ſimilis: mox verò ad ſe rediens, in hæc verba erupit: *Ecqua verò iſta liberatio? Ecquod beneficium illud, quod tantas Apoſtolo grates expreſſit? an quòd in tantâ eum peccati ſervitute detineri neceſſe fuit? Hoc verò mihi equidem probari nullo pacto poteſt. Ego igitur pariter ingentes Patri luminum ago gratias, quòd mihi nunc ab errore liberato veritatis ſuæ lucem adoriri voluit.* Utinam tantum D. *Tullius* imitaretur exemplum.

27. Mox de eo quod dixi, verba illa v. 25. *gratias ago Deo*, &c. per παρενθήκην, tanquam ab Apoſtolo in ſua ipſius perſonâ dicta, legenda eſſe, iterum paratragœdiat D. *Tullius*. Dixerat & antea, παρενθήκην illam noſtram miram eſſe. Sed cur iſthoc tam mirum, quòd Apoſtolus, poſtquam in præcedentibus miſerum hominis ſtatum ſub Lege exiſtentis deſcripſerat, paucis verbis, brevi parentheſi inclusis, ſignificet, iſta ad ſe non pertinere, quin & miſero iſti homini deſperationis anſam præſcindat, oſtendendo, non planè deploratam eſſe ipſius ſortem, imò certum ipſi remedium præſtò eſſe, ſi modo Chriſti gratiam amplectatur; deinde ad inſtitutum redeat v. 26. & quaſi Epilogô breviſſimè ſummam totius præcedentis ſermonis repetat? An illud tam abſurdum videri debet, ut propterea ſermonem Apoſtolo affingere ἀπροσδιόνυσον, revera abſurdum & repugnantem, (qualem per D. *Tullii* interpretationem Apoſtolo tribui ſuprà abunde evicimus) & phraſes ab Apoſtolo uſurpatas à v. 14. ad v. 25. à manifeſto & ubique aliàs in S. Scripturis uſitato earum ſenſu detorquere neceſſum habeamus? Sed neque deeſt exemplum ſimilis παρενθήκης in ſimili μεταχηματισμῷ, ab ipſo *Paulo*, idque in hac ipſa Epiſtola ad *Romanos*, adhibitæ? Locus eſt *Rom.* 3. v. 5, 6, 7. Ubi v. 5. hæc *Paulus*, Judæorum perſonam ſuſtinens (conſentientibus doctiſſimis Interpretibus) loquitur: *Si autem iniquitas noſtra Juſtitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus eſt Deus, qui infert iram?* Deinde per parentheſim in ſua perſona hæc dicit: κατ' ἄνθρωπον λέγω, *Secundùm hominem loquor*, &c. Tum denique

Differt. p. 34.

ad cœptam objectionem redit, atque iterum infidelium Judæorum perſonam aſſumit, v. 7. *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipſius*, &c. Vide *Grotium* in locum.

28. Ultimô in loco illud D. *Tullio* diſplicet, quòd in reſponſione ad ultimum *Paræi* argumentum obiter dixerim, non neceſſe eſſe, ut verba illa v. 26. αὐτὸς ἐγὼ, reddantur, *ipſe ego*; cùm meliùs verti poſſint, *ille ego*. Hoc quoque mirum ipſi videtur. Sed quid rurſus iſthuc tam mirum ſit? An mirum & novum ipſi videtur, Apoſtolum quaſi in ſua perſona, adhibito pronomine ἐγὼ, illud dicere, quod non ad ſe, ſed ad alios pertinet? Clarè oſtendi (quicquid contradicat D. *Tullius*) iſtum Metaſchematiſmum alibi ab Apoſtolo uſurpatum eſſe; imò ejuſmodi figuram in hoc ipſo capite, nempe v. 9. omnino admittendam, niſi vim Apoſtoli verbis manifeſtam facere velimus. Nunquid mirum ipſi videtur, quòd αὐτὸς reddiderim *ille?* At nôrunt omnes, qui Græcas literas vel à limine ſalutârunt, iſtam vocabuli acceptionem *Græcis* perquam familiarem eſſe. Unde ante Hugonem *Grotium* Jacobus *Capellus* (qui certè Græcæ linguæ haud ignarus fuit, & alioqui cum D. *Tullio* in hujus capitis interpretatione conſenſit) verba Apoſtoli ἄρα οὖν αὐτὸς ἐγὼ, &c. ſic paraphraſticè reddit: *Gratias ago, quòd ille ego, qui naturâ meâ peccati ſervus eram*, &c. Sunt, qui αὐτὸς ἐγὼ hîc vertunt, *idem ego*; ac ſi dicat Apoſtolus: *Ego unus idemque mente quidem ſervio Legi Dei; carne autem Legi peccati:* quæ verſio cum noſtra ſententia optimè congruit. Sic *Eraſmus*, *Bucerus*, *Hammondus* noſter, & dudum ante ipſos Interpres *Arabs*. Sed non hîc ſitæ ſunt fortunæ Græciæ. Neque neceſſe eſt (Doctore ipſo fatente) ut Grammaticam iſtam litem ulteriùs proſequamur, modò ſolidis argumentis, è re ipſa petitis, probaverimus, Apoſtolum à v. 14. hujus capitis ſtatum hominis ſub Lege conſtituti, & Gratiâ Evangelicâ deſtituti, deſcribere. *De hoc autem* (ut D. *Tullii* verbis Apologiam meam claudam) *æqui judicent & cordati Lectores.*

MVSEVM BRITANNICVM

INDEX

INDEX
Titulorum & Materiarum
IN
APOLOGIA, &c.

PRæfatio, p. 1. & ſeq.

Sectio 1. ad Libri Titulum.

[*Novatæ Religionis invidia, quâ in Libri inſcriptione Adverſarios ſuos gravare voluit D.* Tullius, *amovetur. Popularia convitia, de Papiſmo & Sociniſmo, quibus Novatores, quos vocat, paſſim in Libri corpore proſcindit, clarè refelluntur.*] p. 4. uſque ad finem pag. 10.

Sectio 2. ad Libri Præfationem.

[*D.* Tullii *Rhetoricatio, in ipſo Libri initio,* ἀπροσδιόνυσος. *Immeritò D. T. illos reprehendit Theologos, qui à lite, quam ipſe contra Harmoniæ Authorem tantô fervore intendit, abſtinendum cenſuere. Divinæ veritatis magnalia, pro quibus D. T. tantopere digladiandum cenſuit, partim meræ ſunt* λεπτολογίαι, *partim dogmata perniciosa, à quibus Chriſtianorum aures abhorrent. Tragicus D. T. ſermo, quem in Harmoniſtam, alioſq; ſuos Adverſarios intonat, refellitur. Fruſtra prætendit D. T. ſe in hujus controverſiæ arenam perinvitum deſcendiſſe. Legem, quam Adverſariis ſuis ſtatuit, ipſe non ſervat.*] p. 1. uſque ad fin. p. 13.

Sectio 3. ad Cap. 1. de Statu Quæſtionis.

[*Malè à Doctore* τὸ κριτόμενον *Controverſiæ definitur. Status Quæſiti genuinus luculenter explicatur.*] p. 14. uſque ad fin. p. 19.

Sectio 4. ad Cap. 2. de Patrum ſententia.

[*Falsò à D. T. tribuitur Harmoniæ Authori, quòd ſcripſerit, Patres pleroſque omnes ante* Auguſtinum *pro Juſtitia operum ad ipſius caſtra tranſire. Ad Patrum tamen tribunal lubens appellat Harmoniæ Author. Illud generatim de Patribus ſtatuendum, in locis illis omnibus, ubi juſtificari hominem ex ſola fide docent, loqui ipſos non de fide, ſimplici virtute, ſed de fide ſenſu complexo accepta, ſive de fide formata, ut opponitur vel 1. operibus externis, ſive actuali operum juſtitiæ; vel 2. operibus Legis naturalis, ante & citra cognitionem, fidem & gratiam Evangelii præſtitis; vel 3. operibus Legis* Moſaicæ; *vel denique operibus quoviſcunque nomine meritoriis. Ad teſtimonia* Irenæi, Origenis, Cypriani, Hilarii, *M.* Baſilii, Ambroſii, Chryſoſtomi, Auguſtini *particulatim reſpondetur.*] p. 20. uſque ad fin. p. 25.

Annotata ad Sectionem iv. p. 25. uſque ad fin. p. 27.

Sectio 5. ad Cap. 3. de Eccleſiæ Anglicanæ judicio.

[*Triplex D.* Tullii *fraus notatur; nempe, quòd decretum Eccleſiæ Anglicanæ in Art.* 11. *non integrum recitet; deinde quòd de fuſiori illa Articuli explicatione, in Homilia de Salute hominis traditâ, ad quam filios ſuos amandat Eccleſia in ipſo Articulo, quamque pro ſe allegaverat Harmoniæ Author, totus ſileat; deniq; quòd ad Homiliæ quaſdam lacinias, eaſque haud bonâ fide ab ipſo verſas, ſuiſque adeo interpretamentis miſerè depravatas, Lectorem remittat. Ad loca ex Homilia de Salute hominis ab ipſo adducta reſpondetur. Noſtra Articuli explicatio illuſtri teſtimonio Theologi perilluſtris,* Richardi Fieldi *confirmatur.*] p. 28. uſque ad fin. p. 34.

Sectio 6. ad Cap. 4. de Eccleſiarum Exterarum, quæ Reformatæ audiunt, judicio.

[*Dictum Authoris Harmoniæ, Reformatarum Eccleſiarum Confeſſiones omnes, vel certè earum primas ac nobiliſſimas, à ſuis partibus ſtare, contra D.* Tullium *defenditur. Fruſtra reprehendit D. T. Harmoniæ Authorem, quòd Confeſſionem Auguſtanam omnium Reformatarum nobiliſſimam appellaverit, quódque dixerit, primos Reformationis*

nis noſtræ Authores Confeſſionem illam ſecutos, ſive imitatos fuiſſe. Probatur contra D. T. *ab* Auguſtanis *doceri, veram pœnitentiam omnino neceſſariam eſſe ad hominis Juſtificationem. Locus è Confeſſione* Wurtenbergica, *ab Harmoniæ Authore citatus, illuſtratur. Verba nobilis Confeſſionis Argentinenſis à D.* T. *interpretamento alieno vindicantur.*] p. 35. uſque ad p. 39.

Sectio 7. Epilogum continens ad Sectiones præcedentes.

[*Accuſatio ἑτεροδοξίας in Doctorem retorquetur. Oſtenditur* D. T. *in nonnullis Chriſtianæ doctrinæ capitibus, maximi momenti, claris Eccleſiæ Anglicanæ, aliarumque Reformatarum nobiliorum, adeoque Catholicæ definitionibus omnino repugnare. Quatuor præcipuè Acatholica ipſius dogmata notantur; nempe,* 1. *pœnitentiam, ſeu veram de peccatis contritionem, nullatenus ad primam Juſtificationem obtinendam eſſe neceſſariam.* 2. *Continuationem ſive conſervationem Juſtificationis noſtræ, jam per ſolam fidem adeptæ, neutiquam pendere ex conditione operum bonorum, in poſterum à nobis faciendorum.* 3. *Non poſſe hominem, qui fide Juſtificâ ſemel imbutus eſt, ab eadem penitus deficere, atque æternùm perire.* 4. *Chriſtum ſatisfeciſſe, ſeque in cruce obtuliſſe pro ſolis Electorum peccatis.*] p. 39. uſque ad p. 58.

Sectio 8. ad reliqua Capita.

[*Notantur mira quædam Doctoris Sophiſmata. Falsò objicitur à* D. T. *Harmoniſtæ ſociiſque ejus, quòd ipſis Solifidiani ſint Patres, Anglicana Eccleſia, & Reformatæ omnes. Solifidianiſmi tamen meritò arguitur* D. Tullius. *Convitium, quod facit Harmoniſtæ, nempe, Scenæ ipſum ſervire contra veritatem, clarè refellitur. Contra* D. T. *defenditur argumentum quoddam Authoris Harmoniæ, quod ſic habet: Quatenus* Paulus *opera ritualia & externa, ut non neceſſaria rejicit, eatenus opera ſpiritualia & interna, ut neceſſaria admittit: ſed opera ritualia rejicit ut non neceſſaria ad Juſtificationem, &c. Ingenua Harmoniſtæ confeſſio, nempe, Harmoniam à ſe admodum juvene conſcriptam fuiſſe, parum ingenuè à* D. T. *exagitatur. Loca quædem ex Harmonia, malâ fide à* D. T. *citata, notantur. Ad totum inſtitutum capitis undecimi Juſtif. Paul. in quo probare nititur* D. T. *noſtram de Juſtificatione doctrinam cum Pontificia peramicè conſpirare, paucis reſpondetur. Criminatio in Doctorem rejicitur, atque oſtenditur,* D. Tullii *de Juſtificatione ſententiam cum Pontificiorum, in eo quod maximè Pontificium eſt, peramicè conſpirare. Vindicatur Harmoniſtæ argumentum, quô probaverat,* Jacobum *non tantùm fucatæ, ſed & veræ fidei ſolitarium juſtificandi officium detrahere, quod ſic habet: Fides ea, quæ in* Abrahamo *erat, procul dubiô vera erat fides, non fidei larva; at fides ipſa* Abrahami *ſine operibus ipſum juſtificare non valuit, &c. Falsò Harmoniſtæ ἀντιλογία objicitur. Egregia Doctoris calumnia, cum inſigni fraude conjuncta, notatur.* Bellarmini *ſententia de merito bonorum operum, cum Harmoniſtæ confertur.*] p. 58. uſque ad p. 65.

Sectio 9. ad Diſſertatiunculam de ſententia *Paulina Rom.* 7. à comm. 14.

[*Fruſtra prætendit* D. T. 1. *Harmoniæ Authorem in hujus Capitis interpretatione non admodum multos ex veteribus ſibi ſuffragantes habere.* 2. *Harmoniſtæ adverſari penè, ſi non planè, omnes Patres poſt Pelagium.* 3. *Unum tantùm & alterum Theologum Neotericum eximium ſententiæ noſtræ favere. Quàm liquidò falſa ſint hæc omnia, oſtenditur. Præter* Irenæum, Tertullianum, Cyprianum, Macarium, Baſilium, Maximum, Cyrillum, Origenem, Chryſoſtomum, Theodoretum, Pſeudo-Ambroſium, Theophylactum, Oecumenium Paulinum, Damaſcenum, Sedulium, *ab aliis pro noſtra ſententia citatos, afferuntur illuſtria teſtimonia, nondum ab aliis obſervata, ſex veterum Doctorum, nempe,* Juſtini Martyris, Clementis Alexand. Marci Eremitæ, Beati Dorothei, *Sancti* Paciani & Ennodii. *Oſtenditur, interpretationem hodiernorum Theologorum, quibuſcum* D. T. *ſentit, à ſenſu & mente ipſius* Auguſtini *longiſſimè diſtare. Græci Doctores, etiam poſt* Auguſtinum, *conſtanter adhæſere primitus receptæ atque approbatæ in Eccleſia Catholica interpretationi. Neque Patres omnes Latini, poſt* Auguſtinum, *ipſius expoſitionem amplexi ſunt. Noſtræ interpretationi favent inter Pontificios* Faber Stapulenſis, Eraſmus, Iſidorus Clarius, Zegerus, Toletus; *inter noſtros* Caſtellio, Muſculus, Bucerus, Grotius, Voſſius, Amyraldus; *inter noſtrates* Jackſonus, Hammondus, Tailerus, Farindonus, & *alii. Fruſtra objicitur à* D. Tullio, *noſtram interpretationem ſententiæ Eccleſiæ Anglicanæ adverſari. Rationes pro noſtrâ expoſitione, ex ipſo Capite deſumptæ, & ſolutiones ad partis adverſæ argumenta vindicantur.*] p. 65. uſque ad finem Apologiæ.